

VETERUM SCRIPTORUM

ET

MONUMENTORUM

HISTORICORUM, DOGMATICORUM, MORALIUM;

AMPLISSIMA COLLECTIO.

TOMUS I.

COMPLECTENS REGUM ET PRINCIPUM, ALIORUMQUE VIRORUM ILLUSTRIUM EPISTOLAS ET DIPLOMATA BENE MULTA.

Prodiit nunc primum studio & opera Domni EDMUNDI MARTENE, *& Domni* URSINI DURAND, *Presbyterorum & Monachorum Benedictinorum è Congregatione S. Mauri.*

PARISIIS,

Apud MONTALANT, ad Ripam PP. Augustinianorum, propè Pontem S. Michaelis.

MDCCXXIV.

CUM PRIVILEGIO REGIS ET SUPERIORUM PERMISSU.



PRÆFATIO

1.
OST editos in lucem quinque Anecdotorum tomos, cœperamus animum ad spem aliquam quietis erigere, & quidvis aliud quam litterarium iter meditabamur. Quod Augustinus olim Nebridio, id nobis ipsi quoque dictitabamus: *Profectiones quas quietas & faciles habere nequeas, per totam cogitare vitam, non est hominis de illa una ultima, quæ mors vocatur, cogitantis, de qua vel sola intelligis esse cogitandum.* Itaque certum erat totos nos reddere solitudini, cujus in portum tandem recepti, respiraremus a studiorum labore, & si qua eramus peregrinando passi damna pietatis, ea religiosæ vitæ exercitationibus, oratione, silentio, scripturarum sacrarum lectione sarciremus. At ecce cum hæc destinamus animo, ignotos nos & nihil tale cogitantes accersit illustrissimus Galliæ cancellarius, hortaturque in frequenti eruditorum virorum cœtu, nostram ut operam commodemus ad eam, quam adornari vehementer optabat, scriptorum historiæ Francorum editionem. Illam quidem summis jam impensis & laboribus procuraverat vir de patria deque litteris insigniter meritus Andreas Chesnius; at eamdem aiebant, quod verum est, maxima sui parte augeri posse, aptiorique ordine disponi; rariorem præterea esse, distractis jampridem ejus exemplaribus, quovis ut pretio comparari vix queat. Vicit nos, ut ait de se e veteribus non nemo, *non tam præstandi quod exigebatur fiducia, quam negandi verecundia.* Enitendum saltem esse duximus ut amplissimi viri votis faceremus satis; & opus dignum Gallia, dignum cancellario Gallicanæ rei studiosissimo, si nulla alia re, certe quanta maxima liceret monimentorum collectione promoveremus.

Collectioni amplissimæ quid dederit occasionem.

Ep. 10. n. 2

Quintilian. in procem. lib. 1.

2. Ante omnia visum est, non Gallicanas modo bibliothecas revolvi, sed iter etiam ad nationes exteras, quæ Francorum præsertim regibus olim paruerant, suscipi oportere. At vero quo primum flectendum iter, quæ præ ceteris adeundæ gentes non parum animo & cogitatione suspensi exploravimus. Jamdiu erat cum nos ad visendos Hispaniæ codices manuscriptos invitaverat illustrissimus Josephus *de Taverner* tunc canonicus Barcinonensis, nunc vero dignissimus ecclesiæ Gerundensis episcopus, qui pro sua in omnes humanitate, sed in nos præsertim benevolentia singulari, studiis nostris quantum licuit favere non destitit. Nec deerant sane gravissimæ rationes, quibus ad id potissimum impelleremur. Neglectas quippe aiebant paucisque pervias hactenus Hispaniæ bibliothecas, in quibus plura laterent antiquitatis monimenta, quæ nimis diu pulvere obsita excitare, ac publicam in lucem emit-

tere operæ pretium esset. Prævaluisse insuper olim apud Hispanos regum Francorum auctoritatem, adeo ut a Caroli-Magni tempore & deinceps publica instrumenta omnia ac diplomata annotato regni regum nostrorum anno conficerentur. Sed alio revocabant nos alia, nec minoris ponderis rationum momenta. Satius quippe videbatur illas perlustrandas esse regiones, quæ merito possunt appellari Francicæ gentis incunabula, uberioris ibi messis spem affore, ubi natum Francicum nomen; illas provincias in primis percurrendas, quas olim incoluere reges nostri, ubi & nominatissimas ædes habebant, atque amplissima fundarunt dotaruntque monasteria, quæ certe, uti nemo nescit, ob eam causam tamquam regia quædam tabularia possunt existimari.

Ex quibus sit conflata.

3. Annuentibus itaque publicis in comitiis superioribus nostris, sumtus itineri, equos & necessaria omnia suppeditante recolendæ memoriæ reverendissimo patre domno CAROLO DE L'HOSTALLERIE congregationis nostræ tum temporis præposito generali, viro cum pietate & prudentia, tum maximo rerum usu, sed & propensione præsertim in litteratos spectatissimo, fratrum nostrorum muniti precibus, itineri nos commisimus, Belgium, Ardennam & marcas Germanicas penetravimus, nec irrito prorsus labore. Nam licet continuis bellorum motibus attritæ desolatæque essent illæ provinciæ, tantam paucis mensibus collegimus diplomatum regiorum messem, ut immensam in molem excresceret. Horum partem maximam suppeditavit venerandæ antiquitatis cartarium Prumiense, quod fere integrum exscripsimus; Trevirense S. Maximini, Epternacense S. Wilbrordi, Valciodorense, ut interim sileamus Stabulense, ex quo eruimus præcepta Sigeberti, Hildrici, Dagoberti, Clodovei & Childerici regum primæ stirpis; Caroli-Magni, Ludovici-Pii, filiorumque ejus, Caroli-Crassi, &c. adeo ut archivum in tota, quam late patet, Gallia vix reperias instrumentorum copia aut nobilitate præstantius. His accessere e variis bibliothecis annales antiqui, regum capitularia nondum edita, sacrarum ædium ab ipsis erectarum historiæ, chronica varia, virorum insignium cujusque ætatis epistolarum magna congeries, quas inter non infimum tenent locum WIBALDI abbatis Stabulensis & Corbeiensis, quatuor imperatorum ministri, epistolæ numero CCCCXL. quas cum antiquis Stabulensis monasterii monimentis ex veteri codice ipsius Wibaldi ætate exarato summa cum fide descriptas, nobiscum communicavit reverendissimus & amplissimus ejusdem imperialis monasterii prior. Sed & integrum Alexandri papæ III. registrum pro Rhemensi provincia, ex quo quingentas & amplius epistolas eruimus, accepimus ex insigni monasterio S. Vedasti Attrebatensis.

4. Multa subinde occurrerunt rerum ecclesiasticarum præclara monimenta, concilia scilicet, statuta synodalia, monasticæ constitutiones, inediti SS. Patrum aliorumque scriptorum antiqui tractatus, quæ omnia æque collegimus, hortantibus viris eruditis, qui optime noverant thesaurum nostrum Anecdotorum hoc fere modo, & quasi aliud agentibus nobis, coaluisse: immo invitantibus illustrissimis quos visitavimus monasteriorum prælatis, qui non omnem modo humanitatem nobis exhibuere, sed & difficultatibus ipsis quæ nos ab improbo labore deterrere potuissent occurentes, codices manuscriptos quantivis essent pretii, si continuo exscribi vix possent, aut peritis commendarunt scriptoribus, aut certe Parisios usque transmiserunt, pro temporis opportunitate reddendos. Qua in re nos sane mirum in modum devinxere amplissimi abbates Trevirensis S. Maximini, Himerodensis B. Mariæ, Andaginensis S. Huberti, Leodiensis S. Laurentii, Tornacensis S. Martini, necnon reverendissimi monasteriorum præpositi Attrebatensis S. Vedasti, Elnonensis S. Amandi, Aquicinctensis S. Salvatoris, Marchianensis S. Rictrudis, ac clarissimi apud

Leodios viri domini *de Craſſier* & *de Louvrex*, quorum officia non ſemel experti ſumus.

5. Longe plura nos collecturos fuiſſe vetera monimenta haud dubitamus, ſi interiores Germaniæ partes penetraſſemus, Fuldam præſertim, Francofurtum, & Maguntiam, Ratiſponam aliaſque celeberrimas civitates, in quibus, ſi quid hactenus inſigne ſuſpicitur, hoc Carolus-Magnus, filiuſque ejus Ludovicus, Lotharius aliique ſucceſſores condiderunt, refecerunt, exornarunt. Neque defuere qui nos & litteris & precibus urgerent, ut ultra progrederemur, atque in primis ſereniſſimus Corbeiæ princeps, qui nos apud ſe diutius detinere geſtiebat. At provinciam illam obeundæ Germaniæ jam præceperat in ſe amicus ac ſodalis noſter R. P. Bernardus *Pez* ſacri Mellicenſis monaſterii in Auſtria aſceta doctiſſimus, minimeque decebat nos extraneos alienam in meſſem falcem immittere. Præterea inſtabat hyems iter facientibus ſtudiiſque operam navantibus non ſatis commoda.

6. Reverſis in Galliam nova nobis apparuit rerum facies, neque de editione ſcriptorum hiſtoriæ Francicæ amplius eſſe cogitandum deprehendimus, atque adeo ſtudia hæc noſtra alium in ſcopum dirigenda. Incidere interim in manus noſtras antiqua duo monaſterii Cenomanenſis S. Vincentii cartaria, quæ eo avidius expendimus, quo plura jam cum apud Mabillonium, tum apud Baluzium reperiantur nobilis provinciæ monimenta. Hæc vero cartaria præter fundationes ſacrarum ædium multas, nomina exhibent quam plurima nobilium Cenomanenſium, dominorum de Mauritania, de Beliſmo, de Wirchia, de Monte-Dublelli, de Monte-Mirabili, de Monte-Aureo, de Lavarzino, de Valle-Guidonis, quorum memoriam ætas, uti humana omnia conſuevit penitus aboleverat. Litteræ jampridem nonnullæ privilegiorum inſignis S. Martini Turonenſis eccleſiæ, pietatis utique regum noſtrorum in ſanctiſſimum Galliæ patronum certiſſima argumenta, penes nos erant; jamque ex Philippi-Auguſti regis cartario innummerabilia eademque maximi momenti deſcripſeramus quatuor regum diplomata, cartas denique ſelectiores S. Victoris Maſſilienſis monaſterii celeberrimi nobiſcum communicaverat eruditus vir dominus Furnerius, loci illius aſceta, quæ hiſtoriam mire illuſtrant Provinciæ, Cataloniæ, Vaſconiæ, Sardiniæ aliarumque regionum, ad quas olim è ſacro monaſterio directæ ſunt coloniæ ſeu examina monachorum.

7. Cum ergo nulla jam ſpes affulgeret operis tam proſpere incœpti ad præſtitutum ducendi finem, viſum eſt operæ pretium quidquid veterum id genus monimentorum collegeramus, litterariæ reipublicæ totum conſignare; ut ne diverſas in partes, quod vulgo fit, diſtraherentur; eoque conſilio novam hanc veterum ſcriptorum monumentorum hiſtoricorum, dogmaticorum, moralium collectionem adornavimus, quæ mox crevit in immenſum, offerentibus ultro ſymbolam ſtudioſis quibuſque, relatiſque in cenſum noſtrum pluribus monimentis, quæ ex diverſis Italiæ bibliothecis olim collegerat vir de re litteraria præclare meritus noſter Mabillonius, in quibus ſuſpiciendæ præſertim epiſtolæ circiter DCC. Ambroſii & Petri Delphini CCXLII. celeberrimorum ſacri ordinis Camaldulenſis præpoſitorum generalium, tractatus varii & annales; adeo ut nullus jam mirari debeat collectionem hanc vocari Ampliſſimam.

8. Ut autem ſcriptis inter ſe tam diverſis ordinem aliquem induceremus, viſum eſt ea quatuor in claſſes diſtribuere, quæ ſingulæ plures emittentur in tomos diſtinctæ. Prima claſſis tota erit diplomatica & epiſtolaris, hiſtorica claſſis ſecunda, tertia & quarta morales & dogmaticæ. Illa quippe concilia varia & monaſtica decreta habebit, hæc ſanctorum patrum, aliorumque ſcriptorum eccleſiaſticorum opuſcula. Prima claſſis quæ jam tum in lucem prodit tres omnino tomos habet, quorum primus, quem præ manibus habemus, *Ejus diviſio & utilitas.*

miscellanea diplomatum & epistolarum virorum illustrium supra mille & trecenta complectitur. Ex quibus quantum lucis ad illustrandam non modo Francorum, sed & aliarum etiam nationum historiam cum civilem tum ecclesiasticam accedere possit, pluribus præfari supervacaneum videtur. Nam si vel leviter tomum hunc evolvere sategerint viri eruditi, animadvertent haud difficulter, nullam tota in Europa existere nationem, quæ rerum suarum plura monimenta hic se reperisse non gaudeat. Et vero quam multa quamque præclara hic Itali, Germani, Hispani, Angli, ut interim Gallos prætermittamus, quorum occasione suscepta est collectio, quam multa, inquam, hic admirabuntur, quæ hactenus ignorasse se fatebuntur. Hæc autem fusius exsequi si vellemus, novum illudque non minimum volumen cudere necesse foret. Quædam tamen adnotare instar speciminis satis hic fuerit.

§. I.

OBSERVATIONES HISTORICÆ.

De regibus nostris.

Clodoveo magno debentur primordia Anisolensis monasterii.

9. Occurrit ipso in limine diploma Childeberti regis Francorum pro Anisolensi S. Carilephi monasterio, ex quo prima didicimus celeberrimi olim monasterii hujus incunabula magno Clodoveo deberi, quod hactenus observavit nemo. Annuit quippe Childebertus ut sanctissimus abbas in loco Casa-Gaiani nuncupato *receptaculum pauperum in eleemosyna domni & genitoris nostri Clodovei*, inquit, *ædificare potuisset*. Vivente ergo Clodoveo illuc accesserat Carilephus, impetrataque ab eo parte aliqua prædii, cellam ibi seu monasteriolum construxerat. Idem haud obscure innuit Siviardus in vita S. Carilephi, in qua beati viri secessum in partes Cenomanicas describens; *assumto*, inquit, *secum suo commilitone Daumero conservoque itidem Gallo, pedem vertit in partes Cenomanæ urbis, tandemque divertit in locum veteri vocabulo Casa-Gajani nuncupatum; situm in parochia Labrocinsi, in quo multis admodum delituit diebus. . . . ibi cellam construxit. . . . inter hæc Childebertus cum sibi juncta Ultrogota. . . . in villam Madualis nuncupatam venit*, &c. Ubi vides Carilephum antequam illuc accederet Childebertus jam delituisse ibidem cum sociis *multis ante diebus*, hoc est aliquibus saltem annis, & superstite adhuc Clodoveo, sibique ac suis cellam construxisse. Clarius Nicolaus papa primus in epistola ad episcopos Galliæ, qui Anisolensium monachorum privilegia & immunitates in concilio Vermeriensi asseruerant: *Hoc monasterium*, infit, *a primo rege Francorum christiano, id est Clodoveo filioque ejus Childeberto cum habuerit libertatem, & deinceps ab omnibus regibus manserit liberum, & in rerum suarum dispositione, & in abbatis electione nunc reperitur.* Quo quidem testimonio nihil clarius afferri potest. Postea tamen tot prædiis tamque amplis a Childeberto rege ditatum est monasterium, ut pro fundatore non immerito haberi meruerit, celeberrimaque toto in regno evaserit Anisola; adeo ut Meroveus Chilperici regis filius, quod Brunechildem amitam post Sigiberti patrui sui mortem, citra patris consensum in matrimonium duxisset, tonsus ac mutata veste qua clericis uti mos est, presbyter ordinatus, in Anisolensi cœnobio reclusus fuerit, *ut ibi sacerdotali erudiretur regula*, quemadmodum habet Gregorius Turonensis lib. 5. hist. Francorum cap. 14. Ab eo vero tempore juris regii haberi cœpit Anisolensis abbatia, quam ab omni jugo liberam voluere omnes pene Francorum reges, qui ipsius privilegia & immunitates suis diplomatibus confirmavere. Scimus episcopos Cenomanenses non semel eam sibi subjicere co-

natos fuisse, nullumque non movisse lapidem, ut Anisolenses monachos ditioni suæ subjicerent: at irrito prorsus conatu. Nam & congregati anno 855. in concilio apud Bonoilum villam, & anno 862. in concilio Pistensi Galliarum antistites, Anisolensium monachorum libertates asseruere, quibus accessere anno 863. Vermeriensis concilii patres, quorum judicium confirmavit Nicolaus papa I. Notanda sunt in primis verba concilii Vermeriensis. *His itaque elucidatis, reverendi antistites & nobilissimi proceres, & ceteri assistentes apertissime cognoverunt, cognoscentesque affirmaverunt, regiam ejusdem monasterii praeponderare possessionem, quae numquam & nusquam interrupta fuerit, sed continuatim inconvulsa manserit: episcopale vero ideo refutandum dominium, quia ejus non vera nec effectum habentia apparent instrumenta, nec habuerit quisquam pontificum idem monasterium, nisi jure beneficii, per munificentiam principalem.* Sed & *advocatus episcopi veridica professus est ratione, non habere se vera & legitima instrumenta, per quae idem monasterium tenere posset,* unde & sponte cessit. *Et ne materia refricandae litis ulterius remaneret, jussit domnus rex, ut instrumenta Cenomannicae ecclesiae, quae inutilia & falsa probata erant, intra quartum decimum diem in ejus exhiberentur praesentia, penitusque abolirentur.* Hinc patet cujus ponderis esse debeant instrumenta illa, quæ de Anisolensis monasterii subjectione extant in actis episcoporum Cenomanensium, viris eruditis aliunde merito suspecta. Instr. pag. 171.

10. Simili prorsus modo Prumiensis monasterii originem ipsæ fundationis litteræ pag. 23. editæ demonstrant, non Pipino regi, uti omnes tradunt, debere attribui, sed Bertradæ nobili matronæ, cujus nec nomen superest in historia. « His litteris significat Bertrada monasterium se filiumque suum Charibertum in honorem S. Mariæ, SS. Petri & Pauli, S. Johannis, & S. « Martini ædificasse circa fluvium Prumiam, ut monachi ibi constituti Dei « misericordiam exorarent die ac nocte, tam prose quam pro filiis suis defunctis: « ex quo constat, piissimæ matronæ plures fuisse filios, quibus unus superstes erat Charibertus. Bona deinde & possessiones enumerat, medietatem villæ *de Romairo, de Prumia* medietatem, & multa alia. *Haec donamus,* inquit, *ad monasterio Prumia. . . . . ubi Angloaldus, Christo auspice, praeesse dinoscitur.* Datæ sunt litteræ anno 1. regni Theoderici, qui in annum Christi 721. incidit. Jam vero quod valde notandum est, Bertradam illam Prumienses dicunt fuisse aviam Bertæ uxoris Pippini regis, eamdemque marito orbatam, monasterii celeberrimi fundamenta prope castellum suum *Murlebach,* cujus rudera adhuc extant, posuisse. Hinc patet Charibertum illum seu Heribertum, qui Bertæ reginæ pater appellatur in eo Pippini instrumento pro Prumia, quod edidit Mabillonius in appendice ad tomum II. Annalium Benedictinorum, alium non esse a Chariberto Bertradæ filio. Quod certe non obiter oscitanterque transcurrendum est. Nam de Bertæ Pippini regis conjugis, & Caroli-Magni matris patre hactenus silent auctores. In annalibus quidem Bertinianis ad annum DCCXLIX. hæc legebantur. *Pippinus conjugem duxit Bertradam, cognomine Bertam, Cariberti comitis Laudunensis filiam.* Verum hæc dubiæ fidei habebantur, unde & a Chesnio, quod aliis in annalibus desiderarentur, ansulis inclusa fuere, si quidem longe ante annum DCCXLIX. Pippinus Bertam duxerat, qui Carolum-Magnum ex ea susceperat anno DCCXLII. Quod autem Caribertus Bertæ reginæ pater idem sit cum Cariberto Bertradæ primæ Prumiensis cœnobii fundatricis filio, palam elucescit cuilibet Bertradæ & Pippini diplomata conferenti. *Ad stipendia ipsorum servorum Dei,* inquit Bertrada, *donamus de villas nostras, id sunt de Romairo-villa, de nostra portione medietate.* Pippinus vero res proprietatis suæ donat in pago Chorosvilla, quæ dicitur *Rumeresheim seu Romairus, tam illam portionem,* inquit, *quae de genitore meo Carolo mihi advenit, quam & illam portionem ipsius Bertradae, quam*

De Prumiensis monasterii fundatrice Bertrada, de Chariberto ejus filio Caroli-Magni ex matre avo.

genitor suus Heribertus ei in dotem reliquit. Ubi vides eam *Rumeresheim* seu Romairi portionem, quam Charibertus Bertæ filiæ in dotem contulit, eamdem omnino esse cum illa medietate ejusdem villæ, qua olim Bertrada ipsius mater Prumiense monasterium dotaverat. Porro cum altera villæ illius medietas a Carolo genitore Pippino obvenerit, non levis conjectura est Bertradam nostram proxima sanguinis affinitate Carolo Martello fuisse conjunctam, & forte ipsius sororem, quæ omnia hactenus ignorata sunt. Cum ergo Bertrada avia Bertæ reginæ, Prumiensis monasterii fundatrix prima fuerit, haudquaquam mirum videri debet, si præ ceteris Galliæ monasteriis Prumiam regina ipsa dilexerit, eamque rogatu ejus Pippinus magnificentia prorsus regia dotatam, commodiori in loco novo opere construxerit: adeo ut extincta prioris monasterii memoria, unus modo hebeatur ejus fundator.

De patre Plectrudis uxoris Pippini Heristallii.

11. Quod de Chariberto patre Bertæ reginæ, & de matre ejusdem Chariberti Bertrada modo observavimus, movent nos ut similem hic faciamus observationem de Chugoberto seu Hugoberto patre Plectrudis, uxoris Pippini Heristallii Majoris-domus sub Childeberto II. rege, qui nobis innotescit tantummodo ex diplomate ejusdem Pippini & Plectrudis, pro confirmatione fundationis Epternacensis monasterii, pag. 17. edito, cujus hoc initium est: *Ego in Dei nomine inluster vir Pippinus filius Ansgisili quondam, necnon & illustris matrona mea Plectrudis filia* HUGOBERTI *quondam*, &c.

De rebellione Provinciæ sub Pippino patre Caroli Martelli. Infr. pag. 42.

12. Inter varia quæ de celeberrimo S. Victoris monasterio Massiliensi edidimus instrumenta, primum merito locum obtinet COMMEMORATORIUM *de quibusdam villis S. Victori restitutis aut restituendis.* Scriptum fuit illud diploma circa annum 780. sub forma libelli supplicis Carolo-Magno regi a Vernario misso regio exhibiti, in quo inter alia hæc habentur. ABBO *patricius condam coram avio vestro* CHARLO *reclamavit, quod* ANTENER *patricius, ut quod condam pro malo ingenio & fortia, quando Provincia revellavit contra bisavio vestro* PIPPINO, *Antener ipsas villas partibus suis ad probrio se dixit abere, usque quod ipse in ipso revellio vixit. . . . . . ipsius ecclesia abstulit.* Quæ quidem verba non sunt obiter prætereunda. Nam de defectione illa Provinciæ sub Pippino Caroli Martelli patre, altum est hactenus omnes apud auctores silentium. Quis vero rebellionis auctor, quæve illius occasio extiterit hactenus incompertum: verum defectioni in primis favisse Antenorem patricium ex hoc instrumento discimus, immo ipsa in rebellione perseverasse, si quidem *ipse in ipso revellio vixit.* Quæ verba designant rebellium motus non celeriter sopitos fuisse, sed plurimos annos perdurasse, Pippino Caroloque ejus filio variis bellis aliunde occupatis, ac domandis Frisonibus, Saxonibus, Aquitanis, aliisque non semel rebellantibus, immo & expellendis e regni finibus Sarracenis, quos in sui auxilium advocarant rebelles. Sed tandem anno 736. *Carolus princeps Burgundiam adiit, Lugdunumque Galliæ urbem munitissimam, suæ ditioni subegit, & usque Massiliensem urbem & Arelatem civitatem penetravit*, moxque in Saxones denuo arma convertit. At sequenti anno, *nunciatum est invicto Carolo principi, quod sæva gens Sarracenorum obtenta Septimania & Gothia, in partes jam Provinciæ irruissent, castrumque munitissimum Avenionem per fraudem quorumdam Provincialium, comitatum illum obtinuissent.* Verum brevi ille coacto ingenti exercitu, recuperato castro, Sarracenorum vires fregit, regem eorum interemit, totamque Gothiam in ditionem suam redegit. Mox alio revocatus, Saxones iterum domuit, tandemque anno 739. *Carolus commoto exercitu universali, in partibus Provinciæ iter dirigit, Avenionemque iterum cepit. Totaque Provincia usque ad littus maris peragrata, ad Massiliam pervenit, fugatoque duce Moronto, qui quondam Sarracenos in suæ perfidiæ præsidium adsciverat, nullo jam relicto adversario, totam illam regionem suo imperio subju-*

gavit. Hæc ex annalibus Metensibus, quibus concinit Chronicon Wirzburgense apud Baluzium tom. I. Miscell. in quo ad annum 739. hæc leguntur: *Carolus Provinciam subjugavit.* Tunc Antener patricius qui nec Deum verebatur nec homines, quique rebellionis obtentu tres S. Victoris villas, Bedatani in pago Aquensi, Orbesium in Regensi, & Caladium in Dignensi invaserat, ablatas restituere jussus est, reclamante in primis Abbone patricio piissimo: quem proinde merito vixisse tempore Caroli Tuditis contendit ac probat Mabillonius adversus Cointium, qui illum ad Caroli-Magni ætatem rejicit.

13. Inter proditores principes, qui a Ludovico Pio imperatore ad filios rebelles defecere anno Christi 833. unus memoratur Richardus, qui necdum satis innotuit. Hunc Teganus ob facinoris ejus atrocitatem *perfidum* & *insidiatorem* appellat, observatque Astronomus ipsum cum aliis conjuratis anno Christi 835. morbo correptum vix mortis fauces evasisse, sed nec multo post esse consumtum; tum subdit: *Hi sunt quorum decessu dicebatur Francia nobilitate orbata, fortitudine quasi nervis succisis evirata, prudentia his obeuntibus annullata.* Ex quibus suspicabamur perfidum hunc sua ætate fuisse magnæ auctoritatis, eumdemque illum Richardum qui anno Christi 821. cum Alberico Lingonensi antistite missus regius legitur constitutus super Lugdunensem, Tarentasiensem & Viennensem provincias; conveniunt utique nomen, dignitas & ætas. At jam qualiscumque sit hæc conjectura, vitam ejus omnem, fortunas, genus & patriam, exitum in instrumentis nostris omnino duobus habemus, altero Ludovici Pii imperatoris anno imperii XXVI. Wormatiæ dato, altero Lotharii anno 842. in Theodonis-Palatio. Ex his instrumentis discimus Richardum ex Arduenna fuisse oriundum & Bivini comitis fratrem, atque adeo Richildis imperatricis & Bosonis Provinciæ regis patruum. Hæc enim fuit Bivini comitis clara progenies, quam ex sorore Thietbergæ Lotharii uxoris legitimæ suscepit. Primis ipsum Ludovici Pii annis Ostiarii munus exercuisse, quod porro summum erat in aula, ut docet Hincmarus in libro de ordine palatii cap. 17. multisque a piissimo Augusto auctum fuisse beneficiis, Villantia præsertim villa regia in patrio solo sita & valde pingui. Ea quippe erat optimi imperatoris liberalitas, *ut villas regias quæ erant sui & avi & tritavi, fidelibus suis traderet in possessiones sempiternas*, constructis inde præceptis ac manu propria roboratis, ut scribit Theganus. Sed tantorum beneficiorum immemor Richardus, non modo conjuratis adjunxit sese, sed etiam eorum fovit rebellionem, Lothariumque in Italiam commigrantem posthabito imperatore, secutus est. Audiendus hac de re Ludovicus in suo diplomate. *Obortis contra nos factionibus, in nostrum regnum & honorem, quidam malevoli conspiraverunt, & ejusdem partis memoratus Richardus fautor extiterat, atque cum filio nostro Lothario, relictis nobis, abscesserat.* Unde mirum videri non debet, quod dignitatibus ac bonis exutus fuerit: verum cum eum quem sequutus fuerat errantem sequutus sit & pœnitentem, revertentem anno 838. ex Italia Lotharium comitatus, gratiæ illius factus est particeps, restituta ei villa Villantia aliisque prædiis. *Nunc autem quia miserante Domino*, inquit iterum Ludovicus, *idem Lotharius filius noster una cum suis ad nostram præsentiam, atque concordiam & unanimitatem properavit, indultis ob amorem Dei omnibus quæ in nos male patraverat, placuit etiam misericordiæ nostræ, ut præscripto* RICHARDO *jam dictam villam pietatis intuitu, sicut pridem fuerat, ad proprium restituere.* Quapropter non confundendus cum eo Richardo comite videtur, qui cum Fulcone & Adrebaldo abbatibus delegatus fuit ad Lotharium anno 835. uti scribit Astronomus, nisi forte dicatur, eo ipso anno ad Ludovicum remigrasse, & mox ad pristinos errores relapsus, convenisse Lotharium. Atqui id haud obscure

De Richardo perfido Ludovici Pii proditore.

Theg. cap. 47. Vita Lud. Pii.

Pag. 97.

Pag. 101.

Theg. cap. 19.

Pag. 97.

innuere videntur & *perfidi* cognomen, & laudatum jam Ludovici Pii instrumentum, quod hanc præfert inscriptionem. *De rebus Richardi quas ei restituit imperator* SECUNDA VICE *quando reconciliatus est cum eo.* Ubi & mirari subit piissimi Augusti summam clementiam, qui perfidum non modo in suam admittere gratiam denuo dignatus est, Villantiamque ei ipsi hoc instrumento restituere, sed & tria insuper addidit mancipia ex fisco suo *Romfeld*, & servos duos cum suis omnibus e fiscis suis Munuherstati & Vindrinio. Hunc tamen non legimus pristinis honoribus restitutum, unde & colligimus, privatum eum quod vitæ reliquum erat peregisse, longeque ab aulæ tumultu. Id saltem conjicere licet ex Astronomo, qui mortem ipsius paululum accelerans, his de omnibus tacet. Prumiam fortassis mundi pertæsus secessit, ibique extremos vitæ dies pœnitens erratorum suorum exegit. Suspicionem hanc injicit Lotharii

Pag. 101. imperatoris diploma, quo *Richardus quondam comes illuster res proprias ad jam dictum monasterium per Bivinum fratrem suum & Gerardum & Basinum, qui & Tancradus, comites,* tradidisse dicitur; *& non solum res ex qualibet legali adqui-* » *sitione advenientes*, sed & Villantiam ipsam, quam piæ memoriæ Ludovicus » ipsi assertam voluerat. Datum est illud diploma 11, *idus Novembris anno Christo propitio regni Lotharii in Italia xxij. & in Francia imperii III. indictione v. Actum Theodonis palatio regio.*

De variis regum palatiis in libro IV. de re diplomatic. omissis. 14. Mabillonius libro IV. de re diplomatica commentarium edidit de antiquis regum nostrorum palatiis, quem viri litterati eo pluris fecere, quo minus expectabatur, adeo enim erant obscura pleraque, ut ne constaret quidem apud eruditos de eorum situ. Mirati sunt itaque omnes eo in commentario suam cuique sedem esse restitutam. At plura hoc ce in tomo & secundo regum nostrorum occurrent palatia, quorum cum ne nomen quidem retulerit vir eruditus, pauca de his ipsis præfari juvat.

Pag. 93. ALBUFIVILLA palatium regium nominatur in diplomate Ludovici Pii pro monasterio Prumiensi anno 835. dato, ex quo non solum palatii nomen discimus, sed & ipsius insuper situm. Sic quippe piissimus imperator eo in diplomate: *Concessimus ad proprium monasterio quod dicitur Prumia & monachis inibi Deo famulantibus, quibus &* MARCUARDUS *abba præesse dinoscitur, nostræ proprietatis res, quæ sunt in pago Wormacense, in loco qui dicitur Albufi-villa; mansum videlicet indominicatum .... necnon & basilicam in eadem Albufi-villa constructam*, &c. *Actum Albufi-villa palatio regio in Dei nomine feliciter.*

Pag. 32. BROGMAGAD palatium memoratur in præcepto Carolomanni regis pro viro illustri Dirodoino comite Palatii, quo nemus in Arduenna, in loco qui dicitur *Benufelt*, eidem comiti asseritur. *Actum Brogmagad palatio publico, anno* II. *regni Carolomanni regis* hoc est anno 770. Videtur autem palatium hoc in oppido *Breucomat* Argentoratum inter & Hagenoam sito extitisse, cum propter ipsam nominis affinitatem, qua nulla potest major afferri, nam & Ptolomeo dicitur BROCOMAGUS seu BREUCOMAGUS, tum quia partes Rhenanas lubentius incolebat Carolomannus, totumque fere annum 770. hisce in partibus Moguntiæ præsertim, & Wormatiæ egit.

Tom. 2. pag. 21. & 23. CISPIACO in palatio regio versabatur Ludovicus-Pius imperator calendis Octobris anni DCCCXXVII. quo Wirundo abbati Stabulensi diplomata dedit duo, quibus & telonium de navibus suis per Rhenum & Mosam discurrentibus Stabulensibus Malmundariensibusque monachis conceduntur & eorum possessiones asseruntur. *Actum Cispiaco palatio.*

FLATANENSE palatium habemus in præcepto Lotharii imperatoris, quo prædia regalis fisci nonnulla Prumiensibus monachis attribuit pro ecclesia & luminaribus. *Nos*, inquit, *divino nutu inspirati pro remedio animæ nostræ aliquantulum ex rebus juris nostri, id est mansos tres & dimidium, sitos in pago Eiflia, in villa*

villa quæ dicitur Goslichestorph, *super fluvium Nortina ad monasterium S. Salvatoris, quod Prumia antiquo vocabulo nuncupatur....... ad luminaria concinnanda nostro tribuimus munere...... Actum Flatana palatio regio.* Porro cum prædia illa regalis essent fisci, haud absimile vero videtur esse, si ad palatium hoc pertuinuisse ea dicamus, sicut ea quæ superius Ludovicus Pius in *Gummaritbesheim* & in *Stetin* concessisse memoratur, juris erant Albusi-villæ; atque hoc posito Flatanam palatium locamus in Eiflia. Pag. 93.

MANDERFELT Lotharii imperatoris Palatium haud procul a Prumiensi monasterio situm fuisse colligimus ex ejusdem imperatoris diplomate anno 854. Prumiensibus monachis dato. Quippe Lotharius *cum orationis gratia ad monasterium Prumiæ, in honore Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi dicatum* pervenisset, *eumdem sanctum locum ob emolumentum animæ* suæ *honorare atque sublimare* cupiens, villam *Hauvans* dictam largitus est. *Actum Manderfelt palatio regio.*

SALZ seu & alii legunt Sarh palatium nobis suggerit brevis notitia de imperatoribus e Caroli-Magni stirpe natis edita tomo 2°. inter epistolas Wibaldi abbatis, quæ sic incipit. *Imperator Carolus parrochiam Halberstadem certis undique circumscribit terminis, suoque Augustali imperio & impravaricabili privilegio firmavit* DCCCIV. *idus Maii indictione* X. *sui autem regni* XXXIV. (Lege XXXVI.) *imperii tertio, ordinationis Hildegrimi episcopi* XXIII. *in palatio* SALTZ *nominato.* Additque *eodem etiam tempore habito conventu in palatio eodem, imperator omnes Saxones antiqua libertate donavit, eosque pro conservanda fide catholica ab omni solvit tributo, excepto quod omnes divites scilicet ac pauperes totius suæ agriculturæ decimas Christo & secerdotibus ejus fideliter reddere jussit.* Quæ totidem fere verbis extant in recentiori chronico Halberstadiensi apud Libnizium, & in chronico Quidelinburgensi. Sed & tradunt præterea annales Francorum apud Chesnium « legatos Nicephori imperatoris Constantinopolitani, MICHAELEM episcopum, PETRUM abbatem, & CŒLESTIUM candidatum ad imperatorem CAROLUM-MAGNUM eodem anno venisse *in* « *Germania super sala in loco qui dicitur* SALZ, *& pactum faciendo pacis in scripto* suscepisse, unde collegitur Palatium SALZ ad salæ ripam extitisse; verum situm ejus Poeta Saxo magis definit, his paucis versibus: Tom. 2. pag. 580. Tom. 1. Hist. Brunswic. Chesn. tom. 2. pag. 19.

Sed rex nec spatium torpere per otia parvum
Dignatus, semper sed strenuus, indole mitis
Est aggressus iter Mœnum navale per amnem,
Ascenditque per hunc, donec prope mœnia venit
Magna Palatinæ sedis. Salt nomine dicta,
Nascenti vicina salæ, nam fluminis hujus
Rivus adhuc modicus hæc ipsa Palatia cingit.
Vix raucum per Saxa ciens resonantia murmur.

Poeta Saxo ad an. DCCXC.

SCONILARE Lotharii palatium innotescit ex ejusdem imperatoris præcepto pro monasterio Prumiensi dato XIII. calendas Octobris anno Christo propitio imperii domni Lotharii piissimi atque serenissimi Augusti in Italia XXXVI. in Francia XVI. indictione IV. hoc est XIX. Septembris anni DCCCLV. Eo in diplomate Lotharius *pro amore Dei omnipotentis & animæ* suæ *sempiterna remuneratione villam juris* sui *Albiniacum vocabulo, cum omnibus juste ad se & legaliter pertinentibus*, confert *monasterio Prumiacensi, quod est dedicatum in honore Domini & Salvatoris nostri* JESU CHISTI, *ubi Domino jubente*, inquit, *corpore jacere volumus.* ACTUM *Sconilare palatio regio.* Porro eodem anno & mense idem imperator, uti habent Annales Bertiniani, *morbo correptus vitamque despe-* Pag. 140.

rans, monasterium Promeæ in Arduenna constitutum adiit, sæculoque & regno penitus abrenuntians, tonsus est, vitam habitumque monachi humiliter sumens, ... inter sex dies vita decessit IV. *calendarum Octobrium, atque in eodem monasterio sepulturam, ut desideraverat, consecutus est.* Quibus ex verbis demonstratur diploma Lotharii uno aut altero die antequam Prumiense in monasterium se transferri juberet, datum fuisse in Sconilari palatio, ubi æger jacebat, proinde palatium illud Prumiæ proximum omnino fuisse.

Infra.pag. 37. Carolus-Magnus Sirmionense castellum monachis S. Martini Turonensis conferens pro vestimentis, *& curtem Piscariam, ac Lionam*, palatium ibidem regium indigitat, quod ideo appellabimus Sirmionense. *Donamus*, inquit, *ad sacrosanctam ecclesiam S. Martini & patroni nostri Turonicæ civitatis constructam, ... donatumque in perpetuum ad eumdem sanctum locum, vel ejusdem congregationi causa vestimentorum esse volumus: hoc est insula cum castello* SIRMIONENSE, *quæ est sita in lacu Minciadæ, & curtem Piscariam, ac Lionam cum omnibus finibus & ejus terminis, sicut in publico*, ET AD PALATIUM *visum est pertinuisse. Data* XVIII. *calendas Augusti anno* VI. *& primo regni nostri. Actum Papia civitate.* Sirmio autem sive Sermio vulgo Sermione pagus est hodie Cenomanorum Venetiæ, ad Benacum lacum, ex quo scilicet lacu Mincius, qui hic dicitur *lacus Minciadæ*, emittitur, Brixiam inter & Veronam situs.

Tom. 2. pag. 24. 25. TECTÆ seu Tecta palatium regium occurrit in præcepto Ludovici Pii & Lotharii imperatorum pro Stabulensi monasterio, eratque jam sub initium sæculi noni magnæ antiquitatis. » Orta enim tunc temporis contentione in« ter Andoinum abbatem & Albraicum fisci Tectis actorem de silva Astene« tensi, Ludovico Pio & Lothario imperantibus & hoc de negotio cognos« centibus, probavit abbas Stabulensis *per Priscorum regum Francorum præcepta, quod tam ipse quam familia memorati fisci & actores ejusdem propter antiquam consuetudinem suas opportunitates & commoditates in eadem silva habere communiter* deberent. Idque confirmavit uterque imperator. *Datum* VIII. *calendas Junii anno Christo propitio decimo quarto domni Ludovici & domni Lotharii quinto piissimis Augustis, indictione* V. *Actum Tectis palatio regio.* Porro palatii hujus situm discimus ex alio diplomate Ludovici III. imperatoris, filii Arnulphi imperatoris, Stephano Leodiensi antistiti concesso, quo idem augustus confirmat ecclesiæ Leodiensi, *fiscum nomine Tectis, a rege Zuendipolcho fratre nostro*, inquit, *concessum, in pago & comitatu Livvensi positum, cujus etiam inpræsentiarum idem comes dignoscitur existere Sigohardus.* Datum est diploma anno incarnationis DCCCCVIII. referturque a Chapeavilla tomo I. historiæ episcoporum Leodiensium. Clarius in præcepto Caroli Simplicis anni DCCCCXV. pro ecclesia Leodiensi, qui Carolus ut precibus tum Dudonis episcopi Virdunensis & Aigineri marchionis, tum etiam Stephani Tungrensis antistitis satisfaceret; tradit ecclesiæ Leodiensi forestem, *quæ olim pertinuerat ad Tectis villam, quam dato fisco Zuendipolchus retinuerat ad manum regiam, quamque constat in pago Luvensi, atque in comitatu Sichardi sitam, atque istis finibus circumclusam. Terminatur Vulfingi fago ad fluvium Amblavam, inde ad monasterium Stabulaus, sicque vadit ad . . . . & inde ad Salceias usque ad Nordres fontem, & ad Havernii usque ad Vesere, & idem ad rivum de Solmania usque ad Solergeas & Hukelebac usque ad Veserem & Gislampiam usque ad hospitale, & sic revertitur ad Vulfingi fagum.*

Tom. 2. pag. 27. Pag. 191. TRIBURIENSI in palatio duo Ludovici Franciæ Orientalis regis data edidimus diplomata, unum pro monasterio Stabulensi, quo idem rex mansum unum in fisco suo Crovia concedit *servis Dei in cœnobio Stabulaus* degentibus, alterum pro monasterio Prumiensi, cui idem princeps nobilis viri Hererich donationem, petente Ansbaldo abbate, asserit. Triburia autem villa erat re-

gia ad Orientalem Rheni partem Moguntiam inter & Oppemhemium sita, castello olim, monasterio, ædibus sacris, atque oppidi forma insignis, sed & concilio ibidem anno Christi DCCCXCV. celebrato etiam num nota, quamquam nihil jam exhibet præter rudera & humiles rusticorum casas.

PATHERBORNENSE hic possemus adjicere palatium frequentibus olim regni comitiis sub Carolo-Magno præsertim celebratissimum; cujus licet nullum supersit hodie vestigium, locum nihilominus ostendunt Patherbornenses haud procul ab *Abdinghoff*, id est horti abbatia, sic dicta, quod forte in palatii hujus hortis fuerit constructa. Eo in palatio Leonem III. summum pontificem impie a Romanis crudeliterque habitum excepit honorifice Carolus-Magnus imperator, qua de re sic canit anonymus poëta, quem Chesnius suspicatur esse Alcuinum.

Invitat Carolus celsa intra tecta Leonem.
Clara intus pictis conlucet vestibus aula
Auro Ostro ornantur hinc inde sedilia multo.
Ad mensas resident læti, variisque fruuntur
Deliciis, medio celebrant convivia tecto.
Aurea namque tument per mensas vasa Falerno.
Rex Corolus simul & summus Leo præsul in orbe
Vescitur, atque bibunt pateris spumantia vina.
Post lætas epulas & dulcia pocula Bacchi,
Multa pius magno Carolus dat dona Leoni,
Hinc lætus repetens aulæ secreta revisit
Rex, & apostolicus repetit quoque castra suorum.

14. His de regum nostrorum palatiis observationibus, quas viris eruditis haudquaquam ingratas fore speramus, nonnullas subjicimus de eorum notariis in libro de re diplomatica æque omissis. De regum nostrorum notariis in libro de re diplomatica omissis.

Mabillonius inter Caroli-Magni notarios quasi hæsitans recensuit AMALBERTUM, cujus notitiam ex uno Osnaburgensi diplomate, eodemque suspecto habuit; atqui is diplomata duo Prumiensia recognoscit *ad vicem Erchambaldi cancellarii.*

MAINARIUM cancellarium habet Carolomanni regis præceptum aliud Prumiense anno regni ejus secundo concessum. Hic in diplomate ejusdem regis eodem anno in monasterii Dionysiani gratiam dato, dicitur MAGINARIUS.

Ludovici-Pii cancellarios notariosque accurate satis recensuit Mabillonius. Hic vero quatuor habuit filios quibus Francorum regnum divisit, totidem reges constituens, Lotharium imperatorem, Ludovicum regem Franciæ Orientalis, Pippinum Aquitaniæ, & Carolum Calvum Franciæ Occidentalis. Lotharii cancellarios agnovimus duos nostris in instrumentis commemoratos AILMARUM, seu EILMARUM, vel ut alii scribunt EGILMARUM & HILDUINUM. Sub Egilmaro notarii fuere FIRMANDUS & ERCAMBALDUS qui Prumiæ, atque REMIGIUS qui ejus loco recognovit præceptum pro Ezichone comite. Hilduinus vero Notarium habuit RODMUNDUM, qui unum S. Maximini anno 846. pluraque subsequentibus annis diplomata pro Prumiensibus suo nomine insignivit.

Ludovicus rex Franciæ Orientalis LUITBERTUM habuit archicancellarium, GRIMALDUM & LUDOVICUM, quibus notarius unus fuit HEBERARDUS.

In præceptis Pippini regis Aquitaniæ, SUSIABODUS notarius diploma pro Turonensi S. Martini ecclesia recognoscit, anno 828. *ad vicem* ALDRICI. Anno vero 835. ISAAC clericus & notarius ad vicem DODONIS subscribit privilegio pro S. Dionysio.

Longe plures Caroli-Calvi notarios commemorat Mabillonius, at quatuor nihilominus ab eo prætermissi hoc in tomo reperientur, tres vero in nostro Thesauro Anecdotorum; e quibus quinque fuere sub Ludovico cancellario, duo sub Gosleno. Anno 849. LUCAS privilegium S. Martini recognoscit ad vicem Ludovici. Anno 850. SOLURRICUS vicecomes pro monasterio Grassensi in Septimania. HENRICUS præceptum donationis factæ Gomesindo anno 860. LIFRIDUS qui & ELIFRIDUS diaconus anno 861. diploma pro Turonensi S. Martini ecclesia, & sequenti anno pro S. Dionysii monachis. Anno denique 862. VOVOLEMUS regiæ dignitatis cancellarius idest notarius privilegium S. Martini recognoscit ad vicem Ludovici.

Sub Gosleno cancellario duos, uti diximus, notarios reperimus, ROTGARIUM qui & FROTGARIUS dicitur in chronico Centulensi S. Richarii, quique ad vicem Gosleni subscribit privilegio Elnonensi S. Amandi, & LEOTGARIUM qui factam a Carolo principe concessionem Castellaniæ Chableiensis canonicis S. Martini Turonensis anno 868. recognoscit.

GOSBERTUM Ludovici Balbi cancellarium suggerit instrumentum pro Turonensi S. Martini ecclesia.

Carolomannus cancellario usus est WGARDO, ad cujus vicem privilegium ecclesiæ Nivernensis recognoscit Norbertus notarius.

In veteri necrologio S. Michaëlis ad Mosam decima tertia die Aprilis consignatur HAINARDUS *abbas hujus loci & cancellarius Caroli Crassi*, cujus nomen occurrit inter ejusdem loci abbates in domestico chronico Analect. tom. 2. his verbis *Heinardus cancellarius*. Præter Hainardum duos alios Carolus Crassus habuit cancellarios LUITWARDUM & ANSBERTUM. Sub Luitwardo notarii fuere WALDO, quem exhibet Prumiensis carta anno 882. INQUIRINUS cujus nomen legitur in diplomate S. Maximini Trevirensis anni 885. & LUITFREDUS anno 887. in præcepto Corbeiæ-novæ, in quo & LIUTWARDUS archicancellarius appellatur. Sub Ansberto vero cancellario privilegium S. Martini conscripsit notus aliunde AMALBERTUS notarius.

Odoni regi cancellarius fuit Rollo, qui TROANNUM habuit notarium.

Præter annotatos in libro de re diplomatica Caroli-Simplicis notarios ERLUINUS duo præcepta recognoscit ad vicem Anserici seu Askerici episcopi Parisiensis: unum pro Autissiodorensi ecclesia, alterum pro Uticensi S. Ebrulfi monasterio. His adde LETHALDUM sub Heriveo cancellario in diplomate Majoris-monasterii & HUGONEM in privilegio S. Maximini; atque RATBOTUM in Prumiensi sub Rutgerio archiepiscopo summo cancellario.

Denique inter Ludovici Ultramarini notarios adnumerandus venit GERARDUS sub Arnaldo summo cancellario in Elnonensi S. Amandi privilegio anni 937.

Ex his quæ sane vel levissime degustanda apponimus, judicare quisque potest tomus hic primus historiæ nostræ quid conferat. Jam vero si ætatem attingimus regum tertiæ stirpis, quanta illi ornamenta possunt accedere e diplomatibus & epistolis hic editis? Unum Philippi Augusti Cartarium, ut infinita alia omittamus, ea fere exhibet quæ annis amplius centum gesta sunt toto in regno strenue & feliciter, bella, pacis tractatus, integras fere provincias armis aut fœderibus comparatas, fœdera ipsa, matrimonia, testamenta, aliaque id genus multa, quæ vel omisere scriptores nostri, vel levissime tractavere.

De expeditione Ludovi-

15. Exemplo sit expeditio illa insignis Ludovici VII. in Burgundiam, quæ ad annum regni ejus nonum & trigesimum debet referri. Unas illi tradunt

expeditionis hujus causas, crebra Guillelmi Cabilonensis hostilia in Cluniacenses monachos, quæ describit auctor vitæ Ludovici VII. apud Chesnium his verbis. *Guillelmus comes Cabilonensis diaboli vestigia sequens, qui Dominum tentare præsumsit, ecclesiam Cluniacensem frequenter persequebatur. Ipse siquidem infinitos, vulgo dictos Brabantiones, qui nec Deum diligunt, nec viam veritatis cognoscere volunt, ad crudelitatem suæ tirannidis explendam colligens, sceleratis satellitibus fretus, adversus prædictam ecclesiam, ut eam deprædarentur, prædo profectus est. Monachi vero in eadem ecclesia Deo servientes, non ferro aut clipeo protecti, sed solum divinis armis & ecclesiasticis vestimentis induti, cum sanctorum reliquiis & crucibus, tyranno obviam cum magna multitudine populi processerunt. Illa autem satellitum prædictorum pessima turba, monachos sacris vestimentis spoliaverunt, & more ferarum, quæ fame urgente ad cadavera concurrunt, quingentos & eo amplius Burgensium Cluniacensium atrociter sicut oves mactaverunt.* Et hæc quidem gravia erant atque ad ulciscendam Dei injuriam zelum piissimi regis merito poterant commovere. Verum alias expeditionis hujus causas exponit idem princeps in suo pro Matisconensi ecclesia diplomate hic a nobis edito pag. 874. quod sic orditur. *Post longam regum absentiam, sine disciplina & fræno justi regiminis longo tempore dissoluta fuit terra Burgundiæ, & illis qui in terra erant alicujus potentiæ, licuit impune inter se decertare, & pauperes opprimere, & ecclesiarum bona vastare. Nos propter tantam indignati malitiam, & zelo Dei commoti, terram Burgundiæ cum copiis regni intravimus, obtentu faciendi vindictas & reformandi pacem in patria.* « Tum subdit se Cabilonis cum sederet ad cognoscendum causas diversas, audivisse inter alia Matisconensis ecclesiæ querelam adver- « sus Gerardum comitem Viennensem. Is porro vacante sede Matisconensi « certa sibi jura in demortui episcopi terris & possessionibus attribuens, canonicos civesque ea sub specie indebitis exactionibus vexabat; eoque spectare videtur Stephani de Balgiaco episcopi Matisconensis non ita pridem creati ad Ludovicum regem epistola 236. apud Chesnium, ubi prædicti comitis vexationes lugubrem in modum describit « Tyrannum esse Gerardum, qui nec Deum timeat nec homines revereatur, belluam immanem, pestem « denique, cui citius sit occurendum. Desolatas ejus feritate ecclesias « pene omnes ingemiscere, neque ulli tuto, immo nec ullo modo licere » vivere. Quibus concinunt capituli Matisconensis ad eumdem regem litteræ apud Chesnium epist. 482. Eum ergo ut redigeret in ordinem perinde ac Guillelmum Cabilonensem, aliosque patriæ tyrannos, in Burgundiam movit Ludovicus, eoque Cabilonis pro tribunali sedente, ut laudatas litteras « nostras prosequamur, agnovit Gerardus comes plena in curia, post mor- « tem episcopi, vacante sede Matisconensi, nihil omnino sibi deberi, fidem- « que manualiter dedit & firmavit juramento, exactiones in ecclesiis nullas « a modo se facturum. Utrum revocandæ sint ad idem tempus Gerardi ejusdem molitiones adversus Guigonem Lugdunensem & Forensem comitem, qui regis auxilium uti & Matisconenses adversus ipsum imploravit, definire haudquaquam possumus. Sed Matisconenses ad regis usque mortem infectari non destitit, tametsi sæpius intentatis minis commonebatur abs rege ut quiesceret. Id sane videntur declarare canonici Matisconenses epistola sua apud Chesnium 482. cujus hæc verba sunt: *Excellentiæ vestræ conquesti sumus super injuriis quas G. comes nobis inferre consuevit. Scripsistis ei super his, & insuper eum commonuistis, ut ab hac temeritate se compesceret; sed ille neque Deum neque regiam majestatem reveritus, post preces vestras, mala semper malis reddere non formidavit, & pejora minatur, scilicet, ut brevius dicatur, villæ nostræ interitum.... Paravit enim ingentem militiam, cui resistere non valemus.* Hæc illi. Tantam insolentiam Ludovico mortuo compescuit tandem Philippus-Augustus

ci Junioris in Burgundiam.

» ipsius filius, regni sui anno primo; scribitque Rigordus Philippum regem » collecto exercitu terras intrasse Imberti de Bello-Joco & comitis Cabilo- » nensis, atque aliorum qui contra regias immunitates ecclesias gravare præ- » sumserant, magnas prædas duxisse, superbiamque illorum & tyrannidem in » tantum, Domino cooperante, confregisse, quod eis invitis ablata ecclesiis » in integrum restitui fecerit, & clericis ibidem Domino famulantibus pa- cem temporis reformarit. Hic quidem desideratur Gerardi comitis Viennen- sis nomen; sed litteras ipsius regis eodem anno datas edidimus, quibus ex- pressis verbis declaratur *determinatam fuisse* eadem expeditione *controversiam episcopi & clericorum Matisconensium contra Gerardum comitem Viennensem.*

Pag. 944.

De regum nostrorum in fundandis, ditandis, tuentisque ecclesiis pietate.

16. Ardentissimus hic Ludovici junioris filiique ejus Philippi-Augusti zelus, in ulciscendis ecclesiarum injuriis, in memoriam revocat admirandam prorsus regum nostrorum pietatem in fundandis dotandisque ecclesiis & monasteriis, monetque ut ex nostris instrumentis pauca hic de ea subjiciamus. Nihil illi censebant magis esse e re publica, quam ut dilataretur suis in ditionibus ecclesia, suus ut honor sacris Antistibus constaret, quiete ut viverent monachi. Monasteria illi sic reputabant tamquam religionis seminaria, unde ipsa vires accipiat, castra Dei quibus imperia stabiliuntur. Hinc solemnia hæc diplomatum exordia, quæ sibi promiscue usurpabant Clodovei-Magni successores & Carlovingi.

Pag. 1. 5. 6. 7. 27. &c.

Si petitionibus servorum Dei, pro eo quod eorum quietem vel juvamen pertinet obaudimus, regiam consuetudinem exercemus, & nobis ad laudem VEL STABILITATEM REGNI NOSTRI *in Dei nomen pertinere confidimus.*

Pag. 45. 47. 59. 60.

Quidquid locis venerabilibus ob amorem Domini nostri JESU-CHRISTI *cedimus vel condonamus, hoc nobis procul dubio ad mercedis augmentum*, seu STABILITATEM IMPERII NOSTRI *pertinere confidimus.*

Pag. 65.

Si erga loca divinis cultibus mancipata imperiali more beneficia opportuna largimur, id nobis AD STABILITATEM IMPERII NOSTRI *& ad animæ salutem obtinendam profecturum minime dubitamus.*

Pag. 69. 81.

Si liberalitatis nostræ munere de beneficiis a Deo nobis collatis, locis Deo dicatis quiddam conferimus, id nobis ad mortalem vitam feliciter transigendam, & ad æternam perpetualiter profuturum liquido credimus.

Pag. 86. 89. 105. 106.

Si locis Deo dicatis quiddam honoris conferimus, & Deo in eis famulantium pacis & tranquillitatis curam gerimus, & ad exsequendum opem ferimus, hoc nobis proculdubio AD STATUM REGNI TERRENI CORROBORANDUM, *& ad æternæ vitæ beatitudinem capescendam profuturum esse credimus.*

Regni sui dilatationem & stabilitatem ecclesiarum felicitati attribuebant.

17. Plures hujusmodi diplomatum formulas quæ regum nostrorum pietatem spirant coacervare hic possemus, ni timeremus lectoribus tædium ingerere. At graviora nimis sunt Caroli-Magni verba eo in præcepto, quod pro Massiliensi S. Victoris cœnobio dedit, quam ut hic prætermittantur. *Maximum credimus*, inquit, *regni nostri in hoc augere munimentum, si petitionibus sacerdotum vel servorum Dei, in quo nostris auribus fuerint prolatæ, liberiori animo obtemperamus atque ad effectum perducimus.* Denique Ludovicus-Crassus regni gubernacula ad ecclesiarum præsertim tutelam suscepisse se existimabat: unde & ipso inaugurationis suæ anno, *in exordio*, aiebat, *nostri principatus quam proxime nostri interesse officii primum quærere regnum Dei & justitiam ejus considerans, ad incrementum nostræ salutis tam corporis quam animæ credimus proficere, si ecclesiis sanctorum & monasterii studuerimus non solum de nostris possessionibus largiri*, &c.

Pag. 46.

Pag. 623.

18. Neque vero solis Franciæ regibus ea fuit existimatio, ut stabilitatem throni sui ex ecclesiarum ac præcipue monasteriorum felicitate pendere crederent. Eadem omnino principibus aliis mens fuit. Audiendus hic est Zuin-

tiboldus rex, Arnulfi imperatoris filius, eo in diplomate quod pro Trevirensi S. Maximini monasterio dedit: *Quanto propensius divinæ laudis cultum exsequimur, ejusque præconia unanimi fratrum collegio stabilire, & transitoriis lucris agere studemus, tanto Domini clementiam* ET REGNUM NOBIS COELITUS COMMISSUM LATIUS DIFFUNDERE, ET DIUTINIS TEMPORIBUS SANITATEM NOSTRAM PROTELARE, *& ad extremum æternæ nos inserere felicitati procul dubio confidimus.* Boso Burgundiæ rex eleemosynis & oblationibus *bella cassari* putabat. Ipsissima sunt ejus verba eo in instrumento quod anno regni sui octavo concessit Asmundo Segusianorum antistiti, cujus quidem antistitis memoria nuspiam alibi ulla superest. Patebat ejus ecclesia frequentibus hostium incursionibus, jacebatque facultatibus fere spoliata. His commotus Asmundus una cum fratre suo Leotmanno Cremonensi præsule, Viennam contendit, cum Bosone rege de ecclesiæ ejusdem instauratione acturus. Tum rex convocatis regni sui proceribus, *cœpimus*, inquit, *cogitare*, ... *qualiter remedio eleemosynæ cassantur bella injuste insurgentia*, ... *& in administratione tanti negotii assensum præbuimus, veneratione S. Johannis-Baptistæ* (is porro est Secusinæ ecclesiæ patronus,) *utque nos victores intercessione semper ubique reddat, donamus eidem sancto refugium, de nostris propriis genealogiis.* Ita fere & alii principes regnorum dilatationem ac stabilitatem nulli potius rei, quam ecclesiarum ac monachorum felicitati referebant acceptam, quorum precibus nihil a Deo denegari posse existimabant.

Pag. 244. Pag. 221.

19. Verum ut imperiorum prosperitatem servorum Dei quieti, ita & publicas calamitates eorum oppressioni adscribere solebant. Audiendus hic Carolus-Magnus in capit. 104. lib. 7. capitularium. *Novimus ergo multa regna & reges eorum propterea cecidisse, quia ecclesias spoliaverunt, resque earum vastaverunt, abstulerunt, & pugnantibus dederunt. Quapropter nec fortes in bello, nec in fide stabiles fuerunt, nec victores extiterunt; sed terga multi vulnerati & plures interfecti verterunt, regnaque & regiones, &, quod pejus est, regna cælestia perdiderunt, atque propriis hereditatibus caruerunt & hactenus carent.* Quapropter cunctos hortatur, ut *adjutores & defensores & sublimatores ecclesiarum & cunctorum servorum Dei pro viribus existant, ne in foveam in quam prædicti reges & regna ciciderunt, cadant, & in profundum, quod absit, inferni demergantur.* Eodem fere modo Humbertus cardinalis libro 3. adversus Simoniacos cap. 15. describit quanta principes flagella premant ob ecclesiarum vexationes. *Proinde*, inquit, *attendant bella externa, seditiones internas, gentem super gentem, regnum contra regnum, terræ motus magnos per loca, terrores de cælo & tempestates, pestilentias & fames, quæ sine intermissione christianos perturbant, & ante hæc omnia injecisse manus apostolis Dei & ministris, & vel tot flagellis correpti tandem cognoscant, ne forte etiam post flagella mortem perpetuam incurrant. Super hæc attendant, quia cum in Francorum terra reges ex genere prodeant, quis regum a centum & amplius annis recolitur a filiis suis vel usque ad quartam generationem regnasse? Si quidem Ottones, præ omnibus ante se regibus sacerdotalis officii præsumptores, vix attigere tertiam, post quos primus Henricus nullam, quod & in aliis regnis & principatibus contigisse, qui disquisierit, invenire poterit.* His consentiunt patres provinciæ Rhemensis in concilio Trosleiano anno 909. habito cap. 1. ubi deploratis ævi sui calamitatibus, « ut depopulatæ essent urbes, destructa & incensa monasteria, agri in solitudinem redacti; ut fornicatio & adulte- « rium, sacrilegium & homicidium invaderent; statuere ante omnia ut cul- « tus atque honor ecclesiarum Dei in omnibus & ab omnibus religiose custo- « diretur, dignaque reverentia immunitatibus earum ac ministris exhiberetur. « *Sed & regem*, inquiunt, *& principes condecet, ut privilegia ex antiquo ecclesiis Dei concessa roborent, & stabiliter observari jubeant: & quemadmodum ab antece-*

Regnorum calamitates & excidia oppressioni ecclesiarum.

Tom. 5. Anecd. pag. 794.

dentibus regibus honoratæ, vel rebus ampliatæ, seu ditatæ fuerunt, ita de cetero sub omni integritate, salva æquitatis ratione permaneant ... si enim rex & sæculi potestates Dei & ecclesiæ honorem servaverint, per hoc honor & potestas illorum augebitur, roborabitur, & stabilietur, & victoriæ illis de cœlo ministrabuntur, & tam ipsi quam successores eorum propter eos in gloria & dignitate, Deo propitio, perdurabunt. Sin aliter egerint, & Deum contemserint, contemnet illos Deus, & despicabiles ac miseros reddet, & de solio regni exsuflabit, projicienturque sicut pulvis à facie terræ. His adjicere juvat verba Bernardi Paterbornensis episcopi prædium in *Burck* Gerdinensi suæ diœcesis Parthenoni confirmantis: *Sperantes*, inquit, IMMO PRO CERTO SCIENTES ECCLESIAM PADERBORNENSEM NULLO LAICORUM MINISTERIO TANTUM POSSE JUVARI, QUANTUM INDEFESSIS VIRGINUM CHRISTI ORATIONIBUS DEFENDI: *cum tamen nobis aliena non sint, quoad emolumentum temporale, quæcumque prædia quibuscumque monasteriis nostræ diœcesis tali modo collata.* Eodem fere modo auditus aliquando Carolus-Magnus homini ecclesiæ bona petenti respondere. *Satius est nobis non habere regnum terrenum quam æternum perdere.* PLUS ENIM CONFIDO DEUM POSSE PER SANCTORUM SUORUM MERITA ET PRECES NOS ADJUVARE, QUAM PER OMNEM MILITIAM SÆCULAREM. *Quid enim bona ecclesiæ, nisi vota fidelium, pretia peccatorum & patrimonia pauperum, quæ non solum habita conservare verum etiam multa, Deo opulante, conferre optamus?*

Infr. pag. 1173. c.

Liber 1. capital. tit. 83.

20. Hæc cum ita se habeant, dicant nunc alta illa & supra vulgi opiniones erecta ætatis nostræ ingenia, monachos & clericos otiosum quoddam hominum genus esse & publicæ rei prorsus inutile; quin potius discant ab ipsis cum episcopis tum principibus, quos certe usus & experientia edocuerat, victorias regnorumque stabilitatem eorum precibus deberi, neque stare diu rempublicam posse, ubi neglecta sit religio. Ezechias exercitum Sennacherib numquam fudisset, neque sibi quindecim vitæ annos moriturus impetrasset, nisi prius aperuisset valvas Domini & instaurasset eas, adduxissetque sacerdotes & levitas & congregasset eos ut starent coram Deo, & colerent eum, & cremarent incensum; cum e contrario Jeroboam aliique reges Israel ad unum omnes, neglecto Dei cultu, misere perierint, ut iterum observat Humbertus cardinalis.

Quæ res alia Constantinum, quæ Carolum-Magnum eo provexit felicitatis, quam etiamnum miratur orbis? Et nostra memoria qua sub auspiciis LUDOVICI XIII. consortisque ejus ANNÆ AUSTRIACÆ suus est monastico ordini decor in Gallia restitutus, unde tantus liliorum splendor? Parabant rex & regina opus id sanctum aggressi, parabant Ludovico filio de hæresi triumphos, stabilitatem regni, populis summam felicitatem. *Magis Christianum regitur imperium*, inquit Fulgentius, *dum ecclesiastico statui per omnem terram consulitur, quam cum in parte quacumque terrarum pro temporali securitate certatur.*

Lib. de veritate prædest. paulo ante finem.

§. II.

OBSERVATIONES ECCLESIATICÆ.

De Conciliis.

21. His observationibus nostris, quas ad illustrandam regum Francorum historiam ex editis hoc in tomo instrumentis eruimus, ecclesiasticas observationes, quæ majoris forte momenti videbuntur, subjicere juvat. Et primo quidem eruditos lectores monitos velim, plura in nostris diplomatibus commemorari concilia, quorum aut nulla aut parum accurata neque

satis

satis integra memoria in vulgatis omnibus conciliorum editionibus occurrit.

Scimus verbi gratia Carolum Moguntinum præsulem, *synodum magnam apud Moguntiam* congregasse anno 857. uti legitur in veteri chronico Saxonico, quod aliquando sumus edituri; de hac autem synodo pauca hæc habent annales Francorum Fuldenses, *Habita est autem & synodus apud Moguntiacum circa calendas Octobris, præsidente Carolo archiepiscopo, ubi inter alia quæ ventilata sunt de jure ecclesiastico, præsentata est epistola Gonthari Coloniensis episcopi ad Alfridum episcopum, de his quæ Coloniæ contigerant, ubi cathedralis S. Petri basilica fulmine icta fuerat, occisis uno ictu tribus in locis diversis totidem hominibus.* Neque aliud præterea apud auctores quosque hactenus repertum. Verum hic in epistola Nicolai papæ primi ad episcopos Germaniæ e veteri codice Corbeiæ-novæ edita pag. 149. non episcoporum modo qui aderant nomina agnovimus, sed & agitata ea in synodo omnia. Et quidem episcopi recensentur CAROLUS Moguntinus metropolita, ALFRIDUS Hildesheimensis, SALOMON Constantiensis, HILTIGRIMUS Halberstadensis, THEODRICUS Mindensis, GUNTO seu GUNZO Vormatiensis, GEBEHARDUS Spirensis, ARNULFUS Tullensis, WITGARIUS, EGILBERTUS Osnabrugensis episcopi, GRIMALDUS S. Galli, EGILBERTUS, THIOTON.... matus, ADALGARIUS religiosi abbates. Agitata autem fuere, causa Salomonis episcopi, Abbonis matrimonium, pœnitentia sacerdotum, diaconorum, sacrarum virginum adulterii crimine pollutarum, homicidarum, parricidarum, fratricidarum, de quibus omnibus episcopi prædicti sedem apostolicam missis concilii actis consuluerunt. His respondit Nicolaus: nullâ se umquam sententiâ impegisse Salomoni criminis notam; falsas esse quas Grimoaldus produxit litteras, tamquam a sede apostolica profectas; nullum itidem esse matrimonium Abbonis, utpote qui feminam duxerat quarto consanguinitatis gradu sibi junctam; immo pro nullo habendum declarat matrimonium omne inter eos contractum, qui se aliquo consanguinitatis gradu junctos meminerunt. Deinde singulis de quibus consultus fuerat facinoribus suas assignat pœnitentias, quas fusius ibidem, & minutatim expositas non sine aliquo suo fructu legent eruditi. Concilium Moguntinum anni 857.

23. Anno 888. celebrata fuit Moguntiæ synodus alia, tempore Arnulfi imperatoris, cujus quidem canones protulere doctissimi Societatis Jesu editores: at de numero & nomine episcoporum illam celebrantium altum apud eos silentium. Verum ex diplomate Friderici Coloniensis archiepiscopi pro Corbeiæ-novæ monasterio hic edito pag. 661. discimus præsules saltem novemdecim cum vigesimo Williberto archiepiscopo Coloniensi huic concilio interfuisse, quorum omnium nomina profert solemne decretum, quo sua Corbeiensi & Herivordensi monasteriis privilegia asseruntur, relatum in annalibus Paderbornensibus hoc ordine: FULCO Remensis, WILLIBERTUS Agrippinensis, THIADMORUS Salzburgensis, RABBODO Trevirensis, JOHANNES Rothomagensis archiepiscopi, HILDEGRIMUS Halberstadensis episcopus, ADALGARIUS Hamaburgensis archiepiscopus, ARN. Virtzburgensis, LIAWARDUS Vercellensis, RODBERTUS Metensis, ADALELMUS Wurmatiensis, GODEFRIDUS Spirensis, WICBERTUS Hildenesheimensis, DET. Virdunensis, DODILO Cameracensis, HONORATUS Belvacensis, HERDILO Noviomagensis, BALTRAMNUS Stratzburgensis, WALDO Frisingensis, THIADULFUS Curacensis episcopi. Concilium Moguntinum anni 888.

24. Eo in concilio præter viginti sex canones, qui editi sunt, auditæ fuerunt duorum Saxonicorum antistitum querelæ, Osnabrugensis & Paderbornensis, testante annalista Paderbornensi. Osnabrugensis querebatur sublatas ecclesiæ suæ decimas, quas Cobbo ob debitum GOSWINI episcopi aver-

terat ad Corbeiense & Herivordense cœnobia. Biso Paderbornensis recens ordinatus episcopus causabatur subtracta suæ esse juridictioni eadem cœnobia, quorum immunitates, sive, ut vulgari nomine utar, exemtionis jura eo excreverant, ut potestati episcopali, vel in ordinatione horum monasteriorum, vel in ecclesias monasteriis subjectas, vel in sacerdotes & clericos earumdem ecclesiarum relinqueretur nihil, præter facultatem ordinandi sacros ministros, templa & altaria consecrandi, conficiendi chrisma, sacramentumque confirmationis impertiendi. Utraque causa diu multumque agitata, Biso causa cecidit, judicatumque est secundum Corbeienses & Herivordenses, edito solemni decreto, quo utrique monasterio sua confirmata est immunitas viginti antistitum chirographo. Osnabrugensis causam indecisam remansisse, remque affectam magis quam confectam scribit prædictus annalista Paderbornensis, donec tandem Arnulfus imperator anno 895. in Wormatiensibus comitiis, lite abrupta, Osnabrugensibus decimas reddi juberet. Unde id acceperit vir eruditus non tradit, sed nec ullam affert auctoritatem qua id comprobari valeat. Nos autem a vero haud absimile existimamus, quæstionem de decimis agitatam aliquo ecclesiastico judicio terminatam fuisse in concilio Moguntino; si quod vero diversum in comitiis Wormatiensibus decretum fuit, servatum non esse. Primum probat Williberti archiepiscopi Coloniensis privilegium novemdecim episcoporum chirographo subscriptum, quo decimæ in episcopatu Coloniensi hactenus possessæ asseruntur Corbeiensibus; quod privilegium subsequentes archiepiscopi ratum habuere, ac novissime anno 1120. Fridericus, qui viso concilii Moguntini decreto antecessorum suorum subscriptionibus roborato, eidem assensit, uti videre est in ipsius diplomate a nobis edito pag. 661. Probabile autem videtur alios ejusdem concilii præsules ad instar Williberti decimas in suis diœcesibus voluisse ratas perpetuasque esse monachis Corbeiensibus. Quod autem statuta in comitiis Wormatiensibus de reddendis Osnabrugensi ecclesiæ decimis, si tamen quid statutum ea de re fuerit, nullum sortita fuerint effectum, constat ex Friderici imperatoris ad capitulum Osnabrugense epistola, quæ inter Wibaldi abbatis epistolas est 441. Ex ea quippe discimus decimas illas Osnabrugenses Corbeiensibus monachis solutas semper fuisse ad usque tempora Henrici IV. imperatoris, qui cum sedi apostolicæ bellum indixisset atrocissimum, videretque Corbeienses monachos legitimo Christi vicario, spreto antipapa, adherere, *pro quadam indignatione* faventi sibi episcopo Osnabrugensi decimas illas concessit. An eas pacifice postea possederint Osnabrugenses asserere non audemus, quin immo repugnantibus interdum Corbeiensibus res primum ad Fridericum imperatorem delata est, qui anno 1152. insigni diplomate aureis litteris exarato, *decimas vel decimales ecclesias, immo universas possessiones suas in quibuslibet episcopiis, præcipue in Bremensi, Osnabrugensi, & Paderbornensi, ubi plurimas habent, Corbeiensibus asseruit.* Cumque nec sic quiescerent Osnabrugenses, Wibaldus abbas, qui plurimæ tunc erat auctoritatis, cum Romæ apud summos pontifices, tum in aula imperatoris, Adriani papæ quarti patrocinium imploravit. Hic sub annum 1156. Wicmanno Magdeburgensi archiepiscopo negotium terminandum commisit. Indicta itaque dies Philippo Osnabrugensi antistiti, locusque ad respondendum assignatus, qui sive causæ diffideret suæ, sive propter ignotas nobis rationes, verbo non scripto per eumdem nuntium respondit, episcopatum se velle potius dimittere, » quam decimas illas, quas sexaginta & amplius annis ecclesia sua quiete pos» sederat; seque quid ea de re cum populus tum clerus sentiret percontari velle: cumque iterum urgeretur, quasi pariturus itineri se commisit. Ut autem Hildesium pervenit, sive verum, sive fictum causatus est morbum, impetravit-

Tom. 2. pag. 598.

Vide epist. Adriani tom. 2. pag. 578. Ibid. p. 579.

Pag. 580.

que a Wernero Mindensi, Friderico monasteriensi, Brunone Hildesiensi antistitibus, illum ut suis excusarent litteris apud episcopum Magdeburgensem; quibus in litteris cum nonnihil injustæ propensionis in Osnabrugensem episcopum subodoraretur Wibaldus, papam appellavit. Tum causæ suæ desperantes Osnabrugenses, Friderici imperatoris patrocinium suppliciter exorarunt. Quibus ille ita respondit: *Manifestius & plenius intellecta ab eo*, Wibaldo, *tota causa, quia videlicet Corbeiensis ecclesia easdem decimas a primordio constructionis ipsius monasterii collatas sibi a fundatore suo imperatore Luthevvico, & omnibus successoribus illius imperatoribus, & regibus privilegiis confirmatas legitime possedit, usque ad tempora abavi nostri Henrici IV. imperatoris, qui in discordia illa, quæ fuit inter ipsum & papam Romanum, ipsas decimas pro quadam indignatione cuidam Osnabrugensi episcopo concessit*, se nihilominus a memorato fideli suo Wibaldo, ut ab appellatione desisteret obtinuisse, præcipere demum ut amice cum eo componant, alioquin, inquit, *cum tempus acceperimus, si prius composita non fuerit, eamdem querimoniam per nos discutiemus, & tam pro ecclesia Corbeiensi, quæ ad jus imperii nostri spectat, quam pro persona, quæ ibi præest, quæ diu & multum imperio servivit, sive judiciario ordine, sive alia competenti compositione, eamdem causam terminabimus.*

Vide has epist. tom. 2. pag. 582. 583. 584.
Tom. 2. pag. 585.
Tom. 2. pag. 599.

25. Ignotum hactenus in Sardinia concilium provinciale suggerit nobis Johannis monachi ad Richardum S. Victoris Massiliensis abbatem sanctæque Romanæ ecclesiæ cardinalem epistola edita pag. 522. Turribus a Pisano archiepiscopo celebratum fuit, adversus Torquitorem Sardiniæ judicem, sic tum reges sive regulos in Sardinia appellabant. Fuit autem Torquitor frater aut saltem consanguineus Baresonis judicis, pater aut avus Gunnari Sardorum item judicis, qui Baresonis & Torquitoris *parentum suorum vestigia sequens, cum licentia archiepiscopi sui obtulit beato Benedicto ecclesiam S. Petri de Nurchi*, &c. ut docet Petrus diaconus chron. Casinensis lib. 4. cap. 67. Sub pontificatu Alexandri papæ secundi, erga Casinenses munificum se in primis exhibuit idem Torquitor, cujus insignes donationes describit Leo Marsicanus lib. 3. ejusdem chronici cap. 24. his verbis: *Hunc*, Baresonem, *æmulatus ad bonum alter rex Sardiniæ nomine Torquitorius, fecit & ipse cartulam oblationis suæ & transmisit ad hoc monasterium, de sancto scilicet Vincentio de Taberna, cum servis multis & substantiis plurimis, necnon & de S. Maria ad flumen Tepidum, & de S. Martha, & de S. Pantaleone ad Olivarum, & de S. Georgio de Tulvi, atque de S. Maria de Palma; omnes*, inquam, *ecclesias has cum universis earum pertinentiis, ad monasterium ex eis construendum, rex prædictus per cartam B. Benedicto contribuit.*

Concilium Turritanum anno 1089.

Postea vero sive a Gregorio VII. sive ab Urbano anathemate percussus est, *ita ut nullus christianus daret ei consilium, neque osculum pacis, & ave ei nullus christianus dicere præsumeret*, ut loquitur Johannes monachus. Hujus anathematis causam nullam profert. Suspicamur autem Torquitorem Henrici IV. imperatoris sedis apostolicæ hostis infensissimi, ac Wiberti antipapæ partes aut sectatum fuisse, aut forte investituras ecclesiarum, quas Gregorius & Urbanus secundus e manibus principum eripere conabantur, dimittere noluisse, aut certe simoniaca labe, quæ tum passim vigebat, infectum fuisse. Ut ut est, cum ipse superbus & *profugus semper in errore suo perseveraret, & ad gremium sanctæ ecclesiæ revertere nollet*; misit summus pontifex legatum suum in Sardiniam Pisanum jam archiepiscopum, virum prudentissimum. *Hic venit aput Turris, vocavit archiepiscopos & episcopos Sardiniæ, ut venirent ad sanctam synodum. Venerunt omnes ad hunc locum, & vocaverunt ex parte apostolica istum ereticum, ut reverteretur ad gremium sanctæ matris ecclesiæ; sed iste maledictus & impurissimus tyrannus obduratus est sicut lapis adamantinus, ut nullus ferre neque ad*

eum accedere posset. Fecit itaque ut archiepiscopi & episcopi omnes contristati sunt valde. Clamabant una voce omnes: Anathematiza, anathematiza, & confirmavit legatus & episcopi cum consilio, omnes principes Sardiniæ præcepta apostolica, maledixerunt & condemnaverunt eum, & traxerunt in potestate dæmoniorum. Hæc Johannes monachus.

Celebrationis autem hujus concilii tempus ad annum 1089. aut circiter revocamus, cum jam Pisanus esset archiepiscopus, hoc est paulo post erectam ecclesiam Pisanam in sedem archiepiscopalem, quod initio pontificatus Urbani papæ secundi factum tradunt Pisani.

Concilium Gerundense anni 1101. Infra pag. 584.

26. Non magis notum hactenus fuit concilium Gerundense anno 1101. sub Richardo cardinali apostolicæ sedis legato, atque abbate Massiliensis S. Victoris monasterii. Eo in concilio Berengarius Barcinonensis episcopus « cum consilio & voluntate clericorum suorum donat omnipotenti Deo, « ejus genitrici B. Mariæ & B. Sebastiano, ac Richardo venerabili abbati Massiliensis monasterii, & ejusdem cœnobii monachis præsentibus & futuris, « ecclesiam S. Pauli quæ sita est in territorio de *Subirads*, cum omnibus pertinentiis & hereditatibus suis, ut eam habeant & possideant in perpetuum « ipsi Massilienses monachi, qui erunt in S. Sebastiano, per imperium & obedientiam abbatis Massiliensis, salva in omnibus reverentia & obedientia « Barcinonensis ecclesiæ, omnibus hanc donationem perturbantibus anathemate perculsis. *Facta est autem hæc carta in Girunda civitate, celebrante Richardo cardinali & abbate Massiliensis cœnobii in eadem civitate conventum episcoporum & abbatum, comitum atque multorum principum, annò ab incarnatione Domini* MCI. *æra millesima centesima trigesima nona*, VIII. *idus Februarii*, *feria* IV. *indictione* VIII. *anno* XLI. *Philippi regis.*

Porro monasterium illud S. Sebastiani occupabant Massilienses monachi S. Victoris ab annis circiter quinquaginta, eo scilicet accersiti a Mirone Gariberto uxoreque ejus Guisla, primoribus palatii Barcinonensis, assentiente Mirone ejusdem monasterii abbate, *ut servitium Dei omnipotentis & S. Sebastiani, atque ordinem S. Benedicti cum timore & amore Dei in eodem loco demonstrarent aliis, & ipsi tenerent secundum esse suum*, ut habet diploma infra editum pag. 431. Situm est autem monasterium S. Sebastiani juxta alveum *Esna*, uti discimus ex testamento Seniofredi comitis Barcinonensis in appendice Marcæ Hispanicæ cap. 104.

Concilium anni 1105. sub Rothardo Moguntino antistite.

27. Præclaram Rothardi archiepiscopi Moguntini epistolam edidimus pag. 604. cui annum 1105. assignavimus, freti auctoritate chronici nostri Saxonici, in cujus margine scriptam reperimus, e regione eorum quæ ad hunc annum narrat. In hac epistola Ruthardus Schismaticos hortatur, ut ad ecclesiæ gremium revertantur, non dedecori eis fore, sed gloriæ ac laudi, redire ad justitiæ viam, a qua cum ipse aliquando exorbitasset, semetipsum condemnans jampridem, in ecclesiæ unitate renatus, novam in Christo vitam duceret. Tum ad Halberstatenses: *Precamur*, inquit, *& obsecramus, ut de collegio vestro quos nostis idoneos, in calendis Decembris dirigere velitis, qui possint interesse conventui ecclesiæ, qui se in villa nostra ad honorem ecclesiæ colligere decrevit.* Hæc ut legimus, conventus ille alius non fuisse videbatur a Northusano concilio, cujus celebrationem ad hunc annum retulit Albericus in chronico, nullam ei diem assignans; maxime cum præsideret ROTHARDUS, atque ibi fuerint schismatici Romanæ ecclesiæ reconciliati, UDO Hildesheimensis episcopus, FREDERICUS Halberstadensis & Paderbonensis, simoniamque condemnaverit HENRICUS rex imperatoris filius. Verum re maturius considerata, animadvertimus concilium Northusanum IV. calendas Junii, diebus Pentecostes celebratum fuisse, uti scribit abbas Urspergensis, non *in calendis De-*

cembris. Erit fortasse qui Ruthardi verba ad concilium Moguntinum eodem anno in natali Domini coactum referat: at nec sua caret difficultate isthæc opinio, cum Ruthardus suam calendis Decembris indixerit synodum, nec tam concilium ecclesiasticum in natali Domini, quam solemnis omnium principum & procerum Germaniæ conventus Moguntiæ congregatus fuerit ad deponendum Henricum imperatorem schismaticum, ejusque sceptrum Henrico filio deferendum. Quem ad conventum, quo firmior esset & solidior illa depositio, accessere etiam apostolicæ sedis legati Albanensis & Constantiensis episcopi, aliique præsules. Diversum itaque ab utroque concilium *in calendis Decembris* celebratum fuisse existimamus, quod quasi prævium ad ea quæ in natali Domini Moguntiæ circa Henrici imperatoris exauctoratiouem agenda essent, examinaret ac disponeret.

28. Biennio post, hoc est anno 1107. Paschalis papa circa Ascensionem Domini concilium non modicum apud Trecas habuit, in quo statuit, *ut quicumque de hac hora investituram ecclesiæ, vel ecclesiasticæ dignitatis de manu laici acceperit, & qui ei manum imposuerit, gradus sui periculo subjaceat, & communione privetur.* Eo in concilio Rothardum Moguntinum episcopum ab officio suo suspensum tradit chronicon Hildesheimense apud Chesnium, eo quod Udonem Hildesheimensem præsulem sine consensu ecclesiæ restituisset, & Reinardum qui investituram ex laica manu receperat contra jura canonum Halberstadiensi ecclesiæ ordinasset. Verum ex edita a nobis epistola Paschalis ad Rothardum archiantistitem, constat nullam a pontifice vibratam fuisse in Moguntinum præsulem sententiam, sed Paschalem papam suum ei reatum condonasse. Nam postquam excerpta canonum de laicorum investituris ipsi exhibuit, *Tu vero*, inquit, *frater venerande, licet nunc usque horum præceptorum transgressor extiteris, tamen venerabilium fratrum nostrorum Trevirensis, Constantiensis, & Bambergensis episcoporum, Hirsaugiensis abbatis precibus inclinati, misericorditer personæ tuæ officia agenda indulgemus, si præterita corrigens, horum præceptorum custos & observator extiteris.*

Concilium Trecense an. 1107.

Pag. 618.

Eadem indulgentia usus Paschalis erga Reinhardum episcopum Halberstadensem, uti videre est in ipsius ad eumdem epistola infra pag. 618. etsi Reinhardus crediderit se suspensum, veniamque & absolutionem a Paschali postulaverit. Nec magis certum videtur id quod eodem in chronico legitur, Constantiensem episcopum Gebehardum, quem perperam vocat Guichardum, similem sententiam expertum fuisse, eo quod consensisset his qui Godescalcum Mindensi ecclesiæ loco episcopi intruserant, atque Henricum Magdeburgensem ordinasset.

Pag. 619.

Certe si Gebehardus Constantiensis episcopus in concilio Trecensi a pontifice suspensus fuisset, qua fronte ad Paschalem mediator pro Rothardo archiepiscopo accessisset? Sed neque Mindenses Godescalcum inter intrusos episcopos annumerant, neque Henricus, sed Adelgorius seu Adelgotus Magdeburgensis archiepiscopus ordinatus tunc legitur, quem tamen ob errata quædam increpat Paschalis epistola edita pag. 620. Porro de hoc Trecensi concilio cujus canones suo loco referemus, hæc leguntur in brevi chronico Elnonensi S. Amandi, tom. 3. Anecdotorum, anno MCVII. *Apud Trecas post Pascha synodum habuit Paschalis papa, in qua novum privilegium petitione domni abbatis Hugonis a se confirmatum ecclesiæ nostræ destinavit.*

29. De Capuana synodo anno MCXI. a Paschali secundo habita altum est hactenus apud omnes auctores silentium. Ea vero nobis innotescit ex epistola Friderici Leodiensis episcopi ad ecclesiam Mechliniensem, qua præpositum Mechliniensem excusare nititur, quod e carcere dimissus contra juramentum non redierit, probatque pluribus juramentum vi extortum minime obligare,

Concilium Capuanum an. IIII. Infra pag. 655.

id quod inter alia demonstrat exemplo Paschalis II. de quo hæc habet : *Quid etiam nostris temporibus de Paschali apostolico contigerit, nobiscum, ut credimus, recognoscitis; quomodo videlicet & a quo captus sit, quid non solum ipse, sed & tota fere Romana ecclesia juraverit, quale privilegium sub juramenti assignatione Henrico imperatori dederit, quomodo etiam postea in generali concilio Capuæ habito illud solverit, nec jam privilegium, sed pravilegium id vocari decreverit; quodque ne moremur in singulis, quicquid necessitate nefandissimæ illius captionis juraverit, totum ibi judicio ecclesiæ cassaverit.* Sciunt eruditi omnes quam male ab Henrico V. imperatore habitus fuerit Paschalis papa II. Ille nimirum Romam imperiali diademate coronandus cum accessisset, investituras beneficiorum quas Gregorius VII. Urbanus II. ipseque Paschalis II. sæpissime proscripserant, ante omnia a pontifice exigere voluit; in recusantem sacrilegas injecit manus, captumque, proh nefas! in ecclesia una cum cardinalibus sexdecim conjecit in vincula, vinctosque per duos & amplius menses in carcere detinuit. Neque his contentus, perseverantibus in proposito mortem minitari non erubuit. His in augustiis constitutus Paschalis, ut pessimum in ecclesia schisma vitaret, pacemque universis procuraret fidelibus, de consilio vinctorum secum fratrum suorum, negatas hactenus impio imperatori investituras concessit, eumque consequenter imperiali diademate solemniter redimivit. Ita solutus captivitate Paschalis, omnium in se concitavit opprobria, cardinalium præsertim qui casum illum tanto in pontifice ægerrime ferebant. Zelum inprimis hac in re demonstravit Bruno Signiensis episcopus & abbas Casinensis, qui gravibus Paschalem convenit litteris, quas refert Baronius. Hanc a se contumeliam ut amoveret Paschalis secessit in Campaniam. *Tunc præfatus abbas Bruno*, verba sunt Petri diaconi in chronico Casinensi, *adjunctis sibi Guala Rhegino episcopo & Roberto Pasiensi, aliisque cardinalibus, memorato pontifici omnino imminebat, ut privilegium quod imperatori fecerat, rumperet, eumque anathematis vinculo innodaret. Hi autem qui cum illo in vinculis fuerant, dicebant: Quod ante diximus dicimus, damnamusque quod ante damnavimus. Alii non modo non damnabant, quæ contra catholicam ecclesiam fuerunt gesta, verum imprudenter satis tueri nitebantur:* immo dissidii hujus culpam derivantes in Brunonem, eum, tanquam animo esset in pontificem infenso, traducebant. Verum hæc sibi exprobranti papæ ita reposuit abbas sanctissimus: *Inimici mei dicunt tibi, quia non te diligo, & male de te obloquor, sed mentiuntur. Ego enim te diligo ut patrem & dominum meum, neminemque alium, te vivente, volo habere pontificem . . . . Fœdus autem illud adeo fœdum, tam violentum, tam cum proditione factum, tam omni pietati religionique contrarium ego non laudo. Quis enim illud laudet, in quo violatur fides, ecclesiæ libertas amittitur, sacerdotium tollitur, unicum & singulare ostium ecclesiæ clauditur, multa ostia aperiuntur, per quæ qui intrat, fur est & latro?* His & similibus pulsatus Paschalis, litteris Terracinæ scriptis ad cardinales Romæ existentes promisit primum, emendaturum se id quod fecerat, tum coacto Capuæ solemni concilio, quidquid imperatori vi coactus concesserat, totum id irritum & quasi infectum esse sancivit, privilegiumque non privilegium, sed pravilegium declaravit. Scripsit deinde varias ad diversos episcopos litteras, quibus ea se retexuisse significat, quæ schismatis metu percussus imperatori Henrico promiserat, hortaturque omnes ut adversus investituras episcoporum acriter insurgant. Dedit hujusmodi litteras ad Gerardum episcopum Engolismensem apostolicæ sedis in Gallia legatum, necnon & ad Guidonem archiepiscopum Viennensem, ut ex epistola ejusdem Guidonis ad Pascalem papam discimus. Similes & ad præsules aliquos provinciæ Senonensis misit, quarum in synodica ejusdem provinciæ ad Johannem archiepiscopum Lugdunensem mentionem faciunt. Sed & Ivo Carnotensis episcopus ad Henricum

Angeriacensem abbatem scribens, testatur scripsisse sibi Paschalem *se coactum fecisse quod fecit, & adhuc se prohibere quod prohibuit, quamvis quædam nefanda quibusdam nefandis permiserit.* Demum anno sequenti solemne in ecclesia Lateranensi concilium habuit, in quo acta in concilio Capuano confirmavit.

30. Circa idem tempus factus est celeberrimus episcoporum Saxoniæ Orientalis conventus, pro tuenda religione, & ad reprimendos infideles Slavos, qui facta irruptione in partes Albianas, christianos inauditis cruciatibus opprimebant. Barbarorum illorum efferatam crudelitatem ita describunt congregati episcopi in synodica ad episcopos Saxoniæ, Franciæ & Lotharingiæ, ad principes, universosque fideles. *Insurrexerunt in nos & prævaluerunt crudelissimi gentiles, viri absque misericordia, & de inhumanitatis suæ gloriantes malitia. Ecclesias Christi idololatria profanaverunt, altaria demoliti sunt, & quod humana mens refugit audire, ipsi non abhorruerunt in nos perpetrare. In nostram regionem sæpissime efferantur, nullique parcentes, rapiunt, cædunt, fundunt, & exquisitis tormentis affligunt, quosdam decollant, & capita dæmoniis suis immolant. De quibusdam visceribus extractis, manus abscissas & pedes alligant, ubi est, inquiunt, Deus eorum? Quosdam in patibulo sublatos permittunt ad majores cruciatus omni morte miserabiliorem vitam pertrahere, cum vivi aspiciant se per abscissionem singulorum membrorum mortificari, & ad ultimum cæso ventre miserabiliter eviscerari. Quam-plures vivos excoriant, & cute capitis extracta, hoc modo larvati in christianos fines erumpunt, & se christianos mentientes, prædas impune abigunt. Phanatici autem illi, quotiens comessationibus vacare libet, ferus in dictis capita, inquiunt, vult noster Pripegala. Hujusmodi fieri oportet sacrificia. Pripegala, ut aiunt, Priapus est & Beelphegor impudicus. Tunc decollatis ante prophanationis suæ aras christianis, & horrendis vocibus ululantes, agamus, inquiunt, dies lætitiæ, victus est Christus, vicit Pripegala victoriosissimus. Hujusmodi afflictiones sine intermissione vel toleramus vel formidamus, quoniam eos semper progredi, & in omnibus ingemiscimus bene prosperari.* Hæc in epistola synodica ADELGORIUS seu ADELGOTUS archiepiscopus, ALBUINUS Merseburgensis, WALERANNUS Nuenburgensis, HEREWICUS Misnensis, HECIL Havelbergensis, HARTBRATH Brandeburgensis episcopi, OTTO comes, LUDOVICUS & universi Saxoniæ Orientalis majores & minores. Missa vero est hæc epistola REGINARDO Halberstadensi episcopo, ERKAMBERTO abbati Corbeiensi, HENRICO Paderbornensi, N. Mindensi, FRIDERICO archiepiscopo Coloniensi, N. Aquensi, O. Leodiensi, G. Lutharingorum duci, RUOTBERTO gloriosissimo Flandrorum comiti, LAMBERTO archidiacono, BURICHOLDO circumspectissimo præposito, & TANCHRADO insigni philosopho, & omnibus Christi fidelibus, episcopis, abbatibus, monachis, eremitis, reclusis, præpositis, canonicis, clericis, principibus, militibus, ministerialibus, clientibus, omnibusque majoribus & minoribus, quos omnes invitant ad celebrandum sabbato in hebdomada Rogationum conventum in *Merseburg*; hortantur adversus barbaros ut omnes insurgant, regique Dacorum adjungant sese, qui cum vicinis principibus *ad hoc bellum devotus offert manus cum populo suo.* Ubi mirum est nec eremitas, nec ipsos reclusos ab hac expeditione excludi. Quid vero factum inde sit discimus ex chronico Hildesheimensi, in quo ad annum 1110. hæc legimus. *Slavi regionem Albianorum irrumpunt, multisque occisis & captis redeunt. Inde dux Liutgerus permotus, terram Slavorum hostiliter invadit, regionem prædabundus perambulat, novem urbes munitiores & opulentiores capit, obsidibusque ab ipsis acceptis, victor redit.*

Concilium Saxonicum.

Infra pag. 625.

31. Cum Innocentius papa secundus furorem declinans schismaticorum, confugisset in Gallias sub annum Christi 1130. celebrato Claromonti con-

Concilium Leodiense an. 1130.

cilio, Leodium abs Lothario rege invitatus properavit, ubi & novam habuit synodum in quadragesima. Synodi hujus acta eruditi conciliorum editores diversis ex auctoribus collegere, nulla tamen facta de episcopis qui aderant mentione, ita ut eorum nomina & sedes ad hanc usque diem desiderentur. Sex & triginta adfuisse tradit laudatum jam chronicum Saxonicum, his verbis: *Anno incarnationis Dominicæ* MCXXXI. X. *cal. Aprilis celeberrimus conventus* XXXVI. *episcoporum & principum fit Leodii, domno apostolico Innocentio, & rege Lothario ac regina præsentibus.*

Annales Paderbornenses duos tantum & triginta admittunt, forte ex sola Germania, abbatesque tres & quiquaginta. Hic autem in diplomate Lotharii imperatoris, quo collegiatæ S. Johannis ecclesiæ Leodiensi telonium Visati assertum fuit eo in concilio & restitutum, subscribunt hoc ordine ALBERTUS Moguntinus archiepiscopus cum omnibus fere suis comprovincialibus, FREDERICUS Coloniensis cum suis, NORBERTUS Magdeburgensis cum suis, CUNRADUS Salzeburgensis cum suis, ALEXANDER Leodiensis episcopus: quos certe si non omnes, principes saltem concilii & auctoritate & dignitate fuisse nullus dubitet. His etiam sequentes subjiciuntur imperii proceres, dux Lotharingiæ WALERANNUS, dux Alsatiæ SIMON, comes WITIKIMUS, comes Namurcensis GODEFRIDUS, REINALDUS de *Monceon*, ARNULFUS de *Los* GOZUINUS de *Falconmont*, & WILLELMUS advocatus ipsius villæ Visati.

Pag. 704.

Eo in concilio præter anathema in Petrum Leonis ejusque sectatores vibratum, præter abdicatas ejuratasque a Lothario S. Bernardi suasu investituras, tradunt annales Paderbornenses, quod nullus hactenus conciliorum editor observavit, imperiale diadema summum pontificem regi & reginæ in basilica S. Lamberti imposuisse, præsentibus episcopis & abbatibus procerumque innumera multitudine. Præterea Bernardus Hildesheimensis episcopus vir tum temporis inter episcopos Saxoniæ celeberrimus, & Norbertus Magdeburgensis antistes vitæ sanctimonia insignis, oblato libello de vita & miraculis Godehardi Hildesheimensis præsulis, publico illum patrum judicio petiere sanctorum albo inscribi: *Sed cum consuetudo sit Romanæ ecclesiæ in generali concilio sanctos Dei canonizare*, inquit auctor vitæ S. Godehardi, *quod tunc temporis in Rhemensem civitatem in festo S. Lucæ indictum fuerat, accepto concilio petitionem ecclesiæ nostræ usque in prædictum locum distulit, ibique diffinitionem certissime promisit* summus pontifex. Eodem etiam tempore agitata videtur causa canonizationis S. Gerardi Broniensis abbatis, cujus corporis e terra elevationem (quæ canonizationis consummatio erat) Alexandro Leodiensi episcopo commiserat Innocentius, testante ipso Alexandro his verbis: *Accenso in terris super candelabrum caritatis igniculo, multi renuntiarunt & suis & sæculo, quorum de numero Deus sanctissimi & venerabilis patris nostri Gerardi nobis argumento multiplici declaravit gratiam: cujus ego Alexander Dei gratia Leodiensis episcopus licet indignus, divina revelatione, & præceptis salutaribus monitus, necnon & mandatis Domini papæ Innocentii, qui & Gregorius fuit, delegatus, hac die recolo sacro sancti corporis attollentiam, &c.*

Infr. p. 708.

Concilium Provinciæ circa 1133.

Infr. p. 718.

32. Concilium provinciæ anno circiter 1133. coactum, idemque episcoporum frequentia celeberrimum, occasionem ejus & acta, cognoscimus ex epistola Bernardi Arelatensis præsulis ad Innocentium II. ad illud quippe trium provinciarum Arelatensis, Aquensis & Ebredunensis antistites una convenerunt cum Magalonensi, summi pontificis jussu congregati, ad componendam discordiam, quæ dudum jam monachos inter sacri monasterii Lirinensis & episcopum Antipolitanum vertebatur: quæ tamen omnino mansit intacta, judicium episcoporum declinante Lirinensi abbate, qui & testium subreptionem & metum

metum comitis Provinciæ causabatur. Rem paucis omnem Innocentio exponit Bernardus his verbis. *Causam Antipolitani episcopi, quam nobis tractandam vestra gratia delegavit, convocatis suffraganeis ecclesiæ Arelatensis, necnon Aquensi & Ebredunensi archiepiscopis, aliisque nostræ legationis, & etiam Magalonensis ecclesiæ, aliarumque ecclesiarum religiosis personis adhibitis, die statuto, sicut nobis præcipistis, tractare curavimus. Nobis itaque utriusque partis allegationes audire paratis, abbas Lirinensis, qui episcopum impetebat, subreptione testium & accusatorum metu, etiam comitis illius terræ, causam suam impeditam esse proposuit.* Quid causæ inter Antipolitanum antistitem & Lirinensem abbatem agitaretur, non aperit Bernardus legatus. Illud unum scimus, Manfredum qui tum Antipolitanam sedem occupabat, monachis Lirinensibus a Saracenis jam nimium vexatis paulo infensiorem, ecclesias quasdam abstulisse violenter, quas ipsis postmodum restitutas esse tradit Barralis in vita Guarini abbatis. Porro cum huic concilio præesset Bernardus Arelatensis præsul, Arelate fuisse celebratum conjicimus. Chronol. Lirin.

§. III.

OBSERVATIONES ECCLESIASTICÆ.

De Romanis pontificibus.

33. Etsi paucas admodum toto hoc tomo edidimus summorum pontificum epistolas, ipsis tamen inest gravitas tanta propter ipsam sedis dignitatem, tantaque auctoritas, ut vix quidquam conferat magis, cum illustrandæ historiæ ecclesiasticæ, tum disciplinæ, moribusque informandis. Laudavimus jam superius de concilio Moguntino agentes, Nicolai primi epistolam ad episcopos Germaniæ. Quis vero hic non mirabitur, quam præclaras hac epistola, parricidis, fratricidisque pœnitentibus leges præscribat. *De parricidis & fratricidis*, inquit, *præcipimus, ut per unius anni circulum ante fores basilicæ orantes Domini clementiam perseverent. Completo vero anni circulo, introducantur ecclesiam; tamen inter audientes, usque dum unius anni spatium finiatur, stent* (ubi vides perseverasse adhuc in ecclesia medio nono sæculo varios pœnitentium gradus, flentium, audientium, &c.) *cum ad missarum solemnia, vel ad alia audire officia venerint. His ita peractis, si pœnitentiæ fructus in eis conspiciuntur, corporis & sanguinis Domini nostri* JESU-CHRISTI *participes fiant, ut desperantiæ non indurentur caligine. Carnem non manducent omnibus diebus vitæ illorum, vinum atque pulmentum sumere non præsumant, nisi tres per hebdomadam dies. Jejunent autem usque ad nonam diei horam quotidie, exceptis festis diebus atque Dominicis. Arma gerere non audeant vel sumere, nisi contra paganos, & ubicumque ire maluerint, nullo vehiculo deducantur, sed pedestri more proficisci studeant.* Alia tamen solebat olim fratricidis imponi pœnitentia. Jubebantur illi ferreis vinculis constricti, vitam conterere omnem peregrinando, ut qui culpæ Cain essent rei, Cain supplicium subirent. Varia hujusmodi pœnitentiæ retulimus exempla lib. 1. de antiquis ecclesiæ ritibus; quibus accedit W. Scireburnensis antistitis encyclica epistola ad universos ecclesiæ episcopos hic edita pag. 354. Sed improbata tandem fuit in concilio Moguntino anni 847. canone 20.

Nicolai I. papæ leges de parricidis & fratricidis pœnitentibus. — *Cap. 6. art. 4. num. 2.*

34. Singulare vero illud videtur nec leviter prætermittendum, quod eadem definit epistola Nicolaus de consanguinitatis gradibus matrimonium dirimentibus. Contrahi quidem minime poterat tempore S. Gregorii inter eos qui septimo cognationis gradu jungerentur, eamque legis severitatem gradum usque quartum temperaverat summus pontifex in gratiam tantummodo Anglorum recens ad fidem conversorum, idque ad tempus. Germanis recens

De consanguinitatis gradibus matrimonium dirimentibus.

itidem conversis, Gregorii exemplo, æque permiserat S. Bonifacius, *ut post quartam generationem jungantur*, quod hactenus invaluit. Verum Nicolaus Germanos ipsos ne hac quidem indulgentia voluit deinceps gaudere, rescisso quippe Abbonis matrimonio, quod inter affines quarto gradu conjunctos contractum fuerat, hæc subjungit. *Et hoc vobis interrogantibus statuimus, ut nulli liceat Christiano de propria consanguinitate sive cognatione uxorem accipere, usque dum generatio recordatur, cognoscitur, aut memoria retinetur.* Ubi quoscumque consanguinitatis gradus a contrahendo matrimonio excludit: quod clare enuntiat paulo post hæc subjungens. *Nos autem generationum in hac numerum non definimus, sed, ut supra retulimus, incunctanter observare monemus.*

35. Omnes quidem Romanorum pontificum epistolæ ad informandos fidelium mores conspirare videntur, sed id præsertim elucet in præclara illa epistola Urbani papæ secundi ad Beringerum S. Laurentii Leodiensis abbatem pag. 553. in qua quot verba, tot mirari licet oracula; quot legeris periodos, tot scintillas excusseris, quibus ardens excitetur desiderium patiendi, tuendique summo etiam in discrimine veritatem. Pulsus fuerat e proprio monasterio abbas piissimus, locumque ejus immeritus Wolbodo, numerata Otberto Leodiensi episcopo pecunia, occupabat. Vexationem hanc ut æquo animo toleraret, epistolam ad eum suam ita orditur Urbanus: *Gratias agimus Deo pro vobis in gratia Dei quæ data est vobis, qui in hoc malo tempore, cum omnis pene Gallia erroris caligine jacet immersa, oculos mentis vestræ ad cognitionem veritatis illuminavit, ut ad amorem justitiæ & catholicæ fidei defensionem igne sui spiritus cor vestrum accendat. Gratias illi, qui vos præclaro calice gratiæ suæ inebriavit, & spiritum Domini in ratione vestra ferventem, ad tolerantiam multiplicis injuriæ paratum reddit, & ad perferendos labores & pericula pro defensione veritatis excitavit. Quod Dei munus speciale esse non dubitamus, qui provida dispensationis suæ gratia electos suos persecutionis tempore utiliter probat & discutit; sed ne penitus aberrent, aut labefacti funditus dejiciantur, potentia virtutis suæ sustentat.* Et post pauca. *Nunc ergo devotionem vestram pietas divina inspexit, ac tandem majestas excelsa dignatur, ut pro eo patiamini, qui pro vestra gloria crucis ignominiam non erubuit. Huic tanto cœlestis gratiæ beneficio prudentia vestra debet respondere aliquid, & calice salutari gratanter accepto, gloriam & honorem æterni regis quærere, & in omni vitæ vestræ statu nomen ejus, qui vobis tribuit intellectum, invocare, laudare, benedicere, magnificare.* Denique sub finem ita concludit, *Vos autem, frater carissime, gaudete, quia rex Israël filium suum vult super flumina Babylonis sedere & flere, & ad reditum in terram promissionis libero cordis affectu suspirare, non in ipsis fluminibus & studiis sæcularibus implicitum interire. Summa nostræ voluntatis est, ut teneat prudentia vestra, quod ratio persuadet, scriptura divina testatur, sanctæ religionis ordo requirit, martyrum sanguis insinuat, mater nostra, sancta scilicet ecclesia præcipit & commendat.* VERITAS IPSA UT AD VERITATEM NOS CONVERTERET MORI VOLUIT, NIHILQUE ANIMAS NOSTRAS, NISI SOLA VERITAS A POTESTATE DIABOLI LIBERABIT.

Urbani II. præclara hortatio ad Beringerum abbatem.

36. Aliam proferimus ejusdem Urbani II. epistolam ad archiepiscopum Salzburgensem aliosque Germaniæ antistites, in qua & certiores eos facit promotum se ad pontificatum fuisse, & promotionis modum accuratissime exponit. Aliam item ejusdem argumenti ad S. Hugonem Cluniacensem abbatem evulgavit Mabillonius in Annalibus Benedictinis: sed & accuratam satis electionis ejus historicam narrationem chronico suo Casinensi inseruit Petrus diaconus. Ex quibus tribus scriptis plurima hic videntur observanda, quæ prætermittere non possumus. Primo post excessum Victoris papæ tertii, qui Victor XVI. calendas Octobris Casini mortuus sepultusque est, non fuisse statim electum Urbanum secundum, sed antea vacasse per sex menses

Pag. 520.

Observata in Urbani II. electione.

apostolicam sedem, idque defectu libertatis, miscentibus omnia schismaticis. Secundo non Romæ, ubi tum schismatici plurimum poterant, electum fuisse; sed Terracinæ, ut procul ab Urbis motibus liberior creandi pontificis facultas esset. Tertio electioni præmissum fuisse, id quod in omnibus episcoporum creationibus observari mos erat, jejunium triduanum. Quarto nullum in ea locum habuisse imperatorem, sed neque esse consultum, cum tamen in electione Romanorum pontificum summa fuisset hactenus imperatorum auctoritas: quæ certe tanta erat, ut Gregorii magni ævo, nullus, nisi accedente imperatoris consensu, ordinaretur Romanis episcopus. Quin & Adrianus papa beneficiorum a Carolo magno acceptorum memor, convocata Romæ synodo episcoporum CLIII. tradidit illi omnium assensu *jus & potestatem eligendi pontificem & ordinandi apostolicam sedem*, uti scribit Anastasius: quamquam nec Carolus ipse, nec Ludovicus-Pius filius ejus privilegio hoc uti voluere; sed cum Sergius II. post Gregorii IV. mortem creatus fuisset, non expectata imperatoris auctoritate, *Lotharius filium suum Ludovicum cum Drogone Mediomatricorum episcopo Romam dirigit, acturos ne deinceps, decedente apostolico, quisquam illic præter sui jussionem missorumque suorum præsentiam ordinaretur Antistes*, uti habent Annales Bertiniani ad annum 844. qui mos viguit ad Adrianum III. qui edicto vetuit ne deinceps in approbando & ordinando pontifice expectaretur imperatoris auctoritas: cui tamen edicto minime paruit Otto magnus, cum sibi posterisque suis jus summum in electione pontificia arrogarit; quos propterea divinitus punitos censet Humbertus cardinalis lib. 3. adversus simoniacos cap. 15. *Si quidem Ottones*, inquit, *præ omnibus ante se regibus sacerdotalis officii præsumtores, vix attigere tertiam generationem.* Sed & anno adhuc 1059. Nicolaus papa II. in concilio Romano 113. episcoporum decrevit, ut in creatione Romani pontificis *eligatur de ipsius ecclesiæ gremio, si reperitur idoneus; vel si de ipsa non invenitur, ex alia assumatur, salvo debito honore & reverentia dilecti filii nostri Henrici, qui in præsentiarum rex habetur & futurus, Deo concedente, speratur.* Quod quidem Petrus Damiani docet ita intelligendum, ut facta electione suspendatur ordinatio *usque dum regiæ celsitudinis consulatur auctoritas, nisi periculum immineat, quod rem quantocius accelerare compellat.* Nulla vero in electione Urbani II. habita est Henrici imperatoris ratio, utpote qui schismatis auctor & fautor, ab ecclesiæ gremio segregatus erat. Quinto observandum etiam cum Petro diacono requisita fuisse hac in electione cardinalium absentium, clericorum Romanæ ecclesiæ populique suffragia. *Tandem itaque rursum undique coadunati*, inquit, *una cum abbate nostro Oderisio, miserunt litteras Romanis clericis & laicis S. Petri fidelibus, ut quotquot ex eis possent, prima hebdomada quadragesimæ Terracinam venirent: quotquot vero non possent, assensum suum in persona, quam ipsi concordi voto eligerent propriis litteris repræsentarent.* Sexto non modo Romanos, sed & vicinos præsules electioni interfuisse, votaque sua dedisse. Addit quippe Petrus diaconus missas æque fuisse *litteras universis circumquaque per Campaniam, Principatum atque Apuliam manentibus episcopis atque abbatibus, ut quicumque possent, absque canonica excusatione per seipsos ad prædictum locum & tempus occurrerent, non autem valentes, aut per idoneas aut certe per litteras consensum suum transmittere perstuderent.* Idem in electione Calixti II. esse observatum testatur Willelmus Malmesburiensis lib. 5. de rebus gestis Anglorum. *Cardinales*, inquit, *qui cum Gelasio venerant*, SIMULQUE OMNIS ECCLESIA CISALPINA *Guidonem archiepiscopum Viennensem grandi paratu levantes, Calixtum vocaverunt.* Septimo definiri vix posse ex prædictis tribus monumentis eligentium numerum. Asserit enim Petrus diaconus adfuisse electioni præter episcopos & cardinales Romanos atque Orderisium abbatem, archiepiscopos & episcopos abbatesque quadra-

Thes. Anecd. tom. v.

Epist. 20. lib. 1.

Chron. Casin. lib. 4. cap. 1.

De Calixti II. electione.

ginta diversis ex locis. Contra vero Urbanus ipse epistola à nobis edita præsules dumtaxat unum & viginti abbatesque quatuor recenset, & epistola ad S. Hugonem abbatem Cluniacensem episcopos tantum sexdecim cum quatuor abbatibus. At mendum credimus hacce in epistola irrepsisse, scriptoremque oscitantem, XVI. pro XXI. scripsisse posito scilicet numero V. pro X. Octavo denique observandum est cardinales singulos sua seorsim vota pro ordinis gradu protulisse, episcopos seorsim, presbyteros seorsim, diaconos seorsim & populum seorsim. Nam Benedictus Urbis præfectus *omnium fidelium laicorum* suffragia tulit, Oderisius abbas *omnium diaconorum*, & R. hoc est Reinerius cardinalis presbyter tituli S. Clementis, *omnium cardinalium*, scilicet presbyterorum, (ubi etiam erravit memoratus jam scriptor epistolæ Urbani ad S. Hugonem, apposito P. pro R. & in fine epistolæ adscripto mense Maio pro Martio.) Et certe is videtur electionis ordo statutus in concilio Romano anni 1059. decernente Nicolao papa II. ut *obeunte hujus Romanæ universalis ecclesiæ pontifice, in primis cardinales episcopi diligentissime simul de electione tractantes, mox ipsi ceteros cardinales adhibeant, sicque reliquus clerus & populus ad consensum accedat.* Id quod magis elucet in creatione Calixti papæ II. Is quippe defuncto Cluniaci Gelasio II. ipsius decessore, sepulturæque tradito, a paucis qui cum pontifice ibi tum reperti sunt cardinalibus, clericis & laicis, electus statim fuit; quibus accesserunt cardinalium Romæ tunc agentium suffragia, qui singuli pro ratione sui ordinis sua separatim vota miserunt, scriptis totidem litteris, quas omnes hactenus traditas oblivioni pulvereque obsitas emittimus hic in lucem, epistolas scilicet duas episcoporum cardinalium quibus Calixti papæ creationem approbant, tertiam presbyterorum cardinalium, quartam diaconorum, quintam denique omnium simul cardinalium universique cleri Romani creationem eamdem suo chyrographo asserentis, cui epistolæ minores etiam clerici, *Vincentius & Johannes exorcistæ, Paulus lector, Nicolaus & Alexius Ostiarii* subscribunt. Atque ita electioni Gregorii papæ VII. interfuerunt non cardinales modo, sed ceteri etiam clerici, *acolythi, subdiaconi, diaconi, presbyteri ..... præsentibus etiam abbatibus & monachis, consentientibus turbis utriusque sexus & acclamantibus.*

Infra pag. 644.

Calixti II. promotio finem schismati dedit.

37. Illud autem in electione Calixti notatu dignum est, quod non catholici modo sed & ipsi schismatici, quos hæreticos tum vocabant, suo illam calculo approbarint. Sic enim illi in epistola ad Calixtum ipsum data, quam e tenebris erutam nunc primum proferimus in lucem pag. 649. *Etsi litteræ electionis vestræ ad nos non pervenerint, ea tamen nobis manifestata, gavisi sumus, orantes Deum, ut si quid minus in ea est, gratia ipsius benigna vobis & nobis impleat. Nos quod jam per septennium plurimum fatigati pro catholicæ veritatis confessione, vix jam valentes sufficere, postulamus per Dei misericordiam respirare. Verum quia id in vobis obtinere posse Deum credimus, electionem vestram, quam neque lepra Simonis, neque tumor ambitionis infecit, tamquam a Deo datam amplectimur.* Et sub finem: *Electionem vestram secundum votum quod semper habuimus, collaudantes amplectimur, sperantes omnem maculam hæresis per sanctum studium vestrum in ecclesia Romana propelli: unde nostra suscitata diligentia, electioni vestræ, eamdem confirmantes, subscribimus tanto quidem devotius, quanto puriorem esse per Dei gratiam confidimus.*

38. Ex his verbis colligimus Calixti papæ electionem, quod nullus hactenus observavit, schismati finem imposuisse. Et certe *Galli* statim *& rex Anglorum cum pontifice Cantuariorum in Calixtum se transtulerunt, & eum, spreto Gregorio, pro apostolico susceperunt*, uti scribit Eadmerus. Imperator vero præcipuus schismatis auctor, qui tum Romæ versabatur, audita novi pontificis creatione, non potuit non agnoscere in eo suum sanguinem, erat quippe

Calixto consanguinitate conjunctus, Romamque deseruit; motus aliunde anathemate quo tum in concilio Coloniensi, tum etiam in Fritislariensi percussus fuerat abs Cunone episcopo Prænestino, qui Cuno Gelasii legatum his in partibus etiam tum agebat: timens insuper colloquium quod Wirseburgi ad eum e throno deturbandum meditabantur imperii proceres, *generalem fieri apud Triburim conventum* assensit, ubi de omnibus quæ sibimet imponerentur, juxta senatusconsultum *se satisfacturum spopondit.* Ipsa sunt verba abbatis Urspergensis, quæ ex chronico nostro Saxonico suo more exscripsit. Jam desertus infelix Burdinus, cum nec Romæ sibi tuto esse adverteret, Urbe aufugiens, Sutrium evolavit, utinam in optimi patris Calixti sinum, munitioneque se continuit. Eo cum exercitu accedit Calixtus, Sutrinenses Burdinum dedunt exponendum ludibrio, ac tandem in Cavensi monasterio ad pœnitentiam recludendum. Ejus defensionem tomo tertio Miscellaneorum suscipere videtur Stephanus Baluzius, ubi asserit Callixtum, *collecto in Gallia exercitu, in Italiam* profectum, *imperatorem Roma decedere* compulisse, contra hujus ævi scriptorum fidem, qui longe antequam Italiam intrare cogitaret Calixtus, imperatorem Urbe discessisse tradunt. Sed exercitum in Gallia collectum a Calixto fuisse adversus imperatorem, nemo unus hactenus litteris mandavit.

39. De Paschali papa II. Urbani II. successore superius egimus, ubi de concilio Capuano. Hunc pontificatum summa cum gloria administrasse nemo sane inficiabitur, idque persuadent editæ a nobis aliquot ejus epistolæ, vigorem vere apostolicum spirantes. Quod si post devoratas per menses duos carceris ærumnas, tædio tandem victus, investituras imperatori cessit; quidquid id culpæ est, sane condonandum est homini pacis specie decepto, qui sibi deinde redditus, facti pœnitens, peccatum abunde emendavit, atque *ut fortis athleta post vulnera post cruores surgit acerbior, & cautius postmodum ictus excipere & fortius reddere consuevit*, inquit, Hildebertus Turonensis præsul ad amicum. Pervagata quidem sententia est eum anno sequenti v. calendas Aprilis Lateranense celebrasse concilium, in quo pactionem cum imperatore factam, immo imperatoris violentia extortam revocaverit. Verum pontificem pœnitentia motum, rem ad id temporis extraxisse quis credat? Certe reclamat epistola Friderici Leodiensis a nobis edita, reclamat Hildebertus, cujus hæc de Paschali verba sunt: *Liber factus, quod ante reciderat resarcivit.* Coacto quippe Capuæ concilio, concessum imperatori privilegium pro pravilegio habendum esse declaravit. Addit Hildebertus: *Renuntians omnibus ad secreta migravit*, quod clarius enunciat Sugerius in vita Ludovici VI. *Ad eremum confugit, moramque ibidem perpetuam fecisset, si universalis ecclesiæ & Romanorum violentia coactum non reduxisset.* Quam religiose postea ac fortiter se gesserit testantur quotquot de ipso scripsere ævi illius auctores; testatur & Fridericus Coloniensis epistola ad episcopos & cardinales ad electionem futuri post eum pontificis congregatos. *Nihil*, inquit, *tristius in hac calamitate pertulimus, quam quod desolati sumus a sanctissimi patris nostri apostolici catholica consolatione: quia ipse erat qui vestiebat non coccino in deliciis, qui præbebat ornamenta cultui nostro patientiæ & caritatis, seipsum præbens nobis exemplum, & sanæ doctrinæ catholicum inculcans argumentum. Sed quomodo consummato cursu, fide servata, vocatus est ad justitiæ coronam apud Deum repositam, vos serenissimi patres, sanctam ne deseratis ecclesiam, sed ejus imitantes vestigia, omnes qui vestram libertatem imminuere tentaverint damnate sententia.* Hæc Fridericus cujus epistolam hoc tomo integram proferimus pag. 641.

De Paschali II. papa.

Epist. 22. lib. 2. novæ edit.

40. Eodem sæculo sedem apostolicam sanctis moribus ac pia sollicitudine ornabat Eugenius III. S. Bernardi abbatis olim discipulus, qui tametsi pon-

Eugenius III. patres Græcos in Latinum.

sermonem transferri curat.

ficatum habuit variis exagitatum turbis, tamen medias inter procellas inconcusso animo stetit, & quo magis deformatæ afflictæque res videbantur, eo acrius ad fulciendas disciplinæ ruinas incubuit. Quod ejus ævo Latina prodierint opuscula quædam patrum Græcorum, hoc ejus vigilantiæ & curis, hoc traditionis retinendæ studio debemus acceptum. Homilias S. Chrysostomi in Matthæum ejus jussu latinitate donatas esse, testis est Burgundio Pisanus judex, in eo quem eidem interpretationi præmisit prologo, quemque in hoc ipso tomo repræsentamus pag. 817. prima hæc ejus verba sunt. *Cum B. Johannis Chrysostomi super evangelium S. Matthæi duæ expositiones, ut pote ab eo conditæ proferrentur, & nulla earum debito fine integra expleta esse perhiberetur, dominus papa* EUGENIUS III. *vir per omnia diligentissimus, ceu omnium pater communi orbis terrarum utilitati invigilans, prædictas congruæ consummationi tradere satagebat. Verum quia citra mare inopia exemplarium effectui mancipare hoc minime poterat, ad transmarinas statuit dirigere partes. Ad Antiochenum igitur patriarcham scribens, quod prædictis commentationibus deerat, ejus interventu ab aliquo interprete suppleri admonebat. Ipse autem sive desidia, sive inscitia interpretum, ignoro, hoc minime complens, expositionem ejusdem S. Johannis super eumdem evangelistam Græcis litteris scriptam eidem summo pontifici mittere curavit: quam cum præsul ille accepisset, mihi Burgundioni judici suo, natione Pisano, id idem mea enucleatione perficiendum commisit . . . . . . mandatis ejus obtemperare summo nisu proposui, ac præter spem brevi temporis spatio, divina favente gratia, septem ferme mensium intercapedine integrum id opus de Græco in Latinum fideliter tanstuli sermonem.* Et post prologum: *Domino papa Eugenio præcipiente, peccator Burgundius judex, de civitate Pisana, transtulit hunc librum de Græco in Latinum sermonem evangelii secundum Matthæum per nonaginta homilias S. Johannis Chrysostomi expositionem. . . . continentem.* Præter has homilias Latino etiam sermone donavit Chrysostomi ejusdem explanationem in Johannem, & S. Gregorii Nysseni librum de natura hominis, cujus præfationes edidimus hic pag. 827. Sed & eruditus vir pater Michael *le Quien* ordinis Prædicatorum decus & ornamentum testatur, eumdem Burgundionem jussu etiam Eugenii III. S. Johannis Damasceni opera e Græco in Latinum convertisse. His adde tres dialogorum libros Anselmi Havelbergensis episcopi adversus Græcos Spicilegii tomo XIII. editos, quos ille jubente Eugenio conscripsit, ipsique nuncupavit, in quibus se cum Græcis præsente Burgundione utriusque linguæ satis perito disputasse testatur.

§ IV.

OBSERVATIONES ECCLESIASTICÆ.

De episcopis.

De Basino archiepiscopo Trevirensi.

41. A summis pontificibus gradum facimus ad episcopos, quorum hic agmen ducet S. BASINUS Trevirensis antistes. Primis ille annis in cœnobio S. Maximini vitæ monasticæ nomen dederat. Deinde factus abbas, monachorum celebri congregationi aliquot annis summa cum sua laude præfuit; postea Numeriano Trevirensi archiepiscopo suffectus, cum ecclesiam sibi commissam præclare administrasset, sedem suam Liutwino nepoti, seu sororis filio, & ipsi monacho transtulit, & quidem, si Browero credimus, oppressus morte. Sic enim vir eruditus in Annalibus Trevirensibus ad annum 697. *Cum apud Treviros D. Willebrordus degeret, monasterium novem circiter ab urbe passuum millia, in Suræ fluvii ripa, Irminæ provocatus liberalitate, condere in primis optabat, & rebus necessariis ad usum habitationemque cœnobitarum instruere.*

Hujus rei non parum adjumento futurus sperabatur Basinus episcopus, sed morte oppressus, nihil præter optimam voluntatem, quam moriens reliquerat, ad inchoatum Wilbrordo perficiendum opus offerre potuit. Inter hæc Trevirensis ecclesia pastore viduata .... decernit se Liutvvino, quem Leodvvinum appellavere veteres, spectatæ virtutis & prudentiæ viro tradere, eique gregem commendare suum. Browero præiverat auctor historiæ Trevirensis tomo XII. Spicilegii editæ, apud quem hæc lego: *Liutvvinus ..... defuncto avunculo suo Basino epicopo successit.* Verum diploma S. Irminæ Horreensis abbatissæ, pro monasterio Epternacensi Miræus protulit, cum in libro 2. diplomatum Belgicorum, tum in notitia ecclesiarum Belgii, quod clare demonstrat Liutwino ad infulas assumto, Basinum supervixisse. Ambo siquidem episcopi suo corroborant chirographo S. Irminæ donationem. Quæ cum Miræus advertisset, jecit Luitwinum ab avunculo Basino episcopum ordinatum esse, qui gentiles ad Christianam fidem adduceret; quem ad finem solebant his temporibus episcopi quidam creari. Melius Mabillonius, Basinum abdicato episcopatu, ad Trevirense S. Maximini suæ primæ professionis monasterium se recepisse, ut ibidem liber ab omnibus curis rerum divinarum contemplationi operam daret. Verum quamdiu post quartum Childeberti secundi annum sanctus antistites supervixerit, nullus hactenus potuit definire. Hic vero duo alia occurent S. Irminæ diplomata monasterio etiam Epternacensi data, alterum quarto Childeberti anno, alterum decimo, quibus uterque episcopus Basinus & Liutwinus subscribunt, proindeque Basinum nullus ibit inficias decimum saltem Childeberti annum hoc est Christi 704 attigisse.

42. Eamdem sedem Trevirensem occupabat sæculo XII. HILLINUS vir præstantissimus, quem Otto Frisingensis tamquam virum litteratum & prudentem multis verbis commendavit, commendat & pluribus Browerus, qui acta ejus ab ipsis unguiculis, ut aiunt, prosequitur, auctoritate fretus monumentorum Trevirensium scriptorumque veterum: sed genus ejus exprimi nusquam queritur vir eruditus. *Adolescens*, inquit, *neque enim genus ejus in actis exprimitur, Gallias disciplinæ causa lustravit.* Verum Hillinum ex antiqua progenie dominorum de Falemannia in pago Leodiensi nobile genus duxisse disserte exprimit diploma Henrici Leodiensis episcopi pro monasterio Walciodorensi a nobis editum hoc tomo, ubi legitur *Anselmus de Falemannia utraque linea generosi sanguinis ingenuus, domini Hillini Trevirorum venerabilis archiepiscopi carne germanus, Anselmi & Godefridi pater, quartam partem* ecclesiæ de Falemannia dedisse Walciodoro. *Acta anno Domini* MCLXIII. Jam notum est quam celebres tum essent & ex antiquo domini de Falemannia. Certe Widricus de Falemannia, qui in carta de translatione corporis S. Eloquii in Walciodorense cœnobium memoratur, *nobilissimus* ibi appellatur. Observandumque est eadem in carta, hunc ipsum coram Eilberto comite Walciodori fundatore tradidisse de allodio suo Falemannia singulis annis, dimidium ceræ de unaquaque domo, & dimidium denarium. *Actum Walciodori* VII. *idus Octobris anno ab incarnatione Domini 946.*

De Hillino Trevirensi. Lib. 2. pag. 4.

43. Metropoli Trevirensi tres subsunt suffraganei Metensis, Virdunensis, & Tullensis antistites. Metensem ecclesiam decorabat sub finem sæculi XI. Vir catholicæ unitatis retinentissimus Herimannus episcopus, quem *catholicæ fidei lucernam & angelorum concivem* appellat Urbanus II. in epistola ad Lanzonem & Rodulphum abbates & Adalberonem primicerium, hic edita pag. 529. qua ratam habet factam de ipsius successore electionem, permittitque ut a quovis catholico conseeretur episcopo, ea tamen cautione, ut diligentius inquireret, *utrum per manum Trevirensis illius archiepiscopi* (*Engelberti procul dubio*) *simoniace fuerit in diaconem ordinatus*, quod si ordinatus ita fuerit, præcipit sum-

De Burchardo Metensi episcopo.

mus pontifex, *ut eosdem ordines ab aliquo sortiatur episcopo catholico.* Quisnam fuerit episcopus ille Herimanni successor reticet Urbanus, at Burchardum *hunc* appellat Albericus in chronico ad annum MXC. *Herimannus episcopus*, inquit, *permissu imperatoris a Metensibus urbe receptus, dum post prandium liberaliter celebratum, in lecto se reclinasset, mortuus invenitur. Succedit ei Burchardus præpositus Trevirensis*, quem ab erudito Meursio episcopo Madaurensi miramur prætermissum esse in ea, quam satis accurate scripsit, historia Mentensium episcoporum. Alberico succinit auctor historiæ Andaginensis S. Huberti monasterii, quam brevi committimus prælo, his verbis: *Interea Metensis ecclesia viduata Herimanno venerabili pontifice, elegit sibi episcopum ordinandum Burchardum præpositum Trevirensis ecclesiæ, qui sine consensu Henrici regis in civitate susceptus, cum a Trevirensi pontifice benedici vitaret, eo quod ille Wiberto, ipse vero Urbano consentiret, evocavit ad se consecrandum Hugonem archiepiscopum Lugdunensium & legatum ecclesiæ Romæ. Hugo ut erat devotus catholicæ fidei, Mediomatricum intrepidus accessit, quinque commitatus episcopis, Constantiensi, Madesconensi, Lingonensi, Tullensi, Virdunensi, Jaronta quoque abbate Divionensi.* Secutus videtur Meursius chronicon vetus episcoporum Metensium Spicilegii tomo VI. editum, cujus auctor mentionem nullam fecit Burchardi, sed postquam *cessavit episcopatus multis annis*, Herimanno subjicit Topponem. Porro chronici hujus auctor tum temporis scribebat, cum ætate floreret Stephanus episcopus, qui anno MXXX. ad Metenses infulas assumtus est; atque adeo latere eum vix potuisset Burchardus, qui triginta ante annis aut circiter sedisset. Quapropter inclinat animus ut credam Burchardum binominem fuisse, eumdemque esse cum Poppone. Conjecturam hanc meam firmat idem auctor, cum subdit catholicos *Metenses terrorem postponentes imperialem, ex ecclesia Trevirensi domnum Popponem, personam nobilem catholicis consentientem* elegisse *pontificem, celebrata consecratione ipsius a legato apostolicæ sedis*, quæ prorsus omnia in Burchardum æque ac in Popponem conveniunt. Et certe cum sedes aliquot saltem annos vacaverit, & Popponi anno MCIV. subrogetur Adalbero in chronico S. Vincentii, si pro duobus episcopis habentur Burchardus & Poppo, necesse est utrumque uno demum anno, aut fere uno sedisse. Nec obstat quod Albericus Burchardo subjiciat Popponem. Nam cum tardius is scripserit, ejus auctoritas scriptori coævo præponderare non debet.

De Rothardo archiepiscopo Moguntino.

44. De Rothardo archiepiscopo Moguntino egimus jam, ubi de concilio Trecensi. Hunc in exsilium ab Henrico imperatore pulsum esse, ob juratam apostolicæ sedi fidem vulgo tradunt: verum cum schismaticus tum fuerit Rothardus, cum in exsilium abiit; ob perpetuam & constantem legitimo summo pontifici adhæsionem, ab imperatore pelli sede minime potuit. Quod autem schismaticus aliquando fuerit, testem habemus Rothardum ipsum, in præclara illa quam edidimus pag. 604. epistola, qua clerum Halberstadensem hortatur, ut sui exemplo ad ecclesiæ gremium redeat. Ipsissima ejus verba proferimus. *Cælesti oraculo nos quoque admoniti, nobis ipsis renuntiavimus, & priorem nostram vitam, si tamen vita est ad mortem ducens, jam pridem condemnantes in ecclesiæ unitate renati, novam vitam in Christo ducimus, ob maledicta & detractiones in ecclesia Dei lepra perfusi extra castra seorsum a populo mansimus. Nunc autem hyssopo humilitatis & sanctificante pœnitentiæ aqua per manum magni sacerdotis mundati, in castris Domini militamus*, &c. Quod vero diu etiam in schismate perseveravit, satis ipse tacitus ibidem indicat, quatriduano se Lazaro comparans exclamansque: *Nemo nobis insultet de sepultura quatriduani.* Et in alia ad Paschalem papam epistola apud Serrarium. *Est quod exiguitatem meam contristat, scilicet quod vestræ sanctitatis gratiam me perdidisse sentio, & de sinu misericordiæ projectum esse intelligo, quem paterna clementia ex prodigo filio suscepistis,*

pistis, & episcopali dignitate confirmatis, & honore pallii in sanctam ecclesiam provexistis. Cum ergo fuerit aliquando schismaticus, diuque in schismatis luto hæserit Ruthardus, aliunde repetenda hujus exsilii causa est. Auctor est noster chronographus Saxo nondum editus, voluntarium illud fuisse, commotumque adversus imperatorem Ruthardum ob repetitas occisorum Judæorum facultates, sese una cum suis in Thuringiam recepisse, anno circiter MXCVIII. *Imperator Moguntia consistens*, inquit ad hunc annum, *cum de facultatibus Judæorum interfectorum quæreret, & tam Rothardus quam consanguinei de eisdem pecuniis culparentur, commotus archiepiscopus in Thuringiam se cum suis contulit.* Clades illa Judæorum Serrario aliunde nota, Moguntiæ facta fuerat ante biennium, belli sacri occasione, cujus scilicet apparatu fervebat eo tempore Germania omnis uti & Gallia. Tum enim vir quidam militaris, Emiconem vocant, earum partium quæ circa Rhenum sunt comes, copias novæ hujus religionis specie, sed reipsa ductus avaritia spoliique studio, collegit ex Rheni accolis, revelationibus se divinis excitatum jactitans, ut ulcisceretur Christum in Judæis: ita fere laudatus auctor noster, qui hac ipsa ætate florebat; hinc dispersi passim Judæi in loca munitiora, eorum pars, quæ Moguntinum agrum inhabitabat, Moguntiam delata ad Ruthardum, opes quisque suas uxoresque & liberos ipsi commisit, quos tamen ab Emicone eripere non valuit antistes; adeo ut nongentos una die primo oblatos furori trucidaverit. Jam Ruthardi fugam imperatorem, qui illorum opibus inhiabat, ægre admodum tulisse, » ex eodem scriptore colligitur, loco citato, ubi tradit, adjectos fuisse ejus » usibus episcopii reditus, fugaciumque possessiones publicatas, diruta mœnia. Cum autem quibus male est, hi redire ad sese & resipere soleant, Ruthardus angustiis undique septus, cœpit tum, uti credere est, in melius mutari: A schismatici imperatoris & Wiberti antipapæ castris ad Urbanum II. eumque legitimum papam transiit, ecclesiæque sese redonavit. Passus est bonorum jacturam per annos octo, donec imperii sceptro ab Henrico patre ad Henricum filium anno MCV. translato, novus *rex Moguntiam venit, legatosque in Thuringiam ad archiepiscopum Ruthardum misit, qui ad sedem, cui per annos* VIII. *tyrannicam devitans rabiem, abfuerat, præsidio catholicorum deductus, maximo nobilis Moguntiæ tripudio cathedræ suæ restituitur.* Hæc porro cum ex epistola Rothardi a nobis edita, tum ex inedito chronico Saxonico eruta, neque hactenus satis cognita, visum est paulo fusius explicare.

44. Rothardo successit in sede Moguntina non minus sinceræ in sedem apostolicam observantiæ, quam dignitatis hæres Adalbertus, Henrici regis cancellarius, *primus inter primos ejus præcordialis consiliarius*, uti loquitur Otto Frisingensis lib. 7. cap. 14. quique ut habet abbas Urspergensis, *per omnia secundus a rege semper fuerat.* Is imperatori omnino devinctus, auctor aliquando fuerat ipsi, ut Paschalem papam investituras sibi retinentem custodiæ traderet. At vero post concilium Lateranense, damnato pravilegio, pravi consilii & facti pœnitens, in errantem principem conspirans, traditus & ipse custodiæ est annis quatuor, unde populi favore eductus, Coloniæ ab Ottone Bambergensi præsule sanctissimo consecratus episcopus, bellum imperatori schismatico indixit, nec destitit, donec Calixto papæ reconciliaretur. Quantum autem in hanc reconciliationem laboraverit, declarat ipse epistola ad Calixtum papam hic edita pag. 671. cujus verba hic nonnulla subjicere visum est operæ pretium. *In multis & magnis persecutionibus & augustiis hactenus positi, quotiens de persona domini imperatoris scripserimus vestræ majestati quid vobis placeret, quid principes nostri sentirent, in qua demum sententia convenissent, non dubitamus recordari vestræ discretionis beatitudinem, & in his omnibus per litteras & nuntios vestros cognovimus circa hæc maxime semper versari vestræ pie-*

De Adalberto Moguntino.

tatis desiderium, ut apostolica dispensatione vestris potissimum diebus pax & concordia descenderent in universum mundum, si tamen eam pacem imperator daret & susciperet, quod honorem Dei & matris ecclesiæ non obfuscaret, acceptaque dominis ac patribus nostris cardinalibus, qui in idipsum de latere vestro ad nos missi sunt, totius concilii & ingenii nostri vires in hoc contraximus, ut tam generale bonum ad communem ecclesiæ & regni utilitatem non differretur ulterius. Sed quia tam imperium quam imperator tamquam hereditario quodam jure baculum & anulum possidere volebant, pro quibus universa laicorum multitudo imperii nos destructores inclamabat, nullo modo potuimus his imperatorem exuere, donec communi quique consilio, cum his qui aderant fratribus & dominis cardinalibus huic periculo nostro compatientibus, inde ecclesiæ censuram verentibus, & ob hoc vix nobis assentientibus . . . . omnes pariter sustinuimus, quod in ipsius præsentia ecclesia debeat electionem facere, nihil in hoc statuentes, nec pro hoc in aliquo quod absit, apostolicis institutis & canonicis traditionibus præjudicantes, &c. Ex quibus verbis constat Adalbertum pacis Calixtum papam inter & Henricum imperatorem compositæ sequestrum præ ceteris fuisse, illatasque sibi a principe injurias non tam ulcisci quam remunerare studuisse, quippe qui censurarum vinculis eum solvit, a quo fuerat & ipse in vincula conjectus.

De Henrico Paderbornensi.

45. Eamdem quoque operam erga suffraganeos adhibuit. Supra vidimus Henricum Paderbornensem antistitem in concilio Northusano ecclesiæ reconciliatum fuisse abs Rothardo metropolitano: ea tamen lege, ut a pontificali abstineret officio. Fecit illi copiam Paschalis papa anno 1107. obeundi munia quæ sui essent ordinis, uti scribit Gobelinus. At labente imperatore Henrico V. videtur & ipse relapsus esse: id quod clare probat hæc ipsa Moguntini archipræsulis Adalberti epistola, quæ cum tardius nostras in manus devenerit, nec suo potuerit ordine cudi, suum hic sibi locum vindicat.

EPISTOLA ADALBERTI ARCHIEPISCOPI MOGUNTINI.
Ad H. episcopum & canonicos Patherbornenses.

A Dei misericordia Moguntinensis ecclesiæ archiepiscopus & apostolicæ sedis legatus . . . . . in Christo fratri & coepiscopo H. Patherbrunensis ecclesiæ . . . . Cognoscentes pœnitentiam tuam . . . . . ac Dei misericordia, ut opus bonum quod in te cœpit indeclinabiliter conservare, & consummare per ipsius gratiam studeas, de cetero fideliter in obedientia sanctæ matris ecclesiæ perseverans, ex consilio & dispensatione fratrum nostrorum, in quorum conspectu de tua causa deliberavimus, infirmitati tuæ indulgendum esse decrevimus, & pro tempóris necessitate & propagandorum in ecclesia tua fidelium Christi salute, episcopalis officii administrationem tibi concedimus, in quo domni nostri beatæ memoriæ papæ Paschalis universalis ecclesiæ pontificis auctoritatem sequentes, & nihil novi tamquam ex nobis in ecclesia Dei statuentes, quæ tecum egit, & in quibus te restituit, rata habemus, & sub testimonio fratrum nostrorum episcoporum Coloniensis, Bavembergensis, Corbeiensisque abbatis facta præcipimus, ut apud te permaneant, sine malevolorum ac detractorum injuriosa calumnia. Vobis autem omnibus carissimis dominis & fratribus nostris in Christo & propter Christum monendo præcipimus, præcipiendo monemus, ut a modo cum episcopo vestro & ipse vobiscum, unum sapiatis, invicem diligatis, quatenus in die messis illius ad aream dominicam manipulòs justitiæ reportare valeatis. Tibi autem fratri in Christi visceribus amplectendo, fraternæ caritatis affectu consulimus, & auctoritate Dei & B. Petri & nostra injungimus, ut fratres tuos paterna compassione nutrias, amplectaris, foveas, si qui infirmi & imbecilliores erunt, debita eis pietate condescendas, sicque tibi commissis ovibus studeas providere, ut in die Domini illud

fidelium servorum Euge *ovanter merearis audire. Omnes vos optamus in Domino valere, & fideliter perseverare in unitate sanctæ matris ecclesiæ.*

46. Quantum vero laboraverit Adalbertus, ut Cunonem Argentinensem reduceret ad ecclesiæ gremium, pluribus disserere opus non est, cum ipsa ejus epistola ad Calixtum papam II. hic edita pag. 676. id aperte declaret. Fuerat hactenus Cuno, ait Adalbertus, *in obsequio regis assiduus*, atque *inter primos amicos imperatoris habebatur*. Spiræ comitiis anno 1108. celebratis adfuit, ibidemque anno 1111. exequiis Henrici Senioris, anno vero 1113. Wormatiæ sanctum pascha cum eo celebravit, uti colligitur ex diplomate monachis S. Maximini dato; comes denique imperatoris individuus, nihil fecit reliqui, quo se apud ipsum poneret in gratia, quippe quem vel etiam errantem & schismati addictum sequi non erubuit. Quid jam ad hæc Adalbertus? *Sæpe*, inquit, *eum monuimus, ut ecclesiæ Dei obediret, & ut hac via magis proficeremus, canonicis ut ab ejus errore recederent, & ad unitatem pacis Christi redirent, multotiens scripsimus.* Neque sane frequentes illæ præsulis optimi commonitiones frustra fuere, subdit enim, *frater noster Cono Argentinensis episcopus statim post Remense concilium misericordiam postulavit, & a cardinali sanctæ Romanæ ecclesiæ absolutionem recepit. . . . . Postquam autem absolutus fuit episcopus, corde & corpore ab imperatore se subtraxit, & in servitio ac fidelitate ecclesiæ, utcumque injustus & peccator, fidelis tamen & utilis veritatis assertor permansit.* Cum vero hac occasione gravi eum odio insectaretur Henricus, spoliatumque omnibus civitate depulisset, Calixto papæ scripsit Adalbertus in gratiam ipsius, *non tamen ideo*, inquit, *ut injustitiam episcopi studeamus defendere vel approbare*; quæ verba haud obscure indicant non uno schismatis crimine notatum fuisse Cunonem, & revera non multo post, hoc est anno 1123. ob Bertoldi ducis necem, cui assensum præbuerat, exauctoratus legitur in chronico Saxonico. *Cono Stratburgensis episcopus solo nomine, quia in nece Bertoldi ducis consentit, ab episcopatu deponitur.* Unde emendandi sunt scriptores nonnulli, qui mortem ejus ad hunc annum referunt, nisi aliunde constet eum hoc ipso anno esse defunctum.

De Cunone Argentino.

Vid. Infr. p. 632.

47. His quædam subjicere juvat de Rainhardo Halberstadensi episcopo, qui & ipse Moguntini archiepiscopi suffraganeus erat. Hunc anno 1107. electum atque inauguratum fuisse ab Adalberto tradit chronicon Halberstadiense: verum tota errat via. Nam constat ordinatum esse a Ruthardo 11. calendas Aprilis, non vero ab Adalberto, qui tum cancellarius Henrici regis erat, tardiusque ad infulas ecclesiæ Moguntinæ adscitus, anno tantum 1116. inunctus est Coloniæ. Certiora itaque ex his quæ damus instrumentis repetenda sunt. Rainhardum fuisse canonicum Moguntinum docet nos Rothardi epistola ad Gebehardum episcopum Constantiensem, qua eum aliosque suffraganeos ad ejus inaugurationem invitat, testaturque illum, quod valde est observandum, *domini regis consensu, consilio archiepiscoporum & episcoporum, & voluntate aliorum principum, electione quoque cleri & populi*, ab ecclesia Halberstadiensi esse susceptum. Id quod clarius ipse Rainhardus ad eumdem Gebehardum scribens his verbis explicat: *Ad onus durissimæ provinciæ imperio domini mei regis, violentia principum, nolens & reclamans raptus sum.* Ordinatus dominica quinta quadragesimæ Rainhardus, investituras, uti hac ætate mos erat, accepit ab imperatore, qui Moguntiæ pascha hoc anno celebravit; atque ita accepit, ut nihil de Gregorii VII. & Urbani II. decretis id vetantibus, nihil de pœnis in decretorum violatores constitutis cogitaverit. Statim litteras ad Paschalem dedit, easque cum amoris tum observantiæ notis insignes, quibus eum maximopere orabat, confirmare ut vellet assensu suo terminos & decimas,

De Rainhardo Halberstadensi.

jam a summis pontificibus & ab imperatoribus assertas ecclesiæ Halberstadiensi, quam *miser ego*, inquit, *coactus accepi*. Tum *de ordinatis clericis & ecclesiis dedicatis a Friderico superposito*, & ab eo legitime *deposito*, quid facto opus sit, rogat sibi velit significare. Ad postulata nullo dato responso, pontifex increpuit Rainhardum, quod ecclesiæ suæ regimen per investituram manus laicæ contra patrum decreta susceperit, monuitque concilii Trecensis circa festum Ascensionis celebrati statuto cautum esse, *ut si quis ex manu laica ecclesiæ investituram acceperit, tam ipse quam ordinator ejus deponatur, & a communione removeatur*. Addens nihilominus se eum fratris loco habere velle & desiderare. His tamen territus Rainhardus, delicti ex ignorantia admissi veniam supplicibus litteris petiit semel & iterum. Hæc omnia de quibus altum in chronico Halberstadiensi aliisque Germanicis scriptoribus silentium paucis hic exponere operæ pretium duximus. Ceterum Rainhardus ecclesia Halberstadiensi optime & sapienter administrata annis minimum xv. vitam cum morte mutavit anno 1123.

De Ottone Halberstadensi.

48. Defuncto Rainhardo sepulturæque tradito, canonici Halberstadienses, non expectato metropolitani consensu, sed nec eo quidem consulto, de successore seligendo agere cœperunt, votaque sua in Odonem S. Sebastiani Magdeburgensis præpositum contulerunt. Quo statim audito, Adalbertus gravem ipsis epistolam scripsit, in qua postquam defuncti præsulis optimi mortem deflevit, duo conqueritur: primo quod nec nuntium qui obitum Rainhardi significaret, miserint, nec eligendi successoris facultatem sibi ab eo dari pro more petierint. Secundo quod *& de alia ecclesia personam elegerint*, ipsa sunt verba Adalberti, *& eamdem quadam nova usurpatione anulo & baculo tamquam investire non abhorruerint, quod tamen*, inquit, *de tam instructa hactenus ecclesia, & tot laboribus attrita, satis mirari non possumus*, cum solius sit, *consecratoris dare anulum & baculum*. Interim Rokkerus Magdeburgensis archiepiscopus, qui Rainhardi exequias pro more celebraverat (erat quippe inter utramque ecclesiam hæc confœderatio, ut Halberstadenses episcopos sepeliret Magdeburgensis antistes, Magdeburgenses vero Halberstadensis præsul) quique novi interfuerat electioni, scripta ad Ottonem Bavembergensem antistitem epistola, electum commendavit, atque ut daret operam cum apud imperatorem tum apud Adalbertum Moguntinum præsulem, uti quam primum confirmaretur, deprecari non prætermisit. Optatis brevi fruitus est Rokkerus, obtinuit Odo sive Otto episcopatum, sed infausto prorsus eventu, cum semel & iterum ejectus fuerit turpissimeque exauctoratus; primo ob simoniam ab Honorio II. administrationis suæ anno sexto: deinde ab Innocentio secundo in concilio Pisano anni 1136. biennio postquam suæ sedi restitutus fuerat.

De nova electione episcopi Halberstadensis post Ottonis exauctorationem.

49. Vacante itaque sede Halberstadensi cum ad electionem novam ventum esset, id quod fieri jusserat summus pontifex, novæ iterum turbæ, novæ dissensiones, alium aliis episcopum postulantibus. *Nam canonici matricis ecclesiæ electionem de Martino præposito factam aliquando proponebant, hancque omnes exceptis quatuor, unanimiter affirmabant, tres tantum alias personas ejusdem ecclesiæ secundario designantes, ut si hujus canonice rejiceretur, unam istarum obtinerent. Regulares vero nullam istarum approbantes, assensum his non præbuerunt, sicque communi utriusque partis consilio electionem in sequentem diem distulerunt. Interim regulares advocatis quatuor . . . . de majori ecclesia, Gerardum præpositum elegerunt, clero & populo alterius partis invito & reclamante, & appellante apostolicam audientiam sub testimonio canonicæ censuræ, quæ jubet nullis invitis dari episcopum vel pastorem.* Hæc Lotharius imperator in epistola ad Innocentium hic edita pag. 753. A quibus non discrepat quæ scripta est ab Erpone decano

Halberstadiensi ad eumdem pontificem, qua Martini electionem *coram sedis apostolicæ legatis cassatam* fuisse contendit. His ita se habentibus, addit Lotharius: *Quia vero in partibus Saxoniæ, maxima in præfata ecclesia imperialis dignitas consistit, saltem adhuc paternitas tua nobis adquiescat, & audita utraque parte, ita nobis eos remittas, ut salva libertate electionis nos pro consilio archiepiscopi & suffraganeorum, adhibitis religiosis personis, talem provideamus, qui ecclesiæ & imperio expediat.* Et hæc quidem hactenus ignota. Quid vero inde secutum sit, ex chronico Halberstadensi conjicere licet, neutrum scilicet episcopatum esse consecutum. Nam post Ottonem proxime locat Rodulphum, eumque una omnium voce electum.

50. Quod supra advertimus Ruthardo & Adalberto Moguntinis archiepiscopis accidisse, idem & de Friderico Coloniensi possumus jam asserere. Sicut enim schismaticus primum uterque fuit, ecclesiæque postmodum columna atque infensissimus schismaticorum adversarius; ita & varia fuit Friderici in episcopatu vita. Ut primum favore magis Henrici imperatoris schismatici quam cleri suffragiis electus fuit, statim graves sustinuit bellorum motus adversus Fridericum Westphaliæ comitem, militis magis agens personam quam episcopi, atque ejus castrum *Arnesberg*, anno 1101. obsedit & recepit. Obsidioni deinde Limburgensi eodem anno adfuit cum imperatore, belloque instaurato anno sequenti cum Arnesbergio, castrum ejus denuo expugnavit. Graviori adhuc bello implicabatur anno 1103. cum Magdeburgensi antistite. Hæc fere fuere Friderici schismatici initia. At vero e schismaticorum castris ad unitatem reversus, ingenium novum induit: hominem alium diceres, qui schismaticorum factus hostis acerrimus, animum hunc martium in ipsos imperatores Henricum IV. & V. convertit. Id sane licet advertere, cum celebrato anno 1105. Moguntiæ concilio, dictaque pro imperatore exauctorando sententia, una cum Rothardo Moguntinensi ad eumdem imperatorem concilii nomine accessit intrepidus, cultumque omnem imperatorium filio ipsius tradendum repoposcit. Quid ex eo tempore Fridericus egerit ad promovendas ecclesiæ res quis explicet? Post concilium Lateranense anno 1112. celebratum, cum ecclesiæ hostis esset declaratus Henricus junior, ipsum annos amplius quatuor, societate inita cum Moguntino antistite & principibus Saxoniæ, tota Germania est insectatus, diris devovens variis in conciliis, urbes ejus & castella expugnans evertensque, adeo ut, teste abbate Urspergensi, victus tædio Henricus & fere redactus ad incitas, *in Italiam se una cum regina totaque domo sua* contulerit, sub annum Christi 1116. *scandala principum* devitaturus. Scio nonnullos unam hujus itineris causam in Mathildis præpotentis in Italia principis mortem refundere, ut scilicet ea quæ Romanæ ecclesiæ hæc legaverat, jure ille repeteret hereditario, vique & armis. Verum quid tum opus erat excedere e Germania reginam familiamque omnem regiam? Ut ut est, fugientem in Italia Henricum insecutus est Fridericus, scriptaque adversus eum graviori epistola, hortatur Mediolanenses suam ut vindicarent libertatem abs rege schismatico, qui bella ecclesiæ inferebat. Hincque ejectum a Mediolanensibus Henricum, quod nemo hactenus observavit, subodoramur. Hanc porro inscriptionem præfert epistola hic edita pag. 640. *Consulibus, capitaneis, omni militiæ universoque Mediolanensi populo, viriliter agere, confortari in domino & in potentia virtutis ejus.* Sic vero orditur. *Magnus Dominus & laudabilis nimis in hac Dei quæ condecoratur gloriosa libertate, ideoque in exultatione universæ terræ fundatur, dum quibuslibet injustis potestatibus prosterni dedignatur. Hæc itaque gloriosa, cum per universum orbem de te sint dicta, civitas Dei inclyta, conserva libertatem, ut pariter retineas nominis hujus dignitatem: quia quandiu potestatibus ecclesiæ inimicis resistere niteris, veræ libertatis, auctore Christo Do-*

De Frederico Coloniensi archiepiscopo.

mino adjutore, perfrueris. Firmet ergo vestram constantiam, carissimi, prædicanda æquitas, & a patribus vestris usque ad nos deducta nominis dignitas, insuper nostra omniumque applaudens unanimitas. Quicumque enim sumus Lotharingiæ, Saxoniæ, Thuringiæ, immo totius Galliæ principes ad dilectionem vestram sumus unanimes: quia sicut in uno corpore sociamur, ita in eadem justitia, eadem legum libertate, una vobiscum parati inveniemur. Porro si auxilio vel consilio nostro egueritis, qualiter id velitis fieri, discretionis vestræ ordinet prudentia, ad quod exequendum promtissima invenietur nostra diligentia.

51. Quid dissidii tum Cæsarem inter & Mediolanenses fuerit non tradunt auctores. Observat Mabillonius ex Puricello, civile tunc temporis bellum Mediolani esse exortum occasione Jordanis & Chrosolani, qui de episcopatu contendebant. Hic desertor ab adversariis appellabatur, utpote qui ex alia sede ad Mediolanensem accedebat; ille vero a fautoribus Chrosolani habebatur invasor. Utriusque causa ad concilium Romanum delata, Paschalis qui concilio præerat, secundum Jordanem judicavit, Chrosolanumque pronuntiavit ecclesiæ suæ esse restituendum, utpote cujus translatio & citra necessitatem facta erat, & multa populis damna importabat. Verum pontificis ac totius concilii decreto haudquaquam videtur acquievisse Chrosolanus, qui in veteri indice episcoporum Mediolanensium, quem tomo 1. Musæi Italici vulgavit Mabillonius, *hanc sedem annis novem & quatuor mensibus perturbasse* dicitur. Igitur Jordanem a clero & populo electum fuisse conjicimus, Chrosolanum ab imperatore quidem investitum episcopatu Mediolanensi, sed a populo reprobatum: quæ res adeo exacuerit calamum Friderici hortantis eos ad libertatum suarum defensionem.

52. Dum vero sic classicum caneret Fridericus adversus Henricum, excessit e vita Paschalis secundus. Mox Cæsar novas in ecclesia turbas moliri visus, Mediolanenses terruit, qui vicinos illico episcopos animis vehementer pendentes convocant, deliberaturos quid jam opus esset facto. Hæc ubi accepit Fridericus, litteras alias cœtui huic præsulum dedit, in quibus de summi pontificis obitu, deque suo dolore præfatus, sic eos adoritur. *Omnes qui vestram libertatem imminuere volunt vestra damnate sententia, quatenus Mediolanensis ecclesia contra principes superbe agentes eamdem obtineat constantiam, quam exercuit contra Theodosium felicis memoriæ imperatorem, adducendo eum ad pœnitentiam. Nos autem sicut unum corpus sumus in Christo, ita catholici conatus vestri fautores & adjutores inveniemur in ipso, non desistentes a vestra omniumque bonorum unitate, & sanctæ matris nostræ recuperanda libertate.* Deinde sollicitus de futuro summo pontifice addit: *Postremo qui vicinores estis sedi Romanæ, quid de ea nobis sentiendum sit, fideliter insinuare curate, ut si patri nostro successor legitimus Dei ordinatione est substitutus, qui ejus per omnia & sanctorum patrum sectetur vestigia, omnium nostrum perfruatur obedientia: sin autem non Dei sed hominis terreni & excommunicatorum, quod absit, se fore factis probet antistitem, nullam seductionis suæ vel damnationis nostræ in nobis inveniat subjectionem.*

De Alexandro sedis Leodiensis invasore.

53. Dum ita se apud Italos gereret Fredericus, non minorem propria in metropoli zelum adversus schismaticos & simoniacos exercebat. Circa hæc tempora excessit e vivis Otbertus Leodiensis episcopus, cujus sedem pinguissimam Alexander ecclesiæ ejusdem archidiaconus numerata pecunia emit ab Henrico imperatore, non expectata die quam electioni præfixerat metropolitanus. Quo accepto, Fredericus suffraganeos omnes suos litteris consuluit de tanto facinore, significarent qua ratione posset in reos animadvertere. Hos inter Godescalcus Osnabrugensis antistes Leodiensis ecclesiæ sororis suæ nefariam invasionem & execrabilem oppressionem lugens, graviter respondit, parcendum non esse intruso; sed exemplo filiorum Jacob, *qui pro Dina so-*

rore sua oppressa Sichem filium Emor Evei habitatoresque illius, licet in legem eorum transire volentes, & jam circumcisos, tamen sævientes ob stuprum sororis necaverunt, in sceleratum ecclesiastico gladio sæviendum esse. Cujus epistolam hic edidimus pag. 642. Godescalci sententiam secutus Fridericus, scripsit illico Leodiensibus, ne quem rex episcopum renuntiarat, admitterent, dicto in eum & in omnes qui ab ejus partibus starent anathemate. Extat hæc ejus epistola tomo 1. nostrorum Anecdotorum, quæ porro suum sortita est exitum. Nam Alexandro rejecto, episcopus creatus est Fridericus vir sanctissimus, cujus pontificatui nihil prorsus defuit, quam vita longior. Sed eo post biduum Alexandri dolis sublato per venenum, nullum non movit lapidem, is qui homicidium fecerat, ut capituli vota in se converteret. His auditione acceptis, archiepiscopus Coloniensis aculeatam gravemque ad Leodiensem clerum dedit epistolam editam hic pag. 674. qua illos increpat, quod præcipiti electione, admissis etiam suum in cœtum excommunicatis, Leodiensem episcopatum homini indignissimo detulerint, citatque eos ad suum tribunal ad Indam monasterium. *Quia ergo*, inquit, *his excessibus tam manifestis & Deo odibilibus non debetur paternæ consolationis visitatio; sed magis infligenda est condignæ severitatis increpatio, ad sedem Coloniensem, cui tam grave intulistis præjudicium, vos invitamus, ut si excessus vestros, sicut scripsistis, nostro corrigere volueritis consilio, exemplo patris evangelici prolem quæ perierat gratanter recipiamus.* Deinde assignato conventus die, nimirum IV. nonas Septembris, necnon & loco, nempe monasterio Indensi, subjungit: *Et quoniam Alexander per Godescalcum Trajectensem clericum obedientiam & subjectionem nobis præsente ecclesia demandavit, & se velle de omnibus suis excessibus nostro adquiescere consilio, per eumdem nobis insinuavit, tertio nonas Septembris nos in prædicto commoraturos cœnobio eidem remandavimus, ut si forte velit aliquid rationabiliter deferre ad aures ecclesiæ, audiatur. Si quis autem inter vos habet zelum Domini, eumdem ammonere, arguere, increpare, obsecrare, orare non dissimulet, ut sibi ipsi propitius, pareat Christi ecclesiæ, ne incipiat infamis haberi, totiens per domnum apostolicum, per nos, per suum episcopum ejectus a sancta ecclesiæ liminibus.* Congregatis in Indensi monasterio qui vocati fuerant, relatum est de Leodiensis episcopi electione, quam tandem post multas ultro citroque altercationes, nullam & irritam declaravit Fridericus, ut pote *quam cum excommunicatis & per excommunicatos, & propter excommunicatos fecerant de Alexandro*, inquit chronicon S. Trudonis lib. XI. Spicil. tom. 7. Tunc, pergit idem auctor qui præsens aderat, *Alexander interrogatus ab archiepiscopo, obedientiam promittit, manu sua in manu ejus sacrata posita: archiepiscopus per sanctam ei præcipit obedientiam, ut amplius se non intromittat de episcopatu. Ille annuit. Et qui vidimus & audivimus hæc testificamur.*

54. Planiorem ad Leodienses infulas viam habuit Otbertus; tametsi erat Alexandro ipso longe dignior qui ab hujusmodi munere arceretur. At Coloniensem sedem obtinebat Herimannus, vir non ita disciplinæ tenax, ut qui ejus in locum successit Fridericus. Is Otbertus, inquam, cum esset canonicus ecclesiæ S. Lamberti & præpositus S. Crucis, Leodio ob flagitiorum infamiam ab Henrico sanctissimo antistite pulsus, ad Henricum imperatorem in Germaniam abierat, qui ut impium adversus ecclesiam Romanam bellum gerebat, ita & sceleribus omnibus tutum ad se dabat perfugium, moxque eum suam in familiam recepit inter regii sacrarii sacerdotes. Hoc munus cum exerceret Otbertus, regisque uteretur familiaritate, migravit e vita Henricus Leodiensis episcopus, dignam certe pro meritis piisque operibus mercedem recepturus. Cujus ille morte accepta, multa pecuniæ vi episcopatum ab imperatore facile impetrat, fide data, nihil se non moliturum, ut principatum Leodiensem in officio contineret. Hæc omnia dissimulavit aut certe igno-

De Otberto episcopo Leodiensi.

ravit Ægidius de Aureavalle, qui suam Leodiensium episcoporum historiam ex probatis auctoribus contexuit: immo si credimus ipsi, fuit *Otbertus vir sagax, utiliumque provisor, in negotiis divinis & humanis apprime eruditus:* ipsiusque in laudem fragmentum cujusdam prosæ profert, in qua scientiam ejus pastoralem ac præsertim opera pie gesta, usurpato hoc sponsi encomio, *manus ejus tornatiles*, commendat. Ægidio suffragatur Chapeavilla ipsius editor, vir eruditus nec indiligens, quorum auctoritas Mabillonium adduxit, ut de Otberto benigne sentiret. Nam relata Jarentonis abbatis Divionensis epistola ad Theodericum Andaginensem S. Huberti, quem ille insectabatur, ita loquitur: *Sic desinit Jarentonis epistola in codice S. Vitoni, veritatis zelo & caritate referta, sed paulo durior in Otbertum episcopum, qui alias non ita malus videtur episcopus.* Mabillonii sententiæ adstipulantur quidam recentiores. Verum illi, si scriptam vivente adhuc Otberto historiam Andaginensis monasterii, si vetera S. Laurentii Leodiensis monumenta legissent, certe in aliam ivissent sententiam, atque Otbertum non modo malum episcopum sed & sceleratissimum fuisse facile animadvertissent. Verum ut hæc interim prætermittamus, suo tempore aliquando evulganda, qui vir fuerit Otbertus satis docet laudata superius Urbani secundi epistola ad Beringerum S. Laurentii abbatem, in qua suis hominem coloribus umbrisque vestitum sic repræsentat: *Otbertus Antichristi signifer, satanæ jumentum, perfidiæ Simonis manifestus sectator, apostolicorum judiciorum contemtor, ecclesiæ quantum in ipso est conculcator, ecclesiarum, quas in suam perditionem temerarius emtor invasit, prædo & destructor, & profanus venditor, nunc minis intonaret, nunc diabolicis blanditiis astutiæ caput vestri rigoris incurvare contenderet: quem nos ex decreto concilii a nobis nuper acti damnatum auctoritate Dei & beati Petri & S. Romanæ ecclesiæ, cui Deo auspice deservio, jam excommunicavimus, & cum suo Wiberto bestia terribili & varia, quæ ascendit de mari, & facit bellum cum sanctis, quam adorant quorum non sunt nomina scripta in libro vitæ & Agni, portionem maledictionis ei dedimus, pro eo quod Simoniacus est, & episcopatum data pecunia usurpavit; & quia vos injuste de loco vestro ex præcepto sui juris expulit, & eum qui propter contumaciam & inobedientiam publico judicio abjudicatus & condemnatus erat, accepta ab eo pecunia supposuit; & cuidam Luppo & Simoniaca hæresi & aliis capitalibus culpis publice & juste damnato manus imposuit, &c.* Hæc Urbani verba qui attente legerit, is certe Jarentonem de Otberto durius locutum fuisse non existimabit, cum dixit *Cherintus in quo deterior Otberto? Cherintus sola fraude catholicæ fidei nocuit, calliditate perfidiæ suæ quoscumque potuit ad consensum sui erroris attraxit Otbertus, pecuniam dedit ut hæreticus fieret, ut fornax cupiditatis & avaritiæ templum totius religionis & veritatis obrueret, & omni spurcitiæ infectus inquinatione, sancta sanctorum suis maledictionibus, si fas est dici, contaminaret. Ecce verus Antichristi satelles, currus satanæ & fidelis auriga, Simonis magi quædam similitudo vera, molitur destruere regnum Christi, dum sanctæ matris ecclesiæ statum persequi non desistit, & in corpus suum trajicere laborat, quos Christus cruore suo redemit, & pascit & potat. Tanti capitis mortem exinanire cupit, ovesque tanto sudore Salvatoris inventas leoni, qui semper sanguinem animarum nostrarum sitit, prodere non formidat: immo omnes in oblivionem veritatis & odium religionis secum præcipitare festinat.* E duobus hisce testimoniis luce clarius demonstratum manet, Otbertum & schismatis labe infectum fuisse & simoniæ addictum, & quibus episcopatum adeptus erat, iisdem illum rationibus & viis retinuisse. Nam & dignitates ecclesiasticas pretio comparavit & vendidit, Wiberto antipapæ semper adhæsit, juratam Henrico IV. imperatori sceleratissimo fidem constanter servavit. Quare cum ille a proprio filio de throno deturbatus fuit, nullum Otberto securius refugium reperire potuit. Id sane disertis verbis testatur Ægidius de Aurea-valle. *Imperatore*

Annal. Bened. tom. 5.

Pag. 554.

peratore Henrico morante Leodii, filius ejus Henricus Aquisgranum venit, volens venire Leodium contra patrem. . . . . Hoc videns episcopus Otbertus, multorum corda ad auxilium patris contra filium sollicitavit, & cum Leodiensibus semper ei pro posse adhæsit. . . . Sic filius contra patrem veniens rediit inglorius. Denique Henricus pater Leodii inter Otberti manus animam exhalavit, ab eoque in ecclesia cathedrali sepultura donatus, unde postea effossus ejectusque est, utpote excommunicatus.

56. Otbertus, defuncto principe defensore suo, advertens jam sibi tutum non esse permanere in schismate sub novo rege, qui bello schismaticis indicto, coronam sibi paraverat, quemque ipse suscepta patris defensione læserat, legatos illico ad Paschalem papam misit, suppliciter obsecrans suam illi communionem impertiret. Paschalis hominem vere aut ficte pœnitentem benigne suscepit, mox Brunoni Trevirensi archiepiscopo suas commisit vices, ut eum excommunicationis vinculo solutum, reconciliaret ecclesiæ, tradita professionis novæ formula, qua suos ejuraret errores, & catholicæ doctrinæ subscriberet. Formulam hactenus ignotam en habes editam pag. 621.

57. Inter præcipuos ecclesiæ Morinensis antistites recensere solent sanctum Hunfridum, cujus honorificam mentionem facit Johannes Iperius in chronico S. Bertini cap. 16. Ipsum e Prumiensi academia assumtum, ut Morinensem regeret episcopatum, abbatiam S. Bertini simul cum episcopatu annis duobus administrasse, illam cum dedecore ipsi a Carolo Calvo ablatam, denique ad superos evolasse anno 868. docent vetera monumenta: at patriam parentesque ejus hactenus scire desideraverunt viri eruditi. Porro utrumque discimus ex diplomate Hererici viri illustris a nobis edito pag. 188. Eo quippe Herericus ad limina sanctorum apostolorum Romam profecturus, testatur se consilio salubri & consensu carissimi fratris sui domni ac venerabilis HUNFRIDI episcopi, dare monasterio Prumiensi villam *Wimundasheim*, sitam in pago Vormaciensi, quæ sibi hereditario jure ex paterna & materna successione obveniebat, aliaque prædia. Ex quibus verbis conficimus probabile videri Hunfridum in Vormacensi pago natum esse, quo in pago sitæ erant quas ex parentibus creverat ipsius frater, hereditates. Parentes vero qui fuerint discimus ex sequentibus Hererici verbis: *Hæc omnia denominata ad reliquias Domini Dei & Salvatoris nostri* JESU CHRISTI, *locumque sanctum nomini ejus dicatum, hodierna die de jure meo in jus ejusdem transfundo perpetualiter ad possidendum, in eleemosynam meam, fratrisque præscripti* HUNFRIDI *venerabilis episcopi, patris nostri* ALBRICI, *matris* HUNÆ, *itemque fratrum* HEINRICI *&* ALBRICI, &c. In fine vero subscribit *signum Hererici viri illustris*, &c. Porro *viri illustris* titulo, quem primæ & secundæ stirpis reges assumere solebant, nemo est nisi in historia nostra & in antiquorum diplomatum scientia peregrinus, qui nobilissimum genus indicari nesciat. Id certe confirmat præceptum Ludovici regis *de rebus Hererici Prumiensi monasterio concessis* editum pag. 191. in quo dicitur, *nobilis vir nomine Hererich* prædictam insignem donationem fecisse *coram istis fidejussoribus, quorum nomina sunt Megingaudus comes, Milo, item Megingaudus vicedominus, Brunicho, Hunaldus, Ratadus.* Addit diploma: *postea vero nepos ipsius Wernarius voluit easdem res & mancipia de præscripto monasterio Prumia injuste abstrahere.* Quid autem insecutum est? *& jussimus*, inquit Ludovicus rex, *venire in præsentiam nostram præscriptum Wernharium comitem nostrum, & inquisivimus ab eo de eisdem rebus & mancipiis, quo ordine quave ratione eas tenere voluisset: ille vero nulla ratione eas sibi usurpare potuit ad possidendum.* Ubi vides Wernharium Hererici nepotem, atque adeo Hunfridi, fuisse comitem.

De Hunfrido Morinensi antistite. Tom. III. Anecdot. pag. 521.

58. Jam si sic in singulas Galliarum provincias excurrere libebit, vix ullam relinquemus intactam absque singulari aliqua observatione, neque pauca supererunt dicenda de Rhemensi, de Parisiensi, de Senonensi, Rothomagensi, Turonensi, Lugdunensi, atque aliis metropolitanis ecclesiis, quæ sane non sunt minoris pretii: sed res iret in immensum, præfationisque modum excederet. Tamen suppeditavit nobis tam multa tamque præclara monumenta Massiliense monasterium S. Victoris, ut ex his nonnulla de quibusdam Provinciæ episcopis non delibare religioni habeamus. Videtur quippe id reposcere a nobis, tum ipsa rerum dignitas, tum etiam humanitas eorum, qui doctam hanc messem & a nobis colligi, & cum eruditis omnibus communicari prolixe voluerunt.

De Honorato III. Massiliensi episcopo.

59. Igitur de tempore episcopatus Honorati III. Massiliensis antistitis ac duplicis Pontii qui hanc ipsam sedem post illum tenuerunt, paucis exquirere videtur non omnino fore supervacaneum. Honoratum inter sanctos Massilienses antistites qui sæculo X. episcopatum illum administrarunt, adnumerant quidem in sua Massiliensi historia eruditi viri Rufii pater & filius, at quo præcise anno administrarit, altum silent. Edidere Sammarthani fratres duplex diploma, quorum ope episcopatus Honorati tempus aliqua ex parte eruere possumus. Primum amplissimam continet donationem quam sanctissimus præsul ad instaurandum S. Victoris monasterium, quod congregationi monachorum sub regula S. Benedicti viventium committere peroptabat, fecit, *in Massilia civitate publice, regnante Conrado rege, feria quarta* XI. *calendas Novembris.* Hoc est ut opinor anno 973. quo regnante Conrado rege feria IV. incidebat in diem XI. calendas Novembris. Alterum diploma restitutionem exhibet monasterio S. Victoris factam a Bosone comite Arelatensi, *anno incarnationis* DCCCCLXII. *indictione* VII. *mense Martii, regnante Rodulfo rege*, idque petente Honorato. Auctor vero novæ Galliæ Christianæ R.P. domnus Dionysius *de Sainte Marthe* congregationis S. Mauri præpositus generalis, idemque ut nominis ita & eruditionis Sammarthanorum heres, observat Honoratum jam sedisse anno DCCCCXLVIII. utpote qui subscripserit permutationi cuidam factæ archiepiscopum & capitulum Arelatense inter & Teucindam Deo devotam anno XII. Conradi regis, qui XII. Conradi annus in DCCCCXLVIII. Christi annum cadit: deinde pontificatum ejus producit usque ad annum DCCCCXCIV. Et sane vir doctus cum animadverteret mendosas esse chronicas notas Restitutionis factæ monasterio S. Victoris a Bosone comite Arelatensi, editæ a Sammarthanis; (neque enim ullus Rodulfi regni annus, neque indictio VII. cohæret cum anno Christi DCCCCLXII.) cum præterea aliunde resciret Rodulfum in Provincia regnare post Conradum cœpisse anno DCCCCXCIV. cui convenit indictio VII. ex his conclusit Honoratum ad hunc usque annum pervenisse: vixque aliter quidquam statuere poterat. Verum ne ad id temporis producatur Honorati pontificatus plura vetant. Et primo quidem edidimus aliqua Pontii ipsius, qui Honorato successit, diplomata anno DCCCCLXXXIV. data. Deinde idem Pontius una cum abbate Adalardo in placito habito anno DCCCCLXXXI. in civitate Manoasca coram Willelmo comite repetiit prædii *Camaricas* dicti partem, a Rodulfo quodam episcopo & Aimone usurpatum, uti docet Rufius. Denique quod gravius est, ex diplomate restitutionis factæ a Bosone comite Arelatensi erui nil quidquam potest quod Honoratum tamdiu vixisse probet. Nam in diplomatis hujus apographo, quod nobiscum olim communicavit doctissimus Furnerius monasterii S. Victoris asceta, non annus 962. sed 965. assignatur; abest vero principis seu regis nomen, quod cum legere in autographo non potuisset is qui apographum descripsit, vacuum nomine reliquit

locum, ex quo apparet Rodulfi nomen ab audaci quodam librario pro Conradi nomine obtrusum esse : atque is librarius sive sibi forte videretur doctior, sive oscitaret, annum 962. pro 965. scripsit in exemplari misso Sammarthanis, qui primi hoc ipsum diploma publici juris fecerunt.

60. Honorato Pontios duos successores tribuunt quotquot hactenus pontificum Massiliensium seriem paulo accuratius contexuere. Unum qui præfuit ad annum 1013. aut 1014. alterum ad 1073. Verum ex editis hic celeberrimi S. Victoris monasterii instrumentis, non duos modo, sed tres minimum Pontios proxime post Honoratum ecclesiæ Massiliensi præfuisse facile est demonstrare. Primus Guillelmi vicecomitis Massiliensis filius, jam sedebat anno 981. ut supra demonstravimus, eum vero e vivis ereptum esse, aut saltem sedere desiisse anno 1005. constat ex carta Pontii secundi edita pag. 368. qua confirmari curat cum a se tum a summo pontifice & Provinciæ proceribus ea quæ S. Victoris monasterio hactenus data fuerant aut restituta. In ea quippe mentionem facit Honorati & Pontii ipsius nepotis, suorum antecessorum. Nam post descriptam celeberrimi hujus monasterii eversionem a paganis factam, addit : *Monasterium illud, quod olim præcipuum & famosum in tota Provincia fuerat, adnullatum & pene ad nihilum est redactum, quo usque bonæ memoriæ dominus Guillelmus, & domnus* HONORATUS *præfatæ civitatis episcopus, & frater ejus domnus Guillelmus vicecomes, filiusque ejus domnus* PONTIUS *præsul, qui eidem avunculo suo in episcopatu successit, & jam pene lapso manum sublevationis porrexerunt, qui non solum ex sua ei aliqua reddiderunt, verum etiam ex propriis possessionibus ob remedium animarum suarum multa largiti sunt, ac monachos aggregantes abbatem ibi ordinaverunt.* Igitur ante conditam hanc chartam unus jam Massiliæ sederat Pontius, qui tum temporis Honorato avunculo suo in episcopatum successerat, cum illam Pontius alter conficiebat. Ne vero hac in re quid supersit scrupuli, mox addit : *Et ut labor noster ac donatio & redditio vel augmentatio nostra,* SEU ANTECESSORUM NOSTRORUM SUPRADICTORUM, *indissolubilis, firmaque ac stabilis in perpetuum permaneat, &c. facio hanc corroborationis cartam.* Certe isti *antecessores supradicti* alii non sunt, nec intelligi queunt quam Honoratus & Pontius primus. Ex hoc vero diplomate constare videtur, Pontium secundum aliquot etiam annis ante 1005. sedisse, ut pote qui donationes & accessiones, sive ut ipse loquitur, *augmentationes* per se factas S. Victori *corroborat,* ac proinde ad ipsum pertinere donationem mediæ partis villæ *Almes* ab episcopo Pontio anno 1001. factam, cujus donationis diploma in editione nova Galliæ Christianæ legere est. De Pontio I. Massiliensi.

61. Jam vero Pontius hic secundus quis fuerit, quales habuerit parentes docet ipsius diploma, quod in utraque Galliæ Christianæ editione cusum habemus, quo diplomate donat anno 1008. monasterio S. Victoris e possessionibus suis bene multas, easque tum hereditario jure partas, tum in comitatibus Aquensi & Forojuliensi, atque in Arelatensi urbe sitas. Priora ejus verba hic attexere non erit, opinor, otiosum. Sic incipit : *Omnipotentis Dei opitulante clementia ego* PONTIUS *intuitu Dei Massiliensis ecclesiæ episcopus, de animæ salute sollicitus. . . . . dono omnipotenti Deo & S. Victori martyri, ejusque monasterio apud Massiliam civitatem fundato aliquid de hereditate mea, quæ mihi sorte hereditatis ac divisionis contigit, & a progenitoribus meis* GUILLELMO ET BELLIELDE, *mihi jure hereditario contigit, seu ab avunculo meo* *, *propter servitium quod illi in sua vita morteque gratanter & devote ipsi exibui, ab eodem mihi coram idoneis testibus data & relicta sunt.* Igitur Pontio secundo pater fuit Guillelmus I. vicecomes Massiliensis, mater Bellieldis, avunculus seu patruus S. Honoratus. Hinc colliges Guillelmum I. vicecomitem Massiliensem tres habuisse uxores, unam quæ Pontium I. Massiliensem antistitem genuit, Bellieldem quæ De Pontio II.

* Honorato

Pontii II. mater fuit, & Ermingardam quam mortua Bellielde duxerat, vivebatque adhuc cum anno 1004. monasticum apud S. Victorem habitum suscepit, ibidemque vita functus est. Restat jam ut quo tempore Pontius II. episcopatum gerere desierit investigemus. Eum e vivis excessisse circa annum 1013. tradit Rufius, cui subscribit noster Sammarthanus, qui Pontium III. anno jam 1014. præfuisse sedi Massiliensi clare demonstrat. Is autem fuit Guillelmi II. vicecomitis & Accelinæ seu Accelenæ aut Asselenæ filius, fratresque habuit Guillelmum, Aicardum, Fulconem, & Joffredum, uti discimus ex diplomate Guillelmi II. vicecomitis Massiliensis pro S. Victore, quod sic incipit. *Ego Guillelmus vicecomes Massiliensis, & filii mei Pontius episcopus, & Willelmus, necnon & Aicardus, Fulco sive Joffredus, facimus donationem pro remedio animæ uxoris meæ Accelenæ matris supranominatorum filiorum, &c.* Ejus porro episcopatum ad annum usque 1072. quo Garsindam S. Salvatoris abbatissam consecravit, producunt Rufius & Sammarthani; immo illum e vita migrasse aiunt die 16. Februarii anno 1073, quæ si vera sunt, necesse est episcopatum gesserit annos circiter sexaginta. Id porro tametsi fieri omnino potuit, tamen ægre admodum fidem impetrabit: quamquam in vivis fuisse fatemur anno 1056. quippe in hoc ipso anno ecclesiam S. Torpetis in Forojuliensi comitatu sitam concedit monasterio S. Victoris, assentientibus eidem donationi Guillelmo & Goffredo fratribus suis, Accelinæ filiis.

De Pontio III.

De Bertrando episcopo Massiliensi.

62. De Bertrando antistite jejune omnino locuti sunt Massiliensium rerum scriptores prorsus omnes. Hinc non levis conjuctura est, illum civilibus negotiis, quam commissi sibi gregis curæ vacasse. Certe eum Victorinis monachis, quorum tum pietas omnium rapiebat animos, crudele bellum indixisse docet epistola P. prioris S. Victoris ad Bernardum Arelatensem archiepiscopum & apostolicæ sedis legatum, in qua de vi sibi fratribusque suis ab episcopo Massiliensi facta conqueritur his verbis: *Notificamus igitur vestræ dignitati, quoniam Massiliensis episcopus inter ceteras frequentes ab eo nobis molestias illatas, non absque injuria totius ecclesiæ, neque passus ullam juris repulsam, nunc quoque violentius solito damnum intulerit. Et quidem quod apud sæculares honesta religione nefas est audiri, pravi documenti sæcularibus exemplum tribuens, omnes boves monasterii rapaciter auferre non dubitavit. Nos itaque tanta injuria & damno promoti, eum adeuntes conquesti sumus, sæpius replicantes injuriam domni apostolici de invasione bolarum, pacis & treviæ violatione; pollicentes etiam, si quid deliquimus, firmaturos in ejus manu jus quod de judicio vestro finiretur; spretis nobis & nostris pollicitationibus, discessimus, id etiam temperantes per submissas sæpius personas, neque quicquam valuit: qui tamen accensi contumelia, adhibita violentia boves nobis reddiderunt.* Massilienses vicecomites cum Victorini monasterii ascetas suam in fidem clientelamque recepissent, vix dubitamus quin ad propulsandas tot injurias, uti advocatis mos erat, incubuerint. Certe Pontius de Podio nigro tunc vicecomes, ut episcopo par pari referret, quædam invasit Massiliensis ecclesiæ prædia, quod suspicamur in causa fuisse cur Pontificis Romani fulmen in eum detonuerit. At idem Pontius cum esset eximie pius, erepta ecclesiæ bona cito restituit, statimque excommunicationis vinculo exsolutus est. Neque vero restituit solum, sed amplissimo fœnore auxit. Testes sunt donationes & numero multæ & reditibus abundantes, quibus Massiliensem atque Telonensem ecclesias locupletavit, testes effusæ in egenorum sinum largitiones; ut aliena reddere non satis esse duxerit, nisi & sua prodigeret. Has ergo redacti ad angustias monachi, querelas ad summum pontificem detulere, qui curam & administrationem monasterii S. Victoris, quod forte tum vacabat per secessum ad sanctam Balmam Gosselmi abbatis, commisit Arelatensi archiepiscopo Bernardo. Hæc omnia discimus & epistola prioris S.

Victoris ad eumdem Bernardum a nobis edita pag. 694. ex qua etiam legati apostolici dignitatem asserere possumus Bernardo, quam ipsi eripere videntur nonnulli.

De Berengario episcopo Arausicano.

63. Circa idem tempus Berengario episcopo ecclesiæque Arausicensi bellum longe atrocius indixit G. Ademarius Arausicæ princeps, immissoque in urbem milite, omnia sus deque vertit, ac clericos præsertim insectatus est. Quid dissentioni locum dederit, non facile est divinare. Nam antea videtur Ademarius Berengarium habuisse in amicis, quippe cujus electioni præsens interfuerat. Verum si conjecturis aliquando licet uti, cum esset ea ætate Berengarius apostolicæ sedi addictissimus, infensus contra Henricus imperator, cujus in ditione tum erat Provincia; suspicamur Ademarium, ut Cæsari placeret, favisse schismaticis, atque adeo Catholicos & qui Paschali papæ adhærescebant, divexasse. Conjecturam hanc firmat, quod Ademarius Attoni archiepiscopo Arelatensi, qui & ipse schismatis labe infectus dicitur, conjunctus fuerit. Nam & Atto multum licet sollicitatus, adduci numquam potuit ejus ut hostibus adjungeret sese, immo de victoriis ab eo reportatis tamquam amicus illi gratulatur. Non potuit tamen dissimulare vim illatam Berengario episcopo suffraganeo suo atque ecclesiæ Arausicanæ. Unde scripta ad eum epistola a nobis hic edita pag. 634. sic eum arguit. *Intolerabilis Arausicensis ecclesiæ destructio, atque miserabilis innocentium clericorum desolatio, gladio quolibet gravius pectora nostra transfigit. Quis enim tantam christianorum sævitiam intuens, quis tanti sacrilegii abominationem perpendens, æquo animo tolerare poterit? certe paganorum barbariem jam multas invasisse ecclesias audivimus; numquam tamen tantam in eas exercuisse insaniam nostris temporibus comperimus. Homines enim tui omnes ecclesias fere civitatis invaserunt, aras exspoliaverunt; cruces, thuribula, libros, vestes, vasa sacra, omnia denique in eis reperta rapuerunt, victualia innocentibus clericis abstulerunt, domos illorum destruxerunt, & quidquid habebant eis abstulerunt. Inter quos sacrilegos particeps, immo caput & princeps extitisti. Insuper etiam possessiunculas quæ eis remanserant, postea usurpasti, & sicut nobis relatum est, tuorum latronum usibus eas intulisti.* Ejusdem belli meminit Ildefonsus comes Tolosanus in privilegio quod anno 1126. concessit Berengario antistiti, in quo sic loquitur. *Ego Ildefonsus comes Tolosanus & Marchio Provinciæ, volo & præsentium & futurorum tradere memoriæ, qualiter Berengarius Aurasicensis episcopus requisivit a nobis, assensu Thiburgæ filii Raimbaldi, quasdam justitias ecclesiæ & possessiones, quas ipse ante guerram & præfatæ ecclesiæ destructionem tenuerat, videlicet claustrum cum adjacenti palude, & condamine de Besanciam, quam comitissa mater Raimbaldi dedit B. Florentino, & domum episcopalem, antiquum scilicet palatium, quod est ante januas matricis ecclesiæ beatæ Mariæ.* Luctuosa sane Berengarii, hoc est antistitis ecclesiæ suæ vere amantis, conditio! At spectaculo tam lugubri ne diutius cruciaretur, arcano quodam cœlestis providentiæ consilio factum est. Quippe illum Paschalis papa secundus legatum in Syriam misit, qui patriarchæ Arnulphi publicis *enormitatibus* finem imponeret: quod ille impigre præstitit, Arnulfo ab episcopi munere dimoto, uti testatur Guillelmus Tyrius lib. 11. hist. cap. 26. Interea ab ecclesia sua non deflectebat oculos optimus præsul: suosque reditus ad sarciendas cathedralis basilicæ ruinas impendebat.

De Gerardo Arausicano episcopo.

64. Berengarius successorem in sede Arausicana sortitus est Gerardum. Is abdicato episcopatu, monachum induit in cœnobio sancti Victoris. Quibus initiis ad solitarium illud vitæ genus adductus fuerit, exponit epistola ad Bernardum archiepiscopum Arelatensem & apostolicæ sedis legatum. « Primo quidem in animo habuit, pompis voluptatibusque mundi valere jussis, evo- « lare in eremum, ubi tranquillam pacatamque vitam viveret. Mox Beren- «

» garii consilium secutus, sub beati Augustini regula & ordine in ecclesia Arau-
» sicana militare Deo studuit. Berengario autem ipso e vivis erepto, subroga-
» tus est a fratribus suis invitus in sedem Arausicanam : qua dignitate statim
» exonerare se proposuit. Petita itaque & obtenta licentia ab Innocentio II.
» summo pontifice, intolerabile sibi onus deposuit, redditoque anulo, ad
» consortes filiorum Dei ejus consilio accessit, data Bernardo Arelatensi
» episcopo venia, ut de novi præsulis electione ageret. Gerardi propositum, ut in hujusmodi fieri solet, improbavit Bernardus, uti eadem epistola testatur his verbis : *Beatitudinis vestræ litteræ. . . . honorifica nos contumelia affecerunt. Secretum enim locum apud vos, quo me flagellis cederem, vel cilicia quibus carnem domarem, & cetera talia invenire non posse intonuisti.*

§. V.

OBSERVATIONES MONASTICÆ.

De Massiliensi S. Victoris monasterio.

65. De celeberrimi & antiquissimi Massiliensis monasterii S. Victoris primordiis, deque ejus progressu tam pauca nobis tradidere Massiliensium rerum scriptores, eaque tam leviter perstricta, ut vetera tantum ingentis domus rudera quædam esse videantur. Illud fere unum tradunt, conditum fuisse a Johanne Cassiano S. Johannis Chrysostomi olim diacono, qui cum Romam ad tuendam coram summo pontifice magistri sui innocentiam accessisset, illo inde defuncto, in Galliam migravit, sedem fixit Massiliæ, ibique insigne erexit cœnobium, in quo monachorum quinque millia congregasse dicitur. Præterea monasterium illud sub finem sæculi VI. ab Anastasio abbate administratum esse, teste Gregorio Turonensi lib. 6, cap. 11. ac sanctum Mauronturn abs Carolo-Magno pro eo privilegium impetrasse. Denique non semel a Sarracenis, Hungaris, aliisque barbaris eversum. Hæc fere omnia de tam celebri monasterio narrant. Sed quam obscura primum ejus origo, tam clara deinde restauratio fuit.

De restauratione monasterii S. Victoris.

66. De restauratione monasterii S. Victoris pauca hæc tradit breve chronicon Massiliense apud Labbeum : *Anno millesimo indictione* XIII. *cœpit Massiliense monasterium restaurari, domno Guifredo existente ibi prius quinque annorum priore, in quindecim annis sequentibus, vivente eodem ibi abbate, qui sic* XX. *anno incarnationis post millesimum obiit in senectute bona, relinquens monasterium cum L. fratribus, quod prius accepit cum quinque, sicut nobis retulerunt fratres, qui tempore illius in monasterio nutriti fuerunt.* Chronographo adstipulatur Mabillonius in Annalibus Benedictinis, utpote qui alium nactus non est quem sequeretur ducem. Verum hanc restaurationem pluribus ante annis collocandam esse facili negotio potest demonstrari. Certe in placito illo quod anno XLIV. regnante Conrado rege, hoc est DCCCCLXXXIV. habitum est coram Willelmo comite, inter Pontium episcopum atque Adalardum abbatem S. Victoris, ex una parte, & Radulfum episcopum atque Imonem ex altera, de villa *Camaricas* dicta, Gallice *la Camargue*, comparuit Adalardus abbas una cum Bernardo monacho. Ergo jam anno DCCCCLXXXIV. Victorinas ædes monachi habitabant. Verum id longe clarius demonstratur ex notitia conventionis factæ inter Adalardum Massiliensem S. Victoris abbatem & Willelmum vicecomitem de villa Cathedræ. Notitiam hanc scripsit Pontius abbas S. Victoris & Adalardi successor, qui Pontius in nova Gallia Christiana S. Victoris

V. infr. pag. 334.
V. infra pag. 349.

monasterium administrasse dicitur anno 992. ac proinde omnem meretur fidem. Narrat igitur, quod *cum gens fuisset e finibus suis, videlicet de Fraxineto expulsa, & terra Tolonensis cœpisset vestiri, & a cultoribus coli, unusquisque secundum propriam virtutem rapiebat terram, transgrediens terminos suos ad possessionem. Quapropter*, inquit, *qui potentiores videbantur esse, altercatione facta, impingebant se ad invicem, rapientes terram ad posse, videlicet Willelmus vicecomes & Pontius de Fossis. Qui Pontius pergens ad comitem dixit ei: Domine comes, ecce terra soluta est a vinculo paganæ gentis, tradita est in manu tua donatione regis: ideo rogamus te, ut pergas illuc, & mittas terminos inter oppida & castra & terram Sanctuariam. Nam tuæ potestatis est terminare, & unicuique distribuere quantum tibi placitum fuerit.* Hæc cum præstitisset comes infra Cathedræ fines, dixit: *Quantum ego habeo infra istos terminos donatione regia, hoc est fiscum regalem, dono S. Victori & monachis ibidem excubantibus.* Ergo tum in monasterio S. Victoris monachi degebant. Pergit Pontius: *Hæc donatio facta est coram Willelmo & fratre suo episcopo*, hoc est, ut ego interpretor, Willelmo I. vicecomite Massiliensi, & Honorato episcopo ejus fratre, *& Theoderico atque Noe fratribus sive Giffredo, nec-non abbate, & Raganardo monacho.* Et revera S. Victoris abbatiam monachis attributam fuisse ab Honorato episcopo docet ipsius diploma editum in appendice novæ Galliæ Christianæ pag. 108. in quo sic loquitur: *Summi pastoris vestigia sequentes, qui nos non solum præesse, verum etiam prodesse sanctæ ecclesiæ suæ rectores pastoresque instituit . . . . . cum clericis meis, divini accensus amoris, in honore Dei omnipotentis, sanctique Victoris martyris, congregationem monachorum secundum regulam S. Benedicti in abbatia ejusdem S. Victoris constitui, optamus, ut pro me, successoresque nostros, & pro statu ecclesiæ nostræ quotidie intercedant ad Dominum, ut Domini pietas nostrorum peccaminum indulgeat, & concedat vitam æternam.* Atque ut utilius, sanctiusque vivere queant, amplissimam eis donationem attribuit, additque: *Igitur ego Honoratus episcopus cum clericis meis concedimus vobis licentiam ad acquirendam terram S. Victoris, quam nos non sumus possessuri, & ubi eam inveneritis, licentiam habeatis interpellare, & tenere eam sine ulla interpellatione de ullo episcopo.* Quibus verbis evidentissime patet monachos in S. Victoris cœnobium revocatos eo tempore fuisse, quo, pulsis e Provincia Saracenis, suos quisque fundos, suas possessiones a barbaris illis prius occupatas, recuperare contendebat.

67. Quo autem anno id contigerit auctoritate Glabri Rodulphi demonstrare in promtu est. Is enim scriptor ubi narravit cum S. Maioli abbatis Cluniacensis e Roma redeuntis captivitatem, tum etiam inflictas a Sarracenis sancto viro & suis injurias, observat impunitum scelus non fuisse. *Nam ipsi Sarraceni*, inquit, *paulo post in loco qui Fraxinetus dicitur, circumacti ab exercitu Willelmi Arelatensis ducis, omnes in brevi perierunt, ut ne unus quidem rediret in patriam.* Atque ita Deus, ut ait S. Odilo in vita S. Maioli, *per Willelmum illustrissimum virum & Christianissimum principem, meritis B. Maioli, jugum Sarracenorum ab humeris Christianorum deposuit, & multa terrarum spatia ab eis injuste possessa ab eorum tyrannica dominatione potenti virtute eripuit.* Addit Glaber id eo contigisse anno, quo defuncto Ottone primo imperii habenas capessivit Otto secundus. Porro Ottonis I. imperatoris obitum referunt auctores prorsus omnes ad diem 7. Maii anni 973. Eo igitur anno fusis a Willelmo comite Sarracenis rediit ad monachos abbatia S. Victoris. Assertionem hanc nostram confirmant chronicæ notæ in laudato Honorati diplomate his verbis: *Acta cartula ista in Massilia civitate, publice, regnante Conrado rege feria IV. XI. cal. Novembris.* Quæ in alium prorsus annum convenire non possunt, nisi in DCCCCLXXIII. quo anno in feriam IV. incidebat is, quem cartula præ se fert, dies, nimirum XI. cal. Novembris.

Quo anno facta fuerit. Glab. Rodulf. lib. I. hist. cap. 4.

Quid in restauratione præstiterit Pontius II Massiliensis episcopus.

68. Non diu superstes fuit Honoratus, vixque egregii operis fructus tantillos degustavit. Potuit tamen tamquam in semente maximam futuræ messis ubertatem aspicere, cum nascenti congregationi Willelmum fratrem suum vicecomitem Massiliensem filiumque ejus Pontium relinqueret moriens, qui operi non absoluto fastigium imponerent. Et sane ea fuere Willelmi ac Pontii in S. Victorem merita, ut ipsis perinde atque Honorato attribuatur sacri loci instauratio. Id præsertim videre est in edito a nobis instrumento Pontii II. qui & ipse fuit alter S. Victoris patronus. *Extitit*, inquit, *infra pagi nostri fines, hoc est in Provincia, celebre monasterium, Massiliæ civitatis haud procul mœnia situm, præcipui martyris Victoris corpore sacratum, a glorioso imperatore Carolo privilegiis & maximis donis sublimatum, quod diu in eadem sublimitate sub regulari tramite mansit stabilitum; sed post multorum curricula annorum, cum idem piissimus princeps a sæculo decessisset, & omnipotens Deus vellet populum Christianorum flagellare per sævitiam paganorum, gens barbara in regno Provinciæ irruens...... cuncta vastavit, ecclesias & monasteria plurima destruxit..... Sicque factum est ut monasterium illud, quod olim in Provincia præcipuum ac famosissimum in tota Provincia fuerat, adnullatum & pene ad nihilum redactum est, quo usque bonæ memoriæ domnus Guillelmus & domnus Honoratus præfatæ civitatis episcopus, & frater ejus domnus Guillelmus vicecomes, filiusque suus domnus Pontius præsul, qui eidem a unculo suo in episcopatum successit, & jam pene lapso manum sublevationis porrexerunt, qui non solum ex suis ei aliqua reddiderunt; verum etiam de propriis suis possessionibus ob remedium animarum suarum multa largiti sunt, ac monachos aggregrantes, abbatem ibi ordinaverunt.* Eo etiam processit Willelmi vicecomitis in novos S. Victoris hospites amor, ut positus in extremis, ipsos inter admitti voluerit, indutoque cucullo eorum inter preces expiraverit.

Pag. 368.

De Wifredo abbate S. Victoris.

69. Præerat tum monasterio Garnerius, tertius ab instauratione post Adalardum & Pontium abbas, qui Wifredo præposito suo administrationis curam sponte cessit anno sequenti. Wifredus, si chronographo Victorino credimus, quinque duntaxat monachorum tum prior erat: verum in electionis ipsius decreto edito pag. 366. subscribunt monachi tres & viginti cum abbate. Ea vero exinde fuit Massiliensium nostrorum fama, vix ut paucis post felicem Honorati obitum annis, quaqua versum diffuderint sese ad religionis propagationem. Eos suam primum in ditionem evocarunt Massilienses vicecomites; in comitatus Aquensem, Forojuliensem, Arelatensem. Anno circiter millesimo ab incarnatione Willelmus & Fulco vicecomites, annuentibus uxoribus suis Aicelina & Odila, ac filiis Pontio Massiliensi episcopo, Guillelmo & Aicardo; Fulcone & Gaufredo, sitam in comitatu Massiliensi, in agro quem vulgo Albaniam vocant, ecclesiam S. Mytrii martyris S. Victori concesserunt. Sequenti anno *medietatem villæ Almes*. Anno 1004. *medietatem villæ Campanias*, aliaque per plura quorum meminit Pontius episcopus in instrumento anno 1008. consignato. Horum secuti vestigia Athanulfus *vir illustrissimus*, sic enim in instrumento appellatur, & uxor ejus Beltrudis ac filii monachos Victorinos in Villare S. Johannis admisere, carta anno 1007. facta. Haud multo post Ingelrannus Cavallicensis antistes & Adalgudis, quam in matrimonium duxerat, assentientibus & liberis suis Amelio & Guillelmo, Raynaldo & Geiraldo, ecclesiam S. Perpetuæ in comitatu Aquensi sitam *infra terminum de Bruniola* tradidere S. Victori facta anno. 1011. solemni donatione. Eamdem ecclesiam Nevelongus & uxor ejus Teucenia, quippe in hunc fundum dominii jus habebant, concessere anno 1016. subscribentibus eorum filiis, Raynaldo, Guillelmo & Leufredo. Hanc porro habuere primum Massilienses monachi, atque ab ipsis transiit ad moniales Articellæ, quibus præerat anno 1167. Bonifacia ex diplomate Ildefonsi regis, quæ quidem moniales Aquas

Aquas sextias translatæ anno 1660. pristinam ordinis disciplinam feliciter suscitarunt, eam ob rem Victorino monasterio etiamnum subjectæ.

70. Mortuo Wifredo anno MXX. suffectus est Isarnus abbas sanctissimus, sub quo potissimum cœpit Victorina congregatio florere, & celebrari passim, atque etiam exteras in nationes, nedum in Gallias longe lateque diffundi. Avebant omnes, tanta est vis sanctitatis, Massiliensium legibus & institutis monasteria quæque informari, appetebantque monachi ipsi alias dissoluti & nullius disciplinæ, Massiliensium jugum. Hinc plures eædemque insigniores abbatiæ, quarum nonnullæ temporum decursu in cathedrales ecclesias, uti sæpe accidit, conversæ sunt, cessere brevi S. Victori. De S. Isarno abbate.

71. Has inter prima occurrit Viennensis S. Ferreoli ecclesia seu monasterium Griniensium, insigne olim quadringintorum monachorum numero, quod Leodegarius archiepiscopus, habita numerosissima synodo; quippe clericos quingentos convocaverat, Isarno abbati commisit anno MXXXVI. declarat autem in donationis instrumento, suorum se antecessorum exemplo provocatum, Viennensem eclesiam, quæ gloriosissime floruerat, exornare cupientem, ponere ipso in loco S. Ferreoli servos Dei e S. Victoris asceterio, locumque ipsum S. Victori dare perpetualiter, & venerabili viro Isarno abbati, *collaudante omni clero & populo ecclesiæ* suæ, *annuente insuper Ermengarda regina Radulphi regis uxore vidua, consilio & voluntate Odilonis Cluniacensis & fratrum ejus congregationis omnium.* Subscripsere inter alios huic donationi Nortaldus S. Petri, Pontius Romanensis aut S. Theuderii, ut conjicio, Ditmarus S. Andreæ, Adalardus Lugdunensis, Hodricus Insulæ Barbaræ, atque Eugenius Saviniensis, ut videtur, abbates. Tum Willelmus pater archiepiscopi, & Willelmus filius ejus, quorum nomina tam altum siluere hactenus auctores, ut oblivione sepulta & prorsus inaudita jacuerint. Quos tamen hoc ipso conjicimus origine fuisse illustres, quod Humbertum comitem qui etiam subscriptus legitur, præcedant. S. Ferreoli Viennensis abbatia S. Victori datur.

72. Non multo post Gumbaldus dominus castri *Bisaure* monasterium S. Michaelis de Falio agri Barcinonensis, seu Ausonensis, quod sacra in spelunca supra montem Boium, *non quidem humano opere, sed admirabili Dei voluntate* fundaverat anno DCCCCXCVIII. Isarno etiam abbati S. Victoris Massiliensis & futuris post ipsum tradidit, ea scilicet ratione, ut Massilienses ea in spelunca stent omni tempore, & Deum pro suis exorent peccatis. Facta est donatio anno XII. Henrici regis hoc est MXLII. aut sequenti. Monasterium S. Michaelis de Falio. V. inf. pag. 353.

73. Biennio post vel circiter, Pontius Massiliensis episcopus atque Isarnus abbas monachos Græcos in ecclesia S. Petri de Aureolis constituere, ea quidem lege, ut abbati S. Victoris parerent. Præterea attributa his proventuum ad eamdem ecclesiam pertinentium tertia pars: quod solemniter donatum sancitumque est in conventu clericorum, II. nonas Julii, feria VI. anno MXLV. indictione III. regnante Henrico rege, assentientibus ac subscribentibus canonicis XIII. an ecclesiæ Massiliensis aut S. Petri de Aureolis, erat quippe in ecclesia illa canonicorum collegium. Jam vero aliquam alodii partem in territorio castri *Auriol* ecclesiæ SS. Zachariæ, Elizabeth & Johannis Baptistæ tradiderat in dotem Raimbaldus Arelatensis præsul, quando scilicet ipsam consecravit anno MXXXIII. fratrum suorum & heredum assensu: nam alodium illud hereditate sibi contingebat, atque ecclesiam ipsam in Isarni abbatis & canonicorum illic Deo servientium manus posuerat. Dederat tandem duobus post annis abbati Massiliensi quidquid agrorum in laudato castro possidebat; & donationis instrumentum videre est in appendice novæ Galliæ christianæ, tom. I. pag. 95. Triplicem hanc sine dubio donationem simul conjunctam voluit Isarnus, Græcis ut monachis sufficerentur, idque abunde, quæ sunt ad victum necessaria. Monachi Græci in ecclesia de Aureolis instituti sub obedientia abbatis S. Victoris.

Ecclesia SS. Genesii & Honorati Arelatensis data S. Victori.

74. Videtur ejusdem ætatis esse facta ab eodem Raimbaldo ecclesiæ SS. Genesii & Honorati solemnis donatio, cujus instrumentum edidit noster Sammarthanus, insigne prorsus monumentum, quod & pastorem refert vere pium & vigilantem. Exponit primum se, cum sua in civitate publica omnia & privata hostilis insectationis mucrone turbata cerneret, attente secum reputasse animo, quam tremendum & grave judicium eos maneat, qui præsunt. Tum saluti suæ providere certum, existimasse instauranda esse loca sacra, quæ per desidiam neglecta jacuerant. Sed ipsum de his loquentem audire præstat. *Quadam die*, inquit, *de quodam religioso loco in honore S. Genesii vel S. Honorati constructo, foras muros nostræ civitatis posito, multa volvens mecum in animo, quomodo de tam spiritali prisci temporis monachorum officio, versus in possessionis esset sæculari servitio; & dixi in corde meo: si per meum fortasse initium in Dei posset reverti servitium, non exinde grave sustinerem judicium, & de peccatis meis Deum haberem propitium. Et ita Deo favente, qui magna solus facit mirabilia, mecum tractavi talia consilia, ut illum locum darem monasterio S. Victoris de Massilia, in quo constituerat Isarnus abbas ejusdem monasterii monachos in Dei servitio.* Communi igitur consensu principum Provinciæ, & Joffredi ac Bertranni comitum, canonicorum etiam Arelatensium nec non & Pontii Massiliensis antistitis atque heredum suorum, qui prædictam ecclesiam possidebant, Victorinos ibidem monachos stabilivit Raimbaldus. Sed hæc fusius in laudato diplomate, in quo nec id leviter transcurrendum, quod jam attigimus, *hostilis insectationis mucrone* turbata tunc esse apud Arelatem *omnia tam privata quam publica*, quod sane bellum aliquod indigitat, de quo nihil quod sciamus litteris proditum est.

Gall. Christ. tom. I. in append. p. 105.

De anno obitus Isarni abbatis.

75. Vitam post hæc non produxit diu sanctus Isarnus, cujus mortem, anno MXLVIII. VIII. cal. Octobris consignat antiquus vitæ ipsius scriptor, qui & suffragatur relatum ab ipso Isarni epitaphium, adstipulanturque recentiores ad unum omnes: verum & vitæ scriptorem & epitaphii conditorem memoria lapsos esse multa persuadent, quæ Isarni obitum anno uno antevertendum clare demonstrant. Nam constat primo ex laudato epitaphio, annis omnino viginti & septem administratum ab Isarno fuisse monasterium Victorinum, cujus regimen anno millesimo vigesimo creditum ipsi fuerat, quo anno decessor ipsius Wifredus, ut habent vetera Massiliensium monumenta, fato functus est. Porro si Isarnus anno MXX. creatus abbas, annis XXVII. Victorinis præfuit monachis, consequens est eum ut anno MXLVII. ad cœlos evolasse dicamus. Secundo laudatum in nova Gallia Christiana electionis decretum Petri ipsius successoris annum refert MXLVII. Tertio donationem ecclesiæ B. M. de Grauleriis anno MXLVII. S. Victori factam indictione XV. excepit non Isarnus, sed Petrus, qui proinde jam sedebat. Quarto Girundensis S. Pauli ecclesia Petro abbati data est anno MXLVIII. mense Februario, ergo e vivis jam excesserat Isarnus, nempe VIII. calendas Octobris præcedentis anni. Postremo Lambertus & ipsius uxor Austrudis vineam in Cathedra vendunt, *mortuo ipso domno Isarno abbate, immo de mortali hac vita, ut credimus, ad æterna sublato, & in ejus vicem in præfato monasterio domno Petro jam pastore ordinato*, anno MXLVIII. indictione I. ac proinde Isarnus, qui VIII. calendas Octobris diem clausit extremum, non potuit isto anno obiisse, quo secunda indictio incipit VIII. calendas Octobris. Hæc plusquam satis demonstrant S. Isarni obitum esse consignandum non anno MXLVIII. sed præcedenti.

V. inf. pag. 416.

Monasterium S. Pauli Gerundense S. Victori datur.

76. Vix dignitatem abbatis adeptus fuerat Petrus, cum Ermensendis Gerundensis comitissa, ad impetrandam cum suam tum viri sui Raymundi, Beringuerii filii & filiorum ejus salutem, monasterium in Gerundensi pago situm, quod ex parte viri sibi obvenerat, Victorinis monachis concessit; illud ut deinceps proprium suum haberent, & quoad ejus fieri posset restaurarent.

Facta est donatio hæc VIII. idus Februarii, anno XVII. regni Henrici; cui subscribit Petrus, abbas sine dubio Massiliensis.

Hoc porro monasterium, ipsum est S. Pauli Maritimæ, quod una cum monasterio S. Felicis Guixalensis, Lotharius abbati Suniario confirmavit; ea tamen lege, ut eo defuncto, suus cuique loco abbas crearetur. Extant Lotharii litteræ in Marca Hispanica pag. 891. Eidem etiam monasterio S. Pauli Borrellus comes Barcinonensis alodem in Maritima legavit anno 993. cujus abbates Savaricus anno 901. concilio Fontis coopertæ, & Vivez anno 1019. concilio Gerundensi interfuerunt.

77. Anno autem MLII. Miro Garibertus & uxor ejus Guilla monachos S. Victoris in S. Sebastiani monasterium inducunt, annuente Mirone ipsius loci abbate, ut scilicet servitium Dei omnipotentis & S. Sebastiani, & ut ordinem S. Benedicti ipsi monachi cum timore & amore Dei in eodem *loco demonstrent aliis, & ipsi teneant secundum suum esse, & ut obedientes sint ipsi Mironi abbati, & honorent eum omnibus diebus vitæ suæ sicut abbatem.* Tunc ex his qui e S. Victoris abbatia venerant monachi, Durandum prædictus abbas elegit, & constituit sub se præpositum, qui monasterium regeret; statuitque ut Durando eodem e vivis sublato, non aliunde nisi e Victorinis monachis assumeretur, qui præpositi munus administraret; quam sanctionem perpetuam esse voluit. Renovata est hæc ipsa sanctio seu conventio anno MLIX. non sine additamento quodam. Scilicet cautum est, ut si Massilienses monachos ab officio suo deflectere aliquando contingat, nulla inde rescindendi pacti arripiatur ansa: sed alios mittat Massiliensis abbas, qui sint magis idonei, & aliorum saluti invigilare possint.

Monasterium S. Sebastiani a monachis Victorinis reformatum.

78. Anno MLIII. Henricus Francorum rex, præceptum dedit solemne in Carisiaco palatio, de instauranda Nivernensi abbatia S. Victoris; quod cum in archivis Massiliensibus asservetur, non levis conjectura est instaurationi huic Massilienses operam dedisse suam, vivente adhuc Petro; ad eum vero statum locus ille devenerat, quo deterior nullus potest excogitari. Omnia summatim Henricus præcepto suo exponit, res ducens ab ipsa origine, cujus verba hic proferre juvat, tametsi prolixior fortassis videor. *Majestatis nostræ præsentiam quidam clericus nomine Belinus adiit, rogans ut privilegio nostræ auctoritatis confirmaremus quoddam donum sibi a Nivernensi comite Willelmo & quibusdam aliis Nivernensibus primoribus factum, scilicet in suburbio Nivernensi quandam ecclesiam in honore S. Victoris consecratam, antiquissimam videlicet & ex primis supradictæ urbis abbatiam, primis temporibus locupletem, pluribus dotatam, augmentatam & ditatam: postmodum vero mundo jam in maligno posito, partim pastorali incuria desolative destitutam, partim pessimorum Christianorum barbarie dirutam, & , ut verius fatear, usquequaque sub impiorum manibus incurvatam & humiliatam. Hanc ex regali dominio, ut multa alia emancipatam, & comiti Nivernensi beneficiario jure a prædecessoribus nostris regibus traditam quidam Frotmundus post comitem habebat, militibus dispertiverat, majus dederat, minus retinuerat. Sic itaque* pergit Henricus *ecclesia illa desolata & ad nihilum redacta erat*, cum Belinus clericus a Deo excitatus, *assensu Hugonis episcopi & Wilhelmi comitis, supra taxatum Frotmundum adiit, & ut captivatam ecclesiam a captivis, captivata a captivitate redimeret, oravit, & liberalitatem libere derogatam restauraret ammonuit, ammonendo desudavit, & de Dei misericordia quod quæsierat impetravit. Actum est Carisiaco palatio astante exercitu anno* XXII. *Henrici regis.* Monachos igitur Massilienses, qui rebus adeo desperatis remedium aliquod afferrent, probabile est Belinum vocasse: quibus tamen Cluniacenses S. Mariæ de Caritate jussu & auctoritate Willelmi comitis Nivernensis successere anno 1085.

Instauratio Nivernensis S. Victoris monasterii.

79. Infinitis interea fidelium donis crescebat in dies S. Victoris familia, Adalmois & Clisindis soro-

res Raimbaldi Arelatensium præsulis sua omnia tradunt S. Victori. Pag. 440.

omnes certatim cumulabant bonis Dei servos, & præibant principes ipsi exemplo. In his veniunt in mentem virgines duæ Deo sacræ, Raimbaldi Arelatensium præsulis sorores, Adalmois & Clisendis, quæ hereditatem omnem suam paternam, quæ sane erat amplissima, *S. Dei genitrici Mariæ & S. Victori martyri Massiliensi ac monachis ejus* tradidere. *Facta donatio hæc anno dominicæ incarnationis* MLVI. *indictione* VIII. *regnante Henrico rege Romanorum.* Atque hic obiter notandum virgines illas fratribus & consanguineis Raimbaldi archiepiscopi in Gallia Christiana diligenter enumeratis, non accenseri.

Ecclesia S. Martini de Canonica institutum S. Victoris recipit.

80. E vivis jam excesserat Petrus anno 1060. quo anno subrogatus illi est Durandus, is nimirum, ut suspicamur, qui anno 1052. institutus fuerat præpositus S. Sebastiani. Eodem tempore leges institutumque Massiliensis monasterii suscepit collegiata S. Martini de Canonica ecclesia. Extat in territorio Gabalitano in episcopatu Mimatensi, pago Bearnecensi, olim quidem illa nobilis, & possessionibus ac miraculis a Deo ibidem perpetratis decorata; tunc vero vigente hæresi Simoniaca, per incuriam, seu potius nequitiam episcoporum, in laicorum hominum manus misere devoluta erat, ut milites etiam uxorati, proh nefas! præpositorum decanorumque locum implerent; neque id solum, sed ecclesiasticos etiam fundos distraherent passim, venderent, donarent arbitratu suo; clericos ibidem manentes, indignis modis vexarent, fructus denique ecclesiæ suæ concessos raperent sine pudore ac modo, & proprios in usus flagitiose transferrent. Commovit Edelbertum Mimatensis ecclesiæ præsulem, Berengariumque Ricardi vicecomitem calamitosa ecclesiæ hujus conditio. Itaque ejus ut malis remedium afferrent, ecclesiam hanc ipsam, cui vulgo nomen CANONICÆ, Domino Deo & monasterio S. Mariæ sanctique Victoris, & abbati & congregationi donarunt in perpetuitatem. Donationi assensit ejusdem ecclesiæ decanus nomine Deusde, assensit & domnus Astrebaldus præpositus una cum filiis, assensere ex canonicis qui & sanioris erant consilii, & res in melius referre satagebant. Is est donationis tenor; *ut abbas supradicti monasterii Massiliensis monachos ibi mittat, qui servitium Dei in eodem loco faciant .... & sæpe dictus locus S. Martini ab hac die monasterium sit, & in ditione ac potestate monasterii Massiliensis & abbatis, ac congregationis suæ jure perpetuo maneat, & ad voluntatem & providentiam eorum, quando viderint sibi prodesse, abbas ibi ex monasterio suo ab eis mittatur.* Acta hæc sunt *anno ab incarnatione millesimo adjuncto etiam sexagesimo, die mensis Julii* IV. *S. Fredaldi in cimiterio, regnante in sæcula sæculorum Domino Deo, indict.* XIII. *epacta* XV. *concurrente* VI.

Tom. I. Gall. ch. in append. p. 23.

Fundatio monasterii Cyriaci & ejus concessio facta S. Victori.

81. Neque satis erat Adalberto seu Edelberto Mimatensi episcopo quod monachos S. Victoris in Canonicam induxerat, nisi & ipsos in partem vocaret hereditatis. Is igitur & frater ejus Austorgus, ex his quæ sibi Dominus hoc in sæculo largitus erat bonis, partem aliquam offerentes, monasterium ipsis in loco cui nomen est Cyriaco construxere, *quoniam*, inquiunt, *excellentem omnes virtutes charitatem in monasterio S. Victoris martyris Massiliensis, & in domno Durando abbate ipsius monasterii, & in ceteris fratribus inibi habitantibus, per omnia quæcumque voluimus reperimus; tradimus* itaque illis, sic porro prosequuntur in donationis instrumento, *monasterium de Cyriaco, cum omnibus quæ nunc habet, & in antea acquisierit, ut* illud *secundum regulam S. Benedicti disponant & ordinent omni tempore. Et si Deus in diebus nostris aut postea monasterium supra scriptum Cyriacum ita crescere donaverit, ut abbati monasterii Massiliensis & fratribus ipsius loci in nobis bonum & pontificuum videant abbatem mittere in monasterio Cyriaco dicto, tunc abbas monasterii Massiliensis secundum regulam S. Benedicti in jam dicto monasterio abbatem mittat. Facta carta donationis* XVII. *cal. Aprilis anno ab in carnatione Domini nostri Jesu-Christi* MLXII.

Gal. Christ. tom. I. append. pag. 24.

Donatio abbatiæ S. Segolenæ.

82. Vix pauci ab hac donatione dies effluxerant, cum ecce Geraldus Ame-

lii & Vidianus Ermengaudi viri honorabiles, quorum hic in ecclesia Albiensi abbatis & archidiaconi titulo gaudebat, territi immo perculsi synodali decreto quod ab Hugone Nicolai papæ II. legato in concilio Tolosano conditum fuerat, adversus laicos qui res ecclesiasticas usurparent, *audientes neminem posse laicum ingredi cœlestem patriam, qui hic contra præcepta canonum male invasam possederit ecclesiam.* Divino afflante spiritu ecclesiam S. Segolenæ in comitatu Albiensi, in loco quem dicunt ad Grava, ubi Segolena ipsa monasticam una cum virginibus plurimis vitam duxit, ac tumulo condita requiescit, priorem in statum reparare decreverunt. Cumque placuisset ut monachis traderetur, prædictam ecclesiam, assignato loco ubi claustra & officinæ construerentur, Massiliensi S. Victoris monasterio, Durando abbati & ejus congregationi, cum omnibus ejus pertinentiis concessere, ut *eam habeant & possideant in perpetuum, & monachos ibi suos mittant, qui servitium Dei faciant.* Facta donationis charta III. nonas Aprilis, anno MLXII. regnante Philippo Francorum rege.

83. Duæ insuper eodem anno abbatiæ insignes sponte se abbati S. Victoris subdiderunt, Vabrensis nimirum S. Dionysii, quam postmodum Johannes vigesimus secundus in cathedralem erexit ecclesiam, & Soriciniensis S. Mariæ, diœcesis olim Tolosanæ, nunc Vaurensis. Cum enim vir nobilissimus Deusde abbas Ruthenensis, animadvertisset Vabrense monasterium ditioni suæ subditum, ab ordinis disciplina deflexisse, & maxima possessionum suarum parte imminutum esse, quod sane his contingit monachis, qui a præstituta sibi regula & vitæ præscriptione declinare non verentur; Nicolaum papam II. adiit, ejusque permissu immo jussione statuit illud regulari cuidam committere abbati reformandum. Ea de re secum attente diuque meditatus, conjectis circumquaque oculis in Gallicana monasteria, Massiliensem S. Victoris abbatiam præ ceteris elegit, quippe cujus religio ad purioris disciplinæ leges exacta, bonum Christi odorem ita spargeret, ut inde quasi ex amplissima virtutum omnium schola prodierint prodirentque in dies, qui vicina monasteria reformarent. Itaque assentiente Ruthenensium & Arvernensium comite Roberto, ejusque uxore Berta, nec-non avia ipsius comitissa Richardi, prædictus abbas Deusde, Raymundus frater ejus, Aldiardis ipsius uxor, una cum filiis, amore patriæ cœlestis succensi, pro redemtione animarum suarum, quædam primo prædicto Vabrensi monasterio prædia erepta atque hactenus injuste possessa reddiderunt, nonnulla deinde vectigalia per simoniacam factionem extorta remiserunt *in manu Durandi* abbatis Massiliensis & domni Raiambaldi Arelatensis archiepiscopi, ejusdem S. Victoris monachi; denique supra nominatum Vabrinse monasterium, in pago Ruthenico situm, in honore Domini Salvatoris ejusque genitricis & SS. Dionisii martyris consecratum, ad honorem Dei & restaurationem ipsius loci concesserunt, tradiderunt ac commiserunt Durando supradicto abbati, ejus successoribus, *ac toti præsenti & futuræ congregationi S. Victoris*, edito hoc pacto, *ut ipse abbas Durandus & successores ejus per omnia tempora de congregatione Massiliensi ponant in monasterio Vabrensi abbatem, & quos voluerint monachos, qui eis obedientes secundum normam regulæ S. Benedicti & consuetudines Massiliensis monasterii in eodem loco ad servitium omnipotentis Dei permaneant. Si vero, quod absit, ipse vel monachi a regulari tramite deviantes, perverse vivere voluerint, abbas Massiliensis educat secum perversos abbatem sive monachos, & eorum loco ponat sine ullius contradictione de suis honestos, utiles atque bonos, sibique ac regulæ obedientia subditos.* Facta hæc donatio in burgo seu villa S. Ægidii, anno Dominicæ incarnationis MLXII. indictione XIV. pridie idus Junii feria III. Legendum forte anno MLXI. in quo occurrit indictio XIV. & dies ante idus Junii incidit in III. feriam. Post hæc, si non prius, Durandus S. Victoris abbas, scripta ad Ro-

Vabrensem abbatiam reformant Massilienses & instaurant.

bertum Ruthenensem comitem epistola, significavit, cupere se quidem piis ejus votis satisfacere; at ne id per se ipse faciat, in causa esse febrem qua laborat: interim mitti a se fratrem Bernardum cum quatuor aut quinque monachis in Vabrense monasterium, qui abbatem eligant. Epistolam hanc habes hoc tomo pag. 457.

Soriciniensem.

84. Reformato Vabrensi monasterio, Froterius episcopus Nemausensis, & Raymundus vicecomes ipsius nepos, cum audissent excommunicatos a Nicolao papa simoniacos, sententiamque excommunicationis ad Occitanos missam; veriti ne ob ereptas iniquissimeque retentas ecclesiæ res anethematis discrimen incurrerent, ditionis suæ monasterium, cui vulgo nomen Soricinio est, concesserunt *Durando abbati S. Victoris monasterii Massiliensis & omnibus successoribus ejus, ad dominationem & gubernationem & tuitionem: ita ut ipse Durandus & omnes successores ejus mittat & mittant in eodem monasterio Sorizino abbatem omni tempore suo judicio dignum, qui secundum institutionem & ordinem monasterii Massiliensis vivat, & monachos sibi subjectos vivere exigat. Quod si, quod absit, abbas ille, Soricinensis videlicet, ab ordine & disciplina cœnobii Massiliensis deviaverit, & monachos sibi subditos ad justitiæ tramitem male viventes non emendaverit, veniat abbas Massiliensis in Sorizino, & corrigat & emendet eum. Si vero ille superbia elatus emendare se noluerit, alium loco ejus prudentiorem & digniorem abbas Massiliensis mittat, & negligentem & superbientem secum reducat.* Facta charta nonis Novembris anno ab incarnatione MLXII. regnante Philippo rege. Acta publice in monasterio Sorizinensi, in præsentia monachorum ipsius loci, subscribentibus Froterio episcopo, Raymundo vicecomite ipsius nepote, Guillelmo & Stephano.

Et Agathensem S. Andreæ.

85. Soricinensis abbatiæ reformationem proxime subsecuta est Agathensis S. Andreæ monasterii instauratio. Facta est autem hoc modo: Gonterius » episcopus Agathensis & vir nobilis Pontius abbas, ad Rodgerum comitem » accedentes, humiliter & instanter expetierunt, *quatenus abbatiam S. Andreæ* » *secus prædicta urbis mœnia, solitariam, derelictam, quam* donatam sibi ejus » liberalitate possidebant, *etsi non ad pristinum gradum & ordinem, tamen utcum-* » *que monasticum per* ejus *largitionem restaurare* valerent, *præsertim*, inquiunt, *cum non minimum sit tremenda judicii divini districta quandoque censura, eo quod sacras tantorum oblationes fidelium, quas in eodem loco pro animabus suis omnipotenti Deo tam large contulerunt, ut trecentorum victui monachorum quotidie pro se precantium, temporibus B. Severi ejusdem monasterii abbatis, sicut in gestis ejus legitur, abunde sufficerent; ita moderno tempore profanatas direptasque vidimus, ut non ibi suppediat victus uni monacho, qui pro eis Deo supplicet, nisi idem Deus aliunde multiplicet.* Quapropter *domnum Durandum abbatem S. Victoris monasterii Massiliensis & congregationem ejus, propter gratiam caritatis & familiaritatem nostræ gentis diuturnam cum illis*, inquit Rodgerus, *ad rem suscipiendam perficiendamque conduxerant.* Hac petitione plurimum delectatus comes cum magno optimatum suorum totiusque populi favore, consilio Raingardæ matris suæ uxorisque Sibillæ, liberam petentibus prædictis principibus facultatem præbuit, atque abbatiam S. Andreæ Deo sanctoque Victori, ac domno abbati Durando ejusque successoribus & monachis omnibus ibidem Deo servientibus habendam, possidendam, atque ad regularem ordinem instaurandam concessit. Hac impetrata concessione, Gunterus episcopus, clericis suis gratulantibus, rem confecit. Acta sunt hæc anno ab incarnatione MLXIV. indict. II. feria V. mense Aprili luna X. Philippo rege Francorum.

De Bernardo abbate.

86. Insequenti anno Durandus, qui jam dudum languebat, abbatiam S. Victoris ad Bernardum priorem morte transtulit. Erat Bernardus nobilissimæ prosapiæ adolescens, filius Richardi comitis Amiliani & Rixendis. Is

amisso parente, ad Massilienses ante annos quatuor secesserat, & dispertitis cum fratribus Berengario, Hugone, Remundo, & Richardo, qui ipse monachus fuit & abbas S. Victoris, paternis fundis, & erogatis monasterio mansis XL. suave Christi jugum amplexus fuerat; moxque præpositus institutus, eam maturitatem præ se ferebat, ut, mortuo Durando, tametsi junior erat & tyro, ceteris tamen præficiendus videretur. Docet electionis instrumentum a nobis editum, Massilienses monachos, ob ejus ætatem, quæ tanto muneri paulo minus apta videri posset, suspensis animis minime hæsitasse; sed omni metu posito, in unam convenisse sententiam; cum exempla sibi proposuerint Davidis & Josiæ, quorum hic puer annorum octo populum gubernarat egregie; ille vero itidem juvenis, inunctus a Samuele fuerat, Deique jussu rex creatus; item Samuelis ipsius & Danielis, qui pueri judicium tulerant in præsbyteros, Johannis evangelistæ, qui adolescens præ ceteris apostolis supra pectus Domini novissima in cœna recubuerat. Quippe his exemplis permoti, spes in Bernardo suas reposuerunt; in quo nimirum, *scientia litterarum, humilitatis gratia, patientiæ & obedientiæ virtutes, quantum mortalium oculis datur dignosci, in ipso juventutis flore* prælucebant. Itaque omnes in capitulo pro more congregati, Raiambaldo Arelatensi præsuli, qui jam depositis infulis monasticum habitum resumserat, sciscitanti, quem creari vellent abbatem, continuo Bernardum se velle acclamarunt, quem dudum sibi priorem constituerant, qui in sæculo nobili ex sanguine ortus, sed benegnissima gratia Dei de mundialis militiæ laqueis misericorditer erutus, eodem in monasterio regulariter sub prædicto Durando a sæculi actibus conversus vitam egerat. Quibus statim suffragati sunt Pontius Massiliensis episcopus, Fulco vicecomes avunculus ejus, aliique proceres, clerus denique omnis & populus.

87. His auspiciis creatus abbas Bernardus, si longiorem vitam vixisset, nam ætate vix integra extinctus est, summum rebus Victorinis imposuisset fastigium, quamquam monasteria non pauca, eaque celeberrima cum Septimaniæ tum Catalauniæ, quæ depravatis monachorum moribus collapsa erant, pristino decori restituit. Ac primum Psalmodium, hortante Raimundo comite, deinde Rivipullum, quod quidem *ob reverentiam totius religionis & scientiæ, olim caput & specimen universæ esse meruerat Esperiæ:* sed tum a tempore Olibæ Ausonensis antistitis Wifredi comitis Ceritaniæ fratris, simoniacorum abbatum prædæ expositum, suis fundis ac possessionibus fere spoliatum videbatur. Hujus monasterii luctuosam miseratus conditionem Bernardus Bisuldunensis comes, Mironem pseudoabbatem & simoniacum, una cum suis satellitibus expulit, faventibus & ferentibus auxilium Guifredo Narbonensi archiepiscopo, Berengario Gerundensi & Guillelmo Ausonensi episcopis; scriptaque procerum suorum consilio epistola ad Bernardum nostrum, subjecit illud S. Victori, ita ut Rivipullensis *abbas a reliquo* nullus foret, *nisi quem ipsi Bernardo vel successoribus ejus, ex consulta Massiliensis collegii regularitate eligere placeret.* Quod & diplomate anno MLXX. edito, hac tantum apposita conditione sancivit: *Ut pactum hoc tamdiu firmiter & immobiliter maneat, quandiu monasterium S. Victoris regulariter steterit, & regulam S. Benedicti habitantes tenuerint.*

Monasteria a Bernardo reformata.

Psalmodium.

Rivipullum.

V. inf. pag. 473. e.

88. Advertendum vero laudata epistola, polliceri Bernardum comitem, majorem se operam monasterio huic instaurando, quam paulo ante Crassensi Barchinonensis comes, collaturum; neque *gladium*, inquit, *nec contum sinam vos illic formidare.* Quibus ex verbis colligere est, & reformatum fuisse a Bernardo abbate monasterium Crassense B. Mariæ, auctoritate comitis Barcinonensis, quod tamen abbas intrepidus, cum res Dei agebatur, aggredi sine

Crassense.

discrimine *gladii & conti* non potuerit. Id certe indicat satis edita hic epistola congregationis S. Victoris ad suos in Crassensi monasterio commorantes, qua ipsis de illatis injuriis & opprobriis gratulantur. Sed & Gregorii papæ VII. extat epistola ad abbatem Massiliensem data, qua ipsum hortatur duo ut monasteria, alterum in Provincia ad Montem-majorem, alterum, inquit, *in episcopatu Narbonensi B. M. de Crassa, quæ jam dudum monachorum culpa a religionis tramite deviasse intellexi, ad lapsi decoris specimen reformaret.*

* Pag. 502.

89. Scribit tandem Balusius libro 4. Marcæ Hispanicæ ad annum MLXXI. Bernardum comitem Bisuldunensem, quo tempore Rivipullum Bernardo abbati commisit; adjunxisse alia duo monasteria in Gerundensi agro sita, alterum S. Petri in Castro ipso Bisulduno, alterum Balneolense S. Stephani; quam ad sententiam eo lubentius accedimus, tametsi eam nullo testimonio confirmat vir eruditus, quod monasterium utrumque idem comes Richardo abbati asserens anno MLXXX. testetur litteris duabus, ea se jam pridem Massiliensibus tradidisse instauranda. *Qui*, inquit, *fideliter per Dei gratiam laborantes* utrumque locum *ad justitiæ cultum fructumque pietatis* perduxerunt.

S. Petri Bisuldunensis. Balneolense S. Stephani.

Infra pag 505.

90. Attribuitur etiam Bernardo Massiliensi abbati Castrensis monasterii S. Benedicti instauratio. Hoc ipsum porro est monasterium Castrense, idque nobilissimum & in Albiensi diœcesi positum, quod in sedem cathedralem erexit Johannes papa XXII. Et vero Froterius episcopus & Raimundus vicecomes, quorum in ditione erat, ut solutiori monachorum licentiæ frenum injicerent, monasterium Bernardo reformandum tradidere anno 1073. atque eisdem fere pactis, quibus Rivipullense, subjecere sancto Victori; *ut* scilicet illud Bernardus futurique ejus successores, *secundum præceptum S. Benedicti & constitutiones Massiliensis monasterii teneant. Et quando abbas Castrensis monasterii obierit, idem abbas Bernardus & successores abbates Massilienses semper in monasterio Castrensi abbates mittant, qui secundum Deum vivant, & sibi ac successoribus ejus cum omni congregatione sua obedientes existant.* Statuitur insuper ut abbatem Castrensem, *cum deviaverit a lege Dei, conveniat* Massiliensis abbas *& corripiat bis & ter*, atque *expellat, si emendare noluerit, & ponat alium in loco ejus, qui dignus & obediens sit. Acta est donatio & constitutio hac anno ab incarnatione Domini* MLXXIII. quo forte anno Cardinalatus dignitatem adeptus est Bernardus & Richardus frater ejus junior. Quod enim reliquum vitæ fuit, id totum arduis & summis ecclesiæ negotiis impendit, modo vocatus Romam, modo in Hispaniam missus, modo in Germaniam, ut vix toto hoc intervallo suis redditus sit.

Castrense.

91. Interea vero Ruthenensem abbatiam sancti Amantii Robertus comes uxorque ejus Berta filia Hugonis comitis Ruthenensis, curæ ejus commisere, *monasticum in ordinem reformandam.* Abbatia hæc juris olim fuerat monachorum S. Vitoni, dono Berengarii episcopi, qui medio x. sæculo florebat: sed » grassante fame sub annum 1028. Beatus Richardus Virdunensis abbas mise» ricordia motus in pauperes, quos solita caritate recreare satagebat, accepta » a comite Ruthenensi pecunia, illam concessit in vadium. Pecuniam abbas » pauperibus distribuit omnem, acceptam comes in pignus abbatiam retinuit » in proprium, & sic usurpatam nondum recepto mutuo, moriens jure he» reditario reliquit successoribus suis. Verum Massilienses, sæviente pluribus annis bello apud Ruthenos, non potuere, quoad vixit Bernardus, abbatiæ ejus possessionem ingredi.

Ruthenensis abbatia S. Amantii Bernardo abbati committitur reformanda.

92. Mortuus est anno 1079. XIII. cal. Augusti, magno sui desiderio omnibus & Gregorio præsertim summo pontifici relicto. *De cujus transitu*, inquit, ad monachos S. Victoris scribens, *profecto nemini majus incommodum quam nobis, aut æque magnum evenisse putamus, qui talem tantumque adjutorem nobis*

Moritur Bernardus.

Greg. VII. lib. 7. epist. 8.

e latere subductum sentimus. Intelleximus siquidem in ipsius prudentia & consilio, si vita aliquandiu comes maneret, plurimum utilitatis, Deo favente, non solum in Transalpinis, verum etiam in Italiæ partibus cum multorum salute S. R. E. perventurum. Unde nos quoque tanti culminis onus, quod ultra vires est, sustinentes, ejusmodi solatio sublato, cum neminem aut vix paucos suffraganeos similes inveniamus, quanto mentis angore teneamur, liquido quidem potestis & ipsi percipere.

91. Hujus viri jacturam unus poterat compensare Richardus frater ejus natu minimus, qui jam cardinalis, & præter ætatem legatus in Hispania, maximam sui expectationem attulerat. Itaque communibus omnium votis in fratris locum successit, præfuitque annis fere triginta, atque hinc raptus ad sedem Narbonensem, præconceptam de se opinionem & abbas & præsul cumulate complevit.

Richardus frater ejus natu minimus succedit.

92. Ut vero monasticæ rei cancellis contineamur, observamus neminem abbatem qui plura S. Victori monasteria adjunxerit, inventum esse. Nam præter Ruthenense S. Amantii, quod Bernardo traditum fuerat, uti jam diximus, cuique primam operam collocavit, monasteria quinque eadem in diœcesi & ecclesias, ut minimum, duodecim, auctoritate Pontii episcopi Ruthenensis, fecit sui juris; idque ipso anno quo renuntiatus est abbas. Quæ statim Gregorius VII. rata habuit, forte in concilio Romano anni 1081. cui ut præsens adesset invitatus est laudatus Pontius. Is quippe ubi primum rediit statim omnia Richardo suo, hunc enim impensius diligebat, novo diplomate asseruit, *sicut*, inquit, *domnus Gregorius sua auctoritate donaverat & confirmaverat S. Victori & Massiliensi monasterio & abbati Richardo. Datum anno ab incarnato Dei verbo* MLXXXII. REVERTENTE ME PECCATORE EPISCOPO A CONCILIO ROMANO, *sub præsentia & auctoritate domni papæ Gregorii VII. celebrato.*

Instaurata a Richardo monasteria quinque in diœcesi Ruthenensi.

Tom. I. Gall. Christ. append. pag. 50.

93. Anno 1080. Centullus comes Bigorritanus & Beatrix uxor ejus ac Stephania *Beatricis* mater, monasterium S. Savini in valle Levitana, cujus disciplina penitus collapsa erat, Richardo abbati tradidere, ut pulsis qui regulæ sanctæ jugum excusserant monachis, induceret religiosos & officii sui retinentes, qui ad Massiliensium leges omnia revocarent, uti fidem faciunt comitis litteræ hoc in tomo editæ. Mox arduum opus, quod incolarum odium & invidiam, nedum monachorum ejiciendorum indignationem concitare debuerat, concordibus omnium votis aggressus est; remque ita perfecit, ut monachi ipsi ad sese reversi, ejusque consiliis in melius mutati, comitis litteris, quas sibi apud posteros laudi non futuras probe noverant, subscribere non detrectarint. Quod forte comitem impulit, ut & S. Severi de Rostagno monasterium Richardo & Massiliensibus largiretur, quamquam de anno minus constat, sicque eodem fere tempore monasteria duo diœcesis Tarbeiensis, eaque haud exigua S. Victori cessere. Quia vero monasterium S. Severi Beatrici comitissæ obtigerat ex paterna hereditate, auctor fuit Dodo Tarbeiensis episcopus, mortuo Centullo, ut denuo confirmaretur S. Victori; id quod præstitit comitissa anno MXCI.*

Et in Tarbeiensi duo.

Pag. 504.

* Vide infra pag. 539.

94. Anno 1080. Arbertus natione Germanus, relictis parentibus procul ut ab hominum consortio vacaret Deo soli, sedem fixit in comitatu Leomaniæ, annuente Odone vicecomite & uxore ejus Adelaide, qui locum ipsi *la Romeu* in quodam saltu assignarunt; ibique ea vitæ integritate degebat, ut plures statim propositi sui sectatores coadunarit, adeo ut centum mansiones locus hic solitarius biennio vix elapso contineret. Tum sollicitus gregi Arbertus, oculis in omnia Galliæ monasteria conjectis, quærit secum diuque deliberat, quorum institutum ipse sequi & suis sequendum proponere debeat. Mox tametsi plura occurrebant sanctioris disciplinæ observantissima,

Monasterium *la Romeu* diœcesis Aginnensis juris fit S. Victoris.

Vid. inf. pag. 514.

tamen Massiliense præ ceteris elegit. *Itaque divino tactus consilio obtulit semetipsum Deo & S. Victori, ejusque monasterio Massiliensi, in potestate Richardi cardinalis abbatis, & Girberti prioris ejusdem monasterii, & dedit totum honorem* de la Romeu, quem dederant & tradiderant vicecomes & comitissa, *cum omnibus quæ ab Aynardo & Agasia & ab aliis hominibus impetraverat, mobile & immobile & quicquid ipse, aut aliquis per eum acquisierat ibi.* Quæ Otto & Adelais auctoritate sua confirmarunt v. cal. Junii anno MLXXXII.

Et monasteria duo in Sardinia.

* Inf. pag. 523. 524.

95. Diplomata duo edidimus * Constantini regis seu judicis Karalitani, quibus monasteria duo Richardo abbati attribuit; alterum in honorem SS. Georgii & Genesii, quod ipse & parentes ejus Arzo rex Caralitanus, & Vera, fundaverant; alterum in honorem S. Saturnini, cujus fundationi ecclesias novem assignat, & partem mediam decimæ Caralitanæ diœcesis. Datum est utrumque diploma anno 1089. & priori subscribunt post Constantinum regem & Jorgiam reginam ejus uxorem, Marianus filius ejus qui & rex & Judex appellatur, Artoq' frater ejus, cujus loco subscriptus legitur altero in diplomate Zerchis frater Constantini. Sicque diplomata omnino duo patrem & matrem Constantini regis exhibent, uxorem ejus, filium unum & fratres duos. His adde episcopos duos Lambertum, cujus etiam consilio monasterium S. Saturnini & fundatum est & Massiliensibus attributum: id quod indicare ipse voluit hac sua subscriptione, quam in secundo instrumento legere est: *Ego Lambertus archiepiscopus hujus rei inceptor, & præceptor, ac secundum Dominum consiliator fui, atque canonici subscripsi, anathema firmavi*; & Virgilium Doliensem, eodem in instrumento subscriptum. Post Virgilium sequitur Sulciensis episcopus, cujus nomen fugientibus caracteribus modo legi non potest, sed Raimundum esse suspicamur, eum scilicet qui etiam post Virgilium litteris Hugonis Caralitani subscripsit anno sequenti. His litteris quas etiam proferimus *, utramque donationem Hugo confirmat. *Dono*, inquit, *& concedo firmando atque corroborando ecclesiam S. Saturnini, quæ est sita in archiepiscopatu Caralitano, cum omnibus ad se pertinentibus Domino Deo & B. Mariæ semper Virgini & S. Victori martyri & monasterio Massiliensi, & domno Richardo abbati & successoribus ejus.* Tum ecclesias omnes recenset, quas diximus fundationi esse attributas. Sic tamen ut quasdam non iisdem omnino nominibus appellet, quibus a Constantino insigniuntur. Tum subdit: *dono etiam firmo atque corroboro eo tenore quo & data sunt a domina Vera & sanctimoniale, matre judicis Constantini, supra dicto monasterio ecclesiam S. Georgii & ecclesiam S. Genesii cum omnibus jure ad se pertinentibus.* Ubi observare libet Veram reginam, Arzonis regis uxorem, & Constantini matrem, Deo se sub idem tempus devovisse. *Data Karalis anno ab incarnatione Domini* MCX. *indict.* XIII. *mensis Aprilis die* XXII.

* Pag. 528.

Vera regina & sanctimonialis.

Coxanense monasterium S. Michaelis datur S. Victori.

Vid. inf. pag. 537.

96. Dum hæc aguntur in Sardinia, Guillelmus Ceritaniæ comes Richardum abbatem adit, eique Coxanense monasterium Confluentis agri nobilissimum, quod a regulari ordine deflexerat, tradit; excitatus parentis sui exemplo, qui Durando & Bernardo abbatibus, in instaurandis ditionis suæ monasteriis usus fuerat non semel. Ad hæc dolebat & omnia sacro in loco cum disciplina, ut vulgo accidit, susdeque everti, ut jam a priori nobilitate videretur prorsus destitui. Potestatem igitur fecit Richardo, ut tam ipse quam futuri post eum antistites Victorini, *abbatem seu abbates & monachos ad S. Michaelem mittant, qui regulam S. Benedicti & constitutiones Massiliensis monasterii teneant:* facta donatione XIV. cal. Maii anno MXCI. cui subscribunt post Guillelmum comitem, Dalmatius Narbonensis archiepiscopus, Artallus Elenensis episcopus, Petrus abbas, Bernardus abbas, Guillelmus vicecomes.

97. Huic monasterio aliud circa idem tempus accessit in Hispania, extra muros Toleti urbis situm, ad ripam Tagi, in honorem S. Servandi olim conditum, quodque tota Hispania celeberrimum prædicabatur. Non quidem illud ut cetera pleraque, de quibus hactenus sermonem fecimus, cessit S. Victori Alphonsus Hispaniarum rex religiossimus; maluit ut S. Petro urbis Romæ addiceretur, statuitque eo ut nomine aureos nummos decem singulis annis Romano S. Petri altari penderet: sed qui suum sancto apostolo patrimonium, suum honorem religiose servarent, nullos reperiebat Massiliensibus digniores, quorum scilicet odore suavissimo tota jam Hispania recreabatur. Rogavit igitur Richardum abbatem, ut monachos eo destinaret, obtulitque eis præter solemnes proventus villam Hukekam & quædam alia, quæ omnia testamento firmavit, subscribentibus post regem CONSTANTIA regina, BERNARDO Toletanæ sedis achiepiscopo, RAYMUNDO Palentinæ sedis episcopo, GOME Auchensi, PETRO Legionensi, ASMUNDO Astorihensi, ASIU Ovetensi episcopis & pluribus optimatibus, quos recensere longum est. *Facta cartula testamenti quinto idus Martii.*

Monasterium S. Servandi extra muros Toleti Massiliensibus monachis committitur.

Vid. inf. pag. 546.

98. Jam patet ex dictis, quamquam multa brevitatis studio prætermisimus, quam parvo intervallo temporis diffuderint sese quaquaversum Massilienses. Annum vix centesimum ab instauratione S. Victoris attigimus, & nullam fere tota in Provincia, in Septimania, in Vasconia, immo & in Hispaniæ finibus diœcesim reperimus, quæ monachos S. Victoris desideret. Illos habent, Narbonenses, Aginnenses, Albienses, Ruthenenses; ad ipsum Galliæ meditullium pertigere, Italiam ipsam penetravere. Quid si ulterius progredimur? Ceterum non instaurandis solum monasteriis operam navarunt suam Massilienses, at etiam promovendæ rei catholicæ dici non potest quanto animi ardore, ubi opus fuit, incubuerint; his præsertim in regionibus & locis, de quibus hic modo sermo est. Quid sanctæ Arelatensi sedi non contulit Massiliensis congregatio, quid Aquensi, quid Narbonensi, quid tandem exteris, si ita loqui fas est? Barcinonensem dico, Toletanam in Hispania, Pisanam apud Italos, Caralitanam aliasque insigniores & multas, quas vel administrarunt ipsi sæpius, vel certe consiliis suis, doctrina & sanctitate juverunt, illustrarunt, reformarunt.

Quam bene de ecclesia meruerint monachi Massilienses S. Victoris.

99. Vix quemquam post Cæsarium antistitem habuere Arelatenses Raimbaldo monacho S. Victoris, & genere & sanctitate, & rebus gestis conferendum. Frequens adfuit conciliis, multas ipse ecclesias non monachis solum, sed & canonicis erexit aut instauravit, ecclesiæ tandem suæ canonicos ad canonicorum regularium institutum adduxit. Id uno verbo effecit annis amplius triginta, ut Arelatensi ecclesiæ, quam Saracenorum jugo oppressam, adeoque miserum in modum deformatam repererat, splendorem suum restituerit, excitarit aras, templa solo æquata erexerit, divinum cultum revocaverit, fidem denique fere extinctam pristinum reposuerit in statum, & a superstitione vindicaverit. Tandem tot laboribus perfunctus depositis infulis, quas ad Aicardum, monachum etiam S. Victoris, transtulit, reliquos vitæ dies peregit in monasterio unde ipse eductus fuerat, ut qui præclara episcopis dederat actuosæ fidei & caritatis exempla, monachis & fratribus præberet silentii & humilitatis.

Raimbaldus Arelatensis antistes.

100. Inter sanctos Massiliæ antistites recensetur Maurontus abbas S. Victoris, regnante Carolo-Magno; & Remundus secundus ejusdem monasterii alumnus, qui *sub monachali habitu & regula* dicitur perseverasse, *multosque ecclesiæ Majori S. Mariæ libros, multa auri & argenti ac palliorum ornamenta* comparasse.

S. Maurontus abbas S. Victoris.

Remundus ejusdem monasterii alumnus.

101. Sanctam Aquensem sedem non minus illustravit undecimo sæculo Petrus

Petrus Goffredi.

Goffredi, Aicardi Arelatensis antistitis frater, ex ipso S. Victoris cœnobio assumtus circa annum 1085.

Bernardus & Richardus.

102. Florebant eadem tempestate Bernardus & Richardus superius memorati, monachus uterque & abbas S. Victoris, ac demum S. R. E. cardinalis; quorum ille multis passim legationibus egregie strenueque obitis, missus est tandem in partes Teutonicas sub annum 1077. cum Bernardo altero, hortaturus Henricum imperatorem & Rodulphum, ut migranti in Germaniam, Gregorio septimo commeatum darent, captusque ab Udalrico comite Lutzemburgensi, spoliatus, & tetrum in carcerem injectus, summum vitæ discrimen animo lubentissimo, quia res Dei agebatur, incurrit. Hic plures etiam legationes sub eodem pontifice, sub Urbano & Paschali secundo obiit in Hispania, ibique Mozarabum officium, Romano substituto, abrogari procuravit; tantam denique famam ubique consecutus est, ut pontificatum Narbonensem, deferente clero & populo, capessere coactus sit anno 1107. vel sequenti.

Guillelmus Grimoardi.

103. His omnibus præponendus fuerat, si non ætate, at rebus gestis & dignitate pontificia Guillelmus Grimoardi, Autissiodorensis primum sancti Germani abbas, deinde Massiliensis S. Victoris, qui necdum cardinalis, renuntiatus est pontifex Romanus anno 1362. mense Octobri, dictus Urbanus V. Errant porro qui ipsum abbatem S. Victoris creatum fuisse anno 1358. existimant. Constat enim ex pluribus Innocentii papæ VI. epistolis a nobis editis tomo 2. Anecdotorum, ipsum adhuc anno 1361. Autissiodorensi abbatiæ præfuisse. At sequenti anno celebravit Massiliæ capitulum generale abbatis S. Victoris titulum præferens. Quo anno mense Octobri creatus est summus pontifex. Tum vero nomen & monachi & abbatis S. Victoris retinuit, annisque circiter octo sanctissime exactis in pontificatu, tantam sui opinionem moriens reliquit, ut de nomine ejus in cœlitum fastos referendo deliberatum sit aliquandiu, factis eam in rem inquisitionibus, quas etiamnum proferunt Massilienses monachi.

§. VI.

OBSERVATIONES DE MONACHORUM MAJORIS-Monasterii & Præmonstratensium piis moribus.

104. A Massiliensi S. Victori monasterio transeo ad Turonense S. Martini, quod Majus dicitur, quodque fuit & tempore antiquius, & cellarum multitudine numerosius, & viris illustribus ac sanctitate haudquaquam inferius. De eo pauca hæc Guibertus abbas Gemblacensis in epistola sexta ad fratres Majoris-monasterii a nobis edita hoc tomo pag. 921. Monasterio vestro *nihil in divitiis cumulatius, religione splendidius, mundius puritate, adversus vitia cautius, ad famam bonæ opinionis in Dei laude custodiendæ circumspectius inveniri.* Hæc si cum illa ejusdem Guiberti epistola, quam tomo 1. Anecdotorum edidimus conferantur, nihil sane illustrius ad demonstrandam sanctam monachorum Majoris-monasterii conversationem sæculo XII. proferri potest. Et quia hæc alicujus videntur momenti, pauca hic ex eadem epistola deflorare libet.

Monachorum Majoris-monasterii elogium.

105. Igitur cum devotionis erga S. Martinum causa, Guibertus ad Majus-monasterium accessisset, in eoque per octo menses demoratus fuisset, explorata summa cum diligentia per illud temporis intervallum fratrum disciplina, de his inter alia ad Philippum Coloniensem archiepiscopum scribens sic loquitur: *Psallendi devotio, & mysteriorum veneratio, hos-*

pitumque susceptio tanta intentione, fidelitate, hilaritate ab eis excoluntur, ut nusquam ista videri, nusquam credam ferventiori pietate observari. Nihil ibi indisciplinatum, nihil inordinatum, omnia quieta & consona, nihil citra, nihil supra, nihil indecens ibi, adeo ut universa disponente sapientia in mensura & pondere & numero, quantum infirmæ humanitati possibile est geri, videantur membra ecclesiæ illius cohærentia sibi sollicita sibi servare unitatem spiritus in vinculo pacis: firmioribus imbecillitatem infirmorum sine murmuratione sustentantibus, inferioribus debitum majoribus honorem exhibentibus, aliis aliorum quarumlibet necessitatum onera portantibus, totumque corpus compactum & connexum & omnem juncturam imitandæ subministrationis hujus semper pacatum est & crescit ad ædificationem.

106. Et post aliqua: *Majora dicturus sum. Vidi ibi quod in nostra regione hauquaquam facile est inveniri. Nam cum apud nos multis in locis, quod horror est audire, de hominibus fiant bestiæ, ibi e diverso bestiæ mutantur in homines. Habitat in stabulo illo oblitus prædæ lupus cum agno, pardus abstersis maculis cum hædo accubat: vitulus & leo & ovis simul morantur, & puer parvulus minat eos: ille nimirum puer de quo scriptum est,* PUER NATUS EST NOBIS.... *& in illa domo Dei sancta, cujus in pace factus est locus, tam concordi unanimitate habitant, ut velut a se alienati, nullus nobilitatis vel potentiæ, nullus officii vel opulentiæ, nullus dignitatis seu gloriæ quam in sæculo habuerat reminisci videatur: nec major minorem velut subjectum ex fastu despiciat, neque minor majorem ex necessitate revereatur.*

107. Et post pauca, postquam eo in monasterio morari asseruit quatuor illa mystica animalia, quæ in quadriga Dei vidisse se olim Ezechiel testabatur, in qua scilicet quadriga, quoniam similitudo hominis & vituli, leonis & aquilæ pariter esse memoratur, hæc subjungit: *Ut congruentiam typi ad veritatem sublimius exprimamus, ibi sunt qui ut homo, quod rationale est animal, oculo discretionis ita seipsos circumspiciunt, ut nihil contra naturalem humanæ conditionis dignitatem admittant. Sunt & qui ante vultum interni inspectoris se immaculatos custodientes, de se gratum ei sacrificium instar vituli offerant, corpus suum per vigilias & jejunia castigantes, & in servitutem redigentes cum vitiis & concupiscentiis carnem suam mortificant. Sunt qui forti animo prospera non curantes, more leonis qui ad nullius pavet occursum, etiam adversa non formidant. Sunt qui terrena despicientes sicut aquila, per mundissimam conversationem ad cælestia subvolent.*

108. Deinde a rebus allegoricis & mysticis transiens ad magis manifestas, de moribus eorum pauca quidem, sed plane miranda prædicat. Et primo expendens quam divinis essent intenti: *In omni loco dominationis ejus,* inquit, *secretam quidem, sed præsentem Dei majestatem reverentur, omni quoque tempore benedicentes, & præsentis vitæ subsidia & futura gaudia promerentur. Verum est omnino, nec me piget dicere, quia non mentior; verum est, inquam, quod exceptis spatiis, quæ natura exigente necessariæ prorsus vel nocturnæ quieti, vel diurnæ corporum refectioni debentur, ita omne tempus ab eis præ solemnissima psalmorum extensione in servitio Dei expenditur, ut æstivis mensibus parum, aut nihil ante vigilias; hybernis vero nisi aliqua interveniente necessitate post easdem vigilias nihil penitus ab eis somni capiatur; adeo ut non solum primam, quæ privatis diebus in hyeme matutinis laudibus jungitur, sed etiam capitulum in nonnullis solemnitatibus viderim teneri. Et cum tota eorum vita nihil justius dici possit quam quædam similitudo militiæ, specialius tamen a mane usque ad sextam quasi exercitum in hostem producere, arma concutere, hostemque ipsum videntur provocare; haud alio sane modo quam orationibus, lacrymis, genuflexionibus, suspiriis singillatim insistendo, altaria turmatim obsidendo & missarum celebrationi invicem succedendo. Præter communia officia in quibus persolvendis tota pene dies absumitur, videbatur mihi frequens sonus sacrarum missarum solemnia circumquaque immurmurantium, quasi quædam provocatio ad pug-* Quales essent in divinis officiis.

Missas a prima ad sextam quotidie celebrabant.

nam sese cohortantium. De ista missarum assiduitate pauca hæc dicit auctor libri de rebus gestis in Majori-monasterio sæculo XI. apud Mabillonium sæculo sexto Benedictino tom. 2. *Mos erat ipsius cœnobii ut a prima aurora usque in horam prandii propter sacerdotum copiam continua missarum celebratio protraheretur: quæ tam digne & reverenter fiebat, ut magis angelica, quam humana exhibitio putaretur.* Atque his missarum celebrationibus plures defunctorum animas ab igne purgatorio fuisse liberatas, idque revelatum fuisse cuidam eremitæ: quibus suffragatur Glaber Rodulfus lib. 5. Historiarum, ubi narrat extitisse in remotioribus Africæ partibus eremitam, qui cum viginti annorum spatio ab omni hominum consortio segregatus vixisset, a quodam peregrino Gallo visitatus, ab eodem inquisivit num cœnobium Majoris-monasterii novisset; cumque ille se nosse apprime respondisset, *scito*, inquit eremita, *præ cunctis Romani orbis illud valere præcipue in liberatione animarum a dæmoniaca dominatione, tanta enim viget in eo vivifici sacrificii frequens immolatio, ut nulla pene dies pertranseat, in qua non de potestate malignorum dæmonum tale commercium animas eripiat.* Addit Glaber Rodulphus: *erat siquidem, ut ipsi perspeximus, mos illius cœnobii, a prima diei aurora usque in horam prandii propter fratrum copiam continua missarum celebratio, &c.* Quæ Petrus Damianus Cluniacensi attribuens monasterio, ait S. Odilonem hac revelatione motum, instituisse altera post festum omnium sanctorum die commemorationem omnium defunctorum. Verum Petri Damiani auctoritas præponderare non debet Glabri Rodulfi oculati testis testimonio, qui monachus Cluniacensis existens opus suum S. Odiloni nuncupavit; tametsi inficias non imus Odilonem hac revelatione motum commemorationem omnium defunctorum instituisse.

Quales essent in claustro.

Pergit Guibertus monachorum Majoris-monasterii mores describens: *In claustro non fabulis & otio, sed lectioni & discendis cantibus vacatur: excepta dumtaxat communi collocutione, quæ certa hora pro allevatione continui laboris, & pro exigendis necessariis, & recidendis secretis confabulationibus, privatis tantum diebus brevissima conceditur.* Quæ verba maxime notanda indicant Majoris-monasterii monachos olim Dominicis festisque diebus ab omni colloquio abstinuisse, privatis vero brevissimum habuisse.

Hospites religiosos in refectorio communi excipiebant.

109. Addit Guibertus: *Symbola vero & conventicula comessationum apud eos omnino non nomen nec locum habent, quippe quibus nec colloqui, nec extra refectorium aut domum infirmorum quicquam cibi vel potus percipere, nulla umquam vel licentia fuit. Hospites quoque religiosi ad communem mensam, reliqui extra claustrum in caminatis aularum similibus decentissime disponuntur.* Ex quibus verbis constat hospites religiosos in communi refectorio exceptos fuisse, sæculares vero extra claustrum, cerniturque hactenus vetus ædificium apud Majus-monasterium versus sanctorum septem Dormientium ædiculam, quod ab Herveo piissimo abbate & Guiberto synchrono constructum fuisse tradunt, ut advenientes laici extra loca regularia admissi, fratrum quietem haudquaquam turbarent. Ceterum nec ipse abbas extra commune refectorium umquam comedere solebat. Ita testatur Guibertus: *Inter cetera sane*, inquit, *quæ cum & ex decreto capituli & ex pacto oris sui exsequi necesse est, illud præcipue approbandum, quod quamdiu in monasterio est, conventum semper eum sectari oportet, & id inviolabiliter observare, ut* NUMQUAM IN OMNI VITA SUA *extra refectorium, vel ante horam refectionis comedere aut saltem bibere in camera sua aliquando præsumat.* Addit Guibertus: *Et utinam id a ceteris nostri ordinis abbatibus diligenter teneretur: quoniam hoc observatum monasteria in incolumitate & vigore custodit; neglectum autem ad egestatem vel potius ad exterminium adduxit.*

Extra quod nec abbas comedebat.

Tres quotidie pauperes in mensa sua reficiens.

110. Sed quia ex præscripto regulæ S. P. Benedicti, mensa abbatis cum hospitibus debet semper esse, quomodo regulæ præceptum adimplerent, docet

idem Guibertus his verbis : *Sed ne propterea negligatur opus pietatis, & violetur præceptum regulæ jubentis, ut mensa abbatis cum peregrinis & hospitibus sit semper, tres quotidie pauperes honestius vestiti, in majori mensa refectorii lateri ejus, vel prioris qui ceteris præsidet, assessuri inducuntur, quibus non minori quam aliis fratribus abundantia; sed majori, utpote Christi vicariis, reverentia ministratur.* Hæc mire confirmant ea, quæ diximus in commentario nostro in regulam S. P. Benedicti, ubi demonstravimus abbatis mensam ex mente S. Benedicti extra refectorium esse non debere.

111. Cum vero abbatem in morbum incidere contingeret, qua ratione curaretur ita explicat Guibertus : *Si autem in id ægritudinis decidat, ut eum lecto recipi expediat, tunc vero in camera sua refirmetur infirmorum more, posita ante lectulum ejus mensula solus comedit, assistentibus ministris qui edenti deserviant. Non autem convivatur ritu eorum, qui in circuitu mensæ suæ congregatis vel amicis, vel adulatoribus suis, splendide epulantes, aliis in penuria & murmurio constitutis, bona ecclesiæ abliguriunt.* Infirmus ut tractaretur.

112. Redeo ad fratrum descriptos a Guiberto mores : *Porro*, inquit, *in refectorio non edacitati, non epotandis calicibus intenditur, sed naturali in simplicitate necessitati consulitur, & propensiori diligentia quorumdam mentes lectione magis quam corpora carnali refectione pinguescunt: quia, ut ait Tullius, mens hominis discendo alitur, & ut notavi ego, a nonnullis quorum cibus est verbum Dei, bona pars appositorum Christo in pauperibus esurienti eroganda relinquitur.* Ut se haberent fratres in refectorio.

113. *In dormitorio autem omnia nuda & aperta, & tanta omnium conventionum amputatio, ut pro sacrilegio imputetur, ibi quempiam alium vel respexisse. Lectisternia prorsus nulla nisi regularia. Lectuli ipsi non pannorum protentione obumbrati, sed fœni stipula adeo respersi, ut nihil in eis possit abscondi.* Ubi alludere videtur ad illud regulæ S. Benedicti cap. 55. *Lecta frequenter ab abbate scrutanda sunt propter opus peculiare, ne forte inveniatur.* Quam vero abhorrerent Majoris-monasterii fratres a proprietatis vitio, quamque essent paupertatis amantes, discimus ex diplomate Mainonis Filgeriensis domini ecclesiam Savigniensem eis concedentis : *Fratribus igitur*, inquit, *qui in cœnobio S. Martini Majoris-monasterii Deo serviunt omnipotenti, qui videlicet in voluntaria paupertate sublimes mundi divitias abdicantes, terrena posthabuerunt cælestibus, Christumque pro nobis pauperem factum, pauperes ipsi spiritu liberis & expeditis sequunter gressibus, do ecclesiam quamdam mei juris Saviniacum nomine.* In dormitorio.

114. Restat ut singulares ejusdem monasterii ritus breviter perstringamus, ac primo quidem loco occurrit in præcitata Guiberti epistola modus eligendi abbatis, quem his verbis describit : *Nullus umquam abbas ibi violenter intruditur, nullus lepra hæreseos simoniacæ aspersus assumitur; quia nemo ab aliqua vel sæculari vel ecclesiastica potestate, quæ per pecuniam corrumpi possit, aliquando statuitur, sed libera & irreprehensibili electione qui ordinandus est promovetur. Solus namque conventus, collectis qui infra mensem occurrere possunt cellarum prioribus, sub timore Dei in libertate spiritus, præcurrente jejunio cum eleemosynis, corpus B. Martini situm in castro novo humillime expetens, summa cum devotione in missis & obsecrationibus stationem celebrat; deprecans ut summus pastor in eligendo pastore sui vicario nec falli, nec suum, sed ipsius eos sequi permittat spiritum; reversusque de ordinando hoc tractat ordine. Ejectis & in unam secedentibus cameram viginti aut triginta sanioris consilii fratribus qui eligant, ceteri omnes in medio capituli terratenus prostrati, cum letania & precibus, consensum eligentium reverenter expectant, sine refragatione suscepturi quemcumque illi, Deo auctore, nominaverint. Non est auditum hactenus aliquando cassatam esse devotionem orantium, nec terminatam fuisse letaniam, donec in idoneam personam firmaretur consensus eligentium. Dehinc electus designatus ex nomine, cum honore & laude omnipotentis Dei ducitur in oratorium, & sub* Electio abbatis quomodo celebraretur.

jurejurando pollicentem, usque ad iota & apicem unum, nihil se de omni consuetudine quam invenit immutaturum, auctoritate apostolica, tradito baculo pastorali, inthronizat eum prior, cui a conventu fuerit impositum. Sacratur vero vel ab ipsius civitatis episcopo: vel, si defuerit ille, aut aliquid typi prætulerit, a quocumque pontifice voluerit.

Exhortationes in capitulo frequentes.

115. Secundo, nec illud prætereundum censemus, quod singulis ferme maxime feriatis diebus, congregatis in capitulo fratribus verbum Dei ex suggestu annuntiabatur. Testem hujusce ritus proferimus eumdem Guibertum, qui postquam asseruit in Majori-monasterio reperiri *affluentiam salutarium aquarum salientium in vitam æternam*, addit: id *probant armaria* * *pretioso multiplici librorum congestu referta, probant magistri & sacri tractatores eloquii, qui haurientes aquas in gaudio de fontibus Salvatoris, singulis & maxime feriatis diebus in capitulo confidentes, crebra propinatione spiritalis potus verba correctionis & instructionis eructuando alios secum satiant.*

* Armarium in monasteriis erat locus in claustro constitutus, ubi libri asservabantur.

In extremis positis ut subveniretur.

116. Tertio. *Dum quis eorum*, inquit auctor libri de rebus gestis in Majori-monasterio sæculo XI. in extremis agit, *omnes omnibus negotiis intermissis occurrunt: non comedendi aviditas, non dormiendi necessitas, non rei familiaris occupatio, non publicæ utilitatis dispensatio quanta quanta omnino vel revocat vel retardat, quominus conveniant universi, & singuli ad ferenda suffragia. Porro nemo vacuus vel manibus nudis, sed armati omnes accelerant ad morientis tutelam, armis quidem fidei & gladio spiritus, quod est verbum Dei. Ubi enim signum extremæ illius necessitatis auditum fuerit, statim symbolum catholicæ fidei in persona morientis omnes incipiunt, ei scilicet perhibentes testimonium, quod in hac fide vixerit, & in hac fide a corpore discedit, ne videlicet hostis antiquus ad Creatorem suum revertenti audeat occursare, cui audit fidei testimonium undique resonare.*

Qualis esset in defunctos caritas.

117. Quartum ejusdem monasterii ritum tanquam oculatus testis refert idem auctor his verbis: *Cum aliquis fratrum nuper obiisset, confessor ejus in communi super indicta pœnitentia inquirebatur. Qua audita, mira compassione videres cunctatim a fratribus fratris onus suscipi: hic psalmos, ille missas, alius jejunia, aliusque disciplinas verberum sibi rapiebat. Implebatur profecto miro ordine apostolicum:* ALTER ALTERIUS ONERA PORTATE. *Tunc denique exoneratus defunctus ab imposita satisfactione pœnitentiæ liber, ut credimus, transibat ad requiem, & conventus assequebatur gratiam.*

Ducentæ olim a Majori-monasterio cellæ dependentes.

118. Ex his & ex dictis hactenus de sancta conversatione monachorum Majoris-monasterii ita infert Guibertus Gemblacensis: *Et revera, ut reor, cum propter cetera bona quæ ibi exercentur, tum maxime propter munditiam, qua nihil Deo gratius, domui eidem benedixit Dominus benedictionibus cæli desuper, & benedictionibus abyssi jacentis deorsum, visitansque eam, & indeficientibus earumdem rivulis benedictionum inebrians multiplicat germina ejus, adeo ut vitis abundans in lateribus suis longe lateque diffusis radicibus replevit terram, jamque mare Britannicum transierunt propagines ejus propter multiplicem ecclesiasticum ornatum, quo locuples est, & propter multimodas divitias, quæ ad ipsam specialiter pertinent, ducentis fere cellis ab ejus ditione & dispositione constitutis.*

Primorum Præmonstratensium vita quam sancta.

119. Quæ hactenus de monachorum Majoris-monasterii piis moribus delibavimus, movent me etiam ut ad lectorum ædificationem aliquid subjiciam de primorum Præmonstratensium vitæ sanctitate, quam mire prædicat epistola cujusdem Canonici regularis & S. Barbaræ præpositi, qui abdicata dignitate ad Præmonstratenses transierat, redditque rationem suæ translationis. Edita est a nobis hoc tomo pag. 780. epistola illa, in qua inter alia ad propositum nostrum hæc habet: *Cum ad locum illum quem nunc incolo, Domino docente ac ducente, pervenissem, primum, fateor, vehementer inhorruit visus, præsertim cum in omni situ ejus vel ædificiis, nihil se carnis obtutibus præsentaret amœnum; sed*

sed nec in victu seu vestitu fratrum, quod carnem ipsam multum valeret oblectare: cum vita eorum austera satis sit atque parca, ut pote cui raro piscibus, carnibus autem vel sagina numquam, nisi gravi corporis intercedente molestia vesci licet. Quotidie quoque in laboribus plurimis, in jejuniis & vigiliis multis, in assiduitate taciturnitatis, & pro temporum intemperie æstu & algore fatigatur, & quod difficillimum est tunicæ fratrum, in quibus squallores nocturnos sive diurnos agunt, nisi frequenter exuantur, quod ex more tantum in sabbato fit, scaturire vermibus non desistunt. Erat autem in memoratis fratribus præcipuum quoddam ac singulare bonum, concors & unanimis tranquillitas, cum humilitate & mansuetudine supportans invicem in caritate. Sedulus omnium etiam eorum, qui negotiis forensibus deputantur, ad divinum obsequium concursus, & in omnibus motibus & gesticulationibus suis omnia honeste & secundum ordinem facta: quorum tam probabilis conversatio, & quadam erga me quasi prærogativa devotionis adeo me sibi devinxit, ut recogitans omnes annos meos, id est circuitus errorum meorum, cum eisdem fratribus & inter eos pauperem Christum deliberarem pauper sequi, &c. Tot tamen inter bona unum fuit quod optimo displicuit viro, quodque ab omnibus solitariæ vitæ sectatoribus maxime notandum est: *Unum est*, inquit, *quod in hujus loci commoratione animum frangit, acriusque excoquit, videlicet quod prope castrum & viam regiam degens, a multis notus, multorumque notitiam habens, ex eorum accessus frequentia, in desideratæ sinu quietis, pro eorum immani & inani colloquio non sinar esse quietus. Nulli enim proficere satagenti, a profectus sui studio expedit hora vel una a corrumpente mores bonos colloquio sæcularium impediri.*

§. VII.

OBSERVATIONES DE S. BERNARDO & de Nicolao ejus notario.

120. Ex epistolis, quas hoc tomo plurimas edididimus, hæ maximi sunt pretii, quæ Bernardum parentem habent, cum propter sancti doctoris excellentiam, tum propter earum, quas tractant, rerum gravitatem. Singulas hic expendere nec propositi nostri est, nec otii: quamquam in his nulla est quam diligenter accurateque legi non maximopere intersit. Unam tantum aut alteram perstringemus, quæ ad illustrandam sancti abbatis historiam maxime videntur conducere; earumque occasione quædam de eodem sancto hactenus minus nota discutiemus. Considerandа in primis venit epistola XI. ad Innocentium papam II. de contentione Philippi & Hugonis pro ecclesia Turonensi. Nimirum mortuo Hildeberto archiepiscopo, anno 1134. Decembris die decima octava, cum canonici Gaufridi comitis violentia e propriis expulsi sedibus exsularent, vacantique ecclesiæ providere deberent, quidam contra sacrorum scita canonum, Philippum quemdam elegerunt, Gisleberti ante Hildebertum archiepiscopi nepotem, &, ut ait S. Bernardus, *ejus ambitionis hæredem. E contrario Hugo vir prudens & nobilis a saniori parte eorumdem clericorum canonice eligitur*, uti legimus in Actis episcoporum Cenomanensium. Re ad Innocentium papam delata, utriusque electionem designatis judicibus examinandam commisit, atque ut libratis ambarum partium utrimque rationum momentis, decretorio judicio pronuntiarent quis legitimus futurus esset antistes, facultatem attribuit. Hos inter judices videtur principem locum tenuisse sanctus Bernardus qui de tota judicii serie Innocentium II. certiorem fecit, scripta ad eum epistola undecima, a nobis primum hoc tomo edita pag.

Epist. 150.

Analect. tom. 3.

S. Bernardus judex a papa designatus ad dirimendam litem de duobus contendentibus pro ecclesia Turonensi.

730. Ex ea discimus designatos judices convenisse Blesis, qui *locus acturis foret & vicinate congruus & securitate;* duoque præsertim eaque maximi ponderis Philippo objecta esse, *quod infra annos videlicet esset, & nequaquam electus a quibus oportuit, sed neque a quantis. Aberant si quidem eo temporis majores personæ ecclesiæ, nimirum & ab ecclesia pulsæ & a propriis domibus, archidiaconi scilicet omnes, decanus & cantor, cum universis illius ecclesiæ presbyteris, ac multitudine aliorum diversi ordinis clericorum*, qui Hugoni cum faverent omnes, factam de illo *electionem sanam & canonicam esse dicebant, quod in ea consentirent, quorum in eligendo prævaleret auctoritas:* Addebantque Hugonis electioni non debere *obesse, quod extra ecclesiam vel civitatem præter morem celebrata fuisset, cum adhuc persecutionis urgeret necessitas; sed neque impedire, quod pars altera non interfuit, cum præmonita a fratribus & vocata adesse renuerit.* His omnibus rite expensis, cum ad sui juris deffensionem nihil afferre possent Philippi patroni, quod rationis umbram habere videretur, *justum nobis*, inquit S. Bernardus, *& his qui nobiscum erant religiosis & sapientibus personis, episcopis, & abbatibus & clericis visum est, diuturnæ fatigationi ecclesiæ ponere finem, & nequaquam ultra sustinere moras & dilationes quærentium quæ sua sunt, & sub hac ocasione pessumdantium ecclesiam Dei. Data ergo sententia a nobis, quod justitia exigeret ingredi causam, nec esset canonica excusatio, quam afferrent, ipsi more suo tergiversantes, tamquam qui causæ suæ parum fiderent, appellaverunt. Tunc vero prolatis scriptis apostolicis, in quibus & nobis causam inexcusabiliter terminare, & ipsis sententiæ nostræ irrefragabiliter obedire præcipitur, illi audire contemnentes abierunt, vocati sunt, nec venerunt: vocati secundo, iterum renuerunt. Nos autem conversi ad partem alteram ordine nihilominus judiciario juxta mandatum vestrum processimus, & suscepta probatione canonica super duobus memoratis capitulis, post examinatos testes, post peracta sacrificia, Philippi electionem apostolica freti auctoritate quassavimus. Porro de Hugone, quia infra sacros ordines eum constat fuisse electum, vestræ, ut dignum est,, misericordiæ reservavimus.* Hæc omnia, quæ historiam archiepiscorum Turonensium, & vitam S. Bernardi mire illustrant, hactenus ignota fuere.

Causa Dolensis ecclesiæ ei dirimenda committitur.

121. Paucis post annis Eugenius papa III. S. Bernardi olim discipulus, celeberrimam illam controversiam, quæ ab ducentis jam & amplius annis, de primatu seu jure metropolitano Turonensem inter & Dolensem ecclesias movebatur, sancto abbati commisit æqua placidaque compositione dirimendam. Apostolicum mandatum ut exsequeretur Bernardus, una cum Gaufredo notario ac Nivardo fratre suo, ad destinatum accessit locum, examinatis utriusque partis rationibus, pacis amans faventem Dolensibus protulit sententiam. Cujus tenorem hactenus ignoramus: at Turonenses quibus antea causam adjudicaverant summi pontifices, Nicolaus I. Johannes VIII. Johannes XIII. Leo IX. Gregorius VII. Urbanus II. & novissime Lucius II. qui Hugonem Turonensem archiepiscopum de Dolensi, Briocensi, & Trecorensi episcopatibus investiverat per baculum ligneum, hactenus in ecclesia Turonensi conservatum, prolatæ a S. Bernardo sententiæ stare detrectarunt. Hæc discimus ex Anastasii papæ IV. epistola ad Turonensem archiepiscopum a nobis primum edita tom. 3. Anecdotorum pag. 897. in qua sic loquitur: Dolensis ecclesiæ *gemitus felicis memoriæ papa Eugenius prædecessor noster consideratione motus, sanctæ recordationis Bernardo quondam Clarevallis abbati per sua scripta mandavit, ut ad componendam pacem inter te & Dolensem ecclesiam laboraret, & juxta datam sibi desuper sapientiam, agitatam hinc inde longo tempore controversiam fraterna caritate sopiret. Quoniam igitur a parte tua & illius ecclesiæ de servando quod ipse inter vos constitueret, securitate accepta, idem abbas inter*

vos, præsentibus dilectis filiis nostris G. monacho & Nivardo fratre ipsius abbatis, quod vidit expedire constituit, per præsentia scripta fraternitati tuæ mandamus, quatenus a rigore voluntatis tuæ descendas, considerans quia caritas non quæ sua, sed quæ aliorum sunt quærit, compositionem ipsam observes. Idem testatur Innocentius III. in decretoria sententia adversus Dolenses, a nobis edita ibidem pag. 945. De pertinacia Turonensium conquesti sunt Dolenses, & ipsi similem in reatum prolapsi, factæ ab abbate de Fontanis de consensu partium compositioni stare recusantes.

122. Docent vitæ S. Bernardi scriptores sanctissimum abbatem revertentis in Italiam Innocentii II. comitem fuisse: at vero ad Cassinense monasterium eumdem accessisse nusquam tradunt. Tamen non solum accessisse, sed & in capitulo sermonem habuisse, cum solemni judicio depositus est Raynaldus abbas, ejusque in locum subrogatus abbas Stabulensis Wibaldus, qui paulo ante vitandæ tantæ dignitatis causa Cassino declinaverat, discimus ex Petri Diaconi chronico Cassinensi, in quo lib. 4. cap. 122. hæc habet: *Sequenti autem die iterum ad monasterium ascendentes in capitulo resederunt, in quo post peractum ab abbate Clarevallensi sermonem, cardinales auctoritate apostolica eidem Raynaldo Casinensem abbatiam interdixerunt, &c.* Cassini interest electioni Wibaldi abbatis.

123. Eo in loco primum Wibaldo abbati innotuisse potuit S. Bernardus, quem etiam postea in Germania prædicantem audiit ac demiratus est, unde & in epistola 147. ad Monegoldum scholæ magistrum, eumdem Bernardum tamquam egregium Christiani oratoris exemplum proponit his verbis: *Est tamen interdum in ecclesia quædam rerum opportunitas, in qua dicendi artificium irreprehensibiliter exercetur, & maxime in prædicandi officio, in cujus gratiæ principatu meo quidem judicio ponitur vir nostrorum temporum valde illustris Bernardus Clarevallensis abbas. Oratorem non immerito dixerim, qui a rhetoribus definitur vir bonus * dicendi peritus. Si quidem vir ille bonus, longo eremi squallore & jejuniis ac pallore confectus, & in quamdam spiritualis formæ tenuitatem redactus, prius persuadet visus quam auditus. Optima ei a Deo concessa est natura, eruditio summa, industria incomparabilis, exercitium ingens, pronuntiatio aperta, gestus corporis ad omnem dicendi modum accommodatus. Non igitur mirum si potenti tantarum rerum virtute excitat dormientes, immo, ut plus dicam, mortuos, & Domino cooperante & sermonem confirmante, alterat homines & ad jugum Dei trahit captivos, qui fuerant in curribus Pharaonis. Hunc tu vere dixisses eloquentem, qui non destruit opere, quod prædicat ore, qui non est intus Nero, foris Cato. Quem si videas, doceris; si audias, instrueris; si sequare, proficeris.* S. Bernardi elogium.

* Sit ergo nobis orator quem instituimus, is qui a M. Catone finitur, vir bonus dicendi peritus. *Quintil. lib. 12. cap. 1.*

124. Cum igitur ea fuerit in Bernardo eloquendi vis & gratia, haudquaquam mirum videri debet, si tanto cum fructu ubique, sed maxime in Germania concionatus fecerit, Domino præsertim cooperante, ac sermonem confirmante sequentibus signis. Miracula hæc in Germania a S. Bernardo quotidie patrata scriptis consignarunt discipuli ejus, testes oculati; sed juvat hic ea referre, quæ de his scribit Helmodus in chronico Sclavorum cap. 59. hoc modo: *Circa tempora dierum illorum ortæ sunt res novæ & toti orbi stupendæ. Præsidente enim sanctissimo papa Eugenio, Conrado quoque III. gubernacula regni moderante claruit* BERNARDUS CLAREVALLENSIS ABBAS, *cujus fama tanta signorum fuit opinione celebris, ut de toto orbe conflueret ad eum populorum frequentia, cupientium videre, quæ per eum fierent mirabilia. Hic itaque ingressus in Teutonicam terram, venit ad celebrem curiam* FRANCKENVORD, *quo tunc rex Conradus cum omni principum frequentia festinus occurrerat. Cum ergo vir sanctus in ecclesiis positus, curandis ægrotis in nomine Domini propensius instaret, astante rege & summis potestatibus, incertum erat inter tantas populorum catervas, quid quis patere-* De quibusdam miraculis S. Bernardi in Germania patratis.

tur, aut cui forte subveniretur. Aderat illis comes noster Adolfus certius nosse cupiens ex operatione divina virtutem viri. Inter hæc offertur ei puer cæcus & claudus, cujus debilitatis nulla potuit esse dubitatio. Cœpit ergo vir sagacissimus intentare solerter, si forte posset in hoc puero sanctitatis ejus experimentum capere. Cujus incredulitati, veluti divinitus edoctus vir Dei, remedium providens, puerum præter morem jussit sibi applicari, ceteros enim verbo tantum consignavit. Hunc vero exhibitum manibus excepit, oculisque morosa contractatione visum restituit. Deinde genua contracta corripiens, jussit illum currere ad gradus, manifesta dans indicia recuperati tam visus quam gressus.

125. Epistola 23. S. Bernardus quemdam dehortatur monachum qui ad aliud transire monasterium avebat, ejusque propositum improbat omnino. Et quidem ea fuit semper & constans sanctissimi doctoris sententia, monachum in regulari monasterio stabilitum, quocumque prætextu, ad aliud transmigrare monasterium non debere. Id præsertim docet in libro de præcepto & dispensatione, capite 16. ubi monachum per majoris perfectionis speciem e Cluniacensibus ad Cistercienses eosque districtiori disciplinæ addictos transire meditantem a suo consilio avertere conatur. Id si observasset Nicolaus Arremarensis monachus numquam in illam præcipitii abyssum ruisset, quam probi exhorruere omnes. Is absente Bernardo, a Rualeno priore admissus apud Claramvallem, cum esset ingenii facilis, at sibi parum constantis, seque in aliorum animos insinuaret, ac litteras pro tempore apprime calleret, brevi post firmatam in Claravalle stabilitatem, S. Bernardi factus est Notarius, quo in munere sanctissimi abbatis sui indulgentia ac facilitate abusus, sigillum ejus in malos usus adulteravit, commissis turpibus quibusdam, ac demum in horrendam prolapsus est defectionem; sed tandem post varios hinc inde discursus, ad suos mortuo S. Bernardo reversus est Arremarenses, ubi tunc sibi tuto ac securo esse liceret. Omnia hæc quidem observat fusiusque describit Mabillonius in limine sermonum S. Bernardi, ubi Nicolai ejusdem vitam a se compositam repræsentat. Verum quod vir eruditus ignoravit, quis crederit! idem Nicolaus tam turpi labe inustus, tantam sibi postea famam fecit, sibique adeo principum, episcoporum, summorum etiam pontificum devinxit animos, ut ipsis carus evaderet. Id sane constat ex Adriani papæ IV. epistola ad Samsonem archiepiscopum Remensem a nobis tomo 2. edenda, in qua summus pontifex sic loquitur: *Veniens ad apostolicæ sedis præsentiam dilectus filius noster magister Nicolaus, qui nobis satis carus est & acceptus, Arremarensis monasterii monachus, de suffragio & admissione precum suarum in negotiis ejusdem ecclesiæ fraternitatem tuam nostris litteris expetiit ammoneri. Quocirca fraternitatem tuam per apostolica scripta mandamus, quatenus eumdem filium nostrum, qui circa negotia tua existit satis sollicitus ac devotus, pro B. Petri ac nostra reverentia diligas attentius, & honores, & petitionibus ejus in negotiis ipsius ecclesiæ benigno jugiter concurras assensu, & ita ei favorem & auxilium tuum in causis suis impendas, ut fraternitas tua de admissione precum nostrarum commendabilis videatur.* Quid quod Alexander III. sua eumdem Nicolaum epistola dignatus est honorare, ac etiam non spernendis laudibus exornare. Sic enim edendam tomo 2. epistolam VI. ad eumdem Nicolaum inchoat: *Devotionis tuæ constantiam & fidei firmitatem, quam erga sacrosanctam Romanam ecclesiam & personam nostram multis rerum experimentis & ipso effectu operis te habere cognoscimus, gratam acceptamque tenemus, & eam plurimum in Domino commendamus. Novimus enim qualiter propriæ personæ minime pepercisti, & pro negotio ecclesiæ satis multum laborasti. Unde nos propositum & voluntatem habemus personam tuam, sicut specialem ecclesiæ filium, sincera in Domino caritate diligere, & petitiones tuas omni tempore exaudire.* Deinde cum hor-

De Nicolao S. Bernardi notario.

Summorum pontificum etiam post casum sibi devincit animos.

tatur, ut sicut bene cœpit *in devotione & fidelitate, & ecclesiæ*, & sua, constanter perseveret, *& alias tam ecclesiasticas quam sæculares personas ad hoc idem inducere* studeat & *propensius solidare*. Demum ipsum Hugoni Senonensi, Samsoni Remensi archiepiscopis atque Henrico Trecensi comiti commendat.

§ VIII.

OBSERVATIONES DE DISCIPLINA ECCLESIASTICA.

126. Singularem hic observationem subjicere proposueramus de disciplina ecclesiastica, sed jam præfationis modum excessimus, quæ nullum umquam acciperet finem, si cuncta hoc in tomo observatu digna recensere vellemus. Tamen materiam hanc ne reliquamus omnino intactam, unum aut alterum subjicemus exemplum. Attentius itaque legenda videtur A. civis Spirensis ad sanctum Heribertum epistola a nobis edita pag. 357. adversus præproperas peccatorum absolutiones, in qua de quibusdam conqueritur sacerdotibus, qui publice facto ad populos in ecclesiis sermone, cunctos *manus sursum levare & peccata confiteri jubent: quo facto, confestim absolutionem & remissionem eorum omnium illis tribuunt tanta facilitate, quanta forsitan de pecunia propria tres obolos nollent cuiquam relaxare. Hoc audientes*, inquit, *nonnulli fratrum, qui ex divino munere aliquantam sacræ scripturæ facultatem habent, & tamen propter reverentiam obloqui non audent, vehementer scandalizantur, scientes rem prorsus illicitam fieri, quæ nulla sanctorum patrum auctoritate possit deffendi, & ad internecionem imperitæ multitudinis laqueus diabolicus sit, existimantis se nec confessione postea indigere, sed omnia crimina tamquam denuo baptizatis, dimissa sibi, acceptaque hac mortifera securitate, nec pericula animarum suarum incurrunt, & iterare flagitia sua vel graviora addere, pro nihilo ducunt: quippe quæ iterum atque iterum tam facile ignoscenda sibi esse confidunt.* Pravum hunc morem ubi refutavit auctor sic concludit: *Probandi sunt utique gressus singulorum, qualiter incesserint per viam morum, & antequam proferatur humanum judicium, quorsum vergat divina sententia vigilanter intuendum est.* Et post pauca: *Quisquis aliter agit, certum est nihil illum alii proficere, sibi vero plurimum obesse*, & sub finem epistolæ, has *novas absolutiones* appellat *publicas deceptiones*. Eadem haud dubium erat mens Udonis archiepiscopi Trevirensis, qui, ut ex Alexandri papæ II. epistola ad eumdem edita hic pag. 480. discimus, incestum presbyterum ab officio suspensum perpetuæ addixit pœnitentiæ, carnis abstinentia ac jejuniis macerandum.

Præproperæ peccatorum absolutiones damnatæ.

127. Scripsimus alias de sacrarum ædium dedicatione, plures olim præsules hisce solemniis adesse solitos, qui diœcesano episcopo, quem nimirum spectabat templorum diœcesis consecratio, subvenirent: sed primas illum vulgo tenuisse, atque eam in rem canonem decimum concilii primi Arausicani laudavimus & 36. concilii secundi Arelatensis, quibus cavetur ne episcopus, qui *in aliena civitatis territorio ecclesiam ædificare disponit, dedicationem ejus præsumat*, ut pote *quæ illi omnimodis reservanda est, cujus in territorio ecclesia exurgit*. Viguit autem præsertim apud Gallos disciplina hæc, eaque severitate, ut profana crederetur ædes aut basilica, quam episcopus quilibet exterus sine consensu diœcesani consecrasset. Quin & ob eam rem proventus ejus omnes diœcesano ipsi concedebant; idque undedecimo sæculo Prumiensibus monachis contigisse docebit Everardi Trevirensis antistitis diploma ad Rupertum abbatem, quo diplomate notum omnibus facit Everardus, rogatum se esse a Ruperto sancti Prumiensis monasterii abbate, ut eidem cœnobio decimas *ecclesiarum quarumdam episcopii sui, quæ neque ab episcopo, quæ debuerant consecratæ, nec par-*

De sacrarum ædium dedicatione.

De antiquis Eccl. ritibus lib. 2. cap. 3. n. 6.

Infr. pag. 464.

rochiis uti oportuerat, solemniter determinatæ, synodali judicio in jus sui concesserant, restitueret & confirmaret; seque *perpetuæ salutis consideratione* & petentis caritate & obsequiis obstrictum, *voluntarium ejus petitioni præbuisse assensum*, easque *denuo consecrasse*. Huic diplomati subscribunt Bruno & Roricus chorepiscopi, quod chorepiscopos ad annum 1062. quo datum est, perseverasse.

Quibus de causis edita jam opuscula possint recudi.

128. Pauca hæc ad specimen satis. Ceterum cum MCCC. minimum sive epistolas sive diplomata hoc tomo ediderimus, si qua forsan tanto in numero deprehendant perspicaces & eruditi lectores alias jam vulgata, id ne statim nobis vitio vertant. Neque enim semper culpandi veterum hujus modi monimentorum collectores, cum edita alibi nonnulla novis typis subjiciunt. Nam 1. sunt quædam adeo rara, ut facilius in manuscriptis reperiantur quam in impressis codicibus. Exemplo esse potest concilium Trevirensi anni 1310. a nobis tom. 4. Anecdotorum relatum, quod mihi aliquando asseruit Stephanus Balusius esse jam editum. Nam quæsitum in omnibus conciliorum collectionibus, etiam in antiqua synodorum Trevirensium editione, hactenus reperiri non potuit. Quod igitur illud recudi curavimus, operam eruditis viris navavimus non infructuosam.

129. Secundo nonnullæ sunt librorum editiones, quas vix in bibliopolarum officinis remorari patiuntur eruditi. Venditis ergo ac distractis omnibus eorum exemplaribus, ut publico studiosorum desiderio fiat satis, eos denuo recudere necesse est; atque ita veterum monumentorum collectionem a nobis anno MDCC. Rotomagi editam, cujus omnino jam defecerant exemplaria, Thesauro nostro Anecdotorum, hortantibus bibliopolis ipsis, inseruimus, ut præsto esset omnibus eam desiderantibus.

130. Tertio, eadem de causa possunt etiam subinde typis novis mandari, quæ cum alienis in regnis evulgata sint, vix ac ne vix quidem ad nos transierunt. Ea propter auctores mihi fuere amici mei, ut editis in Anglia Bedæ Venerabilis libris quatuor in Genesim prædicto in Thesauro locum darem, utpote quos in magnis Galliæ bibliothecis hactenus perquisitos necdum videre potuerim. Simili fere consilio olim Mabillonius editos Romæ antiquæ Liturgiæ Gallicanæ codices Parisiis cum notis & observationibus iterum imprimi curavit.

131. Quarto, edita sunt quidem nonnulla opuscula sed imperfecta, sed manca, sed truncata, quæ si integra & perfecta aliquibus occurrant in manuscriptis, exultant doctissimi quique quasi victores capta præda, utque publici juris fiant urgere non cessant. Ea propter judicium in solemni prælatorum & episcoporum conventu in Vermeriensi palatio prolatum in gratiam Anisolensium monachorum adversus Robertum episcopum Cenomanensem, & ad Nicolaum papam directum, a Mabillonio primo vulgatum in Annalibus Benedictinis, sed omnibus subscriptionibus destitutum; hic iterum edidimus cum subscriptionibus quinquaginta, ex quibus viginti quatuor sunt episcoporum, sex abbatum, viginti procerum sive comitum, quorum cognitio ad illustrandam historiam non parum conducit. Simili modo Gerberti epistolam ad Widerodum episcopum Argentinensem a Chesnio & Marloto jam vulgatam, sed media parte truncatam ex Mabillonii schedis integritati suæ restituimus.

132. Quinto, integra quidem in quibusdam libris prodiere opuscula quædam, sed non sana & sincera. Sunt enim editores nonnulli, quos ita rapit styli elegantia, nihil ut in medium proferre queant, quod non sit ad purioris latinitatis leges elimatum, ex quo fit ut auctorum stylum mutando, persæpe mutent & sensum. Quapropter eruditis societatis Jesu viris multum debemus,

qui acta sanctorum a Laurentio Surio olim mutato stylo vulgata, nobis sincera incredibili prorsus labore restituere. Eadem ratione diplomata quædam a doctissimo viro Christophoro Browero in Annalibus Trevirensibus edita, pura hic & sana dare non dubitavimus. Quam bene autem a nobis hac in re consultum fuerit judicabunt viri eruditi, utramque si velint inter se editionem conferre. Exemplo sit decretum Brunonis archiepiscopi Trevirensis adversus invasores bonorum ecclesiæ suæ.

EDITIO BROWERI.

Propter continuas oppressiones quas ecclesia nostra patitur, decernimus & Spiritus-sancti judicio & auctoritate nobis delata confirmamus, ut quicumque diripiendis ecclesiis, vel sacris ædificiis cremandis, vel capiendis clericis, vel injuste vectigalibus exigendis, vel publica privataque pace violanda huc usque nos turbaverit, ad rationem facti reddendam ex præscripto legum accersatur, sententiam, si pareat, accepturus mitiorem; si refragetur, judicium sine misericordia. Porro ab hodierna die quisquis in posterum, violasse quæ diximus, fuerit deprehensus, cum anathematis sententia correptum, judicatumque damnamus. Precipimusque ut ab omnibus haud aliter, quam sacrilegio pollutus devitetur, affixumque ejus in ecclesia publice nomen, ad inflicti anathematis indicium, Dominicis quibusque diebus recitetur. Tum etiam quicumque cum eo communionem inierit; si laïcus, eodem anathemate plectatur; si clericus, gradu deturbetur. Qui vero spolia emerit ab eo, acceperit, is sacris similiter interdicatur. Congregationibus autem potestatem liberam facimus, ut omnes qui in possessiones earum se inferre ausi fuerint, infligendis anathematis persequi non desinant. Archidiaconis etiam concedimus, ut ubi per occupationes reipublicæ adesse mihi non licebit, pœnitentes anathematis vinculo rite solutos reponere in ecclesiæ gratiam, veteri servata consuetudine possint.

EDITIO NOSTRA.

Hoc decretum sanxit Bruno archiepiscopus XXI. archiepiscopatus sui anno. Propter continuas oppressiones, quas ecclesia nostra patitur, decernimus, & Spiritus-sancti judicio & auctoritate nobis concessa firmamus, ut quicumque sive in rapinis rerum ecclesiasticarum, sive in combustione alicujus ecclesiæ, sive in captione alicujus clerici, vel in quacumque indebita exactione, sive in generalis vel specialis pacis violatione hactenus nos conturbavit, ad satisfactionem canonice vocetur, passurus secundum sententiam; obediens, judicium cum misericordia; rebellis, judicium sine misericordia. Ab hac autem die, id est IV. idus Decembris ulterius quicumque supradictorum violator inventus fuerit, id est MCXXII. Dominico, hodierna excommunicatione prædamnamus & præcipimus, ut ab omnibus ut sacrilegus devitetur, suspenso ejus nomine in ecclesia ad judicium excommunicationis jam super eo factæ & singulis diebus Dominicis repetendæ, ita ut quicumque ei communicaverit; si laïcus, eodem anathemate ferietur; si clericus, ab ordine deponatur. Spolia quoque emens vel dono accipiens, ei cui & spoliator dominationi subjaceat. Congregationibus etiam licentiam damus, ut quicumque eos in bonis stipendiorum suorum læserit, cum quotidiana excommunicatione persequantur.

Hic subjicere possemus S. Irminæ testamentum, quod illa ex duorum diplomatum fragmentis pro libitu coaptavit. Sed hæc præmonuisse sufficiat.

133. Sexto, corrupta ab hæreticis scripta numquam sine fructu recuduntur; ideoque epistolam episcoporum schismaticorum in Papiensi conciliabulo congregatorum de electione Victoris antipapæ a Godalsto editam, sed truncatam magna ex parte, maxime vero eo in loco ubi Romana S. Petri ecclesia dicitur *mater & caput omnium ecclesiarum*, quæ verba hæreticus suppressit, incunctanter recudimus in Thesauro nostro anecdotorum.

135. Septimo, multæ sunt cum operum tum maxime epistolarum compilationes, quarum complemento repetenda sunt sæpius ab editis libris nonnulla quæ suo loco inserantur. Hac ratione Mabillonius antiquos daturus ordines Romanos in tomo 2. Musæi Italici, antiquissimum omnium non semel jam vulgatum novo prælo submisit.

135. Octavo, cum nemini umquam contigerit, ut omnia vel legerit, vel lecta semper mominerit; si quæ forsan diplomata, si quæ epistolæ alias jam editæ in tantæ collectionis molem irrepserint, quod negare præfracte nollemus; nemo de nobis jure conqueratur: alioquin queratur simul & de omnibus monimentorum veterum collectoribus, qui in hujusmodi scopulum inciderunt. Queratur de Stephano Baluzio, qui vel in ultimo Miscellaneorum libro non multum amplo, octo minimum opuscula jam vulgata edidit. Queratur de Chesnio & Labbeo viris immortali memoria dignis, qui in uno eodemque volumine aliqua monumenta bis protulerunt, quod & aliis magni nominis viris accidisse deprehendimus. Sed & plerumque evenit, ut ex iterata hujusmodi editione gratulentur viri eruditi, qui in secunda novas reperiunt lectiones, ex quibus emendetur prima. Ceterum quæ hac in editione irrepserunt menda, illa autem pro operis mole perpauca existimamus: indulgeant nobis lectores benevoli eo lubentius, quo minus nobis ab urbe, a typographis longe dissitis, libris & eruditorum consilio ope destitutis, facultas fuerit continuo ea corrigendi, quæ consulto erratorum indice ad cujusque tomi calcem posito, emendari facile poterunt.

ERRATA.

P. 9. *l.* 15. seu &; *l.* seu ut. P. 16. *l.* 20. opulante *l.* opitulante. P. 20. *l.* 3. consilio, omnes principes Sardiniæ præcepta; *l.* concilio, omnes principes Sardiniæ, præcepta. P. 24. concilio; *l.* consilio. P. 29. *l.* 44. non; *l.* nos. P. 32. *l.* 35. commitatus *l.* comitatus. P. 33. l. 7. Moguntia; *l.* Moguntiæ. P. 58. *l.* 22. Canonici; *l.* Canonice.

INDEX

INDEX CHRONOLOGICUS
EPISTOLARUM ET DIPLOMATUM HUJUS VOLUMINIS.

Diploma

Privilegium

Ejusdem

Carta

Carta

INDEX ALPHABETICUS EPISTOLARUM ET DIPLOMATUM HUJUS VOLUMINIS.

A

Andreæ

B

D

E

H

J

Januensium

M

N

O

Pro

P

R

S

T

FACULTAS R. P. SUPERIORIS GENERALIS.

FRater CAROLUS DE L'HOSTALLERIE, humilis ſuperior generalis congregationis S. Mauri ordinis S. Benedicti, dilectis in Chriſto Fratribus noſtris Domno Edmundo Martene & Domno Urſino Durand preſbyteris & monachis ejuſdem ordinis & congregationis, facultatem tribuimus typis mandandi *Veterum Scriptorum & monumentorum hiſtoricorum, dogmaticorum & moralium ampliſſimam collectionem.* DATUM in monaſterio S. Germani à Pratis die ſecunda menſis Januarii anni milleſimi ſeptingenteſimi vigeſimi.

FRATER CAROLUS DE L'HOSTALLERIE.

MISCELLANEA



MISCELLANEA EPISTOLARUM ET DIPLOMATUM.

PRÆCEPTUM CHILDEBERTI REGIS I. pro S. Carilepho.

Continet fundationem Anisolensis monasterii.

Anno 528. *Ex cartario Anisolensis monasterii.*

CHILDEBERTUS rex Francorum A vir inluster. Si petitionibus servorum Dei, pro quod eorum quietem vel juvamen pertinet, libenter obaudimus, regiam consuetudinem exercemus. Noverint igitur omnes fideles nostri præsentes atque futuri, quia monachus quidam peregrinus CARILEPHUS nomine, de [a] (a) Aquitaniæ partibus, de pago videlicet Alvernio veniens, nobis postulavit, ut ei locum ubi habitare, & pro nos Domini misericordiam implorare potuisset, donaremus, ut eum cum monachis suis in nostra defensione & tuitione susciperemus. Cujus petitionem, quia bonam esse cognovimus, & ipsum Domini servum miraculis declarantibus veraciter perspeximus, libenti animo implere studuimus. Dedimus ergo ei de fisco nostro Maddoalo super fluvium (b) Anisola, in loco qui [b] vocatur (c) Casa-Cajani, per locis descriptis & designatis, ubi oratorium & cellam [c] sibi & ab suis monachis, & qui post eum venturi fuerint, construeret, & receptaculum pauperum in eleemosyna domni & genitoris nostri CHLODOVEI ædificare potuisset. Terminus ergo de nostra donatione, qui est inter dominationem fisci Maddoallensis & nostra traditione, incipit à villa quæ appellatur Rocciacus super fluvium Bria, in quo cadit quidam rivulus, qui ipsas determinat terras, & pergit ipsus finis vel ipsus rivulus usque subtus curtem Baudaviam, quæ in B Madduallense esse videtur, & inde pergit in dextram usque ad summum montem, & interum descendit usque in vallem ubi cru-

(a) Sanctus quippe Carilephus in Menatensi apud Arvernos cœnobio monasticam vitam professus fuerat, deinde in Miciacensi S. Maximini pagi Aurelianensis, unde in tractum Cenomanensem accessit, novum fundaturus monasterium.

(b) Ab hoc fluviolo nomen Anisolensi cœnobio inditum est, quod hodie patroni ac fundatoris retinet, vulgo *Saint-Calais*.

(c) De Casa-Cajani seu Casa-Gajani obiter hic notare juvat id quod observat Mabillonius in vita S. Siviardi abbatis Anisolensis quinti sæculo III. Bened. *Locum*, inquit, *cœnobii appellabant Casam-Gajani, de qua id observatu dignum in ms. libello de vita S. Turibii Cenomanensis episcopi. quam* Carus filius Severi, Dei servus, sicut viderat & audiverat, *scribere curavit. Turibius cujusdam præpotentis pagani nomine Gajani uxorem ad Christum adduxerat: quam ob rem Gajanus insidias ipsi tendebat.* Erat autem valde dives & potens, & possessiones multas habens. Ipse vero inter suos pagenses quasi dux habebatur, sicut locus in quo est, hactenus demonstrat, qui magnis ædificiis & altis muris Casa-Gajani vocatur. His concinunt acta episcoporum Cenomanensium cap. 11. ab eodem Mabillonio edita tom. 3. Analect.

ces in arbore & lapides subtus infigere jussimus, & sic per ipsum terminum venitur ad villam Lescito nomine, quæ est de nostra donatione, deinde descendit per terminos, & lapidis fixis ad colonicam quæ appellatur Curtleutachario, & ipsa colonica determinat per lapidis fixis contra montem & solis occasum, & inde descendit ad eum locum ubi Maurus ipsius Maddoallo judex manere videtur. Inde extenditur terminus ad locum qui appellatur villa Baltrude, & illa in sinistra parte relicta peragitur per terminos & lapides fixas, propter stratam veterem, per summum frasugetum, ubi cruces in arbores quasdam, sed & clavos & lapides subterfigere jussimus. Inde extenditur ipse terminus per loca designata usque ad stratam Variciasensem. Inde iterum, propter ipsam stratam, usque ad arborem quæ vocatur Robur-Fasiani, quæ arbor est juxta stratam, & viæ quæ distenditur foris ad Malam-patriam, & locum qui appellatur Coldriciolus, & prope ipsum Robur-Fasiani, qui est juxta ipsam viam, habet lapides fixas. Sed & clavis in arboribus figere jussimus. Inde per ipsa via pergit terminus ipsus usque ad Axoniam, sicut fixæ lapides docent. Inde per summum Cananiolam usque ad Fontem-caballorum. Inde deducitur de Fonte-caballorum per loca designata leucam in longum de latere pocessionis, quæ appellatur Mala-patria, & de alio latere est locus qui vocatur Saucitus, qui & ipse Saucitus in ipsa leuca condonatur usque ad Anisolam, sicut cruces in arbores factas & loca designata declarant usque in Brannie valle. Inde modicum per ipsam vallem & rivolum vadit usque fines Sinemurenses, & inde versus solis orientem pergit per alium rivolum usque ibi ipsus rivolus consurgit per loca designata, & à jam dicto fine Sinemurense extenditur usque in Anisolam, & est ibi in ipsis finibus arbor sita valde grandis, & sub ipsa arbore lapides grandes figere jussimus. Inde per ipsam Anisolam distenditur confinium donationis nostræ & Sinemurense contra solis orientem, & est sicut volumus intimare de latere uno pars Sinemurensis, & de alio latere pars Mattojacensis, silva quæ vocatur Burcitus, & pervenit ad locum ubi junguntur fines Sinemurenses & Baliavenses & Marojalenses, ibique in arboribus cruces facere, & sub ipsas lapides subterfigere jussimus. Inde distenditur terminus ipsus per ipsam Anisolam, de uno latere est pars Baloacensis, & de alio latere pars Marojoclensis, per loca designata, & per ipsam usque prope locum qui dicitur Tilius, ubi Anisola consurgit, & subjungit ad vetus viam quæ venit de Si-

A nemuro, & per ipsam viam & loca designata vadit usque ad locum qui dicitur Fossa-colonorum. Inde pergit per ipsam viam & loca designata usque ad fossam antiquam habentem aquam. Inde descendit ipse confinius Baliavensis & Marojalensis in Axona quæ vocatur Petrosa, & sic per Axonam & arbores vel lapides fixas vadit usque foras ad summos campos, ubi lapides fixas, & sub ipsos lapides sunt signa posita, & est ibi lapis magnus, qui est fixus inter terminum Baliavensem & Marojalensem & Maddoa-

B lensem, qui venit de Verto-fonte juxta culturam illam, habentem ex omni parte dextero ...LX. & de ipso lapide fixo in Axona pergit terminus Baliavensis & Marojalensis per vallem Axonæ usque prope Berofacium, & inde vadit per ipsam vallem & rivolum, qui ibidem per aliquot tempus currit usque in Marcinariam antiquam. Inde consurgit ad montem per terminum veterem usque ad locum, qui appellatur Casa-Vuadardo, & est ipse terminus inter Rivualcham & Casam jam dicto Vuadardo, & inde des-

C cendit per ipsam Vallicellam & rivolum, qui ibi per aliquot tempus currit usque ad terminum Raalensem & Baliavensem & Marojalensem, ubi ipsæ tres partes junguntur, suntque ibidem sisternæ veteres duæ. Omnia igitur quæ infra istis terminis continentur ad excolendum, plantandum, ædificandum, & secundum monachorum regulam quicquid voluerit construendum, eidem sancto viro speciali patroni nostro Charilepho & monachis suis concessisse, & per

D ipsius donationis titulum tradidisse omnium fidelium nostrorum comperiat magnitudo. Ipsum etiam domnum & venerabilem virum cum omnibus monachis suis, & res ad se pertinentes in nostro mundeburde vel tuitione recepisse & tenere cognoscat. Quapropter per præsentem præceptum jubemus ut neque vos neque successores vestri, nec aliquis de fidelibus nostris in causas aut in rebus ipsius sancti viri ingredere non præsumatis, aut aliquid de rebus aut de terminis minuare cogitetis, aut in aliquo moles-

E ti esse velitis: sed liceat eis per hanc auctoritatem à nobis firmatam sub immunitatis nostræ tuitione vel mundeburde quietos residere, & tam ipsi quam successores illorum, pro stabilitate regni nostri, Domini misericordiam delectet implorare. Et ut hæc auctoritas firmiorem obtineat vigorem, manu propria confirmavimus, & de anulo nostro subtersigillare jussimus. Actum Madoallo fisco dominico. Data XIII. calendæ februarii anno (a) IV. regni nostri. In Domino feliciter. Amen. [a]

(a) Mabillonius in Annalibus Benedictinis tom. I. suspicatur in apographo hujus præcepti mendum irrepsisse, tum quia Childebertus quarto regni sui anno minorennis erat, necdum cum Ultrogotha regina, quæ prædictæ donationi favit, conjugatus; tum quia Cenomani nondum ipsi, sed fratri Clodomiro parebant, qui non ante decimum tertium

A

PRÆCEPTUM CHILDEBERTI regis I. Daumero abbati Anisolensi concessum.

Anisolense monasterium sub sua protectione suscipit.

Anno 536. Ex cartario Anisolensi.

CH.... rex Francorum vir inluster. Si petitionibus servorum Dei, pro quod eorum quietem vel juvamen pertinet, libenter obaudimus, regiam consuetudinem exercemus, & nobis ad laudem vel stabilitatem regni nostri in Dei nomen pertinere confidimus. Ideo venerabilis vir DAUMERUS (*a*) abba de monasterio Anisola, quod est in pago Cenomannico, & ubi ipse abba una cum turba monachorum sub sancto ordine conversare videtur, missa petitione, clementiæ regni nostri expetiit, ut eum & ipsum monasterium una cum omnibus rebus vel hominibus suis (*b*) Gasindis, amicis, (*c*) susceptis, vel qui per ipsum monasterium sperare videntur, vel unde legitimo redebet (*d*) mitio vel sermone tuitionis nostræ vel mundeburde recipere deberemus; quod & nos gratanti animo illi præstitisse cognoscite. Quapropter per præsentem jubemus præceptum, ut neque vos, neque juniores vestri, aut successores, missi de palatio nostro discurrentes, ipsi DAUMERO abbate vel monachis ipsius, vel qui per ipsum monasterium sperare videntur, nec condemnare, nec inquietare, nec inferendas sumere, nec de res eorum aliquid minuere penitus non præsumatis. Sed liceat ipso abbate DAUMERO & successores ejus atque congregatione eorum, quod ad præsens rationabiliter videntur habere, aut adhuc a Deo timentibus hominibus ibi fuerit additum vel augmentatum, sub omni emunitate vel tuitionis nostræ sermone valeant tenere atque possidere, quatenus melius eis delectet pro stabilitate regni nostri misericordiam potius deprecare. Et ut hæc auctoritas firmiorem in Dei nomine vigorem obtineat, manu propria confirmavimus, & de sigillo nostro subtersigillare decrevimus. Actum Compendio palatio anno XII. regni nostri. Data quarto calendas maii.

PRÆCEPTUM CHILPERICI Chlotharii regis filii, Gallo abbati Anisolensi concessum.

Sub sua tuitione Anisolense monasterium suscipit.

Anno 570. Ex cartario Anisolensi.

CHILPERICUS rex Francorum vir inluster. Si petitionibus servorum vel ancillarum Dei, pro quod eorum quietem vel juvamen pertinet, libenter obaudimus, vel effectui in Dei nomen mancipamus, regiam consuetudinem exercemus, & nobis ad laudem vel stabilitatem regni nostri in Dei nomen pertinere confidimus. Ideo venerabilis vir (*e*) GALLUS abbas de monasterio Anisola, quod est in pago Cenomannico, ubi S. Carilephus in corpore requiescit, vel ubi ipse abba una cum turba monachorum sub sancto ordine conversare videtur, missa petitione clementiæ regni nostri expetiit, ut eum & ipsum monasterium una cum omnibus rebus & hominibus suis, Gasindis, amicis, susceptis, vel qui per ipsum monasterium sperare videntur, vel unde .... tuitionis nostræ vel mundeburdo nostro recipere deberemus. Quapropter per has .... jubemus præcep: .... successores vel missi de palatio nostro discurrentes..... GALLUM abbatem.... monasterii sui, amicis, susceptis, vel qui per eumdem sperare videntur, vel unde legitimo debet mitio inquietare, nec inferendas sumere, nec de res eorum in lege minuere audeat; sed liceat eis sub sermone nostræ tuitionis, vel sub emunitate nostra quietos vivere ac residere: & si aliquas causas adversum ipsum monasterium ortas fuerint aut surrexerint .... à vobis aut junioribus vestris absque eorum iniquo dispendio terminatas non fuerint, usque in præsentia nostra omnimodis servetur, & ibidem finitivam sententiam per legem & justitiam debeant accipere, vel unicuique de reputatis conditionibus justitiam reddant, & ab alio simili modo veritatem percipiant. Et ut auctoritas nostra firmior habeatur per tempora, manus..... subter eam roborare decrevimus.... Chilperic... quod fecit mensi anno I. regni nostri.

regni Childeberti annum, Christi quingentesimum vicesimum quartum occisus est: quare numericam notam x. casu omissam esse existimat, & pro XIV. scriptum fuisse IV. Verum quartus hic regni Childeberti annus non de illo regno, quod post Clodovei patris mortem Parisiis sortitus est, sed de illa regni fratris sui Clodomiri parte, quæ eo cadente, apud Cenomanos illi obtigit, forte intelligendus est: & sic omnia quadrant.

(*a*) Daumerus ex Perticensi S. Aviti monasterio, S. Carilephi socius, in pagum Cenomanensem accessit, ac ipsi in Anisolensis congregationis regimine abbas successit.

(*b*) Gasindi dicebantur, qui ex alicujus domo seu familia erant, sive honoratiores famuli.

(*c*) Suscepti sunt clientes sub advocati defensione constituti.

(*d*) Mitius est missus seu legatus.

(*e*) Gallus in vita S. Carilephi servus ejusdem Sancti appellatur. In actis autem episcoporum Cenomanensium Analectorum tom. 3. extat precaria Gallo abbati à S. Domnolo episcopo facta Chilperici regis anno quinto.

PRÆCEPTUM THEODERICI regis Siviardo abbati Anisolensi concessum.

Monasterium Anisolense sub sua accipit protectione.

Circa 673. Ex cartario Anisolensi.

THEODERICUS rex Francorum. Si petitionibus servorum vel ancillarum Dei, per quod eorum quietem ac juvamen pertinet, libenter obaudimus, ut effectui in Dei nomine mancipamus, regiam consuetudinem exercemus, & nobis ad mercedem pertinere confidimus. Ideoque venerabilis vir (a) SIVIARDUS abba de monasterio Anisola, quod est in pago Cenomannico, ubi S. Carilephus corpore requiescit, vel ubi ipse abba una cum sancta congregatione degit, supplex clementiæ regni nostri expetiit, ut eum ad ipsum monasterium una cum fratribus vel hominibus suis, Gasindis, amicis, susceptis, vel qui per ipsum monasterium sperare videntur, vel unde legitimo redebet mitio vel sermone tuitionis nostræ, vel mundeburdo nostro recipere deberemus, & sub ipso inlustri viro causas ipsius monasterii vel abbatis debeat habere receptas. Cui nos gratanti animo [assensum] præstitisse cognoscite. Quapropter per præceptum præsens decrevimus ac jubemus, ut neque vos, neque juniores vestri, neque successores, vel missi de palatio nostro discurrentes, vel quislibet ipso domno SIVIARDO abbate vel homines ipsius monasteril, amicis, Gasindis, susceptis, vel qui per ipsum monasterium sperare videntur, condemnare, vel inquietare, vel inferendas sumere, nec de res eorum in lege eorum minuere non præsumant, ut liceat eis sub sermone tuitionis nostræ vel sub emunitatis nostræ quietos vivere ac residere. Et si aliquas causas adversum ipsum monasterium aut mitio ipsius abbatis ortas fuerint aut surrexerint, quas à vobis aut à junioribus vestris absque eorum iniquo dispendio terminatas non fuerint, manu eorum .... vestra quousque in præsentiam nostram omnimodis servetur, & ibidem finitivam sententiam per legem & justitiam debeant accipere, & unicuique de reputatis conditionibus justitiam reddant, & ab alio simili modo veritatem percipiant. Et ut hæc auctoritas nostra firmior habeatur, per tempora etiam melius conservetur, manu nostra subtersignaculis decrevimus roborare. Signum THEODERICI.

A Datum .... fecit mens. Jun. dies XI. anno regni nostri ....

PRÆCEPTUM CHLODOVEI regis junioris Ibboleno abbati Anisolensi concessum.

Immunitates & privilegia monasterii Anisolensis confirmat.

Anno 692. Ex cartario Anisolensi.

CHLODOVEUS rex Francorum vir inluster omnibus agentibus præsentibus &
B futuris. Si petitionibus sacerdotum, in quo pro opportunitatibus ecclesiarum vel monasteriis nostris patefecerint auribus, libenter audimus, regiam consuetudinem exercemus, & nobis ad mercedem vel stabilitatem regni nostri pertinere confidimus. Ideoque venerabilis IBBOLENUS abba de monasterio Anisola, quæ est in pago Cenomannico, in honore peculiaris nostri patronisque pii Carilephi confessoris constructus, per missos clementiæ regni nostri detulit in notitiam, eo quod consobrinus
C noster GUNTRAMNUS quondam rex ad ipsum monasterium sub omni immunitate per suam auctoritatem concessisset, & hoc postea avi nostri CHLOTARIUS & DAGOBERTUS, seu & CHLODOVEUS, nec non item CHLOTARIUS quondam reges, vel domnus & genitor noster THEODERICUS quondam rex, per eorum auctoritates ipsorum manus roboratas ipsi monasterio hoc confirmassent, unde & ipsas præceptiones se ex hoc præ manibus habere affirmant. Et hoc circa
D ipsum monasterium nullo inquietante adserunt conservari; sed pro totius rei munimine postulat, ut hoc nostra auctoritas in ipso monasterio plenius debeat observari: quod nos præstitisse & generaliter confirmasse vestra non dubitet magnitudo. Quapropter per præsentem præceptum jubemus, ut sicut per auctoritates supra scriptorum principum leguntur, & usque nunc fuit observatum, neque vos, neque juniores vestri, neque successores vestri in curtis ipsius monasterii, neque ad causas audien-
E dum, neque ad freda exigenda, nec mansiones requirendo penitus ingredere non præsumatis, nisi per hanc auctoritatem firmatam ipse abba, successoresque ejus in causis ipsius monasterii ibi Deo famulantes; quod ad præsens rationabiliter habere videntur, aut à Deo timentibus hominibus ibi fuerit additum vel augmentatum, sub omni immunitate inspectas ipsas præceptiones supramemoratorum principum, quas

(a) S. Siviardus S. Sigiramni & Addæ filius, atque post patrem suum quintus Anisolensis abbas, vitæ S Carilephi scriptor, Sanctorum Cenomanensium catalogo adscriptus, officium habet IX. lectionum in diœcesi Cenomanensi: cujus obitum anno VIII. Theodorici Calensis contigisse asserunt Corvaisarius & Bondonetus: Theodorici, inquam, Calensis, non Theoderici primi: quorum suffragiis adstipulari videtur Mabillonius in Elogio historico ejusdem S. Siviardi. Verum cum S. Siviardus quintus Anisolensis abbas dicatur in fronte vitæ S. Carilephi ab eo scriptæ, necessario ipsius ætas ad tempora Theoderici I. referenda est. Et certe id evincunt Diplomata Chlodovei III. & Childeberti II. filiorum ejus, in quibus fit mentio hujus privilegii à genitore suo Theoderico I. Siviardo abbati concessi.

ſe præ manibus habere affirmant, valeant habere, tenere, poſſidere, & ibidem ad ipſum locum ſanctum per hanc auctoritatem noſtram hoc quod eſt firmatum perenniter proficiat ad augmentum, ut potius delectet eis melius pro ſtabilitate regni noſtri Domini miſericordiam exorare. Et ut hæc petitio noſtra firmiorem obtineat vigorem, manus noſtræ ſignaculis ſubter decrevimus adfirmare. CHLODOVEUS rex. † Data KAL. Septemb. anno II. regni noſtri Compendio. (a) [a]

S. IRMINÆ ABBATISSÆ teſtamentum. (b) [b]

Donat monaſterio Epternacenſi quidquid ſibi ex paterna vel materna ſucceſſione contingebat.

Anno 698. Ex cartario Epternacenſi.

ANNO quarto regni domni noſtri Childeberti regis, ſub die KAL. decembris. In nomine Patris & Filii & Spiritus-ſancti. [c] Ego IRMINA (c) in Chriſti nomine Deo ſacrata ac ſi indigna gratiâ Domini abbatiſſa. Sane quidem Deo propitio mente ſanoque conſilio teſtamentum meum fieri rogavi, idque fratri in Chriſto meo Huncioni preſbytero ſcribendum commiſi. Idcirco dono à die præſenti pro remedio animæ meæ vel pro mercedis meæ augmento in æterna beatitudine vel retributione ad baſilicam, quæ eſt in nomine ſanctæ Trinitatis, vel in honore ſanctæ MARIÆ genitricis Domini noſtri JESU CHRISTI, vel beatorum apoſtolorum Petri & Pauli ſeu ceterorum ſanctorum, quæ eſt in villa noſtra Epternaco conſtructa, ſita ſuper fluvium Sura, ubi domnus & pater noſter in Chriſto WILLIBRORDUS epiſcopus rector & gubernator eſſe videtur, donatumque eſſe volo, hoc eſt in ipſa villa Epternacon, quantumcumque ibidem ex ſucceſſione paterna vel materna mihi obvenit ad integrum, tam domibus quam ædificiis, caſis, manſis, mancipiis, vineis, campis, pratis, ſylvis, paſcuis, aquis, aquarumve decurſibus, cum appenditiis vel omnibus adjacentiis ſuis Baidelingo, Mathulſingo, vel portione mea in Oxinvillare, omnia iſta cum adjacentiis eorum, unà cum paſtoribus, vaccariis, porcariis, brevicariis cum gregibus eorum, vel omni peculio promiſcuo, ad ſæpefata loca ſanctorum vel ad monaſteriolum ibidem

A conſtructum in Dei nomine volo eſſe donatum, exceptis hominibus illis quos per epiſtolas noſtras ingenuos relaxavi, quorum vocabula ſunt, Garario, Cumboaldo, Achilde Theodfrido filio, Aldfrido, Chlodoare, Raocare, Warvinlinde, Bacelinde, Graucelebata, Gundulfo, iſti toti denominati annis ſingulis unuſquiſque eorum in luminaribus unam libram ceræ ad ſupradicta loca ſanctorum in ipſa villa Epternaco conſtructa ad Nativitatem Domini reddere & diſſolvere ſtudeant. Similiter dono ad jam dicta loca ſanctorum vineæ pedeturam (d) [d]
B unam in monte Viennenſi cum vinitore nomine Alithfrido cum omni peculiari ſuo. Iſta omnia, ut ſuperius intimavi, ad memorata loca ſanctorum à die præſenti per præſentem paginam teſtamenti noſtri tradimus atque transfundimus perpetualiter in Dei nomine poſſidendum. Hæc ſunt qua huic teſtamento meo annectere volui; ſi quæ lituræ vel caranaturæ adjectionis factæ ſunt, ego feci fierique juſſi, dum mihi mea ſæpius recenſetur voluntas. Nam ſi quis contra hoc meum teſtamentum venire tentaverit, aut aliquid irrumpere voluerit, ſit ana-
C thema, maranatha, indiſſolubili vinculo in æternum damnatus, & ſit lepra percuſſus Naaman Syri, & inſuper inferat fiſco auri libram unam, argenti pondo duo, & nihilominus præſens teſtamentum firma ſtabilitate permaneat. Actum Treberi die & regno ſupraſcripto. Ego Huncio in Chriſti nomine preſbyter, rogante & jubente domina mea IRMINA abbatiſſa, hoc teſtamentum perſcripſi, & ipſa ſubter manu propria unà cum teſtibus firmavit. Ego IRMINA hoc teſtamentum meum relegi. BASINUS (e) [e] epiſcopus. Ego LEOTWINUS epiſcopus. Ego Theodfridus, Gundebertus, Bertwinus,
D Adelbertus, Traſibrictus, Garibertus, Gazobertus, Audobertus, Waltharius.

CHARTA IRMINÆ ABBATISSÆ pro monaſterio Epternacenſi.

Concedit S. Vvillibrordo epiſcopo villam Montem ſitam in pago Tulpiaco.

Anno 699. Ex cartario Epternacenſi.

DOMINO ſancto & in Chriſto patri WILLIBRORDO epiſcopo IRMINA abbatiſſa donatrix. Quicquid unuſquiſque homo de rebus ſuis propriis ad loca ſanctorum aut ſervorum Dei ſpontanea voluntate

(a) Extat in eodem Aniſolenſi cartario aliud Childeberti II. præceptum iiſdem verbis expreſſum, in quo confirmat privilegia, quæ Guntramnus rex conſobrinus, avique ipſius Chlotarius, Dagobertus, Chlodoveus, item Chlotarius & *germanus*, inquit, *noſter item Chlodoveus quondam reges, vel domnus & genitor noſter Theodericus rex conceſſerant.*

(b) Brovverus in Annalibus Trevirenſibus hanc cartam ex parte edidit, ſed ſuo more deflexis pro libitu in puriorem latinitatem verbis: quapropter pura & integra neceſſario fuit recudenda. Porro in cartario Epternacenſi extat & aliud ejuſdem S. Irminæ teſtamentum, quod Miræus inter Diplomata Belgica edidit pag. 246.

(c) Irminam Dagoberti ſecundi Auſtraſiorum regis filiam facit Theofridus abbas Epternacenſis, qui vitam ipſius ſæculo XI. ſcriptis commendavit. Abbatiſſa porro Horreenſis monaſterii apud Treviros fuit, quod hodie ipſius nomen retinet, eſtque nobilium virginum Benedictinarum.

(d) Pedetura eſt area certo pedum dimenſu comprehenſa, quam poſteri dixerunt Picturas & Pitteras corruptiſſime, ut habet liber cenſuum Prumiæ cum gloſſario Cæſarii abbatis.

(e) Baſinus ex abbate S. Maximini factus eſt archiepiſcopus Trevirenſis, qui poſtea abdicata pontificali dignitate, ad S. Maximinum denuo ſeceſſit, ſucceſſorem in epiſcopatu ſortitus Leotvvinum ex ſorore nepotem hîc ſubſcriptum.

aliquid condonaverit, hoc sibi credit mercedis præmium recipere in futuro. Idcirco dono ad monasterium vestrum, in villa Epternaco constructa, super fluvio Sura, quod ego a novo de fundo proprio ædificavi, vel ad illa loca SS. Petri & Pauli apostolorum ceterorumque sanctorum constructa; donatumque esse volo a die præsenti, hoc est quantumcumque in ministeria ipsorum sanctorum condonavi, vel in qualibet præsidia dedi tam auro, quam argento, gemmis, vestimentis, altarium velis, cortinis, utensilia tam ærea quam ferrea, seu & ligna operis quantumcumque in ipsa loca sanctorum, vel in prædicto monasterio ponere jussi, aut in antea Christo præsule addere potuero, volo ut hac ex nostra munificentia in Dei nomine proficiat perpetualiter in augmentis. Similiter dono vobis à die præsenti ad ipsum monasterium vestrum Epternacense villam, cujus vocabulum est Montis, sitam in pago Tulpiacensi, quam de
[a] dulcissima consobrina mea (a) Ermintrude filia Pantini dato pretio comparavi, hoc est tam domibus, quam ædificiis, mansis, casis, mancipiis, campis, sylvis, pratis, pascuis, adjacentiis, aquis, aquarumque decursibus, omnia ex omnibus ad integrum, vel quantumcumque in memorata villa Montis tempore præsenti possidere videor, seu & peculii promiscuo u-
[b] triusque generis nationum (b) vobis, vel ad sæpefatum monasterium vestrum Epternacense à die præsenti, ut superius dixi, de potestate mea in jure & dominatione vestra vestrique monasterii per præsentem paginam donationis meæ manu mea firmatam trado atque transfundo, perpetualiter in Dei nomine possidendum, ea ratione, ut quicquid ex hoc tam vos, quam fratres ipsius monasterii elegatis, faciendi, habendi, tenendi, commutandi liberam & firmissimam in omnibus habeatis potestatem, & nullius ex hoc calumniam habere pertimescatis. Nam si quis contra hanc cartam donationis, quam ego spontanea voluntate fieri decrevi, tentare conaverit, imprimitus iram Dei omnipotentis incurrat, & inferat fisco auri libras tres, argenti pondo VIII. & hoc quod repetit nullatenus valeat evindicare. Facta est hæc cartula donationis sub die KAL. julias anno V. regni domni nostri Childeberti regis. Ego Huncio in Dei nomine presbyter, rogante & jubente Irmina abbatissa, hanc cartulam donationis perscripsi, & ipsa subter manu propria una cum testibus firmavit. Ego Irmina hoc testamentum à me factum relegi. Basinus episcopus. Leodowinus episcopus. Waltharius diaconus, Bertuinus diaconus, Tarobertus diaconus, Ethberictus presbyter, Garberictus, Transberictus, Bosa, Aodebertus.

CHARTA IRMINÆ ABBATISSÆ pro monasterio Epternacensi.

Concedit S. Vuillibrordo episcopo quicquid possidebat in villa Stancheim.

Domino sancto & in Christo apostolico patri Willibrordo episcopo Irmina in Christo Deo sacrata abbatissa donatrix. Quicquid unusquisque homo de rebus suis ad loca sanctorum & servorum Dei spontanea voluntate condonaverit, hoc sibi apud Deum mercedis præmium credit recipere in futuro. Idcirco ego Irmina dono vobis ad monasterium vestrum Epternaco, quod nos a novo construximus, situm super fluvio Sura, in honore sanctæ Trinitate, vel sanctorum, donatumque in perpetuum esse volo ad possidendum, hoc est quantumcumque à die præsenti in villa *Stancheim*, sita super fluvio Sura, mea possessio vel donatio est, tam domibus, quam ædificiis, mansis, mancipiis, vineis, pratis, pascuis, sylvis, aquis, aquarumque decursibus, sub ea conditione, ut quicquid a die præsenti vos vel pars monasterii exinde facere voluerit, liberam & firmissimam in omnibus habeatis potestatem faciendi, & nullius repetitionem ex hoc habere vereamini. Si quis vero, quod fieri non credimus, tam ego quam aliquis de heredibus aut coheredibus meis, vel qualibet opposita persona contra hanc nostræ donationis cartulam venire conatus fuerit, aut eam irrumpere voluerit, primitus iram Dei omnipotentis incurrat, & insuper inferat fisco auri libram unam, argenti pondo duo, nec sic quod repetit ullatenus possit evindicare, manente nihilominus firmitate. Actum Treberi VIII. idus maias, anno X. Childeberti regis. Ego Huncio in Christi nomine presbyter, rogante domna Irmina abbatissa, hanc cartulam donationis perscripsi, & ipsa subter manu propria cum testibus firmavit. Ego Irmina relegi & subscripsi. Basinus episcopus, Radobertus, Dagoinus, Leodoinus presbyter, Gaucebertus, Garibertus, Magnobertus, Quitario, Trasebertus, Walthaurius diaconus. Bobo.

Anno 704. Ex cartario Epternacensi.

(a) Suspicor Ermintrudem hanc Irminæ consobrinam, esse nobilissimam illam atque illustrem matronam Ermintrudem, cujus testamentum in carta Ægyptiaca conscriptum ex archivio Dionysiano edidit Mabillonius ad calcem Liturgiæ Gallicanæ. Certe conveniunt nomen, ætas, atque generis nobilitas, de qua vide eumdem Mabillonium in Annalibus Benedictinis ad annum 700.

(b) Gallicæ nimirum & Teutonicæ.

CARTA HEDENI DUCIS Pro S. Willibrordo episcopo.

Varias & insignes ei facit donationes.

Anno 704. *Ex cartario Epternacensi.*

IN Christi nomine. Dum in præsenti vita quisque conversari videtur, & hanc caducam vitam morte finiendam vigilanti mente perspexerit, cogitare debet, quatenus animæ suæ in futuro apud Deum mercedem & refrigerium, dum ipse vivit, conquirat. Idcirco ego HEDENUS vir illuster, una cum conjuge mea clarissima THEODRADA, aliquid de rebus nostris pro amore Christi, & remissione peccatorum nostrorum, & mercede futura, Deo & domno patri nostro in Christo WILLIBRORDO episcopo dare disposuimus, quod & ita fecimus: id est curtem nostram in loco nuncupante Arnestali, super fluvio Huitteio, cum omni integritate sua, id est casis, curtidis, campis, pratis, pascuis, silvis, aquis, aquarumque decursibus, mobili & immobili, mancipiis, & jumentis, vaccariis, pastoribus, porcariis, & quicquid ad ipsam pertinere videtur, a die præsenti totum ad integrum in tuam potestatem, domine pater venerande, trado atque transfundo, ut habeas, teneas & possideas, & cui volueris in Dei nomine dimittas. Et in castello *Mulenberge* donamus tibi tres casatas cum mancipiis, unà cum omni peculiari eorum, & centum diurnales, id est, jugera de terra aratoria, propter aquam & ligna trahenda. Et in curte nostra alia nuncupante *Monhore* donamus tibi VII. hobas, & VII. casatas, & CCCC. diurnales de terra, & tertiam partem de silva ad eamdem curtem pertinentem, & prata ad L. carradas secandas, & porcarios duos cum L. porcis, & vaccarios duos cum XII. vaccis. Has casatas ibidem manentes cum omni peculio vel laboratu eorum, quod habent vel habere noscuntur, totum tibi ad integrum trado. Has res omnes superius intimatas tibi domno & patri in Christo nostro damus, donatumque esse perennis temporibus volumus, ut habeas tuisque habendum derelinquas, vel quicquid exinde facere volueris, liberam & firmissimam in omnibus habeas potestatem. Si quis vero, quod futurum esse non credo, nos ipsi, quod absit, aut aliquis de heredibus aut proheredibus nostris contra hanc donationis nostræ cartulam venire tentaverit, & eam infringere voluerit, & tibi de istis jam rebus aliquid quasi hereditario jure auferre conaverit, primitus iram omnipotentis Dei incurrat, & sanctorum angelorum, & a liminibus ecclesiæ Dei vel communione sanctorum extraneus efficiatur, & lepram Giezi, vel percussionem Ananiæ & Saphiræ consequatur, A partemque habeat cum Juda Schariothe, qui Dominum tradidit, & insuper inferat tibi una cum cogente fisco auri libras V. argenti pondo XV. & nec sic quidem quod repetit evendicare valeat, sed frustrata ejus vanitate, hæc carta perennis temporibus firma & immobilis permaneat astipulatione subnixa. Actum publice in castello *Virteburh* sub die kalendas maias, anno X. regni domni CHILDEBERTI gloriosi regis. Ego Laurentius indignus presbyter, jubente domino HEDENO duce viro illustri, hanc donationis cartulam scripsi & in Dei nomine subscripsi. Ego HEDENUS hanc donationis B cartam a me factam & ante me lectam propria manu firmavi & subscripsi cum THEODRADA. Ego THURINGUS filius Hedeni donationem patris mei firmavi †. Rocchus, Doda.

CARTA AENGILBALDI VIRI illustris pro S. Willibrordo episcopo.

Insignem ei facit donationem.

Anno 704. *Ex cartario Epternacensi.*

C DOmino vere sancto & apostolico patri Willibrordo episcopo AENGILBALDUS filius Hildiboldi quondam donator, salutem in Domino. Dum quisque in præsenti sæculo conversare videtur, cogitare necesse est, qualiter animam suam de peccato & pœna æterna liberare debeat. Idcirco ego AENGILBALDUS pro salute animæ meæ vel requie sempiterna, trado tibi WILLIBRORDO episcopo terram in loco vel villa nuncupata Waderlo super fluvium Dutmala, cum omnibus qui ibidem hereditario jure vel laboratu legitime possidere D visus sum, totum a die præsenti tibi trado, atque in tuam potestatem transfundo: id est tam terras aratorias, cum campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumque decursibus, mobilibus & immobilibus, & silvam ad eumdem locum pertinentem, & VIII. casatas cum hominibus & mancipiis, & cum omni peculio suo. Hæc omnia a die præsenti tibi dono, donatumque perennis temporibus esse volo, ut habeas, teneas atque possideas, tuisque ad habendum derelinquas, & quicquid exinde facere vo- E lueris, liberam atque firmissimam in omnibus habeas potestatem. Si quis vero, quod futurum esse non credo, heredum vel proheredum meorum, vel quælibet opposita persona, contra hanc donationis cartulam venire tentaverit, & eam infringere conaverit, primitus iram Dei omnipotentis incurrat, & sanctorum angelorum, & à liminibus ecclesiæ alienetur, partemque habeat cum Juda, & ultionem Ananiæ & Zaphiræ, vel lepra Giezi percutiatur, & inferat fisci juribus auri libram unam, argenti pondo X. nec sic quod repetit evindicare valeat,

sed firma & immobilis hæc donatio perennis temporibus permaneat stipulatione subnixa. Actum publice in loco Bittinum coram testibus, anno x. regni domni nostri CHILDEBERTI gloriosissimi regis, sub die calendas octobris. Ego AENGILBALDUS hanc cartulam relegi & confirmavi. Onsbaldus, Eburumes, Edilhardes, Robertes, Tolebaldes, Etrele, Eutlinde, Bertlinde subscripserunt. Ego Elduinus presbyter, rogante AENGILBALDO viro illustri, scripsi & subscripsi, signumque crucis adfixi †.

CARTA PIPPINI ET PLECTRUDIS ejus uxoris pro Epternacensi monasterio.

Confirmat Epternacensis monasterii fundationem, conceditque ut defuncto VVillibrordo, fratres liberam habeant eligendi abbatis potestatem.

Anno 706. *Ex cartario Epternacensi.* SEmper humana fragilitas casus inevitabiles debet perpendere, ut quandoquidem repentina supervenerit transpositio, non habeat in nobis quod puniat, sed inveniat quod coronet, juxta mandatum Domini, *Date & dabitur vobis*. Et illud: *Facite eleemosynam, & omnia munda sunt vobis*. Idcirco ego in Dei nomine inluster vir PIPPINUS filius ANSGISILI quondam, nec non & illustris matrona mea PLECTRUDIS [a] filia (a) HUGOBERTI quondam, cogitantes casum humanæ fragilitatis, qualiter peccata nostra possemus abluere, & Deo donante ad æterna gaudia pertingere, concedimus domno patri nostro viro apostolico WILLIBRORDO episcopo de monasterio Epternaco, sito in pago Bedense, super fluvio Sura, quod ipse donante Deo ædificavit in rebus proprietatis nostræ, & unde ipse beatus WILLIBRORDUS testamentum confirmavit, ut sub nostra defensione haberemus ac heredum nostrorum: unde placuit nobis, ut apostolico patri nostro WILLIBRORDO ipsum monasterium confirmaremus: quod ita & fecimus, eo modo, ut ibidem fratres peregrinos vel alios Deum timentes congregent, ut ibidem secundùm ordinem sanctum degere & conversari debeant. Et illud ibidem nobis placuit inserendum, ut cùm ipse beatus WILLIBRORDUS de hac luce migraverit, ipsi fratres quem ex semetipsis elegerint, sibi constituant abbatem, ea ratione, ut heredibus nostris in omnibus fidelis appareat, & ibidem secundùm ordinem sanctum degat, & sub nostro mundiburdio vel defensione persistant. Et si quis Deum timens tam de parte nostra, quam & de reliquis hominibus, de suis rebus ad ipsum monasterium condonare & confirmare deliberaverint, vel quicquid ibidem, Deo inspirante, de collatis bonis obvenerit, Deo propitio, eis proficiat in augmentis. Si quis vero, quod minime credimus esse futurum, si quis fuerit ullus de heredibus aut propinquis nostris, seu quælibet extranea aut opposita persona, quæ contra hanc nostram confirmationem, quam nos pro divino intuitu vel animæ nostræ remedio fieri, aut firmare rogavimus, venire voluerit aut infringere, & ista carta ei ostensa fuerit ad relegendum, & se ex hoc compescere noluerit, imprimitus iræ Dei omnipotentis incurrat offensam, & à liminibus sanctorum efficiatur extraneus, & inferat partibus ejusdem loci & fratribus tunc tempore ibidem servientibus, aut cui litem intulerit, tantùm, & aliud tantum quantum res ipsæ eo tempore emeliorare valuerint; & insuper inferat cum socio fisco auri libras x. argenti pondo xx. coactus exsolvat, & quod repetit evindicare non valeat, sed præsens confirmatio ad instar testamenti constipulatio adnixa omni tempore firma stabilitate capiat firmitatem. Actum Gamundias publice sub die III. idus maias anno XII. regni domni nostri CHILDEBERTI gloriosi regis. PIPPINUS & PLECTRUDIS. DRODA, CHUGOBERTUS, GERBALDUS, BERNARIUS, CONSTANTINUS, JOSEPHUS episcopi. Winitharius, Agione, Remedius. Ramingus jussus à Pippino & Plectrude scripsi, & Hardoino.

(a) Notandus hîc in primis locus de Plectrudis Pippini Heristalii uxoris patre, cujus nomen hactenus ignoraverunt auctores.

CARTA AENGELBERTI pro monasterio Epternacensi.

Concedit S. VVillibrordo quicquid possidebat apud Alfheim.

IN Christi nomine domno sanctissimo & dilectissimo patri W. episcopo AENGELBERTUS filius Gaoberto quondam donator. Anno 709. *Ex cartario Epternacensi.* Dum leges & jura sinunt, & convenientia Francorum est, ut de facultatibus suis quisque quod facere voluerit liberam habeat potestatem, & necesse est, ut quisque pro incerto hujus vitæ exitu de rebus suis aliquid ad Dei partem committat, ut per hoc indulgentiam facinorum suorum percipiat. Idcirco ego AENGELBERTUS pro remedio animæ meæ seu retributione æterna, aliquid tibi, domine pater & pontifex W. de rebus meis donare decrevi: quod & ita feci: hoc est in pago Texandriæ in loco nuncupante *Alfheim*, quod mihi ex paterno jure legitime provenit: hoc est casatas XI. cum sala & curticle meo, quem ad præsens habere visus sum, cum mancipiis, & omni peculio eorum. Hæc omnia tibi a die præsenti trado atque transfundo cum omni integritate vel adjacentiis eorum, hoc est casis, curticlis, silvis, terris, pratis, pascuis, & aratoria

aratoria terra, aquis, aquarumque decursibus, mobili & immobili, egressu vel ingressu, & watrischafo. Hæc omnia tibi do, donatumque esse perhennis temporibus volo: Hoc habeas, teneas, possideas, tuisque ad possidendum relinquas, & quicquid exinde facere volueris, liberam & firmissimam in omnibus habeas potestatem. Si quis vero, quod futurum esse non credo, ego ipse, *& cetera sicut in superioribus cartis continetur usque*, inferat tibi una cum cogente fisco auri libras v. argenti pondo x. & nec sic quod repetit evendicare valeat, sed firma & immobilis hæc nostra donatio permaneat, adstipulatione subnixa. Actum publice Tilliburgis, XII. calendas Junias, anno XV. CHILDEBERTI gloriosissimi regis. Et do tibi in pago Testeventi super Mosam, loco Birni, casatam unam cum omni peculio. Ego Virgilius presbyter scripsi. AENGELBERTUS, Werengatto frater ejus. Paulus presbyter, Aldrao, Alduino, Nardgaoto, Egisgaro, Nanduiano.

CARTA BERTILENDIS illustris feminæ & monialis pro S. Willibrordo.

Insignem ei facit donationem.

Anno 710. *Ex cartario Epternacensi.* [a]

IN Christi nomine. Domino sanctissimo & venerabili patri W. episcopo BERTILENDIS filia (a) Wigibaldi consecrata Deo donatrix. Quisquis ad Dei partes vel ad loca sanctorum aliquid de rebus suis dare vel delegare voluerit, hoc solemni scriptura firmetur, ut præceptorum serie fides rata atque probata celebretur: quod & faciendum æstimans, & considerans hujus vitæ incertum fragilemque statum, aliquid tibi de rebus meis, domne pater pontifex, pro remedio animæ meæ, seu orationum tuarum immarcescibili fructu, donandum decrevi: quod & ita feci: dans tibi in pago Texandrensi, loco Hoccascaute, super fluvio Dudmala, quod mihi mater mea OADRADA hereditario jure legitime reliquit; hoc est casatas v. cum sala & curticle meo, quod ad præsens habere visa sum, cum mancipiis quinque, & uxoribus, & infantibus eorum. Hæc omnia tibi à die præsenti pro mercedis meæ augmento dono, ac de mea in tuam transfundo potestatem, cum omni peculiari eorum, hoc est casis, curticlis, silvis, terris, pratis, pascuis, & aratoria terra, aquis, aquarumque decursibus, farinariis, mobili & immobili, cum ingressu & egressu, & watriscafo, & vassallos VI. cum tribus puellis, & silvam in loco Hulislaum, & quicquid mihi ibidem legitime provenit; & in alio loco dicto Heopurdum terras & silvas, & quicquid ex matre mea ibi possidere visa sum, hoc tibi do, donatumque perennis temporibus volo. Si quis vero, quod futurum esse non credo, &c. *ut supra*. Actum publice in loco (b) Calæ IV. calendas Augusti, anno XVI. regni domni nostri CHILDEBERTI gloriosissimi regis, cum testibus Ansbaldo, Folebaldo, Aengelberto, Roberto, Adlefo, Werengato, Nanduino, Wigberto. Ego Laurentius presbyter, rogante BERTILENDE illustri femina atque Deo consecrata virgine, scripsi & subscripsi. [b]

CARTA ANSBALDI MONACHI pro S. Willibrordo episcopo.

Quædam ei prædia concedit.

Anno 711. *Ex cartario Epternacensi.*

IN Christi nomine. Dilectissimo & sanctissimo patri W. pontifici ANSBALDUS monachus, filius Wigibaldi quondam, donator. Leges & Jura sinunt, & convenientia sæcularium personarum est; ut de rebus suis propriis, unusquisque quod facere voluerit liberam habeat potestatem, & hoc solemni scriptura pro temporum serie firmetur. Quod cum ita est, ego ANSBALDUS perpendens in mente mea fragilitatem præsentis vitæ, cogitavi aliquid de rebus meis tibi pro remedio animæ meæ seu orationum tuarum lucro dare & delegare: quod & ita facio. Hoc est quod tibi dono in loco Haeslaos, in pago Texandriæ super fluvio Dudmala, totum ad integrum quod mihi genitor meus VVIGIBALDUS quondam hereditario jure dereliquit, vel quicquid ego ibidem juste laborare visus sum, hoc est casis, curticlis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumque decursibus, cum watriscapo, & aratoria terra, mobili cum immobili, cum manentibus ibidem aspicientibus, x. servientes Gafergarias, Hochofinnas, cum ingressu & egressu, cum omnibus adjacentiis a die præsenti tibi ad integrum dono, donatumque perennis temporibus esse volo: hoc habeas, teneas, possideas atque defendas, tuisque possidendum derelinquas, vel quicquid exinde facere volueris, liberam potestatem habeas. Si quis vero, quod futurum esse non credo, &c. Actum publice in monasterio Suestra, anno I. DAGOBERTI regis, die VIIII. calendarum novembrium. Ego Laurentius indignus presbyter, rogante ANSBALDO Dei servo, scripsi.

(a) Vvigibaldus hic, pater Bertilendis monialis Calensis, idem esse videtur cum Vvigibaldo patre Ansberti monachi, qui alias donationes paucis post annis fecit eidem S. Vvillibrordo.

(b) Cala celebre virginum monasterium ordinis S. Benedicti, quarto ab urbe Parisiis milliari distans, à S. Batilde fundatum, ad quod olim ex alienis etiam regnis & provinciis confluebant nobiles virgines, ut Deo se consecrarent: unde mirum videri non debet quod Bertilendis ex Germaniæ partibus eo advolaverit.

CARTA AENGELBERTI viri illustris pro sancto Vvillibrordo episcopo.

Donat ei id quod possidebat in loco Eresloch dicto.

Anno 712. *Ex cartario Epternacensi.*

IN Christi nomine domno sanctissimo & dilectissimo patri Vv. episcopo AENGELBERTUS filius Gaoberti quondam, donator. Dum leges & jura sinunt, & convenientia Francorum est, ut de facultatibus suis quisque quod facere voluerit liberam habeat potestatem, & necesse est, ut quisquis pro incerto vitæ hujus exitu de rebus suis ad Dei partem aliquid committat, ut per hoc indulgentiam facinorum percipiat. Idcirco ego AENGELBERTUS cum consilio & licentia fratris mei Verengaoti, pro remedio animæ suæ seu retributione æterna aliquid tibi, domne pater & pontifex, de rebus meis donandum decrevi: quod & ita feci. Hoc est in pago Texandriæ, in loco *Eresloch*, quod mihi ex paterno jure legitime provenit, hoc est casatas tres cum sala & curticle meo, quod ad præsens habere visus sum, tria mancipia cum uxoribus & infantibus; & in loco de *Osne* casatam unam & mancipium cum uxore & infantibus. Hæc omnia tibi a die præsenti trado atque transfundo, cum omni peculiari & integritate & adjacentiis eorum, hoc est casis, curticulis, silvis, terris, pratis, pascuis, & aratoria terra, aquis, aquarumque decursibus, mobili & immobili, egressu & ingressu, & watriscafo: hæc omnia tibi do, donatumque esse perennis temporibus volo. Si quis vero, quod futurum esse non credo, &c. Actum publice loco de *Osne* cal. martii anno II. regni domni nostri DAGOBERTI regis gloriosissimi. Ego AENGELBERTUS hanc cartam a me factam relegi, & propria manu firmavi, coram testibus, Verengaoto fratre meo, Volcbaldo, Framundo, Æumlao, Adlefo, Nandino. Ego Docfa presbyter, rogante illustri viro AENGELBERTO, hanc cartam scripsi & subscripsi.

CARTA ANSBALDI MONACHI pro S. Vvillibrordo episcopo.

Aliquas ei donationes facit in pago Texandriæ.

Anno 712. *Ex cartario Epternacensi.*

IN Christi nomine domno sanctissimo ac beatissimo patri Vvillibrordo Ansbaldus servorum Dei famulus. Dum quisque in præsenti sæculo conversari videtur, cogitare debet quatenus animæ suæ consolationem pro eleemosyna sanctorum locorum vel orationum subsidia hîc adquirere possit, dicente Domino: *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Et iterum: *Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum.* Quapropter ego ANSBERTUS filius Vvillibaldi quondam, dono pro remedio animæ meæ, & pro retributione æternæ salutis seu orationum tuarum, tibi domno patri ac pontifici, aliquid de rebus meis propriis in pago Texandriæ, loco *Diesne*, casatas VI. cum sala, curticle meo, cum VI. mancipiis & infantibus eorum. Hos tibi cum omni peculiare suo, cum omni integritate trado, casis, curtilibus, campis, pratis, pascuis, silvis, aquis, aquarumque decursibus, & aratoria terra, mobili vel immobili, cum egressu vel ingressu, vel vatriscafo. Item do tibi in pago Texandriæ, loco *Levetlaus*, super fluvio Dutmala, casatas VII. cum sala & curticle meo, cum VIII. mancipiis, & uxoribus & infantibus eorum, cum casis, curticlis, campis, pratis, pascuis, silvis, aquis, aquarumque decursibus, & aratoria terra, mobili & immobili, ingressu & egressu. Si quis vero, &c. Actum publice *Vvaderloe* cal. Junii anno II. DAGOBERTI regis. Ego Ansbaldus monachus hanc cartam a me factam relegi & propria manu subscripsi.

CARTA PIPPINI PRINCIPIS pro Suestrensi monasterio.

Confirmat Suestrensis monasterii fundationem, conceditque facultatem eligendi abbatis.

Anno 714. *Ex cartario Epternacensi.*

EGo in Dei nomine illuster vir PIPPINUS filius Ansgisili quondam, & illustris matrona mea BLITTRUDIS filia HUGOBERTI, intuitu timoris Dei, & pro animæ meæ remedio, cogitantes ut oratorium & cellulam in honore Salvatoris & SS. Petri & Pauli, vel ceterorum apostolorum & reliquiis sanctorum, mansionile (a) Suestra, situm in pago Mosariorum super fluviolo Suestra, quod BLITTRUDIS dato pretio ab Alberico & Haderico comparavit, a novo fundamine ædificare deberemus: quod ita & fecimus, & ipsum mansionile ad ipsam cellam delegavimus. Placuit nobis, ut apostolico patri Vvillibrordo episcopo ipsam basilicam tradidissemus, quod ita & fecimus, in eo modo, ut ibidem fratres peregrinos vel alios Deum timentes congregare debeat. Et illud nobis inserendum placuit, ut cum ipse VVILLIBRORDUS de hac luce migraverit, ipsi fratres quem inter se elegerint, constituant abbatem, in ea ratione, ut nobis vel filio nostro GRIMOAL-

(a) Hujus monasterii meminit Alcuinus in vita S. Vvillibrordi cap. 15. illud Mabillonius existimat fuisse feminarum, cum in notis ad vitam S. Vvillibrordi, tum in Annalibus ad annum 698. n. 57. modo vero nobilium canonicarum collegium. Monachos forte in prima sui origine habuit, postea etiam, vivente S. Vvillibrordo, sanctimoniales. Postmodum transiit ad Prumienses.

DO & filiis suis, vel filiis DROGONIS nepotibus nostris in omnibus fidelis appareat, & ibidem secundum ordinem sancte degat, & sub nostro mundiburdio, & ipsius GRIMOALDI filiorumque suorum, & Drogonis nepotum nostrorum defensione persistere debeat: Et si quis Deum timentium tam de parte nostra, quam de reliquis hominibus, de rebus suis eis aliquid condonaverit, Deo propitio eis proficiat in augmentis. Si quis vero, quod minime futurum esse credimus, &c. *ut supra*. Actum Bagoloso villa publice die secundo Martii, anno IV. regni domni nostri DAGOBERTI regis. Et quia nos propter ægritudinem in ipsa carta scribere non potuimus, BLITTRUDEM conjugem nostram rogavimus & potestatem dedimus, ut ipsam firmare ad nostram vicem deberet: quod ita & fecit, & qui subscriberent vel signarent in præsenti rogavimus. BLITTRUDIS. BLENDUMEN abbatissa. Helmoinus, Remigius, Chrodoaldus, Geraldus, ADALBERTUS abbas, CHAMMINGO comes, Crodegertus. Ego Adricharius, jussu domni mei PIPPINI & PLECTRUDÆ, hanc donationem scripsi & subscripsi.

CARTA ARNULFI DUCIS pro monasterio Epternacensi.

Concedit ei aliqua prædia in villa Bollane.

Anno 716. Ex cartario Epternacensi.

IN nomine Domini Dei nostri JESU-CHRISTI. Ego (a) ARNULFUS dux filius DROGONIS quondam ducis, pro animæ meæ remedio, & æterna retributione, dono per hanc cartulam testamenti ad monasterium Efternacum, quod est constructum in honore SS. Petri & Pauli super fluvio Sura, ubi W. episcopus præesse videtur, in villa Bollane, hoc est tam casis, mansis, campis, pratis, silvis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, mancipiis ibidem aspicientibus, quantumcumque in villa Bollane mihi legibus obvenit, meam portionem in integrum dono atque trado, ut a præsenti die ipsam rem monachi possideant, & suis possidendum derelinquant. Si quis vero, quod fieri non credo, nos aut aliqui de heredibus nostris, vel ulla opposita persona contra hoc testamentum venire tentaverit, aut emutare voluerit, in primis a SS. Petro & Paulo excommunis fiat, & insuper inferat fisco auri libras duas, argenti pondus æris, & quod repetit non valeat evendicare. Et ut hoc testamentum apud locum sanctum firmum & stabile permaneat, manu propria subterscribimus, & testes qui subscriberent vel signarent in præsenti rogavimus, stipulatione subnixa. Actum publice castro (b) Bedense, anno I. CHILPERICI regis.

CARTA HEDENI DUCIS pro S. Vuillibrordo episcopo.

Concedit ei quicquid respicit ad Hamulum castellum ad construendum monasterium.

Anno 716. Ex cartario Epternacensi.

EGO in Dei nomine illuster vir HEDENUS dux, dono a die præsenti pro Dei timore & mercedis mei augmento, donatumque in perpetuum esse volo, domno & in Christo patri Vuillibrordo in mero, quod respicit ad Hamulo castellum, ubi & cogito Dei misericordia, per ipsius apostolici viri consilium, monasterium construere, in parte occidentali super fluvio Sala, in pago Salvense, tam campis, quam pratis, pascuis, silvis, aquis, aquarumque decursibus: ipsas res quas pater meus & mater mihi dereliquerunt, cum servis & ancillis VIII. quantumcumque ibi habere videor, totum & ad integrum trado atque transfundo, ut quicquid inde facere voluerit, liberam in omnibus habeat potestatem. Si quis vero, quod futurum esse non credo, &c. Actum publice Hamulo castello, anno I. CHILPERICI regis, XIV. calendas Maias. CATO comes. SIGERICUS comes. Ego illuster vir HEDENUS dux donationem fieri volui & subscripsi cum THEODRADA conjuge mea. ADO nutricius Hedeni & TIRINGUS filius Hedeni, Adogoto, Hererico. Ego Richisus clericus rogatus scripsi & subscripsi.

CARTA HERELAEFI pro ecclesia sancti Lamberti de Baclaos.

Ecclesiæ S. Lamberti de Baclaos, quam fundaverat, plura prædia donat.

Anno 721. Ex cartario Epternacensi.

IN Christi nomine. Oportet Christianos viam veritatis eligere, per quam Creatori suo digne mereantur servire, ut oblatio eleemosynarum ad salutem, & devotio proveniat ad mercedem. Idcirco ego HERELAEF filius Badagaro quondam, donator, aliquid de rebus meis ad loca sanctorum pro remedio animæ meæ seu retributione æterna dare disposui, hoc est ad basilicam SS. apostolorum Petri & Pauli, & S. LANDOBERTI episcopi & martyris, quam nuper construximus in loco Baclaos, ubi nunc domnus pater & pontifex Vuillebrordus præesse videtur: hoc est quod dono in ipsa Baclaos, tres casatos, una cum sala & curticle meo, cum omni re adposita, quam ibidem legitime ex materno jure habere visus sum. Insuper dono in loco Fleodrodum

(a) Arnulfum hunc ducem existimo esse Arnoldum filium Drogonis ducis Campaniensis, filii Pippini Heristallii ex prima conjuge Plectrude.

(b) Castrum Bedense, *Bitburg* seu *Bedburg*, quatuor leucis ab urbe Treviris distat.

casatum I. & in Durninum casatum I. cum omni integritate & peculiare eorum, tam casis quam curticlis, campis, pratis, pascuis, silvis, aquis, aquarumque decursibus, rem mobilem & immobilem, cum reliqua oportunitate ibidem aspiciente, ad supradictum locum dono, donatumque esse perennis temporibus volo. Si quis vero, &c. Actum publice loco Baclaos anno I. Theoderici regis, die XII. mensis Decembris. Ego Herelaef hanc donationis cartam relegi & subscripsi. Vvinibadus, Sigibaldo, Eadboldus, Gutbaldus, Egilbaldus, Grimbaldus, Theodbaldus.

HÆC TRADITIO QUAM FECIT Berta aut Bertrada ad Brumia monasterio.

Anno 722. *Ex cartario Prumiensi.*

In nomine Deitatis sanctæ Trinitatis. Ego Bertrada seu Berta, seu & filius meus Charibertus recogitans molimina peccaminum nostrorum, ut parva pro magnis, terrena pro cælestibus, caduca pro futuris, in ara summi Dei omnipotentis offerre mereamur, ut ab ipsis sublevare adipiscamur jugi miserationum domicilii Dei. Idcirco desiderio desideramus circa fluvio Prumia monasterio ædificare; quod ita & fecimus in honore S. Mariæ, & S. Petri & S. Pauli, S. Johannis & S. Martini, & sub cœnobio vel regulari ordine ibidem debeant monachi conversare, & pro peccatis nostris die noctuque Domini misericordia adtentius exorare, ut a noxiis sceleribus nostris & filiis meis defunctis mereamur emundare. Propterea donamus ad monasterio, qui vocatur Prumia, de foreste nostra de ipso monasterio juso aqua desuetus illo exarte usque in ipso vado in Prumia, & de ipso vado indricto usque in Melina flumen, deinde per Melina suso aqua usque ubi nobis obtingit legitimo usque ad Winardo curte usque ad illa marca qui nobis obtingit, & ad stipendia ipsorum servorum Dei donamus de villas nostras, id sunt de Romairo villa de nostra portione medietate, & de Prumia medietate similiter. Ad Saaingas in Mossisi super fluvio Mosella totum, de Bursis quicquid est de nostra parte totum, & de Blancio quicquid nobis obtingit totum. Bertelingas nostra parte tota donamus, donatumque in perpetuum esse volumus, villas superius nominatas ad monasterio Prumia, in honore peculiaris patronis nostris S. Mariæ, Petri & Pauli, & S. Martini, seu ceterorum sanctorum, quorum pignora ibidem in ipso loco venerare noscuntur, ubi Angloaldus Christo auspice præesse dinoscitur. Hoc sunt villas nostras superius nominatas cum omni integritate eorum. Hoc sunt Sessi cum widriscapis, casis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumque decursibus, silvis, mancipiis, acolabus, vestibus, utensilibus, vineis cultis & incultis, mansionibus, mobilibus & immobilibus, vel quicquid in ipsis villis antecessores nostri ibidem tenuerunt, & nos a die præsente tenere visi sumus, totum & ad integrum, sicut superius dixi, ad jam dicto monasterio pro animæ nostræ vel filiis meis defunctis remedium, vel æterna retributione donamus atque transfundimus de jure nostro in jure & dominatione ipsorum servorum Dei, ut ibidem perpetualiter proficiat eis in augmentis, & a die præsenti ipsi servi Dei, qui in ipsa loca ordine sancta contemplare videntur, jam dictas villas habeant, teneant atque possideant, & eorum posteris spiritalibus derelinquant ad possidendum, vel quicquid de ipsa facere voluerint, liberam & firmissimam in omnibus habeant potestatem faciendi. Si quis vero, nos, aut ullus de heredibus nostris, aut proheredes, vel quislibet opposita persona contra hunc testamentum a nos factum venire tentaverit, aut hoc immutare voluerit, quod futurum esse non credimus, inprimitus iram Dei omnipotentis incurrat, & S. Petro qui tenet claves regni cœlorum, & S. Paulo cum quoapostolis Domini, seu & ceterorum sanctorum sic marcescat in radice, ut non florescat in ramis, & si ei rami evenerint, ad nihilum deveniant tamquam anathematus in radium solis, & quod repetit, nullam umquam tempore evindicare non valeat, sed inanis & vacuus cum ipsis maledictionibus perseveret, & adhuc pro totius firmitatem, ac si parva manuscula nostra quæ Deum obtulimus, inlæsa perseveret, & insuper juxta legem conditoris, quod principes sanxerunt, inferat nobis auri libras X. argenti pondera XX. & sic nec quoque factum nostrum ullum tempore irrumpere valeat, sed præsens testamentum a nos factum omni tempore firmius permaneat. Unde & nos ipsam cartulam donationis a die præsenti fieri rogavimus, & manus nostras subter decrevimus affirmare, & viris magnificis affirmare rogavimus.

Facta cartula donationis publice in villa Prumia sub die quod fecit mensis Junius dies viginti tres, anno primo regni domni nostri (a) Theoderici regis. [a]

Signum † (b) Bertradanæ, quæ hanc cartolam fieri rogavit, manu sua facto. [b]

(a) Qui Calensis dictus successit Chilperico regi sub finem anni 721.

(b) Hac ex carta patet Bertradanam, quam Prumienses nostri faciunt aviam Berthæ regis Pippini uxoris, esse proprie fundatricem Prumiensis monasterii, ut pote quæ vidua existens, in proxima arce sua *Murlebach*, cujus adhuc rudera extant, ad Prumiam fluvium construxit in prato ecclesiam sub invocatione B. Mariæ & SS. apostolorum Petri & Pauli, adjunctis ædibus pro congregatione monachorum, quibus præfecit Angloaldum abbatem. Perstat hactenus in prato prima illa ecclesia, S. Benedicti capella dicta, sed ruinam minans, in qua multi abbates, principes & duces sepulti sunt, fuit-

Ego CHARIBERTUS subscripsi.
Ego BERNARIUS subscripsi.
Signum † CHRODOLANDÆ.
Ego THEODERICUS subscripsi.

CARTA FUNDATIONIS monasterii sancti Michaelis in Apuniano, haud procul a Luca civitate a Radchiso abbate & Ansfredo ejus fratre ædificati.

Anno 728. Ex archivis ecclesiæ Lucensis eruit Mabillonius.

IN nomine Domini nostri JESU-CHRISTI, regnante domno nostro LUITPRANDUM rege feliciffimo, regni ejus XVI. indictione XI. feliciter, RADCHIS venerabilis abbas presbyter tibi doctissimo & in Christo filio Walprandus filio domni Walperti scilicet ducis. Manifestum mihi est & multorum clarum, quod Radchis una cum bo. me. Ansfred germanus meus monasterio S. Michaelis in Apuniano ædificare nisi sumus hic in loco, qui vocabulum est Apuniano, & qualiter supradictus Ansfredus germanus meus medietatem omnibus rebus substantiæ suæ quidem per dotis pagina, cunctu & simul, & ego memoratus Radchis meam partem in integro idem prædictus doctissimus formavi. Nunc vero recolor ego hanc dictus Radchis fragilitas sæculi istius, ideo bona mente & spontanea voluntate, volo atque decerno, ut tu nominatus WALPRANDUS ipso sancto Dei monasterio B. Michaeli cum omnia & in omnibus quidem pertinentem ad gubernandum & regendum in tua sit potestate, quatenus ecclesiæ & parentibus tuis omni tempore ipse venerabilis monasterio ab omni controversia sæculari defensatus esse inveniatur, & tu dulcissime & in Christo filio Walprandus, sic ipso sancto monasterio gubernare & regere deveas, ut omni tempore & in omnibus melioretur, & non in luminariis vel officio depereat, & post obito meo, omnia & in omnibus, sicut dixi, ipso sancto monasterio & omnes res quidem pertinente in tua defensione & dominio valeat pertinere. Et dum ego supra nominatus Radchis advivere meruero, omnia res ipsa cum prædicto monasterio guvernando & regendo in mea sit potestate. Post obito vero meo tu quidem dictus gubernator esse inveniaris & familiola S. Michaelis, quæ post me remanserit, tu eos regere & guvernare deveas, hic in ipso Dei monasterio, & non in errore vel aliqua deceptione post me remaneant, & deinceps sicut in supradicta dotis a me Radchis & bonæ memoriæ Ansfred germano confirmatum legitur, in tua Walprandi potestate permaneat, & nullo tempore a nobis posteris nostris hæc, sicut superius legitur, valeat molestare, & servos vel ancillas quod pro anima mea questare voluerit, volo ut queram havear potestatem & firmando livertatem ..... per cartula, quam firmitatis meæ cartula, & in notario & in supradicto filio meo scrivendo dictavi, in qua ego sub signum sanctæ crucis firmavi & testibus obtuli rovorando subscriptis. Actum in supradicto loco Apuniano.

Signum † manus RADCHIS venerabilis abbas & presbyter, qui ipso firmitatis monimen fieri rogavit.

Ego TALERPERIANUS eximius episcopus huic cartulæ donationis facta ad Radchis venerabilis presbyter in Waltprandus .... sicut superius legitur, ad confirmandam veni.

Ego Sigismundus venerabilis presbyter, rogatus ad Radchis venera. presbytero, in hanc donationis cartola facta in Waltprando, sicut superius legitur, ad confirmandum veni.

Signum † manus Teuprandi testis.

Ego Alfredus presbyter testis.

Signum † manus ALTPRANDI abbas propria manu mea subscripsi.

Ego Gaudentius indignus presbyter, notarius sanctæ ecclesiæ Lucensis civitatis, quantum superius scripsi, complevi & dedi.

PRÆCEPTUM PIPPINI REGIS impetratum a Sigobaldo abbate Anisolensis cœnobii.

Facultatem tribuit eligendi abbatis; monasteriumque sub sua protectione suscipit.

Anno 751. Ex cartario Anisolensi.

DOMNIS sanctis & apostolicis ac venerabilibus in Christo patribus omnibus episcopis & abbatibus, comitibus, domesticis, vicariis, cintenariis, vel omnibus agentis nostris, tam præsentis quam futuris, inluster vir PIPPINUS rex Francorum bene cupiens vester. Comperiat caritas seu industria vestra, quia SIGOBALDUS abbas de monasterio Anisola, qui est in honore S. Carilefi confessoris constructus in pago Cinomannico, in condita Labrocinse, ad nos venit, & de sua propria potestate semetipsum & illam congregationem sanctam, quam in regimen habet, & omnes res eorum in manu nostra plenius commendavit, & nos gratanti animo ipsum & congregationem ejus in nostro mundeburdo suscepimus & retinemus: & hoc petiit, quod humanum est, ut quando ipse abbas de hac luce discesserit, vel successores ejus qui post eum honus abbatiæ recipiunt, ut alius abba in ipsa casa sancti Carilefi non ingrediatur, nisi quod ipsa sancta congregatio de semetipsis eligunt, ipsum habeunt abbatem. Propterea litteras nostras manu nostra firmatas eidem dedimus, per quem omnino vobis rogamus atque præcipimus, ut neque

que ad nostra usque tempora Prumiensium monachorum conditorium. Sed postea Pippinus rex, hortante Bertha uxore, proximo in loco longe splendidiorem extruxit basilicam, eamque tam pinguibus dotavit reditibus, ut pro fundatore haberi meruerit.

vos, neque juniores aut successores vestri abbatibus ipsius loci, nec mitio potestatis illorum, nec hominibus qui per ipsos legibus sperare videntur, inquietare vel condemnare, nec de rebus suis abstrahere nec minuere præsumatis, nisi, ut diximus, liceat eis sub nostro mundeburde vel defensione plenius quieto ordine vivere vel residere, & pro nobis Domini misericordiam attentius jugiter deprecare: & si tales causæ adversus abbates ipsius monasterii aut hoste fuerint, aut de homines suos surrexerint, quas in pago absque suo dispendio recte & rationabiliter definitas non fuerint, eas usque ante nos omnimodis sint suspensas vel reseratas, & postea ante nos per legem & justitiam accipiant sententiam; & ut certius credatis, manu propria subterfirmavimus, & de anulo nostro sigillavimus. Signum PIPPINI regis Francorum. CHRODINGUS jussus recognovit. Data mens. April. die XXV. in anno primo regnante Pippino rege. Actum ad Arestalio palatio publico.

PRÆCEPTUM PIPPINI REGIS a Nectario abbate impetratum.

Anisolense monasterium sub Caroli filii tuitione positum, ipse sub sua suscipit protectione.

Anno 760. *Ex cartario Anisolensi.*

PIPPINUS rex Francorum vir inluster omnibus nostris tam præsentibus quam futuris, juvante Domino, qui nos in solio regni instituit. Si petitionibus servorum vel monachorum Domini, illud quod ad eorum quietem vel juvamen pertinet, libenter obaudimus, vel effectum in Domini nomen mancipamus, regiam consuetudinem exercemus, & nobis ad laudem vel stabilitatem regni nostri in Domini nomen pertinere confidimus. Ideoque venerabilis vir NECTARIUS abba de monasterio Anisola, qui est in pago Cenomannico, ubi S. Charilephus in corpore requiescit, vel ipse abba cum congregatione monachorum sub sancto ordine conversare videtur, missa petitione, clementiæ regni nostri expetiit, ut eum vel ipsum monasterium una cum omnibus vel homines suos, quod præsenti tempore habere videtur, aut a Deo timentibus hominibus fuerint donati, amicis, gasindis, susceptis, vel quicquid ad ipsum monasterium sperare videntur, unde legitimo redebet mitio, sub sermone tuitionis nostræ vel emunitatibus ipsius monasterii, vel mundeburdo illustris viri CAROLI filii nostri, qui causas ipsius abbatis vel monasterii habet receptas: qui nos hoc gratanti animo præstitisse, vel in omnibus recepisse cognoscite sub tuitione nostra. Quapropter per præsentem decrevimus præceptum, ut neque vos, neque juniores successoresque vestri, nec missi de palatio nostro discurrentes, sicut in anteriore præcepto nostro in omnibus continet, ut inspectas priorum principum auctoritates nullus infringat, atque sit hoc a nobis suggestum, ut nullus quislibet de judiciaria potestate per vicos aut in villas ipsius monasterii ad causas audiendum, vel ferenda & sectanda, simulque freda exigenda, nec fidejussores tollendum, nec mansiones aut paratas faciendum, nullus episcopus, nec ullus comis, nec juniores eorum nullas redibitiones ad requirendum ibidem ingredere non præsumant; sed sicut ipsum beneficium antecessorum regum ad jam dictum monasterium usque nunc fuit conservatum: ita deinceps per nostram auctoritatem maneat inconvulsum, nisi ut liceat eis sub sermone tuitionis nostræ, vel humanitatis & mundeburde prædicti Caroli quietos vivere ac residere, & die noctuque pro nobilitate regni nostri & ipsius Caroli, qui eorum causas habet receptas, jugiter Dei misericordiam & omnium sanctorum deprecare. Et si tales causas adversus ipsum monasterium aut contra abbates ipsius loci ortas fuerint aut surrexerint, quæ a vobis aut a junioribus vestris absque eorum iniquo dispendio terminatas non fuerint, usque in nostram præsentiam, vel ante ipsum illustri viro Carolo omnimodis reserventur, & ibidem finitivam sententiam per legem & justitiam accipiant, & unicuique de reputatis conditionibus justitiam reddant, & ab alii simili modo veritatem percipiant. Et ut hæc auctoritas firmior sit, vel per tempora melius conservetur, manus nostræ subtersignaculis decrevit roborare. Signum domni nostri PIPPINI regis Francorum. Ego WIDMARUS jussus recognovi. Datam quod fecit mensis junius dies X. anno nono regni nostri Vermerias.

CARTA EGIDII VIRI ILLUSTRIS pro monasterio Prumiensi.

Egidius factus monachus in Prumia insignem donationem facit.

DUM fragilitas seu casus humani generis pertimescit ultimum vitæ terminum subitanea transpositione, oportet ut non inveniat unumquemque imparatum, sed quicumque vult animarum salutem recipere, hoc oportet & congruit, ut de propriis rebus studeat redimere. Igitur ego in Dei nomine EGIDIUS pertractans casum humanæ fragilitatis, definivi ut pro retributione æterna vel remissione peccatorum meorum veniam apud clementissimum Dominum in æterna beatitudine adipisci merear: dono, donatumque perpetuo esse volo ad monasterium S. Salvatoris, quod est constructum in finibus Ardinnæ super fluvium Prumiæ, ubi venerabilis vir ASUERUS Anno 764. *Ex cartario Prumiensi.*

abba & plurima turba monachorum videtur A esse adunata, ubi ego comam capitis mei propter nomen Domini deposui: hoc est villas meas nuncupatas Caveniaco, Novavilla in pago (a) Celmanico cum omnibus appendiciis, & quicquid ibidem visum fuit mihi deservire. Similiter autem dono villas meas nuncupantes Nuilliaco, Duciago, Flaviaco, Calviniaco, Juliaco, Caniaco, Cubicio, sitis in pago Rodonico cum omnibus appendiciis, vel quicquid ad ipsas villas aspicit, & visum fuit mihi ibidem deservire, dono a die præsente ad ipsa casa S. Salvatoris cum omni integritate. Similiter & alias B res quæ S. Salvatori tradidi, dono ad ipsum sanctum locum, quem mei infantes his nominibus AGINALDUS, nec non & BERTRICUS, sive BOTLENUS atque PAULUS per vestram precariam excolere debeant; ut qualemcumque sensum visum vobis fuerit illis injungatis, quem vobis per singulos annos solvant, & unusquisque ex illis post obitum suum quicquid per precariam tenuit cum omnibus rebus melioratis ad ipsa casa Dei superius nominata cum omni integritate in ejus dominationem absque ulla marritione C vel contentione reverti faciat: hoc est Comnis, Viva-aqua, Caihaco, Fol, Patriniaco, Altiaco sitas in pago Celmanico cum omnibus appendiciis & omni integritate. Similiter dono & alias villas nuncupatas Calvonno, Laviniaco, Averiaco, Aurudo, Serant, Colrido, Bron, quartam partem de Serant, Duniaco, sitas in pago Andegavinse, cum appendiciis & omni integritate. Similiter dono & alias villas nuncupatas Druvio, Palriciaco, Quevo, Bursinas, Piriallo, Dimi- D siniago, Cuptiago, Balatiago, sitas in pago Rodonico cum eorum appendiciis & omni integritate; & alias res quæ superius hic non commemoravimus, aut comparavi, aut mei antecessores mihi dimiserunt, aut quæ requirendæ sunt & inventæ, ad ipsa casa S. Salvatoris dono, & ipsas a die præsente, vel quicquid de parte genitoris mei BERIRIGI & de parte genitricis meæ VIVENTIANÆ mihi obvenit, vel de comparato, vel de qualibet adtractum ad me noscitur pervenisse, dono cum omni integritate, tam ter- E ris, domibus, ædificiis, accolabus, mancipiis, vineis, silvis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, farinariis, cum pastoribus gregis pecudum utriusque sexus, mobilibus & immobilibus, quicquid dici aut nominari potest, vel quicquid ad ipsa loca superius nominata aspicere vel pertinere videtur de præsente, cum omni re exquisita totum & integrum ad ipsum sanctum locum a die præsente volo esse donatum atque firmatum; ita ut ab hac die habendi, tenendi, vel quicquid exinde elegeritis, faciendi liberam ac firmissimam in omnibus habeatis potestatem. Si quis vero, quod futurum esse non credo; si ego ipse, quod absit ne fiat, aut aliquis de meis heredibus, aut ulla opposita persona vel quislibet contra hanc epistolam donationis meæ, quam ego propter nomen Domini & venerationem ipsius sancti loci fieri decrevi, venire decreverit, aut eam infringere conatus fuerit, aut hujus repetitor extiterit, iram Dei Patris, & Filii, & Spiritus-sancti super se recipiat, & a liminibus ecclesiarum, & a consortio sanctorum extraneus appareat, & insuper inferat partibus ipsius monasterii, eum cogente fisco, auri libras v. argenti pondera xx. coactus exsolvat, & quod repetit quisquam vindicare non valeat, sed præsens donatio voluntatis meæ omni tempore firma & inviolata permaneat, stipulatione subnixa. Actum Prumiæ monasterio publico sub die XVI. calendas Martii, anno XIV. regnante domno nostro PIPPINO gloriosissimo rege.

(a) Id est Cenomannico. Hinc colliges Egidium fuisse Gallum, & forte consanguineum Assueri primi abbatis, quem Prumienses Andegavensem comitem faciunt, ut pote qui tot & tantas in Gallia maxime in pago Andegavensi & vicinis terras possideret.

PRÆCEPTUM DOMNI PIPPINI regis pro monasterio Prumiensi.

Immunitas a teloneis.

Ex cartario Prumiensi.

PIPPINUS rex Francorum vir inluster, omnibus episcopis, abbatibus, ducibus, comitibus, domesticis, vicaries, centenaries, vel omnes missos nostros discurrentes. Solerti nobis perpendendum est, ut dum ea quæ pro Dei intuitu atque sanctorum reverentia exercemus, ita nostris oraculis in Dei nomine deliberemus confirmare, ut in perpetuo debeant inconvulsa permanere. Igitur agnoscat magnitudo seu utilitas vestra, qualiter nos ad monasterium qui dicitur Prumia, quem nos in honorem S. Salvatoris a novo construximus opere, eodem beneficium ibidem visi fuimus concedere, ut ubicumque infra regna nostra homines ipsius monasterii pro utilitate vel stipendia monachorum, in quacumque civitate vel porto negotiandi perrexerint, nullo teloneo, vel barganatico, neque ex navali remigio, neque saumariis, vel de carrali evectione solvere nec reddere debeant. Propterea per hunc præceptum decernimus atque omnino jubemus, ut neque vos, neque juniores aut successoresque vestri, nec ulla judiciaria potestas ipsis hominibus suprascripti monasterii, qui pro necessitate eorumdem monachorum discurrere videntur, nullo telonio, nec rotatico, neque pontatico, vel pulveratico, seu salutatico, nec & cispectatico, vel quicquid fiscus noster exinde potuerat esperare, eis non requiratis; sed, ut supra diximus, abbati ipsius mona-

sterii nomine Asuario, ejusque successoribus ipse teloneus in luminaribus ipsius sancti loci nostris & futuris temporibus proficiant in augmentis. Et ut hæc auctoritas firmior habeatur, vel per tempora melius conservetur, de anulo nostro subtersigillavimus.

DIPLOMA CAROLI REGIS pro monasterio Corbeiensi.

Confirmat privilegia ab aliis regibus Corbeiensi monasterio concessa.

Anno 769. Ex Corbeiensis monasterii archivis.

CAROLUS rex Francorum vir inluster. Si ea quæ ab anteriorum regum quondam nostrorum ad loca sanctorum vel pro opportunitate servorum Dei fuit concessum atque indultum nostris oraculis affirmavimus, regum consuetudinem exercemus, & nobis ad mercedem vel stabilitatem regni nostri pertinere confidimus. Igitur venerabilis Hado de monasterio Corbeia, quod ponitur in pago Ambianensi, quod anteceſſores nostri Clotharius quondam rex, vel Balthechildis regina eorum opere a fundamento construere præceperunt, clementiæ regni nostri suggessit, eo quod præfatus princeps talem ad ipsum monasterium per eorum præceptiones concessissent licentiam, ut omnes res tam quod ipsi ibidem pro eorum mercede visi firmasse fuerunt, quam etiam a succedentibus regibus, vel a quibuslibet Deum timentibus hominibus fuerit additum vel collatum ab ipsis custodibus præfati monasterii, per quodlibet ingenium fuerit attractum in quibuslibet pagis vel territoriis, hoc pars ipsius monasterii sub integra emunitate, absque introitu judicum vel fisci publici repetitionibus, possidere omni tempore quieto ordine deberet. Unde & ipsas præceptiones antecessorum nostrorum, seu & confirmationes Childerici, Theoderici, Chlodovei, Childeberti, Dagoberti, Pippini quondam regum, nec non & genitoris nostri, ipse abba ex hoc in præsenti nobis protulit legendas: & ipsum beneficium ab eo tempore usque nunc asserit esse conservatum; sed pro firmitatis studio petiit celsitudinem nostram, ut hoc ipsum, vel suprascriptum monasterium nostra plenius auctoritas deberet confirmari. Cujus petitionem gratanti animo præstitisse & confirmasse, & in omnibus concessisse cognoscite. Quapropter per præsentem jubemus ac decernimus jussionem, ut quicquid ab anterioribus nostris ad memoratum monasterium in quibuslibet locis vel territoriis fuerit concessum atque indultum, seu a Domini timentibus noscitur fuisse additum vel collatum, aut per quodlibet ingenium ab ipsis abbatibus inibidem Deo servientibus fuit attractum, aut inantea ibidem, Deo auxiliante, a quibuslibet hominibus fueritélioratum vel augmentatum, tam quod præsenti tempore pars ipsius monasterii possidere vel dominare videtur, quin & antea, Domino adjuvante, ibidem fuerit per qualibet strumenta cartarum collatum aut attractum, inspectis ipsis præceptionibus memoratorum principum, sub integra emunitate absque introitu judicum valeant quieto ordine tenere vel possidere: ita ut nullus judex publicus in curtes ipsius monasterii, vel homines qui supra terras commanere videntur, nec ad causas audiendas, nec ad freda exigenda, nec paratas aut mansiones faciendas, nec ullas redhibitiones de parte fisci nostri requirendas aut accipiendas, ingredi omnino præsumat, sed sub integra emunitate, ut diximus, cum omnibus fredis concessis, nostris & futuris temporibus quieto ordine valeant possidere vel dominare, ut melius delectetur servos ipsos Dei pro stabilitate regni nostri Dei misericordiam deprecari. Et ut hæc præceptio firmior habeatur, vel per tempora in omnibus conservetur, manus nostræ subscriptionis subter eam decrevimus roborare.

Itherius recognovit & subscripsit. Data sub die XVII. calendas aprilis, anno I. cum regnare cœpi. Actum Audriaca villa in nomine Domini.

PRÆCEPTUM KAROLOMANNI regis pro monasterio Prumiensi.

De silva Velniares Benutfelt ex ratione Roduvini comitis.

Anno 770. Ex cartario Prumiensi.

KAROLOMANNUS gratia Dei rex Francorum vir inluster. Regalem quidem exoramus clementiam, & animos fidelium nostrorum adortamus, si circa eos, qui tam erga genitore nostro, quam & nos illibatam fidem & veram fidelitatem usque nunc exercuerunt, petitionis illorum in quo nostris auribus patefecerunt, & animos illorum, quos nunc in nostrum habemus dominium delectabilem atque amabilem, circa nostrum servitium de die in diem hilariores atque promtiores esse scimus. Ideoque fidelis Deo propitio noster inluster vir Dirodoinus comes palatii nostri clementiam regni Deo adjuvante nostri innotuit, dicendo eo quod antecessores quondam nostri Deo instituti reges per strumenta seriem cartarum, ad genealogia sua vel subsequente ipsius progenie, per eorum auctoritates, eorumque manus roboratas, vel confirmationes regum indulsissent, atque in jure eorum potestate confirmassent silva aliqua in loco qui dicitur *Benutfelt* infra centina Belslango, infra vasta Ardenna, & cessionis regum in præsentia nostra de ipsa silva retulit ad relegendum, & innotuit nobis ut peractores iniquiter ipsa silva ex parte invasissent, & genitor meus

meus PIPPINUS gloriosissimus rex prædicto DIRODOINO vel suis Gamaladionis de ipsa silva manu vestita fecisset, dum de hac causa sic ante nos fuit ratio deducta, & suam vel suis Gamaladionis tam per veragos homines, quamque per confirmationis regum cognovimus, justitiam ei reddimus de loco qui dicitur *Benezuels*, de illa fontana quæ in ipsa villa est, infra unamquamque partem debeant habere quantum ad nos pertinet, & actoris nostri antea eum vel suis Gamaladionis injuste contradixerunt, & infra banno fuit una vena de ipsa fontana in circuitu per loca diversa, quæ de nostra parte judicis nostri iniquiter ipsis contradixerunt. Jubemus ut ab hac die ipsa silva de jam dictis partibus nostris, una vena de ipsa fontana habere debeant evindicata atque eligidicata, tam nostris quam & futuris temporibus, ut nullus judex publicus de partibus nostris ullo umquam tempore abstrahere, nec minuere, neque contradicere non debeat de ipsa silva infra, ipsa vena de unaquaque parte, tam in silvis quamque in terris, agris, permisis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, adjunctis, adjacentiis, omnia & ex omnibus sub integritate, sicut jam diximus, debeat habere ipse DIRODOINUS vel sui Gamaladionis, quamque & posteritas eorum evindicatum & elidicatum, & quicquid de ipsa silva facere voluerint, ex nostra auctoritate habeant, teneant atque possideant, & suis posteris ad possidendum relinquant, sicut diximus, quicquid exinde voluerint ex nostra auctoritate liberam & firmissimam in omnibus habeant potestatem faciendi. Et ut hæc auctoritas firmior habeatur, vel per tempora melius conservetur, manu nostra propria subter eam decrevemus roborare, & de anulo nostro jussimus sigillare.

Signum † KAROLOMANNI gloriosi regis.

Mainarius recognovi.

Data in mense maio anno secundo regni nostri.

[a] Actum Brocmagad (a) palatio publico. In Dei nomine feliciter. Amen.

PRÆCEPTUM CAROLI-MAGNI pro Turonensi S. Martini monasterio.

Confirmat assignatas monachorum mensæ plurimas villas.

Circa 770. *Ex cartario S. Martini.*

CAROLUS gratia Dei rex Francorum & Langobardorum, atque patricius Romanorum. Decet enim regalis clementiæ dignitatem cuncta quæ a sacerdotibus rationabilia postulata fuerint, sollerti cura prospicere, & opportuna vel congrua eis bene-

A ficia non denegare, maxime si anteriorum regum plenius pro Dei intuitu sunt confirmata protectionis auctoritate. Quapropter notum sit omnium fidelium nostrorum magnitudini, quia venerabilis HITHERIUS abba ex monasterio S. Martini eximii confessoris Christi, peculiaris patroni nostri Turonicæ civitatis, ubi ipse pretiosus in corpore requiescit, innotuit serenitati regni nostri, qualiter antecessor suus AUTLANDUS abba quasdam villas instituerit, quæ fratribus mensuatim per totum annum servire
B debent; petens dignitatem excellentiæ nostræ, ut pro Deo & reverentia ejusdem sancti, per præceptum nostræ auctoritatis id ipsum confirmare dignaremur, sequendo morem antecessorum. Cujus nos petitioni consentientes, & patrocinia sancti Martini venerantes, sicut præcessores reges singulariter expleverunt, & nos hoc donum indulgentiæ gratanter præstitisse cognoscite. Idcirco per hanc præsentem præceptionem jubemus, atque perpetuo firmum fore de-
C cernimus, ut Luggogalus, Curciacus, Lupiacus, Magittus, Catuntius, Tauciacus, Loona, Vobridius, Albiniacus, Mazoyalus, Podentiniacus, Castanelus, Camiliacus, Brionnus, Novientus, Genestolalus, Caniacus, Alnetus, Cadriacus, Merila, Delsiacus, Parriciacus, Prisciniacus, Cassiacus, Sadobria, Membriolas, Spicarias, Ortlucus, Screonas, Solustriacus, Lausiacus, Axedus, Belcontus, Trinicrobrus, Baionvilare, Nova-villa, Noentus, Blasina, Pociacus, Talsiniacus, Brigogalus, Cruci-
D lia, Bladalaicus, Dociacus, Melciacus, Angularis portus Restis, Antoniacus cum appenditiis earum, sicut admensuratæ sunt fratribus deserviant. Similiter statuimus per hoc præceptum nostræ mansuetudinis, ut ejusdem monasterii cellelario fratrum ministretur, sicut ordinatum est, unde tempore sibi instituto fratribus pleniter servire possit. Portarius autem mense decembri de suo ministerio serviat. De aliis vero villis solito modo ligna & annonæ sive (b) volatilia ministrentur, quatenus hoc nobis ad [b]
E salutem animæ nostræ & augmentum regni proficiat, & ipsi Dei servi liberius meliusque deinceps Deo famulari queant, atque pro statu sanctæ Dei ecclesiæ sedulas fundere preces. Unde monemus omnes qui nobis in regno a Deo commisso successuri sunt, ut sicut sua statuta a suis successoribus conservare velint, ita hanc nostram constitutionem privilegii inviolabilem conservare studeant ad communem nostrorum omnium salutem. Et ut hæc auctoritas firmior habeatur, vel nostris & futuris temporibus melius conservetur, manu nostra eam corrobora-

(a) Ignotum Mabillonio palatium.

(b) Volatilia quippe plurimi olim monachi sibi licita existimabant, ex regulæ sancti Benedicti præscripto, quæ quadrupedia tantum eam professis prohibet. Illorum vero usum ad duo tantum tempora, octavas scilicet Natalis Domini & Paschæ, postea reduxit concilium Aquisgranense sub Ludovico Pio anno 817. celebratum.

vimus, & anuli nostri impressione sigillavimus.

Signum Caroli gloriosissimi regis.

Rado ad vicem Hitherii recognovit.

Actum Theodonis-villa palatio publico, in Dei nomine feliciter. Amen.

PRECARIA

Per quam Sigefridus ab Asuero abbate Prumiensi accipit ad vitam quadam prædia.

Anno 771. Ex cartario Prumiensi.

DOMNO sancto & in Christo patri Asuero abbate. Ego Sigefridus quatenus a mea petitione vestra habuit pietas & benivolentia, ut loca sen res nuncupantes in Erlino-curte, seu & in Osa, qua ego pro animæ meæ remedium ad monasterium S. Salvatoris delegavi, ad beneficium dum advivo excolere permisistis, ea scilicet ratione, ut annis singulis ad (a) missam S. Salvatoris sex denarios valentes, aut in cera, aut in drappiis, aut in pecunia, ad ipsius basilicæ solvere debeam tam pro ipso usu, quam pro animæ meæ remedio. Post meum quoque discessum vobis vel successoribus vestris ad superscriptum monasterium vestrum condonavi: ea tamen conditione, ut dum advivo, suprascripta loca, quod ego pro animæ meæ remedio ad ipsum sanctum locum delegavi, absque ullo præjudicio ad monasterium vestrum sine ulla diminutione de qualibet re usufructuario ordine possidere debeam, ut post meum discessum præfata loca absque ullo judicis contradictione, vos & agentes vestri in vestra faciatis revocare dominatione perpetualiter ad possidendum. Hanc autem precariam non sit necesse de quinquennium in quinquennium renovare, sed ista sola per se sufficiat. Facta precaria sub VIII. idus septembris, anno IV. regnante domno nostro Karolo gloriosissimo rege. Signum † Sigefridi qui hanc precariam fieri & adfirmare rogavit. Signum Hernaldi †. Signum † Valdoni. Signum † Richardi. Signum † Ursioni. Signum † Berni. Signum † Saul. Ego Widradus rogatus scripsi.

PRÆCEPTUM KAROLI-MAGNI

De commutatione quæ facta est inter Meroldum episcopum Cenomanensium & Rabigaudum abbatem Anisolensem.

Anno 773. Ex cartario Anisolensi.

KAROLUS gratia Dei rex Francorum vir inluster, omnibus fidelibus nostris tam præsentibus quam & futuris. Si hoc quod rectores ecclesiæ pro opportunitate venera- A bilium locorum inter se commutantur, nostris oraculis confirmamus, regiam consuetudinem exercemus, & id in postmodum jure firmissimo mansurum esse credimus. Igitur notum sit omnium vestrorum magnitudini, qualiter viri venerabiles (b) Meroldus Cenomannis urbis episcopus, atque Rabigaudus ex Anisola monasterio abbas ad nostram accesserunt præsentiam, asserentes se pro opportunitate ambarum partium res ecclesiæ inter se concamiare, unde & ipsas commutationes bonorum hominum manibus roboratas in præsenti ostenderunt legendas: B ubi & cognovimus qualiter dedit & memoratus episcopus de ratione (c) S. Gervasii Rabigaudo abbati ad opus S. Carilefi, villa illa quæ vocatur Sabonarias in pago Cenomannico, in condita Labrocinse, quem domnus Senardus suo opere a novo construxit, & ibidem requiescit, cum omnibus rebus ad se pertinentibus vel aspicientibus: id est omnibus terris, domibus, ædificiis, accolabus, mancipiis, litis, libertis, & beneficia ingenuorum, vineis & silvis, campis, pratis, pascuis, aquis, C aquarumve decursibus, mobilibus & immobilibus, farinariis gregis cum pastoribus omnia & ex omnibus, cum omni supellectile quicquid dici aut nominari potest. Similiter hæc contra in compenso dedit jam fatus Rabigaudus de ratione S. Carilefi Meroldo episcopo ad opus S. Gervasii, villa quæ vocatur Curte-Bosane & Monte-Ebretramno in pago Cenomannico, in condita Siliacinse, cum omnibus appenditiis suis, cum terris, domibus, ædificiis, man- D cipiis, litis, libertis, & beneficia ingenuorum, vineis, silvis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumque decursibus, mobilibus & immobilibus, petulium utriusque sexus tam majora quam minora, omnia & ex omnibus quicquid dici & nominari potest ad integrum. Sed pro integra firmitate petierunt jam dicti viri celsitudinis nostræ, ut hoc per nostram auctoritatem confirmare deberemus. Quorum petitioni gratanti animo ita præstitisse vel confirmasse cognoscitur. Præcipientes ergo jubemus, ut quic- E quid pars altera contulit parti, aut contra in recompensatione recepit, ab hoc die per hanc auctoritatem inspectas ipsas commutationes, sicut per eas declaratur, habendi, tenendi, commutandi, vel quicquid exinde unusquisque quod a pare suo accepit, ad perfectum ejusdem ecclesiæ exercere voluerit, liberam & firmissimam in omnibus habeant potestatem, & neque ab ipsis prædictis viris, neque a successoribus illorum ullo umquam tempore ipsæ commutationes violentur. Unde duas commutationes uno

(a) Id est ad festum S. Salvatoris.

(b) Hic Meroldus primum chorepiscopus a tribus episcopis ordinatus fuit, deinde episcopus, ut habent Acta episcoporum Cenomanensium.

(c) Id est ecclesiæ Cenomanensis, quæ sancto Gervasio sacra est.

tenore conscriptas fieri jussimus, quas manu propria firmavimus, & de anulo nostro sigillare jussimus. Signum KAROLI gloriosissimi regis. IDHERIUS recognovi. Datum XI. cal. Martii, anno VI. regni nostri Papia civitate publice.

PRÆCEPTUM CAROLI-MAGNI regis Francorum pro sancti Martini monasterio Turonensi.

Pro fratrum vestimentis quadam concedit prædia, in Italia præsertim.

Anno 773. Ex cartario S. Martini.

CAROLUS gratia Dei rex Francorum & Langobardorum, ac patricius Romanorum. Si enim ex his quæ divina pietas nobis affluenter tribuit pro opportunitate servorum Dei locis venerabilibus concedimus, hoc nobis ad mercedis augmentum vel stabilitatem regni nostri pertinere confidimus. Quapropter notum sit omnium fidelium nostrorum magnitudini, qualiter nos & conjunx nostra HILDEGARD regina ob amorem Dei, & nostræ commune mercedis augmentum, donamus ad sacrosanctam ecclesiam beatissimi confessoris S. Martini & patroni nostri Turonicæ civitatis constructam, ubi ipse pretiosus domnus corpore requiescit, & vir venerabilis GULFARDUS abba præesse videtur, donatumque in perpetuum ad eumdem sanctum locum, vel ejusdem congregationi causa vestimentorum esse volumus: hoc est Insula cum castello Sermionense, quæ est sita in lacu Minciadæ, & curtem piscariam, ac Lionam cum omnibus finibus & ejus terminis, sicut in publico & ad palatium visum est pertinuisse, & in antea intro fisco nostro exciderit, tam infra ipso termino, quam & a foris ibidem integrum pertinentia, id est curtis, ecclesiis, villis, mansis, mancipiis, massariis, ædificiis, vineis, olivetis, campis, silvis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, mobilibus & immobilibus, omnia & ex omnibus etiam & monasteriolo illo infra ipso castro, quem Ansa novo opere construxit, quod est in honore sancti Salvatoris, cum omni ejus soliditate. Donamus etiam ad præfatum locum vallem illam quæ vocatur Camonia, cum salto & caudino, vel usque Judalanias, cum montibus & alpibus a fine Treantina, qui vocatur Thonale usque in finem Brixiacinse, seu in giro Bergomasci, quicquid infra ipsos fines, vel ab ipsa valle & longo tempore & modo aspicere vel pertinere videtur, sicut in publico & ad palatium visa est reddidisse, aut in antea infra fisco nostro ceciderit. Simili modo cum integritate, sicut de termino Sermionensi conscripsimus: ita & ista omnia tradidimus. Insuper adjungimus ad præfatum sanctum locum sinodochium illum inter Padum & Ticinum, quod est in honore S. Mariæ constructum prope Papiam civitatem, in locum Wahan, cum villa Solario, vel omnibus appendiciis eorum, & casella una infra Papiam, id est una cum terris, domibus, ecclesiis, ædificiis, accolabus, mancipiis, massariis, vineis, silvis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, mobilibus & immobilibus, omnia & ex omnibus. Hæc vero omnia superius nominata cum terminis & finibus vel appendiciis suis a die præsenti in perpetuum ad præfatam basilicam S. Martini, vel ejus rectores concessimus, ac plenissima voluntate indulsimus. Propterea hanc præceptionem auctoritatis nostræ conscribere jussimus, ut ea quæ supra dicta sunt pars memoratæ basilicæ S. Martini ejusque rectoris ab hac die habeant, teneant, atque possideant, & ad ipsam casam Dei pro mercedis nostræ eleemosyna in augmentis proficiat, ut nullus ex judiciaria potestate aut qualibet persona memorato GULFARDO abbati suisque successoribus, aut agentes de se prædictis rebus inquietare aut contra rationis ordinem vel calumniam generare quoquo tempore præsumat. Sed hoc nostræ auctoritatis donum jure ibi permaneat firmissimo. Et ut hæc nostra auctoritas firmior habeatur, vel nostris & futuris temporibus melius conservetur, manu propria subter eam decrevimus roborare.

Signum CAROLI gloriosissimi regis.

HITHERIUS recognovi.

Data XVII. calendas Augusti, anno (a) VI. & primo regni nostri. [a]

Actum Papia civitate, in Dei nomine feliciter. Amen.

PRÆCEPTUM CAROLI-MAGNI pro Prumiensi monasterio.

Confirmat legem familiæ S. Salvatoris, agitque de advocatis.

Anno 775. Ex cartario Prumiensi.

KAROLUS gratia Dei rex Francorum & Langobardorum, nec non & patricius Romanorum. Omnibus episcopis, abbatibus, ducibus, comitibus, vicariis, centenariis, vel reliquis fidelibus nostris, tam præsentibus quam futuris, notum sit qualiter domnus & genitor noster bonæ memoriæ PIPPINUS quondam rex monasterium, quod vocatur Prumia, in honore sancti Salvatoris a novo fundamine visus fuit ædificare, & res fiscalis ac proprietatis ad ipsum sanctum locum visus fuit delegasse, & in omnibus confirmasse, ubi venerabilem virum ASUERUM abbatem una cum monachorum [turma] rectorem præesse constituit, & secundum ordinem sanctum illud locum gubernare præcepit. Unde prædictus abba

(a) Id est anno sexto regni Francorum, & primo regni Longobardorum.

& monachi in ipso cœnobio consistentes, clementiæ regni nostri petierunt, ut ipsi homines, quem domnus & genitor noster bonæ memoriæ PIPPINUS quondam rex ad ipsum monasterium concessit vel delegavit, in ipsa tenore & consuetudine, sicut antea fuerunt, & ceteri fiscalini sunt nostri, absque alicujus contradictione ad jam dicto loco debeant permanere, tam de causas eorum in responsis, quamque aliam legem vel consuetudinem, sicut reliqui infra regna nostra habuerint fiscalini, & antea in unumquemque pago habuerunt consuetudinem. Cujus nos, propter nomen Domini & animæ nostræ remedium, eorum petitionibus nequivimus denegare, sed in omnibus præstitisse & confirmasse cognoscite. Præcipientes ergo jubemus atque præcipimus, ut nullus quislibet de fidelibus nostris, neque de judiciaria potestate, qui jam fata casa Dei vel rectores ejus, nec homines ad ipsum sanctum locum deservientes, quem domnus ac genitor noster ibi concessit, de hac re inquietare, nec calumniam generare nullatenus præsumatis, nisi, ut diximus, nostris & futuris temporibus, sicut antequam domnus ac genitor noster eos ad superscripta casa Dei delegasset, partibus suis deservierunt. Ita simili modo ad eumdem sanctum locum in ea tenore deservire debeant, tam in responsis dando, quamque & reliquam legem ac consuetudinem, sicut ceteri fiscalini habere videntur. Et ut hæc præceptio firmior habeatur, ac per tempora melius conservetur, manu propria subterfirmavimus, & anulo nostro sigillare jussimus.

Signum KAROLI gloriosissimi regis.

[a] Data mense Novembrio anno octavo, & (a) VI. regni nostri.

Actum Theodonis villa publice, in Dei nomine feliciter. Amen.

CARTA ASUERI ABBATIS Prumiensis.

Donat Prumiensi monasterio villam Caciacum in pago Andegavino.

Anno 776. *Ex cartario Prumiensi.*

DUM fragilitas humani generis pertimescit ultimum vitæ terminum subitanie transpositione ventura, oportet ut non inveniat unumquemque imparatum, ne sine aliquo bono opere respectu migret de sæculo: sed dum suo jure & potestate consistit, præparet sibi viam salutis, per quam ad æternam beatitudinem valeat pervenire. Ideoque ego ASUERUS in Dei nomine abba, dum non habetur incognitum, qualiter domnus & gloriosissimus rex KAROLUS nobis præceptum suum confirmavit in pago Andegavo, villa cujus vocabulum est Caciaco, cum omni integritate & soliditate vel appendiciis suis. Igitur ego ASUERUS abba pro animæ meæ remedium, seu & pro anima piissimo domno rege KAROLO, vel pro anima domnæ reginæ HILDIGARDANÆ, & pro animabus infantum ipsorum, rem superius intimata dono a die præsente a sancto Salvatore monasterio positum in finibus Ardinnæ, super fluvium Prumia, ubi cœnobialis vita monachorum degere videtur, cum omni integritate trado atque transfundo perpetualiter ad possidendum. Dono, donatumque in perpetuum esse volo ad monasterium superius nominato, id est tam terris, domibus, ædificiis, accolabus, mancipiis, vineis, silvis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumque decursibus, & incursibus, mobile & im mobilibus pecuniis, peculiis, gregibus cum pastoribus, præsidiis, farinariis, adjacentiis, quæsitum vel ad requirendum omnia, & ex omnibus, totum & ad integrum, quicquid ad ipsa villa aspicere videtur, a die præsente pars prædicti monasterii aut rectores ipsius eam habendi, tenendi, possidendi, vel quicquid exinde pro opportunitate ipsius monasterii eligerint, faciendi liberam hac firmissimam in omnibus ponantur arbitrium. Si quis vero, quod futurum esse non credo, si ego ipse, quod absit, aut aliquis de heredibus ac proheredibus meis, seu quislibet persona caliditate commotus, hac cupiditate præventus ullum umquam tempore, qui contra præsentem epistolam donationis meæ & domni nostri piissimi regis, quam propter nomen Domini & reverentiam S. Salvatoris spontanea voluntate fieri decrevi, venire, aut aliquid agere voluerit, aut tergaversator steterit, anathema sit, & tam qui fecerit; quam qui faciendo consenserit & cum suprascripto S. Salvatoris nostri ante tribunal judicis deducat, rationem insuper inferat, eum cogente fisco partibus monasterii Prumiense auri libras tres, argentum pondus decim coactus exsolvat, & quod repetit nullatenus valeat vindicare, sed præsens hæc donatio omni tempore inviolata permaneat, cum stipulatione subnixa.

Actum est Prumia monasterio sub die XV. calendas Septembris, anno VIIII. regnante domno nostro KAROLO gloriosissimo rege.

Ego ASUERUS abbas hanc donationem a me facta subscripsi. Sicnum † (b) Egidio. [b] Sicnum † Raganfredo. Sicnum † Bodilone. Sicnum † Benedicto. Sicnum † Anastasio. Sicnum † Probatio. Sicnum † Ernaldo. Sicnum † Ursone. Sicnum Aiglolfo, sicnum Victorio, sicnum Ermanldo.

(a) Hic lapsus est amanuensis, qui VI. pro II. apposuit. Nam ita distinguendæ sunt notæ chronicæ regni Caroli-Magni, ut initium regni sui in Francia sex annis antevertat initium regni sui Longobardici.

(b) Hic est Egidius ille vir illustris, cujus amplissimam donationem supra vidimus, factus Prumiensis monachus.

COMMEMORATORIUM

De quibusdam villis S. Victori restitutis aut restituendis, in qua sit mentio rebellionis factæ ab Atenere sub Pippino patre Caroli Martelli.

Circa 780. *Ex archivis S. Victoris eruit domnus Furnerius.*

IN nomine Domini nostri JESU-CHRISTI. Breve commemoratorio qualiter pro ordinatione vir inclitus gloriosus, seu domno nostro KAROLO rege Francorum & Langobardorum, seu patricio Romanorum, seu Vernarius servus vester memorare vobis credimus, domne, qualiter in palatio Aristalio MAURONTUS episcopus sedis Massiliæ suggessit,& curtas vobis exinde ostendit ad relegendum...... de villa cognominante Bedata, quæ sita est in pago Aquense. Similiter & de villa cognominante Orbesio, qui sita est in pago Regense; etiam & de villa Caladio, quæ sita est in pago Dignense, qualiter ipsas villas per ipsa instromenta ad casas Dei sanctæ Mariæ & sancto Victori civitatis Massiliæ relatas fuerint, & ipsas pars ipsius ecclesiæ possedissent, & vos, domne, nobis de verbo vestro commendastis, & nos hoc diligenter juxta legis ordinem per illus pagenses, ingenuos homines, qui hoc bene cognoscere debent, inquirere debuissemus: quod ita & fecimus. Si possessio exinde fuisset & partibus supradictis ecclesiis...... & nus, domne, juxta ea quæ nobis exinde commendastis, taliter hoc inquisivimus, & sic veracius exinde invenimus, quomodo ipsas casas ecclesiæ Dei vel Alborii ipsius ecclesiæ, ipsas villas possederunt, & illi pagenses & ingenui homines sic in omnibus testimoniaverunt, quod ipsi viderant ipsas villas partibus supradictis ecclesias possidere & dominare, & carta reclamatione exinde viderunt, qualiter ABBO patricius condam coram avio vestro CHARLO reclamavit, quod ANTENER patricius, ut quod condam pro malo ingenio & fortia, quando Provincia revellavit contra bisavio vestro PIPPINO, Antener ipsas villas partibus suis ad probrio se dixit abere usque quod ipse in ipso revellio vixit....... ipsius ecclesiæ abstulit, sed avius vester CHAROLUS Abbone patricio ad partibus de ipsas supradictas ecclesias revestire fecit, & post mortem ipsius Abbone, Ardingus ille Alamannus ipsas casas ecclesiæ Dei Massiliensis intemerato hordine....... disvertivit, & ad Hinniberto suo vasso hoc beneficiavit, & postea pro hac causa ipsas casas ecclesiæ Dei S. Mariæ & S. Victoris martyris comperdictas..... in vestra eleemosyna, quicquid exinde facere aut ordinare. *Cetera desunt.*

PRÆCEPTUM KAROLI-MAGNI regis pro Turonensi sancti Martini monasterio.

Concessa a decessoribus suis regibus in Austria, Neustria, Burgundia, Aquitania & Provincia confirmat, ac variis immunitatibus donat.

Anno 782. *Ex cartario S. Martini.*

KAROLUS gratia Dei rex Francorum & Langobardorum, ac patricius Romanorum. Omnibus abbatibus, virisque illustribus, ducibus, comitibus, domesticis, grafionibus, vicariis, centenariis, junioribusque nostris, atque missis nostris discurrentibus, præsentibus videlicet & futuris. Decet enim regalis clementiæ dignitatem, ut cuncta quæ a sacerdotibus rationabilia postulata fuerint, sollerti cura prospicere, & opportuna vel congrua eis beneficia non denegare, anteriorumque regum acta plenius, quæ pro Dei sunt intuitu, confirmare. Igitur venerabilis vir ITHERIUS abba de basilica peculiaris patroni nostri S. Martini, ubi ipse pretiosus Domini corpore requiescit, emunitates gloriosorum regum antecessorum nostrorum manibus eorum roboratas, atque domni & genitoris nostri PIPPINI bonæ memoriæ quondam regis nobis protulit ad relegendas, qualiter prædicti reges pro reverentia ipsius beatissimi S. Martini de rebus ipsius in regna (Deo propitio) nostra, Austria, Neustria, Burgundia, Aquitania, & Provincia, de omnibus rebus & facultatibus ipsius beatissimi S. Martini, ubi continebatur insertum, ut quiete in regna superius scripta, quibuscumque locis majoribus vel minoribus, tam quod per præceptiones vel indulgentias seu emunitates regum, vel a Christianis hominibus atque diversis contractibus pro quibuscumque instrumenta cartarum ad præfatam casam Dei confessoris S. Martini fuit collatum vel delegatum, aut in futuris temporibus addendum vel delegandum confirmaverunt, ut sub emunitate nostra ipsas res vel ipsi homines S. Martini vivere debeant. Idcirco suprascriptus ITHERIUS abba serenitatem regni nostri petiit, ut in idipsum roborandi beneficium largiri deberemus. Cujus nos petitionem consentientes, & patrocinia S. Martini venerantes, sicut præcessores reges singulariter expleverunt, & nos hoc indulgentiæ donum gratanter præstitisse cognoscite. Præcipientes quippe, ut omnes res ipsius beatissimi S. Martini, quantumcumque in regna (Deo propitio) nostra, tam in villas & prædia majora vel modica, seu vel omnes facultates beatissimi S. Martini sub emunitatis titulum consistere debeant, ut nullus judex publicus fisci nostri in jam dictas villas vel facultates ipsius

sancti ad agendum, vel causas ad audiendum, seu freda, vel inferendas exactandum, vel teloneum tollendum, aut ullum ingressum seu introitum in villas sancti Martini habere præsumat, sed quicquid exinde ab antiquis temporibus fiscus noster, tam præterito quam & præsente tempore accipere vel exactare consueverat, omnia & ex omnibus ex fisco nostro cedimus, & in luminaribus ipsius beatissimi S. Martini, vel in alimonia pauperum, seu stipendia monachorum proficiat in augmentum, & nullam potestatem judex publicus fisci nostri super B præfatas villas vel facultates sancti Martini, per qualecumque ingenium habere se recognoscat. Sed ab omni fiscali potestate, atque de prædictis rebus S. Martini semper extraneus & remotus sit, & nec aliquis umquam occasiones inquirere, unde homines S. Martini dispendium facere debeant, sit ausus præsumere: sed inspectæ emunitates anteriorum regum, nec nostra in omnibus conserventur. Et si aliquis fuerit comes, do-[a] mesticus, seu (a) grafio, vicarius, vel tribunus, seu qualicumque judiciaria potestate succinctus, qui indulgentiam & bonitatem C piorum & patrum nostrorum regum, vel nostram præceptionem irrumpere ac violare præsumserit, sexcentorum solidorum auri ad purum excocti numerum se cognoscat ad ipsam casam sancti Martini vel abbates suos multandum: ita ut ipse abba, vel monachi, vel casa S. Martini duas partes recipiant, tertia vero pars in fiscum nostri sacelli veniat, ut non delectet quæ pro divino intuitu sacerdotibus sunt indulta, vel anteriorum regum emunitates, vel nostra ab impiis hominibus lacerari. Sed undecumque ad præsens ipsa casa S. Martini vestita D esse videtur, vel inantea a quibuscumque Deo timentes vel bonis hominibus datum vel allatum fuerit, sub emunitatis titulo resideat, & quicumque ad ipsam casam Dei aliquid dare voluerint, ex nostra auctoritate habeant licentiam faciendi, & sub emunitatis titulo absque ulla fiscali potestate quiete resideat, & quicquid fiscus consuetudines habuit recipiendi in luminaribus ipsius sancti pro nostra eleemosyna, ad præsens in recisa computetur, cum ipsa subsequentia tam ipse abba, quam & successores sui omnes res ipsius sancti Martini sub inte- E gra emunitate perpetualiter debeant haberi & possideri. Et si ante actis temporibus per aliquam negligentiam vel tepiditatem abbatum aut præsumtionem judicum de ipsa emunitate quicquam minuatum, irruptum, convulsumque aut confractum fuit, omnimodis his nostris auctoritatibus & beneficiis restauretur. Et ulterius nullus nostrum, nullusque juniorum nostrorum aut successorum

(a) Grafio est vox Teutonica, quæ comitem, judicem, præfectum significat.

A infringere, quod consensimus, aut violare non præsumat, sed sicut superius dictum est cum plenissima emunitate pacem cum Dei adjutorio vel nostra gratia omnia valeant quæ sibi data vel danda fuerint possidere. Et ut hæc præceptio circa ipsam casam ac venerabilem ecclesiam sancti Martini profuturis temporibus valeat perdurare, manu propria eam subterfirmavimus, & anuli nostri impressione signavimus.

Signum KAROLI gloriosissimi regis.

RADO relegit & subscripsit.

Data in mense Aprili, anno XIIII. & VIIII. regni nostri.

Actum (b) Casiago palatio regio, in Dei nomine feliciter. Amen. [b]

PRECARIA

Per quam Vvicbertus ab Asuero abbate Prumiensi accipit ad vitam aliquas villas in pago Vvabrinci.

Anno 786. Ex cartario Prumiensi.

DOMNO sancto & in Christo patri ASUARIO abbate. Ego Wicbertus quatenus a mea petitione vestra habuit pietas hac benivolentia, ut res jure proprietatis meæ in villis quæ vocantur Lullingas, & Addeobace, & Acalia imo sitas in pago Wabrinse, quas ego pro animæ meæ remedio ad monasterium sancti Salvatoris per instrumenta cartarum delegavi, in beneficium, dum advivo, excolere permisistis, ea scilicet ratione, ut annis singulis ad missam S. Salvatoris solidum unum in luminaribus ipsius basilicæ solvere debeam, tam pro ipso censu, quam pro animæ meæ remedio, & ipsas res nec alienandi, nec abstrahendi, nec minuandi in omnibus non habeant potestatem: sed post meum quoque discessum, quandoquidem Dominus voluerit, evenerit, ipsas res emelioratas absque ulla expectata traditione, vel judicis consignatione, in vestra faciatis revocare dominatione perpetualiter ad possidendum. Hanc autem precariam non sit necesse de quinquennium in quinquennium renovare, sed ista sola per se sufficiat. Facta precaria sub die VII. cal. Julii, anno XVIII. domno nostro KAROLO gloriosissimo rege. Signum † Wicberti, qui hanc precariam fieri & firmare rogavit. Signum † Herloini. Signum † Gunteri.

(b) De Casiaco seu Casiago palatio regio agit Mabillonius in libro 4. de Re Diplomatica, cujus mentionem nullam se reperisse asserit ante Ludovici Pii annum 22. Verum hoc ex Diplomate constat longe fuisse antiquius.

PRÆCEPTUM CAROLI-MAGNI pro monasterio Prumiensi.

Donat ei res proprietatis suæ aliquas in Longana, & in Heinriche, & in Angresgovve.

Anno 790. *Ex cartario Prumiensi.*

CAROLUS gratia Dei rex Francorum & Langobardorum, & patricius Romanorum. Quicquid enim locis sanctorum venerabilium ob amorem Domini, vel opportunitate servorum Dei, benivola deliberatione cedimus vel condonamus, hoc nobis ad mercedis augmentum, vel stabilitatem regni nostri, in Dei nomine pertinere confidimus. Igitur notum sit omnium fidelium nostrorum magnitudini, præsentium scilicet & futurorum, qualiter nos pro divino intuitu & æterna remuneratione donamus ad monasterium Domini & Salvatoris nostri JESU-CHRISTI, quod bona memoria domnus ac genitor noster PIPPINUS quondam rex, nec non domna ac genetrix nostra BERTRERADA regina novo opere a fundamentis, pro futura salute, in loco qui dicitur Prumia, visi sunt construxisse, ubi præest vir venerabilis ASOARIUS abba, donatumque ad eadem sanctum locum in perpetuum esse volumus res aliquas proprietatis nostræ, in pago nuncupante Logonahe, & in pago qui dicitur Heinrichi, & in Angrisgowe, quas antedictus abba & AEHARDUS missi nostri justo tramite secundum legem in causa nostra super hominem aliquem nominem Alpadum adquisissent, per loca denominata Nasongæ, in *Squalbach* & *Haenstat*, in *Caldenbach* & in *Boumhaim*, atque in Thabernæ, nec non in Heringæ, sive Aendrichæ, & villare, seu in Theodissa, vel in *Abethissscheid* atque in *Larheim*, & super Hrenum portionem, sicut suprascripti missi nostri recto ordine super jam dictum Alpadum ad opus nostrum visi sunt evindicasse, tam terris, domibus, ædificiis, accolabus, mancipiis, vineis, campis, silvis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, mobile & immobile, totum & ad integrum ad præfatum monasterium in eleemosyna nostra jure firmissimo perpetuis temporibus ad possidendum concessimus. Quapropter per præsentem auctoritatem nostram decernimus ac jubemus, quod perpetualiter mansurum esse volumus, ut memoratus vir venerabilis ASOARIUS abba suique successores, qui fuerint per tempora rectores monasterii sancti Salvatoris, suprascriptis rebus, cum omni integritate, sicut supra memoravimus, ad partem ipsius sancti loci nostris, Deo haospice, futurisque temporibus teneant atque possideant: Et nullus quislibet de fidelibus aut successoribus regni nostri, agentes ipsius monasterii, de præscriptis rebus aliquam calumniam generare, aut diminorationem facere nullo umquam tempore præsumatur: sed ut melius delectet ipsos servos Dei, qui ibidem Deo famulare videntur, pro nobis, uxorisque, ac liberis, seu pro stabilitate regni nostri attentius Domini misericordiam exorare: hoc quod nostro largitionis munere, pro æterna retributione, ad sæpedictum monasterium Domini Salvatoris indulsimus per hoc nostræ serenitatis præceptum, atque confirmationis donum, Christo propitio, in luminaribus ipsius ecclesiæ, seu stipendia servorum Dei perpetuis temporibus proficiat in augmentis. Et ut hæc auctoritas firmior habeatur, vel per tempora, Domino auxiliante, melius conservetur, manu propria subterfirmavimus, & de anulo nostro sigillari jussimus. Et quod supra intimare debueramus omnem legem & compositionem quam prædictus Alpad pro ipsis rebus solvere debuit, ad ipsum sanctum locum perdonavimus.

Signum CAROLI gloriosi regis.

ERCAMBOLT ad vicem RADONIS recognovit.

Data V. idus Junii, anno XXII. & XVII. regni nostri.

Actum Mogontia civitate in Dei nomine feliciter. Amen.

PRÆCEPTUM CAROLI-MAGNI pro S. Victore.

Monasterium eximit ab omni publici judicis exactione.

Anno 790. *Ex archivis S. Victoris eruit domn. Furnerius.*

CAROLUS gratia Dei rex Francorum & Langobardorum, ac patricius Romanorum. Maximum regni nostri in hoc augere credimus munimentum, si petitionibus sacerdotum vel servorum Dei, in quo nostris auribus fuerint prolatæ, liberiori animo obtemperamus, atque in Dei nomine ad effectum perducimus. Quapropter notum sit omnium fidelium nostrorum magnitudini, qualiter nos ob honorem Domini ad monasterium Massiliense, quod est in honore B. semperque Virginis MARIÆ, vel sancti Victoris martyris, tale beneficium visi sumus concessisse, ut illis vel rebus cui quibuslibet locis quæ bonorum omnium largitate ibidem largitæ vel delegatæ fuerint, vel inantea a Deo timentibus hominibus ibidem datum vel traditum fuerit, quicquid ibidem juste ac rationabiliter pertinere videtur, nullus judex publicus ad causam audiendum, vel freda exigenda, seu mansiones vel paratas faciendum, nec homines ipsius ecclesiæ distringendum, atque fidejussores tollendum, nec ullas redhibutiones publicas requirendum ibidem, quoque tempore ingredere, nec exactare penitus non præsumat, sed sub emunitatis nomine deberent consistere. Propterea hanc

præceptionem auctoritatis nostræ conscribere jussimus, per quam specialiter decernimus, ordinamus, ut nullus quislibet de veteribus nec junioribus viris a modo & deinceps in villis vel rebus præfatæ ecclesiæ infra regna, Christo propitio, nostra ad causas audiendum, vel freda exigendum, vel mansiones vel paratas faciendum, aut homines ipsius ecclesiæ distringendum, vel fidejussiones tollendum, nec ullas redhibutiones publicas requirendum ibidem, ut diximus, ullo umquam tempore ingredere, nec exactare penitus non præsumant: sed sub emunitatis nomine valeat illis, qui nunc tempore ibidem rectores esse videntur, suique successores cum omnibus fredis concessis quiete vivere & residere, & quicquid ibidem nunc ad presens juste & rationabiliter pertinet, vel inantea a Deo timentibus hominibus ad ipsa loca traditum vel delegatum fuerit, ex nostra caritate ibidem proficiant in augmentis, quatinus melius delectet ipsam congregationem pro nobis vel stabilitate regni nostri Domini misericordiam attentius exorare. Et ut hæc præceptio nostris & futuris temporibus melius conservetur, manu propria decrevimus roborare, & de anulo nostro infra sigillare præcipimus.

Signum CAROLI gloriosissimi regis.

Locus sigilli.

Data in mense Martio, anno XXII. & XVII. regni domni Caroli.

Actum Quamarcia civitate.

PRÆCEPTUM CAROLI-MAGNI pro monasterio Epternacensi.

Confirmat donationem factam a Karolomanno germano suo monasterio Epternacensi.

Circa 790. *Ex cartario Epternacensi.*

CAROLUS gratia Dei rex Francorum & Langobardorum, ac patricius Romanorum. Quicquid enim locis sanctorum venerabilium ob amorem Domini cedimus vel confirmamus, hoc nobis ad mercedem vel retributionem æternam pertinere confidimus. Idcirco notum sit omnibus fidelibus nostris, præsentibus scilicet & futuris, qualiter vir venerabilis (a) BERNERADUS, sanctæ Senonensis urbis & ecclesiæ archiepiscopus, qui est rector monasterii sancti, ubi sanctus Willibrordus corpore requiescit, quod est situm in loco Epternaco, clementiæ regni nostri innotuit, eo quod bonæ memoriæ KARLOMANNUS quondam germanus noster, pro mercedis suæ augmento villas aliquas in pago Bedense, in loco nuncupante *Droise*, super fluvium Salmana, & Officinus super Lisera, una cum terris, do-A mibus, ædificiis, accolabus, mancipiis, vineis, silvis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, totum & ad integrum, quicquid ad ipsa loca legibus pertinere videtur, ad prædictum monasterium visus fuit condonare; sed negligentia eveniente, nequaquam cartula concessionis ipsius germani nostri exinde accepta fuisset: unde asserit jam dictus BERNERADUS archiepiscopus, ipsas resquieto ordine ad partes jam dicti monasterii tenere: sed pro rei totius firmitate, petiit a celsitudine nostra, ut B hoc nos denuo in eleemosyna nostra, & jam dicti germani nostri, per nostram auctoritatem, erga ipsum sanctum locum concedere atque confirmare deberemus. Cujus petitionem pro divino intuitu, & reverentia ipsius sancti loci, nolumus denegare, sed in omnibus pro mercedis nostræ augmento, hoc concessisse atque confirmasse cognoscite. Quapropter per præsens decrevimus atque jubemus præceptum, ut nullus quislibet de C fidelibus nostris, neque ex judiciaria potestate ullo umquam tempore ante memorato BERNERADO archiepiscopo, neque successoribus qui fuerint rectores monasterii S. Willibrordi, de jam dictis rebus inquietare, aut calumniam generare, aut aliquid abstrahere, nec minuere ullo umquam tempore præsumatur: sed pro mercedis nostræ augmento, & animæ germani nostri KARLOMANNI regis, ad jam dictum sanctum locum nostris futurisque temporibus, Christo auspice, per manum legentium eorum in D luminaribus ipsius ecclesiæ, seu stipendiis servorum Dei, qui ibidem Deo famulare videntur, perenniter proficiunt in augmentis. Et ut hæc auctoritas inviolata, Deo adjutore, omni tempore valeat perdurare, manu propria subter roborare decrevimus, & de anulo nostro sigillare.

PRÆCEPTUM CAROLI-MAGNI regis pro Turonensi sancti Martini monasterio.

E *Illicite per venditionis cartam sancto Martino delegata a Folrido in Brisgavia, Carolus sponte donat.*

Anno 790. *Ex cartario S. Martini.*

CAROLUS gratia Dei rex Francorum & Langobardorum, ac patricius Romanorum. Notum esse universis nostris credimus fidelibus, qualiter tempore genitoris nostri bonæ memoriæ PIPPINI quondam regis, seu & avunculi nostri KARLOMANNI res aliquæ in ducatu Alamanniæ fisci ditionibus redactæ fuerint, quas modo diversi homines, quasi jure proprio possidebant injuste, & aliquas exinde tam per venditiones,

(a) Berneradus hic Epternacensis abbas, tertius a S. Vvillibrordo, monasterium rexisse dicitur ab anno 777. ad 798. in brevi chronico ms. ejusdem monasterii. Hujus autem nominis nullus extat in catalogo archiepiscoporum Senonensium, nisi quis eum confundat cum Berardo, qui duobus tantum annis præfuit, ab anno 793. ad 795. quo dicitur obiisse. Sed hæc non cohærent cum nostro Bernerado, qui S. Gondebaldo in sede Senonensi successisse videtur.

donationes

donationes, seu diversos quoslibet modos habebant dispersas, ex quibus Fulridus quondam Alamannus per cartam vinditionis partibus basilicæ S. Martini, quo pretiosum requiescit corpus, aliquam rem in *Stamaconstat* in Brisigavia, illicito ordine delegavit. Unde Itherius abba per suos vadios legibus nobis visus est revestisse. Sed nobis considerantibus ob amorem Dei & reverentiam sancti Martini per mercedis augmentum, & animæ nostræ remedium, seu stabilitatem regni nostri, deinceps per nostrum præceptum præfatam rem ad ipsam casam Dei promtissimo animo ac voluntate benigna concedere ac delegare decrevimus. Propterea hoc nostræ firmitatis præceptum jussimus conscribi, ut memoratam rem cum omni integritate, cum ecclesia, terris, domibus, ædificiis, mancipiis, vineis, silvis, vel cunctis ibidem adjacentiis, & appendiciis, in quibuslibet locis, sicut antea ipsa casa Dei visa fuit possedisse: ita & deinceps per nostrum præceptum plenius in Dei nomine confirmatum ab hac die pars præfatæ basilicæ sancti Martini habeat, teneat, atque possideat, & in nostra eleemosyna ibidem omni tempore in augmentis proficiat. Et ut hæc auctoritas firmior habeatur, vel per tempora melius conservetur, manu propria firmavimus, & de anulo nostro sigillare jussimus.

Signum Caroli gloriosissimi regis.

Ercambaldus ad vicem Radoni.

Data II. calendas Septembris anno XXII. domni Caroli excellentissimi regis.

[a] Actum (a) Copsistamo, in Dei nomine feliciter. Amen.

EPISTOLA ALCUINI
ad monachos Vedastinos.

Agit de titulis pro ecclesia Vedastina, deque missis ab eo conscriptis, hortaturque ut virtutes monasticas exerceant.

Circa ann. 796. *Ex ms. Vedastino 800 annorum.*

CArissimis in Christo fratribus humilis levita Albini salutem.

Sicut domni abbatis vestraque suavissima caritas demandavit, versus per singulos titulos ecclesiarum & altaria singula dictavimus, & utinam tam rationabiliter quam libenter, quia vestræ sanctitatis jussio compellit citato dictare sermone, tamen vestra pietas defendat, quæ nostra humilitas obedienter exaravit. Missas quoque aliquas de nostro tuli missale ad cotidiana & ecclesiasticæ consuetudinis officia: Primo in honore summæ Trinitatis, deinde sanctorum intercessiones deprecandas, etiam & angelorum suffragia postulanda, quæ multum necessaria sunt in hac peregrinatione laborantibus. Postea sanctæ Dei genitricis semperque Virginis Mariæ missam superaddidimus per dies aliquot, si cui placuerit, decantandam, nec non & sancti Vedasti patris vestri & (b) protectoris nostri dictavimus missam, quatinus illius familiaris advocatio sempiternum suis famulantibus afferret solatium. [b] Pro peccatis quoque & eleemosynam facientibus adjunximus orationes, quatinus si quis vel pro suis negligentiis, vel pro aliorum benefactis offerre voluisset, haberet convenientes intercessiones suæ voluntati. Arbitror vos melius hæc omnia vel in sacramentis vestris conscripta, vel in consuetudine cotidiana habere. Tamen ne inobediens vestræ essem dilectioni, scripsi quod nos in consuetudine habemus, & vobis proficuum esse putavi, obsecrans vestram venerabilem almitatem, ut mei nominis memoriam habeatis, vel inter has vel inter alias vestræ sanctitatis intercessiones. Ut vere fateor, multam habeo fiduciam in vestris sanctis orationibus ad promerendam misericordiam Domini nostri Jesu-Christi, qui vos custodiat, & in omni bonitate proficere faciat, & orationes vestras exaudire dignetur, vel pro vivorum salute, vel pro morientium profectu. Vos vero viri fratres in unitate caritatis firmiter permanete, & in humilitatis obedientia sollerter adsistite. Iste est honor vester coram hominibus, ista est via vestra ad regnum Dei. In his enim mercedem a Deo sperare debetis, ad has enim sanctissimas tramites seniores qui sunt, juniores deducant. Corripite eos in spiritu mansuetudinis, & bona illis præbete exempla, ut vestris sanctissimis vestigiis inhærentes, vitam vobiscum in Christo sempiternam habere mereantur. Sæculum quod sprevistis nolite quærere, sæpius cum propheta decantantes, *Inclina cor meum in testimonia tua, & non in avaritiam.* Radix enim omnium malorum cupiditas est. Melius est enim Deum habere in corde, quam nummos in * sæculo. *f. sacculo Lectionis sacræ studia inter labores obedientiæ vestræ diligentissime exercete, ita ut vel opus vel libellus in manibus semper videatur vestris, quia in libris sanctis Deus loquitur ad hominem, & in orationibus suis homo loquitur ad Deum. Quid dulcius debet esse, quam Deum audire loquentem? In his enim & solatia peccator, & gaudia benefactor inveniet. Sicut lux lætificat oculos, ita lectio corda. Custodiam oris diligenter observate, verba quæ ad ædificationem audientibus faciant semper proferte, quia aliorum salus vestra est retributio. Laus Domini semper sonet in ore vestro, dicente propheta, *Benedicam Domi-*

(a) Mabillonius in libro 4. de Re Diplomatica villam hanc regiam existimat esse *Cuffstein* in suburbio Moguntiæ sitam.

(b) Alcuinus hoc ex loco affectus maxime fuisse videtur S. Vedasto, cujus vitam etiam ad petitionem Radonis abbatis conscripsit circa annum 796. ex Annalibus Benedictinis, quo etiam tempore probabile est cum titulos in ecclesia Vedastina inscribendos dictasse.

num in omni tempore, semper laus ejus in ore meo. Et iterum: *Sacrificium laudis honorificabit, illic iter quo ostendam illi salutare Dei.* Necdum mihi, carissimi fratres, occurrit tempus dictandi homiliarem ammonitionem; sed vita comite, Spiritu-sancto inspirante, non ero immemor petitionis vestræ & promissionis meæ. Divina vos clementia in omni bonitate florere & proficere faciat, fratres carissimi. Amen.

In ecclesia S. Vedasti in pariete scribendum.

Hæc domus alma Dei flammis crepitantibus olim, &c. *ut apud Alcuinum pag. 1690. n. 66. usque ad n. 87.*

PRÆCEPTUM CAROLI MAGNI regis pro monasterio Prumiensi.

Lauriacum & Catiacum villas in pago Andegavensi concedit Prumiensi monasterio.

Anno 797. *Ex cartario Prumiensi.*

KAROLUS gratia Dei rex Francorum & Langobardorum. Quicquid enim in nostra vel procerum nostrorum præsentia recto tramite agitur, ac juste terminatur; oportet propter futurorum hominum notitiam per scripturarum seriem roborare, ut in postmodum jure firmissimo maneat inconvulsum. Ideoque notum sit omnium fidelium nostrorum magnitudini, præsentium scilicet & futurorum, qualiter ASOARIUS abba ex monasterio S. Salvatoris, quod domnus & genitor noster sancta recordatio PIPPINUS quondam gloriosissimus rex, & domna ac genitrix nostra bona memoria BERTRADA regina, in loco qui dicitur Prumia, novo opere construxerunt, serenitati nostræ multotiens deprecatus est, pro aliquibus rebus sitas in Andecavo, villas nuncupatas Lauriaco & Catiaco, adserens quod de parte genitricis suæ WILHARANÆ & avæ suæ TEODILDÆ ei legibus pertinere debuissent, & a retroactis temporibus cum aliis rebus, quæ propter infidelitatem aliquorum hominum parentumque suorum in fisco redactæ fuerant, malo ordine & injuste usurpatæ devenissent. Nos quidem ejus considerantes sacerdotium, & fideli servitio, ita per omnia verum esse credidimus, ac de ipsis rebus pleniter revestire jussimus, & per præceptum auctoritatis nostræ eidem confirmare decrevimus. Transacto vero aliquo tempore inventum est manifeste per (a) ODILHARDUM sanctæ Nanneticæ urbis ecclesiæ episcopum, & alios veraces homines infra patriam habitantes, de prædicta villa Lauriaco, quod nostræ hereditati legibus ac juste deberetur, & nullam inibi Asoarius abba deberet habere justitiam. Qui in conspectu nostro ac plurimorum, procerumque nostrorum præsentia stans in judicio, secundum quod lex Romana edocet, & sui Scabinii ei judicaverunt, prædictas villas partibus nostris simulque & præceptum confirmationis nostræ reddidit. De quibus nos unum quæ vocatur Lauriacum, pro futura salute in eleemosyna domni ac genitoris nostri bonæ memoriæ PIPPINI quondam gloriosissimi regis, ad jam fatum monasterium S. Salvatoris per præceptum auctoritatis nostræ delegavimus. Et aliam quæ vocatur Catiaco, quia ipsi pagenses testati sunt vidisse eam habere, aviæ ipsius Asoarii TEODILDÆ in alode per nostram confirmavimus auctoritatem. Iterum autem post aliquantos annos orta est intentio exinde pro aliquibus appendiciis, quæ ad ipsam villam pertinent, inter jam dictum ASOARIUM abbatem & NUNONEM comitem nostrum, qui ad nostram altercando accedentes præsentiam, repperimus certissime, tam per veraces homines, quam per strumenta, qualiter ante dicta avia sua THEODELHILDIS suprascriptam villam Catiacum cum aliis rebus proprietatis suæ domno & genitori nostro tradiderat, & ideo nostra plus legibus cum justitia esse deberet, quam ASUARII abbatis de parte genitricis suæ WILHARANÆ. His itaque gestis, placuit celsitudini nostræ, ut ob amorem Dei & reverentiam ipsius, quia vir Dei esse dinoscitur, ex corde puro & sincera voluntate, quia aliud pro aliud, * quam vir simpliciter, nobis retulit, & culpabilis atque convictus apparuit, in eleemosyna nostra ei omnia indulgere, & insuper ipsas villas superius nominatas Lauriaco & Cattiaco cum suis appenditiis, pro salute animarum domni ac genitoris nostri seu genitricis, ad prædictum monasterium ex nostro largitatis munere plenissima deliberatione cedere & in omnibus confirmare. Statuentes ergo jubemus, quod perpetualiter mansurum esse volumus, ut a modo & deinceps sæpe memoratus vir venerabilis ASUARIUS abbas, suique in perpetuum successores, qui fuerint pastores suprascripti monasterii S. Salvatoris, jam dictas villas Lauriaco & Cattiaco, una cum terris, domibus, ædificiis, accolabus, mancipiis, vineis, campis, silvis, pratis, pascuis, aquis, aquarumque decursibus, mobilibus & immobilibus, appenditiis, adjacentiis, omnia & ex omnibus, sicut ad ipsa loca aspicere videtur, & nostra, Deo donante, legitima videtur esse possessio, per hoc nostrum auctoritatis & cessionis atque confirmationis præceptum, ad partem ipsius sancti loci, in eleemosyna nostra teneant, atque possideant, & ad ipsam casam Dei nostris futurisque temporibus proficiant in augmentis, quatenus melius delectet ipsos servos

* *f.* quamvis.

(a) De Odilhardo nihil præter nudum nomen in serie episcoporum Nannetensium.

Dei qui ibidem Deo famulantur, pro nobis & liberis nostris, seu pro stabilitate regni nostri, & pro animabus genitoris ac genitricis nostræ, jugiter Domini misericordiam exorare. Et ut hæc auctoritas inviolata, Deo auctori valeat permanere, manu propria firmavimus, & de anulo nostro sigillare jussimus.

Signum KAROLI gloriosissimi regis.

ERCANBALDUS ad vicem.... recognovi.

Data XIII. cal. Martias anno XXVIIII. & XXIV. regni nostri.

Actum Aquisgrani palatio nostro publice, in Dei nomine feliciter. Amen.

PRÆFATIO SMARAGDI monachi S. Maximini, in expositionem Psalmorum.

Exponit quam utilis sit Psalmorum meditatio.

[a] Incipit præfatio (a) Smaragdi presbyteri.

Circa 800. Ex ms. S. Maximini annorum 800.

HANC expositionem psalmorum de dictis plurimorum in brevi collegimus patrum, ut ejus breviatio nocivum demat fastidium, & cordis ejus proficuum acuat & aperiat intellectum, ut ea quæ in psalmis sub litterarum tegmine latitant clausa, ocius ei patefacta clarescant. Brevis etenim lectio avidius legitur, citius intelligitur, & memoriæ facilius commendatur, & firmiter retinetur. Necesse est ergo, ut hæc spiritalis expositio psalmorum frequenter a fidelibus legatur, & ipsi psalmi sapienter, assidue & humiliter recitentur: quia semper in eis cura mentis, sanitas cordis, & animæ medicina reperitur. Est enim in eis consolatio magna lugentium, spes beata justorum, sanitas infirmorum, fortitudo & refugium periclitantium, & spiritaliter convivantium deliciosa nimis in eis comperitur epulatio. Per assiduam enim psalmorum meditationem cor pœnitentis compungitur, & proficuus ab eo lacrymarum imber profunditur. In psalmis enim promissio vitæ æternæ legitur, & spes regni cœlestis firmiter in animo confirmatur. Remissio peccatorum in eis concedi promittitur, & laborantibus refectio cum gloria perpetua feliciter præparatur. Est enim in eis thesaurus sapientiæ & scientiæ sub tegmine litterarum absconditus, qui vitam æternam fidelibus ministrat detectus. Est hortus conclusus, ut talibus aquis irriguus, & aromaticis floribus constipatus. Est fons signatus cœlesti poculo plenus, ad potandum semper fidelibus aptus, & sine defectu haurientibus ad potandum mellifluus. Est ferculum Domini spiritalibus deliciis plenum & omnibus vitalibus alimentis refertum. Per suavia enim psalmorum canora alternantibus choris divina in ecclesia peraguntur officia. Per eos nocturna laus cum mentis alacritate Domino canere incipitur, & dimisso noctis silentio fidelium ora mellifluam erumpunt in musicam. Per illos laudis diurnæ meditatio horis competentibus peragitur, & per eorum sacratissima verba memoria Domini ad cor reducitur, ut ei cum gratiarum actione jugiter laus indefessa cantetur. Per eos hymnidica dulciter componuntur carmina, & mellifluum melos in jubilo canitur alleluia, & ut breviter dicam, in psalmorum dulcissimo cantu cum laudibus, hymnis & canticis spiritalibus in ecclesia totus incipitur, peragitur, atque perficitur ornatus. Est & aliud in psalmorum thesauro, mirabiliter ab spiritu sancto compositum atque reconditum, ut quicumque psalmorum verba cantat aut recitat, sive in orationibus pro peccatis præteritis abluendis, sive in obsecrationibus pro virtutibus adipiscendis, sive in gratiarum actionibus pro jam adeptis, non quasi aliena prophetia, sed quasi sua & propria verba cantat & recitat.

Explicit. præfatio.

CARTA HARVICHI VIRI illustris pro monasterio Prumiensi.

Villam Odanam in pago Andegavensi concedit, ut ipse in congregatione recipiatur, &c.

Anno 804. Ex cartario Prumiensi.

ADMONET nos divina scriptura, ut bona, quæ possidemus, tribuamus, & a pio Redemptore nostro bone opere recipiamus. Oportet nos exemplum patriarchæ nostræ Abrahæ adimplere, quod sepultura agri in spelunca duplici dignum pretium comparuit. Igitur unusquisque dum in hunc mundum, qui in maligno positus est, videtur conversare, taliter Christo præsole ex rebus temporalibus debet perpendere, ut cùm egressio animæ suæ de corpore fuerit absoluta, de ipsa iniqua calamitate valeat conscendere ad perpetuam felicitatem. Idcirco ego in Dei nomine HARVICH tractans futurum judicium, diem etiam & pænas quas peccatoribus minantur, nec non & præmia quod Dominus justus & innocentes pollicit pro amore Christi, & molem facinorum meorum peccaminum, seu & pro loco sepulturæ meæ, per epistolam donationis dono & donatumque in perpetuum esse volo de jure meo in potestate & dominatione monasterii S. Salvatoris, quod est in finibus Ardennæ

(a) Cum hic Smaragdus presbyteri tantum sibi assumat titulum, non eum esse putamus, qui S. Michaelis ad Mosam abbas extitit, scripsitque Diadema monachorum, sed Smaragdum S. Maximini Trevirensis monachum, cujus meminit Trithemius, maxime cum opus istud apud S. Maximinum reperiatur.

constructus super fluvium Prumia, quem domnus PIPPINUS rex bonæ memoriæ, & BERTRANDA regina ibidem ædificaverunt, ubi præest venerabilis vir ASSUARIUS abba, vel plurima turma monachorum adunata, transfundo atque transfirmo villa nuncupante Odane, in pago Andecavo, in condita Regadoninse vicu, cum appenditio suo ad Illotilio Leotbodo, dono in ipsa villa manso indominicato cum terris, domibus, ædificiis, acolabus, mancipiis, cum omni præsidio in se habente, & dono in ipsas villas tam mansis, terris, vineis, pratis, pascuis, silvis, adjacentiis, cultum & incultum quæsitum vel ad inquirendum, cum omni integritate earum in integrum cum hominis ibidem commanentes, vel aspicientes, tam servos, ancillas, colonus, colonas, tam ibidem oriundus, quàm aliundè translatus, (excepto illa terra quam Flectarius tenet, est satione modius XV. & ipsa terra confirmamus) Hildegarde, his nominibus Bertulfo cum uxore sua & infantis suis quinque, Donaldus cum infante suo uno, &c. (a)

[a] Et dono ad illo appendicio ad Illotilio qui vocatur Leotbodo modeno cum infantis suis Flotilde, seu & Hertrude cum infantis suis quatuor, Adedulfo, &c. (b) [b]

Et in villa Seguntiaco illam quarta quem tenet Hildebrammus est satione modiorum XV.

Hæc omni rem superius comprehensa, tam de altis, quàm de præsidiis, quàm & de manentes, vel uxores & infantis eorum, seu & peculiaria eorum, cum eorum mansis, vel terris, quæ ad ipsas villas aspiciunt, sicut à me moderno tempore fuit possessa, vel in antea inibi undecumque aliquid augmentare aut meliorare potuerint; ad præfato monasterio in elemosynis vel substantia monachorum ibidem habitantium, Christo protegente, proficiat; eâ scilicet ratione, ut memetipso ipsi prædictus abba, vel ipsi monachi in eorum congregatione recipiant, & nomen meum in libro vitæ conscribant, vel pro me utique sacrificium post obetum meum pio Domino offerantur; sicut superiùs diximus, de jure meo in jure & dominatione ipsius monasterio, vel rectores ad ipso monasterio trado perpetualiter à die præsente ad possidendum, ut pars antedicti monasterii vel memoratus abba suique successores in Dei nomine perpetualiter recipiant ad possidendum: ita ut quicquid de prædicta villa pro opportunitate ipsius monasterii facere decreverint, liberum in omnibus potiantur arbitrium. Præsente vero donatione nequaquam augrialium vilitati gestis municipalibus alegarie curavi, & omnino decrevi, nec aliquando ob hac causa quisquis reperire. Quod si aliquas strumentas de ipsa villa de nomen meum in adversitate prædicti monasterii quolibet ordine comprehensus, aut anteriùs vel posteriùs prænotatus, quod nos nec feci nec facere rogavi, præter istum quem firmissimum volo esse, quoque tempore fuerit ostensus, nullum sociatus effectum, nisi vacuus & inanis appareat, auctorem vero criminis vel farium nec multum tunc tempore patiatur judiciaria habere potestas. Si quis vero, quod futurum esse non credo, huic voluntate mea per quibuslibet adinventionibus aliquis de heredibus meis, aut judicium seu cupiditas vel qualibet persona obvius vel repetitor exstiterit, à conventu omnium Christianorum, vel limitibus ecclesiarum extraneus habeatur, & Juda traditoris Domini nostri JESU CHRISTI perfruatur consortium. Insuper etiam inferat partibus ipsius monasterii vel fratrum ibidem consistentium, sociatu quoque tam in actione, quam in persecutione, auri libras duas, argento pondo quinque, nec si quoque quod repetit, valeat vindicare, nullo medus. Præsens donatio, quem ego pro amore Dei & amore ipsorum monachorum conscripta est, firma & inlibata omni tempore debeat permanere stipulatione subnexa. Actum Andec. civitate, die Lunis VI. idus Aprelis, anno IV. imperium domino KAROLO serenissimo agusto. HARVICUS hanc donatione à me facta. Sig. † GODALDO vecario, sig. † Dilidrano, sig. † Gedulfo, signum † Agisberto, signum † Ramirtanio, signum † Caginhardo, signum † Adialhardo.

CARTA EJUSDEM (c) HARWICHI. [a]

De villa Odana quam Prumiensi monasterio concessit.

CUM in Libris Theodosiani & Hermogeniani seu Papiani, per quem lex continet, scriptum est quod donatione traditio subsequatur.. Igitur ego in Dei nomine HARWICH filius qui fuit Benedicto quondam, dum cognitum est quod ego de res proprietatis meæ aliquid ad casa S. Salvatoris qui est in finem Ardenna, super fluvium Prumia ædificata, quem dominus PIPINUS rex bonæ memoriæ, seu BERTRADA regina ædificaverunt, & turma pluri- Anno 804. *Ex cartario Prumiensi.*

(a) Sequuntur nomina aliorum qui cum uxoribus suis 39. computantur, infantes vero 76.

(b) Sequuntur nomina octo tam virorum quam mulierum, quorum infantes computantur 46.

(c) Cum hæc donatio cum præcedenti conveniat, mirabitur fortasse nonnemo cur ejusdem donationis eodem die facta fuerint diversi tenoris instrumenta, cum unum sufficere posset. Verum cum Harvicus donationem suam gestis municipalibus allegari cuperet; duplex illius instrumentum expediri curavit, unum quod daretur Prumiensibus, alterum quod in curia andegavensi remaneret. Ceterum qui has cartas cum formulis Andegavensibus editis tom. 4. Analectorum contulerit, videbit in utrisque styli barbariem, nec de illarum veritate minimum dubitabit.

ma ibidem adunaverunt, ubi venerabilis vir Assuarius abba præesse videtur, pro molem peccaminum meorum, vel æterna retributione, ut pius Dominus aliquid mihi minuare jubeat, per textum donationis condonari, hoc est in pago Andecavo, in condita Eregadoninse Wiciloa nuncupantes Odane, cum appenditio suo, cui vocabulum est ad Illotilio Leobodo, una cum domibus, ædificiis, terris cultis & incultis, vineis, silvis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, mobilibus & immobilibus, saltis & subjunctis, quæsitum & ad inquirendum, servos & ancillas, colonus & colonas, una cum uxores & infantis vel peculiares earum, totum & ad integrum, ad ipsa casa delegavi, quantum in ipsa donatione continet, ei ad die præsente trado, dulgo, atque transcribo, ut quicquid exinde pars ecclesiæ ipsius monasterii, seu prædicto abbate ad profectum basilicæ facere voluerint, liberam & firmissimam in omnibus habeant potestatem, ad faciendi quod elegerint jure proprietario atque firmissimo. Intimare mihi complacuit, quod si fuerit post hunc die, aut ego ipsi, aut unus de heredis vel de propinquis meis, seu qualibet homo, vel extranea vel emissa persona, potens aut inferior, vilis aut privatus, caleditate commotus, aut cupiditate præventus, qui contra hanc traditione, contra ipsa Dei vel rectores ipsius ecclesiæ aliqua calumnia, aut resultatione agere præsumserit, duplit ei tantum, & alio tantum quantum ipsas res eo tempore & emelioratas valuerint, & insuper auro libras duas, argento pondo quinque, coactus exsolvat, & sua repetitio in nullisque modis non obtineat effectum, sed hæc traditio atque voluntas mea omni tempore firma & stabilis debeat perdurare stabilitate subnexa. Actum Andech. civitate, die lunis, VI. Idus Aprelis, anno IV. Imperio domno Karolo serenissimo Augusto. Harwhicus hanc traditione à me facta. Signum † Godaldo, Signum † Dilidrano, Signum † Tedulfo, Signum † Agisberto, Signum † Ramirtanio, Signum † Cacinhard, Signum † Adalhard.

EPISTOLA HARWICHI viri illustris ad Aganbertum fratrem suum.

Ut donationem ab eo factam Prumiensi monasterio gestis municipalibus allegare faciat.

DOMINO in Christo fratri Aganberto, ego in Dei nomen Haruhic rogo, supplico, atque caritatis tuæ injungo, ut Andecavis civitate accidere facias, & illa epistola quem de locella mea, nuncupantes Odane, cum appenditio suo, cui vocabulum est ad Illotilio-Leobodo quem ego ad casa S. Salvatoris confirmavi, apud laudabilitate curiæ gestis municipalibus allegare facias, & quicquid exinde egeris, feceris, gesseris, veratum etenim mandatum ad me te habiturum esse congnuscas, quam vero mandatum manibus propriis subter firmavi, & qui eum roboraverunt de præsenti rogavi stabilitate subnexa. Actum Andecavis civitate, die Lunis, VI. Idus Aprelis, anno IV. Imperium domno Karolo serenissimo Augusto. Harwhicus hanc mandatum à me facta. Signum † Gedaldo, &c. (*Eædem subscriptiones quæ in superiori, exceptâ ultimâ quæ non legitur.*)

ALLEGATIO DONATIONIS Harvichi facta gestis municipalibus Curiæ Andegavensis.

ADSTANTE vir laudabile Wlfredo defensore, vel cuncta curia Andec. civitate, adsistantium Aganbertus dixit: Rogo te, laudabis vir defensor, vosque officia publica, ut mihi codicis publicis patere jubeatis, & prosecutione mea audire dignimini, quia sub aliqua quæ apud laudabilitate vestra gestis cupio municipalibus allegare. Defensor & curia dixerunt: patent tibi codices, prosequere quæ optas audire. Aganbertus dixit: In Christo frater Harvich mihi injunxit, ut epistola illa quem de villas nuncupantes Odane, cum appenditio suo nuncupante Illotilio-Leobodo, quem ipse pro animæ suæ remedium, vel molem suorum peccaminum, ad casa S. Salvatoris, quæ est in finem Ardinnæ, super fluvium Prumia ædificata, quem domnus Pippinus rex bonæ memoriæ, seu & Bebtradane regina ibidem ædificaverunt cum omni integritate, vel super positum ad ipsa casa sancta delegavi, & exinde testamentum pagina donationis fieri jussit, ut apud laudabilitate vestra gestis allegarem: cujus rei mandatum habeo pro manibus, quæso ut in vestra præsentia palam recenseatur. Defensor dixit: Mandatum quem frater Aganbertus proferet Leodegarius amanuensis ad recitandum. Accepit & recitavit. Quibus recitatum, defensor dixit: adhuc hanc quem frater Aganbertus protulit recitatum. Quid adhuc addi conatur? & dixit non moriatur; Aganbertus ait: prædictus etenim pro manibus habet, supplico ut ipsa in vestra præsentia recenseatur. Defensor dixit: Epistola quem frater Aganbertus adserit Leodegarius amanuensis pro ad recitandum accipiat, & gesta inserendi accepit & relegit, quibus relectum, defensor dixit: Ecce hanc quem frater noster Aganbertus protulit recitatum & gestum inserere jubeatur;

quid addi conatur? & dicit, non moritur. Aganbertus dixit: Gesta cum fuerit scripta à vobis, vel a curialibus subscripta mihi edita ex more tradatur. Defensor dixit: Gesta cum fuerit scripta à nobis, vel a curialibus subscripta, tibi edita ex more tradatur. Edita vero accepit. Signum † Nonono comite. Signum † Riscleno curatore. Signum † Wifredo Vicedomo, Sig. † Hermedrano, Sig. † Gendrado, Sig. † Letbaudus centenario, Signum † Geraldus, Signum † Saidris, Signum Srodaldo David, † Signum † Lethardo, Signum † Stabulo centenario. Carta quam Hariwicus fecit.

CARTA CAROLI IMPERATORIS de Walemaris villa.

Anno 806. *Ex cartario Prumiensi.*

IN nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, Karolus serenissimus augustus a Deo coronatus, magnus, pacificus imperator, Romanorum gubernans imperium, qui & per misericordiam Dei rex Francorum & Langobardorum. Quicquid igitur locis venerabilibus ob amorem Domini nostri Jesu Christi cedimus vel condonamus, hoc nobis procul dubio ad mercedis augmentum seu stabilitatem imperii nostri pertinere confidimus. Notum sit omnibus fidelibus nostris præsentibus & futuris, qualiter donamus ad monasterium S. Salvatoris, quod dominus ac genitor noster Pippinus bonæ memoriæ novo opere construxit in loco qui dicitur Prumia, donatumque in perpetuo esse volumus mansum unum, in villa quæ vocatur *Vvalemaresthorpf*, una cum servo nomine Williario, cum omni peculiare vel adquesitu suo, & totam legem quam pro ipso manso, vel pro ipso servo ipse Tancradus venerabilis abba, & ejus advocatus rewadiavit, pro eo quod Meginfredus quondam servus noster non habens partem ad ipsam casam Dei antea delegaverat, & missus noster Remigarius comes in causa nostra legibus super eum evindicavit. Idcirco in eleemosyna nostra denuo ad ipsum sanctum locum plenius ex nostra largitate concessimus. Propterea præsentem nostram auctoritatem fieri jussimus, per quam specialiter decernimus atque jubemus, ut memoratus (a) Tancradus abba, suique in perpetuum successores, qui fuerint rectores in ipso sancto loco, suprascriptum locum vel mansum in *Vvalemaresthorpf*, & prædictum servum per hanc nostram auctoritatem teneant atque possideant; quatenus deinceps in eleemosyna nostra, ut diximus, in luminaribus ecclesiæ proficiat in augmentis, ut melius delectet ipsam sanctam congregationem pro nobis & pro liberis nostris, seu pro omni populo nobis à Deo concesso, divinam jugiter exorare clementiam. Et ut hæc auctoritas firmior habeatur, & diuturnis temporibus melius conservetur, manus nostræ signaculis subter eam roborare decrevimus, & de anulo nostro sigillare jussimus.

Signum Caroli serenissimi imperatoris.

Amalbertus ad vicem Ercambaldi scripsi.

Data XIII. calendas Februarii anno sexto, Christo propitio, Imperii nostri, & XXXVIII. regni nostri in Francia, & XXXIII. in Italia, indictione XIIII.

Actum Theodone villa, palatio nostro, in Dei nomine feliciter. Amen.

(a) Hoc ex loco emendandi sunt ii qui Asuerum primum Prumiensis monasterii abbatem ad 808. annum vixisse asserunt: multo magis Bucelinus, qui ejus obitum ad annum 819. consignat.

PRÆCEPTUM CAROLI imperatoris pro Prumia.

De causa Andegavensi, vel Rodonica Golberti.

Anno 807. *Ex cartario Prumiensi.*

IN nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, Karolus serenissimus Augustus, a Deo coronatus, magnus, pacificus imperator, Romanorum gubernans imperium, qui & per misericordiam Dei rex Francorum & Langobardorum; quicquid enim ob amorem Domni nostri Jesu Christi ad loca sanctorum venerabilium cedimus vel condonamus, hoc nobis procul dubio ad æternam beatitudinem seu stabilitatem imperii nostri ... confidimus. Igitur notum sit omni fidelium nostrorum magnitudini, præsentium scilicet & futurorum, qualiter donamus ad monasterium, quod piæ memoriæ domnus & genitor noster Pippinus quondam gloriosus rex suo opere construxit in honore Domni & Salvatoris nostri Jesu Christi in loco qui dicitur Prumia, ubi præest venerabilis Tancradus abba, donatumque in perpetuum esse volumus, res aliquas nostras sitas in pago Andecavino, in loco qui dicitur Laniaco, nec non in pago Rodonico, in loca nuncupantes Stivale, sive Caucina, & in Turicas, & in Villanova, & intra tota illa locella, manentes XIX. una cum terris, domibus, ædificiis, accolabus, mancipiis, vineis, campis, silvis, pratis, aquis, aquarumque decursibus, totum & ad integrum, quantumcumque in suprascripta Godebertus quondam tenuit, & pro incestuosa vel alia inlicita opera legibus perdidit, & ad fiscum nostrum legibus devenerunt, & Hugo comes una cum prædicto Tancrado venerabili abbate, vel aliis quam pluris fidelibus nostris, secundum judicium legitimo ordine, ac justè & rationabiliter

partibus nostris adquisivit, vel evindicavit, pro mercedis nostræ augmentum, ad supradictum sanctum locum plenissimâ deliberatione concessisse atque confirmasse cognoscite. Statuentes ergo jubemus, quod perpetualiter circa memoratum sanctum jure firmissimo mansurum esse volumus, ut memoratus TANCRADUS abba, suique in perpetuum successores, qui fuerint rectores antedicti monasterii S. Salvatoris, & monachi ibidem sub sancta regula consistentes, suprascriptas res cum omni integritate, sicut partibus nostris legibus devenerunt, inspecto judicato memorati HUGONI comitis fidelis nostri, manibusque bonorum hominum roboratum, sicut inibi declaratur, qualiter eum justitia & æquitate ad partem nostram vindicatæ devenerunt, per hanc nostram auctoritatem teneant atque possideant, ita ut in luminaribus ipsius sanctæ Dei ecclesiæ, seu stipendia servorum Dei, pro animæ nostræ remedio, nostris futurisque temporibus perpetualiter proficiant in augmentis: Et ut hæc auctoritas firmior habeatur, & diuturnis temporibus melius conservetur, manu propriâ firmavimus, & de anulo nostro subter sigillare jussimus.

Signum KARLI imperatoris.

AMALBERTUS ad vicem ERCHAMBALDI scripsi.

Data IIII. cal. Maii, anno VII. Christo propitio imperii nostri, atque anno XXXIX. regni nostri in Francia, & XXXIIII. in Italia, indictione XV.

Actum Aquis palatio nostro publico, in Dei nomine feliciter. Amen.

PRÆCEPTUM LUDOVICI Pii imperatoris pro monasterio Fontanellensi.

Ad petitionem Trasarii abbatis monasterii Fontanellensis immunitates confirmat.

Anno 815. Ex ms. Fontanellensi.

IN nomine Dei & Salvatoris nostri JESU CHRISTI, LUDOVICUS divina ordinante providentia imperator Augustus. Cum petitionibus servorum Dei justis & rationabilibus divini cultus amore favemus, superna nos gratia muniri non diffidimus. Ideo istud sit notum omnibus fidelibus nostris, tam præsentibus quam futuris, seu etiam successoribus nostris, fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ, quod vir venerabilis TRASARIUS abba ex monasterio, quod vocatur Fontanella, quod est constructum in honore beatorum apostolorum Petri & Pauli, vel ceterorum sanctorum, detulit obtutibus nostris immunitatem domni & genitoris nostri CAROLI bonæ memoriæ piissimi Augusti, in qua erat insertum, qualiter ipse & antecessores ejus, reges videlicet Francorum, præfatum monasterium propter divinum amorem, tranquillitatemque fratrum ibidem consistentium, semper sub plenissima defensione ac immunitatis tuitione habuissent. Ob firmitatem tamen rei postulavit nobis Trasarius abba, ut eamdem auctoritatem ob amorem Dei & reverentiam ipsius sancti loci nostra confirmaremus auctoritate. Cujus petitioni libenter adquievimus, & ita in omnibus concessimus, atque per hoc præceptum nostrum confirmavimus. Præcipientes ergo jubemus, ut nullus judex publicus, nec quislibet ex judiciaria potestate, aut loca, vel agros, in ecclesias seu reliquas possessiones memorati monasterii, quod moderno tempore infra ditionem imperii nostri juste & rationabiliter possidet, vel ea quæ deinceps in jure ipsius loci voluerit divina pietas augeri, ad causas audiendas, vel freda, aut tributa exigenda, vel mansiones, aut paradas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines ejusdem monasterii tam ingenuos quam servos, super terram ipsius commanentes, injuste distrigindos, nec ullas reddibitiones, aut illicitas occasiones requirendas, aut pontaticos exigendos, aut teloneą accipienda, aut rotaticos in quibuslibet locis, civitatibus, ac foris, nostris & futuris temporibus ingredi audeat, vel ea quæ supra memorata sunt penitus exigere præsumat; sed liceat memorato abbati suisque successoribus, res prædicti monasterii sub immunitatis nostræ defensione, quieto ordine possidere, & quicquid exinde fiscus exigere poterit, etiam pro æterna remuneratione prædicto monasterio concessimus, ut in alimonia pauperum & stipendia monachorum ibidem Deo famulantium, perpetuis temporibus proficiat in augmentis. Quatenus ipsos servos Dei qui ibidem famulantur, pro nobis & conjuge, prolequе nostra, atque stabilitate totius imperii a Deo nobis concessi atque conservandi, jugiter divinam misericordiam exorare delectet. Et ut hæc auctoritas nostra * futurisque temporibus Domino protegente valeat inconvulsa manere, manu propria subterfirmavimus, & anuli nostri impressione signari jussimus.

* f. nostris.

Signum HLUDOVICI serenissimi imperatoris.

DURANDUS diaconus ad vicem HELIZACHAR recognovi.

Data VII. cal. Novembris, anno Christo propitio secundo imperii. domni HLUDOVICI Piissimi Augusti, indictione nona.

Actum Niumaga, palatio regio, in Dei nomine feliciter. Amen.

PRÆCEPTUM LUDOVICI Pii imperatoris pro Turonensi S. Martini ecclesia.

Immunitates ecclesiæ S. Martini in Austria, Neustria, Burgundia, Aquitania, Provincia, Italia confirmat.

Anno 816. *Ex cartario S. Martini.*

IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri JESU CHRISTI, HLUDOVICUS divina ordinante providentia imperator Augustus. Si petitionibus servorum Dei pro quibuslibet ecclesiasticis necessitatibus aures nostras pulsantium libenter annuimus, & ad divinæ potentiæ in locis Deo dicatis uberius famulandum auxilium porrigimus, id nobis procul dubio & ad mortalem vitam temporaliter deducendam, & ad futuram feliciter obtinendam, commodum provenire confidimus. Notum igitur esse volumus cunctis fidelibus nostris, episcopis videlicet, abbatibus, virisque illustribus, ducibus, comitibus, domesticis, grafionibus, vicariis, centenariis, eorumque junioribus, nec non missis nostris per universum imperium nostrum discurrentibus, seu etiam ceteris fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ nostrisque præsentibus scilicet & futuris, quia adiit serenitatem culminis nostri venerabilis vir FRIDEGISUS abba ex monasterio peculiaris nostri patroni sancti Martini, ubi ejusdem præclarissimi viri venerabile corpus requiescit, ferens manibus immunitates priscorum regum Francorum, necnon avi nostri PIPPINI quondam regis, seu etiam piæ recordationis domni & genitoris nostri KAROLI serenissimi imperatoris, quibus idem monasterium quiete in Dei servitio manere sanxerunt, & omnes res præfati monasterii in universo, Christo largiente, regno suo, in Austria scilicet, Neustria, Burgundia, Aquitania, Provincia, Italia, & in ceteris regni sui partibus consistentes, quæ non solum ab orthodoxis principibus, verum etiam à ceteris fidelibus collatæ, vel per quoslibet contractus & munimina cartarum in jus ejusdem legaliter traditæ sunt monasterii, sub immunitatis suæ defensione consistere, & ab omni publica functione, & judiciaria exactione immunes liberasque tradidissent, quod munus eidem monasterio exhibitum, Deo annuente, inviolabiliter hactenus constat esse conservatum. Pro firmitatis nostræ namque studium hujusmodi beneficium erga præfatum venerabile monasterium nostra auctoritate humiliter precibus quibus valuit fieri postulavit. Cujus petitioni, ob amorem Dei & venerationem beatissimi Martini, libenter adsensum præbere nobis usquequaque libuit. Quapropter volumus atque decernimus, ut omnes res ejusdem monasterii, cum hominibus sibi subjectis, sub nostræ defensionis munimine modis omnibus consistant. Præcipientes ergo jubemus atque præcipimus, ut nullus judex publicus, aut quilibet superioris aut inferioris ordinis rei publicæ procurator, ad causas judiciario more audiendas, in ecclesias, aut villas, seu reliquas possessiones, quas moderno tempore in quibuslibet provinciis aut territoriis imperii nostri, juste & legaliter tenet; vel deinceps in jure ipsius monasterii divina pietas voluerit augeri, ingredi præsumat, nec freda, aut tributa, aut mansiones, aut pastus, aut telonium, sicut in præcepto domini genitoris nostri continetur, exigere, aut fidejussores tollere, aut homines tam ingenuos quam servos super terram ipsius monasterii commanentes distringere, nec ullas publicas functiones aut redhibitiones, vel illicitas occasiones requirere, quibus idem monasterium sibique subjecti aliquod injuste patiantur incommodum, nostris futurisque temporibus quisquam tam temerarius existat, quod faciendi illicitam sibi potestatem attribuere audeat. Quicquid ergo de præfatis ejusdem monasterii rebus in jus fisci cedendum fuit, & a decessoribus nostris comperimus collatum, & largitionis munere libenter volumus esse per universum eidem monasterio concessum, ut id remoto fisci dominatu ad luminaria basilicæ S. Martini concinnanda, & ad sustentationem pauperum seu (a) clericorum in eodem loco Domino deservientium, sit supplementum. Si quis autem in tantam prorumpere ausus fuerit audaciam, ut hujus præcepti nostri violator extiterit, quemadmodum in præceptione domni & genitoris nostri continetur, non solum in offensam nostram lapsurum, verum etiam sexcentorum solidorum auri ad purum excocti se noverit pœna mulctandum, unde duas partes rectores memorati monasterii, tertiam vero jus fisci recipiat. Dignum namque justumque est, ut tot piorum regum decessorum nostrorum, nostrique præcepti violator hujusmodi subeat pœnam, ut & se tantæ temeritatis merito argui cognoscat, & ceteris ne id agere quolibet ausu pertentent, timorem incutiat; ut nullus scilicet beneficia regalia locis Deo dicatis veneranter exhibita temerare conetur. Volumus itaque atque censemus, ut remota totius judiciariæ potestatis inquietudine, quieto ordine memoratus abba suique successores res prædicti monasterii, cum omnibus sibi subjectis, vel ad se adspicientibus seu pertinentibus hominibus sub immunitatis at-

(a) Ex hoc loco patet monachos S. Martini jam tum in canonicos conversos fuisse cum diploma istud datum est. Et quidem togam monasticam retinuisse toto Caroli Magni principatu censet Mabillonius; eo vero defuncto, statim eam abjecisse, favente in primis Fridugiso abbate, qui laxiorem etiam vitam in Scithiensi S. Bertini monasterio, cui præerat abbas, inducere tentavit.

que

que protectionis nostræ defensione consistant, nostroque fideliter parentes imperio pro incolumitate nostræ conjugis & prolis, seu etiam totius imperii a Domino nobis conlati, ejusque gratissima miseratione perpetuo conservandi, una cum clero sibi commisso, Dei immensam clementiam jugiter exorent. Si quid vero de præfati monasterii rebus per tepiditatem & negligentiam abbatum, aut præsumtionem judicum injuste abstractum est, id per hanc nostram auctoritatem prorsus restaurandum præcipimus. Et ut hæc auctoritas inviolabiliter obtineat effectum, & à fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ & nostris verius credatur, ac diligentius conservetur; manu propria subterfirmavimus, & anuli nostri impressione signari jussimus.

Signum Hludovici serenissimi imperatoris.

Helisacar recognovit. Data III. calendas Septembris, anno Christo propitio III. imperii domni Hludovici Piissimi, augusti, indictione x.

Actum Aquisgrani, palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

PRIVILEGIUM LUDOVICI Pii imperatoris pro S. Martini Turonensi ecclesia.

Confirmat immunitatem a teloneo in omni imperio.

Anno 816. Ex cartario S. Martini.

IN nomini Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus divina ordinante providentia imperator augustus. Si erga loca divinis cultibus mancipata imperiali more beneficia opportuna largimur, id nobis ad stabilitatem imperii nostri, & ad animæ salutem obtinendam, profuturum, minime dubitamus. Notum sit igitur omnibus episcopis, abbatibus, ducibus, comitibus, vicariis, centenariis, teloneariis, actionariis, missis nostris per imperium nostrum discurrentibus, vel omnibus rempublicam administrantibus, seu etiam ceteris fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ, nostrisque præsentibus scilicet atque futuris, quia detulit nobis venerabilis vir Fridugisus abba, ex monasterio S. Martini eximii confessoris Christi, nostrique patroni, ubi venerabile ejus corpus requiescit, præceptum auctoritatis domni & genitoris nostri piæ recordationis Karoli serenissimi Augusti, in quo continebatur, quod ad precem decessoris sui Wlfardi quondam abbatis, idem genitor noster ob amorem Dei & venerationem S. Martini, carra & samnaticum hominibus his prælatis, quæ propter utilitatem & necessitatem memorati monasterii per diversos regni sui mercatus mittebantur, ab omni telonio im- A munia & secura esse sanxisset. Pro rei quoque firmitate nostram postulavit serenitatem, ut morem paternum sequentes, hujusmodi beneficium eidem sancto loco concederemus. Cujus petitioni libenter aurem accommodavimus, & hoc præceptum fieri censuimus, per quod præcipimus atque jubemus, ut quotiescumque præfatus abba, suique successores & clerici in eodem loco Christo famulantes, pro utilitate & necessitate sua sublevanda, carra & samnatica negotiandi gratia in quoslibet mercatus imperii nostri, aut in partes Austriæ atque B Neustriæ, aut Burgundiæ, aut Aquitaniæ, aut Provinciæ, aut Italiæ, aut ceterarum partium loca imperii nostri direxerint, nullum telonium ab his, neque ab hominibus qui eis præsunt, nec pontaticum, nec porticum, nec rotaticum, nec pulveraticum, nec cespitaticum, nec alias redhibitiones, quisquam exigere, aut aliquam eis contrarietatem aut detentionem ingerere præsumat, sed liceat eis per hanc nostram auctoritatem per universa imperii nostri loca, libere atque secure ire & redire, prout sibi C commodum prospexerunt, & ab his qui rem publicam amministrant, eorumque junioribus nullam patiantur incommoditatem. Teloneum vero quod de memoratis vehiculis & hominibus jure fisci exigi poterat, eidem sancto loco libentissime, quemadmodum & in genitoris nostri continetur præcepto, in nostra concessimus eleemosyna, quatenus memoratum abbatem, suosque successores cum clero sibi commisso pro nobis, conjugeque, proleque, imperiique stabilitate, jugiter Dominum deprecari delectet. Et ut hæc auctoritas inviolabilem obtineat effectum, & à fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ & D nostris verius credatur, & diligentius conservetur, manu propria subterfirmavimus, & anuli nostri impressione signari jussimus.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Durandus diaconus ad vicem Helisacar recognovit.

Data III. calendas Septembris, indictione x. anno III. imperii domni Ludovici imperatoris augusti.

Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

E

PRÆCEPTUM DOMNI HLUDOVICI imperatoris pro Prumiensi monasterio.

Vualdum ablatum ei restituit.

IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi, Hludovicus divina ordinante providentia imperator augustus. Notum sit omnibus fidelibus nostris, tam præsentibus quam & futuris, quia mona- Anno 817. Ex cartario Prumiensi.

chi ex monasterio quod vocatur Prumia, A quod piæ recordationis domnus PIPPINUS avus noster in honore S. Salvatoris novo opere construxit, atque propriis rebus affatim ditavit, adierunt serenitatem nostram, retuleruntque qualiter inter ceteras donationes, quemdam Waldum ibidem confirmasset. Dixerunt etiam quod de eodem Waldo servi nostri ex fisco nostro, qui vocatur Tumbas, aliquam partem contra justitiam occupassent. Nos quoque hæc audientes, ilico missum nostrum nomine ADALBERTUM, siniscalcum videlicet nos- B trum, qui hoc per veraces & meliores homines, pagenses scilicet loci illius, diligenter inquireret utrum ita esset an non, misimus. At ille secundum quod illi injunxeramus, diligentissimam adhibens inquisitionem, repperit quod nostri servi aliquam partem ipsius Waldi injuste ad partem nostram tenuissent; sed dum hæc nobis relata forent, ut merces parentum nostrorum inviolabiliter conservaretur, misimus alium missum nostrum, WITHARIUM scilicet, ut & ipse prædictum Waldum perlatis signisque certis designaret, & partem exinde C prædicti monasterii revestiret: quod ita & fecit. Sed dum nobis hæc omnia se fecisse retulisset, pro mercedis suæ augmento jussimus hanc auctoritatem nostram fieri, & primum determinationem memorati Waldi, & sicut a misso nostro designatum est, inseri per loca denominata, id est marcha de Romarisvilla in dextra parte monasterii in Lindinawinca, inde in *Folkeffelt*, & per longum *Pyrumbach* usque in Prumia. Inde D pergunt Marisburias, inde per *Hundinesbach*, per viam quæ pergit ad *Steinbuhil*, & per medium *Steinbuhil*, inde ad *Sconenbach*, inde ad *Sconensceid*, inde in *Firnibach*, inde susum per Albam usque in *Hildibach*, inde usque *Centbuzzi*, inde *Garanbach*, ubi ipse surgit per longum usque in Hura & per Huram ad montem usque ad *Barbach*, quæ est de sinistra parte monasterii, & inde usque in Buocha, & inde usque in *Huochonloe*, inde per viam usque in *Sturenfelt*, inde per *Sclusunbach* in *Ger-* E *brchetesprunnon*, inde in *Suindinesbrath*, inde per *Bodilenpath* usque *Bodilenbrath*, inde ubi surgit rivulus Melana Hurspringa, inde in Melana per ipsum rivulum, inde per Melana josum usque ad strictam, inde per stricta usque ad *Deofansteid*, inde in Hagana, inde ad *Merbach* finit. Præcipientes ergo jubemus, ut nullus abhinc fidelium sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorumque de prædicto Waldo partem memorati monasterii inquietare aut aliquid refragare præsumat, vel quiddam moleste inferre tentet, sed ab hodierno die & deinceps memoratum Waldum quiete & secure juxta suam determinationem nostris futurisque Deo propitio temporibus valeant possidere, & facere quicquid pro opportunitate communis congregationis elegerint; quatenus pro nobis, & conjuge, proleque nostra, seu pro stabilitate totius imperii nostri a Deo nobis conlati, & ejus clementissima miseratione perpetuo conservandi, jugiter Domini misericordiam exorare delectet. Hæc vero auctoritas uti a fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ & nostris verius credatur, & diligentius conservetur, manu propria nostra subscripsimus, & anuli nostri impressione signari jussimus.

Signum domni HLUDOVICI serenissimi, augusti.

DURANDUS diaconus ad vicem ELISACHAR recognovi.

Data VI. idus Novembris anno III. Christo propitio imperii domni HLUDOVICI serenissimi augusti, indictione X.

Actum Compendio palatio regio, in Dei nomine feliciter. Amen.

DIPLOMA LUDOVICI PII imperatoris pro ecclesia Autissiodorensi.

Concessam ipsi ab Angelholmo episcopo Porrenum villam confirmat.

IN nomine Domini Dei Salvatoris nostri JESU CHRISTI, HLUDOVICUS divina ordinante providentia imperator augustus. Cum petitionibus sacerdotum justis & rationabilibus divini cultus amore faveamus, superna nos gratia muniri non dubitamus. Proinde notum sit omnibus hominibus fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ nostrisque, præsentibus scilicet & futuris, quia venerabilis ANGILHELMUS Autissiodorensis ecclesiæ urbis episcopus, adiens serenitatem culminis nostri, innotuit nobis, qualiter ad amorem Dei, quasdam res ex ratione episcopatus sui canonicis ecclesiæ S. Stephani, cui ipse auctor præest, ad stipendia eorum contulisset, qualiter postposita totius necessitatis excusatione, fratres ibidem degentes & canonicum ordinem religiose custodire, & Deo instanter in eodem loco possint deservire, id est villam quæ dicitur (a) Porrenum, cum villis & appenditiis eorum, exceptis Nancereolum, Linderiacum & Lupinum, nec non & Rivum, villas quas prælatus ipsius sedis ad utendum reservavit; petens ut super hac re ob firmitatis causam nostræ auctoritatis confirmationem habere mereretur. Cujus petitioni, quia justa & rationabilis nobis visa est, assensum præbere placuit, & hanc nostra auctoritate firmitatis gratia fieri jussimus, per quam præ-

Anno 820. *Ex autographo eruit dominus le Beuf canonicus & succentor Autissiodorensis.*

[a]

(a) Porrenum, gallice *Pourrein*; in antiquioribus cartis Pulverenum a loco pulvere obsito dictum.

cipimus atque jubemus, ut prædicta villa sicut ab eodem ANGILHELMO episcopo constituta est, ita deinceps nostris & futuris temporibus eisdem canonicis stipendiarie, disponente atque ordinante episcopo qui præfatæ sedi præfuerit, existat, & nullus quislibet ex successoribus ejus eamdem villam in beneficium alicui dare, aut de stipendiis eorumdem canonicorum penitus auferre præsumat, sed per diuturna tempora inviolabiliter atque inconvulse persistat. Et ut hæc auctoritas nostris futurisque temporibus, Domino protegente, valeat inconvulsa manere, anuli nostri impressione subter eam jussimus insigniri.

DURANDUS diaconus ad vicem FRIDUGISI recognovit.

Data pridie iduum.... anno Christo propitio sexto imperii domni Hludovici Piissimi augusti, indictione decima tertia.

Actum Aquisgrani palatio regio, in Dei nomine feliciter. Amen.

PRÆCEPTUM DOMNI imperatoris Hludowici.

De silva quam dedit ad S. Goarum.

Anno 810. *Ex cartario Prumiensi.*

IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri JESU-CHRISTI, HLUDOWICUS divina ordinante providentia imperator augustus. Si liberalitatis nostræ munere, de beneficiis a Deo nobis conlatis, locis Deo dicatis quiddam conferimus, id nobis & ad mortalem vitam feliciter transigendam, & ad æternam perpetualiter obtinendam, profuturum liquido credimus. Idcirco noverit omnium fidelium nostrorum, tam præsentium quam & futurorum solertia, quia nos divina aspiratione tacti & cælestis patriæ amore succensi, libuit nobis ob animæ nostræ salutem, ad cellam S. Goar, ubi ipse sanctus corpore requiescit, quæ est ex ratione monasterii S. Salvatoris Prumiacensis, quod quondam domnus PIPPINUS rex avus noster, & BERTA regina ava nostra in rebus proprietatis eorum ex fundamento construxerunt, ubi etiam præsenti tempore TANCRADUS abba præesse cernitur, quamdam partem silvæ, quæ est intra Wasaliam & Bidobricum, fiscos nostros, vel quæ infra sunt præsentibus tradere, & de nostro jure in jus & dominationem præfatæ cellæ atque monasterii conferre. Silva vero ipsa has habet terminationes. Incipit enim Antilioli rivuli, ubi ipse confluit in Rhenum, usque in eum locum ubi ipse surgit, inde subtus Hoavelisa, deinde venit in *Vvinbach* usque in *Horon*, exinde in *Moldeshart* usque in Boucha rivulo, & per ipsum sursum usque ubi ipse surgit. Inde venit in rivulum qui vocatur Westerbeia, & per ipsum deorsum usque ad stratam quæ pergit ad Trigorium, deinde vadit ultra ipsum rivolum, & venit in Heiswilari usque ad stratam quæ pergit ad Confluentium, exinde in Basanbrunnum, & per ipsum deorsum usque in Granderivum, & per Granderivum usque in Rhenum. Infra has terminationes quantumcumque ibidem continetur, cum villula quæ vocatur *Biberesheim*, in qua sunt mansa duo & manentes duodecim. Nomina vero mancipiorum hæc sunt, Ruotlandus cum uxore sua *Helidim*, & cum infantibus eorum, &c. Hanc vero silvam secundum dimensionem & conlaterationem superius præscriptam, cum terris tam cultis quam incultis, pratis atque pascuis, exitibus & regressibus, mobile & immobile, totum & ad integrum, per hanc nostræ auctoritatis donationem memoratæ cellæ S. Goaris, & prædicto monasterio sancti Salvatoris Prumiacensis ad stipendia fratrum ibidem Deo militantium, vel cunctas ejusdem monasterii necessitates consulendas, ob emolumentum animæ nostræ perpetualiter concessimus, atque perpetuo ad habendum delegamus, ita videlicet, ut quicquid de hoc rectores & ministri supra memorati monasterii disponere atque ordinare, vel etiam facere voluerint, libero in omnibus perfruantur arbitrio faciendi. Et ut hæc auctoritas largitionis nostræ firmior habeatur, & per futura tempora melius conservetur, manu propria subter firmavimus, & anuli nostri impressione signari jussimus.

Signum HLUDOWICI serenissimi imperatoris.

DURANDUS diaconus ad vicem FRIDUGISI recognovit.

Data III. cal. Februarii, anno, Christo propitio, VI. imperii Hludowici augusti, indictione XIII.

Actum Aquisgrani palatio regio, in Dei nomine feliciter. Amen.

EPISTOLA NUNCUPATORIA (a) Halitgarii Cameracensis episcopi ad Ebonem archiepiscopum Remensem in libros *de Vita sacerdotum* ab eo conscriptos.

Circa 820. *Ex ms. Trevirensis S. Mathiæ monasterii.*

HÆC pauca beatitudo vestra gratifica, quæso, excipiat deflorata, quæ non ex uno unius doctoris prato divinæ auctoritatis studui decerpere, sed per multorum patrum florigera rura cordis & corporis cervice summissa studiose succinctim celeriterque, ut jussio sanctitatis extitit vestræ, cucurri, & ex his hos odoriferos, Domino

[a] Nullum auctoris nomen præfixum habet codex S. Matthiæ Trevirensis, ex quo hanc descripsimus epistolam, verum germanum scriptorem designat Albericus in chronico, ubi hæc ad 850. *Sub eodem etiam Ebone collectus est & compilatus per Halithgarium Cameracensem episcopum liber qui intitulatur* de vita sacerdotum.

largiente, prout potui, flores excerpsi, hancque quadriformem hujus voluminis intexui coronulam, sicut in præfatiuncula subsequenti vestra sancta dinoscere poterit industria. Ex quibus vero auctoribus, vel opusculis, ac institutis hæc sunt excerpta, in margine vel titulis hujus opusculi nomina eorum retinentur ascripta. Obsecro ut si cui hæc transcribere placet, eadem patrum nomina, sicut in hac pauperrima excerptione apposita invenerit, suis in opusculis similiter adfigat. Nemo etenim hæc SS. patrum eloquia præsumtuose reprehendat, sed potius consideret, quæ pie sunt dicta, & studiose relegat, & opere, ut Dominus dederit, studiosius adimpleat. Idcirco ex innumeris divinis constitutionibus ad corrigendos vel instruendos mores humanos tam exigua in hoc opusculo collegi dicta, quia mihi .... ris curriculo cu .. .. locissimo, nec non & ma ..... hi quia codices huic operi necessar.... aliquando ad hoc opus pertinentia repperi, testimonio minime habere potui. Opto paternitatem vestram semper valere in Domino.

Hæc sunt sanctorum nomina patrum, quorum ex opusculis hic excerptionis constat editus esse libellus, piissima juvante gratia.

Ex edictis beatissimi martyris Cypriani Cartaginensis episcopi, nec non & clarissimi doctoris Gregorii Nazianzeni episcopi, Ambrosii quoque Mediolanensis, Johannis Chrysostomi, Basilii Cæsariensis, Fructuosi Tarraconensis, sanctorumque Romanæ sedis pontificum Innocentii, Leonis, Cælestini, Symmachi, Gelasii atque Gregorii, seu & lucifluì auctoris Augustini Hypponiensis episcopi, Aurelii Cartaginensis, Isidori Spalensis, ac Prosperi eloquentissimi præsulis, sanctissimi quoque Hieronymi presbyteri, & Cassiani facundissimi doctoris, ac venerabilis Bedæ presbyteri, sanctique Ferioli martyris, & S. Columbani confessoris, seu & Maximi Taurinensis episcopi, Cæsarii Arelatensis pontificis, atque sanctissimi viri Effrem diaconi, aliorumque doctorum, nec non & sacrorum canonum institutis hæ succinctim divinæ excerptæ sunt sententiæ.

In nomine Domini incipit præfatio operis subsequentis.

EX diversis sanctorum patrum opusculis & institutis, largiente Domino nostro Jesu Christo, quatuor in hujus voluminis corpusculo excerpti continentur libelli. Primus denique de vita & prædicatione, ac discretione, nec non & sollicitudine sacerdotis enarrando brevitatis studio percurrit. Secundus de modis pœnitentiæ, levioribusque delictis, ac satisfactione eorum. Tertius de mortalibus peccatis, eorumque pœnitudine ac satisfactione, nec non & de octo principalium vitiorum origine & vexatione, ac curatione eorum eloquitur. Quartus de diversis peccatis ac criminibus, eorumque vitiis ac satisfactionibus, ex sacrorum canonum ortodoxorumque patrum institutis terminatur. Quisquis igitur indocti excerptoris percurrerit excerpta, & congrue aliqua repererit deflorata, dignas Domino qui hæc dedit, referat gratias. Si qua vero minus caute fortasse invenerit excerpta, compassus humanæ fragilitatis excerptori indulgeat, & pro cunctis illius commissis apud piissimum æternumque judicem assiduus piissimusque intercessor existat.

Explicit præfatio.

Incipiunt capitula libri primi.

Expliciunt capitula libri primi.

Incipit præfatio libri secundi.

Post primum namque libellum, qui de

sacerdotis rectorumque omnium vita & A sermone ac discretione, nec non & sollicitudine est, utcumque breviter ex sacris sanctorum patrum paginis excerptus, secundus hic, opitulante Deo, ex eorumdem libris defloratus incipit libellus, de modis videlicet pœnitentiæ, pro minimis levioribusque excessibus, ac eorum satisfactione. Cœpto igitur hujus excerptionis ordine, cursim breviterque, ut auctor lucis æternæ monstrare dignabitur, reliqua prosequamur.

Explicit præfatio libri secundi.

INCIPIUNT CAPITULA EJUSDEM. B

Expliciunt capitula libri secundi.

INCIPIT PRÆFATIO LIBRI TERTII.

De mortalibus peccatis ac criminibus, eorumque pœnitudine ac satisfactione, seu & de octo principalium vitiorum origine, vexatione, judiciis, objectionibus, remediisque, nec non & de pugna virtutum contra vitiorum impugnationem, vel quibus modis, cogitatione, locutione, & opere perpetrantur peccata. Tertius hic, largiente Domino, ex dictis SS. Patrum, ut in prologo hujus opusculi præfati sumus, inchoat libellus. Tuis igitur meritis precibusque animatus, studiosissime pater, etsi non ut debeo, tamen prout potero, Deo favente, præceptis tuis satisfacere humiliter studebo.

Explicit præfatio libri tertii.

INCIPIUNT CAPITULA EJUSDEM.

Expliciunt capitula libri tertii.
Quartus liber omnino desideratur.

DIPLOMA LUDOVICI PII imperatoris pro monasterio Indensi.

Eximit illud ab omni teloneo in omnibus imperii sui ditionibus.

E IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri JESU CHRISTI. HLUDOWICUS divina ordinante providentia imperator augustus, omnibus episcopis, abbatibus, comitibus, vicariis, centenariis, thelonariis, actionariis, vel omnibus rempublicam administrantibus, seu ceteris fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ & nostris, tam præsentibus quam & futuris. Notum sit, quia concessimus monasterio (a) nostro, quod dicitur Inda, quod est dicatum in honore Domini & Sal- Anno 821. *Ex ms. domini de Louvrex.* [a]

(a) Suum vocat Indense monasterium, non solum quod regio suo palatio proximum esset; sed etiam quia illud fundaverat.

vatoris nostri Jesu Christi, constructum A in silva nostra Arduenna, ubi etiam nunc [a] religiosus vir (a) Benedictus abbas præest, & omni congregationi ibidem Deo famulanti, omne thelonium, tam de navibus, quæ per diversa flumina imperii nostri, pro qualibet re discurrunt, quam & de curris & sagmariis * necessariis ipsius monasterii vel congregationis ibidem Deo famulantis deferentibus, vel de quolibet alio negotio undecumque fiscus thelonium exigere poterat, in integrum concessimus, ut nullus quilibet thelonium aut aliquam exactionem B accipere aut exigere præsumat. Unde hanc nostræ auctoritatis præceptionem prædicto monasterio & congregationi ibidem degenti fieri præcipimus, ut naves, vel curra, & sagmarii, seu quælibet alia vehicula, ad diversa negotia ipsius monasterii peragenda, & ad necessitates ejus sublevandas, per universum imperium nostrum libere discurrant, & nullus publicus judex, vel quilibet exactor judiciariæ potestatis, aut thelonarius de navibus aut de omnibus quæ supra memorata sunt, undecumque videlicet fis- C cus thelonium exigere potest, ullum thelonium, aut ripaticum, aut portaticum, aut pontaticum, aut salutaticum, aut rotaticum, aut pulveraticum, aut cosponticum, aut travaticum, aut ullum occursum, vel ullum censum, aut ullam retributionem ab eis requirere aut exactare præsumat. Sed licitum sit absque alicujus illicita contrarietate vel detentione per hanc nostram auctoritatem, naves, curra, sagmarios, vel cetera vehicula, & homines qui hoc providere debent, cum his quæ deferunt, per universum imperium nostrum libere at- D que secure ire & redire, & si aliquas moras in quolibet loco fecerint, aut aliquid mercati fuerint aut vendiderint, nihil ab eis prorsus, ut dictum est, exigatur. Hæc vero auctoritas ut pleniorem in Dei nomine obtineat vigorem, & omnibus verius nostra esse credatur, & diligentius conservetur, de anulo nostro subter jussimus sigillari.

* f. necessaria.

Durandus diaconus ad vicem Fridugisi recognovit.

[b] Data sexto idus (b) Februarii, anno Christo propitio VIII. imperii domni Hludouvici serenissimi augusti, indictione E XIV.

Actum Aquisgrani palatio regio, in Dei nomine feliciter. Amen.

(a) Hic est maximus ille Benedictus ordinis nostri reformator, abbas Anianensis & Indensis, cujus maxime opera congregatum fuerat paucis ante annis, scilicet 817. Aquisgranense concilium.

(b) Ac proinde datum & concessum est sanctissimo abbati Benedicto istud diploma, tribus ante ipsius mortem diebus, nam tertio idus Februarii anni 821. indictione 14. præsentem cum æterna vita mutavit, in suo Indensi cœnobio.

PRÆCEPTUM QUOD DOMNUS imperator Hludovicus fecit Folcowino de res suas in Egrisco.

IN nomine Domni Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi. Hludouvicus divina ordinante providentia imperator augustus. Omnibus fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ & nostris, præsentibus scilicet & futuris, seu missis nostris discurrentibus. Notum sit vobis, quia quidam homo nomine Fulquinus de pago Engrisgoe, & de villa Meinburo, nostram adiit clementiam, innotuit mansuetudini nostræ, qualiter dum in Dei & nostra utilitate contra Sclavos pergere deberet, res suas proprias quas habebat Teuthardum quondam cartolarium nostrum tradidit, ea videlicet conditione, ut si Domino auxiliante, de illo itinere reverteretur, easdem res suas illi redderet, & si vitam præsentem in illo exercitu amitteret, pro ejus anima jam dictas res daret. Sed dum ipse de eadem expeditione fuisset reversus, defunctum invenit eumdem Teuthardum, etiam omnes illas res, quas idem Fulquinus modo superius comprehenso illi delegaverat, in juris nostri vestituram habere acceptam. Idemque obnixe deprecans in nostra eleemosyna hoc inquirere juberemus, utrum ita veritas esset an non. Nos vero ejus petitioni propter divinum amorem renuere noluimus; sed libuit nobis potius Hagunonem vasallum nostrum hanc rem investigare præcipere, qui nobis renuntians per omnia ita verum esse sicut dicebat. Ob hoc placuit nobis, ut idem Fulquinus præfatas res in nostra eleemosyna iterum sibi obtineret. Et propter hoc quod in jure ditionis nostræ vestitura accepta fuerat, nostrum præceptum illi conscribere, per quod præcipimus atque jubemus, ut ab hinc in futurum pro hac causa a nullius vestrum aliqua patiatur calumnia, vel fatigatione, vel aliquod impedimentum, sed potius sicut prius potestatem de eisdem rebus habuit, ita ab hodierna die & tempore per hanc nostræ auctoritatis confirmationem, præscriptas res teneat atque possideat, vel quicquid exinde facere voluerit, liberam in omnibus habeat faciendi potestatem. Et ut hæc auctoritas firmior habeatur, & per futura tempora melius conservetur, de anulo nostro subter sigillari jussimus.

Anno 821. Ex cartario Prumiensi.

Faramundus ad vicem Fridugisi abbatis recognovi.

Data XVII. cal. Augusti, anno Christo propitio imperii nostri VIII. indictione XIIII.

Actum Aquisgrani palatio regio, in Dei nomine feliciter. Amen.

PRÆCEPTUM
Quod fecit domnus Hloduwicus imperator de illo concamio quod fecerunt Tancradus abbas atque Fulbertus.

Anno 823. Ex cartario Prumiensi.

IN nomine Domni Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi. Hludouwicus divina ordinante providentia imperator augustus. Si enim ea quæ fideles imperii nostri pro eorum opportunitatibus inter se commutaverint, nostris confirmamus edictis, imperialem exercemus consuetudinem, & in postmodum jure firmissimo mansurum esse volumus. Idcirco noverit omnium fidelium nostrorum, tam præsentium quam & futurorum sagacitas, quia vir venerabilis Tancradus abba ex monasterio, quod dicitur Prumia, constructum in honore Domini & Salvatoris nostri Jesu-Christi, nobis suggessit, eo quod cum quodam homine nomine Fulcberto de quibusdam rebus commutationem fecisset, pro ambarum partium opportunitate. Dedit igitur prædictus vir venerabilis Tancradus abba ex ratione prædicti monasterii, una per consensum & conhibentiam monachorum ibidem degentium, præfato Fulberto ad proprium suum perpetualiter ad habendum, quasdam res quæ sunt in pago Warmacinse, in villa quæ dicitur *Flaconheim* mansos duos cum domibus, ædificiis, terris, vineis, pratis, silvis, pascuis, adjacentiis, exitum & regressum, vel quantumcumque in eadem villa de ratione prædicti monasterii præsenti tempore ibidem legitime habere dinoscitur. Et econtra in compensatione harum rerum dedit prædictus Fulbertus ex proprio suo præscripto monasterio, omnique congregationi ibidem Deo per tempora militanti, quasdam res quæ sunt in eodem pago, in villa quæ dicitur *Glaolfesheim* mansum unum, & in alia villa quæ dicitur Villarie, mansum unum, nec non & in tertio loco in villa nuncupante *Leivvrdesheim*, curtilem unum, similiter & in quarto loco in villa, cujus vocabulum est *Huccunheim*, duas partes de jurnale cum terminis & laterationibus suis. Has vero res cum domibus, ædificiis, terris, vineis, pratis, silvis, pascuis, adjacentiis, exitum & regressum, vel quantumcumque in prædictis locis præsenti tempore legitime habere & possidere dinoscitur. Unde & duas commutationes pari tenore conscriptas, manibusque bonorum hominum præ manibus se habere professus est, sed pro integra firmitate petiit celsitudinem nostram, ut ipsas commutationes denuo per nostrum mansuetudinis præceptum confirmare deberemus. Quorum petitionibus denegare noluimus assensum, sed sicut unicuique fidelium nostrorum juste petentium, ita nos illis concessisse atque confirmasse cognoscite. Præcipientes ergo jubemus, ut quicquid pars juste & rationabiliter alteri contulit parti, deinceps per hanc nostram auctoritatem jure firmissimo teneat atque possideat, & faciat quidquid voluerit. Et ut hæc auctoritas per futura tempora inviolabilem obtineat firmitatem, & ab omnibus melius credatur atque conservetur, anuli nostri impressione signari jussimus.

Durandus diaconus ad vicem Fridegisi recognovi.

Data idus Octobris, anno Christo propitio x. imperii domni Hludowici piissimi augusti, indictione prima.

Actum Aristallio palatio regio, in Dei nomine feliciter.

PRÆCEPTUM HLUDOVICI
imperatoris de concamio quod fecit Tancradus abba cum Opilone.

Anno 823. Ex cartario Prumiensi.

IN nomine Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi, Hludouvicus divina ordinante providentia imperator augustus. Si enim ea quæ fideles imperii nostri pro eorum opportunitatibus inter se commutaverint, nostris confirmamus edictis, imperialem exercemus consuetudinem, & hoc inpostmodum jure firmissimo mansurum esse volumus. Idcirco noverit omnium fidelium nostrorum præsentium scilicet & futurorum industria, quia vir venerabilis Hildoinus abba sacrique palatii nostri summus capellanus innotuit celsitudini nostræ, eo quod religiosus vir Tancradus abba monasterii Prumiacensis, cum quodam homine nomine Opillonem, de quibusdam mancipiis commutationem fecissent. Dedit igitur prædictus vir venerabilis Tancradus ex ratione præfati monasterii sui Prumiacensis, quod est constructum in honore Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi, consentiente ejusdem congregatione præfati monasterii, prædicto Opiloni mancipia septem his nominibus, Theotharium, Grimoldum, Theotgaudum, Werintrudim, Gozam, Hunlindam, Bertrudam. Et econtra in compensatione horum mancipiorum dedit prædictus Opilo ex suo proprio ad jam dictum monasterium mancipia XIIII. his nominibus, Germundum, Reginerum, Nortbertum, Bernoldum, Thiedoldum, Hautmarum, Winigodum, Rotgerum, Wigiradum, Bumannum, Willisuindam, Thieodulfum, Theotlindam, Anstilam. Unde & duas commutationes pari tenore conscriptas, manibusque bonorum hominum roboratas, se præ manibus habere professi sunt. Sed pro integra firmitate petierunt celsitudini nostræ, ut ipsas commutationes denuo per * nostrum mansuetudinis præceptum plenius confirmare deberemus, quorum petitionibus

* f. nostræ.

titionibus denegare noluimus, sed unicuique fidelium nostrorum juste petentium ita nos concessisse atque in omnibus confirmasse cognoscite. Præcipientes ergo jubemus, ut quicquid pars juste & rationabiliter alteri contulit parti, deinceps per hanc nostram auctoritatem jure firmissimo teneat atque possideat, ut quidquid exinde facere voluerit, libero in omnibus perfruatur arbitrio faciendi quicquid elegerit. Et ut hæc auctoritas firma habeatur, & per futura tempora melius conservetur, de anulo nostro subtus jussimus sigillari.

DURANDUS diaconus ad vicem FRIDEGISI recognovit.

Data IIII. cal. Septembris, 'anno Christo propitio x.' imperii domni Hludowici Piissimi Augusti, indictione I.

*f. Confluentes. Actum * Construentes super Mosellam, in Dei nomine feliciter. Amen.

DIPLOMA LUDOVICI & Lotharii imperatorum pro S. Adalardo abbate Corbeiensi.

Monasterium Corbeiense sub sua suscipiunt protectione.

Anno 826. Ex archivis Corbeiensis monasterii. IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri JESU-CHRISTI. LUDOVICUS & LOTHARIUS divina adjuvante providentia imperatores augusti. Si libertatis nostræ munere locis Deo dicatis quiddam conferimus beneficii, & necessitates ecclesiasticas ad petitiones servorum Dei nostro relevamus juvamine, atque imperiali tuemur munimine, id nobis & ad mortalem vitam temporaliter transigendam, & ad æternam feliciter obtinendam profuturum liquido credimus. Noverit igitur sagacitas seu utilitas omnium fidelium nostrorum tam præsentium quam futurorum, quia vir venerabilis ADALARDUS abbas senex de monasterio, quod est in honore beatorum apostolorum Petri & Pauli & S. Stephani prothomartyris constructum, in pago Ambianensi, super fluvium Somana, petiit celsitudinem nostram, ut ipsum monasterium sub nostro munimine & defensione cum cellulis sibi subjectis, & rebus vel hominibus ad se pertinentibus confirmare .... fecissemus, ut nostræ immunitatis auctoritate amodo & deinceps ab inquietudine judiciariæ potestatis idem munitum atque defensum fuisset monasterium. Cujus petitioni assensum præbuimus. Et hoc nostræ actoritatis præceptum erga ipsum monasterium immunitatis atque tuitionis gratia pro divini cultus amore, & animæ nostræ salute fieri decrevimus, per quod præcipimus atque jubemus, ut nullus judex publicus, vel quilibet ex judiciaria potestate in ecclesias vel agros seu reliquas possessiones, quas moderno tempore in quibuslibet pagis vel territoriis infra ditionem imperii nostri juste & legaliter memoratum tenet vel possidet monasterium, vel ea quæ deinceps in jure ipsius monasterii contigerit augeri, aut mansiones vel paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines ipsius monasterii tam ingenuos quam servos super terram ipsius manentes injuste distringendos, nec ullas redibitiones aut illicitas occasiones requirendas, nostris vel futuris temporibus ingredi nec exigere præsumat, sed liceat memorato abbati, suisque successoribus res prædicti monasterii S. Petri cum omnibus sibi subjectis rebus vel hominibus ad se pertinentibus, sub tuitionis atque immunitatis nostræ defensione, remota totius potestatis inquietudine, quieto ordine possideat, & nostro fideliter parere imperio, atque pro incolumitate nostræ conjugis, ac propinquorum, ac prolis, & etiam imperii a Deo nobis collati, una cum clero sibi subjecto, Dei immensam clementiam jugiter exorare. Volumus quoque ut prædicti monasterii monachi licentiam habeant, secundum regularis vitæ institutionem, eligendi sibi abbatem, quamdiu regalis celsitudo viguerit. Et ut hæc actoritas firmior habeatur, & per futura melius conservetur, manibus propriis subter eam firmavimus, & anuli nostri impressione firmari fecimus.

Signum HLUDOVICI serenissimi imperatoris.

Signum HLOTHARII gloriosissimi augusti.

.... ad vicem Fridugisi recognovit.

Data Aquisgrani, anno XII. imperii Ludovici & Lotharii IV.

PRÆCEPTUM PIPPINI regis Aquitaniæ pro Turonensi S. Martini ecclesia.

Marciacum villam ab Itherio & Alcuino abbatibus Erlaldo in censum datam, post illius mortem S. Martino restitutam confirmat.

PIPPINUS gratia Dei rex Aquitanorum. Noverit omnium fidelium nostrorum, præsentium scilicet & futurorum solertia, quia FRIDUGISUS vir venerabilis abba & rector ecclesiæ beatissimi Martini, patroni videlicet nostri, suggessit serenissimi augusti auribus, pro quadam villa nomine Marciagus, quæ in pago Arvernico ac Tolornensi, in vicaria Claromontensi sita, quæ dudum a quibusdam fidelibus per cartulas cessionis memoratæ ecclesiæ, specialiter ad vestimenta fratrum conlata fuerat, quam etiam ITERIUS quondam abba Erlaldo eidem genitoris nostri seniscalo per ejus pe- Anno 828. Ex cartario S. Martini.

titionem, ea conditione, ut annuatim exinde censum persolveret, concesserat, & quam postea dominus ALCUINIUS successor ipsius, ejusdem monasterii rector, similiter ad petitionem genitoris nostri prædicto Erlaldo sub eodem censu perscriptum habere permiserat, eo modo ut post decessum illius abque ulla interpellatione, aut alicujus contradictione memorata villa cum omnibus appendiciis & rebus sibi pleniter aspicientibus, in ditionem præfatæ ecclesiæ immeliorata restitueretur, obsecrans, ut ejus consueta pietas efficeret, quatenus propter hanc occasionem, id est, quia tamdiu per petitionem ejus fuerat sub censu in beneficio habita, ne aliquando possit a potestate ipsius monasterii subtrahi, cujus suggestioni genitor noster libenter annuens, præcepit nobis, ut tam dictæ res post decessum memorati Erlaldi per illius, & nostram auctoritatem secundum præscriptam conditionem in potestatem sancti Martini reducerentur; sed dum hæc agerentur, sæpe dictus Erlaldus finem vivendi fecit, & nos prædictas res per missos nostros ad partem sancti Martini coram multis, sicuti & factum est, reddere jussimus; sed superius nominatus FRIDUGISUS abba, petiit celsitudini nostræ, ut pro firmitatis studio nostram præceptionem super hoc ei facere juberemus, per quam omnes occasiones quæ a malivolis hujus rei gratia objici poterant, in futurum penitus excluderentur, & ipsæ res absque alicujus contradictione, subtractioneve, aut diminoratione in ditionem beati Martini, nostris & futuris temporibus sub nostræ tuitionis defensione immunitatis auctoritate sicut ceteræ res ejusdem ecclesiæ inrefragabiliter possiderentur. Præcipientes ergo jubemus, ut nullus ex fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ & nostris, præsentibus scilicet & futuris, de prædictis rebus aliquam inquietudinem aut contrarietatem rectoribus beati Martini, aut eorum procuratoribus facere præsumat; sed liceat eas per hoc nostræ confirmationis ac auctoritatis præceptum, sub genitoris nostri & nostra ac successorum, Deo annuente, nostrorum, per futura tempora pleniter absque alicujus contrarietate, ad supplendas in vestimentis fratrum ibidem degentium necessitates, quiete ac perpetuo possidere. Nullus etiam minister publicus aut quilibet judiciaria potestate prælatus ad causas ibidem audiendas, ingredi aut exiendi, vel tributa, seu mansionaticos, aut paratas, vel ullas redibitiones exigere aut accipere præsumat, sed quicquid de sæpe dictis rebus exigi aut habere poterit, totum propter emolumentum animæ nostræ ad vestimenta fratrum ornanda, per hanc nostræ confirmationis auctoritatem plenius cedat. Et ut hæc, a fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ & nostris verius credatur, ac diligentius conservetur, manu propria subter firmavimus, & anuli nostri impressione signari jussimus.

Signum PIPPINI regis.

SASIABODUS diaconus ad vicem ALDRICI recognovit.

Data VI. idus Martii, anno XV. imperii domni LUDOVICI serenissimi augusti, & XII. regni nostri.

Datum in Aquisgrani palatio, in Dei nomine feliciter. Amen.

EPISTOLA THEGANI antistis Hattoni venerabili præsuli.

Mittit ei librum Alcuini de Trinitate.

DOMINO venerabili & in Christo patri HATTONI nobilissimo duci ac consuli, (a) THEGANUS peccator, licet antistes in Domino JESU CHRISTO dicit salutem. *Circa 830. Ex antiquo ms. S. Johannis Bap. Florinensis ab annis circiter 700. exarato.*

Cum mihi diu cogitanti quid ex paupertate mea vestræ serenæ præsentiæ præsentare potuissem, propter immensam benignitatem vestram, quam assidue, non meis meritis exigentibus, ostendere dignati fuistis, & ut nominis mei memoriam vestræ pietati commendarem, nihil aliud ad mentem cucurrit, nisi ut aliquod opusculum sanctorum patrum vobis dirigerem, in quo sanctum ingenium vestrum exercere potuissetis; & ideo istud volumen vobis transmisi, quod sanctus ALCUINNUS summus scolasticus ex variis libris S. Augustini congregavit in unum, quod peritissimo ac nobilissimo imperatori KAROLO tradidit, sicut prologus istius libri indicat, ubi inveniri potest, sicut maxima necessitas est mortalium, de divina natura ac de essentia; de æterna gignentia Dei Patris, de æterna nativitate Filii Dei, de æterna processione Spiritus-sancti. De incarnatione JESU CHRITI filii Dei. Quomodo sit unus Deus trinus, & trinus unus, sicut vera fides credere jubet, & qui sic non credit, alienus a Christo est. *Et alia manu*: Inclyta gloria Christi te diu in hoc sæculo custodire & protegere dignetur, & post hæc mortalia tempora, ad illam beatitudinem perducat, cui finis adpropinquare non potest. Valete.

Salve magne parens, felix sis semper in ævum.

Dona superna Deus addat ubique tibi.

Sic THEGANUS orat, sic semper postulat ipse.

Auditor Dominus sit quoque celsi thronus.

(a) Hic Theganus antistes alius nobis non videtur a celeberrimo illo Thegano vitæ Ludovici Pii scriptore, qui teste Vossio de Historicis Latinis cap. 33. fuit chorepiscopus Trevirensis, vir Valfrido Straboni cognitus, nobilis genere, ingenio acer ac vehemens, amans justitiæ atque imperatoris sui, multæ lectionis, in docenda regendaque ecclesia sua valde districtus.

PRÆCEPTUM HLUDOWICI imperatoris de concamio quod fecerunt Liudaldus & Marcuardus abba Prumiæ.

Anno 831. Ex cartario Prumiensi.

IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri JESU CHRISTI. HLUDOVICUS divina ordinante providentia imperator augustus. Si enim ea quæ fideles imperii nostri pro eorum oportunitatibus inter se commutaverint, nostris confirmamus edictis, imperialem exercemus consuetudinem, & hoc in postmodum jure firmissimo mansurum esse volumus. Idcirco noverit omnium fidelium nostrorum præsentium scilicet & futurorum industria, quia vir venerabilis MARCOARDUS ex monasterio nostro Prumia abba, suggessit serenitati nostræ, eo quod cum quodam homine nomine Liudoldo & conjuge suæ Irmbirgam, de quibusdam rebus & mancipiis pro communi utilitate & compendio inter se commutationem fecissent. Dedit igitur prædictus vir venerabilis MARCOARDUS abba per consensu & conhibentia fratrum in eodem monasterio degentium prædicto Liudoldo & conjuge suæ Irmbirguæ, in pago Spirense, in villa seu marca quæ dicitur *Mekkimheim*, ecclesiam unam cum atrio, curte, & casa, simul cum diversis mansionibus per circuitu, cum mancipiis ibidem commanentibus, quorum hæc sunt nomina, Grimbertum, Rotgildum, Ingirion, Liudbirgam, Diutarium, Wolfarium, Willemannum, Ricbertum, Ricbaldum; & de terra arabili jornales xcv. de vineis jornales IIII. & dimidium, de prato ubi possunt colligi fœno, carrades VI. & in alio loco in villa seu marca quæ dicitur *Fridolvesheim* curtilem, & de terra arabili jornales LXXIII. de prato ad caradas VI. etiam & in marka *Vvakkenheim* de vineis inter totum jornales v. & pratum unum qui conjacet inter Altripio & *Geginheim* ad illum pontum quem Reginardus & Ekkibaldus habuerunt in beneficium cum terminis & laterationibus earum, quemadmodum in eisdem commutationibus continetur. Et econtra in compensatione harum rerum dedit memoratus Luidoldus & conjux sua Irmbirga jam dicto MARCOARDO abbati ad partem monasterii sui S. Salvatoris Prumiacensi, vel rectorum in eodem monasterio per tempora degentium, res eorum proprias sitas in pago Caroasco, in villa quæ dicitur Huosa, quantumcumque in prædicta villa vel marca ipsius villæ præsenti tempore habere visi sunt, & sui juris atque possessionis in eorum proprio fuit, cum domibus, ædificiis, mancipiis desuper commanentibus, quorum hæc sunt nomina Wulger, Wolfgoz, Racchołf, Lantfrid, Wicbolt, Beringer, Roduin, Walaburc, Adalbolt, Gomalint, Steingart, Liutgart, Ricolf, Willolf, Wieldrud, Reginfrid, Irmfrid, Guotrat, Berachtrat, Hildrat, Hordrat, Liutfrid, Liutran, Hildigart, Thiatgoz, Nitran, Gundila, Zeiza, Liutmun, Berahtran, Reginfrid, Liofgunt, Adaldrud, Rimidrud, Berahgunt, cum pratis, silvis, pascuis, stirpis, aquis, aquarumve decursibus, omnia & ex omnibus, totum & ad integrum vel inexquisitum perpetualiter prædicto monasterio ad habendum tradiderunt. Unde & duas commutationes pari tenore conscriptas, manibusque bonorum hominum roboratas se præ manibus habere professus est. Sed pro integra firmitate petiit celsitudini nostræ, ut ipsas commutationes denuo per nostræ mansuetudinis præceptum plenius in Dei nomine confirmare deberemus, cujus petitioni denegare noluimus; sed sicut unicuique fidelium nostrorum juste petentium, ita nos illi concessisse atque in omnibus confirmasse cognoscite. Præcipientes ergo jubemus, ut quicquid pars juste & rationabiliter alteri contulit, ita deinceps per hanc nostram auctoritatem jure firmissimo teneat atque possideat, vel quicquid exinde facere voluerit, libero in omnibus perfruatur arbitrio faciendi quicquid elegerit. Et ut hæc auctoritas confirmationis nostræ per curricula annorum inviolabilem atque inconvulsam obtineat firmitatem, de anulo nostro subter jussimus sigillari.

DURANDUS diaconus ad vicem FRIDUGISI recognovi.

Data VII. idus Januarii, anno Christo propitio XVII. imperii domni HLUDOVICI piissimi augusti & HLOTHARII VIIII. indictione VIIII.

Actum Aquisgrani palatio regio, in Dei nomine feliciter. Amen.

PRÆCEPTUM LUDOVICI PII imperatoris pro Turonensi S. Martini ecclesia.

Ne Turonensis episcopus dominari præsumat apud S. Martinum, & ut fratres liberam habeant facultatem eligendi abbatis.

IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri JESU CHRISTI. LUDOVICUS divina ordinante providentia imperator augustus. Si locis Deo dicatis quiddam honoris conferimus, & Deo in eis famulantium, pacis & tranquillitatis curam gerimus, & ad ministerium suum liberius exequendum opem ferimus, hoc nobis procul dubio ad statum regni terreni corroborandum, & ad æternæ vitæ beatitudinem capessendam profuturum esse credimus. Idcirco notum fieri volumus omnibus fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ & nostris, præsentibus scilicet & fu- Anno 831. Ex cartario S. Martini.

turis, quia ad petitionem fratrum, in monasterio sancti Martini confessoris Christi atque pontificis Deo fideliter deservientium, dilecta conjux nostra JUDITH augusta nobis suggessit per privilegium patris nostri domni CAROLI piæ recordationis imperatoris serenissimi, seu cetera regalia, nec non etiam apostolica privilegia, quomodo idem monasterium a dominatione episcopi Turonicæ urbis liberum nunc usque erat, qualiterque procul dubio licentiam habuerit eligendi ex seipso abbatem dignissimum, petiitque culmen dignitatis nostræ, ut propter amorem & honorem Domini nostri JESU CHRISTI, & ob reverentiam beati Martini pontificis patroni nostri peculiaris, eadem nostra auctoritate imperiali firmare dignaremus. Nos quoque ejusdem dilectæ conjugis nostræ JUDITH salubri suggestione commoti simul & hortatu, atque interventu venerabilium nostrorum ad hoc perficiendum commoniti, hanc nostræ auctoritatis confirmationem memorato monasterio, atque fratribus in eodem Deo deservientibus conscripsimus, ac dare decrevimus, per quam constituimus, atque perenniter firmum fore decernimus, ut in supra fato monasterio, sive fratribus, primus episcopus Turonicæ urbis non plus dominari præsumat, aut licentiam dominandi habeat, vel aliquid certe novi introducat, aut in vicis vel villis mansionaticos accipiat, seu quicumque urbis ejusdem successor extiterit, quam predecessores sui tempore ejusdem genitoris nostri domni CAROLI, sive avi nostri gloriosi PIPPINI regis fecerunt, sed sub ipso eodemque modo charitatis sive dilectionis cum jam memoratis fratribus in Deo vivat, absque qualibet novitatis molestia. Similiter sine dubio statuimus atque perpetuo firmissimum esse volumus, ut memorati monasterii fratres licentiam habeant de seipsis eligendi abbatem, qui eis præesse & prodesse possit in omni morum honestate, & scripturarum eruditione, ea tantum conditione præmissa, ut quamdiu FRIDEGISUS abba, cujus etiam consultu actum est, ut hanc confirmationem fieri statueremus, memoratum monasterium habuerit, nullum præjudicium aut inquietudinem de quibuslibet causis patiatur. Post illius vero decessum memorati fratres habeant facultatem eligendi de ipsis abbatem, quem optimum, & nobilitate generis, & probitate morum & in scripturis eruditum judicaverint. Et si talis inibi, quod non optamus, reperiri non poterit, tunc imperiali potestati id reservandum statuimus. Monemus quoque omnes qui nobis in imperio a Deo nobis commisso successuri sunt, ut sicut illorum statuta a successoribus suis conservari velint, ita in omnibus hanc nostram constitutionem, perpetuis temporibus conservare studeant ad illorum & nostram communem salutem. Et ut hæc nostræ auctoritatis præceptio & constitutio privilegii firmior habeatur, & per futura tempora melius conservetur, manu propria eam subscripsimus, & de bulla nostra subter sigillari jussimus.

Signum LUDOVICI serenissimi imperatoris.

HIRMINMARIS notarius ad vicem FRIDUGISI recognovi.

Data v. non. Novembris, anno Christo propitio XVIII. imperii domni LUDOVICI piissimi augusti, indictione x.

Actum Theodonis villa palatio regio, in Dei nomine feliciter. Amen.

DIPLOMA LUDOVICI PII imperatoris pro fideli suo Aginulfo.

Varia variis in locis ei concedit prædia.

IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri JESU CHRISTI. LUDOWICUS divina ordinante providentia imperator augustus. *Anno 832. Ex mss. domini de Louvrex.* Imperialis celsitudinis moris est, fideliter sibi famulantes donis multiplicibus & honoribus ingentibus honorare, atque sublimare. Proinde nos morem parentum, regum videlicet prædecessorum nostrorum sequentes, libuit celsitudini nostræ, quemdam fidelem nostrum nomine AGINULFUM de quibusdam rebus proprietatis nostræ honorare, atque in ejus juris potestatem liberalitatis nostræ gratiam conferre. Idcirco noverit experientia atque industria omnium fidelium nostrorum, tam præsentium, quam & futurorum, quia concessimus eidem fideli nostro res nostras sitas in pago Alsbanio, in villa nuncupante Liniaco, id est mansos quatuor inter vestitos & absos, cum mancipiis, terris arabilibus, pratis, silvolis ad eos juste pertinentibus vel aspicientibus: & in pago Bragbantensi, in villa vocante Isca, mansos septem inter vestitos & absos, cum mancipiis, terris arabilibus, pratis, silvolis, ad eos juste pertinentibus vel aspicientibus. Et in pago Namucensi, in villa nuncupante Beiff, mansos sex cum mancipiis, terris arabilibus, pratis, silvolis ad eos juste pertinentibus vel aspicientibus. Et in eodem pago, in loco qui dicitur Vulpilionis, mansellum absum unum cum terrulis & silvolis ad eum aspicientibus. Nos itaque memoratos mansos cum mancipiis & omnibus ad eos pertinentibus, sicut superius diximus, per hanc nostræ auctoritatis conscriptionem eidem Aginulfo ad proprium perpetualiter ad habendum tradimus atque concedimus, & de nostro jure in jus & potestatem illius more solemni transferimus: ita videlicet, ut quicquid ille de his vel in his pro sua commoditate & utilitate facere

decreverit, liberam & firmissimam in omnibus habeat potestatem faciendi. Et ut hæc nostræ concessionis atque largitatis auctoritas inviolabilem & inconvulsam obtineat firmitatem, manu propria nostra subter eam firmavimus, & anuli nostri impressione signari jussimus.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Hirminmaris notarius ad vicem Fridugisi recognovi.

Data nonas Februarii, anno Christo propitio XIX. imperii domni Ludowici piissimi augusti, indictione X.

Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

DIPLOMA LUDOVICI PII imperatoris pro Turonensi S. Martini ecclesia.

Ut villæ in beneficium datæ ad usus fratrum revocari possint, deque oblatis ad S. Martini sepulcrum.

Anno 832. Ex cartario S. Martini.

In nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu-Christi, Ludovicus divina ordinante providentia imperator augustus. Si locis Deo dicatis quiddam honoris conferimus, & famulantium pacis & tranquillitatis curam gerimus, & ad ministerium suum liberius exequendum opem ferimus, hoc nobis procul dubio ad statum terreni regni corroborandum, & ad æternæ vitæ beatitudinem capessendam profuturum esse confidimus. Idcirco notum fieri volumus omnibus fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ & nostris, præsentibus scilicet & futuris, quia venerabilis Fridugisus abba monasterii sancti Martini patroni nostri, in quo ipse corpore requiescit, innotuit celsitudini nostræ, qualiter idem ipse partim per ignorantiam, partim vero per suggestionem quorumdam hominum, quasdam villas ejusdem monasterii sibi servientibus in beneficium dedisset, quæ ad usus fratrum in eodem monasterio degentium olim deputatæ fuerant, & ob hoc vestimenta, & sumtus necessarios eis pleniter ministrare non posset. Quam ob rem idem ipse, & omnis congregatio sancti Martini petiit nostræ conscriptionis auctoritatem sibi dari, per quam repulsa omnis occasio, nostra concessione, atque permissu easdem villas in suum dominium idem abba revocare, & tam ipse, quam & successores ejus eo modo eis debita stipendia, & vestimenta inde ministrare possent, quemadmodum temporibus prædecessorum ejus, fratribus qui tunc temporis inibi consistebant, ministrabantur. Quorum petitioni libentissime annuimus, & hanc nostræ adscriptionis auctoritatem fieri, eisdemque fratribus dare decrevimus, per quam decrevimus atque jubemus, ut memoratus abba suique successores ad easdem villas in suam dispositionem & ordinationem habeant, ut inde fratribus qui & præsenti & futuris temporibus inibi Deo militaverunt, sic pleniter victualia, & vestimenta ministrari faciant, quemadmodum temporibus domni & genitoris nostri Caroli augusti eis ac Vulfardo & Hiterio hujus monasterii abbatibus exhibita atque ministrata fuerunt. De ceteris vero villis, quæ in beneficium datæ sunt, jubemus, ut tertia pars de volatilibus cum ovis eisdem fratribus ministrentur. Volumus etiam atque eisdem fratribus concedimus, qui & præsenti tempore inibi degere, & futuris temporibus ad inhabitandum & Deo deserviendum aggregari voluerint, ut de omnibus quæ ad sepulcrum beatissimi patroni nostri sancti Martini a Deo timentibus conferuntur, tertiam partem accipiant, ad necessitates sibi consulendas, exceptis de his vestimentis & speciebus quæ ad sepulcrum illius decoris & honestatis causa perpetuo retinenda erunt. Cera autem & oleum ad luminaria in eadem ecclesia consummanda decernimus ut retineantur; statuentes ergo per hanc nostram auctoritatem præcipimus, ut nullus prælatorum, aut authorum hujus monasterii patroni nostri beatissimi Martini, hanc nostram concessionem atque statuta convellere, aut in alium modum immutare præsumat; sed perennis temporibus inviolabiliter ea ut conservent, & suis conservari faciant. Et ut hæc nostræ concessionis, atque constitutionis auctoritas firmum & inviolabilem obtineat vigorem, manu propria subter eam firmare decrevimus, & more nostro signaculo bullæ nostræ assignari jussimus.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Hirmimmaris notarius ad vicem Theotonis recognovi.

Data XVIII. cal. decembris, anno Christo propitio XIX. imperii domni Ludovici piissimi augusti, indictione X.

Actum Turonis monasterio sancti Martini, in Dei nomine feliciter. Amen.

PRÆCEPTUM QUOD FECIT Hludouwicus imperator super villam nuncupatam Malbodi-Sperarium a Baterico concessam Prumiensi cœnobio.

Anno 834. Ex cartario Prumiensi. [a]

In nomine Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi. Hludowicus divina (a) repropitiante clementia imperator augustus. Si servorum Dei rationabiles petitiones ad

(a) Observat Mabillonius de re diplom. l. 2. cap. 3. n. 13. Ludovicum Pium in suis diplomatibus post suam in thronum restitutionem datis, non uti voce *ordinante* vel *propitiante*, ut ante; sed *repropitiante*, utpote qui Deum sibi iterum propitium expertus fuerat.

optatum effectum pervenire facimus, non A solum ad Dei misericordiam pro nobis exorandum eosdem servos Dei promtiores & devotiores facimus, sed ejusdem Domini pro hoc facto clementissimam pietatem promerendam esse confidimus. Igitur noverit omnium fidelium nostrorum, tam præsentium quam & futurorum industria, quia MARCOARDUS venerabilis abba monasterii, quod in honore Salvatoris Domini nostri JESU CHRISTI a beatæ memoriæ avo nostro PIPPINO gloriosissimo rege in Arduenna novo opere super fluvium Prumia fundatum habetur, B cum quibusdam monachis ex ejusdem monasterii congregatione nostram adiit celsitudinem, atque clementiæ nostræ indicavit, qualiter Batericus vassallus noster dum in memorato monasterio monastice degere deliberasset, quamdam villam sui juris, quam nuperrime a nostra largitione in proprium perceperat, quæ vocatur Madalbodi-Sperarius solemni more per testamentum donationis manu sua & virorum inlustrium manibus roboratum eidem monasterio delegasset. Nam ut nobis ita factum extitisse patesceret, C obtulerunt præsentiæ nostræ largitionis auctoritatem, per quam eadem villa memorato Baterico in proprium a nobis concessa fuerat, & testamentum donationis atque traditionis, per quod hanc eamdem villam dum monasticam expeteret vitam, præscripto monasterio & monachis inibi consistentibus delegavit, simulque petierunt ac deprecati sunt nos, ut propter tergiversationes malivolorum super easdem conscriptiones nostræ auctoritatis præceptum firmita- D tis gratia fieri juberemus. Quorum petitioni annuentes hanc nostræ auctoritatis præceptionem memorato MARCUARDO venerabili abbati, vel ad partem jam dicti monasterii sui fieri jussimus, per quam decernimus atque jubemus, ut nullus fidelium nostrorum de prædicta villa memorato MARCUARDO. aut successoribus ejus ullo umquam tempore inquietudinem facere, aut quamlibet calumniam ingerere præsumat: sed sic eam perpetua possessione pars jam dicti monasterii possideat, E quemadmodum a nobis memorato Baderico in proprium concessa vel tradita fuit, vel quemadmodum ab eodem Baderico per testamentum suæ traditionis eidem monasterio delegata fuit, liceatque memorato MARCUARDO venerabili abbati & successoribus ejus atque monachis in eodem monasterio per tempora degentibus, de eadem vel in eadem villa facere quicquid censura monastica faciendum esse decreverit. Et ut hæc nostræ confirmationis auctoritas perpetuam obtineat firmitatem, de anulo nostro subter eam jussimus sigillare.

Signum HLUDOWICI serenissimi augusti.

Data XIII. cal. Augusti, anno Christo propitio XXI. imperii domni HLUDOVICI piissimi augusti, indictione XII.

Actum Theodonisvilla palatio regio, in Dei nomine feliciter. Amen.

CONCAMIUM QUOD FECERUNT Marcwardus abba & Hageno in pago Warmacense.

Anno 835. *Ex cartario Prumiensi.*

PLACUIT atque convenit inter venerabilem virum AGANONEM exactorem palatii Ingilenheim, & egregium virum MARCWARDUM abbatem Prumiensis monasterii, quasdam res per licentiam & jussu domni imperatoris commutare inter se pro communi & utilitatis compendio, quod ita & fecerunt. Dedit igitur prædictus vir eximius AGANO ex rebus fiscalibus, ex ratione ministerii sui MARCWARDO prædicto pio abbati, una cum consensu ac licentia domni imperatoris in pago Wormacensi, in villa quæ dicitur *Vechenheim* curtilem I. de terra arabili jurnales LXXIIII. de vineis ad carradas V. ad proprium monasterii habendi, vel quicquid juste & legalirer ex his ipse suique successores in fruendis utilitatibus monasterii decreverint, liberam tribuens facultatem pro opportunitate eorum faciendi. Econtra vero dedit præfatus vir venerabilis MARCVARDUS abba prædicto AGANONI ex rebus monasterii sui una cum consensu & licentia domni imperatoris, in pago prædicto Wormacensi, in villa quæ dicitur Cruciniacum, curtiles II. de terra arabili jurnales XLV. & vineam I. & in alio loco in villa quæ dicitur *Ingilenheim* in pago prædicto curtilem I. de terra arabili jurnales XXX. & de vineis ad carradas V. præter aripennem vineæ I. quod non ei concessit. Itaque ut quicquid ex his ipse suique successores pro utilitate ministerii in fruendis obsequiis regalibus facere decrevissent, liberam firmissimamque in omnibus faciendi haberent potestatem, & ita ex utraque parte convenit, ut unaquæque pars hoc quod accepit, habeat, teneat, atque possideat. Si quis vero quod futurum esse non credimus, si ego ipse, quod absit, aut aliquis de successoribus nostris, qui contra hanc commutationem venire tentaverit, aut eam infringere conaverit, minime evindicare valeat, sed præsens commutatio firma & stabilis permaneat cum stipulatione subnixa.

Actum palatio Hingilinheim sub die VIII. idus Februarii, anno XXII. regnante domno nostro HLUDOVICO serenissimo imperatore augusto.

Signum AGANONIS exactorem palatii *Hingilinheim*, qui hanc commutationis cartulam jussu regis fieri & firmare rogavit, assensu liberorum hominum & fiscalinium.

Signum † Gernandi. Signum † Duodonis. Signum † Actonis. Signum † Williberti. Ego Erlarius presbyter subscripsi, & ego Anno presbyter SS. Hæc igitur sunt nomina fiscalinium ex jam dicto palatio *Hingilinheim*. Signum † Hugi majoris. Signum † Wiliger. Signum † Hildbreth. Signum † Albunt. Signum † Guntarii. Signum Teganolfi. Signum † Otger. Signum † Hildibaldi. Signum † Guntbreth. Ego Ragingarius rogatus scripsi.

A sam obtineat firmitatem, manu propria subter eam firmavimus, & anuli nostri impressione adsignari jussimus.

Signum HLUDOVICI serenissimi imperatoris.

HIRMINMARIS ....

Data VIII. calendis Junii, anno Christo propicio XXII. imperii domni Hludovici piissimi augusti, indictione XIII.

Actum Albulfivilla (a) palatio regio, in Dei nomine feliciter. Amen. [a]

PRÆCEPTUM DOMNI HLUDOVICI imperatoris pro monasterio Prumiensi.

Quædam prædia ei in pago Vvormacensi concedit.

Anno 835. *Ex cartario Prumiensi.*

IN nomine Domini & Salvatoris nostri JESU CHRISTI. HLUDOVICUS divina repropitiante clementia imperator augustus. Si liberalitatis nostræ munere locis Deo dicatis quoddam conferimus beneficium, & necessitates ecclesiasticas ad petitiones servorum Dei nostro relevationis juvamine sublevamus, id nobis ad æternam beatitudinem feliciter obtinendam profuturum liquido credimus. Noverit igitur sagacitas seu utilitas omnium fidelium sanctæ Dei ecclesiæ nostrorumque, tam præsentium quam & futurorum, quia concessimus ad proprium monasterio quod dicitur Prumia, & monachis inibi Deo famulantibus, quibus & MARCUARDUS venerabilis abba præesse dinoscitur, nostræ proprietatis res, quæ sunt in pago Wormacense in loco qui dicitur Albulfi villa, mansum videlicet indominicatum, sed & in *Gomuritbesheim*, nec non & in *Stetin*, inter hæc præscripta loca mansi XIII. cum mancipiis utriusque sexus de per commanentibus, nec non & basilicam in eadem Albulfi villa constructa, cum decimis ex suprascriptis villis ad eam jure pertinentibus, ad proprium monasterio Prumiæ concedimus, cum domibus, ædificiis, vineis, terris, pratis, silvis, aquis, aquarumve decursibus, exitibus & regressibus, quantumcumque videlicet in memorata villa in rebus proprietatis nostri juris esse dinoscitur, totum & ad integrum prædicto monasterio monachisque in eo Domino militantibus, ad eorum diversas sublevandas necessitates, divino tacti amore & honore concedimus: ita videlicet, ut quicquid in his vel de his jure ecclesiastico rectores & ministri ejusdem cœnobii facere voluerint, liberam in omnibus habeant potestatem. Et ut hæc nostræ largitionis atque concessionis auctoritas inviolabilem & inconvul-

B PRÆCEPTUM HLUDOVICI imperatoris.

De concambio quod fecerunt Eberharius & Marcuardus abba.

IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri JESU CHRISTI. HLUDOUVICUS divina repropitiante clementia imperator augustus. Si quæ fideles imperii nostri pro eorum opportunitatibus inter se commutaverunt, nostris confirmamus edictis, imperialem exercemus consuetudinem, & hoc in postmodum jure firmissimo mansurum esse volumus. Idcirco noverit omnium fidelium nostrorum tam præsentium quam & futurorum industria, quod MARCWARDUS venerabilis abba monasterii, cujus vocabulum est Prumia, innotuit celsitudini nostræ, eo quod cum quibusdam hominibus qui Heberarius & Hebrardus nominantur, quasdam res & mancipia pro ambarum partium commoditatibus commutasset. Dedit igitur nostra permissione præfatus venerabilis MARCWARDUS abba ex rebus prænominati monasterii in pago Andegavinse & Rothinense, in locis quidicuntur Hulmontillus, Carmarias, Boscus & Tillus præfatis Heberario & Hebrardo ad proprium perpetualiter habendum, quantumcumque inibi de jure ejusdem monasterii habeatur. Et econtra in compensatione earumdem rerum dederunt sæpe dicti Heberarius & frater suus Hebrardus de rebus propriis memorato MARCWARDO venerabili abbati ad partem sæpe dicti monasterii sui in pago Nauvinse, in villa quæ dicitur *Roccesheim*, quantumcumque in eadem villa vel ipsius villæ marka jure proprietario possidebant, id est curtilem dominicatum cum ædificiis desuper positis, habentem de terra aratoria dominicata jornales LXXXII. & (b) proprisos VI. in quibus sunt jornales C. & XX. cum mancipiis desuper commanentibus, quorum numerum & nomina in commutationibus ab eis factis pleniter continetur. Dederunt etiam in villa vocante *Husfileidesheim* curtilem unum, ad quem aspiciunt de terra [b]

Anno 835. *Ex cartario Prumiensi.*

(a) Palatium illud regium perspicacem Mabillonii diligentiam fugit in libro quarto de re diplomatica, qui est de palatiis regiis.

(b) Proprisus seu porprisum & purprisum est vox Teutonica, quam Goldastus interpretatur *invasum* seu *violenter occupatum*.

aratoria jornales XVIII. de prato in quo colliguntur feno carradæ tres, & de porprisa silva jornales octo, & aliam communem silvam non proprisam. Similiter etiam & in pago Wormacinse in villa vocante *Haskmundesheim* curtilem unum & jornales XXVIII de vineis in quibus colliguntur vini carradæ tres, & in *Dionenheim* & *Rodulfisheim* de vineis ad vini carradas duas colligendas. Et in *Batenheim* curtile I. & de vinea ad unam carradam vini colligendam. Hæc autem superius denominata cum mancipiis, pratis, silvis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, sicut in commutationibus ab eis factis continetur totum & ad integrum, quæsitum & ad inquirendum, sicut præmissum est, præscriptis hominibus Herario & Hebrardo antedicto MARCWARDO venerabili abbati ad partem prædicti monasterii tradiderunt, ut in ejus jure perpetuo consistat. Unde & duas commutationes quarum mentionem fecimus pari tenore conscriptas, manibusque suorum & aliorum bonorum hominum manibus roboratas, obtutibus nostris ad relegendum adlatæ sunt, sed pro integra firmitate petierunt celsitudinem nostram, ut easdem commutationes denuo per nostræ mansuetudinis præceptum plenius confirmare deberemus. Quorum petitionibus assensum denegare noluimus, sed sicut unicuique fidelium nostrorum juste & rationabiliter petentium, ita nos illis concessisse atque in omnibus confirmasse cognoscite. Præcipientes ergo jubemus, ut quicquid pars juste & rationabiliter alteri contulerit parti, deinceps per hanc nostram auctoritatem jure firmissimo teneat atque possideat, & quicquid exinde facere decreverit, libero in omnibus potiatur arbitrio faciendi. Et ut hæc confirmationis nostræ auctoritas inviolabilis perseveret, de anulo nostro subter eam jussimus sigillare.

HIRMINMARUS notarius ad vicem HUGONIS recognovi.

DATA IIII. idus Septembris, anno Christo propitio XXII. imperii domni HLUDOWICI piissimi augusti, indictione XIII.

Actum monasterio Prumiæ, in Dei nomine feliciter. Amen.

PRÆCEPTUM HLUDOWICI imperatoris de rebus quas tradidit Rotberto in villa nuncupante Wistrikisheim.

Anno 836. *Ex cartario Prumiensi.*

IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri JESU CHRISTI. HLUDOWICUS divina repropitiante clementia imperator augustus. Imperialis excellentiæ magnitudinem decet, fideliter sibique devote famulantes condignis muneribus multiplicibusque honoribus sublimare, atque excellentiori ceteris honore dignissime ditare, immo regiæ munificentiæ liberalitatis honorare. Proinde comperiat omnium sanctæ Dei ecclesiæ fidelium nostrorumque præsentium scilicet & futurorum sagacitas, quia concessimus ad proprium HRUOTBERTO fideli nostro quasdam res proprietatis, quæ sunt in ducatu Ribuariense, id est in villa quæ dicitur *Vuisstrikisheim*, mansum dominicatum, & alios mansos numero septem, cum ædificiis desuper positis, & omnibus ad ea pertinentibus, & in eodem ducatu in villa quæ appellatur *Cranheim*, viniolas, & sedios tres, cum tribus hominibus qui eas excolere noscuntur. Concedimus etiam ei similiter ad proprium & mancipia juris nostri utriusque sexus cum præfatis tribus vinitoribus numero quinquaginta octo, id est Ebroinum, Luthadum, Meginoldum, &c. Fastradam & Emmam. Sed ut liberalitatis nostræ largitio per diuturna tempora rata atque inviolabilis permaneat, ut verius certiusque credatur, hos nostræ auctoritatis apices prædicto fideli nostro HRUOTBERTO, ob devotissimum illius obsequium, & specialiter fidelitatis assiduum famulatum, fieri decrevimus, per quos præcipimus atque jubemus, ut abhinc in futurum memoratæ res ac præscripta mancipia cum domibus ceterisque ædificiis, curtiferis, vineis, terris, silvis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, exitibus & regressibus, quantumcumque ad prædictos quindecim mansos juste pertinere cognoscitur; & nostri juris ac possessionis in re proprietatis est, totum & ad integrum atque in exquisitum in suo jure ac dominatione permaneant, ita videlicet ut quicquid de his vel in his jure proprietario facere, ordinare, atque disponere voluerit, vendendi, donandi, commutandi, liberam in omnibus habeat potestatem faciendi. Et ut hæc nostræ largitionis auctoritas inviolabilem & inconvulsam obtineat firmitatem, manu propria subter eam firmavimus, & anuli nostri impressione adsignari jussimus.

Signum HLUDOWICI serenissimi imperatoris.

HIRMINMARUS notarius ad vicem HUGONIS recognovit & subscripsit.

Data IIII. idus Januarii, anno Christo propitio XXII. imperii domni HLUDOWICI piissimi imperatoris, indictione XIV.

Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

PRÆCEPTUM

PRÆCEPTUM DOMNI HLUDOWICI IMPERATORIS.

De rebus Richardi, quas ei restituit secunda vice, quando reconciliatus est cum eo de villa Vilancia.

Anno 839. *Ex cartario Prumiensi.*

IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri JESU CHRISTI. HLUDOVICUS divina repropitiante clementia imperator augustus. Notum igitur esse volumus cunctis fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ & nostris, præsentibus scilicet & futuris, quod olim famulante nobis (a) RICHARDO tunc temporis ostiario nostro, concesseramus ei ad proprium quamdam villam nostram in Arduenna sitam, cujus vocabulum est Villancia, sed quia emergentibus malis, obhortis contra nos factionibus, in nostrum regnum & honorem quidam malevoli conspiraverunt, & ejusdem partis memoratus Richardus fautor exstiterat, atque cum filio nostro HLOTARIO, relictis nobis, abscesserat, eadem villa fisco nostro sociata: nunc autem quia miserante Domino, idem HLOTARIUS filius noster una cum suis ad nostram præsentiam atque concordiam & unanimitatem humiliter properavit, indultis ob amorem Dei omnibus quæ in nos male patraverat, placuit etiam misericordiæ nostræ, ut præscripto Richardo jam dictam villam pietatis intuitu, sicut pridem fuerat, ad proprium restituere, & insuper tria mancipia ex fisco nostro *Romfelt*, Gotfericum videlicet, & Luitherium atque Ratufcum, nec non & de altero fisco nostro Munuherstati quemdam servum nostrum, qui Dudo appellatur, cum uxore sua, & omnibus rebus jure proprietario a se possessis, atque etiam ex altero fisco nostro appellatum Vindrinio, alium servum nostrum, qui Vintgarius dicitur, tribuere, ut eis nostræ auctoritate misericordiæ jure proprietario uti & dominari prævaleat. Firmitatis autem gratia hos imperiales apices nostros ei fieri jussimus, per quos decernimus, ut sæpe dictam villam cum omnibus ad eam jure & legaliter pertinentibus, videlicet ecclesia inibi constructa, domibus, aliisque ædificiis, terris cultis & incultis, silvis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, molendinis, exitibus & regressibus, mancipiis desuper commanentibus, vel ad eam in quocumque loco jure adspicientibus vel pertinentibus, totum & ad integrum, sicuti in præcepto dudum a nobis illi facto continebatur, cum prænominatis mancipiis deinceps jure proprietario teneat atque possideat, & quicquid de eis facere voluerit, liberam habeat potestatem, neque illi quicquam supradictorum turbinum defectio atque conspiratio deinceps obsistat, quin quod nostræ misericordiæ munere sibi conlatum est, quiete valeat possidere, vel quicquid jure proprietario faciendum decreverit, propria dominatione pro suo libitu perfrui. Et ut hæc nostræ restitutionis atque largitionis auctoritas semper inconvulsa valeat manere, manu propria subter eam firmavimus, & anuli nostri impressione adsignari jussimus.

Signum HLUDOWICI serenissimi imperatoris.

HIRMINMARUS notarius ad vicem HUGONIS recognovit.

Data VI. cal. Julii, anno Christo propitio XXVI. imperii domni Hludowici piissimi augusti, indictione II.

Actum Wormatia civitate, in Dei nomine feliciter. Amen.

PRÆCEPTUM LOTHARII imperatoris pro monasterio Elnonensi.

Barisiacum cellam Elnonensi monasterio confirmat.

Anno 840. *Ex cartario Elnonensi.*

IN nomine Domini nostri JESU CHRISTI æterni. HLOTARIUS divina ordinante providentia imperator augustus. Si postulationibus fidelium nostrorum justis & rationabilibus divini cultus amore favemus, id nobis procul dubio ad æternam beatitudinem profuturum liquido credimus. Idcirco notum esse credimus cunctis fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ & nostris, tam præsentibus quam futuris, quia ADALEOLDUS, vir venerabilis abba monasterii S. Amandi, nostris offerre obtutibus studuit quoddam præceptum confirmationis domni & genitoris nostri recolendæ memoriæ LUDOVICI ac nostrum, in quo continebatur, qualiter memoratus abba ac monachi ex prædicto monasterio domnum serenissimum imperatorem genitorem nostrum, missa petitione, suis consulentes necessitatibus imploraruntur, quatenus villam quam pridem CHILDERICUS rex prædictæ ecclesiæ ob communem inibi degentium fratrum commoditatem delegaverat in pago Laudunense, quæ olim Barisiacus nominabatur, sed propter basilicæ constructionem, cellæ illi nomen est inditum, quæ etiam propter insolentiam rectorum a potestate memorati monasterii subtracta habebatur, ejus delegatione memorato restitueretur monasterio, quod domnus genitor noster libenter annuit; sed & nos permoti precibus genitoris concessionem confirmare delegimus. Verum nunc abundantiori precatu idem ADALEODUS ab-

(a) Hujus Richardi meminit Theganus in vita Ludovici Pii c. 47. ubi dicitur *Richardus perfidus*. Verum hactenus ignoraverunt viri eruditi eum fuisse imperatoris ostiarium: Eum illustrem comitem vocat in diplomate mox referendo Lotharius, ubi Bivini illius fratris meminit.

ba nostram expetiit clementiam, ut quia A memoratam villam nostris auctoritatibus præfato monasterio constabat esse confirmatam, eædem assertiones nostra sancirentur auctoritate, quatenus deinceps absque ullius subtractione vel etiam diminoratione memorata villa cum omnibus sibi aspicientibus, in jure jam dictæ ecclesiæ fratrumque inibi Domino militantium necessitatibus consulendis solemniter persistere possit. Nos vero ejus suggestionem ad effectum perducere statuentes, hanc seriem nostrarum apicum pro studio majoris firmitatis erga memoratum monasterium fieri censuimus, B per eam præcipientes, ut omni postposita tergiversatione, memorata villa cum omnibus suis appendiciis in jure præfati monasterii ob fratrum inibi consistentium stipendia augenda, abhinc ut priores patefaciunt auctoritates perenniter perseveret, faciantque rectores ejusdem monasterii de ea vel in ea, prout fratrum poposcerit utilitas, quatenus pro nobis, conjuge, proleque nostra, ac stabilitate totius imperii nobis commissi divinitus omnipotentis misericordiam attentius eos exorare delectet. C Et ut hæc nostræ confirmationis auctoritas firmior habeatur, & per futura tempora diligentius conservetur, manu propria subter confirmavimus, & anuli nostri impressione adsignari jussimus.

Signum LOTHARII serenissimi augusti.

EICHARDUS ad vicem AGILMARI recognovi.

Data VI. Octobris, anno Christo propitio imperii domni HLOTARII pii imperatoris in Italia XXI. in Francia I. indictione III.

D Actum Vern. palatio regio, in Dei nomine. Amen.

DONATIONES VARIÆ factæ S. Victori a Sigofrido & Erleuba ejus uxore.

Anno 841. Ex cartario S. Victoris eruit domn. Turnerius.

FActa legibus donatio instar optinet pocessionis. Priscorum itaque decrevit auctoritas, ut quicquit alter alteri tradiderit, scripturis signet dispositis, & testibus roboratis, ut quicquit unusquisque perceperit pocessu, traditio præsentibus E futurisque temporibus ad possibilitatem prosit in augmentum. Igitur cum animarum salute communis tractaretur utilitas, placuit domno SIGOFRIDO & uxori suæ ERLEUBÆ, cogitantibus de suis animabus, & cupientibus cœlorum regna conscendere. In Dei omnipotentis nomine concedunt, id est, dant, donant, atque præsentibus tradunt prædictus Sigofridus & uxor sua Erleuba, ad ipsam casam Dei S. Victoris, atque monasterio ipsius terras sui juris, id est in suburbio Massiliense villam quæ dicitur Carvilianus, id est casis astantibus ac dirutis, terris cultis & incultis, vineis, pratis, pascuis, silvis, montibus, (a) garillis, hortis, pascuis, arboribus pomiferis & impomiferis, aquis, aquarumve decursibus, accessisque omnibus cum omni integritate absque ulla diminutione, vel quicquit ibidem visi sunt habere vel possidere. Similiter donant in pago Aquense seu Exuense villam quæ dicitur Postemana, cum terris cultis & incultis, vineis, hortis, pratis, pascuis, silvis, montibus, garricis, arboribus pomiferis & impomiferis, aquis, aquarumve decursibus, accessisque cum omni integritate, absque ulla diminutione, vel quicquid ipsi ibidem visi sunt habere vel possidere. Similiter donant ad ipsam casam Dei S. Victoris in pago Forojuliense in loco ubi dicitur Aqua frigida, seu & Siniaco, quicquit ipsi ibidem visi sunt habere vel possidere, id est, tam casis astantibus, quam & dirutis, terris cultis & incultis, vineis, pratis, pascuis, silvis, montibus, garricis, arboribus pomiferis & impomiferis, aquis, aquarumve decursibus, accessisque omnibus sub omni integritate, absque ulla diminutione. Insuper donant in pago Forojuliense, in loco qui dicitur Borba, quicquit visi sunt habere vel possidere, id est casis astantibus ac dirutis, terris cultis & incultis, vineis, pratis, pascuis, silvis, montibus, garricis, arboribus pomiferis & impomiferis, aquis, aquarumve decursibus, accessisque omnibus cum omni integritate, absque ulla diminutione, qualiter ab ipsis pocessum vel dominatum fuit, taliter in omnibus ipsi tradiderunt ad ipsam casam Dei S. Victoris. Similiter dant, donantque, in præsenti tradunt monasterio S. Victoris terras sui juris prædictus Sigofridus & uxor sua Erleuba in pago Aquense seu Exuense, villam quæ dicitur Bedata, super fluvium Durentiæ, cum capella in honore S. Marcellini, casis astantibus ac dirutis, campis cultis & incultis, vineis, pratis, pascuis, silvis, montibus, garricis, arboribus pomiferis seu & impomiferis, aquis, aquarumve decursibus, accessisque omnibus, vel quicquid in omnibus ad ipsam villam pertinere videtur, cum introitu vel exitu suo, ut omni tempore, sicut ab ipsis possessum est, vel dominatum fuit, ita monachi teneant & possideant, qualiter ad ipsam casam Dei, sancti videlicet Victoris fiat in augmentum possessionis, & post eorum obitum sit eorum animabus in remissionem peccatorum. Sane si quis, nos aut nostri parentes hoc repetere voluerint, hoc quod repetunt, vindicare non valeant, sed a liminibus sanctæ ecclesiæ alieni existant, & inantea hæ perpetuo donationes firmæ stabilesque permaneant. Facta dona-

(a) Garrillas seu Garricas interpretantur terras incultas.

tio hæc VIII. calendas Julii anno I. domno Hlotario imperante.

Signum † Sigofredus, qui hanc cartam donationis fieri jussit, & testibus ad roborandum tradidit manu sua factum.

Signum † Erleuba uxore sua, quæ consensit.

Signum † Noddaldo teste.

In Dei nomine Balbo diaconus consensit & subscripsit.

In Dei nomine Constantius subdiaconus consensit.

Amentius rogitus firmavit & ss. Elefantius rogitus ss. Alexandrius rogitus subscripsit.

Signum † Teuhtpaldo teste, Wadaldus rogitus. Signo † Noratano teste, Signum † Teuthoni teste, Gauderanus rogitus firmavit, Odilo rogitus firmavit, Rodoardus rogitus firmavit. Signum † Ingilrico teste, Rodearius rogitus firmavit, Antoninus rogitus firmavit, Widerannus rogitus firmavit.

PRÆCEPTUM QUOD HLOTARIUS imperator fieri jussit de rebus Richardi per Bivinum traditis monasterio Prumiensi.

Anno 842. *Ex cartario Prumiensi.*

IN nomine Domini nostri JESU CHRISTI Dei æterni. HLOTHARIUS divina ordinante providentia imperator augustus. Si petitionibus servorum Dei in quibuslibet necessitatibus libenter aurem accommodamus, id nobis procul dubio ad æternam beatitudinem pertinere confidimus. Idcirco notum sit omnibus fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ & nostris, tam præsentibus quam & futuris, quia vir venerabilis MARCUARDUS abba ex monasterio Prumia, quod est situm in finibus Arduennæ, constructum in honore Domini & Salvatoris nostri JESU CHRISTI, missa petitione per Reinhardum præpositum & Gerungum monachum aliosque fratres ejusdem monasterii, innotuit celsitudini nostræ, qualiter RICHARDUS quondam comes illuster pro remedio animæ suæ res suas proprias ad jam dictum monasterium per BIVINUM fratrem suum & GERARDUM & BASINUM, qui & TANCRADUS comites tradere fecisset. Et non solum res ex qualibet legali adquisitione advenientes, verum etiam & quamdam villam in pago Arduennensi sitam, quæ dicitur Villantia cum sua integritate, quam piæ memoriæ domnus & genitor noster HLUDOWICUS imperator per præceptum largitionis suæ eidem Richardo confirmaverat, nostramque mansuetudinem petierunt humiliter, ut super eamdem traditionem nostræ auctoritatis præceptum fieri juberemus. Quorum petitionibus propter nomen Domini, ejusdemque Richardi animæ remunerationem denegare noluimus: sed sicut petierunt, libenter & præsentes & futuri sanctæ Dei ecclesiæ & nostri fideles in omnibus nos confirmasse cognoscant. Quapropter hoc præceptum nostrum eis fieri libuit, per quod cunctis fidelibus nostris jubemus atque præcipimus, ut nullus de jam dictis rebus in futurum memorato abbati MARCUARDO ejusdemque monasterii rectoribus vel ministris deinceps ullam commotionem, aut contrarietatem, vel aliquam calumniam præsumat inferre; sed potius secundum ejus dispositionem ac largitionem ejus, ut diximus, ministri eorum quicquid ex eisdem rebus pro utilitate jam fatæ ecclesiæ disponere & ordinare voluerint, liberam & firmissimam in omnibus habeant potestatem faciendi quicquid elegerint. Et ut hoc nostræ auctoritatis præceptum inconvulsam & stabilem futuris temporibus obtineat firmitatem, manu propria subter firmavimus, anulique nostri impressione signari jussimus.

Signum HLOTHARII serenissimi imperatoris.

FIRMANDUS notarius ad vicem AILEMARI recognovit.

Data II. idus Novembris, anno Christo propitio regni domni Hlotharii in Italia XXII. & in Francia imperii III. indictione V.

Actum Theodonis palatio regio, in Dei nomine feliciter. Amen.

PRÆCEPTUM DOMNI HLOTHARII super rebus Alpcarii.

Anno 842. *Ex cartario Prumiensi.*

IN nomine Domini nostri JESU CHRISTI Dei æterni. HLOTHARIUS divina ordinante providentia imperator augustus. Dignum est ut imperialis majestas fidelium suorum petitionibus, qui ei rite ac sincera obsequuntur devotione, libenter adnuat & effectum concedat, quatenus faciendo eorum animos in suis semper reddat promtiores obsequiis. Idcirco omnium fidelium sanctæ Dei ecclesiæ ac nostrorum tam præsentium quam & futurorum comperiat magnitudo, quia quidam fidelis noster Alpcarius nomine, nostram deprecatus est excellentiam, ut aliquantum ex rebus juris nostri illi ad proprium concederemus. Cujus deprecationem ob sui devotionem servitii adsensum præbentes, hoc celsitudinis nostræ præceptum fieri decrevimus, per quod memorato Alpcario in pago Moslinse, in villa videlicet Burias, mansos tredecim, & in Duoloco in villa Leffenza mansos duos, & in villa Suminga mansum unum, & in Hessingas mansos sex, & in villa quæ vocatur Suminga mansum unum, & in Hessingas mansos sex, & in villa quæ vocatur Hoinbringas mansos duos, in co-

mitatu Wabrinse, in villa cujus vocabulum est Hrotkinsingas mansum unum, jure proprietario ad habendum tribuimus. Hos itaque xxv. mansos cum omnibus pertinentiis eorum, cum terris videlicet, campis, cultis & incultis, vineis, silvis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, exitibus & regressibus, nec non & mancipiis utriusque sexus ibidem pertinentibus, vel quantumcumque inibi juste & legaliter pertinere dinoscitur, totum & ad integrum de jure nostro in jus ac dominationem prædicti Alpcarii perenniter mansurum transfundimus, ita ut ab hodierno die quicquid exinde facere decreverit, liberam in omnibus per hanc nostram auctoritatem potiatur faciendi facultatem quicquid elegerit, vel voluerit. Sicut & de reliquis hereditatis suæ rebus, absque alicujus contradictione vel repetitione seu qualibet refragatione. Ita tamen ut nusquam a nostra discedat fidelitate: sed immobiliter in nostris perseveret obsequiis absque aliqua tergiversatione. Et ut hæc nostræ donationis atque largitionis auctoritas firma atque inviolabilis per futura maneatque tempora, manu propria subter firmavimus, & anuli nostri impressione adsignari jussimus.

Signum Hlotharii serenissimi augusti. †

Ercamboldus notarius ad vicem Eilmari recognovit.

Data nonis Februarii, anno Christo propitio imperii domni Hlotharii piissimi augusti in Italia xxiii. & in Francia iii. indictione v.

Actum Aquisgrani palatio, in Dei nomine feliciter. Amen.

DIPLOMA LOTHARII imperatoris pro Eschone comite.

Quædam prædia ei donat in comitatu Bunnensi.

Anno 844. Ex mss. Corbeia nova.

In nomine Domini Jesu Christi Dei æterni. Hlotharius divina ordinante providentia imperator augustus. Oportet imperialem sublimitatem, ut fidelium suorum justis ac rationabilibus petitionibus pietatis suæ aurem accommodet, & effectum concedat, quatinus id faciendo eorum animos in suo semper obsequio reddat promtiores. Idcirco omnium fidelium sanctæ Dei ecclesiæ ac nostrorum præsentium videlicet ac futurorum comperiat magnitudo, quia Esich fidelis comes noster deprecatus est nostram clementiam, ut aliquantum ex rebus juris nostri, quibus ipse ordine possidebat beneficiario, ad proprium concederemus; ac per præceptum traderemus. Cujus deprecationem ob suæ fidelitatis devotionem libenter annuentes, hos excellentiæ nostræ apices fieri decrevimus, quibus jam dicto Esichoni in pago Riboariense, in comitatu Bunnensi, in villa Castenacha mansos octo in beneficio suo cum omnibus pertinentiis eorum, id est, cum terris, campis cultis & incultis, vineis, silvis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, exitibus & regressibus, nec non & mancipiis utriusque sexus ibidem pertinentibus ad proprium tribuimus, & de jure nostro in jus & donationem ipsius perenniter mansurum transfundimus, ut faciat exinde, potissima a nobis percepta licentia, quicquid elegerit vel voluerit, sicut & de reliquis proprietatis suæ rebus, absque cujuslibet potestatis contradictione, vel repetitione, seu qualibet refragatione, ita tamen ut nusquam a nostra discedat fidelitate, sed immobiliter in nostris perseveret obsequiis, absque aliqua tergiversatione. Et ut hæc nostræ largitionis auctoritas inviolabilem obtineat firmitatem, manu propria subter eam firmavimus, & anuli nostri impressione adsignari jussimus.

Signum Hlotharii serenissimi augusti.

Remigius notarius ad vicem Egilmari recognovi.

Data xiii. calendas Aprilis, anno Christo propitio imperii domni Hlotharii pii imperatoris in Italia xxiiii. in Francia iiii. indictione vii.

Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

DIPLOMA HLOTARII imperatoris pro monasterio Corbeiensi.

Confirmat monasterio Corbeiensi factam donationem a comite Esichone.

In nomine Domini nostri Jesu-Christi Dei æterni, Hlotharius divina ordinante providentia imperator augustus. Si unius fidelis nostri justam & rationabilem petitionem libenter implemus, procul dubio reliquorum fidelium nostrorum devotionem erga nos promtiorem efficimus. Quapropter omnium fidelium sanctæ Dei ecclesiæ nostrorumque præsentium & futurorum noverit universitas, quia Esich vir illuster comes nostram deprecatus est pietatem, ut res sibi in pago Ribariensi in comitatu Bunnensi, in villa Chestinaga, a nostra munificentia adtributas, quas ipse pro remedio animæ ejus ad monasterium in Saxonia situm, Corbeia vocabulo, quod est constructum in honore B. Stephani protomartyris Christi, delegavit, per nostræ mansuetudinis præceptum confirmaremus. Cujus precibus libentissime annuentes, hos excellentiæ nostræ apices fieri statuimus, per quos memoratas res una cum manci- Anno 844. Ex mss. Corbeia nova.

piis inibi pertinentibus in prædicto pago, A & in jam dicta villa consistentes, ad præfatum monasterium Corbeiæ & ecclesiam S. Stephani confirmavimus, quatenus sicuti a præscripto fideli comiti nostro Esichoni traditæ & delegatæ fuerunt, ita pars ejusdem loci sancti deinceps absque cujuspiam potestatis contradictione vel inquietudine teneat & possideat, faciatque exinde quicquid utilitas dictaverit. Et ut hæc nostræ confirmationis auctoritas inviolabilem obtineat firmitatem, de anulo nostro subter jussimus sigillare.

Hrodmundus notarius ad vicem Hilduini recognovi. B

PRÆCEPTUM CAROLI CALVI regis pro Turonensi S. Martini ecclesia.

Confirmat ei Cruciacum villam, conceditque ut decedentes canonici mansionem suam cui libuerit, derelinquere possint, utque in adventu regis nullus in monasterio mansionem accipere præsumat.

Anno 845. Ex cartario S. Martini.

IN nomine Domini & Salvatoris nostri C Jesu Christi. Karolus gratia Dei rex. Cum justis petitionibus sacerdotum servorumque Dei, quas nostris auribus innotuerint, libenter annuerimus, & eas cum Dei auxilio ad effectum pervenire fecerimus, non solum regiam consuetudinem exercemus, verum etiam hoc nobis procul dubio tam ad statum terreni regni corroborandum, quam ad æternæ vitæ beatitudinem capessendam, profuturum esse confidimus. Idcirco notum fieri volumus omnibus sanctæ Dei ecclesiæ, præsentibus scilicet & futuris, quia venerabilis congregatio B. Martini peculiaris nostri adiit dig- D nitatem excellentiæ nostræ, petens supplex pro honore Domini nostri Jesu Christi, & amore S. Martini patroni nostri, sive salute animæ, ut sublimitas mansuetudinis seu largitatis nostræ dignaretur eis regali auctoritate præceptionis perpetuo confirmare Cruciacum villam, nec non, si dies vocationis alicui ex fratribus evenerit, mansionem quam habet, cui voluerit ex fratribus derelinquere possit, atque in adventu cujuslibet regis nullus ex suis hominibus in monasterio mansionem accipere præsu- E mat. Nos quoque salubri suggestione permoti, simul & interventu venerabilium virorum ad hoc perficiendum commoniti, hoc nostræ auctoritatis præceptum fieri ac dari decrevimus, per quod constituimus, perenniterque firmum fore decrevimus, villam Cruciacum cum omni integritate suisque adjacentiis sitam in pago Pictavo, & medium factam in villa Restiadica deponenda quæ exierint de Curciaco villa eisdem fratribus, quam olim genitor noster pia recordationis domnus Ludovicus ad habendum cappas concesserat. Similiter si quando alicui ex fratribus dies migrationis ex hoc sæculo evenerit, mansionem quam ipse fecit, aut quoquo modo habet, cui libuerit tantum ex fratribus derelinquere queat, sine aliqua contradictione abbatis ejusdem temporis, aut præpositi, vel certe decani. Insuper etiam quando quilibet rex ad limina B. Martini venerit orandi gratia, moramque quamlibet ibi fecerit, nullus ex ejus hominibus in eodem monasterio mansionem alicujus fratris accipiat, licentiamque accipiendi habeat, nec quilibet laicus in eodem monasterio mansionem habere possit, quatinus ipsi Dei servi melius liberiusque Deo famulari queant, sicut tempore genitoris mei, nec non avi ceterorumque regum sine impedimento hujus molestiæ facere. Sed hæc omnia in honore loci & cumulum mercedis nostræ pro amore Dei, & ob reverentiam S. Martini per hanc nostræ præceptionis auctoritatem, more præcedentium firma & stabilia sine mutatione aliqua, opitulante Deo, omni tempore permanere valeant. Unde monemus omnes obnixe supplici voce, qui nobis in regno a Deo commisso successuri sunt, sicut illorum statuta a suis successoribus conservari velint: ita in omnibus hanc nostri præcepti institutionem immutabiliter perpetuis temporibus conservare studeant ad illorum & nostram communem utilitatem seu salutem. Et ut hoc præceptum nostræ auctoritatis firmius habeatur, veriusque a nobis credatur editum, & per futura melius conservatum, ipsum propria manu subter firmavimus, & anulo nostro insigniri jussimus.

Signum Karoli gloriosissimi regis.

Bartholomæus notarius ad vicem Ludovici recognovit.

Data nonas Januarii, anno v. regnante Karolo gloriosissimo rege, indictione vii.

Actum Turonis in monasterio S. Martini in Dei nomine feliciter. Amen.

PRÆCEPTUM CAROLI CALVI regis pro Turonensi S. Martini ecclesia.

Confirmat concessas ad fratrum stipendia villas a patre & avo suo, vetatque ne Turonensis episcopus dominandi in ecclesiam S. Martini sibi assumat licentiam.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Carolus gratia Dei rex. Si locis Deo dicatis quiddam honoris conferimus, & Deo in iis famulantium pacis & tranquillitatis curam gerimus, & ad ministerium suum liberius exequendum opem ferimus, hoc nobis procul dubio ad statum præsentis regni corroborandum, & ad peren-

Anno 845. Ex cartario S. Martini.

nis vitæ beatitudinem capessendam profuturum esse non ambigimus. Quapropter notum fieri volumus omnibus sanctæ Dei ecclesiæ fidelibus, & nostris præsentibus atque futuris, quia fratres ex congregatione sancti Martini obtulerunt excellentiæ celsitudinis nostræ auctoritatem genitoris nostri, in qua continebatur quomodo ipse eis concessit villas ad eorum stipendia pertinentes, secundum deprecationem FREDEGISI quondam abbatis ipsius sancti loci, in quo beatus Martinus corpore requiescit, deprecatique sunt, ut secundum quod continebatur in auctoritatem genitoris nostri, & nos eis auctoritatem ex nostra potestate regali fieri juberemus, per quam ipsas villas quieto ordine ad eorum stipendia & usus absque ullius inquietudine tenere & possidere potuissent, cum omni integritate diuturnis temporibus ad servitium omnipotentis Dei vel beati Martini uberius peragendum, & pro nobis etiam & genitori nostro, ac insigni prosapia clementiam Dei exorare liberius potuissent. Quorum petitionibus libenti animo acquievimus, nostris etiam futurisque temporibus mansurum esse volumus, videlicet ut villas, quæ a genitore nostro suggerente FRIDEGISO quondam abbate, illis ad eorum stipendium vel sumtus nostros concessæ sint, tenere & possidere, absque ullius inquietudine, remota totius judiciariæ potestatis inquietudine, Domino opem ferente, valeant, vel etiam sicut tempore avi nostri bonæ memoriæ CAROLI invictissimi augusti fuit, & sicut ab illustribus viris AUTLANDO, VULFARDO, & ITHERIO olim ejusdem loci abbatibus, Domino ministrante, dispositum est, ad eorum stipendia & sumtus, deinceps nec nos, nec ullus ipsius loci rector, quicquam ex ipsis villis abstrahere vel minuere præsumat, nullius sæculi inquietudinibus præpedientibus, nec hostilitatibus arma subripientibus. Volumus etiam ut tertia pars de reliquis villis, quæ in beneficio datæ sunt, ex volatilibus cum ovis eisdem fratribus ministretur. Decernimus etiam atque eisdem fratribus concedimus, qui & præsenti tempore ibi degere, & futuris temporibus ad inhabitandum & Deo deserviendum aggregari voluerint, & de omnibus quæ ad sepulcrum beatissimi patroni nostri sancti Martini a Deo timentibus afferuntur, tertiam partem accipiant ad necessitates sibi consulendas, exceptis de his vestimentis & speciebus quæ ad sepulcrum illius decoris & honestatis causa perpetuo retinendæ erunt. Cera autem & oleum ad luminaria in eadem ecclesia concinnanda decernimus retineatur. Statuentes ergo per hanc nostram auctoritatem præcipimus, ut nullus prælatorum aut rectorum hujus monasterii patroni nostri beatissimi Martini, hanc nostram concessionem atque statuta convellere, aut in alium modum immutare *præsumat, sed perennibus temporibus inviolabiliter ea conservent, & suis conservari faciant. Insuper etiam constituimus atque perenniter firmum ac stabile fore decernimus, ut in præfato monasterio sive fratribus ipsius loci primus episcopus Turonicæ sedis non plus dominari præsumat, aut licentiam dominandi habeat, aut aliquid certe novi introducat, seu quicumque ejusdem urbis successor extiterit, nisi sicut predecessores sui tempore avi ac genitoris nostri, atque tempore antecessorum nostrorum regum Francorum fecerunt; sed sub ipso eodemque modo charitatis atque dilectionis, cum memoratis fratribus in Deo vivat, absque qualibet novitatis aut inventionis propriæ molestia. Et ut hæc nostræ auctoritatis præceptio perpetuo conservetur, & a fidelibus Dei, & nostris verius credatur ac diligentius conservetur, manu propria subter firmavimus, & anuli nostri impressione firmari jussimus.

Signum CAROLI gloriosissimi regis.

BARTHOLOMÆUS notarius ad vicem LUDOVICI recognovi.

Data non. Januarii, anno quinto regnante domno Carolo gloriosissimo rege.

Actum Turonis in monasterio sancti Martini in Dei nomine feliciter. Amen.

PRIVILEGIUM LOTHARII imperatoris pro Folcardo abbate S. Maximini.

Confirmat Folcardo abbati S. Maximini quasdam donationes ei factas a Malfrido fideli suo.

IN nomine Domni nostri JESU CHRISTI Dei æterni. HLOTHARIUS divina ordinante providentia imperator augustus. Dignum est ut imperialis majestas procerum suorum rationabilibus precibus aurem suæ pietatis accommodet, & ad effectum perducat, quatenus in suis semper obsequiis eorum animos reddat efficaciores. Igitur omnium fidelium sanctæ Dei ecclesiæ ac nostrorum, præsentium scilicet & futurorum comperiat industria, quia MATFRIDUS fidelis ministerialis noster ad nostram accedens majestatem deprecatus est, ut cuidam fideli nostro FULCRADO nomine quasdam res nostræ proprietatis, in pago Eifensi consistentes concederemus ad proprium: cujus petitionem propter suæ fidelitatis meritum libenter adquiescentes, hos excellentiæ nostræ apices decrevimus fieri, per quos in memorato pago, in villa quæ Bettinga nominatur, jam fato Fulcrado mansum indominicatum unum ad quem pertinere noscuntur alii mansi VIII. quos

Anno 845. Ex cartario S. Maximini Trevirensis.

ipse prius beneficiario possedit munere cum eorum pertinentiis, scilicet cum ecclesia, domibus, ceterisque ædificiis, terris cultis vel incultis, silvis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, molendinum, exitibus & regressibus, mancipiis utriusque sexus & ætatis ad eos pertinentibus, nec non & cum reliquis appenditiis concedimus ad proprium & de nostro jure in jus ac dominationem illius transfundimus, ita videlicet ut quidquid ab hodierno die & deinceps ex eis facere, ordinare atque disponere voluerit, liberam in omnibus habeat potestatem, sicut & de reliquis hereditatis suæ rebus, ita dumtaxat in nostra inviolabiliter perseverans fidelitate. Et ut hæc nostræ largitionis auctoritas firmior habeatur, manu propria nostra subterfirmavimus & anuli nostri impressione adsignari jussimus.

Signum HLOTHARII serenissimi augusti.

HRODMUNDUS notarius ad vicem HILDUINI recognovi.

Data XIII. calendas Martii, anno Christo propitio imperii domni HLOTHARII pii imperatoris in Italia XXV. in Francia V. indictione VIII.

Actum Aquisgrani palatio, in Dei nomine feliciter. Amen.

PRÆCEPTUM QUOD FECIT domnus Karolus rex Nithado de Anapia.

Anno 845. *Ex cartario Prumiensi.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. KAROLUS gratia Dei rex. Regalis celsitudinis mos est, fideles suos donis multiplicibus atque honoribus ingentibus honorare & sublimare. Proinde nos ergo morem parentum, regum videlicet prædecessorum nostrorum sequentes, complacuit clementiæ nostræ quemdam fidelem nostrum nomine NITHADUM, de quibusdam rebus proprietatis nostræ honorare, atque in ejus juris dominationem liberalitatis nostræ gratiam conferre. Idcirco notum sit omnibus fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ & nostris præsentibus atque futuris, quia concedimus ad proprium jam fato fideli nostro Nithado quasdam res proprietatis nostræ, quæ sitæ sunt in pago Laudunensi, villa Hanapio, quas ipse prius per nostrum habuisse beneficium dinoscitur. Unde etiam præcellentiæ nostræ præceptum hoc fieri jussimus, per quod memoratas res sub ea integritate, sicut supra diximus, sicuti eas in supradicta villa vocabulo Hanapio per nostrum habuisse beneficium, id est omnium rerum cum summa integritate, cum ecclesia & domibus, ceterisque ædificiis, mancipiis utriusque sexus, tam inibi consistentibus, quam ibi pertinentibus, cum terris quoque cultis & incultis, vineis, pratis, silvis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, molendinis, exitibus & regressibus, sicut dictum est, ad prænominatam villam pertinere cognoscitur, prædicto Nithado integerrime ad proprium concedimus, & de nostro jure in jus ac dominationem illius solemni donatione transferimus, eo videlicet modo, ut quicquid ab hodierno die & tempore pro sua utilitate facere decreverit, liberam & firmissimam jure proprietario habeat in omnibus potestatem. Et ut hæc nostræ largitionis atque concessionis auctoritas pleniorem in Dei nomine obtineat firmitatem, manu nostra subter eam firmavimus, & anuli nostri impressione adsignari jussimus.

Signum KAROLI gloriosissimi regis.

BARTHOLOMÆUS notarius ad vicem HLUDOWICI recognovit.

Data XIIII. cal. Maii anno V. regnante KAROLO gloriosissimo rege, indictione VIII.

Actum Belvaco civitate, in Dei nomine feliciter. Amen.

PRÆCEPTUM KAROLI REGIS pro Prumiensi monasterio.

Prumiensis monasterii possessiones sub sua protectione suscipit.

Anno 845. *Ex cartario Prumiensi.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, KAROLUS gratia Dei rex. Cum petitionibus servorum Dei justis & rationabilibus divini cultus amore favemus, & eas cum Dei adjutorio ad effectum perducimus, superna nos gratia muniri non diffidimus. Proinde comperiat omnium fidelium sanctæ Dei ecclesiæ nostrorumque, præsentium scilicet & futurorum solertia, quia vir venerabilis MARCUARDUS Prumiensis monasterii abbas adiens serenitatem culminis nostri, postulavit nos, ut res memorati monasterii, quæ in regno nostro sitæ esse noscuntur, cum omnibus rebus & mancipiis, quæ præsenti tempore juste & legaliter pars memorati monasterii tenere vel possidere videtur, sub nostra defensione & immunitatis tuitione constitueremus. Cujus petitionem pro divini cultus amore assensum præbuimus, & hanc auctoritatem immunitatis nostræ circa memoratum monasterium fieri jussimus, per quam præcipimus atque jubemus, ut nullus judex publicus vel quislibet ex judiciaria potestate in ecclesias, aut loca, vel agros, seu reliquas possessiones, quas moderno tempore in quibuslibet pagis vel territoriis infra ditione regni nostri juste & legaliter pars memorati possidet monasterii, vel quæ deinceps divina pietas ibidem augeri voluerit, ad causas judiciario more audiendas vel discutiendas, aut freda exigenda, aut mansiones vel paratas faciendas, aut

fidejussores tollendos, aut homines ipsius monasterii injuste distringendos, nec ullas redibitiones vel inlicitas occasiones requirendas nostris futurisque temporibus ingredi audeat, vel ea quæ supra memorata sunt penitus exigere præsumat, sed liceat memorato abbati suisque successoribus res prædicti monasterii quieto ordine possidere vel ordinare, atque pro incolumitate nostra hac regni nostri stabilitate Domini misericordiam attentius exorare. Et ut hæc auctoritas nostris futurisque temporibus, Domino protegente valeat inconvulsa manere, manu nostra subter eam firmavimus, & anuli nostri impressione adsignari jussimus.

Signum KAROLI gloriosi regis.

BARTHOLOMÆUS notarius ad vicem HLUDOUVICI recognovit.

Data II. idus augusti, anno VI. regnante Karolo glorioso rege, indictione VIII.

Actum Mediana villa, in Dei nomine feliciter. Amen.

DIPLOMA CAROLI CALVI regis Francorum pro Turonensi S. Martini ecclesia.

Immunitates a priscis regibus concessas confirmat.

Anno 845. *Ex cartario S. Martini.*

IN nomine Domini & Salvatoris nostri JESU-CHRISTI, CAROLUS divina ordinante providentia rex Francorum. Si petitionibus servorum Dei pro quibuslibet ecclesiasticis necessitatibus aures nostras pulsantium libenter annuimus, & ad divinæ potentiæ in locis Deo dicatis uberius famulandum auxilium porrigimus; id nobis procul dubio & ad mortalem vitam temporaliter deducendam, & ad futuram feliciter obtinendam, commodum provenire confidimus. Notum igitur esse volumus cunctis fidelibus nostris, episcopis videlicet, abbatibus, virisque illustribus, ducibus, comitibus, domesticis, grafionibus, vicariis, centenariis, eorumque minoribus, nec non missis nostris per universum imperium nostrum discurrentibus, seu etiam ceteris fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ nostrisque, præsentibus scilicet & futuris, quia adiit serenitatem culminis nostri venerabilis vir VIVIANUS rector monasterii peculiaris patroni nostri sancti Martini, ubi ejusdem præclarissimi venerabile corpus requiescit, ferens in manibus immunitates priscorum regum Francorum, nec non avi nostri domni CAROLI quondam imperatoris, seu etiam piæ recordationis domni & genitoris nostri LUDOVICI serenissimi imperatoris, quibus idem monasterium quiete in Dei servitio degere sanxerunt, ut omnes res præfati monasterii in universo, Christo largiente, regno suo existentes, consistentesque non solum ab orthodoxis principibus, verum etiam a ceteris fidelibus collatæ, vel per quoslibet contractus & munimina cartarum in jure ejusdem legaliter traditæ sunt monasterii, sub immunitatis suæ defensione consistere, & ab omni publica functione, & judiciaria exactione immune liberumque reddidissent, quod munus eidem monasterio exhibitum, Deo annuente, inviolabiliter hactenus constat esse conservatum, pro firmitatis namque studio hujusmodi beneficium erga præfatum venerabile monasterium nostra auctoritate humiliter precantibus, quibus valuit fieri postulavit. Cujus petitionem ob amorem Dei & venerationem beatissimi Martini libenter assensum præbere nobis usquequaque placuit. Quapropter volumus atque decernimus, ut omnes res ejusdem monasterii, quæ sitæ sunt in regno nostro, cum omnibus sibi subjectis, sub nostræ defensionis munimine modis omnibus consistant. Præcipientes ergo jubemus, atque præcipimus, ut nullus judex publicus, aut quilibet superioris aut inferioris ordinis reipublicæ procurator, ad causas judiciario more audiendas, in ecclesias, aut villas, seu reliquas possessiones, quas moderno tempore in quibuslibet primitiis aut territoriis imperii nostri juste & legaliter tenet, vel deinceps in jure ipsius monasterii divina pietas voluerit augeri, ingredi præsumat, nec fræda, aut tributa, aut mansiones, aut paratas, aut teloneum, aut mansionaticum de mansionibus in burgo sitis, sicut in præcepto domni & genitoris nostri continetur, agnoscere, aut fidejussores tollere, aut homines, tam ingenuos quam servos super terram ipsius monasterii commanentes distringere, nec ullas publicas functiones aut redibitiones, vel illicitas occasiones requirere, quibus idem monasterium, sibique subjecti aliquod injuste patiantur incommodum, nostris futurisque temporibus, quisquam tam temerarius existat, qui id faciendi illicitam sibi potestatem attribuere audeat. Quicquid ergo de præfati ejusdem monasterii rebus in jus fisci cedendum fuit; & a decessoribus nostris comperimus collatum, & largitionis nostræ munere libenter volumus esse eidem monasterio concessum, ut id remoto fisci dominatu ad luminaria basilicæ beati Martini concinnanda, & ad sustentationem pauperum seu clericorum in eodem loco Deo deservientium sit supplementum. Si quis autem in tantam perrumpere audaciam ausus fuerit, ut hujus præcepti nostri violator existat, quemadmodum in præceptionis domni genitoris nostri continetur, non solum in offensam nostram lapsurum, verum etiam DC. solidorum auri ad purum excocti

coacti se noverit pœna mulctandum, ex qua duas partes rectores memorati monasterii, tertiam vero jus fisci recipiat, dignum namque justumque est, ut tot priorum regum decessorum nostrorum nostrique præcepti violator hujusmodi subeat pœnam, ut a se tantæ temeritatis merito argui cognoscat, & ceteris ne id agere quolibet ausu pertentet, timorem incutiat, ut nullus scilicet beneficia regalia locis Deo dicatis veneranter exhibita temerare conetur. Volumus itaque atque decernimus, ut remota totius judiciariæ potestatis inquietudine, quieto ordine memoratus abba, suique successores res præfati monasterii cum omnibus sibi subjectis, vel ad se aspicientibus, seu pertinentibus hominibus, sub immunitatis atque protectionis nostræ defensione consistant, nostroque fideliter parentes imperio, pro incolumitate nostra, conjugis & prolis, seu etiam imperii a Deo nobis collati, ejusque gratissima miseratione perpetuo conservandi, una cum clero sibi commisso Dei immensam clementiam jugiter exorent. Et ut hæc auctoritas inviolabilem obtineat effectum, & a fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ & nostris verius credatur ac diligentius conservetur, manu propria subter firmavimus, & anuli nostri impressione signari jussimus.

Signum Caroli gloriosissimi regis.

Jonas diaconus ad vicem Ludovici recognovi.

Data VI. kalendas Januarii, anno VI. indictione VIII. regnante Carolo gloriosissimo rege.

Actum in monasterio sancti Martini, in Dei nomine feliciter. Amen.

PRÆCEPTUM DOMNI HLOTHARII GLORIOSISSIMI AUGUSTI.

De commutatione inter Hetti archiepiscopum Trevirensem, & Marcuardum abbatem Prumiensem.

Anno 846. *Ex cartario Prumiensi.*

In nomine Domini nostri Jesu Christi Dei æterni, Hlotharius divina ordinante providentia imperator augustus. Dum utilitatibus sanctæ Dei ecclesiæ pio favore consulimus, morem exsequimur prædecessorum nostrorum, idque ad profectum totius imperii a Deo nobis commissi congruere haudquaquam diffidimus. Proinde noverit omnium sanctæ Dei ecclesiæ nostrorumque fidelium, præsentium scilicet & futurorum prudens solertia, quia venerabilis Marcuardus abba Prumiensis monasterii suggessit mansuetudini nostræ humiliter implorans, ut commutationem quamdam, quam pro communi utilitate cum archiepiscopo Trevirensis ecclesiæ, per licentiam nostræ auctoritatis inter se fecerunt, præcepto serenitatis nostræ corroboraremus. Dedit igitur jam dictus venerabilis abba Marcuardus ex rebus S. Salvatoris venerabili Hetti (a) archiepiscopo *Ekkilcvicstroth*, & de terra pro recompensatione hujus rei recepit de manu & potestate jam dicti archiepiscopi Hetti ex jure proprietatis suæ quemdam porprisum locum, qui dicitur *Scindalasheim*, juxta Caldebrunnam, cum omnibus finibus suis & adjacentiis, ea scilicet ratione, ut deinceps utraque pars quod accepit, habeat, teneat, atque possideat, & quidquid legaliter exinde facere voluerit, libero inde in omnibus perfruatur arbitrio faciendi quidquid elegerit: ita ut ultra nequaquam a die præsenti & deinceps his commutationibus neuter umquam repetere, nec aliquam calumniam generare præsumat. Et ut hoc nostræ auctoritatis præceptum per futura tempora firmum & inviolabilem obtineat vigorem, manu nostra subter firmavimus, & anuli nostri impressione adsignari jussimus.

Signum Hlotharii serenissimi augusti.

Ercamboldus ad vicem Hilduini recognovit.

Data kal. Januarii, anno Christo propitio imperii domni Hlotharii piissimi augusti in Italia XXVI. in Francia VI. indictione VIIII.

Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

PRÆCEPTUM DOMNI Hlotharii serenissimi augusti pro Prumiensi monasterio.

Quædam prædia concedit pro ecclesiæ luminaribus.

Anno 846. *Ex cartario Prumiensi.*

In nomine Domini Jesu-Christi Dei æterni, Hlotharius divina ordinante providentia imperator augustus. Si ecclesias Dei nostris extollamus beneficiis, eorumque sedulo consulimus utilitatibus, morem prædecessorum nostrorum exsequimur, & ut nobis profici debeat in augmentum indubitanter speramus. Igitur omnium fidelium sanctæ Dei ecclesiæ nostrorumque, præsentium scilicet & futurorum, comperiat magnitudo, quia nos nutu divino inspirati pro remedio animæ nostræ, aliquantulum ex rebus juris nostri, id est mansos tres & dimidium sitos in pago Eiflia, in villa quæ dicitur *Geslicheshorph* super fluvium Nottinna, ad monasterium S. Salvatoris, quod Prumia antiquo nuncupatur vocabulo, cui

(a) Hunc ex abbate Epternacensi factum fuisse archiepiscopum Trevirensem scribunt Sammarthani, econtra breve chronicon Epternacense suo tempore edendum Sigoaldum abbatem quintum cessisse Hettino jam archiepiscopo Trevirensi regimen Epternaci cum nomine abbatis, ab anno scilicet 816, ad 818. quam proinde longe ante obitum dimisit.

Marcuardus abba præesse videtur, ad luminaria concinnanda, nostro tribuimus munere. Quo circa volumus modisque omnibus sanximus, ut ab hodierno die & per omne tempus præscripta mansa sita in memorato pago, & in præfata villa ad antedictum sanctum locum indesinenter deserviant cum omnibus ad se pertinentibus, vel aspicientibus, cum terris videlicet cultis & incultis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, silvis, molendinis, & cum mancipiis utriusque sexus, ita dumtaxat, ut per cuncta annorum curricula sine aliqua refragatione, nulloque contradicente in usibus sæpe dicti sancti loci cedant. Et ut hæc nostræ largitionis auctoritas firma & inviolabilis per futura maneat tempora, & a cunctis fidelibus imperii nostri diligentius conservetur, manu propria subter eam firmavimus, & anuli nostri impressione adsignari jussimus.

Signum Hlotharii serenissimi augusti.

Remigius notarius ad vicem Hilduini recognovi.

Data VIII. idus Decembris, anno Christo propitio imperii domni Hlotharii Pii imperatoris in Italia XXVII. & in Francia VII. indictione VIIII.

[a] Actum Flattana (a) palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

PRÆCEPTUM DOMNI HLOTHARII imperatoris S. Justinæ capellam Rotgario concedentis.

Anno 847. *Ex cartario Prumiensi.*

IN nomine Domini nostri Jesu Christi Dei æterni. Hlotharius divina ordinante providentia imperator augustus. Imperiali satis congruit excellentiæ, ut dum multorum studet profectibus, præcipue procerum suorum petitionibus aures libenter inclinet, easque ad effectum perducat, quatenus id agendo eorum animos in suo semper reddat ardentiores obsequio. Proinde notum sit universis fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ & nostris, tam præsentibus quam futuris, quod ad deprecationem dilecti ministerialis nostri Matfredi illustri comitis & Huberti venerabili abbati, concessimus cuidam fideli nostro, vasallo scilicet prædicti Matfredi illustri comitis, Rotgarius nomine, ob devotissimum famulatum seu obsequium in pago Riboriense, in comitatu Juliacensi, capellam juris nostri, quæ est dicata in honore B. Justinæ martyris Christi, quatenus eam cum omnibus ad eam pertinentibus diebus vitæ suæ teneat, & absque cujuspiam potestatis inquietudine possideat, sed pro majoris securitatis firmitatem, hos nostræ sublimitatis apices fieri decrevimus, quibus eidem Rotgario fideli nostro præscriptam S. Justinæ ecclesiam cum omnibus, sicut supra dictum est, ad eam pertinentibus, cum terris scilicet cultis & incultis, vineis, silvis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, molendinis, exitibus, regressibus, nec non & mancipiis utriusque sexus ibidem adjacentibus, concedentes tribuimus, & de jure nostro in jus & dominationem ipsius cunctis vitæ suæ diebus absque alicujus inquietudine transfundimus. Confirmamus etiam ad eamdem ecclesiam omnem decimam ex villa nostra Rodingave, quemadmodum temporibus prædecessorum nostrorum inibi data fuisse dinoscitur, ita inviolabiliter ut absque diminoratione deinceps sub integritate dissolvatur. De matriculariis quoque qui ex prædicta villa nostra Rodinga ad prædictam S. Justinæ capellam usque nunc deservierunt, quique etiam partem aliquam ex ipsa ecclesia accepisse noscuntur, statuimus ut nemo alius in eodem sancto loco matricularius vel particeps ab hinc in antea existat, nisi quem præfatus Rotgarius vel successores sui in ipso ordinaverunt loco. Et ut hæc nostræ auctoritatis concessio inconvulsa permaneat, & ab omnibus fidelibus nostris inviolabiliter observata fiat, propria manu subter eam firmavimus, & anuli nostri impressione adsignari præcepimus.

Signum Hlotharii serenissimi augusti.

Ercamboldus notarius ad vicem Hilduini recognovi.

Data nonas Maii anno Christo propitio imperii domni Hlotharii piissimi augusti in Italia XXVII. & in Francia VII. indictione IX.

Actum Aquisgrani palatio regio, in Dei nomine feliciter. Amen.

PRÆCEPTUM CAROLI CALVI regis pro B. Mariæ basilica Turonensi a sepulcro S. Martini non longe sita.

Quædam ei prædia in pago Silvanectensi concedit ad sepulturam pauperum.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Karolus gratia Dei rex. Quæcumque amore Dei & reverentia sanctorum locis divinis cultibus mancipatis, largitatis munere conferimus, profutura nobis ad æternam beatitudinem feliciter obtinendam, & ad præsentem vitam cum prosperitate transigendam, nullatenus dubitamus. Itaque notum sit omnibus sanctæ Dei ecclesiæ fidelibus & nostris, præsentibus atque futuris, quia pro redemtione peccatorum nostrorum, complacuit nobis quasdam res nostræ proprietatis, sitas in pago Silvanectensi conferre & delegare basilicæ non lon-

Anno 849. *Ex cartario S. Martini.*

(a) Nulla hujus regii palatii mentio in libro 4. de re diplomatica, in quo locum habere debet, si quando novis typis mandetur.

ge a monasterio sacratissimi patris Martini A sub honore sanctæ Dei genitricis MARIÆ, & sanctorum apostolorum Petri & Pauli, Johannis quoque Baptistæ, & S. Dionysii gloriosi martyris, nec non & B. Martini, aliorumque sanctorum constructæ sive fundatæ, & ad sepulturam pauperum fundatæ, simulque sacrosancto sepulcro antefati præclarissimi confessoris & patroni nostri Martini speciali adhæsione subjectæ. Sunt autem ipsæ res in præmisso pago sitæ, hoc est in villa * Balmiaco inter vineam & ædificia & gardinium bunuarium unum, de terra arabili bunuaria XXXV. silva bunuaria XXX. B Sunt etiam ibi hospitia tria, quorum unicuique appendent de terra arabili bunuaria VI. & aripenni II. In alio siquidem loco, id est inter montem Agibodi & locum qui dicitur Bragio de terra arabili sive mansionali & cultoribus bunuaria XXIII. & in Aniliaco de terra culta vel inculta bunuaria CXXXI. & de prato bunuaria VI. de silva bunuaria XXXVIII. Est etiam ibi mancipium unum Harigarius nomine, quod habet hospitium unum, unde prævidet eamdem sibi silvam commissam. Præterea in villa Bri- C tannorum mansellum unum, & de vinea aripennem unum, & inter vineas & terras arabiles bunuaria VIIII. & aripennem unum. In villa vero Rubrido inter mansuram & terram arabilem bunuaria X. & inter ea in villa Aniliaco de terra bunuaria duo & medium & mansuram unam, quæ habent plus minusve aripennem unum, & per diversa loca in ipso pago bunuaria VI. & medium. Has denique res præmissæ basilicæ ad sepulturam pauperum structæ & sacrosancto sepulcro B. Martini subjectæ pleniter conferimus, & regaliter delegamus, ut quicquid ex eis fieri aut exigi ecclesiastico jure D potest, ejusdem loci honestatibus & necessitatibus sive utilitatibus per omnia tempora præbeat, conferatque supplementum, & animæ nostræ prosit in adjutorium. Constituimus etiam ut ejus ordinatione eadem basilica cum omnibus sibi appendentibus, & his & aliis rebus agatur & disponatur, cui commissa omni tempore sæpe memorati sacrosancti sepulcri fuerit observantiæ obedientia, nullique aliquando has res aut alias ipsi basilicæ pertinentes in alios præter quam E dicimus, retorquere aut redigere liceat usus. Et ut hæc nostræ collationis auctoritas semper firmior habeatur, manu nostra eam subterfirmavimus, & de anulo nostro sigillari jussimus.

* Beaumont.

Signum KAROLI gloriosissimi regis.

ÆNEAS notarius ad vicem LUDOVICI recognovit.

Data III. idus Martii, indictione XII. in anno VIIII. regni KAROLI gloriosissimi regis.

Actum Carisiaco palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

PRÆCEPTUM CAROLI-CALVI regis pro Turonensi S Martini ecclesia.

Villam Antoniacum a Viviano & Ingeramo datam confirmat, statuitque ne deinceps canonicorum numerus CC. *excedat.*

Anno 849. *Ex cartario S. Martini.*

IN nomine Dei ac Salvatoris nostri JESU CHRITI, CAROLUS Francorum & Aquitanorum gratia Dei rex. Si locis Deo dicatis quiddam honoris conferimus, Deoque in his famulantium pacis ac tranquillitatis curam gerimus, & ad ministerium suum liberius exequendum opem ferimus, hoc nobis procul dubio ad statum regni nostri confirmandum, & ad perennis vitæ beatitudinem consequendum profuturum esse non dubitamus. Quapropter libuit nobis innotescere omnibus sanctæ Dei ecclesiæ fidelibus atque nostris, præsentibus scilicet sive futuris, quia devote retulit excellentiæ celsitudinis nostræ quidam regni nostri fidelissimus vir venerabilis vir VIVIANUS, (a) [*] nobisque merito amabilis, sicut simul secundum Deum INGERAMUS dedisse fratribus sancti Martini Antoniacum villam ad eorum armelansas, verum etiam instituisse pro commune eorumdem concilium CC. tantum esse in numero fratrum, vicenos singulis mansis. Insuper suppliciter deprecatus est sua & supradictorum fratrum vice, consuetudinariam pietatem mansuetudinis nostræ auctoritatem a nostra regali potestate fieri, per quam rationabile suum factum, tam in præsenti, quam in posterum, pro omnibus temporibus immutabiliter constaret firmissimum. Cujus dignissimæ petitioni a nobis salubri libenti animo acquievimus, præceptumque regiæ nostræ confirmationis fieri jussimus, per quod statuimus atque perenniter stabile in perpetuum decernimus, juxta prædecessorum regum more, ut præfata villa Antoniacus cum omni integritate, suisque appendiciis deinceps per omnia deserviat fratribus sancti Martini peculiaris patroni nostri, ad illorum annuatim vestimenta, excepto mensuali atque agrario in victu eorumdem jam dudum attributo. Similiterque in ordine congregationis CC. sint fratres, viceni singulis mansis, ac per hoc deinde nullus aggregatur, quousque ad hunc numerum perveniat ordo congregationis. Postea vero uno decedente in ejusdem locum succedat qui honestate vitæ, sapientiæ, morum, locum queat secundum canonicam auctoritatem tenere, quatenus servitium omnipotentis Dei liberius possit peragi, & beati Martini melius in cunctis conservari, etiam quoque eadem

(a) Hic Vivianus fuit abbas S. Martini & etiam Majoris-monasterii, fundavit cellam Cunaldum in dioceci Andegavensi pro monachis S. Philiberti, occisus in bello anno 851, quem Audradus modicus vocat perfidum abbatem.

nobilis congregatio pro nobis, ac genitore nostro, nec non insigni nostra prosapia, clementiam cunctipotentis Dei uberius exorare. Quamobrem supplici voce, & toto affectu religionis mentis nostræ pro honore JESU CHRISTI Filii Dei, ac reverentia beati Martini præclarissimi confessoris Christi, jam tandem supplicavimus per sanctamTrinitatem, omniumque sanctorum præmia, omnibus qui per diversa tempora in regno nobis a Deo commisso sunt futuri, sicut sua instituta voluerint esse perpetuo inviolata a suis successoribus, ita hoc meum conservare studeant perpetuis temporibus inviolatum in omnibus, veluti hujus mecum mercedis mereantur esse participes. Et ut hæc nostræ auctoritatis præceptio perpetualiter conservetur, & a fidelibus Dei & nostris verius credatur, ac reverentius conservetur, manu nostra propria subter firmavimus, & anuli nostri impressione signari jussimus.

LUCAS notarius ad vicem LUDOVICI recognovit.

Data kalend. Maii, indictione XII. anno nono regni CAROLI gloriosissimi regis.

Actum Carisiaco palatio regio, in Dei nomine feliciter. Amen.

DIPLOMA CAROLI-CALVI regis Francorum Coloniam villam sub annuo censu, &c. Adalmanno Levitæ, deprecante Viviano comite concedentis.

Anno 849. Ex cartario S. Martini.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, CAROLUS Francorum & Aquitanorum gratia Dei rex. Si utilitatibus fidelium nostrorum nobis juste supplicantium consulimus, id procul dubio proficere ad statum regni nostri corroborandum, fidelitatemque nostrorum cumulandam, nec non etiam capessendam felicitatis æternæ beatitudinem, minime dubitamus. Itaque noverit omnium fidelium sanctæ Dei ecclesiæ, nostrorumque, videlicet tam præsentium quam futurorum industria, quia venerabilis fidelis noster VIVIANUS comes innotuit culmini dignitatis nostræ, quod quidam Levita ex cœnobio præclarissimi confessoris heri sancti Martini peculiaris patroni nostri nomine Adalmannus, quiddam proprium hereditatis suæ legaliter obtulerit, Deo, & sancto Martino, quod & pater ejus in vita sua jam egerat, ob emeliorationem sanctæ Dei ecclesiæ, tempore scilicet FRIDEGISI abbatis, deprecatusque fuerit per seriem precariæ quamdam villulam nomine Coloniam ex rebus ejusdem ecclesiæ, insuper duos mansellos in villa quæ vocatur Nittina, eo scilicet tenore, ut utrasque res diebus vitæ suæ idem Adalmannus habeat atque possideat, unde censuit in festivitate sanctæ Luciæ, quæ est idus Decembris annis singulis se daturum ad illud sepulcrum tres solidos argenti ad luminariam continuandam, ac fratribus sancti Martini quatuor modios vini & octo tritici, addens modo, quatenus merces cumuletur, & quod agit firmiter habeatur, duodecim pensas casei. Igitur petiit serenitatem pietatis nostræ, ob amorem & honorem Domini, reverentiamque beati Martini peculiaris patroni, ut hoc ipsum nostra auctoritate dignaremur confirmare more regali. Nos quoque salubri suggestione permoti, simul etiam hortatu præfati fidelis nostri VIVIANI hoc nostræ auctoritatis præceptum fieri ac dare decrevimus, per quod constituimus atque perenniter firmum fore decernimus, ut sicut superius dictum est, & in serie precariæ videtur insertum esse, diebus vitæ suæ fidelis noster prædictus Adalmannus Levita in memoratum beneficium, cum omni integritate habeat atque possideat, eo videlicet modo, ut annis singulis supradictum censum propria voluntate institutum, fratribus sancti Martini solvat, id est suum quoque digressum cuicumque voluerit sub jam dicto censu tenendum relinquat. Unde monemus omnes qui nobis in regno a Deo commisso successuri sunt, ut sicut sua statuta a successoribus suis conservare voluerit, ita in omnibus hanc nostram præcepti auctoritatem super piscariam actam, ad eam confirmandam immutabiliter perpetuis temporibus conservare studeant. Et ut hæc nostræ auctoritatis præceptio firmior habeatur, ac per futura tempora melius conservetur, inviolataque ab omnibus semper teneatur, eam de anulo nostro insigniri jussimus.

BARTHOLOMÆUS notarius ad vicem LUDOVICI recognovit.

Data XI. kal. Julii anno X. regnante CAROLO glorioso rege.

Actum Anseni villa, in Dei nomine feliciter. Amen.

PRÆCEPTUM CAROLI-CALVI regis pro Odone comite.

Odoni comiti quinquaginta mansos in villa Noviento concedit.

Anno 850. Ex cartario S. Martini Turonensis.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, KAROLUS gratia Dei rex. Regalis celsitudinis moris est, fideles suos donis multiplicibus & honoribus ingentibus honorare, atque sublimare, proinde morem parentum, regum videlicet prædecessorum nostrorum sequentes, libuit celsitudini nostræ quemdam fidelem nostrum ODONEM dilectum comitem atque ministerialem nostrum, de quibusdam rebus nostræ proprietatis honorare, atque in ejus juris potestatem liberalitatis nostræ gratiam conferre. Idcirco noverit experientia atque industria,

omnium fidelium nostrorum, tam præsentium quam & futurorum, quia concedimus eidem fideli nostro ODONI dilecto nobis comiti & ministeriali nostro, ad proprium quasdam res juris nostri, sitas in pago Otminse, in villam Novientum, mansos scilicet quinquaginta, memoratas res cum omni integritate vel eorum appendiciis, cum domibus, ædificiis, mancipiis, terris, vineis, pratis, silvis, aquis, farinariis, aquarumve decursibus, vel etiam quidquam ad supradictas res juste & legaliter pertinere videtur, prædicto fideli nostro ODONI dilecto nobis comiti atque ministeriali per hanc nostræ auctoritatis conscriptionem concedimus, & de nostro jure in jus ac potestatem illius solemni donatione transferimus: ita videlicet ut quicquid ab hodierna die & tempore exinde pro sua utilitate atque commoditate jure proprietario facere decreverit, liberam in omnibus habeat potestatem faciendi, donandi, vendendi, seu commutandi, & heredibus relinquendi. Et ut hæc nostræ largitionis & donationis auctoritas perpetuam obtineat firmitatem, manu nostra subter firmavimus eam, & anuli nostri impressione signari jussimus.

Signum KAROLI gloriosissimi * imperatoris.

* *f.* regis.

JONAS diaconus ad vicem LUDOVICI recognovit.

Data v. idus Octobris anno x. indictione XII. regnante KAROLO gloriosissimo rege.

Actum Narbona civitate, in Dei nomine feliciter. Amen.

AURELIANI MONACHI Reomensis epistola nuncupatoria ad Bernardum archicantorem futurum archiepiscopum, præmissa libro de musica ab eo composito.

INCIPIT PRÆFATIO MUSICÆ DISCIPLINÆ.

Anno 851. *Ex ms. Elnonensi circiter 800.*

CHRISTIANORUM nobilissimo nobilium, virorumque præstantissimo, atque honoris culmine apostolici nobilissime sublimato, simulque imperiali dignitate decorato, & virtutum omni genere florenti in Christo feliciter BERNARDO (*a*) archicantori, ut opto totius sanctæ ecclesiæ & vocato & futuro vero archiepiscopo, Aurelianus vernaculus, quondam monasterii S. Johannis Reomensis, nunc tamen abjectus, sed tamen vester, & velit nolit mundus, vester, vester inquam, vester, servusque omnium, minimus famulorum Christi.

Quoniam genuino ingenio præpollentem, & artificiali doctrina cluentem, præ ceteris vosmet solum agnovi in armonica philosophia, rogatus a fratribus, ut super quibusdam regulis modulationum, quas tonos seu tenores appellant, sed & de ipsorum vocabulis rerum laciniosum præscriberem sermonem, ac ideo seriem harum litterarum ad censuram vestræ nobilitatis direxi, vestroque nomini dedicavi, ut si conspectui digno videntur, memoriæ commendentur; sin autem aliter, oblivioni ducantur. Scio enim quia nobilissimi inveniuntur cantores. Hujus autem fateor, nisi vos solum, me neminem artis vidisse peritum. Quidam etenim nostrorum multa musicæ norunt statuta. Tamen ut fuerunt prisci, nusquam tamen, ut arbitror, invenitur musicus, ac per hoc quæ sparsim in veterum dictis invenire potui; sed & quæ a vobis & ab aliis audivi, ipse novum opus condere studui, illo donante qui donavit, & sine quo nihil possumus, cui & devotus gratias ago. His igitur prælibatis agnoscite me vos amare, suscipere, colere, mirari, reminiscens pium animi affectum vestri erga me, quem pure dilexistis, monuistis, docuistis, enutristis. Animadvertite autem me reconciliatas amicitias pure colere, & non juxta Plautinam sententiam altera manu lapidem tenere, panem offerre altera. Ego certe ut homini nobilissimo & severissimo risum moveam, & imiteris aliquando Crassum, quem semel in vita risisse dicit Lucilius. Dicam quod sæpe rogitans risum tenere non possum. Dolebamus vos nimium esse patientem; sed ut video, exaltastis diu manum & suspendistis plagam, ut feriretis fortiter, & taciturnitas vestra dispensatio fuit, non consensus. Quorsum ista dixerim, uti bene nostis, in memet experimenta didici. Ideoque illud propheticum quotidie decanto: *Iram Domini sustinebo, donec justificet causam meam.* Multæ enim viæ hominibus rectæ videntur, quæ postea pravæ repetiuntur. Sed sæpe thesaurus in testaceis vasis conditur. In evangelio importuna tandem mulier audiri meruit; & clauso cum servis ostio, media licet nocte panes amicus ab amico accepit. Deus ipse qui nullis contra se superari virtutibus potest, publicani precibus vincitur. Ninive civitas fletibus stetit. Christus, inquam, prodigum filium revertentem lætus amplectitur. Paulus ex persecutore fit maximus prædicator. Petrum ter negantem amare in suum locum lacrymæ restituere. Cui plus dimittitur, plus amat. De toto grege siletur, & ob unius morbidæ pecudis animæ angeli lætantur in cœlo. Quod si cui videtur indignum, audiat a Domino, amice, si ego bonus, quare oculus tuus nequam? Vale pars, immo si dignaris, unitas animæ meæ, cæcorum baculus, esurientium cibus, spes miserorum, solamen lugentium, decus ecclesiæ, lux

(*a*) Eumdem infra vocat abbatem suum, hic vero archicantorem, forte quod in musica arte omnibus præpolleret.

mundi, & noli despicere animam conservi, pro qua Christus est mortuus.

Explicit præfatio.

INCIPIUNT CAPITULA PRAEFATI OPERIS.

I. De laude musicæ disciplinæ.
II. De nomine & inventoribus ejus, & quomodo numerorum formæ inventæ fuerint.
III. Quod musicæ tria sint genera.
IV. Quod habeat humana musica partes.
V. De vocum nominibus.
VI. Quod habeat musica cum numero maximam concordiam.
VII. Quid sit inter musicum & cantorem.
VIII. De tonis octo.
IX. Quæ ipsis inscribantur tonis.
X. De autentu proti.
XI. De plagis proti.
XII. De autentu deuteri.
XIII. De plagis deuteri.
XIV. De autentu triti.
XV. De plagis triti.
XVI. De autentu tetrardi.
XVII. De plagis tetrardi.
XVIII. Deuterologium tonorum.
XIX. Norma qualiter versuum spissitudo, raritas, spissitudo, profunditasque discernatur omnium tonorum.
XX. Quod ab hac disciplina composita extant modulamina, quæ diu noctuque juxta constitutionem patrum præcedentium præcinuntur in ecclesia.

Post caput XX. *hæc leguntur.*

Explicitus liber *de disciplina musicæ artis*, editus pro captu meo, quem rogatu fratrum, undecumque Christo opitulante collegi, & unius libelli tenore strictim conclusi, quemque percurrendum atque examinandum domno & abbati meo reverentissimo BERNARDO, (*a*) futuro vero archiepiscopo obtuli, deprecor, oro, obsecro, ut si quid, o prudens cantor, quisquis es, vituperabile in eo inveneris, mihi corrigendum insinues, calumniamque facere desistas. At ubi ordinate & rationabiliter actum videris, mecum Deo, qui donavit, gratias agas, cognoscasque, quia apud antiquos tam turpe erat ignorare musicam, quam litteras. Etenim & ipse mundus & cœlum supra nos juxta philosophorum dog-
A ma gestare in semet dicuntur armoniæ sonoritatem. Musica enim hominum movet affectus, in diversum habitum provocat sensum. In bello quoque pugnantium vires reficit, & quanto vehementior fuerit tubæ clangor, tanto animus ad certamen efficitur fortior. Bestias quoque, serpentes, volucres ac delphines ad auditum provocat, sicut & supra in laude musicæ disciplinæ, prout potuimus, diximus. Et quid plura? musica ars omnes exsuperat artes. Angeli quoque, quod Deo laudes more hujusce
B disciplinæ in arce referunt syderea; lector Apocalypsi, nemoque dubitet: Ceterum quod in terris angelorum resonare audiuntur voces multis perdocemur exemplis; e quibus duo hic ostendam. Veterum pandit memoria, ni fallor, monachum quemdam ex monasterio (*b*) S. Victoris, quod est juxta Cinnomannorum civitatem, gratia orationis ad basilicam S. Archangeli Michaelis pervenisse in monte Gargano, noctemque ante fores ecclesiæ pervigilem ducens, audivit chorum angelorum cantantium responsorium, quod in natale apostolorum ca-
C nitur, videlicet ℟. ***Cives apostolorum & domestici Dei advenerunt hodie***, &c. ℣. ***Emitte Domine spiritum.*** Qui Romam veniens, retulit atque Romanæ ecclesiæ clericis sicut audierat, memoriæ contradidit, mutantesque versum, scilicet ℣. ***In omnem terram exivit sonus eorum***, non solum ab ipsis, sed etiam ab omni cantatur ecclesia. In civitate quæ Autissioderensis vocatur, ferunt fuisse religiosum presbyterum, qui inter cetera religionis augmenta, hoc sibi adsciverat,
D ut basilicæ signo pulsante illico adsurgeret, extemploque ecclesiam præpararet. Dum his & hujusmodi floreret actibus, quadam nocte cum a propria egrederetur domo, quæ parieti hærebat basilicæ in honorem S. Albani martyris, angelorum audivit chorum consona canere voce ***alleluia*** cum psalmo CXLVIII. usque ad finem psalterii, qui attonitis auribus ad ostium ipsius oratorii obscultans didicit eam. Erat autem ***alleluia***, cum superiori canere psalmo diebus tantum dominicis, quæ in primo versu (*c*) semel,
E in secundo bis, in tertio tribus reciprocatur vicibus, & in tertio iterum a capite repetitur, ut autem arbitror, in honorem sanctæ & individuæ competenter canitur Tri-

(*a*) In veteri catalogo abbatum Reomensis monasterii, quem refert Petrus Roverus in historia ejusdem Asceterii, reperitur Bernardus episcopus Augustodunensis, qui Reomensibus præfuisse dicitur circa annum 846. Sed & in privilegio Herrico abbati Corbionensi anno 843. concesso in conventu Germiniacensi subscripsit *Bernardus abbas S. Johannis* Reomensis. At episcopi nomen non refert, sed neque in vulgata serie episcoporum Augustodunensium locum habet. Roverus eumdem esse existimat cum Berno, cui Carolus-Calvus episcopatum Augustodunensem dedit, in cujus gratiam Guenilo archiepiscopus Senonensis scribit Amoloni Lugdunensi antistiti, ut eum episcopali caractere pro hac sede insigniret. Extat ejus hæc epistola apud Lupum Ferrariensem 81. Verum hic non episcopus, sed futurus archiepiscopus dicitur; cujus autem sedis plane ignoratur. Fuit quidem Bernardus Lugdunensis archiepiscopus, sed paulo serius.

(*b*) Id est S. Victurii episcopi Cenomanensis, cujus nomine extabat olim apud Cenomanos monasterium prope fluvium Sartæ, de quo in gestis S. Domnoli tom. 3. Analectorum & in præcepto Caroli-magni ibidem p. 264.

(*c*) Hic ritus canendi ***alleluia*** ad singulos psalmi 148. versus, modo hic præscripto, qui olim in omnibus dominicis erat in usu, ut ex hoc loco patet; postea proprius fuit dominicæ septuagesimæ. De quo vide quæ scripsimus in tractatu de antiqua ecclesiæ disciplina in divinis celebrandis officiis.

nitatis. Quo autem liquido cunctis appareret veritas rei, convocatis post matutinorum solemnia clericis, eis memoriæ contradidit, atque ita a cordis recessit gremio, ut nisi vocabulum laudis tantum remansisset, & merito, ut is cui revelata sunt cœlestia, & aliis tradidit, quamquam amore boni ductus zeli, tamen ad Deo referendas laudes aliis maneret, & isti a memoria recederet. Cujus rei concordat illud quod B. Gregorius in libris Dialogorum de quodam puero refert, qui cœlestia cum agnovisset verba, & proprietates multarum sciret linguarum, in semet reversus cœpit pandere qui illo de loco, & quanti & quando migraturi essent. Quamobrem ille proprios dilacerans lacertus, ultimum vitalemque emisit spiritum. Quod & apostolus Paulus metuens de seipso dicit: *Audivit secreta verba, quæ non licet homini loqui.* Et Johanni præcipitur ne scribat de voce septem tonitruorum.

EXPLICIT.

Editum pro captu meo libellum hunc tibi, dilectissime ac nimium desiderantissime abba meus BERNARDE, percurrendum atque examinandum mitto, deprecorque, ut pro meis & corporis & animæ fragilitatibus apud judicem pium intercedere digneris, nobilissime nobilium. Ego enim dum spiritus hos tegit artus, dum vitæ hujus fruimur comeatu, spondeo, promitto, polliceor, vos semper mea lingua resonabit, nulla erit pagina nostra ab hodierna die, quæ non sonet BERNARDUM venerabilem, nobilem, sanctum, pium, atque benignum. Quocumque sermonis nostri monumenta pervenerint, ipse cum meis scriptis proficisceris, christianorum nobilissime; numquam enim in meis libris moriturus es. Audiet me semper de te loquentem sexus uterque, senex, juvenis, puer, advena, cives; quorsum ista loquor? quoniam in filio Abraham tentatur, & fidelior invenitur; in Ægypto venditur Joseph, ut patrem pascat & fratres; morte vicina Ezechias terretur, & fusus in lacrymas XV. annorum spatio protelatur ad vitam. Apostolus Petrus Domini concutitur passione, & amariter flens audit: *Pasce oves meas.* Lupus rapax Paulus & Benjamin adolescentior in extasi cœcatur, & repentino tenebrarum horrore circumdatur, Dominum vocat, quem dudum persequebatur ut hominem, cui plus dimittitur, uti præfatiuncula præmisimus, plus amat. Nosti, mi reverentissime pater, quia multi non contenti perditione sua, volunt plures mortis habere participes, quasi multitudo peccantium scelus minuat. Tamen nunc & dico & dicam, illud vos tenere cupio mea de parte quicumque infidelis extiterit, detraxeritque seu susurraverit, aut aliquid vestra de parte sinistrorsum aut conatus fuerit, aut dixerit, ita haberi illum a nostris partibus alienum, ut quid agat, ubi sit, nescire cupiam. Ipse denique viderit ubi possit absolvi. Sanctam paternitatem vestram gratia superni adjutoris conservare, atque ad defensionem suæ sanctæ ecclesiæ semper corroborare dignetur. Amen, amen, amen, fiat, fiat, fiat, amen.

PRÆCEPTUM DOMNI Hlotharii serenissimi augusti.

De libertate Dodanæ ancillæ suæ.

Anno 851. *Ex cartario Prumiensi.*

IN nomine Domini nostri JESU CHRISTI Dei æterni, HLOTHARIUS divina providentia ordinante imperator augustus, omnibus fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ & nostris, præsentibus scilicet & futuris, notum sit, quod nos pro mercedis nostræ augmento, in procerum nostrorum præsentiam, ancillam nostram nomine Dodanem manu propria excutientes a manu ejus (a) denarium secundum legem salicam liberatam fecimus, & ab omni jugo servitutis absolvimus. Ejus quoque absolutionem per præsentem auctoritatem nostram confirmamus, atque nostris & futuris temporibus firmiter atque inviolabiliter mansuram esse volumus. Præcipientes ergo jubemus, ut sicut reliquæ manu missæ, quæ per hujusmodi titulum absolutionis a regibus vel imperatoribus a jugo servitutis noscuntur esse relaxatæ & ingenuæ, ita deinceps memorata Doda per hoc nostrum præceptum plenius in Dei nomine confirmatum nullo inquietante, Deo auxiliante, perpetuis temporibus valeat permanere bene ingenua atque secura. Concedimus illi etiam ad proprium mansum unum, quod pater ejus Ratbertus nomine habuit in villa Eraclio, cum mancipiis utriusque sexus ad eumdem mansum pertinentes, ut per hanc nostram auctoritatem habeat, teneat, atque possideat, faciatque exinde quicquid elegerit vel voluerit, remota omni inquietudine vel contrarietate. Et ut hæc absolutionis atque concessionis auctoritas rata atque inviolabilis per futura maneat tempora, manu propria subter eam firmavimus, & anuli nostri impressione signari præcepimus.

Signum HLOTHARII serenissimi augusti.

ROTMUNDUS notarius ad vicem HILDUINI recognovit.

Data XIII. cal. Maii, anno Christo pro-

(a) Hic observa ritum concedendæ libertatis per excussionem denarii de manu servi, alii non de manu sed de capite servi denarios excutiebant. De hujusmodi ritu intelligendus est locus ex S. Audoeno in vita S. Eligii lib. 1. cap. 10. *Redemtos enim captivos protinus coram rege statuens, jactatis ante eum denariis, chartas eis libertatis tribuerat.* Vide si lubet legem Ripuariorum c. 58.

pitio imperii domni Hlotharii augusti A in Italia XXXI. & in Francia XI. indictione XIV.

Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

PRÆCEPTUM HLOTHARII imperatoris quod jussit fieri de rebus Hadingi in pago Condrustico.

Anno 851. *Ex cartario Prumiensi.*

IN nomine Domini nostri Jesu Christi Dei æterni, Hlotharius divina ordinante providentia imperator augustus. Si B venerabilium virorum justis & rationabilibus precibus libenter aurem pietatis nostræ accommodamus, profecto id Deo acceptum fore non ambigimus, eorumque animos in nostris reddimus obsequiis devotiores. Quapropter omnium fidelium sanctæ Dei ecclesiæ nostrorumque, præsentium scilicet & futurorum, comperiat universitas, quia religiosissimus vir Marcoardus & abbas Prumiacensis monasterii nostris innotuit auribus, qualiter Hadingus quon- C dam fidelis noster, dum adviveret, ex rebus suis propriis quas nos ei per præceptum tradideramus in pago Condrustio, in villa nuncupante Borcido, super fluvio Solcione, mansos quatuor ad monasterium Prumiæ condonasset: obsecrans idem supradictus venerabilis abba, ut edicto mansuetudinis nostræ inconcusse obfirmare studeremus, quatenus donatio quam præfatus Hadingus partibus S. Salvatoris cœnobii fecerat, firma, nulloque refragante aut contradicente, permaneret. Cujus petitionibus devotissime D assensum tribuentes, hos serenitatis nostræ apices fieri censuimus, per quos statuentes omnimodis decernimus, ut rector monasterii præscripti per succedentia tempora, quemadmodum prædictum est, præfatos mansos quatuor in jam dicto pago & villa prænominata super fluvio Solcione, cum omnibus ad eos pertinentibus, vel aspicientibus, terris videlicet cultis & incultis, pratis, silvis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, sedibus, ædificiis, wadriscapis, exitibus & regressibus, & mancipiis utriusque sexus, teneant, habeant, atque E possideant, faciantque ex eisdem rebus vel mancipiis quicquid elegerint, vel voluerint, remota omnium inquietudine vel contradictione, potissima a nobis percepta licentia. Et ut hæc nostræ corroborationis auctoritas inviolabilem in Dei nomine obtineat firmitatem, manu propria subter eam firmavimus, & anuli nostri impressione adsignari præcepimus.

Signum Hlotharii serenissimi augusti.

Hrodmundus notarius ad vicem Hilduini recognovi.

Data XIII. cal. Junii, anno Christo propitio imperii domni Hlotharii piissimi imperatoris in Italia XXXI. & in Francia XI. indictione XIIII.

Actum Aquisgrani palatio regio, in Dei nomine feliciter. Amen.

DIPLOMA CAROLI CALVI regis cellam S. Columbæ Wichardo S. Martini sacerdoti ad vitam concedentis.

Anno 851. *Ex cartario S. Martini.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Carolus gratia Dei rex. Si servorum Dei & nostrorum fidelium, non irrationabilibus petitionibus benignum assensum præbemus, regiam consuetudinem exercemus, & per hoc æternæ beatitudinis gloriam facilius nos adepturos sine dubio confidimus. Itaque notum sit omnibus sanctæ Dei ecclesiæ fidelibus & nostris, præsentibus atque futuris, quia venerabilis vir Vichardus cœnobii sancti Martini venerandus sacerdos ad nostram accedens sublimitatem humiliter petiit, ut cellam in honore sanctæ Columbæ constructam, & a nobis sibi cum suis omnibus appendiciis, beneficiario jure concessam, omnibus suæ vitæ diebus habendam, illi denuo concedere, regaliterque confirmare dignaremur. Ejus, inquam, petitionem clementer audientes, hoc magnitudinis nostræ scriptum fieri jussimus, per quod prænominatam sanctæ Columbæ cellam, cum omnium sibi appendicum rerum integritate memorato venerando sacerdoti Wichardo sub dominio & potestate rectoris præscripti sacratissimi patris nostri Martini monasterii, per omnia tempora vitæ suæ habendam concedimus, & regaliter confirmamus, videlicet ut sine cujuspiam contradictione, aut illicita minoratione eamdem sæpe dictam cellam integerrime, veluti præmissum est, omnibus suæ vitæ diebus teneat, & in nostra fidelitate persistens beneficiario jure possideat, omnibusque ad partem cameræ nostræ vel abbatis, quem divina misericordia præstituendum eidem loco nobis inspirare dignata fuerit, die sancto festivitatis ejusdem reverentissimi confessoris atque pontificis Martini, duas libras argenti persolvere non negligat, nec amplius servitus ab ullo rectore quæratur indebite, aut exigatur illicite, nisi tantum refectio fratrum instituta secundum debitum morem, sicque eam liberius absolutus, meliusque possit militare, nec non in divinis auctoribus magis persistere. Ut autem hæc servitutis nostræ confirmatio meliorem in Dei nomine obtineat vigorem, de anulo nostro subter eam jussimus sigillari.

Bartholomæus notarius ad vicem Ludovici recognovit.

Data VIII. idus Novembris, indictione XV.

xv. anno XII. regnente CAROLO gloriosissimo rege.

Actum Turonis, in monasterio sancti Martini, in Dei nomine feliciter. Amen.

PRÆCEPTUM DOMNI Hlotharii gloriosissimi augusti pro Prumiensi monasterio.

Ad petitionem Egilis abbatis quædam prædia concedit in villa Vvallemaris.

Anno 853. Ex cartario Prumiensi.

IN nomine Domini nostri JESU CHRISTI Dei æterni, HLOTHARIUS divina ordinante providentia imperator augustus. Si utilitatibus ecclesiarum Dei studiosius providentiam adhibemus, & in his quæ Deo cara sunt, vitam nostram extendere, & actus nostros ad placendum illi informare cupimus, ejusque ecclesiam honorare, & in sublime ferre omni conamine quærimus, morem sequimur regum piissimorum, idque ad emolumentum animæ nostræ prodesse minime ambigimus. Proinde omnium fidelium sanctæ Dei ecclesiæ nostrorumque, præsentium scilicet & futurorum, noverit universitas, quia EGIL (a) Prumiacensis monasterii in honore S. Salvatoris dicati abba, nostræ benignitatis suppliciter deprecatus est clementiam, & ad eumdem cœnobium quasdam res fisci nostri consistentes in Arduenna, quas quondam HROTMARUS comes, & postea filius ejus ALTMARUS habuerunt, sitas videlicet in pago Corasco in Vallemaris villa, non longe ab ipso monasterio, mansi scilicet VII. & dimidium cum omnibus ibidem pertinentibus, solerti pietatis nostræ studio concederemus. Cujus dignissimæ postulationi ob meritum devotionis suæ libenter assensum præbentes, & erga præfatum cœnobium more prædecessorum nostrorum specialem dilectionem servantes, pro amore Dei ac reverentia ejusdem sanctuarii, sive ut preces inibi quotidie Deo servientium nobis proficiant ad salutem, hos eminentiæ nostræ apices fieri censuimus, per quos supradictas res, id est mansos VII. & dimidium, cum terris cultis & incultis, silvis, pratis, pascuis, aquarumve decursibus, exitibus & regressibus, nec non & mancipiis utriusque sexus, & universis ibidem pertinentibus ad partem memorati monasterii jure perpetuo sub integritate concessimus, atque de nostro jure in jus ac dominationem ipsius sanctuarii revocavimus: illud procul dubio statuentes, ut ab hac die & deinceps in futuro tam præfatus abba, quam successores illius seu quilibet advocatus ipsius cœnobii, ob utilitatem servorum Dei ibidem Deo militantium, per hoc nostræ benignæ largitionis præceptum, faciat exinde perpetualiter quicquid juste & rationabiliter elegerit vel voluerit, absque cujuslibet duntaxat repetitione, seu qualibet injusta contrarietate. Et ut hæc nostræ concessionis sive largitionis auctoritas rata ac stabilis per futura maneat tempora, manu propria subter eam firmavimus, & anuli nostri impressione adsignari jussimus.

Signum HLOTHARII serenissimi augusti.

HROTHMUNDUS notarius ad vicem HILDUINI recognovit.

Data v. cal. Martii, anno Christo propirio imperii domni Hlotharii gloriosissimi imperatoris in Italia XXXIIII. & in Francia XIIII. indictione I.

Actum Leodico vico publico in Dei nomine feliciter. Amen.

CARTÆ ERKANFRIDÆ Deo sacratæ pro monasterio S. Maximini.

Ecclesiam de Marisch & quædam prædia concedit S. Maximino.

Anno 853. Ex ms. S. Maximini.

IN nomine Domini. Pius redemtor noster omnium utilitati consulens, inter multa misericordiæ suæ opera, quæ ad remedium humano generi concessit, hoc opus eximium cunctis statuit, ut eleemosynis peccata extinguantur delinquentium, & animæ redimantur pœnitentium, testante ipsa auctoritate sacra & dicente: *Date eleemosynam & omnia munda sunt vobis.* (Luc. 11. 41.) Et alio loco: *Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum.* (Eccl. 3. 33.) Qua auctoritate commonita ego ERKANFRIDA Deo sacrata pro ereptione animæ senioris mei (b) NITHBALDI & meæ trado, traditumque in perpetuum esse volo ad monasterium S. Maximini, ubi sanctus corpore quiescit, cum reliquis duobus sancto Agritio & sancto Nicetio, qui hinc inde in eadem basilica sacra perornant loca, ipso arcem (c) mediam possidente, quod situm est juxta urbem Trevericam in latere sinistro, hoc sunt res meas, quæ me ex donatione supradicti senioris mei NITHBALDI contingunt, in pago Vabrinse, in loco qui dicitur (d) *Marisch*, ecclesiam in honore S. Michaelis dicatam cum omnibus appendiciis, id est, casam & curtile cum terris dominicalibus,

(a) Hunc Egilem natione Burgundum fuisse arbitratur Mabillonius in Annalibus Benedictinis, eo quod abdicata præfectura monasterii Prumiensis, in Flavigniacense se receepit, ubi non multo post abbas electus est, ac deinde archiepiscopus Senonensis.

(b) Comitis videlicet, uti constat ex carta Henrici Trevirensis anno 960. data

(c) Hoc tempore sancti Maximini tumulum inter Agritii & Nicetii tumulos locum medium habuisse notandum est, sicut Hidulfus quondam eorum corpora locaverat.

(d) Vicus Alisontiæ amni, qua altero a Luciliburgo lapide Mambram rivum recipit regione uberrima impositus. Majores nostri in pago Vabrinsi tunc nominatissimo locabant.

pratis, pascuis, silvam vero tribus in locis, uno qui vocatur Beringa, altero *Hunanesdorff*, tertio qui vocatur *Busmerberch*, molendinum unum, mansos XII. cum his mancipiis Regenfrit, &c. * Ex quibus VII. a jugo servitutis solutos ad ipsam ecclesiam censuales feci, id est Baldradum, &c. Hæc omnia superius scripta ad jam dictum monasterium trado atque transfundo in Dei nomine possidendum. Ea videlicet ratione ut annis singulis ad festivitatem S. Martini ex ipsis rebus quas trado, opulenta refectio constituatur cultoribus supradicti loci, quatenus illi quoque ipso tempore anni in vigiliis & missarum celebrationibus libentius recordentur nostri. Si quis vero, quod futurum non credo, si ego ipse, aut aliquis de heredibus vel propinquis senioris mei, vel quælibet opposita persona, contra hanc donationem quam spontanea voluntate fieri rogavi, venire conaverit, aut eam irrumpere voluerit, imprimitus iram Dei omnipotentis incurrat sanctorumque ejus, & tanta hereditatis & mancipiorum damnum duplicare cogatur, & insuper coactus inferat ipsi monasterio auri libras x. argenti pondera xx. quorum nihil evindicare valeat. Si vero futurorum temporum seniores aut magistri propriis vel alienis usibus qualicumque ingenio ex his quicquam aptaverint, præter ut statuimus, & præter ut statutum, & præter utilitatem fratrum communem, habeant heredes senioris mei ad quos jure hereditario pertinet potestatem, totum repetendi possidendique, & suis vindicent usibus, nisi iterum monachis supradictis restituatur.

* centum uno minus.

Actum Treviris civitate, in monasterio S. Maximini, anno ab incarnatione Domini DCCCLIII. regnante LOTHARIO imperatore augusto sub die kal. April. præsente ALARDO comite & fratribus omnibus coram altari.

Ego ERKANFRIDA Deo sacrata quæ hanc donationem scribere rogavi, propria manu subscripsi. †

PRÆCEPTUM HLOTHARII imperatoris.

De mancipiis in Vvimuodesheim Hererico datis.

Anno 853. *Ex cartario Prumiensi.*

IN nomine Domini nostri JESU CHRISTI Dei æterni, HLOTHARIUS divina ordinante providentia imperator augustus. Dignum est ut celsitudo imperialis, quantum ceteros honoris ac potestatis fastigio præcellit, tantum erga omnes pietatis suæ munus impendere satagat. Igitur omnium fidelium sanctæ Dei ecclesiæ nostrorumque, præsentium videlicet & futurorum magnitudo comperiat, quod dilectissimus germanus noster HLUDOWICUS gloriosus rex nostram deprecatus est pietatem, ut ex beneficio ADALARDI fidelissimi comitis nostri, (a) HERIRICO vasallo suo quatuor mancipia his nominibus, Adonem, Landuinum, Odadum, & Leuduar ad proprium concederemus, ac per præceptum largiremur. Cujus petitioni fraterno amore libenter adquiescentes, hoc nostræ serenitatis præceptum fieri jussimus, per quod memorato HERIRICO jam dicta mancipia quatuor perenniter ad habendum tribuimus, & de jure nostro in jus ac dominationem ipsius transfundimus, quatinus potissima a nobis percepta licentia, faciat quicquid elegerit vel voluerit, absque alicujus inquietudine vel contrarietate. Et ut hæc nostræ largitionis auctoritas inviolabilem obtineat firmitatem, manu propria subterfirmavimus, & anuli nostri impressione signari jussimus.

Signum HLOTHARII serenissimi augusti.

ROTHMUNDUS notarius ad vicem HILDUINI recognovit.

Data v. nonas Julii, anno Christo propitio imperii domni HLOTHARII imperatoris pii in Italia XXXIIII. & in Francia XIIII. indictione I.

Actum Thedonis villa palatio regio, in Dei nomine feliciter. Amen.

PRÆCEPTUM DOMNI Hlotharii imperatoris.

De vineis quas Sigefrido concessit.

Anno 853. *Ex cartario Prumiensi.*

IN nomine Domini nostri JESU CHRISTI Dei æterni, HLOTHARIUS divina ordinante providentia imperator augustus. Si unius fidelis nostri justam & rationabilem petitionem implemus, procul dubio reliquorum fidelium nostrorum devotionem erga nos promtiorem efficimus. Quapropter noverit omnium fidelium sanctæ Dei ecclesiæ nostrorumque præsentium & futurorum industria, quia ADALARDUS illustris comes deprecatus est pietatem nostram, ut cuidam vasallo suo Sigefrido nomine, infra muros Treverícæ urbis duas viniolas, unam scilicet, quæ consistit ad portam medianam, & aliam ad calidum furnum conjacentem, habentes inter utrasque bunuarium unum ad proprium concederemus. Cujus precibus ob serenitatis devotionem libenter adquiescentes, has nostræ serenitatis litteras fieri decrevimus, per quas memorato Sigefrido prædictas duas viniolas infra præscriptæ civitatis muros & in jam dicta loca consistentes, perenniter ad habendum tribuimus, quatinus potissima a nobis percepta licentia faciat de eisdem vi-

(a) Heriricus vir illuster fuit frater Hunfridi episcopi Morinensis ex illius carta inferius referenda.

neis quicquid elegerit vel voluerit, absque alicujus contradictione. Et ut hæc nostræ donationis auctoritas rata ac stabilis perseveret, manu propria subter eam firmavimus, & anuli nostri impressione adsignari jussimus.

Signum HLOTHARII serenissimi augusti.

ROTMUNDUS notarius ad vicem HILDUINI recognovi.

Data v. nonas Julii, anno Christo propitio imperii domni HLOTHARII pii imperatoris in Italia XXXIIII. & in Francia XIIII. indictione I.

Actum Theodonis villa palatio regio, in Dei nomine feliciter. Amen.

PRÆCEPTUM

domni imperatoris Hlotharii de villa Hauvans Prumiensi monasterio ab eo concessa.

Anno 854. *Ex cartario Prumiensi.*

IN nomine Domini nostri JESU-CHRISTI Dei æterni HLOTHARIUS divina ordinante prudentia imperator augustus. Imperiali satis congruit excellentiæ, ut dum in hac ærumnali vita superstes esse dinoscitur, ea quæ Dei sunt omni conamine totaque virtute quærere atque perficere satagat, ecclesiarumque Dei utilitatibus strenue curam adhibeat, quia si in talibus semper studet negotiis, procul dubio æternæ remunerationis fructum apud pium judicem inde percipere minime ambigit. Proinde cunctorum fidelium sanctæ Dei ecclesiæ, nostrorumque præsentium videlicet & futurorum magnitudo comperiat, quia cum orationis gratia ad monasterium Prumiæ, qui in honore Domini & Salvatoris nostri JESU-CHRISTI dicatum habetur, pervenimus, visum est dignationi nostræ, dono & largitione rerum nostrarum ex villa quæ Hauvannis vocatur, & est sita in pago Hasbanio, eumdem sanctum locum ob emolumentum animæ nostræ honorare atque sublimare. Sed ut nostra pia devotio benignaque largitio perenniter maneat inconvulsa, hos eminentiæ nostræ fieri censuimus apices, per quos in prædicto pago Hasbanio memoratam juris nostri villam *Hauvans* vocabulo, cum omnibus ad eam legitimo ordine pertinentibus vel aspicientibus, terris scilicet cultis & incultis, vineis, silvis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, molendinis, exitibus & regressibus, nec non & mancipiis utriusque sexus ibidem pertinentibus, ad præfatum sanctum ac venerabilem sancti Salvatoris Prumiacensis monasterium solemni more transferimus, & de jure nostro in jus ac dominationem ipsius transfundimus, ita ut præsens familiaris noster EIGIL venerabilis abba successoresque ejus eamdem villam sub integritate ad usus vel stipendia fratrum ibidem Deo militantium per futura tempora absque alicujus potestatis contradictione vel repetitione, seu qualibet refragatione, ordinent atque utiliter disponant; quatinus pro nostra liberorumque, ac fidelium nostrorum incolumitate, totiusque regni nostri stabilitate, universa turma monachorum quæ inibi assidue Domino famulare videtur, attentius omnipotentis Dei misericordiam exorare procuret. Et ut hæc nostræ serenitatis largitio sincerissimaque donatio rata ac stabilis futura maneat per tempora, manu propria subter eam firmavimus, & anuli nostri impressione signari jussimus.

Signum HLOTHARII serenissimi augusti.

ERCAMBOLDUS notarius ad vicem HILDUINI recognovi.

Data VI. idus Julii, anno Christo propitio imperii domni Hlotharii imperatoris in Italia XXXV. & in Francia XV. indictione II.

Actum *Manderfelt* (a) palatio regio, in Dei nomine feliciter. Amen. [a]

DIPLOMA CAROLI-CALVI

regis pro Turonensi ecclesia S. Martini.

Combustæ per Normannos ecclesiæ S. Martini omnes possessiones ac immunitates cellarumque illius confirmat.

Anno 855. *Ex cartario S. Martini.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, CAROLUS gratia Dei rex. Si petitionibus servorum Dei pro quibuslibet ecclesiasticis necessitatibus aures nostras pulsantium libenter annuimus, & ad divinæ potentiæ in locis Deo dicatis uberius famulandum auxilium porrigimus, id nobis procul dubio & ad mortalem vitam temporaliter deducendam, & ad futuram feliciter obtinendam commodum provenire confidimus. Notum igitur esse volumus cunctis sanctæ Dei ecclesiæ fidelibus & nostris, scilicet præsentibus atque futuris, quia venerandus grex peculiaris patroni nostri sancti Martini, ubi ejusdem præclarissimi viri venerabile corpus quiescit, accedens reverenter ad nostram clementiam deprecatus est, ut ecclesiam præfati sancti cum omnibus hominibus vel aliis rebus sibi pertinentibus de more parentum, regum videlicet prædecessorum nostrorum, sub nostræ immunitatis tuitione ac defensionis munimine recipere dignaremur. Addidit etiam jam dictus grex, id quod omnium plangit memoria, qualiter sævissimi atque crudelissimi Turonis supervenerint Normanni, & lamentabili excidio concremaverint cum ceteris omnibus monasterium præfati sancti, & ob hanc causam, cartarum instrumenta ex rebus præfatæ ecclesiæ pertinen-

(a) Nulla hujus palatii regii in lib. 4. de re diplomatica mentio fit.

tibus......... unde & præfatus grex nostram summis nisibus petiit pietatem, ut per clementiam nostræ relationis pancartam prænotatæ ecclesiæ cellas & villas pertinentes denuo confirmare studeremus. Cujus, inquam, rationabilibus & opportunis prædicationibus clementi favore annuimus, ac proinde hoc serenitatis nostræ præceptum fieri jussimus, per quod supra memoratam ecclesiam præfati domni Martini cum omnibus suis hominibus, vel super terram ipsius cujuscumque sint status, commanentibus, sive etiam cum omnibus aliis rebus sibi pertinentibus sub nostræ immunitatis tuitione, ac defensionis prætextu recipimus: præcipientes atque jubentes, ut nulli hominum nostris nec futuris temporibus sæpe dictæ ecclesiæ monasterium, aut cellas, aut villas, seu agros, aut silvas sibi pertinentes liceat ingredi, ad causas audiendas, aut judicia secularia terminanda, aut homines ejus colonos, sive servos vel ingenuos, super ipsius terram commanentes distringere aut inquietare, aut fidejussores tollere, aut quamlibet illicitam redibitionem exigere præsumat ab eis, cellæ quoque vel villæ crebro dictæ ecclesiæ beati Martini pertinentes, quarum sunt nomina, id est sanctæ Mariæ in prædicto monasterio, & matriculæ ejusdem sancti, & sancti Stephani, ac sancti Andreæ, atque sanctæ Columbæ, seu sancti Sulpitii, nec non sancti Clementis, & sancti Johannis, seu sancti Pauli, atque sancti Petri, nec non sanctæ Crucis, sicut etiam ceteræ cellæ extra monasterium sitæ, id est sancti Pauli Cormariacensis, & sancti Aredii, atque Rodera, ceteræque quas perlongum est nominare, & villæ, ac diversæ aliæ res, scilicet in Austria, Neustria, Burgundia, Aquitania, Provincia, Italia, atque in ceteris nostri regni partibus ei juste legaliterque pertinentes, vel in utilitatibus ejus consistentes, cum omnibus appendiciis earum, per hanc nostræ magnificentiæ reconfirmationem, absque cujuspiam repetitione vel minoratione immunitatis integritate nostris & futuris temporibus sub suorum rectorum maneant inviolabili potestate. Ut autem hoc præcellentiæ nostræ præceptum pleniorem semper in Dei nomine obtineat vigorem, manu nostra subter illud firmavimus, & de bulla nostra insigniri fecimus.

Signum CAROLI gloriosissimi regis.

BARTHOLOMÆUS notarius ad vicem LUDOVICI recognovit.

Data XI. kalend. Septembris anno XV. regnante CAROLO glorioso rege, indictione II.

Actum Turonis civitate, in Dei nomine feliciter. Amen.

A

B

C

D

E

CONCESSIO LEUDIS a Hlothario imperatore.

De Gozhelmo interfecto.

IN nomine Domini nostri JESU CHRISTI Dei æterni, HLOTHARIUS divina ordinante providentia imperator augustus. Omnibus igitur fidelibus nostris notum sit, quia EGIL venerabilis abba rectorque monasterii S. Salvatoris, nostram deprecatus est mansuetudinem, ut pro amore Dei & pro remedio animæ nostræ ei dimitteremus (a) Leudem, quam homines quondam nostri fisci de *Auvans* persolvere debebant pro quodam clerico interfecto nomine Gozelmo: Cujus precibus ob ejus reverentiam annuentes, hos celsitudinis nostræ apices fieri decrevimus, per quos & memoratum debitum & quicquid ante tempus traditionis præfatæ villæ ad monasterium S. Salvatoris jam dicti homines solvere debebant, in diversis partibus, totum illi dimittimus; ita ut ab hac die & in omne tempus nullus judex publicus neque alia qualibet persona repetere præsumat præscriptam leudem, & memoratum debitum ab aliquo homine cœnobii S. Salvatoris, sed neque ab ejus rectoribus, scientes a nobis esse funditus dimissum. Et ut hoc ab omnibus verius credatur, anuli nostri impressione subter jussimus sigillari.

Anno 854. *Ex cartario Prumiensi.* [a]

PRÆCEPTUM domni imperatoris Hlotharii pro Prumiensi monasterio.

Beneficium Albrici in pago Eiflense Prumiensi monasterio concedit.

IN nomine Domini nostri JESU CHRISTI Dei æterni, HLOTHARIUS divina ordinante providentia imperator augustus. Si locis Deo dicatis ob utilitatem servorum Dei ibidem Domino jugiter famulantium munificentia nostræ liberalitatis quidquid benignitatis eorum supplendo petitiones exhibemus, id profecto non solum nobis ad statum præsentis imperii optabilius retinendum, verum etiam ad perennem vitam beatius nanciscendam adfuturum fore scimus. Qua de re comperiat omnium fidelium sanctæ Dei ecclesiæ, nostrorumque, præsentium scilicet & futurorum magnitudo, quia ad deprecationem EGIL abbatis Prumiacensis monasterii abbatis, concessimus ad partem præfati cœnobii, quod in honore & nomine Salvatoris nostri JESU

Anno 855. *Ex cartario Prumiensi.*

(a) Leudes est compositio facta homicidii causa, ut tradunt mediæ latinitatis expositores, patetque ex hoc præsenti diplomate. Sunt aliæ leudum interpretationes de quibus consule Cangium.

CHRISTI constructum habetur., quasdam A res nostræ proprietatis sitas in pago Einflensse in comitatu Matfridi, & in villis nuncupantibus Brunvilare & *Huonfelt*, quas olim vasallus noster Albricius beneficiario possidet munere, id est mansos duos cum octo jugeribus & mancipia XXII. memoratos itaque duos mansos & præscripta octo jugera ob emolumentum nostræ mercedis ad præfatum monasterium, ut monachis in eodem loco Domino servientibus in usus cedant necessarios, sicuti præfati sumus, cum omnibus rebus, scilicet domibus ceterisque ædificiis, terris cultis & incultis, silvis, B campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, exitibus & regressibus, cum mancipiis totidem numero ut supra utriusque sexus & ætatis, desuper residentibus, vel illuc pertinentibus ad proprium tribuimus, itaque per hanc nostræ auctoritatis seriem de nostro jure in jus & dominationem rectorum ejusdem monasterii transferimus, ita videlicet, ut quicquid ex eis vel in eis ad utilitatem prænominati sancti loci monachorumque inibi degentium facere, ordinare, vel quæ disponere voluerint, libera in omnibus perfruantur potestate, & C quoad utilitatem ejusdem ecclesiæ uberius exsequendam juxta memorati abbatis petitionem contulimus, præfato sancto loco ejusque provisoribus, ut si quælibet extranea persona ejus insidiando servum interemerit, freda, quæ a publicis exigebatur actoribus, ad ejus perenni jure cedant partem, nihilominus etiam, sicut in nostro altero continetur privilegio, modis omnibus sancimus, quatenus omnia freda, quæ servis ejusdem monasterii ad jus publicum legalis institutio persolvere cogit, ut ad luminaria ejusdem cœnobii deinceps perseverent, per hanc nostram stabilimus aucto- D ritatem, & stabiliendo imperiali corroboramus, quatenus hanc nostram cessionem pars præscripti monasterii quiete retinens delectet monachos inibi Deo militantes pro nostra & totius imperii nostri salute Domini copiosius implorare misericordiam. Et ut hæc nostræ largitionis atque concessionis auctoritas rata stabilisque permaneat, manu propria subter eam firmavimus, & anuli nostri impressione adsignari jussimus.

Signum HLOTHARII serenissimi augusti.

ERCAMBOLDUS notarius ad vicem HILDUINI recognovi.

Data V. calendas Februarii anno Christo E propitio imperii domni HLOTHARII gloriosissimi ac piissimi augusti in Italia XXXV. & in Francia XV. indictione III.

Actum Aquisgrani palatio regio, in Dei nomine feliciter. Amen.

DIPLOMA LOTHARII imperatoris pro Ebroino fideli vasallo suo.

Concedit ei quædam prædia in villa Gundrinio.

IN nomine Domini nostri JESU CHRISTI Dei æterni., HLOTHARIUS divina ordinante providentia imperator augustus. Dignum est ut celsitudo imperialis quantum ceteros honoris ac potestatis fastigio antecellit, tantum erga omnes pietatis suæ munus impendere satagat. Igitur omnium fidelium sanctæ Dei ecclesiæ ac nostrorum, præsentium videlicet & futurorum, noverit industria, quia dilectissima ac familiarissima femina nostra DODA ad nostram accedens majestatem, deprecata est celsitudinem nostram, pro quodam fideli vasallo nostro Ebroino nomine, ut ei quasdam res nostræ proprietatis, quæ in pago Hasbannio sitæ esse noscuntur, id est in villa Gundrinio, mansum dominicatum unum, ad quem pertinere noscuntur, inter terram arabilem & pratum, bunuaria decem & octo, & alii mansi serviles sex, cum mancipia quinque, ad proprium concederemus, ac per præceptum nostrum largiremur. Cujus petitionem omnimodis adimplere statuentes, hos excellentiæ nostræ decrevimus fieri apices, per quos memorato fideli nostro Ebroino ex beneficio suo prædictas res & mancipia, ut supra continetur, ad proprium conferimus, & de nostro jure in jus ac dominationem ipsius perenniter mansurum transfundimus. Ita videlicet ut quicquid ex eis deinceps jure proprietario facere voluerit, scilicet vendendi, donandi, commutandi, liberam in omnibus habeat potestatem faciendi, sicut & de reliquis hereditatis suæ rebus: Ita tamen ut nusquam a nostra discedat fidelitate. Et ut hæc nostræ largitionis auctoritas inviolabilem & inconvulsam obtineat firmitatem, manu propria subter firmavimus, & anuli nostri impressione assignari jussimus.

Anno 835. *Ex cartario Walciodorensi.*

Signum HLOTHARII serenissimi augusti.

HRODMUNDUS notarius ad vicem HILDUINI recognovi.

Locus † sigilli.

Data VII. idus Julii anno Christo propitio imperii domni HLOTHARII pii imperatoris in Italia XXXVI. & in Francia XVI. indictione III.

Actum Novo-Castello in Dei nomine feliciter. Amen.

PRÆCEPTUM DOMNI Hlotharii imperatoris pro Prumiensi cœnobio.

Villam Albiniacum concedit monasterio Prumiensi, in quo suam eligit sepulturam.

Anno 855. *Ex cartario Prumiensi.*

IN nomine Domni nostri JESU CHRISTI Dei æterni. HLOTHARIUS divina præveniente providentia imperator augustus. Satis imperiali congruit excellentiæ tanto copiosiores votis & exercitiis opifici, & exaltatori suo laudes gratesque rependere, quanto constat præ ceteris eminentiori pollere dignitate, quia tunc superni regni poterit adipisci hereditatem, si loca sanctorum divino cultui mancipata condignis muneribus ditare & sublimare studuerit. Proinde omnium fidelium sanctæ Dei ecclesiæ nostrorumque præsentium scilicet & futurorum noverit universitas, quia nos pro amore Dei omnipotentis & animæ nostræ sempiterna remuneratione, villam juris nostri, quæ consistit in pago Ribuariensi, Albiniacum vocabulo, cum omnibus juste ad se & legaliter pertinentibus, monasterio Prumiacensi, quod est dedicatum in honore Domini & Salvatoris nostri JESU CHRISTI [a] ubi Domino jubente corpore (*a*) jacere volumus ad luminaria concinnanda vel componenda contulimus ac delegamus, quatinus ibi deserviant atque consistant. Sed pro integra soliditate & firmissima stabilitate hos excellentiæ nostræ apices fieri censuimus, per quos præfatam villam Albiniacum prænominato S. Salvatoris cœnobio ob emolumentum animæ nostræ, cum universis ad se pertinentibus, terris videlicet cultis & incultis, vineis, silvis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, molendinis, exitibus & regressibus, nec non & mancipiis utriusque sexus inibi aspicientibus, sicut protulimus, ad luminaria diligentissime custodienda vel concinnanda, per prolixa annorum curricula tribuimus ac delegamus. Ea namque scilicet conditione, ut nullus successorum nostrorum filius scilicet ac nepos, vel quilibet ex regia dignitate, eamdem villam a potestate prædicti sancti loci subtrahere præsumat, nec ullus ejusdem monasterii rector a prædicto officio eam auferendi, vel cuiquam beneficiendi licentiam habeat. Quod si quispiam aliqua ductus cupiditate, hoc votum nostrum sincerum atque præceptum disrumpere aut violare conaverit, iram indignationemque atque offensam cuncti omnipotentis Dei atque omnium sanctorum se incurrere cognoscat, & nobis pro opere pio, affectu perfecto æterna & immarcessibilis maneat retributio. Hæc vero nostræ largitionis præceptio, ut per futura tempora stabilis ac firma & rata perseveret, manu propria subter eam firmavimus, & anuli nostri impressione adsignari jussimus.

Signum HLOTHARII serenissimi augusti.

HERCAMBOLDUS notarius ad vicem HILDUINI recognovit.

Data XIII. calend. Octobris, anno Christo propitio imperii domni Hlotharii piissimi atque serenissimi augusti in Italia XXXVI. & in Francia XVI. indictione IIII.

Actum Sconilare (*b*) palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen. [b]

INSIGNIS DONATIO FACTA a Folckero ad construendum Verdinense monasterium.

Anno 855. *Ex antiquo cartulario censuum monasterii Verdinensis.*

IN nomine Domini Dei æterni & Salvatoris nostri JESU-CHRISTI. Ego FOLCKERUS incertum unicuique hujus miserabilis vitæ finem & horam pertimescens, variosque ac omnimodis sinistros instantis temporis eventus considerans, & Salvatoris dicti recordans, quod dicit: *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me.* Omnem hujus vitæ delectationem, quantum humana fragilitas finit, pro Dei omnipotentis amore, pro nihilo ducens, in cœnobio (*c*) Werdinensi ad beati confessoris Christi memoriam monachicam elegi ducere vitam. [c] Quapropter quia unicuique necessarium est, ut quamdiu in hoc sæculo vivere licet, de temporalibus rebus sibi æternæ beatitudinis præmia adquirere studeat; Ego quasdam proprietatis meæ res, quæ mihi jure hereditario in pago Hamulande, in comitatu Wigmanni, nec non & in * *Batuve*, in comitatu Ansfridi, cum ædificiis omnibus, & cunctis adjacentibus silvarum, & aquarum, & pascuarum commodis, cultam & incultam terram, cum mancipiis utriusque sexus, coram testibus & nobilium virorum præsentia secundum legem Ripuariam & Salicam, nec non secundum * Euna Fresonum de jure & potestate mea in jus & proprietatem prædicti monasterii, in quo & laicalem habitum & secularem conversationem Domino miserante dimisi, pro remedio animæ meæ & parentum meorum perpetuo possidendas tradidi, & secundum prædictas le-

* vulgo Betuvve.

* Euvvna lex.

(*a*) Jacet in medio chori ecclesiæ Prumiensis, in qua monastico habitu ante mortem indui voluit.

(*b*) Ignotum fuit Mabillonio hoc regium palatium, cujus nullam in lib. 4. de re diplom. facit mentionem.

Vverdinense seu Vverthinense monasterium auctorem seu conditorem habuit sanctum Liudgerum, qui primus fuit Monasteriensis episcopus. Verum adeo insignem hic donationem Vverthinæ facit ad construendum monasterium Folckerus, ut præcipuus forte illius fundator haberi non immerito potuerit. Hactenus Vverthinæ visuntur duæ ecclesiæ, una minor, non tamen inelegans, a qua transitus fit ad majorem, & minor quidem forte Liudgerum, major Folckerum habuit conditores.

ges vestituram feci: ea videlicet ratione, ut omnes res supradictæ ab hac die fratribus ibidem Deo servientibus serviant, & de his illud præfatum cœnobium construatur & inluminetur, & memoria progenitorum meorum sive mea in eorum sacris orationibus perpetualiter habeatur. Si vero ob merita peccatorum qualicumque casu neglectum fuerit vel destructum sæpedictum cœnobium, aut præfatæ proprietatis meæ res sine consensu fratrum alicui in beneficium præstitæ fuerint, aut eas præfati monasterii heredes inter se quasi jure hereditario dividere voluerint, si hæc, inquam, me vivente evenerint: tunc annuente Domino potestatem habeam cum omnibus rebus ad supradictum monasterium traditis ad aliud cœnobium transmigrandi. Sin autem post obitum meum hæc evenerint, tunc propinqui & heredes mei easdem res & mancipia sine ullius contradictione recipiant, & illas præfato tenore ad monasterium Fuldense sancti Bonifacii perpetualiter tradant. Peracta vero traditione, media pars totius hereditatis inferius nominatæ in potestate fratrum ejusdem monasterii deinceps jugiter habeatur. Aliam vero partem, hoc est medietatem totius hereditatis, illum qui hanc posteriorem traditionem fecerit, ad tempus vitæ suæ retinere desidero, & post illius obitum nullus alius de progenie ejus sine voluntate monachorum sancti Bonifacii vel attingere præsumat, sed omni deinceps occasione sublata, omnis subscripta hereditas in præfata potestate ob recordationem nostri stabili firmitate permaneat.

Hæc sunt nomina locorum præfatæ hereditatis. In pago qui dicitur * Felva, in vico qui dicitur * *Puthem*, & in alio vico qui dicitur Hotseri mansos dominicales tres : .... itus noster nomine Vuiduco habet mansum unum, *Hroding* & *Vulgrim* & *Berathunini* & *Ansleeh* & *Godolef* mansos IIII. *Frithubald* unum, *Hardrad* unum, *Mathalunini* & *Ovo* unum, *Terlef* & *Silef* unum, *Vuilrad* & *Alarad* & *Evorold* duas. *Frumari* unum, *Hrodlef* & *Benno* unum, & illam comprehensionem quæ pertinet ad villam quæ dicitur *Rentilo*. *Athulef* & *Ledrad* mansum unum, & illas comprehensiones quas habent in saltu qui dicitur * *Vunnilo*. *Vunnilef* mansum unum, & comprehensiones quas habet in saltu prænominato. *Odbald* & *Euurgrim* unum, *Liafger* dimidium, *Thiatlef* dimidium, *Thiodbold* unum, *Hildirad* in villa quæ dicitur Niutlo unum, *Ansbrath* dimidium. In silva quæ dicitur *Hornlo*, in Vrthunsula *Sidgot* & *Thiatger* mansum unum & dimidium cum illorum comprehensione. In villa quæ dicitur *Thri Geldolf* dimidium cum ipsa comprehensione quæ pertinet ad ipsam villam. In silva quæ dicitur * *Puthem* scaras viginti octo, in villa * *Irmenlo*, in illa silva

* vulgo Velva.
* Putten.
* Venloo.
* Putten-silva.
* Ermelem.

A scaras sexaginta, in villa *Thri* pastus porcorum triginta quinque, in saltu qui dicitur * *Vunnilo* quicquid habuit *Herrad* & *Baldric*, & illas comprehensiones quas habeo in *Vunnilo*, & in illis silvis quæ dicuntur *Burlo*, *Dalbonlo*, *Vuardlo*, *Orclo*, *Legurlo*, & in *Ottarloun* & in *Langlo* sextam partem dedi. In Archi quicquid illic habeo, tam in pratis, quam in comprehensionibus. In pago quæ dicitur *Flethetti*, in villa Brara mansos dominicales duos, *Frithuric* unum, *Athalgot* dimidium, *Alfgot* unum, & illam comprehensionem quam possidet Frithubodo.

B In villa * *Hreni* mansum unum, *Meginbrath* dimidium, *Asgrim* dimidium, *Aio* & *Thiatgif* unum & dimidium, *Athaliuni* unum. In villa quæ dicitur *Rimbrahti Boso* duas partes unius mansi. In villa * *Tiuli Reginhelm* similiter, *Athalbald* similiter, *Landgrim* similiter. In *Hnodi* quicquid illic habeo. In silva * *Hrenhem* pastus porcorum triginta. Item in insula * *Batue* mansos dominicales tres, *Gerlec* dimidium, in *Andassale Godolec* mansum unum, in * *Eunic Silec* ..... unius mansi, in *Elti* & in *Hriveshem*

C quarum termini communes sunt, *Odrad* & *Vueringer* duos, *Ingetuurd Reginbald* & *Thiadmar* unum & dimidium, in *Linteruuic* duos, & unam insulam superiorem, quæ contra illam villam jacet communem cum heredibus meis, superiorem vero propriam possideo. Item commentariolum de hereditate Folkeri quam habet in Frisia. In pago *Kinhem*, in villa *Obbinghem* sortes XXX. In *Kinlesun* terra V. animalium, in *Odigmore* terra V. animalium, in Nordmora *Odlef* di-

D midium mansum, *Tiaduuold* unum, Geldis dimidium, *Uulfnoth* dimidium, *Hardbrath* dimidium, *Euurhard* dimidium, *Aldolf* dimidium. Item in pago *Uuestrachi*, in villa *Sceddanuurchi* terra triginta animalium, in * *Colauidum* XX. animalium, in *Aspan mora* terra IIII. animalium, in *Monic,loe* quadraginta octo animalium, in *Keddingrip Radnath* terram tredecim animalium, *Vuilrad* similiter, *Ivi* terram X. animalium, *Osnath* viginti animalium, in *Hem* terram XXX. animalium, in *Haslum Folkard* terram XX.

E animalium, *Ceisolf* XXX. animalium, *Marclef* VIII. animalium, item *Folkhard* XX. animalium, *Thiaddag* similiter, *Huslef* similiter. In * *Sedlingi* terram novem animalium, in *Deddingiuuerbe* XV. animalium, in *Imisuualde* terram LXX. animalium, in *Midningi* duodecimam partem totius villæ. Item in pago * *Humerki*, in villa *Andleda* terram XLVIII. animalium, in *Crastlingi* terram XXXII. animalium, in *Vvirem* terram LXXV. animalium, in *Emingi* XXXII. animalium, in *Hrussingi* animalium IIII. in *Thrustlingi* animalium XII. in *Gevesuurdi* animalium VI. in *Buxingi* animalium XXIV. in *Seltnon* animalium X. in *Vederuurdi* animalium XLVI.

* Venlo.
* Renen.
* Thyele civitas quondam villa.
* Reynyini.
* Betaules.
* Evvich.
* Colduin.
* sidlingen.
* Hoemanex.

Igitur traditio facta est coram pluribus & idoneis testibus in pago cui vocabulum est *Flethetti*, in villa quæ vocatur * Hlara sub die septima idus Novembris, & in pago vocato *Batue*, in villa quæ vocatur *Hligo*, sub die IIII. idus Novembris, anno ab Incarnatione Domini nostri JESU-CHRISTI DCCC. LV. indictione III. regnante domno nostro HLUDOWICO imperatore juniore augusto XV.

* Larc-curia.

Ego Hildricus subdiaconus hujus traditionis cartam rogatus scripsi & subscripsi.

Hæc sunt nomina testium qui hanc traditionem secundum legem Ripuariorum fieri viderunt & audierunt.

Signum FOLKERI, qui hanc traditionem coram testibus subterius nominatis manu propria perfecit & roboravit.

Nomina testium qui in Orientali ripa Hreni fluminis constituti esse noscuntur. Sig. *Hildric.* Sig. Odo. Sig. *Hrodger.* Sig. *Engilrad.* Sig. *Odaccar.* Sig. *Thiatric.* Sig. *Vulfhelm.* Sig. *Athalunard.* Sig. *Vulthrahan.* Sig. *Thiadrad.* Sig. ABBO. Sig. *Egilbraht.* Sig. *Vuiger.* Sig. *Sahsger.*

Consequenter in eodem cartario hæc leguntur.

Anno dominicæ Incarnat. DCCCLXXV. indictione VIII. IV. idus Novembris, sanctæ memoriæ WILLIBEPTUS archiepiscopus Coloniæ basilicam S. Liudgeri in Werdina cum HILDIGRIMO episcopo dedicans, nominatim has villulas segregavit, a quibus vel decimæ ad sanctum Liudgerum debeant dari, vel quæ ad ipsam parrochiam & ad synodi conventum debeant pertinere; videlicet villam *Hamine* & *Rodberg*, *Feldbrahti*, *Ubiti*, *Uuelanaia*, *Bredanaia*, *Cis*, *Hilincineg*, *Elatmaras*, *Beki*, *Hrotsteninghuson*, & quicquid infra hæc nominata loca continetur.

Ex eodem cartulario. [a]

Temporibus Karoli (a) junioris venit quidam homo liber de Bergou sive de *Gent*, nomine Eremfridus, & ejus conjux *Adaluin*, & tradiderunt se ipsos ad sanctum Liudgerum, censum solventes duorum denariorum in cera in Pentecoste omni anno, & post eos filii eorum quousque constaret successio generis eorum, ut de cetero liberi permaneant. Factum est autem hoc sub abbate [b] (b) ANDULFO hujus monasterii primo.

PRÆCEPTUM EMMUNITATIS quod Hlotharius rex fieri jussit Prumiensi monasterio.

Anno 856. Ex cartario Prumiensi.

IN nomine omnipotentis Dei & Salvatoris nostri JESU-CHRISTI, HLOTHARIUS divina præveniente clementia rex. Si petitionibus servorum Dei & virorum ecclesiasticorum benigno favore & libenti adquiescere studemus, easque ad effectum perducere satagimus, nostrorum imitamur vestigia prædecessorum, idque in postmodum ad subsidium animæ nostræ pertinere minime ambigimus. Idcirco comperiat omnium fidelium sanctæ Ecclesiæ ac nostrorum, præsentium videlicet & futurorum industria, quia EIGIL venerabilis abba & rector monasterii, cujus vocabulum est Prumia, & est constructum in honore Domini & Salvatoris nostri JESU-CHRISTI, nec non & beatæ Dei genetricis semperque virginis MARIÆ, detulit obtutibus nostris domni & genitoris nostri HLOTHARII serenissimi augusti auctoritatem, in qua continebatur qualiter patres nostri, PIPPINUS videlicet & KAROLUS, & avus noster HLUDOWICUS gloriosi imperatores, seu & ipse morem sequens prædecessorum suorum, eumdem monasterium non solum multiplicibus rebus ditaverint, verum etiam sub eorum tuitione successorum suorum constituerint. Confirmantes atque præcipientes, ut in villis vel rebus prædicti monasterii nullus judex publicus, absque ejus jussione, ad causas audiendas, aut freda undique exigenda, vel fidejussores tollendos, nec (c) scaras, vel mansionaticos, seu (d) conjectos, tam de carrifigio, quamque de paraveredis exigere aut exactare præsumeret: sed quicquid exinde tam de hominibus francis, quamque & ecclesiasticis, seu servientibus, qui infra agros vel fines, seu super terram præfati cœnobii degere videntur fiscus aut freda poterat sperare, ex eorum indulgentia in luminaribus ipsius cœnobii cederent. Præfatus itaque abba petiit celsitudinem nostram, ut eamdem auctoritatem nostra denuo confirmaremus, ipsumque monasterium, cum rebus omnibus, & familiis, quæ præsenti tempore per diversis pagis & territoriis, tam per traditionem prædictorum patrum, seu & genitoris nostri HLOTHARII augusti, seu ex liberatione liberorum hominum per traditiones, commutationes, venditiones, aut ex qualicumque legali ordine præscriptum monasterium tenet vel possidet, vel quæ deinceps in jure ipsius sancti loci divinæ pietati augeri placuerit, sub nostra tuitione atque immunitatis defensione constitueremus. Cujus precibus acquiescere placuit, & hos nostros apices imperiales fieri jussimus, per quam decernimus atque præcipimus, ut quicquid tam ex donatione regum, vel traditione liberorum hominum,

(a) Id est Caroli-calvi qui junior dicitur respectu Caroli-magni.

(b) Audulfus hic dicitur primus Vverthinensis abbas, quia sub episcopis Halberstatensibus antea præpositi monasterium moderabantur.

(c) Scara est acies, cuneus seu copiæ militares, unde Hincmarus epist. ad episcopos Remensis diœcesis. *Bellatorum acies, quas vulgari sermone scaras vocamus.*

(d) Conjectus est contributio, symbolum collecta, quod quisque in unum confert ad exsolvendam certam pecuniæ summam.

ad

ad idem monasterium legibus conlatum est, & præsenti tempore legaliter tenet ac possidet, vel ea quæ abhinc in futurum ibidem juste & legaliter traditum fuerit, perennis temporibus rectores ipsius monasterii absque ullius injusta contrarietate teneant & possideant. Insuper præcipimus, atque per hanc nostram auctoritatem sancimus, ut nullus judex publicus vel quislibet ex judiciaria potestate in ecclesias, aut loca, vel agros, seu reliquas possessiones prænominati monasterii, tam francos, quam ecclesiasticos, vel servientes, qui infra agros vel fines seu super terram prædicti monasterii manent, bannum aut heribannum exigere aut exactare præsumat, aut ullas redibitiones vel inlicitas occasiones quærere; sed liceat rectoribus præfati monasterii cum omnibus rebus & mancipiis jure possessis quieto ordine vivere ac residere, quemadmodum jam dicti genitoris nostri reliquorum patrum nostrorum auctoritatibus, seu & in hanc nostra... nostro & successorum nostrorum fideliter parere imperio, qualiter monachi ibi per successiones temporum liceat quiete vivere, & Domini misericordiam pro nobis, conjuge, proleque nostra adtentius exorare, quicquid etiam de rebus prædicti monasterii jus fisci exigere poterat, totum nos pro æterna remuneratione in luminaribus jam dicti monasterii, & alimonia pauperum, vel sustentatione peregrinorum, in nostra perennis temporibus concedimus elemosyna. Hæc vero auctoritas confirmationis nostræ ut per futura tempora inviolabilis atque inconvulsa permaneat, manu propria subter eam firmavimus, & anuli nostri impressione assignari jussimus.

Signum HLOTHARII gloriosi regis.

ERCAMBOLDUS notarius recognovit.

Data III. idus Februarii, anno Christo propitio regni domni nostri HLOTHARII gloriosi regis primo, indictione IIII.

Actum Aquisgrani palatio regio, in Dei nomine feliciter. Amen.

PRÆCEPTUM HLOTARII serenissimi regis de rebus quas tradidit quondam Otberto jure firmissimo.

Anno 856. Ex cartario Prumiensi.

IN nomine omnipotentis Dei & Salvatoris nostri JESU CHRISTI, HLOTHARIUS divina præveniente clementia rex. Satis congruit excellentiæ regiæ celsitudini, ut procerum suorum petitionibus eo lubentius faveat, atque libentius prospicit decertare utilitatibus. Quapropter omnium fidelium sanctæ Dei ecclesiæ ac nostrorum præsentium videlicet & futurorum magnitudo comperiat, quia ADALARDUS & MATFRIDUS dilectissimi & illustrissimi comites petierunt nostri culminis excellentiam, ut cuidam fideli nostro, vasallo videlicet præfati Matfridi nomine Otberto, res quasdam proprietatis nostræ ex suo beneficio ad proprium concederemus, ac per præceptum nostrum confirmaremus. Hoc est in comitatu Tulpiacensi & Bunnensi in villa nuncupante *Bullengesheim* curtem & terram dominicatam cum capella & alios mansos quatuor, nec non & in alio loco qui dicitur *Stratfelt* curtem & terram dominicatam cum capella inter Casnetum & Dreisa, & Sursa, & Essingova, & in ipso *Stratfelt*. In istis jam supradictis locis alios mansos septem, & in villa quæ dicitur *Givvaldesdorf*, curtem & terram dominicatam, & alios mansos duos; & in villa quæ dicitur *Piscenheim* curtem & terram dominicatam, & inter duos *Piscenheim* & Gisonhova super fluvium Ara & Regamaga, & Cormungova, & Bergo, & alios mansos quatuor, & bunuarium unum, ac de vinea aripennos VI. In istis jam supra nominatis locis habet curtes & terras dominicatas IV. & capellas II. & alios mansos XVII. & ad unumquemque mansum bonoarios XXX. Quorum petitionibus ob eorum sincerissimam unanimitatem, nostrum præbentes assensum, hos eminentiæ nostræ apices fieri decrevimus, per quos memorato Otberto in præscriptis comitatibus & prænominatis locis, jam supradictas terras dominicatas quatuor & capellas II. & alios mansos XVIII & bunnarium unum, ac de vinea aripennos VI & ad unumquemque mansum bonoarios XXX cum omnibus ad eos pertinentibus, terris scilicet cultis & incultis, vineis, silvis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, molendinis, exitibus & regressibus; nec non & mancipia utriusque sexus ibidem pertinentia, nec non & (a) Bifangum qui vocatur *Abucheſcheit* & *Astarnascheit*, qui aspicit ad *Ottenheim*, & ista mancipia ibidem pertinentia, quorum nomina hæc sunt, Inga, *Gerbing*, *Adalsint*, *Fastrat*, *Baldrat*, *Trutlint*, *Thiotgart*, *Ratburg*, *Alvoar*, *Erechendrut*, *Frigilburg*, *Ildigart*. Ex beneficio Irigilmari mancipias duas, nomina earum *Ottrath*, & *Vvilligart*; & istas supra nominatas mancipias cum infantibus eorum ad proprium tribuimus, & de jure nostro in jus ac dominationem ipsius perenniter mansurum transfundimus; quatenus potissimam deinceps ex eisdem rebus vel mancipiis per hanc nostram auctoritatem habeat potestatem faciendi quicquid elegerit vel voluerit, remota cujuslibet inquietudine vel contrarietate. Ita dumtaxat, ut in nostra permaneat fidelitate. Et ut hæc nostræ largitionis auctoritas inviolabilem obtineat firmitatem, ma-

(a) Bifangus est ambitus seu septum lib. I. Tradition. Fuldens pag. 455. *Unum ambitum quem nos bifang appellamus.* Et lib. 2. Trad. 43. *Extra illum septum id est bifang.*

nu propria subter firmavimus, & anuli nostri impressione signari jussimus.

Signum HLOTHARII gloriosi regis.

ERKAMBOLDUS regiæ dignitatis notarius recognovit.

Data IV. calendas Julii, anno Christo propitio domni Hlotharii gloriosi regis I. indictione IV.

Actum Neomaga palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

CARTA SALOMONIS ducis & principis Britonum pro Prumiensi monasterio.

Confirmat Prumiensi monasterio omnes possessiones quas in Armorica habebat, eique suam promittit protectionem.

Anno 860. *Ex cartario Prumiensi.*

IN nomine Domini nostri JESU CHRISTI, SALOMON gratia & beneficio Dei dux & princeps Britonum omnibus episcopis, abbatibus, & comitibus, centenariis & vicariis omnibus, qui sub nostra dominatione & regno judiciaria consistunt potestate. Notum sit itaque vobis qualiter quidam abba nomine ANSBALDUS de monasterio, qui dicitur Prumia, quod est in honore Domini & Salvatoris mundi JESU CHRISTI consecratum & constructum, veniens ad nostram mansuetudinem, petiit ut res memorati Domini Salvatoris, quæ in nostra potestate & regno videntur esse, in ejus potestatem & dominationem redderemus, ad utilitatem videlicet monachorum, qui in jam dicto monasterio Deo Salvatori nostro deserviunt. Igitur libentissime ejus annuentes petitionibus, propter amorem Dei & Salvatoris mundi JESU CHRISTI & remissionem peccatorum nostrorum, omnia quæ petiit illi concessimus, atque procerum nostrorum ante reliquias (a) S. Salvatoris de omnibus rebus quæ ad memoratum monasterium pertinent, quæ sub nostra scilicet erant potestate, per wadium nostrum eum revestivimus, ut tam ipse quam successores ejus liberam in omnibus habeant potestatem faciendi qui in memorato loco consistunt. Petiit etiam ut memoratas res sub nostra tuitione & defensione haberemus, atque omnia quæ antecessores nostri reges videlicet & principes ad jam dictum locum de eisdem rebus concesserunt pro remedio animæ nostræ, sicut gratiam Salvatoris mundi voluissemus habere & vitam æternam, ex nostra quoque parte indulgeremus, quod & fecimus cum magna devotione. Præcipimus itaque ex auctoritate Domini & Salvatoris mundi JESU CHRISTI, qui est creator omnium visibilium & invisibilium, ut A nullus judex publicus, vel alia quælibet potestas, aut ministri nostri, tam temporibus nostris quam successorum nostrorum, aliquam inquietudinem, aut impedimentum, aut damnum in rebus memorati Salvatoris mundi audeat inferre, nec freda exigere, nec fidejussores tollere, nec scaras vel mansionaticos seu conjectos, nec teloneum sive de carrigio, sive de navigio, vel de quacumque re exquirere, nec fodrum nec parafredos tollere. Homines quoque tam liberi quam ecclesiastici vel deservientes, qui infra agros vel super terram memorati B monasterii commanent, quiete resideant, ut neque in hostem pergant, neque heribannum solvant, sed omnia hæc aut quæcumque ad nostram partem poterat devenire ex nostra indulgentia ad utilitatem suprascripti monasterii concedimus, & quod nos propter nomen Domini & remedio animæ nostræ ad jam dictum locum concedimus, contestamur & adjuramus per terribile nomen Domini & Salvatoris mundi tam præsentes quam futuros, ut nec regalis potestas, nec cujuslibet judicum sæva C cupiditas audeat infringere aut contradicere, sed inviolabiliter per futura sæcula conservetur. Si quis vero, quod futurum esse non credimus, contra hanc auctoritatem nostram & procerum nostrorum, quod in honore Domini & Salvatoris mundi fecimus, aliquid voluerit facere aut eam infringere, iram Dei omnipotentis incurrat, atque in die judicii coram Salvatore mundi reddat rationem, & inter damnatos anathema deputatur. Et ut hæc auctoritatis D nostræ procerumque nostrorum præceptio firma & inviolabilis per futura maneat tempora, manu propria procerumque nostrorum manibus firmavimus, & anuli nostri impressione subterfirmare fecimus. Si quis vero hanc auctoritatem violaverit, sexaginta libras auri purissimi solvat, & quod repetit evindicare non valeat.

Signum † SALOMONIS (b) principis.
Signum † WINBRIT conjugis.
Signum † RIWALI filii ejus.
Signum † Bodoan.
E Signum † Alan.
Signum † Morwithan.
Signum † Frutgaudi.
Signum † Berwalt.
Signum † Anagogert.
Signum † Damarcoe.
Signum † Pasquithan.
Signum † Bran.
Signum † Sprewi.
Signum † Irispoi filii Galvei.
Signum † Waranton.
Signum † Ruulin.

(a) Hoc est ante reliquias existentes in monasterio S. Salvatoris de Rothono, paucis ante annis a S. Convvoione constructo.

(b) Salomon hic principis titulum sibi tantum assumens, confirmat id quod alias a nobis observatum, non fuisse regem, tametsi regnum suum hic nominat, sed improprie.

Signum † Alfinit.
Signum † Hoernian.
Signum † Wiomaro.
Signum † Artur.
Signum † Matvedoi.
Signum † Canathedri.
Signum † Fines.
Signum † Catinonoch.
Signum † Commesnen.
Signum † Felix.
Item signum † Jagu.
Signum † Winoch.
Signum † Matfredi.
Signum † Jagu.
Signum † Jaquern.
Signum † Bernehart.
Signum † Burtuvant.
Signum † Conam.
Signum † Riodoch.
Signum † Bertuvalt.
Signum † Ratuuilli.
Signum † Heluuithen.
Signum † Edrebodoch.
Signum † Finon.

Actum villa publica sedis nostræ Bedulcampo, sub die nonas Octobris, anno dominicæ incarnationis octingentesimo sexagesimo, indictione VIII. regni vero nostri tertio in Dei nomine feliciter.

EPISTOLA NICOLAI I. PAPÆ ad episcopos Germaniæ.

Declarat se nullam sententiam protulisse in Salomonem episcopum, Abbonis matrimonium in quarto consanguinitatis gradu contractum esse dissolvendum, variasque variis peccatis assignat pœnitentias.

Anno 861. Ex ms. Corbeiæ novæ.

[a] [b] [c] [d] [e] [f] [g] [h] [i] [k] [l] [m] [n]

NICOLAUS episcopus servus servorum Dei reverentissimo & sanctissimo confratri nostro (a) CAROLO archiepiscopo, ejusque suffraganeis (b) ALTFRIDO, (c) SALOMONI, (d) HILTIGRIMO, (e) THIODRICO, (f) GUNTONI, (g) GEBEHARDO, (h) ARN. (i) WITGARIO, (k) EGIBERTO reverentissimis episcopis, atque (l) GRIMALTO, (m) EGILBERHTTO THIOTONIAMALI, (n) ADALGARIO religiosis & venerabilibus abbatibus.

A Divinorum fulgentes dogmatum diffinitiones scientiæ sacro sedis nostræ alvo procedunt, semperque descendunt, quia rectitudinis & æquitatis species gignere novit, & instituta dilectionis disponere administrare. Pacis enim ac justitiæ amatrix cognoscitur & benignitatis amica. Cujus consuetudine fulti atque industria, vestræ beatitudini apices destinavimus, rectitudinis fundentes dulcedinem, & probabili sanctione ornatos, cum Abbonis causam de quo fertis vestra præsentia episcoporum B subtili inquisitione examinare decrevimus, ut de ea certitudinis per vos maluissemus scire cognitionem. In Salomonem quippe episcopum nec criminis neque facinoris sententiam certe protulimus, nisi ut commissam sibi a Domino plebem, sicut audieramus, non constringeret juramentis. Epistola vero, quam vobis quasi a nobis missam, (o) GRIMOLDUS obtulit abbas, [o] numquam nostro est scrinio scripta, neque a nobis edita, neque a nostra sede directa, C sed omnimodis falsitatis argumento plena, & mendacii constructa demonstratur tenore. En quia Abbonis jam dicti causam atque intentionem secundum nostræ institutionis deliberationem, synodali examinatione inquirere studuistis, nobisque gestis rei veritatem significastis, ingentes vestræ agimus beatitudini grates, & quia tantæ claritatis erga sedem polorum clavigeri habetis devotionem, ovantes vestram spiritalibus ulnis amplectimur almitatem. Et D quia ipsi Abboni veridicis, ut fertis, testibus in vestro concilio comprobatum est, quod contra sacrorum canonum sanctiones uxorem accipere præsumsisset, in quarta etiam generatione sibi copulasset, sancimus & apostolica promulgatione decernimus, hujus infausti conjugii omnimodis copula dissolvatur, quia propriæ consanguinitatis & cognationis demonstratur atque cognoscitur esse. Et hoc vobis interrogantibus statuimus, ut nulli liceat Christiano de propria consanguinitate sive cognatione uxorem accipere usque dum generatio E recondatur, cognoscitur, aut memoria retinetur. Lætamur autem vestramque laudamus industriæ observantiam, quia in hac

(a) Is Pipini regis Aquitaniæ filius Corbeiæ veteris monachus, *a patruo suo Ludovico Germania rege e monasterio vocatus in Moguntiacensis ecclesia archipræsulem septimum sublimatus est, ad quem sæpe summus pontifex litteras destinavit*, ut habent Annales Fuldenses.

(b) Altfridus ex monacho Fuldensi in sede Hildesheimensi Eboni episcopo suffectus est.

(c) Hic est Salomon Constantiensis præsul, qui anno 831. electus ad 873. ecclesiam suam rexit.

(d) Hiltigrimus Haimoni episcopo Halberstadensi suffectus anno 853.

(e) Mindensi episcopo, de quo in electione Remberti Bremensis archiepiscopi fit mentio.

(f) Forte Gunzoni, qui fuit electus Vormatiensis episcopus anno 855. vir sanctissimæ vitæ.

(g) Qui & Gebardus dictus est, episcopus Spirensis.

(h) Arnulfo Tullensi episcopo qui hoc tempore florebat.

(i) An Vvitgarius abbas qui anno 860. interfuit conventui apud Confluentes, in quo actum est de concordia inter Carolum-Calvum regem & ejus nepotes Ludovicum, Lotharium & Carolum Lotharii imperatoris filios, qui paulo post episcopus fuerit.

(k) Osnabrugensis episcopus is erat anno 860.

(l) Eo tempore S. Galli monasterium regebat Grimaldus abbas.

(m) Is esse videtur Egilbertus qui anno 868. subscripsit fundationi Herisiensis parthenonis.

(n) Qui anno 856. Vvarino abbati Corbeiæ novæ suffectus est.

(o) Eo tempore Vvilseburgensi monasterio præerat Grimoldus abbas.

(p) Hæc epistola ante annum 860 quo Nicolaus I. Papa creatus est, non est scripta, sed neque post annum 863. quo Carolus Moguntinus archiepiscopus obiit.

re beatissimorum antecessorum nostrorum A Gregorii & Zachariæ pontificum hactenus in vestris parochiis, ut vestris protulistis in litteris, observando tenetis [decreta]. Dixistis enim in quota generatione sibi fideles jungantur. Nos autem generationum in hac re numerum non definimus, sed ut supra retulimus, incunctanter observare monemus. Sacerdotes vero si in fornicationis ceciderint laqueum & criminis, & manifestus sive ostensus fuerit actus, sacerdotii non possunt habere honorem, secundum canonicæ institutionis auctoritatem. Sacerdotes illi qui in crimine fornicationis fuerint accusati, & crimen illis non fuerit comprobatum, aut ipsi non manifestaverint, quid aliud agendum est, nisi quod in Neocæsariensis sancti concilii capitulo legitur ac demonstratur? Tamen si ipsi juramento se voluerint purificare, licentiam habeant. Similiter autem & diaconi si fuerint accusati, peragant. Feminæ scilicet quæ sacro sunt velamine consecratæ, si fuerint, quod nolumus, fornicatæ, velamen deponere non præsumant, sed pœnitentiæ jugo submissæ, summopere decertare festinent, ut ad indulgentiæ & remissionis valeant gratiam pervenire. De patricidis & fratricidis præcipimus, ut per unius anni circulum ante fores basilicæ orantes Domini clementiam perseverent. Completo vero anni circulo introducantur ecclesiam, tamen inter audientes, usque dum unius anni spatium finiatur. Stent cum ad missarum solemnia vel ad alia sacra audire officia venerint. His ita peractis, si pœnitentiæ fructus in eis conspiciuntur, corporis & sanguinis Domini nostri Jesu Christi participes fiant, ut desperantiæ non indurentur caligine. Carnem non manducent omnibus diebus vitæ illorum, vinum atque pulmentum sumere non præsumant, nisi tres dies per hebdomadam. Jejunent autem usque ad nonam diei horam quotidie, exceptis festis diebus atque dominicis. Arma gerere non audeant vel sumere, nisi contra paganos; & ubicumque ire maluerint, nullo vehiculo deducantur, sed pedestri more proficisci studeant. Tempus autem hujus pœnitentiæ, in vestræ beatitudinis arbitrio ponimus, ut secundum conversionem illorum aut extendere vel minuere valeatis. Ab uxoribus, si habuerint, non separentur; si autem non habuerint, & se continere non valuerint, legitimas accipiant in conjugio feminas, ne fornicationis voraginem incidere videantur. Si autem antequam duorum prædictorum annorum finiantur curricula, finis vitæ illorum pervenerit, viaticum illis non negetur. Si quis cum duabus fuerit fornicatus, aut cum his personis de quibus sacra scriptura prohibet, si dignam egerit pœnitentiam, & tamen non maluerit continentiam sustinere, liceat legitimam conjugio uxorem accipere. Similiter & mulier quæ tali fuerit scelere lapsa, ut fornicationis ad chaos non perducatur, perficiat. Sed hoc de laicis viris ac mulieribus solummodo statuimus. Si quisquam cum matre spirituali fuerit fornicatus, anathematis, ut scitis, percutitur ictibus. Similiter autem & illum percutere promulgamus, qui cum ea quam de sacro fonte baptismatis susceperit, aut cum illa quam ante episcopum tenuerit cum sacro B chrismate fuerit uncta, fornicationis crimen perpetraverit; legitimam autem si habuerit, non dimittat uxorem. Inter hæc vestra sanctitas addere studuit, si cujus uxor adulterium perpetraverit, utrum marito ipsius liceat secundum mundanam legem eam interficere. Sancta Dei ecclesia mundanis numquam constringitur legibus, gladium non habet nisi spiritualem ac divinum, non occidit sed vivificat. De his qui non sponte homicidium commiserunt in vigesimo secundo capitulo Ancirani concilii, qualiter agere debeant, definitum habetis. Homicidæ post unius anni spatium liceat ecclesiam C intrare. Vidua quidem quæ sacrum capiti velamen imposuerit, & inter ceteras velatas feminas in ecclesia oraverit, & oblationem cum illis obtulerit, si professa est in eodem habitu permanere, spondens numquam religionis deponere velamen, religionis observantia discedere non præsumat. Optamus sanctionem vestram in Christo bene valere.

ISTUD DECRETUM MISSUM EST a S. Papa Nicolao & a sede S. Romana Karolo regi Francorum gloriosissimo, regnis & ecclesiis sub anathemate omnium episcoporum confirmandum & corroborandum.

D

Quam (a) sit necessarium monasteriorum quieti prospicere, & de eorum perpetua securitate tractare, ante actum nos officium quod in regimine cœnobii exhibuimus, informat. Et ideo quia in plurimis monasteriis multa a præsulibus præjudicia atque gravamina pertulisse cognovimus, oportet ut nostræ fraternitatis provi- E sio de futura quiete eorum salubri disponat ordinatione, quatenus conversantes in illis in Dei servitio, gratia ipsius suffragante, mente libera perseverent. Sed ne ex ea, quæ magis emendanda est, consuetudine quisquam monachis quicquam molestiæ præsumat inferre, necesse est ut hæc quæ inferius enumeranda curavimus, ita studio fraternitatis episcoporum debeant

[a] Circa. 860. *Ex cartario Prumiensi.*

(a) Hæc prima decreta non sunt Nicolai, sed S. Gregorii, qui ea in Lateranensi concilio edidit. Verum ea adoptata sibi Nicolaus misit ad Carolum Francorum regem.

custodiri, ut ex eis non possit ulterius inferendo inquietudinis occasio reperiri. Interdicimus igitur in nomine Domini nostri Jesu Christi, & ex auctoritate Petri & Pauli principis apostolorum prohibemus, cujus vice huic ecclesiæ Romanæ auctore Deo præsidemus, ut nullus episcoporum ultra præsumat de redditibus, rebus, cartis monasteriorum, vel de cellis, seu villis quæ ad ea pertinent, quocumque modo, qualibet exquisitione minuere, nec dolos vel immissiones aliquas facere. Descriptiones quoque rerum aut cartarum monasterii ab episcopo ecclesiasticas fieri omnino negamus. Missas quoque publicas ab eo * in cœnobio omnimodo prohibemus, ne in servorum Dei recessibus ulla popularis detur occasio. Obeunte autem abbate, in describendis providendisque ac quæsitis vel datis, quærendis, ne rebus monasterii nulla se occasione permisceat, non audeat ibi cathedram collocare, vel quamlibet potestatem imperandi, nec aliquam ordinationem quamvis levissimam faciendi, nisi ab abbate loci fuerit rogatus, quatinus monachi semper maneant in abbatum suorum potestate, & omne monasterium propriam possit suæ libertatis munitionem habere, & pontificale decretum regumque emunitates, Romanique pontificis constitutum inviolabilem perpetuis obtineant temporibus firmitatem. Fiat.

* f. celebrari.

Item in decretis ejusdem Nicolai papæ.

Decernimus apostolatus nostri auctoritate, ut omne monasterium intra Gallias situm, rerum suarum habeat liberam in omnibus secundum ecclesiæ ipsius utilitatem, & servorum Dei compendiosam dispensationem, & in abbatis de semetipsis electione. Nullam ulla alia persona sive secularis sive ecclesiastica obtineat in omni monasterio possessionis dominationem, nec ullam obtineat vel sibi vindicet portionem: sed maneant omnia in abbatis & fratrum ibidem Deo militantium dispensatione, ut quicquid secundum monasterii utilitatem regulariter vel canonice voluerint agere, situm sit potestate. Neque episcopus ipsius regionis ad monasterium quasi propriæ potestatis abutens jure, ni vocatus ab abbate vel fratribus accedat, ne sui adventus pressura fratrum quietem perturbet, neque dolos aut machinationes ullas vel abbati vel fratribus sive per se sive per suos aliquando facere præsumat. Quin potius quicquid Dei servis in monasterio commorantibus conferre ad ordinis sui conservationem utiliter & modeste & benigne poterit, id pro Dei amore & sempiternæ remunerationis gratia proficiat, nec violenter aut callide mali quicquam aut perturbationis moliatur in illos, sicut audivimus quosdam facere voluisse. Nullus in monasterio quicquam evindicet sibi regionis episcopus, neque per se, neque per ministros suos, neque ex clericis, neque ex monachis, neque ex canonicis, neque ex laicis potestatis jure aut episcopali fastu, sine voluntate abbatis ipsius loci & fratrum ibi degentium præsumat aliquid vel ad ordinandum. Ordinationes vero quas petierit abbas, vel ipsi fratres, ecclesiarum consecrationes, vel altaris benedictionem, chrismatis quoque oleique sanctificationem, prout petierit abbas & loci illius habitatores, non moretur præstare: quia communis officii sui causam episcopus non pro lucri gratia, sed pro creditæ sibi dispensationis ministerio debet impendere, & providentiæ pastoralis existit, ut decretis sibi ovibus ex amore potius quam potestate consulere quærat. Abbatem vero de se eligendi semper fratres habeant potestatem, neque in ejus electione episcopi respiciant constitutionem aut dispositionem. Et quoniam multi per pravorum hominum insidias, servis sæpe Dei fabricantur doli, decernimus ut ordinatus deponi non possit, nisi criminalis causa eum monstraverit reum. Quod si fuerit infamiæ denotatus, ex regali providentia archiepiscoporum vel episcoporum habeantur non minus quam decem conventus. Non est æquum enim ut electus & ordinatus ecclesiæ pastor fortuitu & sine judicio absque ullius manifesti criminis denotatione pellatur. Nullus enim apud regem sæculi damnatur, nisi in criminali causa deprehensus, veritatis testimonio apparuerit: sic abbas & electus a pluribus & ordinatus sacerdotali benedictione nullo modo debet sui ordinis honore privari. Quod si quis hujus constitutionis parum ducens decretum, omni cœnobio sancto vel abbati vel fratribus violentiam fecerit, & vel in ipsis, vel in famulis eorum, vel in omni ipsius monasterii possessione invasor apparuerit, reum se in divino judicio non dubitet apparere, & divinæ censuræ puniendum damnatione. Universi episcopi responderunt: libertati monachorum congaudemus, & quæ nunc de his statuit beatitudo vestra, firmamus.



TEUTGAUDI ARCHIEPISCOPI Trevirensis epistola formata ad Franconem episcopum Tongrensem.

Hildradum presbyterum absolvit a sua obedientia, eique liberam concedit facultatem transeundi in diœcesim Tongrensem.

In nomine Patris π & Filii υ & Spiritus sancti α π. π. υ. α. π. DLXI.

Circa 860. Ex ms. Andaginensis S. Huberti monasterii. [a] REVERENTISSIMO omnique honore venerando (a) FRANCONI præsuli TEUTGAUDUS gratia Dei archiepiscopus, perpetuam in Domino salutem. DCLX.

Noverit fraternitas vestra, quod hic præsens clericus nomine Hildradus, licentiam a nobis petiit, ut sibi liceret in vestra parochia manere, ibique sacerdotali fungi [b] ministerio, eo quod (b) a nostra humilitate promotus esset ad sacerdotii gradum, & quia senior ipsius duas ecclesias ei dedisset, quas in Wilitreio jure beneficii tenere videtur. Cui non solum postulata concessimus, verum etiam canonicis illum litteris prosecuti sumus, quas mos latinus formatas vocitare consuevit, sicuti vestra prudentia providere valebit in elementis græcis in principio & in fine epistolæ cum suis numeris insertis, & in tota numerorum summa statim post salutationem adfixis. Igitur absolvimus illum a nobis more canonico, vestro committentes regimini, ac suppliciter flagitantes, ut benigne susceptum permittatis suo ordine & gradu in vestra ministrare diœcesi, divinumque canonice celebrare ministerium, & sicut carissimum ac venerabilem habere dignemini fratrem. Ne autem apices apud vos irriti habeantur, inspicite canonicum subter annexum,

π υ α. LXXX. CCCCI. π. LXXX. TRLVCI. A M H N. XCVIIII.

EJUSDEM AD EUMDEM.

Similem facultatem tribuit Amolgario presbytero.

In nomine Patris π & Filii υ & Spiritus sancti α π. DLX. & I.

Circa 860. Ex eodem ms. REVERENTISSIMO omnique honore nominando FRANCONI præsuli TEUTGAUDUS gratia Dei archiepiscopus indeficientem in Christo exoptat prosperitatem. DCLX.

Noverit fraternitas vestra, quod hic præsens clericus nomine Amolgarius, licentiam a nobis petiit ad vestram migrandi parochiam, eo quod illum senior suus AINARDUS comes ecclesiam illam dederit, quam in villa Sinlaris possidere videntur, cui non solum postulata concessimus, sed verum etiam canonicis litteris prosecuti sumus, quas mos latinus formatas vocitare consuevit, sicuti vestra prudentia prospicere valet in elementis græcis in fine epistolæ cum suis numeris insertis in tota numerorum summa statim post salutationem in principio adfixa. De quo jam intimato clerico hoc vobis fideliter innotescimus, quia a nostra humilitate ad sacerdotium promotus juxta mediocritatem instructionis divinum ministerium ecclesiastico more & sufficienter valet intelligere, & sincere illud Deo exhibere. Itaque absolvimus eum a nobis vestro committentes regimini, ac suppliciter flagitantes, ut benigne susceptum in suo ordine & gradu in vestra diocesi concedatis divinum celebrare ministerium, & veluti carissimum & venerabilem fratrem habere dignemini. Ne autem hi apices apud vos irriti habeantur, inspicite canonicum sigillum subter adnexum.

π υ α. LXXX. CCCCI. π. LXXX. TROUVI A M H N. XCVIIII.

EPISTOLA FORMATA H. episcopi ad episcopum Tongrensem.

Propter Normannorum impressionem Hunfrido presbytero permittit transire ad Tongrensem diœcesim.

IN nomine π LXXX. & υ CCCC. & α. I. principis quoque apostolorum π. LXXX. Ex eodem ms. Sanctissimo & venerabili fratri P. c sanctæ Tongrensis ecclesiæ episcopo H. VIII. humilis sanctæ ecclesiæ episcopus præsentis & futuræ vitæ cum Deo exorat felicitatem.

Notum sit almitati vestræ præsentem fratrem nomine Hunfridum a prædecessore nostro REGINARIO ordinatum, atque per gradus singulos ad onus sacerdotii canonice in parochia nostra esse promotum. Nunc autem maxima necessitate ac Normannica persecutione cogente; licentiam petiit, quod vestra decreverit sanctitas ei concedamus, in parochia vestra missa celebrare, in villa scilicet quæ vocatur Masfia, ac sacerdotale ministerium peragere. Quamobrem litteras canonicas ei struere jussimus, quas mos latinus formatas appellat, græcis litteris insertis, per quas cognoscere valeatis, quia præscriptus frater a nobis non recedit cujuslibet vitii causa, sed necessitatis & persecutionis, ut dictum, atque parochiæ vestræ congruentia. Sanctitatem vestram Dominus conservet in ævum. Hæc autem summa græcarum litterarum π υ α ρ ι. quarum numerus est DCLXXVIII.

(a) Franco ex monacho Lobiensi anno 856. factus episcopus Tongrensis, præfuit annis 48.
(b) Theutgaudus seu Thiedgaudus archiepiscopus Trevirensis anno 851. ordinatus decessit anno 868.

Data VIII. idus Martii indictione VII. Valete in Domino. AMHN quæ significant DC & VIIII.

EPISTOLA FORMATA Hincmari Remensis archiepiscopi ad Franconem episcopum Tongrensem.

Flodulfo permittit sacros ordines a Francone accipere atque in ejus diœcesi sacrum ministerium exercere.

Circa 860. Ex eodem ms.

REVERENTISSIMO & sanctissimo fratri FRANCONI ecclesiæ Tungrensi episcopo HINCMARUS sanctæ metropolis Remorum ecclesiæ episcopus optat præsentem & perpetuam salutem.

Noverit dilecta caritas vestra, quia hic frater nomine Flodulfus, ideo nostram accessit ad humilitatem, quia in nostro fuit loco nutritus atque educatus. Quamobrem dirigimus ad vos has litteras, ut libentius eum caritas vestra recipiat. Et quia sub regimine vestro ab hinc in ante gradus accipere & Deo militare desiderat, ut sciatis eum bonis moribus præditum, litteris sciolum, atque ingenio capacem, & vestro cupientem regimini esse subditum, in vestraque parochia degere, & monitis atque ordinationibus vestris diebus vitæ suæ libenter obtemperare. Et ut hæc parva epistola a vestra dilectione libentius reciperetur, atque firmum crederetur, sigilli nostri ex imagine (a) B. Remigii pontificis impressione signavimus. Omnipotens Deus vos per multa curricula annorum conservare dignetur. Amen.

Data IIII. cal. Maii anno XIII. nostri episcopatus.

EJUSDEM AD EUMDEM.

Rogat ut Gisebrindo presbyteratus officio fungi in sua diœcesi permittat.

Circa 860. Ex eodem ms.

HINCMARUS Remorum archiepiscopus H T P. FRANCONI in Domino Salvatore salutem.

Notum sit vestræ almitati & omnibus hominibus, licentiam dedisse nobis parochia vestra, & ubicumque voluerit presbyterum quem ordinavi in Remis civitate nomine Gisebrindum ministerium sacerdotale fungere, si vestra adfuerit sacra voluntas, & aliorum ubi illi congruum perspexerit bonorum hominum. Qua de re misi ad vos hos apices, secundum petitionem supra dicti presbyteri, ut & vos consensum ei & licentiam detis ministerium presbyteratus fungi, & ut certius cognoscatis secundum auctoritatem canonicam formatam fecimus epistolam, & ei dedimus, græcaque elementa sibi adnotavimus Π Χ Υ nomen meum Η litteram primam, & nomen vestrum secundam adnotamus litteram α & civitatis meæ litteram tertiam M. & vestræ quartam F. Valeat vigeatque vestra prosperitas in ævum optamus venerande.

Π Τ Ρ Χ Η α Μ Γ Υ Π. CCCC. XL. DC. XC. III. LX. DCC. VIII.

(a) Nota hic Hincmari erga S. Remigium devotionem, cujus imaginis impressionem in suo sigillo adhibere voluerit.

PRÆCEPTUM DOMNI Hlotharii regis pro monasterio Prumiensi.

Jus ei concedit mercati & monetæ.

Anno 861. Ex cartario Prumiensi.

IN nomine omnipotentis Dei & Salvatoris nostri JESU CHRISTI, HLOTHARIUS divina præveniente clementia rex. Si utilitatibus ecclesiarum Dei studiosius providentiam adhibemus, morem exsequimur piissimorum regum, idque ad emolumentum animæ nostræ prodesse minime ambigimus. Idcirco omnium fidelium sanctæ Dei ecclesiæ ac nostrorum, præsentium videlicet & futurorum noverit industria, quia ANSBOLDUS Prumiacensis monasterii abba nostris serenissimis innotuit auribus, quod ipse locus propter mercati & monetæ longinquitatem non modicum patitur discrimen. Inde petiit clementiam magnitudinis nostræ, ut licentiam in loco qui vocatur Romari-villa non procul ab eodem monasterio sito mercatum & monetam ad utilitatem ejusdem loci fieri non dedignaremus. Cujus petitioni ob reverentiam Domini & Salvatoris nostri JESU CHRISTI, & remedium animæ nostræ libenter adquiescentes, has nostræ pietatis litteras fieri decrevimus, per quas statuentes decernimus atque jubemus, ut ab hinc in antea in prædicto loco mercatum habeant more humano, & moneta ad bonos & meros denarios perficiendum fiat, & nulla pars publica inde thelonium vel aliquam exactionem exigat, sed in utilitatibus ejusdem sancti loci vel fratrum ibidem Deo militantium in futuro perseveret. Et ut hæc nostræ concessionis auctoritas inviolabilis perseveret, de anulo nostro subter jussimus sigillare, & manu propria firmavimus.

Signum HLOTHARII gloriosissimi regis.

ROTMUNDUS notarius recognovit & scripsit.

Data V. cal. Augusti, anno Christo propitio regni domni HLOTHARII regis VI. indictione IX.

Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

A

EPISTOLA FORMATA
Adventii Metensis episcopi ad Arnulfum Tullensem.

Dimissorias litteras cuidam presbytero ab eo libertate donato & ordinato concedit.

Anno 862. Ex ms. Stabulensi.

ADVENTIUS servus servorum Christi, sanctæque Metensis ecclesiæ pastor indignus reverentissimo & sanctissimo fratri ARNULFO Leuchorum episcopo, in Domino vero rege summæ felicitatis beatitudinem.

Cum sancta ecclesia prompta sit sequi documenta evangelica, quæ dicunt: *Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet; & qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet.* Et apostolica dicentia: *Hospitalitatem sectantes, & necessitatibus sanctorum communicantes:* tamen quia sunt aliqui cauteriatam habentes suam conscientiam, dicentes se esse simplices, cum sint astutia diabolica repleti, & pro opere pietatis de loco ad locum transire, cum sint sua malitia faciente fugitivi, statutum est neminem clericum alienum & ignotum recipi ab aliquo episcopo, & inthronizari in sua ecclesia, nisi a proprio habeat episcopo epistolam, quæ in canonibus nominatur formata: ideo notum facimus fraternitati vestræ, quod præsens portitor, qui ordinatus est a nobis presbyter nomine Ill. non pro sua nequitia expulsus est a nobis, sed postulante a nobis fratre nostro Ill. eo quod ex familia nostra fuerit, fecimus ei libertatem receptam (a) a cornu altaris canonice, & ordinavimus eum ad munus presbyterii, cui etiam has dimissorias fecimus litteras, & ad vestram dilectam fraternitatem dirigimus, ut in vestra parrœchia sub vestro sacro regimine & ditione ei degere liceat, & sacerdotalis officii dignitate potiri. Ego, inquam, in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, & in unitate sanctæ ecclesiæ, in qua Petro datum est jus ligandi atque solvendi, absolvo ADVENTIUS humilis episcopus presbyterum Ill. de civitate Mediomatricorum indictione x. Et licentiam do vobis, ARNULFE venerabilis episcope, inthronizandi eum in quamcumque vultis ecclesiam vestræ parrœchiæ. Dilectam fraternitatem vestram virtutum floribus insignitam omnipotens Deus conservare dignetur. LXXX. CCCC. I. LXXX. I. C. III. CCC. X. Π Υ Α Ρ Τ Τ. indict. DCCCCLXXV.

(a) Observandus hic obiter ritus concedendæ libertatis in cornu altaris.

PRÆCEPTUM CAROLI-CALVI
regis pro Turonensi S. Martini ecclesia.

Plures villas S. Martino ablatas restituit ac confirmat, nonnullasque de novo concedit.

Anno 862. Ex ms. Colbertino. & cartario S. Martini.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, CAROLUS gratia Dei rex. Cum motu instabili tempora labantur mundi, & mens humana nequeat cuncta quæ sunt, B quæ fuerunt, quæque sequentur pro facili colligere sensu, consequens est nostrorum quæcumque juste riteque geruntur temporum judici committere rerum, quatenus futuris temporibus cuncta quæ in regno a Deo nobis commisso, divina favente clementia, more regio fuerunt ordinata, liquidius cunctis patescere conveniant. Quamobrem notum fieri volumus omnibus sanctæ Dei ecclesiæ fidelibus atque nostris, præsentibus scilicet atque futuris, quo- C niam grex venerandus præclarissimi confessoris Dei B. Martini peculiaris patroni nostri adiit culmen munificentiæ nostræ, offerens nutibus nostræ excellentiæ, quomodo per privilegia apostolica, nec non & regalia, videlicet avi nostri CAROLI, & genitoris nostri piæ recordationis domni LUDOVICI quondam augusti, ac nostra, villas sibi ad eorum stipendia deputatas habuerunt, sed ob negligentiam abbatum, cupiditatemque malorum hominum, nec non etiam sævitiam paganorum, maxima ex D parte ferebant sibi substractas, & ob id ad nostra confugientes subsidia, regiam poscebant dignitatem, ut circa eos aut tantorum recolenda decerneremus instrumenta patrum, si fieri posset, inconvulsa manere, aut provideremus eis benignitate regali de eisdem villis quæ possent sufficere secundum necessitatem eorum usibus stipendiorum. Nos quoque horum rationabili suggestione permoti, tantorum patrum ac venerabilium regum instituta summo cultu veneranda, nequaquam removere cupientes, immo omnimodis nostris futurisque temporibus mansura decernentes, una cum E consultu omnium procerum regni nostri, tam ecclesiasticorum virorum, quam & illustrium laicorum, dignum fore duximus, in hac parte eorum consulere petitionibus salutaribus: & licet non ignoremus canonicam institutionem, divina fulcitam auctoritate, ceteris super eminere institutionibus, tamen pro summa necessitate imminentium periculorum, diversorumque eventuum regni nostri, præcipue quidem ut nulli sit abbatum atque rectorum ejusdem sacri loci licitum aliquando nostram secundum suam voluntatem, ullo modo movere constitutionem, ex potiori villarum

rum numero hactenus eis attributo, quasdam villas specialiter, quas & assignari infra decernimus eisdem fratribus ad nutum concedere. Quod & siquidem constat nos omnino libentissime peregisse, eo videlicet tenore, ut ab hinc & in reliquum ipsæ villæ ad id quod præsignatum est eis, libere per superventurá tempora, seclusa omni immutatione abbatum suorumque præpositorum, præter nostram institutionem absque aliqua inquietudine deserviant. Quarum villarum nomina hæc sunt, id est Lugogalus, cum capellis & manso dominicato, & * factis nonaginta duobus, in quibus sunt coloniæ, Cuciacus & Areolus, Viclena, * Abuctarias, atque mansiones quæ olim datæ fuerunt in beneficio, Portus quoque cum capellis atque manso dominicato & & factis quadraginta sex, in quibus est item colonia, Madrimacus, Burgagalus cum capellis videlicet S. Yspani & S. Martini, & manso dominicato & factis triginta, * Culciacus cum capella ac manso dominicato & factis septuaginta, in quibus est colonia, Cibriacus, & Rubrus, & Camariliacus, & Macerias, atque Nus, seu Gebriacus, nec non Buxerias, & Britaniolas, & pratum quod est juxta Cananas, & Tauriacus cum capella & manso dominicato, & factis LIX. * Castanolus cum manso dominicato & factis quadraginta duobus, Odacus cum capella ac manso dominicato & factis LII. Modonna cum capellis & manso dominicato & factis XXIII. & quartis tribus, in quibus consistunt coloniæ, Sociacus & Canarias, seu Mulnitus atque Riliacus, Bladalaicus cum capella, & manso dominicato & factis XLV. Dociacus cum capella ac manso dominicato & factis XXXIV. Restigniacus cum capellis & manso dominicato & factis XL. in quibus habetur colonia, quæ dicitur * Locus Cantacius, cum capellis ac manso dominicato, & factis LVIII. in quibus habetur colonia, Reliacus & Bonitta, Vebredius super Ligerim cum manso dominicato & factis XXXIII. Magittus cum capella ac manso dominicato & factis XLII. in quibus habetur colonia, Vicinias & Burgogalus atque Anthoniacus, Geneforgallus cum capella ac manso dominicato & factis LXXXVIII. in quibus habetur colonia, Codrias & Tagetus, Curbiliacus, Nonavilla, Veniantus in pago Andecavo cum capella ac manso dominicato & factis XLII. in quibus habetur colonia, Cananias, & Linerias cum oratorio, Sadobria cum capellis, scilicet S. Christophori, nec non S. Martini, ac manso dominicato & factis LXXX. uno & medio, in quibus consistit Croniacus cum oratorio, & Fontanas, & Bellus-mons, atque Floriacus, & Præsigniacus cum capella ac manso dominicato & factis XL. in quibus tenentur coloniæ, Analiæ, * Cibraici, & Buxedas, Patriciacus cum capellis scilicet S. Martini ac S. Petri, ac manso dominicato, ac factis XL. & medio in quibus consistit colonia, Belciacus, Aneta cum oratorio, & Cananetus. Item Vabridius in pago Cinomanico super Lidum, cum capella ac manso dominicato & factis XXIX. in quibus continetur ipsa colonia. Vobridius, & Vallis, seu Bolomnius, & * Liviriacus, & curtis Admonis, nec non cultis Macionis cum Silivila, quæ dicitur Lauda. Has denique præfixas & nominatim præscriptas villas quæ noscuntur cum vineis, culturis, silvis, pratis, farinariis, usibus & stipendiis fratrum B. Martini cœnobii deputatæ, quamvis quibuslibet ex eis a rectoribus ejusdem sæpe dicti loci illicita immunitione largiti * fuerint beneficia secundum præsignatam quantitatem factorum, reintegratas eorumdem fratrum victui ac potui more canonico perpetuo habendas decernimus. Denique Antoniacum atque Curciacum cum colonia Vetrorias, sicut jam olim nostris præceptionibus eis ad vestimenta confirmavimus, perenni confirmatione mansuras ad integrum judicamus, * Apociacum vero ad vestimenta ceterosque necessarios usus, Liradum quoque ob Normannorum seu Britonum sævissimam persecutionem ad confugium seu monasterium jure præfixo cum omni integritate concessas fore decrevimus. Concedimus etiam eis juxta monasterium inter Barbicillos & Spicarias ad communem utilitatem eorum, nec non pecora custodienda atque alenda mansellos decem, cum culturis & terris sibi subjectis & deputatis, arpenta CCLI. Hæc omnia in quibuscumque sint pagis, quibuslibet interjaceant territoriis, una cum familia utriusque sexus in eis villis commanenti, vel sibi pertinenti, sub certo numero superius prætaxato illarum, ut jam supra diximus, eorum utilitati in victu & potu & vestimentis seu calceamentis, nec non & confugio, sicut cum bonorum virorum ac procerum nostrorum consilio ordinavimus, sit quoque perenniter mansurum atque inviolabiliter secundum canonicam institutionem ordinationemque proprii abbatis, decani, seniorumque ejusdem loci fratrum manere atque ordinari decrevimus, sicut jam superius præmemoratum est. His itaque divina inspiratione collatis beneficiis, non indebite, ut remur, statuimus, atque ratum fore judicamus, ut in eleemosyna genitoris & genitricis nostræ, atque nostra, seu carissimæ conjugis prolisque nostræ, & eorum virorum qui ecclesiam B. Martini suis ditaverunt rebus, nona pars ex omnibus frugibus & ex vino tam de villis dominicatis, licet in beneficio habeantur, vel deinceps dentur, quam

* al. Mispent.
* al. Butarias.
* al. LXXX
* al. XXXIX
* al. Lacus Catinicius.
* al. Tribaraici.
* al. Liniacus.
* al. largita.
* al. Marciacum.

etiam ex eis quæ fratribus tribuuntur, videlicet ex omnibus quæ tempore memorandi domini & genitoris nostri ad usus abbatum vel fratrum deputatæ fuerant, hospitali reddatur integerrime nobilium. Hospitale vero pauperum antiqua constitutione permaneat. Tecturam vero monasterii & omnem emendationem undecumque tempore avi & genitoris nostri consueverunt facere exinde peragant. Statuentes autem per hanc nostram auctoritatem præcipimus, ut ab hoc temporis termino regni nostri, in quo Deo auctore consistimus, id est anno XXII. publicæ * actionis curam administrando, nemo quilibet regum successorum nostrorum, principum seu rectorum quorumlibet ordinum aut abbatum vel laicorum, ab hac nostra institutione quippiam imminuere aut immutare, vel distrahere, seu inquietare præsumat; sed sicut cetera statuta regum conservata custodiuntur, sic hæc quoque nostræ præceptionis auctoritas inviolabiliter ab omnibus conservetur, refectiones interea fratrum ex more debitas præter villas dominicatas undecumque, sive de cellis atque precariis eidem abbatiæ pertinentibus, vel a catholicis viris in reliquum conferendis, simul per hoc nostræ auctoritatis præceptum eisdem suis temporibus persolvendis decernimus; inter quas censemus ipsis fratribus ex villa Adrisciaco refectionem unam plenariam in transitu domni & genitoris nostri HLUDOVICI, quam ipse beato delegaverat Martino, quod evenit XII. calendas Julii. Concedimus etiam eidem sancto per hoc nostræ dignitatis præceptum, villam quæ vocatur Mons, sitam in pago Miliduno, quam genitor noster genitrici dederat nostræ, & ipsa in extremo sui temporis præfato S. Martino delegare proposuerat, cujus sacram devotionem jure debito nos adimplentes, ob eleemosynam genitoris nostri, & ejusdem nostræ genitricis ac nostram, seu dilectæ uxoris prolisque nostræ instituimus in die obitus sui, quod evenit XIII. calendarum maiarum, exinde similiter plenariam refectionem, ac VI. cal. Januarii, id est tempore ac die, quo Domino annuente in regni fastigio consecrati & ordinati sumus. Similiter aliam eisdem fratribus ex eadem villa Monte refectionem administrari ordinavimus, quatenus eisdem fratribus pro nobis ac totius sanctæ Dei ecclesiæ statu & pro universali pace devotius Deum exorare complaceat. Et ut hæc præceptionis auctoritas per superventura tempora ab omnibus Deum timentibus & sanctos ejus reverentibus custodiatur atque diligentius conservetur, manu propria subter eam firmavimus, & de bulla nostra solemniter insigniri jussimus.

* *al.* ditionis.

NOTA.

Signum CAROLI gloriosissimi regis.

HILDEBALDUS regiæ dignitatis notarius ad vicem LUDOVICI recognovit.

Datum IX. calendas Maii, indictione X. anno XXII. regnante Carolo gloriosissimo rege.

Actum Turonis civitate in Dei nomine feliciter. Amen.

PRÆCEPTUM CAROLI-CALVI regis Francorum pro Turonensi sancti Martini ecclesia.

Confirmat illius immunitates.

Circa 861. *Ex mss. Colbertino & cartario S. Martini.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, CAROLUS gratia Dei rex. Si commoditatibus, & honestatibus, necessitatibusque locorum divinis cultibus mancipatorum, servorumque Dei in eisdem degentium, sagaciter providemus, regiæ præcellentiæ opera frequentamus, ac per hoc facilius nos æternæ beatitudinis gloriam adepturos procul dubio confidimus, & auxilium supernæ pietatis propterea nobis ad præsentem vitam felicius transigendam affuturum nullatenus ambigimus. Itaque notum sit omnibus sanctæ Dei ecclesiæ fidelibus & nostris præsentibus atque futuris, quia orandi seu aliorum negotiorum regni ordinandi gratia, ad monasterium peculiaris patroni nostri B. Martini venientes, ubi ejusdem reverendosum corpus veneranter humatum excolitur, cui etiam abbatis officio præsidere, divina largitate & nostra commissione, venerabilis vir (*a*) HUCBERTUS abba cognoscitur, & inter reliqua de ejusdem sacratissimi loci, clericorumque in eo Christo famulantium necessitatibus ac utilitatibus diligentius sciscitaremus atque requireremus; quia regum cultibus idem locus ceteris honorabilior & excellentior erat, ut nos quoque participes retributionis eorum esse mereamur, placuit præcellentiæ nostræ, pro levandis loci & clericorum detrimentis, & pro pellendis omnium adversantium impedimentis, a progenitoribus nostris, & a nobis etiam factam immunitatis præceptionem innovare, eidemque loco ad perpetuum tutamentum de rebus omnibus per omne regnum nostrum sitis ipsi pertinentibus, de more eorumdem regum & progenitorum nostrorum fieri jubere, scilicet ut pro nobis eumdem præclarissimum sanctorum angelorum concivem inter omnes hujus sæculi adversitates semper possimus habere continuum interventorem. Præcipientes ergo jubemus atque præcipimus, ut nullus judex publicus, aut quilibet superioris aut inferioris ordinis reipublicæ procurator, ad causas judiciario more

(*a*) Hucbertus filius Bosonis comitis frater Tetbergæ reginæ uxoris Lotharii regis, clericus uxoratus fuit, quem annales Bertiniani ad annum 874. ab hominibus Ludovici imperatoris occisum tradunt.

audiendas, in monasteria, sive ecclesias, aut villas, seu reliquas facultates, quas instanti tempore in quibuslibet provinciis aut territoriis regni nostri juste & legaliter tenet, vel deinceps in jure ipsius monasterii superna dispensatio voluerit addi, conetur ingredi, nec freda, aut tributa, aut mansiones, aut paratas, aut teloneum, aut mansionaticum de mansionibus in burgo sitis, sicut in præcepto domni & genitoris nostri continetur, extorquere, aut fidejussores tollere, aut homines tam ingenuos quam servos super terram crebro dicti monasterii commanentes, distringere, nec ullas publicas functiones aut redhibitiones requirere, quibus idem monasterium sibique adtinentes aliquod injuste patiantur expedire, nostris futurisque temporibus quisquam tam temerarius existat, qui id faciendi illicitam potestatem sibi usurpare attentet. Quicquid vero de præfatis ejusdem monasterii rebus in jus fisci nostri cedendum fuit, & a decessoribus nostris comperimus collatum, & largitionis nostræ munere plene, volumus esse per immensum eidem venerando loco concessum, ut id remoto fisci dominatu ad luminarium basilicæ beati Martini augmentum, & ad sustentationem pauperum seu clericorum in eodem loco Domino deservientium sit supplementum. Interea ad excludendum penitus omnis telonii repetitionem, pro amplioris remunerationis præmio, placuit subjungere, ut quandocumque noster aut quorumlibet divina dispensatione successorum nostrorum orationis causa, aut cujuslibet alterius negotii gratia, ad eumdem sæpedictum sanctum locum adventus fuerit, nullum omnino telonium a ministerialibus palatii, vel a quolibet alio nullatenus requiratur aut exigatur, de vino aut quibuslibet rebus clericorum venditis pro eorum utilitatibus, aut necessitatibus intra claustra plerumque dicti monasterii, neque de hominibus juris B. Martini in burgo ejusdem exterius commanentibus sive degentibus. Si quis autem in tantam prorumpere ausus fuerit audaciam, ut hujus præcepti nostri violator existat, quemadmodum in præceptione domni & genitoris nostri continetur, non solum in offensam nostram lapsurum, verum etiam sexcentorum solidorum auri ad purum excocti se noverit pœna multandum, ex qua duas partes rectores memorati monasterii, tertiam vero jus fisci recipiat. Dignum namque justumque est, ut tot piorum regum decessorum nostrorum, nostrique præcepti violator hujuscemodi * subsistat pœnam, ut & se tantæ temeritatis merito argui cognoscat, & ceteris ne id agere quolibet ausu pertentet, timorem incutiat, ut nullus scilicet beneficia regalia locis Deo dicatis veneranter exhibita temerare conetur. Volumus itaque atque censemus, ut remota totius judiciariæ potestatis inquietudine, quieto ordine, memoratus abba suique successores præfati monasterii cum omnibus sibi subjectis, vel ad se aspicientibus, seu pertinentibus hominibus, sub immunitatis atque protectionis nostræ defensione consistant, nostroque fideliter parentes imperio, pro incolumitate nostra, conjugis, & prolis, seu etiam imperii a Deo nobis collati, ejusque gratissima miseratione perpetuo conservandi, una cum clero sibi commisso Dei immensam clementiam jugiter exoret. Et ut hæc auctoritas inviolabilem obtineat effectum, & a fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ & nostris verius credatur, ac diligentius conservetur, manu propria subterfirmavimus eam, & anuli nostri impressione signari jussimus.

*f. sustineat.

Signum CAROLI gloriosissimi regis.

LIFRIDUS diaconus ad vicem LUDOVICI recognovit.

Data VI. cal. Maii indictione X. anno XXII. regnante CAROLO gloriosissimo rege.

Actum Turonis urbe metropoli, in Dei nomine feliciter. Amen.

DIPLOMA CAROLI-CALVI regis pro Turonensi S. Martini ecclesia.

Mansum Bernardi latronis ei concedit.

Anno 862. Ex cartario S. Martini

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis CAROLUS misericordia Dei rex. Si petitionibus servorum Dei pro quibuslibet ecclesiasticis necessitatibus aures nostras pulsantium libenter annuimus, & ad divinæ potentiæ in locis Deo dicatis famulandum auxilium porrigimus, id nobis procul dubio & ad mortalem vitam temporaliter deducendam, & ad futuram felicius obtinendam, commodum provenire confidimus. Itaque notum sit omnibus sanctæ Dei ecclesiæ fidelibus & nostris, præsentibus scilicet & futuris, quoniam canonici ex cœnobio incliti confessoris Christi B. Martini, ubi ejusdem reverendosum corpus veneranter humatum excolitur, una cum consensu venerabilis abbatis nostri HUCBERTI rectorisque jam dicti loci, nostram suppliciter adierunt sublimitatem, poscentes in eleemosyna nostra, quemdam fisci nostri mansum, quem Bernardus qui ob immanitatem sui sceleris latrocinando in nostram irruit offensam, quondam visus fuit possidere, cum omni ejus integritate peculiari patrono nostro gloriosissimo confessori Christi beato Martino, atque eisdem fratribus inibi Deo famulantibus regia dignitate largiri dignaremur. Ipse siquidem mansus in pago Turonico, in vicaria Seguncíacinse, in loco qui dicitur Adilla Lauda, juxta villam eorum Tauriacum noscitur fore situs: quorum petitionibus, quoniam omnifario

rationabiles esse inspeximus, libentissime aurem benignitatis nostræ inclinantes, ob æternæ remunerationis amorem, ac dilectæ nobis conjugis, prolisque nobilissimæ incolumitatem, hoc nostræ auctoritatis præceptum fieri, darique eis jussimus, per quod præscriptum mansum cum omni integritate, seu olim, ut diximus, Bernardus latrocinator ipsum visus est possidere, scilicet cum terris, vineis, silvis, pratis, domibus, ædificiis, & quicquid ad eumdem mansum pertinet, & ipse dum advixit, jure proprietario possedit, cumque suis appendiciis prælibato inclito confessori Christi beato Martino atque suis clericis ad eorum peculiare augmentandum sancimus mancipandum, integerrimeque deserviendum cedimus. Si quis autem sua cupiditate, aut alicujus maligna suggestione hujus nostri præcepti temerarius violator esse tentaverit, socio fisco ac regali lege auri libras xxx. mulctetur, deinceps vero hoc opus nostrum prius, favente Domino inviolabiliter perseveret intactum. Ut autem hæc nostræ largitionis regalis institutio firmior habeatur, atque nostris, futurisque temporibus ab omnibus diligentius conservetur, anuli nostri impressione subter eam insigniri more regio jussimus.

VAVOLEMUS regia dignitate cancellarius ad vicem LUDOVICI recognovi.

Data VI. idus Maii indictione decima, anno XXII. regnante Carolo gloriosissimo rege.

Datum Curtæ Odonis-villa, super amnem Liberitum, in Dei nomine feliciter. Amen.

DIPLOMA CAROLI-CALVI regis pro monasterio Elnonensi.

Aliqua ei concedit seu confirmat prædia ad luminaria, & ecclesiæ ornamenta.

Anno 863. Ex cartario Elnonensi.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, KAROLUS gratia Dei rex. Cum locis Deo dicatis, & sanctis ejus, vel nova dona concedimus, vel vetera confirmamus, mercedem a Deo, cui hæc conferimus, & a quo ea accepimus, in æterna beatitudine nos credimus recepturos. Proinde ergo cognoscat omnium fidelium sanctæ Dei ecclesiæ nostrorumque diligentia nec non & futurorum, quod ad gloriam nominis Dei, & reverentiam B. Amandi confessoris, quem intercessorem habere cupimus, ad sacrum altare ejusdem omnipotentis Dei & venerabile sepulcrum præfati confessoris ex monasterii facultatibus delegamus, hoc est in pago Bracbandinsi, in villa nuncupante Alanio, mansa integra XVIII. cum bunuariis XII. cum mancipiis ibidem pertinentibus, sive commanentibus, & quidquid ad ipsum locum pertinet, & in alio loco in ipso pago, in villa nuncupante Neonisio, mansa integra XXII. cum bunuariis XII. cum omnibus servitoribus ibidem aspicientibus, sive desuper residentibus, seu quicquid ad ipsam villam respicit. Et in Diptiaco mansum unum cum vitreario Baldrico. Et in Barisiaco mansum dimidium cum ipso vitreario Ragenulfo, cum uxoribus & infantibus eorum, nec non & illum alodem, quem Rogdo tradidit ad sepulcrum S. Amandi, hoc est in villa *Lizia.as* mansum dominicatum cum ædificiis & terris & silvis & pratis, cum vineis, cum servitoribus VI. quicquid ibidem habuit. Et in alio loco in villa nuncupante Baliolo omnem medietatem tam in ædificiis quam in terris, & silvis, & pratis, & mansos VI. cum hominibus ibidem aspicientibus. & in Witiconia mansionilem unum. Et in Culbraco mansionilem unum cum omnibus mancipiis, seu terris, sive silvis ad eosdem mansioniles pertinentibus, sive desuper residentibus. Et in Nivella mansos integros VI. cum silva ibidem appendente, ubi manent homines desuper XII. in his memoratis locis cum omni integritate ad ipsa loca pertinentia sive in ecclesiis, sive in silvis, vel in molendinis, nec non & in terris aut mancipiis, quicquid ad ipsa loca superius nominata pertinent vel resident, omnia damus, tradimus, & in perpetuum ad luminaria ecclesiæ memoratæ & reliqua ornamenta cunctorum temporum decursu proficiendo deserviant. Unde hoc præcellentiæ nostræ præceptum fieri jussimus, per quod specialiter decernimus atque jubemus, ut memoratæ res ad nullos alios usus a quolibet rectore subtrahantur, sed in nostra eleemosyna & ad posteritatis nostræ salutem in præsenti nostra constitutione permaneant. Et ut hæc nostræ auctoritatis largitio pleniorem & inconvulsam in Dei nomine semper obtineat vigorem, & certius credatur, manu propria subter eam firmavimus, & anuli nostri impressione roborari jussimus.

Signum KAROLI gloriosissimi regis.

HILDEBOLDUS notarius ad vicem HLUDOUVICI recognovi.

Data XII. calendas Octobris, indictione XI. anno XXIIII. regnante Karolo gloriosissimo rege.

Actum monasterio S. Amandi, in Dei nomine feliciter. Amen.

JUDICIUM

in ſolemni prælatorum & epiſcoporum conventu in Vermerienſi palatio prolatum in gratiam Aniſolenſium monachorum adverſus Robertum epiſcopum Cenomanenſem & ad Nicolaum papam directum.

EXEMPLAR NOTITIÆ QUALITER DOMINUS NOSTER KAROLUS FILIUS VESTER CHARISSIMUS QUERELÆ (a) ROTBERTI EPISCOPI FINEM DEDIT.

[a]

Anno 863. Ex archivis Aniſolenſis monaſterii.

CUM reſideret excellentiſſimus ac glorioſiſſimus rex KAROLUS in Vermeria palatio, in conventu venerabilium archiepiſcoporum, epiſcoporum, abbatum, clerique ceteri ordinis, cum illuſtribus comitibus, & vaſſis dominicis, ac compluribus nobilium virorum, quorum nomina ſubter tenentur inſerta, aliiſque non paucis, qui numeroſitatis gratia nominatim comprehendi nequeunt, ad diverſas emergentium cauſarum conſiderationes tam eccleſiaſticas quam ſæculares tractandas, atque juſte & legaliter deffiniendas, ventilare cœpit controverſiam ortam inter ROTBERTUM Cœnomanicum epiſcopum & INGELGARIUM monaſterii ſancti Charilephi abbatem, pro qua maxime per ammonitionem reverendi papæ NICOLAI domnus rex ad eumdem conventum venerat. Recitata autem epiſtola ab eodem apoſtolico domno regi directa, narrabat cœnobium ſancti Charilefi poteſtati epiſcopatus prædicti ROTBERTI injuſte ſubtractum, & ut ei reſtitueretur expoſcebat; cujus metropolites HERARDUS legens ſcriptum, pro præfata altercatione ſibi ab eodem papa directum, invenit ceteros eum ſyllabatim rogaſſe antiſtites, ut ipſi Rotberto ad ipſum monaſterium adhipiſcendum unanimiter opem ferrent: quæ litteræ coram prolatæ, oſtenderunt eidem ROTBERTO quartam miſſam epiſtolam, eâdemque oſtenſâ, inventum eſt monachis prædicti cœnobii quintam miſſam, quarum tres hactenus domnum regem, & pontifices ac ceteros aſſiſtentes latuerant, eodem eas ROTBERTO occultante. Tum juxta ejuſdem apoſtolici mandationem & ſacrorum canonum inſtitutionem, idem

A Rotbertus ex propria diœceſi tres elegit judices, HERARDUM ſcilicet Turonicum metropolitem, DODONEM Andegavenſium & ACTARDUM Nannetenſium antiſtitem: quorum examine idem terminaretur conflictus. Vocati autem ſæpe dicti cœnobii monachi, & coram interrogati reſponderunt ſe illuc per obedientiam proprii abbatis veniſſe, nec eſſe ſui officii, ut ex hoc cum quolibet in rationem intrarent. Interrogatus etiam eorum abbas, reſpondit, per odedientiam & munificentiam ipſius regis B ſub monaſtica profeſſione ſe ipſum tenere monaſterium, & exinde ei debitum exhibere famulatum. Tunc ſurgens glorioſus rex, ſtetit ante prædictos judices, & manifeſte oſtendit ex parte attavi, avi, & genitoris, jure hereditario, ſine ullo cenſu, ſe ipſum poſſidere monaſterium, ac ſigillatim monachis, abbatibus illud gubernardum commiſiſſe, addiditque, quod excuſante ſe RAINALDO ex eadem abbatia, ipſe ROTBERTUS cum FRODOINO abbate, regio juſſu electionem ibi fecerit, & nihil ex hac re ſonuerit. Patratâ vero electione, ipſum monaſterium petierit, ac illud ei non reſti- C tuendo, ſed beneficii nomine largiendo commiſerit, non recolens eiſdem monachis regali auctoritate & pontificali privilegio conceſſum, ex ſeſe abbates ſibi eligendo præficere. Hinc judicio epiſcoporum inventum eſt, ut utriuſque partis auctoritates inconvulſæ ſervarentur, & datus eſt eis dies ſtatutus ad diſcernendum, cujus juſte ac legaliter refutanda, cujuſve eſſent ſcripta approbanda & tuenda. Cui placito ipſe domnus rex & monachi interfuerunt, & idem epiſcopo illo venire atque legatum D ſuum mittere diſtulit. Interea ſacrorum ſtatuta auctoritatum & ſæcularium jura legum prolata demonſtraverunt, inſuper omnes epiſcopi & ceteri aſſiſtentium aſſenſum præbentes judicaverunt, ut quia de rebus eccleſiaſticis agebatur negotium, & aliter nullo modo definiri poterat, admitterentur advocati utriuſque partis, regalis videlicet & epiſcopalis, quatenus his altercantibus veritas nudaretur, & ad debitum celerius terminum cauſa perduceretur. Quibus datis, præcellentiſſimus rex, repetito E conſeſſu, accepit judiciariam poteſtatem. Advocatus autem epiſcopalis HALDRICUS nomine regis advocatum interpellavit no-

(a) Ineunte ſæculo IX. Aniſolenſe monaſterium, quod ab ipſo fundationis exordio ſub ſua protectione reges Francorum ſuſceperant, epiſcopi Cenomanenſes ſibi ſubjicere tentarunt. Aldricus in primis vir ſanctus & eccleſiæ ſuæ exaltationi intentus, pro ea qua apud Ludovicum regem pollebat auctoritate, nullum non movit lapidem, ut Aniſolenſes ſibi monachos ſubderet. Aldricum imitati ſunt Franco & Robertus præſules. Verum Aniſolenſium libertatem aſſeruerunt Galliarum epiſcopi in concilio apud Bonoilum villam juſſu Caroli regis congregato, quod concilium primi edidimus in nova noſtra collectione quæ Rothomagi prodiit anno 1700. Hujus diffinitionem decem poſt annis confirmaverunt epiſcopi in Piſtenſi ſynodo. Verum ab eorum ſententia ad ſedem apoſtolicam provocavit Robertus, qui a Nicolao papa tres obtinuit epiſtolas, unam ad monachos S. Carilephi, alteram ad univerſos epiſcopos in regno Caroli conſtitutos, tertiam ad Carolum ipſum regem, qua rogat ut hæc cauſa a metropolita Turonenſi ejuſque comprovincialibus epiſcopis iterum examinata terminetur. His acceptis litteris, Carolus regni ſui proceres epiſcopoſque in Vermeria palatio congregavit. Iterum cauſa ventilata, ſecundum monachos S. Carilephi judicatum eſt, & ſententia ad Nicolaum papam per Odonem Belvacenſem epiſcopum miſſa eſt, qui eam confirmavit. Hanc quidem ſententiam edidit Mabillonius in Annalibus Benedictinis, ſed truncatam & omnibus ſubſcriptionibus deſtitutam. Nos integram cum ſuis ſubſcriptionibus damus.

[a] mine WIDONEM, dicens quod res sancti (a) Gervasii, id est monasterium sancti Charilefi, unde strumenta se habere dicebat, & antecessores ejusdem ROTBERTI FRANCO & HALDRICUS tenuerant, regia potestas, cujus ille advocatione fungebatur, ei malo ordine & injuste contenderet. Ipsi vero respondit, quod res quas ei quærebat, imperatores Francorum hereditaverint domno regi KAROLO; & non solum triginta, sed etiam trecentis annis absque censu & absque ulla repetitione ad proprium tenuerint. Tunc domnus rex interrogando adjuravit WENILONEM Senonensem, & HELMERADUM Ambianensem, & HERPUINUM Silvanectensem episcopum, qui temporibus piissimi HLUDOVICI fuerant: ADALARDUM quoque illustrem comitem, secretorum ejus conscium & administrum, qui veraciter testati sunt, ipsum monasterium præscripto HALDRICO non restitutionis, sed beneficii jure largitum. Interrogatus quoque idem advocatus episcopi, & WITTO ejus homo, idipsum professi sunt, nec enim prætaxatus episcopus HALDRICUS idem monasterium amplius quam duobus annis & dimidio habuit: FRANCO etiam ejus antecessor, non amplius quam novem annis illud tenuit, & in vita sua retento episcopatu amisit: cum episcopium uterque illorum pluribus annis rexerit. His ita elucidatis, reverendi antistites, & nobilissimi proceres, & ceteri assistentes apertissime cognoverunt, cognoscentesque affirmaverunt, regiam ejusdem monasterii præponderare possessionem, quæ numquam & nusquam interrupta fuerit, sed continuatim inconvulsa manserit: episcopale vero ideo refutandum dominium, quia ejus non vera, nec effectum habentia apparent instrumenta, nec habuerit quisquam pontificum idem monasterium, nisi jure beneficii, per munificentiam principalem. Advocatus igitur episcopi veridica professus est ratione non habere se vera & legitima instrumenta, per quæ idem monasterium tenere posset. Unde & se concredidit, & nulla principis aut judicum vi aut oppressione, sed propria voluntate, & justo omnium assistentium judicio, easdem res cum querela warpivit, & ne materia refricandæ litis ulterius remaneret, jussit domnus rex ut instrumenta Cœnomanicæ ecclesiæ, quæ inutilia & falsa probata erant, intra quartum decimum diem in ejus exhiberentur præsentia, penitusque abolirentur, ne iterum per illa frustra aliquando innovarentur litigia, & tempora quorumlibet judicium inaniter occuparentur. Propter notitiam namque rerum, ne umquam oblivione elaberentur, judicatum est, ut omnia

(a) Id est Cenomanensis ecclesiæ cathedralis, quæ S. Gervasio sacra est.

A hæc fideliter litteris alligarentur, & in quorum præsentia publice gesta essent, viritim comprehensis eorum indicaretur vocabulis, & ut perpetuum vigorem cuncta præferrent, omnemque falsitatis effugerent suspicionem, regio munirentur sigillo.

In horum præsentia actum est HINCMARI archiepiscopi, WINELONIS Senonensis archiepiscopi, item WINELONIS Rothomagensis archiepiscopi, HERARDI archiepiscopi, DODONIS episcopi, HERLUINI episcopi, AGII episcopi, HERPUINI episcopi, B ACTARDI episcopi, GUNBERTI episcopi, HELMERADI episcopi, HILDEBRANNI episcopi, HILDEGARII episcopi, VINTFRIDI episcopi, ENEÆ episcopi, item HINCMARI episcopi, ARCHANRAUSI episcopi, GISLEBERTI episcopi, ISAAC episcopi, ODONIS episcopi, WALBERTI episcopi, RAGANELMI episcopi, CHRISTIANI episcopi, EULERICI episcopi, GOSLINI abbatis, FRODOINI abbatis, BERNARDI abbatis, WALAFADI abbatis, TRESULFI abbatis, GOTEFRIDI abbatis, ADA- C LARDI comitis, HUTONIS comitis, HAIMADEI comitis, ARDUINI comitis, FULCONIS comitis, HERIMFRIDI comitis, BERTALDI comitis, GERARDI comitis, HEDDONIS comitis, SIGERAMNI comitis, BERANGARII comitis, AIRICI comitis, THEODERICI comitis, GRIFONIS comitis, BERNARDI comitis, URSONIS comitis, ALBOINI comitis, BERTRAMNI comitis. CONSTANTII, ADALUNASCI.

BAGANARIUS notarius ad vicem ARBER- D TI comitis palatii recognovi.

Data quarto calendas Novembris, indictione XII. anno XXIIII. regni KAROLI gloriosissimi regis.

Actum Vermeriæ palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

PRÆCEPTUM HLOTHARII regis super commutationem Faraberti & ejus donationem.

IN nomine omnipotentis Dei & Salvatoris nostri JESU-CHRISTI, HLOTHARIUS E divina præveniente clementia rex. Si ea quæ fideles regni nostri inter se commutaverint, nostris confirmamus edictis, regalem exercemus consuetudinem, idque in postmodum jure firmissimo mansurum esse decernimus. Quapropter omnium fidelium nostrorum præsentium scilicet & futurorum noverit universitas, quod nos cum venerabili abbate cognomento ANSBALDO, & dilecta congregatione cœnobii Salvatoris quod Prumia nuncupatur, de quibusdam rebus pro communi utilitate quemdam fecimus commutationem. Constat igitur esse datum ex rebus nostræ proprietatis eidem abbati, partibus videlicet jam fati

Anno 864. Ex cartario Prumiensi.

cœnobii, perenniter ad habendum, quidquid in locis subnixis hactenus regalis obtinuit potestas, id est in pago Bunninse, in loco nuncupate Lezzinicha, nec non & in pago Coloniensi in superiori & inferiori *Horoheim* simul cum ceteris domibus, ceterisque ædificiis, pratis, pascuis, silvis, aquis, aquarumve decursibus, exitibus & regressibus, seu mancipiis utriusque sexus desuper consistentibus. Contulit e contra partibus juris nostri perpetuo ad habendum memoratus ANSBALDUS cum reliquorum voto monachorum, ex rebus monasterii S. Salvatoris, quidquid in pago Tulpiacensi, in villa vel marca quæ vocatur Herigarda, habere videbatur, id est ecclesiam unam simul cum terris, domibus, ceterisque ædificiis, pratis, pascuis, silvis, aquis, aquarumve decursibus, exitibus & regressibus, nec non & mancipiis utriusque sexus desuper commanentibus. Sed ut per succedentia tempora, nostrisque & successorum nostrorum temporibus commutatio ista inviolabilis valeat permanere, hos eminentiæ nostræ jussimus apices fieri, per quos statuentes decernimus atque sancimus, ut quicquid pars una juste & rationabiliter alteri contulit parti, per hanc auctoritatem jure firmissimo teneat atque possideat, faciatque quicquid elegerit vel voluerit. Et ut hæc nostra auctoritas firma perseveret, manu propria firmavimus, & anulo nostro sigillari jussimus.

ERCAMBOLDUS notarius recognovit.

Data XII. cal. Junii, Aquisgrani palatio indictione XII. anno regis Hlotharii nono.

PRÆCEPTUM CAROLI-CALVI regis pro Suessionensi S. Crispini monasterio.

Fulberti diaconi donationem quinque mansorum in Fabrorum-curte confirmat.

Anno 864. *Ex cartario S. Crispini.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, CAROLUS Dei gratia rex. Cum enim fidelium nostrorum ratis petitionibus dignanter consulimus, promtiores eosdem erga nostrum fideles obsequium, procul dubio reddimus. Igitur noverit omnium sanctæ Dei ecclesiæ fidelium & nostrorum, præsentium scilicet & futurorum industria, quia dilectus nobis diaconus noster Fulbertus nomine, ad nostram accedens serenitatem, innotuit, qualiter res quondam sibi nostra benignitate largitas, ob animæ remedium fratribus SS. martyrum Crispini & Crispiniani a die præsente per strumenta cartarum delegasset, suntque sitæ in pago Orcinse, super fluvium Ure, in villa nuncupata Fabrorum-curtis, mansa quinque cum mancipiis decem & septem inibi commanentibus in traditione adnixa continentur. Idcirco petiit humillima submissione magnificentiam nostram, quatenus dignaremur hanc suam largitionem nostræ auctoritatis præcepto mansuram confirmare, qua auctoritate memorati fratres plenius fulti, ad juris illorum proprietatem, repulsis omnium circumlatrantium retractationibus ac querimoniis, jure firmissimo easdem res valeant possidere. Cujus petitionem ratam ac deificam cognoscentes, libenti animo suscepimus, eique per omnia acquiescere dignum duximus. Unde hoc celsitudinis ac magnitudinis nostræ præceptum memoratis fratribus fieri darique jussimus, per quod præcipimus atque firmamus ut sicut in cartula suæ traditionis scriptum videtur, nemine inquietante, sed Domino auxiliante, securiter firmiterque teneant, ordinent atque disponant ipsi canonici successoresque illorum. Ut autem hæc nostræ confirmationis auctoritas firmior haberetur, & a fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ melius conservetur, anuli nostri impressione subter eam jussimus sigillari.

HILDEBOLDUS notarius ad vicem HLUDOUVICI recognovi.

Data VII. calendas Augusti, indictione XII. anno XXV. regnante CAROLO gloriosissimo rege.

Actum monasterio S. Medardi, in Dei nomine feliciter. Amen.

PRÆCEPTUM DOMNI HLOTHARII regis pro monasterio Prumiensi.

Confirmat Prumiensi monasterio villam Villantiam a viro illustri Richardo concessam.

Anno 865. *Ex cartario Prumiensi.*

IN nomine omnipotentis Dei & Salvatoris nostri JESU-CHRISTI, HLOTHARIUS divina ordinante clementia rex. Satis nostram liberalissimam decet sublimitatem, ut nutantia quæque, & propriam adeo carentia firmitatem, ad integram perducamus soliditatem, uti nostra præceptione rata atque subnixa, tenorem suæ stabilitatis valeant in ævum tenere. Causam igitur ad quam Deo inspirante sumus venturi, pene omnium sanctæ Dei ecclesiæ fidelium nostrorumque præsentium universitas novit, qualiter nos illo tempore, quo serenissimus avus noster HLUDOWICUS hujus regni gloriam potiebatur, nec non & Italici quondam divæ memoriæ genitor noster clarissimus imperator, contulit idem avus noster viro illustri (a) RICHARDO auctoritatis suæ præcepto res quasdam ad proprium conjacentes, videli- [a]

(a) De hoc Richardo vide quæ supra observavimus ad diploma Ludovici Pii anno 839. eidem concesso, ex quo ut & ex isto apparet quam merito *perfidus Richardus* appellatur a Thegano de gestis Ludovici Pii. Porro quantum lucis ex duobus his diplomatibus accedat historiæ depositionis piissimi imperatoris facile advertunt eruditi lectores.

get in comitatu Arduennensi, id est villam, quam nuncupant Villantiam. Hic siquidem per paululum ob amorem genitoris nostri dividens se ab ejus avi nostri famulatione, cunctaque beneficia & omnes relinquens proprietates, in Italiam profectus est, patri inclito nostro famulaturus. Hanc itaque causam avus noster infidelitati reputans, memorato RICHARDO præfatam villam, quia ab illius obsequiis recesserat, suo quoque fisco sociavit. Verum non longo post tempore genitor noster ex Italia una cum eodem (a) RICHARDO Franciam repetens, atque miserante Deo ad paternam, indultis omnibus, cum fuisset reversus concordiam, fuit etiam illi memorata villa imperiali auctoritate restituta. Isdem postmodum RICHARDUS jam circa finem obitus sui ob divinum amorem, & animæ suæ remedium, villam ipsam seu alias res suæ proprietatis germano suo BIVINO, nec non & GERARDO tunc temporis comiti palatii, atque BASINO qui & TANCRAUS ea conditione tradidit, quatenus illi vicem complentes, ipsi ecclesiæ sancti Salvatoris, cœnobio scilicet Prumiacensi, ob retributionis æternæ commercium, funditus a die præsenti traderent, sicuti egisse illos traditio testamenti docet, nec non & præceptorum patris nostri super hoc rescriptum apertissime declarat. Has denique firmitates venerabilis abba ANSBALDUS & ceteri fratres nostri, nostrisque fidelibus deferentes obtutibus, postulaverunt eadem auctoritatis nostræ præcepto firmari: quorum devotissimas gratanter preces suscipientes, hos egregiæ dignitatis imperavimus apices fieri, in quibus sæpedictam villam cum omnibus appendiciis suis pro remuneratione animæ, ceu & genitoris nostri seu genitricis nostræ, pro salute insuper nostra, & augmento animæ jam fati RICHARDI venerando S. Salvatoris monasterio corroboramus, quatinus per hoc excellentiæ nostræ decretum temporibus nostris & successorum nostrorum usibus atque necessitatibus in eodem loco Christo militantium, sine ullius contradictione, jugiter famulentur. Et ut hoc nostræ auctoritatis & confirmationis decretum firmum & inviolabile servetur, manu propria illud roborantes, anuli nostri impressione jussimus signari.

Signum HLOTHARII gloriosi regis.

ERKAMBOLDUS regiæ dignitatis archicancellarius recognovit.

Data nonas Martii, anno Christo propitio regni domni Hlotharii gloriosi regis x. indictione XIII.

Actum Aquisgrani palatio regio, in Dei nomine feliciter. Amen.

Testimonia qui viderunt quod vassus domni HLOTHARII imperatoris nomine FOLRADUS fidejussor existens BIVINI comitis, & GERHARDI comitis atque TANCRAU cum aliis pluribus viris venit in villam Villantiam in pago Arduennæ, quæ olim Richardi comitis fuerat, & supradictos viros pro animæ suæ remedio suggessit eam cum omnibus rebus propriis ex ista parte Rheni fluminis sitis monasterio Prumia delegare, & his omnibus in præsentia imperatoris gestis & confirmatis, supradictus Folradus cum testibus subter adnexis veniens in eadem villa Villantia, & tam de ipsa villa quam de omnibus rebus RICHARDI, sicut supra comprehensum est, manalitis venerabilis MARCWARDI abbatis Goerannum scilicet, Adalbertum & Hibdifrandum, simulque & Theotfredum advocatum ipsius monasterii revestivit, & ipsi easdem res secundum legem insiderunt. Hii sunt testes Gerbernus, Chimeradus, Rocculfus, Bernarius, Meginarius, Gerlacus, Bernardus, Amalwinus, item Bernardus, Thalilo, Richardus, Adalwardus, Huodo, Widfridus, Leibuinus, Nerigaudus, Egiloldus, Sigifredus, Erinbaldus, Erluinus, Folcradus, Huodilbertus. Testimonia in quorum præsentia fuit Vilantia tradita partibus S. Salvatoris. De omnibus vero mancipiis per servum unum nomine Germinianum eosdem missos revestivit.

PRÆCEPTUM DOMNI Hlotharii regis super traditione sive præstaria Hiedildildis illustris feminæ.

Anno 866. Ex cartario Prumiensi.

IN nomine omnipotentis Dei & Salvatoris nostri JESU CHRISTI, HLOTHARIUS divina præveniente clementia rex. Quantum regalis excellentia ceteris mortalibus superexcellit, tantum opem suæ pietatis erga omnes exhibere debet. Quamobrem noverit omnium fidelium sanctæ ecclesiæ, præsentium scilicet & futurorum industria quia GUNTARIUS venerabilis Coloniensis ecclesiæ rector, nostris detulit obtutibus quamdam præstariam ab ANSBOLDO & monachis sancti Salvatoris Prumiacensis scilicet monasterii solemniter roboratam, & omni munimine stabilitam, in qua continebatur, quod quædam femina GERILDIS nomine ob emolumentum mercedis suæ, & abolutionem facinorum, genitoris sui vel genitricis omnes res suæ proprietatis & mancipia in regno nostro, quæ per diversos pagos & loca habuit proprietario jure ad memoratum contulit monasterium; ea scilicet conditione, quia jam fatus abba ceteras res ejusdem monasterii præstario jure tantummodo dum advixerit usu fructuario corroboravit. Deprecans mansuetudinem celsitudinis nostræ, ut eamdem (b) præstariam

(a) Quomodo id factum fuerit, vide apud Theganum de gestis Ludovici Pii cap. 47.

(b) Hanc præstariam tantum anno sequenti scriptis con-

præstariam nostro corroborare non dedignaremur præcepto. Et quia ejusdem feminæ piam conlationem & memoratorum servorum Christi rationabilem assensionem nullo pacto evellendam esse censuimus; ideo hanc nostræ sanctionis conscriptionem fieri statuimus, per quam decernentes jubemus, ut jam fata Gerildis res quas contulit, simul & illas quas ex jure ejusdem monasterii præstario jure adepta est, dum in hac ærumnali superfuerit vita retineat, faciatque ex eis vel in eis prout sua poposcerit utilitas, assidua annuali pensione, quæ plenius in ejus continetur præstaria. Post vero ejus abscessum, præsignatæ res secundum ordinationem monachorum Domino in monasterio Prumiacensi famulantium, ad ecclesiam S. Mariæ quæ ab eadem femina ob divini cultus amorem, in pago Riboariense, & in villa *Bacheim* constructa esse dinoscitur deserviant, prout uberius continetur in præstaria ab eisdem servis Dei fideliter roborata. Et ut hæc nostræ confirmationis auctoritas pleniorem obtineat vigorem, de anulo nostro subter eam jussimus sigillari.

BERLANDUS notarius ad vicem GRIMLANDI recognovit.

Data XVI. cal. Februarii, anno Lotharii regis XI. indict. IXV.

Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

PRÆCEPTUM CONCAMII gloriosissimi Hlotarii regis contra Otbertum per suggestionem Matfridi comitis.

Anno 861. Ex cartario Prumiensi.

IN nomine omnipotentis Dei & Salvatoris nostri JESU-CHRISTI, HLOTHARIUS divina præveniente clementia rex. Dum petitiones fidelium nostrorum placide adquiescimus, nobisque devote famulantium utilitatibus pio favore consulimus, morem piissimorum nostrorum exequimur prædecessorum, eosque sine dubio nostro famulatui ferventiores reddere haudquaquam ambigimus. Omnium itaque sanctæ Dei ecclesiæ præsentium scilicet & futurorum experiatur industria, quia *Matfridus* comes devotusque noster suggessit mansuetudini nostræ, qualiter quidam vasallus suus Otbertus nomine, nobisque admodum amabilis, res quasdam suæ proprietatis, cum rebus juris nostri commutare vellet veluti hujus munificentiæ nostræ series nos fecisse retexit. Dedit itaque prædictus Olbertus ad partem fisci nostri in comitatu Juliacensi in commarca *Bardunbach* curtilem cum arboreta unum, ac de terra arabili & prata jugera XXXIIII. de silva bunuarios XXVI. & molendini loca II. & in villa *Palembach* curtilem unum, ac in terram arabilem & prata jugera XX. & molendini loca duo, & de silva jugera XXX. ac in prato Tulpicensi in villa quæ dicitur *Chesnich* curtem unum, & de terra arabili jugera VII. & in pago Eiflense in villa *Dalaheim*, curtilem I. & in commarca ipsius villæ bifangum unum, ubi possint ædificare mansa centum, nec non insaginari porci mille, & conjacet silva inter *Sundeheim* & *Bansenheim*, cum omnibus quæ in prædictis locis visus fui possidere. Itaque nos jure compensatione suarum rerum reddidimus prædicto Otberto de rebus juris nostri in pago Molense, in commarca *Vuanolon*, beneficium Sigari, inter terram & silvam bunuaria quinquaginta quatuor, cum mancipiis his nominibus, Ramboldo cum sorore sua, & infantes ipsius, sorores tres, ac infantes uxoris prædicti Ramboldi VII. Et de beneficio Meiolo de villa *Dalon* feminas duas, quas habent duo homines fabri ac fratres qui fuerunt homines Conradi & Hildegardis. Et in pago Tulpicensi in villa *Lendesheim*, de beneficio Abraham curtiles IV. & de terra arabili bunuaria LX. & in villa *Bullinghiheim* de beneficio Alberici bunuarium I. & de beneficio Gauweranni bunuarium I. in ipsa villa, ac in pago Eiflense, in villa Feia de beneficio Eliberti curtiles IV. & de terra bunuaria LXVIII. & in villa *Nefresheim* de beneficio Gumberti, & in villa *Arobfesheim*, & in villa Grouwa curtiles IV. & de terra bunuaria L. & de foreste ubi possunt saginari porci CC. Insuper in comitatu Julicense de villa Buslare mansos II. quod habuit Saramannus in beneficio, alterum quod Vuamboldus cum mancipiis his nominibus Gotboldus, Megingardus, *Remigart* & infantibus earum VII. *Folsunit*, *Ovagundrat*, *Vuerimburg*, *Reginburg*. Et de Lotmari villa servum unum *Ratbert*, ac de beneficio Engilmari ancilla una *Ottruch* cum infantibus ejus cum omnibus prædictarum rerum adjacentiis, vel quicquid ad ipsa loca pertinere in mancipiis utriusque sexus, silvis. Quorum precibus benigne faventes hos regiæ dignitatis imperavimus apices fieri, per quos sanximus atque decrevimus, ut hæc commutationis nostræ auctoritas, cuncta per tempora firma & stabilis perseveret, atque deinceps per hoc largitionis nostræ præceptum prædictus Otbertus cuncta jure proprio teneat atque possideat, faciatque sine cujuspiam contradictione quicquid elegerit vel voluerit. Et ut hæc auctoritas nostræ liberalitatis firmior habeatur per tempora, subter manu nostra firmavimus, & anuli nostri impressione signari jussimus.

Signum HLOTHARII gloriosissimi regis

GRIMLANDUS regiæ dignitatis cancellarius recognovit.

signatam e cartario Prumiensi optimæ notæ excepimus, at vero hic verbo tantum factam confirmat Lotharius.

Data XIII. calendas Februarii, anno Christo propitio regni gloriosissimi regis HLOTARII XII. indictione XV.

Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

DIPLOMA CAROLI-CALVI REGIS pro Corbeiensi monasterio.

Ad precem Odonis abbatis quasdam res ei concedit in villa Vasliaco, quam antea ex commutatione ipsi donaverat.

Anno 857. *Ex archivis Corbeiensis monasterii.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, CAROLUS gratia Dei rex. Si locis divino cultui mancipatis ob amorem Dei & sanctorum ejus reverentiam quippiam ex juris nostri rebus conferre studemus, in hoc divinam propitiationem nobis profuturam esse non dubitamus. Itaque notum sit omnibus fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ ac nostris, præsentibus scilicet atque futuris, quod dilectus & carissimus nobis venerabilis vir (a) ODO monasterii Corbeiæ reverendus abbas, ad nostram accedens serenitatem, humiliter postulavit, ut quasdam nostræ proprietatis res pro stabilitate ecclesiastica & servorum Dei in præfato monasterio degentium nostræ munificentiæ partibus S. Petri delegare dignaremur: quæ res sunt sitæ in pago Suessionico, in villa quæ vocatur Vasliacus, quam villam nos eidem monasterio sub præcepto nostro tradidimus, pro commutatione quarumdam rerum ejusdem monasterii, quas HIRMINGARDI venerabilis reginæ uxoris fratris nostri HLOTARII in proprium donavimus, hoc est mansus vocabulo walehi regius, cum omnibus sibi juste legaliterque pertinentibus, necnon & mancipiis utriusque sexus desuper commanentibus, vel ad eumdem mansum aspicientibus. Quas res quondam tradideramus cuidam nomine DISONI vasallo dulcissimæ conjugis nostræ HIRMENDRUDIS, & ipse eas vendidit fiscali nostro FULCONI abbati. Unde ad jus fisci nostri legaliter redactæ fuisse noscuntur. Unde memorati venerabilis abbatis precibus clementer annuentes, hoc altitudinis nostræ præceptum fieri jussimus, per quod memoratum mansum cum omnium rerum suarum integritate, cum terris cultis & incultis, vineis, pratis, & mancipiis, ad eumdem mansum pertinentibus totum & ad integrum, sicut dictum est, jam fati monasterii partibus seu sancti Petri principis apostolorum dominationi nostræ ecclesiasticæ perpetualiter habendum concedimus & de nostro...... & dominationem illius solemni more transferimus, eo videlicet modo, ut nostris & futuris temporibus semper ibidem Domino militantium servorum Dei utilitatibus & necessitatibus. Ut autem hæc largitionis nostræ auctoritas firmior habeatur, ac per statuta tempora melius conservetur, manu propria subter eam firmavimus, & anuli nostri impressione sigillari jussimus.

Signum KAROLI gloriosissimi regis.

GISLEBERTUS notarius ad vicem LUDOVICI recognovi.

Data XIIII. cal. Octobris indictione V. anno XVIII. regnante KAROLO gloriosissimo rege.

Actum Carisiaco palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

a) Hic conjugatus fuerat antequam monachus, successit S. Paschasio Radberto, ac tandem factus est Episcopus Belvacensis.

DIPLOMA CAROLI CALVI regis pro monasterio Elnonensi.

Assignat quædam prædia ad vinum fratribus ministrandum & ad eorum vestimenta,

Anno 867. *Ex cartario Elnonensi.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis KAROLUS gratia Dei rex, &c. Quidquid locis divino cultui mancipatis largiendo conferimus, profuturum nobis ad præsentis vitæ curricula felicius transigenda, & ad futuræ beatitudinis præmia facilius obtinenda non dubitamus. Comperiat igitur omnium fidelium sanctæ Dei ecclesiæ nostrorumque, præsentium ac futurorum, industria, quia ad deprecationem karissimi nobis filii nostri KARLOMANNI monasterii S. Amandi egregii confessoris reverendi abbatis, ob Dei ejusdemque sancti amorem pro nostrorum absolutione peccaminum, libuit celsitudini nostræ monachis in eodem cœnobio Deo militantibus ex rebus ipsius abbatiæ medietatem cujusdam villæ in pago Laudunensi sitæ, quæ dicitur Barisiacus, cum villulis & appendicibus suis ad potum sibi ministrandum largiri, & largiendo perpetim habendam confirmare, id est quicquid in eadem villa Gerulfus jure beneficiario habuit, hoc est mansum dominicatum, ubi aspiciunt de vinea bunuaria IIII. de terra arabili bunuaria XXVII. de prato bunuarium unum, de silva bunuaria L. & farinarius unus, & mansos ingenuiles decem & septem, & mansos serviles IIII. & de indominicato mansos serviles IIII. & farinarium unum, & in Crustido de silva bunuaria XXX. & in villa quæ dicitur Petramantula ecclesiam unam, quæ habet de terra bunuaria XII. & mancipia IIII. & mansum dominicatum ubi aspiciunt de terra bunuaria XL. & de prato bunuario de silva bunuaria & mansos ingenuiles XXII. & in villa *Leor* mansum dominicatum, ubi aspiciunt de terra bunuaria XVIII. & de terra bunuaria duo, & de prato bunuaria, & mansos ingenuiles octo &

dimidium. Et in villa Marciliaco de vinea bunuarium unum, & mansos serviles XI. Donamus etiam eis ad vestimenta sibi ministranda in plago Tornacense, super fluvium Scalt, villam quæ dicitur *Domnavert* cum ecclesia & manso dominicato I. & aliis mansis, & terris silvis pratis ac mancipiis, cunctisque sibi pertinentibus. Unde hoc altitudinis nostræ præceptum fieri, eisdemque monachis dari jussimus, per quod prædictas res cum ecclesiis, domibus, ædificiis, vineis, terris, silvis, pratis, pascuis, aquis, aquarum decursibus, farinariis, perviis adjacentis, mancipicis utriusque sexus desuper commanentibus, vel ad easdem res juste pertinentibus, plena integritate prædictis monachis largimur, & jure firmissimo habendas confirmamus, eo scilicet pacto, ut ex rebus in pago Tornacensi sitis vestimentorum adminiculum sumant, & ex rebus in pago Laudunensi sitis vini sufficientia sibi præparent: ita ut prædictas vineas bene excolant, & emeliorari faciant, & plures alias vineas plantent, & omnes earumdem rerum exactiones & conlaborationes in vinum inde sumendum convertant, quatenus ceteris suis rebus aliis usibus ac stipendiis deputatis, ex his vini sufficientiam annuatim percipiant, & pro nobis, conjuge, ac prole, totiusque regni nostri statu continuis precibus Dei misericordiam implorent. Ut autem hæc nostræ largitionis seu confirmationis auctoritas, inviolabilem obtineat firmitatem, manu propria subter eam firmavimus, & anuli nostri impressione sigillari jussimus.

Signum Karoli gloriosissimi regis.

HROTCARIUS notarius ad vicem GOSLENI recognovi.

Data XV. calendas Novembris indictione prima, anno XXVIII. regnante Karolo gloriosissimo rege.

[a] Actum (a) Autrei-villa palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

PRIVILEGIUM CAROLI CALVI regis pro monasterio Vedastino.

Ad varias fratrum necessitates varias assignat villas.

Anno 867. *Ex cartario Vidastino.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis KAROLUS Dei gratia rex. Si ea quæ prædecessores nostri divina ordinante providentia prædití, ac superna dignatione illuminati, nec non & sanctæ Dei ecclesiæ suorumque fidelium devotis ammonitionibus ac precibus pro statu & utilitate ecclesiarum ac servorum Dei statuere decreverunt, nostris confirmamus edictis, atque ipsorum devotissimis consentientes affectibus, eadem pia munia Domino annuente exequimur, hoc nobis procul dubio ad æternam beatitudinem & totius regni nobis a Deo commissi tutelam profuturum esse credimus, & retributorem Dominum exinde in posterum habere confidimus. Igitur notum sit omnibus fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ ac nostris præsentibus scilicet & futuris, quia caterva monachorum ex monasterio quod vocatur Nobiliacus, ubi pretiosus confessor Christi Vedastus corpore quiescit, humillimis precibus ibidem Deo militantium efflagitati sunt, ut pro Dei omnipotentis amore & futuro ejusdem conversationis augmento, & ne aliqua successorum suorum negligentia aut parcitate sive diminutione ordo in ea domesticus futuris temporibus perturbaretur, quasdam villas ob multimodas necessitates præfatæ monachorum congregationi delegatas, propter rei firmitatem & ipsius sancti patroni nostri Vedasti reverentiam, auctoritatis nostræ præceptum fieri juberemus, per quod tum ea quæ præ manibus habebant, quam & ipsa quæ nostra celsitudine humiliter exposcebant, rata & stabilita deinceps permanere possent. Nos vero petitionibus illorum, quia & rationabiles erant, aurem accommodantes, veluti postulaverunt fieri abjudicavimus, atque has infra scriptas villas diversis eorum necessitatibus profuturas, ad eorum usus & necessitates supplendas perpetuo deservituras delegavimus, ad matriculam scilicet Maisbodvillam, Bais, Senous, Herbodcisternam, Pomerias, Herlincurtem & Imbovenicurtem, mansos X. cum Longobardio, Maninium, Morsele, Sceldogeim, Juventianum, & in dominica curte mansum I. & in Farneolo mansum I. Has villas cum mancipiis & omnibus ad se pertinentibus in usus luminariorum, matriculariorum, & ceteris quæ ecclesiis in præfato monasterio positis necessaria fuerint deputavimus, cum omni censu de omnibus precariis monasterii, eo modo, ut quicquid etiam ad medicinam opus fuerit, ex præfatis villis suppleatur, ad necessaria vero fratrum, victus scilicet & potus has villas delegavimus, medietatem scilicet vici qui vocatur Novavilla juxta monasterium ipsum sitam, & tabernam unam, Filciacum villam dominicam curtem, Theuludum, Bigartium, Hecnancurtem & Bernellam. In pago Belvacensi Mediolanas puteas aquas, & Ungili curtem, mansum indominicatum & alios mansos XXIII. cum ecclesia ac vineis & ceteris appendiciis. Valles super fluvium Summam cum camba I. & duobus molendinis, & mansis ad eosdem pertinentibus, qui in dominicatu nostro fuerunt, Stagras, Sartiacum, Armentarias, Mast, Marcheim, Syrigoheim, has omnes cum precariis omnibus & supra scriptis villis post omnium vitæ decessum, qui eas modo obtinent cum univer-

(a) De Otrei villa, seu Odreia-villa, sive Audriaca villa palatio regio vide Mabillonium lib. 4. de re diplom.

sis harum villarum pertinentiis & familiis, cum ecclesiis & ceteris omnibus usibus fratrum æternaliter deservituras censuimus. Precariam Emmonis & Tagingarii similiter roboravimus. Ad cameram vero præfatorum fratrum has delegavimus: villam Atheias, Saltiacum, Liniacum, Campanias, & in Fontanidos mansos III. & mansum I. in Lambeas, & alterum in Hadis, ubi homo nomine Odo commanet, & tabernam I. in vico monasterii cum universis appendiciis, & familiis, & ecclesiis, & omnibus ad se pertinentibus rebus, eo modo ut silvæ & lignarii, & volatilia, cum ovis quæ ex eisdem villis exeunt, fratrum usibus deserviant, & & ad præpositum pertineant. Reliqua vero omnia in usus vestimentorum & calceamentorum, & reliquarum necessitatum deputentur. Linum vero omne ex omnibus villis fratrum usibus deservientibus, cum lana usque ad summam cccc. librarum ad cameram venient. Si quid vero superfuerit ex lana, non ex lino in ordinatione præpositi erit. Nam linum omne volumus ut ad cameram veniat. Si autem ex his præfatis villis quæ ad cameram deputatæ sunt necessitas fratrum suppleri non potuerit, ex his villis quæ ad præposituram pertinent supplebitur. Ad portam vero Bernevillam, & in Anzinio mansum I. cum molendino, & in Anez mansos V. cum molendino, & decimam omnis abbatiæ, quæ ut pleniter veniat, rector ipsius monasterii, vel cui ipse jusserit, providebit. Ad hospitale vero pauperum in Daginvillam mansos VII. in Boneiam villam & Lentsales mansos III. cum mancipiis utriusque sexus in eisdem manentibus, & quintam partem decimæ quæ ad portam venerit, & de omnibus lignariis omnium villarum quæ ad præposituram, sive ad cameram pertinent, carrum, decimum ad præfatum hospitale detur. Ad domum vero infirmorum, omne thelonum, ex mercato destinavimus, quod æqualiter usibus fratrum infirmorum deserviat, erit in ordinatione & providentia solliciti fratris, qui custos infirmorum est. Has ergo villas cum mancipiis & redditibus, vel appenditiis omnibus ad se pertinentibus, fratribus ipsius congregationis eo modo sicuti supra taxatum est, regali auctoritate & indulgentia, per hoc præceptum confirmationis nostræ stabili jure concedimus, & in perpetuum confirmamus, & mancipia sicut tempore (a) ADALONGI abbatis, ad præfatas villas legaliter pertinuerunt, ita ubicumque sint absque retractatione isti obtineant. Clausura vero monasterii & ædificia tam ex supra dictis villis, quam ex omnibus rebus, ad præfatum cœnobium pertinentibus, sicuti semper consuetudo fuit, ita construantur, ac restaurentur ubicumque opus fuerit. Præcipientes regia potestate, ut nemo successorum nostrorum regum, vel abbatum quod nostro roboratum est inviolabili edicto subtrahere vel minuere audeat, aut ad usus suos retorqueat, vel alicui cuiquam in beneficium tribuat, sed neque servitia exactet, neque paraveredos, aut expensas, aut hospitum susceptiones recipiat, aut ullas in aliqua re exactiones, sive mansiaticos inde exigat, præter consuetudinarias operationes, quæ de sæpe dictis villis in monasterii utilitatibus ab antiquo fuerant constitutæ: quibus nihil addere præsumant. Supra scripta autem ad centum duodecim monachorum, numerum ordinatur, ex quo nihil cuiquam licebit subtrahere, augere vero si forte voluerit, multiplicatis & augmentatis ad usum opibus, accumulenter servitii divini cultores, qualiter in futuris temporibus fratres in cœnobio sæpe dicto, regulam B. Benedicti servantes, absque perturbatione libere Deo servire, & pro nobis fideliter orare queant, nobisque pro rata confirmatione, & illis pro pia & sancta observatione merces in perpetua recompensetur beatitudine. Ad corroborandum etiam amplius quam ad fulciendum nostræ celsitudinis præceptum, privilegium episcopale per semet, a cunctis ecclesiæ filiis æternaliter observandum, fieri & confirmari decrevimus. Et ut hæc auctoritas, quam ob Dei amorem, & animæ nostræ remedium statuimus atque firmavimus, firmiorem obtineat vigorem, & deinceps inconvulsa perdurare valeat, manus nostræ confirmatione eam subterfirmavimus, & de anulo nostro sigillari jussimus.

ADALGARIUS notarius ad vicem GAUSLENI recognovit.

Data III. calendas Novembris indictione I. anno XXVII. regnante Karolo gloriosissimo rege.

Actum in Andrei villa palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

PRÆSTARIA QUAM FECIT Ansbaldus abbas Hiedildi illustri fœminæ, de rebus sibi ab Irimfrido & Sigirico comitibus, & aliis concessis.

Anno 867. *Ex cartario Prumiensi.*

IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri JESU CHRISTI, ANSBALDUS præveniente gratia Dei, Prumiensis monasterii abba, dilectæ nobis in Christo, ac venerabili matronæ *Hiedildæ*. Dum pluribus non habetur incognitum, sed clarissimis ac prudentissimis viris manifestissimum esse constat, qualiter IRIMFRIDUS & SIGIRICUS comites, nec non & GUNTBERTUS atque HADABALDUS illustres viri, ante hos dies res tuas sitas in pago Coloniensi, nec non in pago Tulpiacensi, simulque & in pago Bunnensi,

(a) Hic est celeberrimus ille Adalongus abbas, Ludovici Pii legationibus insignis, à Lothario abbatia S. Vedasti privatus, utpote Ludovico patri addictissimus, qui eam ipsi non multo post restituit, fuga elapso Ebone Remensi ipsius invasore.

atque Muallensi, accepta a te libera ac legitima potestate, in memoriam tui ac genitorum tuorum partibus Prumiæ monasterio ad reliquias S. Salvatoris, nec non Dei genitricis Mariæ, plurimorumque sanctorum pignorum, ubi auctore Deo præsidemus, una cum turba plurima monachorum Deo devote militantium, in conventu publico solemniter tradiderunt, vel condonarunt. Postea vero tua fuit petitio, dominique HLOTARII nostri, videlicet gloriosi regis, & nostra simulque fratrumque nostrorum decrevit voluntas, ut tibi easdem res una cum aliis rebus nostris quas inferius enumeraverimus, usufructuario beneficiare deberemus, quod ita & fecimus. Præstamus namque tibi una cum consensu senioris nostri, eo quod ejus voluntate & consilio hanc præstariam perficiendam censuimus, immo etiam & per consensum fratrum nostrorum, res memoratas quas jam fati viri, IREMFRIDUS videlicet comes, sociique ejus partibus monasterio nostro contulerunt. Scilicet in pago Coloniensi, in villa *Bacheim*, ecclesiam in honore S. Mariæ fundatam cum omni superposito, quicquid ad eam juste & legaliter pertinet, una cum manso indominicato, cum omnibus ædificiis, ac casticiis superpositis, atque mansis XXVI. cum farinariis tribus ad eamdem curtem deservientibus, cum omni servitio & præsidio, quicquid in eadem villa tui juris fuit, cum omnibus mancipiis desuper commanentibus. Simili modo concedimus in pago Tulpiacensi, in villa Langenaccare, mansum indominicatum, cum reliquis mansis ad eumdem pertinentibus, cum omnibus adjacentiis, vel appenditiis suis. In pago etiam Bunnensi similiter cedimus in villa *Raterestolirp* mansum, indominicatum cum mansis VIIII. & dimidio, ad eumdem deservientibus, cum terris, ac vineis, & silvis, atque omnibus adjacentiis suis. In pago quoque qui vocatur Moella, eodem tenore præstemus in villa Jochunda mansum indominicatum, cum mansis ibidem aspicientibus XXXVI. cum mancipiis, & omni superposito, cum omnibus adjacentiis & terminis suis, sicut in carta traditionis tuæ continetur, ut res memoratas & mancipia, cum tali tenore & salvamento, usufructuario teneas & excolas, ut nullum detrimentum aut calumniam domus Dei ubi conlatæ sunt sustineat, & nos vel successores nostri ullam declamationem patiamur. De rebus quoque S. Salvatoris monasterii Prumiensis quem regimus, pro quibus nostram vel fratrum nostrorum donatores hatum rerum expetierunt, largitatem placide ac benigne illorum percepimus, & sibi mente devota ac benivola postulata largimus, scilicet in pago Tulpiacense, in villis his nominibus Albiniaca & Wilictracha, mansum indominicatum cum domibus, & terris, & pratis, ac silvis, cum universis casticiis, atque adjacentiis suis. Ecclesiam quoque cum omnibus rebus & appendiciis suis in ibi fundatam, cum XLII. mansis ad eamdem curtem indominicatam pernentibus, cum omni merito & terminis suis. Similiter & in pago Ribuariense, locum qui vocatur *Hoonspalt*, in ipso loco curtem indominicatam cum terris, & domibus, & universis ædificiis suis, nec non & alia mansa IIII. ad eam curtem pertinentia, seu quicquid in ipso loco possidemus. Similiter cedimus in pago Maginense, in villa cujus vocabulum est *Haganbach* curtem indominicatam, cum domibus & casticiis suis, cum terris, & omnibus adjacentiis suis, nec non & mansis cum deservientibus supra commahentibus; solum modo nostris usibus ob viaticum ecclesiam inibi sitam cum rebus ad eam pertinentibus & donationem, quam quædam sanctimonialis femina Buovila monasterio nostro contulit, sub simili conditione sicut & donatio tua constat, ut nullus prælatus licentiam habeat cuiquam ipsas res beneficiare, vel commutare, aut in præstariam tribuere, ob hoc retinuimus. In pago quoque Moslensi, in villa nuncupante Cuchuma, similiter præstamus casam indominicatam, cum ceteris ædificiis, ac curtilis tribus, & terris, ac vineis nostræ ditioni subjectis, & quicquid ibi nostri juris consistit. Et in eodem pago, in villa nuncupante Falavoia, mansa IIII. cum terris ac vineis nostro juri subactis, ac reliquis subsidiis, sicut hactenus nostris usibus deservierunt, vel a ministris nostris conservatæ esse noscuntur. Hæc omnia superius comprehensa, tam de tua propria datione, quam & ecclesiæ S. Salvatoris collatione benigno & gratanti animo sub usufructuario, quamdiu advixeris, tibi cedimus, sub una conditione, ut nullatenus pontificium habeas ipsas res alienandi, vel vendendi, aut commutandi, sed in omnibus emeliorandi, vel conservandi. Et censuimus tibi ut annis singulis in adsumtione S. Mariæ, quod evenit mediante Augusto, solidum unum in luminaribus ecclesiæ S. Salvatoris in cera aut argento persolvere studeas. Quod si de hoc censu tarda & neglegens apparueris, legis compositionem exinde facias, ut ipsas res minime perdas. Pro statu quoque ecclesiæ S. Mariæ, quam genitores tui fundaverunt, in villa *Bacheim*, de qua dispositionem nostram flagitasti, ne famulatus divini servitii in ea deperiret, ac memoria tui vel prædecessorum tuorum; cum ope divina simul convenimus, communi consensu parique consilio pariter tractabimus, quoto numero, qualive subsidio clerici in ea commorantes subsistere queant, quatenus hac dispositione patrata, reliquæ res tam ex conlatione

tua, quam ex nostra largitione, ecclesiæ A S. Mariæ quæ in memorato loco, videlicet *Bacheim* constructa habetur, quamdiu advixeris, deserviant similiter. Post tuum quoque discessum ex hac luce, sicut petisti, memoratæ res non separentur, sed simul conjunctæ deserviant, atque sicut nunc conjunctæ habentur, postquam divina clementia te ad superos vocaverit, domui Dei, qua opitulante divina clementia, præsidemus simul positæ, justam exhibeant servitutem.

Facta præstaria sub die XIII. Kalendarum Januariarum anno XII. regnante domno B nostro HLOTARIO.

Ego ANSBALDUS abba Prumiensis monasterii hanc præstariam a me factam firmavi.

Sig. † Wigonis, sig. † Aaron presbiteri, signum Bernichonis presbiteri, sig. Adalbertus diac. Sig. Ratgildi presbiteri, sig. Gundeldi diac. sig, Richardi presbiteri, sig. Ravengarii presbiteri, sig. Gisleberti presbiteri, sig. Filemari presbiteri, sig. Gawlsi presbiteri, sig. Isnardi presbiteri, sig. Christiani presbiteri, sig. Hardradi monachi. C Ego Farabertus levita. Sig. Badichonis presbiteri, sig. Jonathæ presbiteri, S. Wilhelmi diaconi. S. Nortberti presbiteri. S. Meginarii acholithi. S. Robetti monachi. S. Otgarii monachi. S. Bernardi monachi. S. Daguini monachi. S. Rotgarii monachi. S. Rotmanni monachi. S. Hunfridi presbiteri. S. Abbonis monachi. S. Beraldi monachi. S. Rodingi monachi. S. Gozelmi monachi. S. Odonis presbiteri. S. Grimuini acolithi. S. Udonis monachi. Ego Wernarius levita hanc præstariam rogatus scripsi. Ego Adabertus Ammanuensis relegi & subscripsi.

PRÆCERTUM DOMNI Hludovici regis.

De ecclesia quæ est in Neccranvia, quam concessit ad Prumiam cum omnibus ad eam pertinentibus.

Anno 868. *Ex cartario Prumiensi.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis HLUDOWICUS divina favente gratia rex. Notum sit omnibus sanctæ Dei ecclesiæ fidelibus, nostrisque præsentibus scilicet & futuris, qualiter domnus avus noster concessit quamdam decimam ad monasterium Altrepiæ, de fisco qui vocatur Neccranva. Postea vero servi in eodem fisco consistentes reclamaverunt se ad domnum genitorem nostrum, & dixerunt ei quod non potuissent propter inundationem Rheni fluminis ecclesiam quærere ad divinum officium audiendum. Domnus vero genitor noster gloriosissimus imperator misertus eorum, concessit quoddam curtile in præfato fisco Neccrauvia ad unam ecclesiam construendam, necnon & unum mansum unde ipsa dotata fuit. Et etiam de terris sicut illi per licentiam domni genitoris nostri, scilicet servi ibi dotaverunt. Illam vero ecclesiam cum præfato manso concessit domnus genitor noster ad præfatum monasterium Altripiæ. Postea vero deprecatus est celsitudinem nostram venerabilis abba noster ANSBALDUS una cum sancta congregatione sibi commissa, ut nostræ auctoritatis præceptum super hoc scriberemus. Cujus petitioni ob amorem Domini nostri JESU CHRISTI libenti animo assensum præbentes, decrevimus ita fieri, & jussimus fieri hoc nostræ auctoritatis præceptum, per quod decernimus atque jubemus, ut præfata ecclesia in prænominato fisco Neccrauvia cum illo manso quem domnus genitor noster ibi concessit, necnon & cum terris quas illi servi per licentiam domni genitoris nostri ad illam ecclesiam donaverunt, necnon & cum omni decima sicut temporibus domini avi ac genitoris nostri plenissime ibi data fuit perpetualiter deinceps habeant absque ulla contradictione, & nullus eis inde ullam molestiam vel inquietudinem facere præsumat. Nec de illorum piscatione quam debent habere ad illorum vennam, sed per hoc nostra auctoritas præceptum plenius in Dei nomine confirmatum nullo inquietante, sed Deo auxiliante, principaliter ad usus necessarios fratres in monasterio Prumiæ Deo famulantes habeant absque ulla contradictione. Et ut hæc auctoritas largitionis nostræ firmior habeatur per futura tempora, & a fidelibus nostris verius credatur & diligentius observetur, manu propria subter eam firmavimus, & anuli nostri impressione adsignari D jussimus, & filio æquivoco nostro confirmare rogavimus.

Signum domni HLUDOVICI regis serenissimi.

Signum filii domni HLUDOVICI regis.

HEBARHARDUS cancellarius ad vicem LUITBERTI archicapellani recognovi.

Data VII. idus Martias anno XXXVI. regni domni HLUDOUVICI serenissimi regis in orientali Francia regnante indictione VI.

Actum Francofurt in palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen. E

CARTA ILLUSTRIS VIRI HERERICI pro Prumiensi monasterio.

Insignem ei donationem facit

DOMINUS Salvator præcepit in evangelio misericorditer ac salubriter nos monendo *Date & dabitur vobis*. Et iterum *date eleemosynam & ecce omnia munda sunt vobis*. Igitur ego in Dei nomine HERIRI- Anno 868. *Ex cartario Prumiensi.*

A ... cus hujus divinæ monitionis instinctu jam iter arripiens limina beatissimorum apostolorum, aliorumque sanctorum Romæ adeundi, una cum consilio salubri ac consensu charissimi fratris nostri domni & venerabilis [a] HUNFRIDI (a) episcopi, in præsentia ipsius trado ad reliquias cœnobiumque Domini Salvatoris, nuncupatum Prumia, constructum super fluvium ejusdem nominis, in finibus Ardinnæ, ubi præsenti tempore venerabilis abbas ANSBALDUS rector esse [b] videtur, (b) villam proprietatis meæ, quæ mihi ex paterna maternaque successione B hereditario jure obvenit, quæque sita est infra Nadgao, in confinio seu pago Virmacense, super fluviolum Elera, cum omni integritate ejus & re inexquisita in mansis, casticiis, ædificiis, arboribus superpositis, perviis, legitimis, appenditiis, adjacentiis cum omnibus terminis suis, terris cultis & incultis, vineis, silvis, pratis, pascuis, communiis, aquis aquarumve decursibus, farinariis, quicquid dici vel nominari potest, & curtiles ac vineas in diversis pagi- C nulis, in Binge super fluvium Rhenum, excepta vinea quam Rimigardæ & Irminoldo concessi. Silvam quoque nostræ ditionis in silva Sana, mancipia etiam septuaginta una cum hac donatione ad jam dictum sanctum locum Domini Salvatoris trado atque transfirmo perpetualiter habenda. ... Hæc omnia denominata ad reliquias Domini Dei & Salvatoris nostri JESU CHRISTI locumque sanctum nomini ejus dicatum hodierna die de jure meo in jus ejusdem transfundo per- D petualiter ad possidendum in eleemosynam meam, fratrisque præscripti HUNFRIDI venerabilis episcopi, patris nostri ALBRICI, matris HUNÆ, itemque fratrum HEINRICI & ALBRICI, ea conditione, ut fratres ibidem Christo Domino famulantes ad specialem consolationem in usus proprios proprios alimoniamque perpetuo ac inviolabiliter res ipsas teneant, nullusque rector vel in beneficium, vel præstariam dandi aut commutandi, aut vendendi, aut in alium quemlibet usum transferendi horum quippiam potestatem habeat, sed tantum; ut E dictum est in commemoratione annuali specialique consolatione fratrum usibus in eleemosyna nostra parentumque nostrorum perpetualiter deserviant, & ut ego quandiu Domino Salvatore adnuente advixero; ipsarum rerum usum fructuarium per præstariam possideam, & sicut convenimus annuatim ad festivitatem S. Martini, aut circa, de vino carradam I. de farina modios X. argenti solidos X. ad pisces emendos ad pastum unum fratribus ibidem exhibendum in memorata eleemosyna pro ipso usu procurare studeam, postque meum obitum res ipsæ cum omni melioratione ac superpositione ad ipsum sanctum recipiantur locum, binique pasti servis Dei jam dictis procurentur, deinceps pro nobis perpetualiter; denturque libra I. Et si quis rectorum diabolica præsumptione huic devotioni nostræ ac deliberationi clementiæ ipsius Domini Salvatoris commissæ in rebus ipsis vel eleemosyna nostra contrarius aut fraudator extiterit, justo judicio Dei omnipotentis percellatur, perpetuique anathematis vinculo obligatus, in judicio magni diei coram ipso Domino Salvatore rationem reddens in conspectu angelorum sanctorumque omnium alienus eorum consortio extet in perpetuum. Si vero ego, quod absit, aut ullus de heredibus aut proheredibus meis contra hanc traditionem nostram eleemosynariam Domino Salvatori omni devotione commissam venire aut infringere tentaverit, offensam ipsius Domini Salvatoris iramque sentiat, & insuper auri libras C. argenti libras D. fisco cogente exsolvat, nec sic quod repetit evindicare valeat, sed præsens donatio ac precaria maneat inconvulsa legaliter facta, legaliterque roborata, stipulatione subnixa. Actum in *Vvimundasheim* publice XII. calendas Septembris, firmatumque legaliter ANSBALDO abbate præsente, ac MEGINGAUDO comite pagensi, proceribusque ac scabinis pagensibus anno incarnationis Domini Salvatoris DCCCLXVIII. indictione I. regnante domno & glorioso HLUDOUVICO cum fratre KAROLO XXVIII. LOTHARIO vero nepote ipsorum.

Signum HERICI illustris viri qui hanc donationem eleemosynariam Domino Salvatori famulantibus una cum precaria fecit ac firmavit.

† Ego HUNFRIDUS indignus episcopus ecclesiæ Morinensis frater ejus hanc traditionem devotionis nostræ signo S. Crucis confirmavi.

Signum † (c) MAGENGAUDI comitis. [c]

Signum † MAGENGAUDI vice domini.

Sequuntur quinquaginta tres subscriptiones solis nominibus expressæ.

In Dei nomine ego Gundelbertus peccator presbyter jussu domni HUNFRIDI episcopi nostri, fratrisque ejus HERERICI inlustris viri rogatu hanc cartam traditionis sanctæ devotionis eorum Domino Salvatori factæ subscripsi.

(a) Humfridus ex abbate S. Bertini factus est episcopus Morinensis anno 855. Cujus patrem, matrem & fratres hactenus ignotos, ex hoc diplomate dignoscimus. Eum primo fuisse monachum Prumiensem docet Johannes Ipericus in chronico S. Bertini c. 16. Inter Sanctos colitur in ecclesia Morinensi.

(b) Villæ nomen hic non exprimit Heriricus, at diplomatis in cartario titulus illud designare videtur his verbis *Exemplaria de Vvimündesheim*.

(c) Ejusdem nominis Monachum fecit in cœnobio Bertinensi S. Humfridus, cum abbas ante episcopatum esset, ab eoque donationes accepit, teste Iperio.

PRÆCEPTUM DOMNI HLUDOVICI regis de rebus Hererici Prumiensi monasterio concessis.

Anno 870. *Ex cartario Prumiensi.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis HLUDOVICUS divina favente gratia rex. Notum sit omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus nostrisque præsentibus scilicet & futuris, qualiter quidam ac nobilis vir nomine HERERICH tradidit quasdam res B proprietatis suæ ad monasterium Prumiæ, quod est constructum in honore S. Salvatoris, coram istis fidejussoribus, quorum nomina sunt MEGINGAUDUS comes, MILO, item MEGINGAUDUS vice-dominus, Brunicho, Hunaldus, Ratadus, id est in locis quæ vocantur Turglena, seu quod ipse propria tradidit manu in villa quæ dicitur *Vvihmundesheim*, vel omnia quæ ad easdem villas pertinere videntur proprietate juris sui in marca Genzingas, & in Binga cum man- C cipiis utriusque sexus ibidem pertinentibus vel aspicientibus. Postea vero nepos hujus WERNHARIUS voluit easdem res & mancipia de præscripto monasterio Prumio injuste abstrahere. Tunc denique venerabilis abba ANSBOLDUS una cum sancta congregatione sibi commissa transmisit ad nostram clementiam, flagitans ut ob mercedis nostræ justitiam de eisdem rebus & mancipiis adimpleremus. Cujus petitioni ob amorem Domini nostri JESU-CHRISTI libenti animo assensum præbuimus, & ita sicut petiit per D omnia fieri decrevimus. Et jussimus venire in præsentiam nostram præscriptum WERNHARIUM comitem nostrum, & inquisivimus ab eo de eisdem rebus & mancipiis, quo ordine quave ratione eas tenere voluisset. Ille vero nulla ratione eas sibi usurpare potuit ad possidendum, sed concredidit sibi de illis quod eas injuste tenere voluisset, & reddidit tunc eas illis fratribus in præsentiam nostram. Tunc illi monachi deprecati sunt serenitatem nostram, ut hoc scriptum E eis fieri juberemus, per quod decernimus atque jubemus, ut præscriptæ res & mancipia utriusque sexus ad præscripta loca pertinentia, cum terris, pratis, pascuis, silvis, aquis, aquarumve decursibus, exitibus & regressibus, mobilibus & immobilibus, totum & ad integrum, permaneant in perpetuum ad usus fratrum Domino famulantium in monasterio Prumiæ. Et ut hæc F auctoritas firmior habeatur & per futura tempora a fidelibus nostris verius credatur & diligentius observetur, anuli nostri impressione subter eam jussimus sigillari.

Signum HLUDOUVICI gloriosissimi ac piissimi regis †††.

HEBARHARDUS cancellarius ad vicem GRIMALDI archicapellani recognovi.

Data II. idus Aprilis anno XXXVII. regni domni HLUDOUVICI serenissimi regis in orientali Francia regnante, indictione III.

Actum Triburias villa regia in Dei nomine feliciter. Amen.

PRIVILEGIUM KAROLI REGIS Francorum pro monasterio Elnonensi.

Ad petitionem Gozlini abbatis certos assignat reditus ad fratrum in festo S. Dionysii refectionem.

Anno 871. *Ex cartario Elnonensi.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis KAROLUS Dei gratia Francorum rex. Divinorum beneficiorum memores inter alias præcipuam religionis curam gerimus, & ut ea nostris diebus confirmetur atque proficiat, prospicere desideramus. Ita enim propitium Deum nobis credimus affuturum, si cultus illius nostra industria incrementum accipiat. Idcirco noverit omnium sanctæ Dei ecclesiæ fidelium ac nostrorum, præsentium scilicet & futurorum solertia, quia GOZLINUS venerabilis abbas cœnobii almi præsulis Amandi adiit serenitatem culminis nostri devote postulans, ut ex rebus ipsius monasterii aliquid monachis in eodem loco Deo militantibus ad eorum sublevandam indigentiam pro intuitu divinæ remunerationis concedere deberemus. Cujus petionibus ob devotum & inreprehensibilem erga nos ejus fidelitatem libenter aurem commodantes, hos serenitatis nostræ apices fieri decrevimus, per quos sancimus, ut in pago (a) Lugdunensi in loco qui vocatur Barisiacus ecclesiam cum omnibus rebus juste & legaliter ad se pertinentibus, & cum mansis LXVII. a præfato abbate GOZLINO illis concessis, cum domibus seu & mancipiis desuper commanentibus utriusque sexus, campis scilicet, ac vineis, & molendinis tribus, deinceps jam dicti monachi per hoc nostræ auctoritatis præceptum firmissime teneant. Insuper etiam addidimus ad vestimentorum usus in pago Tornacense in loco nuncupato Madria; mansa VI. & in Walsna molendinum unum cum bunuariis XX. & in Helcinio bunuaria tria, & in Dottiniacas bunuaria duo cum mancipiis utriusque sexus ad hæc loca pertinentibus, necnon & alia mancipia commutata, Hastbertum videlicet & Guntuvaram atque Guntrannum, necnon & Bertlindem cum infantibus suis; sed & mansum quem Samuel tenuit, & in castello mansum unum, atque inter Mespilarios & Tunnes mansa v. & vaccariciam quæ vocatur mansus Baldini, atque in Nova-villa molendinum unum. Hæc omnia & quæcumque ipsi fratres moderno tempore habere

[a] (a) Id de Lugduno Clavato seu de Lauduno interpretandum.

habere videntur, cum sui integritate, & A concessa concedimus,& nova ex nostra largitione largimur: videlicet quæ idem venerabilis abbas GOZLINUS nobis suggessit prædictis fratribus concedenda, id est beneficium quod Rodericus clericus super Elnonem fluvium tenet in loco qui vocatur Waracci-mortarium & in Brillione inter utraque, mansa octo & dimidium, eo videlicet pacto,ut idem Rodericus omnibus annis, quamdiu res ipsas tenuerit, ad missam (a) S. Dionysii in memoriam ejusdem GOZLINI abbatis in cibo & potu refectionem præparet sufficientem, & post ejusdem Roderici decessum seu voluntarium recessum,quicumque ex fratribus res ipsas præviderit, omnibus annis deinceps similiter faciat. Sed & teloneum qui colligitur ex mercato, petente jam dicto venerando abbate præfatis fratribus concedimus, unde idem Rodericus aut quicumque ex fratribus successor ejus in elevatione corporis S. Amandi, quæ est XII. cal. Octobris, similiter ipsis monachis in memoriam cujus supra honestam exhibeat refectionem. Ista vero superius memorata auctoritatis nostræ C privilegio confirmamus, ut Dei servos in memorato cœnobio degentes pro nobis, conjuge & prole, atque stabilitate totius regni a Deo nobis concessi, continuatim orare delectet. Et ut hæc nostræ largitionis auctoritas inviolabilem & inconvulsam obtineat firmitatem, manu propria subter eam firmavimus, & anuli nostri impressione jussimus insigniri.

Signum KAROLI gloriosissimi regis.

ADALGARIUS notarius ad vicem GOZLENI recognovi.

Data II. nonas Febr. indictione IV. anno D XXXII. regnante Karolo gloriosissimo rege.

Actum in Monasterio S. Vedasti in Dei nomine feliciter. Amen.

PRÆCEPTUM DOMNI HLUDOVICI regis.

De piscatione monasterio Prumiensi concessa.

Anno 871. *Ex cartario Prumiensi.* IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis HLUDOVICUS divina favente gratia E rex. Notum sit omnibus sanctæ Dei ecclesiæ fidelibus nostrisque præsentibus scilicet & futuris, qualiter ANSBOLDUS venerabilis abbas detulit in præsentiam nostram quoddam præceptum, in quo continebatur qualiter domnus avus noster KAROLUS imperator concessit de villa Naucravia ripam Rheni fluminis, & terminos de eadem villa conjacentes ad ripam Rheni fluminis, ad quamdam piscationem & vin- F nam faciendam fratribus ad monasterium Prumiæ consistentibus. Quam etiam piscationem & vinnam domnus PIPPINUS rex cum terminis supra fluvium Rheni consistentibus de præscripta villa Naucravia concessit ad monasterium Prumiæ per suæ auctoritatis præceptum, & idcirco deprecatus est clementiam nostram præfatus venerabilis abba ANSBOLDUS, ut nostræ auctoritatis præceptum super eamdem piscationem & vinnam facere juberemus. Cujus petitioni ob amorem Domini nostri B JESU CHRISTI libenti animo assensum præbentes, decrevimus ita fieri, & jussimus ei fieri hoc nostræ auctoritatis præceptum, per quod decernimus atque jubemus, ut abbas & fratres in præfato monasterio Prumiæ consistentes potestatem habeant de terminis, & finibus, & de ripa Rheni fluminis, quæ pertinet ad villam Naucraviam, ut possint sibi vinnam & piscationem facere, ubicumque eis placuerit, ac melius visum fuerit. Et ut hæc auctoritas largitionis nostræ firmior habeatur, & per futura tempora a fidelibus nostris verius credatur, & diligentius observetur, manu propria nostra subter eam firmavimus, & annuli nostri impressione adsignari jussimus.

Signum domni HLUDOVICI serenissimi regis.

HEBARHARDUS cancellarius ad vicem LUITBERTI archicapellani recognovit & subscripsit.

Data XV. calendas Martii anno XXXIX. regni Domni Hludovici serenissimi regis in orientali Francia regnante indictione IV.

Actum Franconofurt palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

PRÆCEPTUM LUDOWICI REGIS pro monasterio Prumiensi.

Ecclesiam S. Salvatoris Aquis sitam & duas alias abbati Ansbaldo & successoribus ejus tribuit.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, LUDOVICUS divina favente gratia rex. Si liberalitatis nostræ munere locis Deo dicatis quidam conferimus beneficia, necessitates ecclesiasticas nostro relevamus juvamine, atque regali tuemur munimine, id nobis & ad mortalem vitam temporaliter transigendam, & ad æternam feliciter obtinendam, profuturum liquido credimus. Quapropter comperiat omnium fidelium nostrorum præsentium scilicet & futurorum solertia, qualiter nos venientes ad Aquisgrani palatii, invenimus ibi ecclesiam destructam, quam genitor & mater in eleemosyna illorum construi fecerunt, ut ibi cymeterium esset mortuorum. Hanc ergo ut ita destructam reperimus, condo- Anno 871. *Ex cartario Prumiensi.*

(a) Missa non semper sumitur pro incruento Christi sacrificio, sed apud auctores infimæ latinitatis sæpe pro festivitate.

luimus inde, eo quod nec donata fuerat, nec etiam prævisa ad Dei servitium, sicut esse debuerat. Nos vero hoc cernentes, commendavimus eam ANSBOLDO venerabili abbati, ut ipse eam in providentia haberet, & quisquis post eum abbas in Prumia esse videretur. Dotavimus itaque eam, dantes ibi duo mansa & tertium mansum indominicatum cum vineis quas missus noster ibi consignavit, necnon & mancipia utriusque sexus, quorum nomina sunt... cum uxore sua Ursilde nomine & infantibus eorum. Has ergo præscriptas res cum omni integritate, cum mancipiis utriusque sexus, concedimus ad ecclesiam S. Salvatoris, præcipientes ut nullus ex successoribus nostris præscriptam ecclesiam ac res quas ibi concedimus, auferre præsumat de potestate abbatis Prumiæ; Sed inde in perpetuum rector ac gubernator abbas Prumiæ ac sui fratres existant. Similiter ergo de duabus ecclesiis præcipimus, quarum una est ad *Vvernisalt* & alia ad Antiquum-campum, ut simul eadem donatione consistant cum appenditiis earum, ut eis pro nostra ac conjugis carissimaque prole salute ac remedio animarum antecessorum nostrorum Domini clementiam delectabilius exorare delectent. Et ut hæc auctoritas largitionis nostræ firmior habeatur, & per futura tempora a fidelibus nostris verius credatur, & diligentius observetur, manu propria nostra subter eam firmavimus, & anuli nostri impressione assignari jussimus.

Signum domni HLUDOUVICI serenissimi regis.

EBARHARDUS cancellarius ad vicem LUITBERTI recognovit.

Data XVI. calendas Novembris anno XXXVIIII. regni domni LUDOUVICI serenissimi regis in Orientali Francia regnante dictione IV.

Actum Aquisgrani palatio in Dei nomine feliciter. Amen.

PRÆCEPTUM CAROLI CALVI regis pro monasterio Elnonensi.

Ei quadam prædia concedit & confirmat ad anniversarium Ludovici abbatis propinqui sui.

Anno 871. *Ex cartario Elnonensi.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis Karolus gratia Dei rex. Quicquid pro Dei amore sanctorumque reverentia agimus, profuturum nobis ad præsentis vitæ curricula felicius transigenda, & ad futuræ beatitudinis præmia facilius obtinenda, non dubitamus. Comperiat igitur omnium fidelium sanctæ Dei ecclesiæ nostrorumque præsentium ac futurorum sollertia, quia charissimus nobis GOZLINUS venerabilis abba & ministerialis noster, ad nostram accedens clementiam, postulavit, ut quasdam res suæ abbatiæ, sancti scilicet Amandi egregii confessoris, quas suus clericus nomine Vulfarius atque diaconus præfati monasterii prælatus ejus largitione jure beneficiario possidebat in comitatu Pabula, in villa quæ dicitur Rotbodirodo mansum indominicatum cum sibi pertinentibus mansis servilibus XVI. cum terris, silvis, mancipiis, suisque omnibus appendicibus. Et in pago *Hainau*, in villa quæ vocatur Calviniaca, mansum dominicatum cum aliis mansis XIII. & in eodem pago in Castello mansum quem tenet Herlandus clericus, & in pago Atrebatensi, in villa Berbiarias farinarium unum cum terris, silvis, pratis, pascuis, aquis, aquarumque decursibus, mancipiis utriusque sexus desuper commanentibus, vel ad easdem res juste & legaliter pertinentibus, cunctisque suis appendicibus, monachis in præscripto monasterio Deo militantibus perpetim habendas, & ecclesiastico jure possidendas largimur, & largiendo nostræ auctoritatis præcepto confirmaremus. Cujus salutiferis animæque nostræ proficuis postulationibus, ob Dei sanctique Amandi egregii confessoris amorem & honorem assensum præbentes, hoc altitudinis nostræ præceptum fieri, illisque dari jussimus, per quod præfatas res cum domibus, ædificiis, curtiferis, viridariis, hortis, terris, silvis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, farinariis, mancipiis utriusque sexus desuper commanentibus, vel ad easdem res juste & legaliter pertinentibus, cunctisque ipsius appendicibus, eisdem monachis perpetim pleniterque habendas largimur, largientesque confirmamus, eo pacto, ut annuatim V. idus Januarias anniversarium carissimi nobis propinqui nostri (*a*)LUDOWICI reverendi abbatis unanimiter devote celebrent, & de eisdem rebus præcipuam cibi potusque refectionem accipiant. Præfatus autem Wlfarius diaconus ipsas res jure beneficiario possideat, quamdiu vixerit: post decessum vero illius ad opus fratrum in servitium revertantur. Ut autem hæc nostræ largitionis seu confirmationis auctoritas inviolabilem omni tempore obtineat firmitatem, manu propria subter eam firmavimus, anulique nostri impressione assignari jussimus.

Signum KAROLI gloriosissimi regis.

GAMMO notarius ad vicem GOZLENI recognovi.

Data I. idus Aprilis indictione IIII. anno XXXII. regnante KAROLO gloriosissimo rege, & in successione HLUTARII regis anno III.

Actum monasterio S. Dionysii in Dei nomine feliciter. Amen.

[*a*] Caroli-magni ex filia majore natu Rotrude nepotis, qui fuit etiam abbas S. Dionysii, Fontanellæ & Centulæ, ac Caroli-Calvi cancellarius, obiitque anno 867.

PRÆCEPTUM CAROLI CALVI regis, pro Cenomanensi S. Vincentii monasterio.

Ad petitionem Roberti episcopi Cenomanensis, confirmat varias monasterii S. Vincentii possessiones.

Anno 873. Ex cartario Elnonensi.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, KAROLUS gratia Dei rex, quicquid pro utilitate & necessitate servorum Dei contendimus, profuturum nobis ad æternam beatitudinem facilius obtinendam omnino confidimus. Itaque sit notum omnibus sanctæ Dei ecclesiæ fidelibus, & nostris præsentibus atque futuris, quia vir venerabilis ROBERTUS episcopus Cenomanensis ecclesiæ, ad nostram accedens sublimitatem, humiliter petiit, ut quasdam villas a WIDONE, nec non & a quibusdam ecclesiæ SS. Vincentii atque Laurentii præstarias, usibus ac stipendiis canonicis prænominatæ ecclesiæ perpetuo traditas ac deputatas sine aliqua minoratione, secundum eorum constitutionem jugiter habendas auctoritatis nostræ præcepto confirmare dignaremur. Ejus, inquam, rationabilem petitionem clementer audientes, precibus illius nos annuisse cunctis notum esse volumus. Sunt autem ipsæ res sitæ per diversa loca in comitatu Cenomanico, id est, villa quæ dicitur *Chanon*, quam S. Domnolus (a) clericis sancti Vincentii atque Laurentii pretiosorum martyrum tradidit, cum omnibus suis appendiciis, & cum ecclesia una inibi aspiciente in honore S. Leubini, & cum facto uno qui est in Diablentico situs. Precariam quoque quam Wido fecit Vassallus ipsius episcopi, cum ecclesia ex ipsa villa de suo alode, quem in Sarciacum fuit visus haberi, cum una ecclesia in honore S. Martini & vinea indominicata, & quicquid inibi fuit visus habere, totum ex integro confirmamus. Similiter eidem ecclesiæ confirmamus Saderniacum villarem & vallem Petrosam, villas cum omnibus appenditiis, & in Banniolo quartas res & dimidiam, & capellos quinque, & de prato arpennos quatuor cum silvis. Rivum etiam Petrosum cum suis appenditiis, & Archas cum farinario, atque appenditiis. Has ergo villas cum universis suis appenditiis, vel mancipiis utriusque sexus, omnibusque ad se pertinentibus sæpe dictis fratribus sicut supra taxatum est. Regia auctoritate & diligentia hoc præceptum confirmationis nostræ stabili jure eis in perpetuo concedimus atque confirmamus. Præcipientes regia potestate per sanctæ Trinitatis inviolabile nomen atque examen tremendi judicis, & angelorum ac sanctorum omnium reverentiam conjurantes, ut nemo episcoporum successorum, quod nostri roboratum est edicto, subtrahere vel minuere audeat, vel ad suos usus eas retorquere, vel alicui quiddam exinde in beneficium tribuat. Ut autem hæc altitudinis nostræ auctoritas perpetuam in Dei nomine obtineat firmitatem, anulo nostro subter sigillari jussimus.

GAMMO notarius ad vicem GOZLENI recognovit.

Data IV. idus Octobris indictione VI. anno XXXIIII. regnante KAROLO gloriosissimo rege, & in successione Clotarii regis anno IIII.

Actum in Cenomannis civitatem in Dei nomine feliciter. Amen.

DIPLOMA CAROLI CALVI imperatoris, pro monasterio S. Vedasti.

Privilegia monasterii a summo pontifice confirmata rata habet.

Anno 876. Ex cartario Vedastino.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis KAROLUS ejusdem Dei omnipotentis gratia imperator augustus. Divina ordinatione credimus nobis collatam imperii dignitatem, idcirco gratias supernæ pietati referentes, quamquam multo minores simus beneficiis ejus, cogitare tamen debemus quemadmodum collati nobis ab ipso imperii sceptra juste secundum ipsius voluntatem dirigamus, & ecclesiam illius pro qua sanguinem fudit proprium, in omnibus ipso regente protegamus, credentes quoniam nihil hac oblatione illi gratius umquam offerre valemus, nihil quod in hac vita nobis salutarius, nihil quod in æterna retributione gloriosius de ejus benignitate provenire possit. Unde noverit omnium fidelium nostrorum tam præsentium quam & futurorum sollertia, quod adierunt celsitudinem nostram monachi ex monasterio, quod vocatur Nobiliacus, ubi pretiosus confessor Christi VEDASTUS corpore quiescit, humillimis precibus postulantes, ut regale decretum nostrum, quod super jam dicto monasterio atque villis, necessitatibus profuturis nostra munificentia, simulque episcoporum privilegium, quod ex nostra jussione illis confirmatum est, Romani pontificis auctoritate firmari juberemus, quatenus quod episcoporum Gallicanorum auctoritas juste pieque decreverat, summi pontificis sanctione firmaretur, & liberalitatis nostræ clementia perpetuis sæculis glorificata commendaretur. Quorum petitioni libenter an-

(a) Id est monachis, qui clericorum nomine plerumque designantur apud antiquos. Certe Acta episcoporum Cenomanensium Analectorum tom. 3. pag. 99. hac de Domnoli donatione ita loquuntur: *Præfatus igitur domnus Domnolus episcopus emit partem villæ ex thesauro ecclesiæ sibi commissæ: alia vero pars de suo episcopio erat, cujus vocabulum est* CANON, *quam & per licentiam canonicorum suorum monachis in ecclesia S. Vincentii & sancti Laurentii, quam ipse a novo fundaverat, regulariter degentibus per suum strumentum dedit.*

nuentes, clementer indulsimus, quod juste petere perspeximus. Et quoniam instantium considerantes confusionem temporum, & in futuro providentes, si quoquo modo possimus, saluti fidelium & ecclesiarum Christi stabilitati, pietatis pertimuimus inimicum, & nostro desiderio, quo Christi ecclesiam optamus superexaltare, contrarium nisi perficeremus, exorati, quod amore Christi commoniti debueramus ultro offerre. Itaque vocatione domni JOHANNIS apostolici Romam properantes, & voto nostro quod ex longo tempore cupiveramus satisfacientes, post collatam a præfato patre nostro summo pontifice & universali papa, Christo nobis propitio, imperii dignitatem, humiliter eidem summo pontifici supplicavimus, ut secundum præfatorum fratrum petitionem, edictum tam nostrum quamque episcoporum decreta Gallicanorum sua auctoritate adstipulari dignaretur: quam reverendus pontifex benigne nostram suggestionem suscipiens, non minus humiliter, quam devote curavit perficere, quod vidit religiose postulari. Edidit igitur privilegium secundum nostram auctoritatem expetitum, quo priorum statuta decretorum apostolicæ quoque sedis, & B. Petri principis apostolorum auctoritate firmaretur. His ita peractis, cum Domino volente Franciam rediissemus, petierunt præfati fratres, ut ea quæ apostolica sedes sanciverat, nostro quoque inviolabili roboraretur edicto, & tam illa quæ nos, quam ea quæ venerabilis auctoritas episcoporum decreverat, nostra imperiali munificentia statueretur ad perpetuitatem. Unde cognoscat fidelium nostrorum numerositas, & ecclesiarum Christi admirabile consortium, quia statuimus atque imperiali edicto decernimus, ut quicquid reverendus pater summus pontifex præfatis fratribus privilegio suæ auctoritatis concessit, præsentibus & futuris temporibus inviolatum perseveret, neque a quoquam vel ecclesiastico vel sæculari prævaricetur. Quod si quis apostolicæ sedis decretum contemnere, nostri quoque edicti cessionem parvipendere, atque contravenire vel facere conatus fuerit, nulli dubium quin illa damnatione multabitur, quam Spiritu-sancto credimus propalatam. A nobis vero vel successoribus nostris, quia infidelis esse dinoscitur, neque enim infidelior quisquam nobis potest esse, quam ille qui nostræ saluti & præsenti & futuræ contrarius extiterit, secundum voluntatem & potestatem nostram dijudicetur, & quod illis pie & salubriter statutum est, imprevaricabile ac inconvulsum perpetuis temporibus permaneat. Ut autem nostri hæc edicti constitutio æternis inviolata temporibus maneat, manus nostræ subscriptione roboravimus, & anuli nostri aurei appensione subtersigillari jussimus.

A Signum CAROLI serenissimi imperatoris augusti.

GAUZLENUS abba recognovi & subscripsi.

Data III. calendas Junii indictione VIII. anno I. domni KAROLI serenisissimi imperatoris augusti, regni vero XXXVI.

Actum Compendio regio palatio in Dei nomine feliciter. Amen.

PRIVILEGIUM JOHANNIS PAPÆ VIII. pro monasterio Vedastino.

B *Confirmat omnia contenta in diplomate Caroli imperatoris.*

JOHANNES episcopus servus servorum Dei, fratribus monasterii B. Vedasti, quod vocatur Nobiliacus vel Atrebas, ubi ipse S. Vedastus confessor Christi corpore quiescit in perpetuum. Anno 876. *Ex carta in Vedastino.*

Si utilitatibus servorum Dei pie consulimus, locaque Christo dicata apostolicis fulcimus sanctionibus, quo divini cultus servitores inibi Deo vacantes a turbinibus, & variis tempestatibus secularium muniantur C excursibus, nihil hoc holocausto gratius Redemtori nostro credimus offerendum. Qua de re luce clarius patet omnibus ecclesiæ filiis, quia karissimus filius noster KAROLUS rex, adiens limina beatissimorum apostolorum Petri & Pauli honorifice a nobis exceptus, postquam solemniter vota regia persolvisset ad sepulcrum B. Petri, die nativitatis Domini, in ecclesia ipsius B. Petri apostolorum principis, dignitatem imperialem per impositionem manuum nostrarum adeptus est. Dehinc non minus sincere quam devote a nobis expetiit, ut B. Petri D apostolorum principis, simulque apostolatus nostri auctoritate decerneremus, privilegium Romanæ atque apostolicæ sedis astipulatione roboratum, fratribus jam dicti monasterii confessoris Christi Vedasti, per quod stabili jure ac sine perturbatione possiderent claustrum ac prædictum monasterium, & omne quod eis per suum præceptum concesserat, ac Gallicanorum episcoporum decreto muniri fecerat, hujus rei gratia, quia eumdem augustum divino contractum amore id fecisse perspeximus, gratanter ejus petionibus assensum præbuimus, decernentes apostolica auctoritate, ea quæ E hic inserta habentur inconvulsa manere. Ad matriculam scilicet ecclesiæ Maisbodvillam, Bais, Senous, Herbodcisternam, Pomerias, Herlincurtem, & in Boninicurtem, mansos & cum Longobragio, Manimium, Morsele & Sceldogotheim, Juventiacum & in Dominica curte mansum I. & in Farreolo mansum I. ad necessaria vero fratrum, victus scilicet & potus, medietatem vici, qui vocatur Hovavilla, & tabernam

unam, Filciacum dominicam curtem, Theuludum, Bigartium, Hecnam-curtem, Bernevillam, Mediolanas, Puteas aquas, Angeli-curtem, vallis, cum camba una & duobus molendinis, Stagras, Saltiacum, Atramentarius, Mast, Marcheim, Seringeheim, precariam Emmonis & Tagingarii. Ad cameram vero villas sitas in pago Batua, quem circumfluit Rhenus bicornis fluvius his nominibus Rehxnam, Wlfrum, una cum capella ibidem posita, Rotheim super-fluvium Versiam sitam. Item in altera Rotheim mansos VI. praeterea etiam ultra Rhenum praelibatum fluvium mansos numero XXXVI. pariter cum silvis appendentibus. Deinde in pago Atrebatensi Atheias, Saltiacum, Liniacum, Campanias, & in Fontanido mansos III. & in Lambras mansum I. & alterum in Hadas & tabernam I. in vico monasterii. Ad portam Berneiam villam, & in Anzinio mansum I. cum molendino, & in Enez mansos V. cum molendino & decimam omnis abbatiae. Ad hospitale pauperum in Daginvilla mansos VII. in Boneiam villam & Lentsales mansos III. & quintam partem omnis decimae. Ad domum vero infirmorum omne thelonium ex mercato, & has villas quas pro remedio animae suae dedit vel reddidit S. Vedasto; Frontellicurte, Cilliacum, Lutosum montem atque Tilsgidum. Has ergo villas cum omnibus appendiciis, & reditibus, & mancipiis, quemadmodum per praecepti paginam ordinata sunt atque tradita, per nostri apostolatus auctoritatem sancimus, ut nulli mortalium liceat aliter ordinare, mutare, vel aliud quid quoquo modo exinde vel parum agere, praeter quod a saepe dicto filio nostro piissimo augusto constitutum est, sed omnis ordinatio in arbitrio abbatis pendeat. Qui ergo ea quae sancta atque apostolica sedes stabilivit pro nihilo duxerit, temerarioque ausu avaritiae, diabolicaeque cupiditatis instinctu qualitercumque violare tentaverit, si ex toto, aut ex parte transgressor apparuerit, B. Petri apostolorum principis, nostrique apostolatus auctoritate anathematis nexibus ut fur & sacrilegus astrictus, atque ab unitate matris ecclesiae & participatione corporis & sanguinis Christi sequestratus cum Juda traditore Domini nostri JESU CHRISTI, & diabolo ejusque atrocissimis pompis in tremendo die magni examinis sententiam damnationis accipiat. At qui his apostolicis constitutionibus sincero amore observator extiterit, benedictionem & misericordiam a Domino JESU CHRISTO percipiat, & partem & societatem cum eis quorum nomina sunt scripta in libro vitae

A Agni a constitutione mundi. Amen.

Data per manus Anastasii primiscrinii anno primo imperii Karoli serenissimi augusti, & post consulatum ejus anno I. indictione VIII.

DIPLOMA LUDOVICI Germaniae regis II. pro monasterio Indensi.

Ad petitionem Rodradi abbatis concedit ei Crusciniacum villam.

IN nomine sanctae & individuae Trinitatis (a) LUDOVICUS divina favente gratia rex. Si igitur locis sanctorum sacratissime Deo dicatis beneficia largimur plurima, petitionibusque ibidem Deo juge famulantibus assensum praebemus, & nobis apud remuneratorem Dominum repropitiari Domino liquido credimus, & interventione sanctorum regni nostri, nostrorumque stabilitatem posse accumulari non ambigimus. Quocirca comperiat omnium sanctae Dei ecclesiae nostrorumque fidelium praesentium sive futurorum sagacitas, quia ob amorem Dei omnipotentis, & reverentiam sanctorum ejus seu ammonitionem fidelis nostri RODRADI abbatis, largimur res proprietatis nostrae monasterio Indensi constructum in honore S. Salvatoris, unde & praedictus RODRADUS rector esse videtur, villam juris nostri nuncupantem Crusciniacum cum omnibus mancipiis & rebus ibidem aspicientibus, unde & hanc nostram auctoritatem fieri jussimus; per quam firmamus atque transfundimus supra taxatas res praedictae (b) cellulae S. Salvatoris cum omnibus appendiciis, hoc est cum mancipiis utriusque sexus, cum terris, silvis, pratis, aquis, aquarumve decursibus, quatenus in stipendiis fratrum ibidem Deo famulantium ceterisque necessitatibus, quae hactenus fiscus noster exegit a modo augeatur, atque a rectoribus ipsius matris ecclesiae praeordinetur, seu exigatur, nullo nostro judicio contradicente. Et ut haec auctoritas largitionis nostrae inconvulsa valeat permanere, manu nostra subterfirmavimus, & anulo nostro eam subterjussimus sigillari.

Anno 877 Ex m. D. de Louvrex [a]

[b]

Signum domni LUDOWICI serenissimi regis.

GEBERHARDUS cancellarius ad vicem LUITBERTI archicapellani recognovi.

Data idibus Martii anno I. regni LUDOVICI serenissimi regis in Orientali Francia indictione X.

Actum Tribura in Dei nomine feliciter. Amen.

(a) Hic Ludovicus filius extitit Ludovici Transrhenani seu Germanorum regis, qui anno 877. obiit teste Sigeberto, relictis tribus filiis, Ludovico, Carolo, & Carolomanno.

(b) Cellulae seu cellae vocabulum, apud veteres persaepe pro monasterio seu abbatia sumitur. Ita S. Benedictus apud S. Gregorium l. 2. dial. *Quid est, inquit, quod loqueris soror? manere extra cellam non licet.*

PRÆCEPTUM EMUNITATIS Hludovici filii Caroli pro monasterio Prumiensi.

Anno 878. Ex cartario Prumiensi.

IN nomine Domini Dei æterni & Salvatoris nostri JESU CHRISTI HLUDOUVICUS misericordia Dei rex. Notum esse volumus cunctis fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ & nostris, præsentibus scilicet atque futuris, quia venerabilis vir ANSBALDUS, abba monasterii, cujus vocabulum est Prumia, quod est dicatum in honore Domini & Salvatoris nostri JESU CHRISTI & S. MARIÆ semper virginis, quod olim bonæ memoriæ proavus noster PIPPINUS quondam rex, & proavia nostra BERTRADA in rebus proprietatis eorum a fundamentis construxerunt, misit nobis per monachos suos auctoritatem domni PIPPINI prædicti regis, in qua continebatur insertum, qualiter idem monasterium non solum rebus multiplicibus ditaverat, verum etiam & eum sub sua tuitione heredumque suorum, regum videlicet constituerat, necnon & auctoritatem domni attavi KAROLI, avique nostri HLUDOUVICI, atque genitoris domni KAROLI, præstantissimorum imperatorum, patruorumque nostrorum HLOTARII imperatoris, HLUDOUVICIque regis, in qua erat exaratum qualiter constitutionem confirmaverat & constituerat, ut in villis vel rebus prædicti monasterii nullus judex prædictus absque ejus jussione vel heredum suorum, ad causas audiendas, aut freda undique exigenda, nec fidejussores tollendos, nec scaras vel mansionaticos seu conjectos tam de carrigio, quamque de paraveredis exigere aut exactare præsumeret; sed quicquid exinde tam de hominibus Francis, quam ecclesiasticis, seu servientibus, qui infra agros, vel fines, seu super terram prædicti monasterii degere videntur, fiscus aut freda poterat sperare, ex indulgentia in luminaribus prædicti monasterii cederent. Prædictus etiam abba deprecatus est ut non solum proavi, atavi, avi, genitorisque & patruorum auctoritatibus firmitatis gratia nostram superadderemus auctoritatem; sed & ipsum monasterium cum rebus & hominibus, quæ præsenti tempore in quibuslibet pagis & territoriis tam per traditionem PIPPINI regis, atavi, avi & genitoris nostri atque patruorum nostrorum, vel ex liberatione liberorum hominum tam per traditiones, commutationes, venditiones, aut qualicumque legali ordine præsenti tempore prædictum monasterium tenet vel possidet, sive quæ deinceps in jure ipsius sancti loci divina pietas augere voluerit, sub nostra tuitione atque immunitatis defensione constitueremus. Cujus precibus aurem placabilem accommodantes, hos nostros regales apices fieri jussimus, per quos decernimus atque jubemus, ut quicquid tam ex donatione liberorum hominum ad idem monasterium legibus jure collatum est, & præsenti tempore legaliter tenet vel possidet monasterium, vel ea quæ ab hinc in futurum idem juste & legaliter traditum fuerit, perennis temporibus rectores prædicti monasterii absque ullius injusta contrarietate teneant & possideant. Insuper præcipimus, atque per hanc nostram auctoritatem sancimus, ut nullus judex publicus vel quislibet ex judiciaria potestate in ecclesias, aut loca, vel agros, seu reliquas possessiones prædicti monasterii ad causas judiciario more audiendas, vel sicut in præcepto domni & genitoris nostri continetur, vel freda, aut fidejussores tollendos, aut scaras, vel mansionaticos, seu conjectos tam de carrigio quamque de paraveredis exigendis, aut homines ipsius monasterii tam francos quam ecclesiasticos, servientes, qui infra agros vel fines, super terram prædicti monasterii manent, bannum aut heribannum exigere aut exactare præsumant, aut ullas redibitiones, aut inlicitas occasiones quærere, sed liceat rectoribus prædicti monasterii cum omnibus rebus & mancipiis prædicto monasterio jure possessis quiete vivere ac residere, quemadmodum in PIPPINI regis, & atavi nostri, avique & genitoris nostri atque jam dictorum patruorum nostrorum auctoritate, vel in hoc nostro nostrorumque successorum fideliter parere imperio, qualiter monachi ibi per successiones degentes liceat quiete vivere, & Domini misericordiam pro nobis proleque nostra attentius exorare. Quidquid etiam de rebus prædicti monasterii sui fiscus exigere poterat, totum pro æterna remuneratione in luminaribus prædicti monasterii, & in alimonia pauperum, vel sustentatione peregrinorum, in nostra eleemosyna perennis temporibus concedimus. Hæc vero auctoritas firmitatis nostræ, ut per curricula annorum inviolabilem obtineat firmitatem, eam manu propria subterfirmavimus, & anuli nostri impressione adsignari jussimus.

Signum HLUDOUVICI gloriosi regis.

WLFARDUS notarius ad vicem GOZLENI recognovit.

Data IX. cal. Aprilis indictione XI. anno I. regni domni HLUDOUVICI gloriosi regis.

Actum Silvanectis civitate in Dei nomine feliciter. Amen. (a) [a]

(a) Sequitur in cartario præceptum Ludovici regis eisdem pene verbis conceptum. *Datum calendas Novembris anno Christo propitio* XXXIX. *Ludovici serenissimi regis in Francia regnante indictione* XII. *Actum Franconofurt palatio regio.*

PRÆCEPUM LUDOVICI-BALBI regis pro Turonensi S. Martini ecclesia.

Merlaum villam ob Caroli patris & Irmentrudis matris mercedem ei donat.

Anno 878. Ex cartario S. Martini.

IN nomine Domini Dei æterni & Salvatoris nostri JESU-CHRISTI LUDOVICUS misericordia Dei rex. Si locis divinis cultibus mancipatis emolumentum nostræ largitatis impendimus, id nobis procul dubio ad præsentem vitam facilius transigendam, & ad æternam felicius capessendam prodesse confidimus. Quocirca noverit omnium fidelium sanctæ Dei ecclesiæ, nostrorumque præsentium scilicet ac futurorum sollertia, quia nos divina inspiratione tacti, ac de æterna remuneratione solliciti, libuit celsitudini nostræ ob perpetuam mercedem genitoris nostri piæ memoriæ KAROLI imperatoris, ac genitricis nostræ gloriosæ videlicet reginæ IRMINTRUDIS, sed & nostri, ad basilicam S. Martini sitam in suburbio Turonicæ civitatis, & ad ipsius ecclesiæ canonicos, qui ejusdem beatissimi patris jugibus excubiis gloriosum venerantur templum & tumulum, quasdam res & mancipia nostræ proprietatis delegare ac perpetualiter eidem loco & prædictis fratribus in proprium conferre, id est villam Merlaum sitam in pago Canisiacense super fluvium (a) Ingeram cum omnibus appenditiis & integritatibus suis ac decimis. Unde hoc nostræ altitudinis præceptum fieri jussimus, ac super sepulchrum sanctissimi patris manu propria posuimus, quatenus eamdem villam, cum omnibus ad se juste pertinentibus, sicut hic insertum esse cognoscitur, ipsi fratres ad supplenda eorum victus necessaria perpetuis temporibus teneant, nemine inquietante. Volumus etiam, ut jam dicti fratres diebus dum advixerimus, diem nativitatis nostræ, quæ est Kalendas Novembris, & diem unctionis nostræ qua per misericordiam Dei in regio culmine sublimati sumus, id est dies VI. idus Decembris, refectione sibi ex prædictis rebus annis singulis observent, & sicut dictum est, pro genitore ac genitrice nostra, ac fratribus nostris, scilicet KAROLO & KARLOMANNO, sed & nobis conjugeque ac prole, vigiliis & missarum solemniis ex more celebratis, Domini misericordiam cordetenus implorent. Nobis vero Deo propitio ad meliora migrantibus, diem obitus nostri annis singulis similiter observare, ac pro nobis Dei omnipotentis clementiam exorare non negligant. Ut autem nostræ dominationis auctoritas firmior habeatur, & futuris temporibus ab omnibus diligentius observetur, manu propria subter eam firmavimus, & anuli nostri impressione assignari jussimus. Petimus etiam ut memoriam LOTHARII fratris nostri similiter habere non negligant.

Nota.

Signum LUDOVICI gloriosissimi regis.

WLFARDUS notarius ad vicem GOZLENI recognovit.

Datum XII. Kalendas Julii, indictione XI. anno I. regni domni LUDOVICI gloriosissimi regis.

Actum Turonis in monasterio S. Martini in Dei nomine feliciter. Amen.

(a) Ingera seu Ingeris vulgo *Indre* Galliæ fluvius qui in Bituricensi provincia ortus, Ligeri miscetur haud procul a Turonibus.

PRÆCEPTUM LUDOVICI BALBI regis pro Turonensi S. Martini ecclesia.

Ut canonicis S Martini mansiones, quas post Normanorum devastationem restaurarunt, quiete possidere liceat, neque obtentu regis adventus, quisquam eas invadere, aut in eis manere præsumat.

Anno 878. Ex cartario S. Martini

IN nomine Domini Dei æterni & Salvatoris nostri JESU-CHRISTI LUDOVICUS misericordia Dei rex. Decet enim regalis clementiæ dignitatem, cuncta quæ à servis Dei rationabiliter postulata fuerint sollerti cura prospicere, & opportuna re congrua eis beneficia non denegare, ea quoque anteriorum acta regum quæ pro Dei intuitu concedere visa sunt, plenius confirmare. Quapropter notum sit omnibus fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ & nostris præsentibus scilicet & futuris, quoniam fratres, venerabiles scilicet viri ex monasterio S. Martini, in suburbio Turonicæ civitatis sito, ad nostram accedentes clementiam, petierunt suppliciter, ut pro Dei omnipotentis amore, ac beatissimi Martini venerabillima religione, sanctorum quoque omnium suffragio, ipsi congregationi celsitudinis nostræ præceptum fieri juberemus, ut quiete & tranquille in restaurationibus construendarum sibi mansionum, quæ lamentabili excidio sævis ignibus Normannorum depopulatione perierant, eos degere liceret, & ut quieti ac securi in eisdem mansionibus absque cujuspiam inquietudine esse valerent. Quorum rationabilibus & opportunis precibus assensum præbentes, hoc serenitatis nostræ præceptum fieri jussimus, per quod præcipimus atque jubemus, ut nec nos adventus nostri tempore, nisi pro tantæ infirmitatis necessitate, sicuti nunc egisse cognoscimur, ad beatissimum patrem Martinum confugium fecerimus, quod deinceps omnipotentis manus clementer avertat, nec ullus ex ducibus, abbatibus, domesticis, comitibus, grafionibus, centenariis, vicariis, vel quicumque judiciaria potestate succinctus, seu quilibet missus discurrens, aut cujus-

Nota.

cumque potestatis seu dominii reverentia præditus, in supradictorum fratrum mansionibus infra ipsius cœnobii septa constructis, seu cellis intra urbem & burgum Turonicum consistentibus mansionaticum accipere, aut ingressum, aut introitum ad ipsos inquietandum habere præsumat; sed quidquid sæpedicti fratres in eorum mansionibus fundaverunt atque construxerunt, tam ipsi quamque post eos eorum ipsius basilicæ educati, more ejusdem loci quiete & pacifice habeant, teneant & ordinent, ut dum per nos pacis & quietis utuntur solatio, libere & quiete pro genitore, & genitrice, nobis, conjugeque, ac prole, regni quoque nostri statu Domini misericordiam exorare delectent. Et ut nullus fidelium nostrorum hanc indulgentiam & bonitatem præceptionis nostræ irrumpere aut violare præsumat, sed nostra munificentia quietos esse in eorum mansionibus de reliquo patiantur. Et ut ecclesia sancta Dei debitæ reverentiæ obtineat vigorem, laborare decertent. Ut autem hæc munificentiæ auctoritas firmam & imprevaricabilem semper in Dei nomine obtineat firmitatem, manu propria subter eam firmavimus, & anuli nostri impressione assignari jussimus.

Signum LUDOVICI gloriosissimi regis.

WLFARDUS notarius ad vicem GOZLENI recognovit & subscripsit.

Datum VIIII. calendas Augusti, indictione XI. anno I. regni domni LUDOVICI gloriosissimi regis.

Actum Turonis in monasterio S. Martini in Dei nomine feliciter. Amen.

PRÆCEPTUM LUDOVICI Balbi pro Turonensi S. Martini ecclesia.

Capleiam ac Miliciacum necnon Merlaum villas canonicis S. Martini confirmat, atque in eis confugia a paganorum infestatione sibi construere permittit, aliasque eorum possessiones & immunitates ratas habet.

Anno 878. Ex cartul. S. Martini.

IN nomine Domini Dei æterni & Salvatoris nostri JESU CHRISTI, LUDOVICUS misericordia Dei rex. Si petitionibus servorum Dei pro quibuslibet ecclesiasticis necessitatibus aures nostras pulsantium libenter annuimus, & ad divinæ potentiæ in locis Deo dicatis uberius famulandum auxilium porrigimus, id nobis procul dubio & ad mortalem vitam temporaliter deducendam, & ad futuram feliciter obtinendam, commodum provenire confidimus. Igitur notum esse volumus cunctis sanctæ Dei ecclesiæ fidelibus & nostris, scilicet præsentibus & futuris, quia adiit serenitatem nostri culminis venerandus vir noster quoque propinquus HUGO religiosus abba basilicæ eximii confessoris Christi B. Martini in suburbio Turonicæ civitatis sitæ, reverenter poscens, ut res quas piæ recordationis genitor noster domnus KAROLUS quondam imperator augustus, videlicet Capleiam, & Miliciacum villam ob amorem Dei & S. Martini reverentiam fratribus ad confugium pro remedio animæ suæ ac genitricis suæ domnæ JUDITH quondam augustæ dederat, suique auctoritate præcepti corroboraverat, sicut & nuper nos villam nostram Merlaum prona devotione obtulimus, in necessitatibus fratrum habendas, cum omnibus sibi rebus pertinentibus, & Novientum villam quam ODO comes per licentiam genitoris nostri fratribus contulit, denuo more regio pro mercede communi omnium nostrum nostræque conjugis ac prolis perpetuo mansuras, absque minoratione vel substractione aliqua corroboraremus. Quod si etiam monasterium in prædictis rebus, vel alicubi pro infestatione (a) paganorum vel malignorum hominum construere eisdem fratribus libuerit, aut necesse extiterit, nostra largitate concederemus absque inquietudine more solito permanendum, nec cuiquam fidelium nostrorum in mansionibus clericorum absque eorum voluntate manendi licentiam concedamus, etiamsi nostra affuerit præsentia. Insuper etiam addidit supplicando, ut monasterium S. Martini cum omnibus rebus sibi pertinentibus de more parentum, regum videlicet prædecessorum nostrorum sub nostræ immunitatis tuitione ac defensionis munimine recipere dignaremur, assensum præbendo, ut sicut tempore avi nostri domni LUDOVICI quondam augusti, seu etiam piæ recordationis domni & genitoris nostri KAROLI serenissimi imperatoris res ejusdem S. Martini in Austria, Neustria, Burgundia, Aquitania, Provincia, Germania, Italia, & in ceteris regni nostri, Christo largiente partibus consistentes, quæ non solum a regibus, & a piissimo avo nostro Ludovico, atque a genitore nostro domno Karolo, ut diximus, seu a nobis atque ab orthodoxis principibus, verum etiam a ceteris fidelibus collatæ, vel per quoslibet contractus & munimina cartarum in jus ejusdem S. Martini traditæ sunt, quieto jure in ditione ac regimine abbatum suorumque propositorum, id est * decanum fideliumque fratrum Deo devote famulantium ordinatum extiterint: ita & nostris temporibus sub nostræ immunitatis defensione consistere, & ab omni publica functione ac judiciaria exactione immunes liberasque decernere dignaremur. Cujus petitioni nobis valde saluberrimæ ac profuturæ, ob amorem Dei & reverentiam prælibati peculiaris patroni nostri domni Martini, libenter assensum præbere nobis usque-

* f. Decanorum.

(a) Id est Normannorum, qui illo ævo totam Galliam ac Turones in primis devastarunt.

usquequaque libuit. Quapropter volumus atque decrevimus, ut jam dictæ villæ (pro) communi nostra mercede, ad supplementum seu confugium fratrum collatæ, cum aliis villis jam pridem eorum stipendiis ac vestimentis deputatis, & in præcepto domni & genitoris nostri nominati cum Lirado & Marciaco expressis, simulque cum reliquis facultatibus omnium rerum prælibati S. Martini sub nostræ defensionis munimine modis omnibus consistant. Præcipientes ergo jubemus atque præcipimus, ut nullus judex publicus, aut quilibet superioris aut inferioris ordinis reipublicæ procurator, ad causas judiciario more audiendas, in ecclesias aut villas seu reliquas possessiones, quas moderno vel priscis temporibus, in quibuslibet provinciis aut territoriis regni nostri juste & legaliter tenet, vel deinceps in jure ipsius basilicæ divina pietas augeri voluerit, ingredi præsumat, nec freda, aut tributa, mansiones, aut paratas, aut telonium ex ullis negotiis, sicut in præcepto domni & genitoris nostri ceterorumque regum continetur, exigere, aut fidejussores tollere, aut homines tam ingenuos quam servos super terram ipsius basilicæ commanentes distringere, nec ullas publicas functiones aut redhibitiones vel illicitas occasiones requirere, quibus nostris futurisque temporibus quisquam tam temerarius existat quod faciendi illicitam sibi potestatem attribuere audeat. Quicquid ergo de prædictis rebus beato Martino devote collatis, vel sibi pertinentibus in jus fisci cedendum fuit, & a decessoribus nostris comperimus collatum, nostræque largitatis munere libenter volumus esse eidem sancto Martino suisque servientibus canonicis concessum, ut id, remoto fisci dominatu, ad luminaria basilicæ B. Martini concinnanda, & ad sustentationem pauperum seu clericorum Deo & S. Martino deservientium sit supplementum. Volumus etiam atque decernimus, ut sicut in præcepto domni & genitoris nostri continetur, decimæ & nonæ dominicalium rerum, scilicet tam ex dominicatis villis, quam & ex villis in beneficio datis hospitali nobilium atque pauperum deputatæ habeantur. Si quis autem in tantam prorumpere ausus fuerit audaciam, & hujus præcepti nostri violator extiterit, quemadmodum in præceptione domni & genitricis nostri continetur, non solum in offensam nostram lapsurum, verum etiam sexcentorum solidorum auri ad purum excocti se noverit pœna mulctandum, ex qua duæ partes rectores monasterii S. Martini, tertiam vero jus fisci recipiat. Decernimus itaque ut remota totius judiciariæ potestatis inquietudine, quieto ordine memoratus abba suique successores res prædicti monasterii, cum omnibus suis subjectis vel aspicientibus ad se, vel pertinentibus hominibus sub immunitatis nostræque protectionis defensione consistant. Si quid vero de prædicti sancti rebus per tepiditatem & negligentiam abbatum aut ministrorum, seu præsumtionem judicum cupiditatemve malorum hominum injuste abstractum est, id per hanc nostram auctoritatem prorsus restaurandum præcipimus, corroborantes denuo pancartam super omnibus rebus S. Martini, pro munimine omnium cartarum a genitore nostro collatam. Et ut hæc auctoritas inviolabilem obtineat effectum, & a fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ & nostris verius credatur, ac diligentius conservetur, manu propria subter firmavimus, & anuli nostri impressione signari jussimus.

Signum LUDOVICI gloriosissimi regis.

WLFARDUS notarius ad vicem GOZBERTI recognovit.

Data nonas Septembris indictione XI. anno I. domni LUDOVICI regis.

Actum Trecas (a) civitate in Dei nomine feliciter. Amen. [a]

PRÆCEPTUM CAROLI-CALVI Hugoni abbati S. Martini Turonensis concessum.

Liradum & Marciacum ecclesias ad refugium canonicorum ob infestationem paganorum concessas, vetat ne quisquam devastet.

Anno 869. Ex cartario S Martini.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis KAROLUS gratia Dei rex. Cum enim fidelium regni nostri rectis petitionibus aurem clementiæ nostræ dignanter accommodamus, regiæ celsitudinis morem exercere videmur, ac per hoc promtiores erga nostræ fidelitatis obsequium eosdem procul dubio reddimus. Igitur noverit omnium sanctæ Dei ecclesiæ fidelium nostrorumque tam præsentium quam & futurorum industria, quia veniens quidam reverendus S. Martini confessoris Christi HUGO abba nosterque (a) propinquus, innotuit celsitudini nostræ, qualiter quædam præfatæ ecclesiæ sibi commissæ villæ, id est in pago Bituricensi Liradus, & in Arvernico Marsiacus sæpissime a non recte volentibus invaderentur, ac tamquam sub hostili militia mansiones ibidem acciperentur, & nimia crudelitate, se absente, deprædarentur. Unde quia præfati cœnobii venerabiles canonici in jam dictis villis, ob infestationem paganorum re- [b]

(a) Ibidem tunc Ludovicus rex a Johanne papa coronari voluit, ut discimus ex veteri libro sacramentorum S. Theoderici in quo refertur oratio quam Apostolicus regem coronando pronunciavit.

(b) Hugo quippe filius extitit Conradi avunculi Caroli-calvi, qui ab eo comitatum Andegavensem cum abbatia S. Martini accepit.

fugium sæpius habere consuescunt, petiit humiliter magnificentiam nostram, quatenus ab eisdem villis cunctisque sibi pertinentibus finibus talia infanda, talesque præsumptiones nostræ auctoritatis præcepto removeremus. Cujus humillimam petitionem cognoscentes, libenter suscepimus, atque hoc nostræ excellentiæ præceptum fieri jussimus, per quod præcipimus, atque jubentes firmamus, ut nemo fidelium totius regni nostri in præfatis villis, seu in omnibus ad eas juste legaliterque pertinentibus finibus mansionem, more hostili, aut alia qualibet occasione iter agens accipere præsumat, nec aliquam deprædationem aut vim inferat, quæ justis legibus agi prohibentur, sed omnibus inquietudinibus remotis, liceat memoratis fratribus successoribusque illorum in eisdem villis propria ordinatione, Domino adjuvante, securiter perfrui. Ut autem hæc nostræ jussionis auctoritas firmior per futura tempora habeatur, anuli nostri impressione subter eam jussimus sigillare.

HILDEBOLDUS notarius ad vicem GOZLENI recognovi.

Data III. cal. Februarii indictione II. anno XXVIIII. regnante KAROLO gloriosissimo rege.

[a] Actum Coneda (b) vico super Ligerim, in Dei nomine feliciter Amen.

DIPLOMA LUDOVICI II. regis Germaniæ.

De fundatione collegii XII. clericorum in sua Francofordiensi capella.

Anno 880. *Ex cartario Trevirensi S. Martini.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis LUDOVICUS divina favente gratia rex. Si locis Deo dicatis nostræ regiæ potestatis compendium impenderimus, hoc nobis ad æternæ retributionis præmia capessenda profuturum liquido credimus. Qua propter noverit omnium fidelium nostrorum tam præsentium quam futurorum industria, qualiter piissimus genitor noster ob amorem Domini, & pro suæ mercedis augmento tradidit, traditasque firmavit quasdam res proprietatis suæ, ad capellam suam ad *Franconofurt*, quæ est constructa in honore Salvatoris Domini nostri JESU CHRITI, hoc est nostram capellam ad *Cuffstein*, & illud monasterium ad Ursella, & illam ecclesiam in villa quæ vocatur *Steci*, & illam ecclesiam ad *Plagstat*, & illam villam quæ dicitur Pargilla cum ecclesia & decima ad eam pertinente, sicut eam Ruotkerus in beneficium habuit, & illam ecclesiam ad Sprendilingum, cum illo manso qui ad eam pertinet, & illam ecclesiam ad *Biscofesheim* cum omni decimatione, cum mancipiis & terris ad eam pertinentibus, & quod Ruotkerus habuit in villa *Seskibach*, & illam ecclesiam ad *Sueinheim* cum omni decimatione, cum mancipiis & terris ad eam pertinentibus, & tres mansos ad *Gelstrebah*, & illam capellam ad *Nerenstein* cum omnibus ad eam pertinentibus, sicut eam Aaron ibi in beneficium habuit. Et illam villam quæ dicitur *Kadelcams* cum omnibus appenditiis, & illam capellam in Bunna, & sicut *Heririch* in beneficium habuit in *Osteren* Acha. Et quod *Ruotlind* ad ipsam capellam tradidit scripto confirmavit. Has itaque præscriptas cum omni integritate, id est cum omnibus ad eas pertinentibus in domibus, ædificiis, mancipiis, campis, agris, pratis, pascuis, vineis, silvis, cultis & incultis, aquis, aquarumque decursibus, mobilibus & immobilibus, ad jam dictam capellam pius genitor noster tradidit atque transfudit, ut deinceps perpetualiter ad Dei servitium peragendum ibi permaneant absque ullius contradicentis obstaculo. Et constituit ut in eodem loco ad serviendum Domino consistant clerici XII. exceptis presbyteris, qui in locis illuc pertinentibus Domino famulantur. Et hi omnes de præscriptis rebus habeant stipendia necessaria, & ab illo abbate, cui ipsa capella commissa fuerit, nulla umquam hostilis expeditio exigatur. Insuper etiam præcepit, ut abba WILLIHERIUS, cui ipsa capella commissa est, diebus vitæ suæ eam securiter habeat cum omnibus ad eam pertinentibus, nec ullus inde ei quidquam auferre præsumat, sicuti regiæ partis tunc in beneficium habere visus fuit cum omnibus præscriptis, & jure ac legitime ad ea pertinentibus in decimationibus seu aliis appenditiis. Nos igitur paternæ traditioni consentientes, jussimus fieri hoc nostræ consentionis conscriptum, per quod volumus ac præcipimus, ut sicut pius genitor noster præscripta omnia constituit atque firmavit, ita deinceps firmata & stabilita permaneant, absque ullius contradicentis aut inquietantis obstaculo. Et ut hæc nostræ consentionis auctoritas firmior habeatur, & per futura tempora a fidelibus nostris melius credatur & diligentius observetur, manu propria nostra subter eam firmavimus, & anuli nostri impressione assignari jussimus.

Signum HLUDOWICI serenissimi regis.

ARNOLFUS cancellarius ad vicem LUITBERTI archicapellani recognovi.

Data XV. calendas Decembris anno Dominicæ Incarnationis DCCC. LXXX. indictione XIII. anno V. regni HLUDOVICI serenissimi regis.

(a) In Coneda vico vulgo *Cande* sanctus Martinus decessit.

Actum *Franconofurt*, in Dei nomine feliciter. Amen. (*a*)

[*a*]

PRÆCEPTUM CAROLOMANNI regis pro Turonensi S. Martini ecclesia.

Villas fratribus S. Martini ad refugium ab infestatione Normannorum concessas, & facultatem in iis monasteria construendi, aliasque possessiones & immunitates confirmat.

Anno 882. Ex cartario S. Martini.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis CARLEMANNUS gratia Dei rex. Si petitionibus servorum Dei pro quibuslibet ecclesiasticis necessitatibus aures nostras pulsantium libenter annuimus, & ad divinæ potentiæ in locis Deo dicatis uberius famulandum auxilium porrigimus, id nobis procul dubio, & ad mortalem vitam temporaliter deducendam, & ad futuram feliciter obtinendam, commodum provenire confidimus. Igitur notum esse volumus cunctis sanctæ Dei ecclesiæ fidelibus ac nostris, scilicet præsentibus atque futuris, quia adiit serenitatem culminis nostri venerandus vir noster quoque egregius pater HUGO religiosus abba basilicæ eximii confessoris Christi beati Martini reverenter poscens, ut res quas piæ recordationis avus noster domnus CAROLUS quondam imperator augustus, id est Capleiam & villam Miliciacum, ob amorem Dei & sancti Martini reverentiam fratribus ad confugium pro remedio animæ suæ ac genitricis suæ domnæ JUDITH olim augustæ dederat, suique auctoritate præcepti corroboraverat, sicut & domnus & genitor noster LUDOVICUS villam Merlanum prona devotione obtulit, in necessitatibus fratrum habendam, cum omnibus sibi rebus pertinentibus, insuper & Novientum villam, quod ODO comes per licentiam domni CAROLI prædicti avi nostri contulit sancto Martino suisque clericis, denuo more regio pro mercede omnium nostrorum communi perpetuo mansuras absque minoratione vel aliqua substractione corroboraremus. Quod si etiam in prædictis rebus aliisque Domino auxiliante collatis vel in futurum concedendis pro infestatione paganorum vel malignorum hominum, construere eidem venerandoso abbati seu fratribus gregis jam prælibati domni Martini libuerit, aut necesse extiterit nostra largitate concederemus absque inquietudine more solito permanendum & liberali jure construendum, nec cuiquam fidelium nostrorum in mansionibus clericorum absque eorum voluntate manendi licentiam concedamus, etiamsi nostra affuerit præsentia. Denique etiam addidit supplicando, ut monasteria sancti Martini, ubi & ubi in nostra ditione constructa vel construenda, cum omnibus sibi rebus, vel hominibus pertinentibus, de more parentum videlicet regum prædecessorum nostrorum, sub nostræ immunitatis tuitione ac defensionis munimine recipere dignaremur, assensum præbendo, ut sicut proavi nostri domni LUDOVICI quondam augusti, seu etiam domni CAROLI prædicti avi nostri, atque genitoris nostri piæ recordationis domni LUDOVICI, res ejusdem sancti Martini in Austria, Neustria, Burgundia, Aquitania, Provincia, Germania, Italia, & in exteris regni, Christo largiente, nostri partibus consistentes, quas non solum a regibus seu a piissimis superius memoratis patribus & proavis nostris, ut diximus, atque ab orthodoxis principibus, verum etiam a ceteris fidelibus collatæ, vel per quoslibet contractus, & munimina cartarum in jus & potestatem prælibati domni Martini traditæ sunt, quieto jure in ditione ac regimine abbatum suorumque præpositorum ac decanorum, fideliumque fratrum Deo devote famulantium ordinatum extiterint, ita & nostris temporibus sub nostræ immunitatis deffensione consistere, & ab omni publica functione ac judiciaria exactione immunes liberasque decernere dignaremur. Cujus petitioni nobis valde saluberrimæ ac profuturæ ob amorem Dei & reverentiam prælibati peculiaris patroni nostri domni Martini libenter assensum præbere usquequaque libuit. Quapropter volumus atque decernimus, ut jam dictæ villæ in communi nostra mercede omniumque prædictorum parentum nostrorum, ad supplementum seu confugium fratrum collatæ, cum aliis villis vel rebus jam pridem eorum stipendiis ac vestimentis, eorumque necessitatibus deputatis, & in præcepto domni CAROLI prædicti avi nostri nominatim cum Lirado & Marciaco expressis, simulque cum reliquis facultatibus omnium rerum prælibati domni Martini, sub nostræ deffensionis munimine modis omnibus consistant absque inquietudine cujusquam. Præcipientes ergo jubemus atque præcipimus, ut nullus judex publicus aut quilibet superioris, vel inferioris ordinis rei publicæ procurator ad causas judiciario ordine audiendas, vel inquirendas seu discutiendas, in ecclesias, ac villas, seu reliquas possessiones quas moderno vel priscis temporibus in quibuslibet provinciis aut territoriis regni nostri juste & legaliter tenet, potestas jam prænominati sancti Martini, vel deinceps in jure ipsius suæque basilicæ divina pietas augeri voluerit, ingredi præsumat, nec freda, aut tributa, aut mansionem, vel paratam seu teloneum, ex ullis negotiis sicut in præ-

(*b*) Idem privilegium confirmavit Carolus Crassus imperator anno 881. imperii sui I. Francofurti III. idus Decembris indictione XIV. VVALDO cancellarius ad vicem LUITVVARDI archicancellarii recognovit.

cepto domni & genitoris nostri, ceterorumque regum prædecessorum nostrorum continetur, exigere aut fidejussores tollere, aut homines tam ingenuos, quam servos super terram ipsius sancti Martini suorumque monasteriorum commanentes distringere, nec ullas publicas functiones aut redibitiones, vel illicitas occasiones requirere, nostris futurisque temporibus tam temerarius existat, qui id faciendi illicitam sibi potestatem attribuere audeat. Quicquid ergo de prædictis rebus beato Martino devote collatis vel sibi pertinentibus in jus fisci cedendum fuit, & a decessoribus nostris comperimus collatum, nostræque largitatis munere libenter volumus per immensum eidem sancto Martino suisque servientibus concessum, ut id remoto fisci dominatu, ad luminaria basilicæ beati Martini concinnanda, & ad sustentationem pauperum, ac hospitum, seu clericorum Deo & sancto Martino deservientium, sit supplementum. Volumus etiam ac decernimus ut sicut in præcepto avi nostri, seu & genitoris continetur, decimæ & nonæ omnium dominicalium rerum, scilicet tam ex dominicatis villis, quam ex beneficiatis hospitali nobilium atque pauperum deputatæ habeantur ac persolvantur. Si quis autem in tantam prærumpere ausus fuerit audaciam, & hujus præcepti violator extiterit, quemadmodum in præceptione parentum nostrorum continetur, non solum in offensam nostram lapsurum, verum etiam sexcentorum solidorum auri ad purum excocti se noverit pœna mulctandum, ex qua duas partes rectores monasterii sancti Martini, tertiam vero jus fisci recipiat. Decernimus itaque ut remota totius judiciariæ potestatis inquietudine, quieto ordine memoratus abba suique successores res prædicti sancti Martini cum omnibus sibi subjectis vel ad se aspicientibus, vel pertinentibus hominibus sub immunitatis nostræque protectionis defensione consistant. Si quid vero de prædicti sancti rebus per tepiditatem, & negligentiam abbatum aut ministrorum, seu pro infestatione, vel oppressione Normannorum, etiam per præsumptionem judicum, cupiditatemve malorum hominum injuste abstractum est, id per hanc nostram auctoritatem prius restaurandum præcipimus. Corroborantes denuo pancartam super omnibus rebus sancti Martini, pro munimine omnium cartarum ab avo & genitore nostro collatam. Et ut hæc auctoritas inviolabilem obtineat effectum, & a fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ, & verius nostris credatur ac diligentius conservetur, manu propria subterfirmavimus, & anuli nostri impressione signari jussimus.

PRÆCEPTUM CAROLI CRASSI imperatoris pro monasterio Prumiensi.

Monasterio Prumiensi a Normannis devastato concedit curtem suam Neckrauvvam.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis KAROLUS divina clementia imperator augustus. Si erga loca divino cultui mancipata, maxime tamen ea quæ ab infestatione paganorum diruta esse noscuntur, serenitatis nostræ clementiam exercemus, inde nobis æternæ retributionis præmia provenire liquido confidimus. Quapropter noverit omnium fidelium nostrorum præsentium scilicet & futurorum industria, qualiter nos ad monasterium quod dicitur Brumia, in honore sancti Salvatoris constructum, audita infestatione paganorum, qui dicitur Nordmanni, ad eumdem monasterium erumpentium, quamdam curtem nostram quæ dicitur Nech-karauwa in comitatu *Loubungovve* cum omnibus ad eam legitime aspicientibus, mancipiis, ædificiis, terris, agris, vineis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, exitibus & reditibus, mobilibus & immobilibus, & tertiam partem sylvæ quæ pertinet ad *Luidolvesheim*, jure perpetuo tradimus, atque de nostra dominatione in jus & dominationem ipsius monasterii per hoc nostræ auctoritatis præceptum donamus atque transfundimus; ea videlicet ratione, ut rectores ipsius monasterii de supradicta curte, & tertia parte prænominatæ sylvæ, liberam ac securam habeant potestatem ordinandi, regendi & disponendi secundum suum libitum, & utilitatem sæpe fati monasterii & fratrum ibidem Deo famulantium. Et ut hæc auctoritas largitionis nostræ deinceps inviolabilis habeatur, & ut per futura sæcula ab omnibus diligentius observetur, hoc idem præceptum propria manu subter adfirmavimus, & anulo nostro roborare sigillarique jussimus. (Anno 889. *Ex cartario Prumiensi.*)

Signum domni KAROLI gloriosissimi imperatoris augusti. †

WALDO notarius ad vicem LUITWARDI archicancellarii recognovi.

Data XI. Kal. Jun. anno incarnationis Domini DCCCLXXXII. anno imperatoris Karoli II.

Actum in Wormatia civitate.

PRIVILEGIUM CAROLI CRASSI imperatoris pro S. Maximino.

Monasterium S. Maximini sub sua suscipit protectione, eique libertatem eligendi abbatis restituit.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis KAROLUS divina favente clementia imperator augustus. Oportet igitur nos qui divi- (Anno 885. *Ex cartario Trevirensi S. Maximini.*)

na pietate ceteris mortalibus prælati sumus, A circa monasteriorum reverentiam augustali cura vigilare, ut destructa quæque monasteria, & a propriis incuria deviciata privilegiis, nostris studiis, ubicumque poterimus, ad pristinum statum reformentur. Quapropter noverit omnium fidelium nostrorum, præsentium scilicet & futurorum industria, quia quoddam monasterium B. Maximini per diversas distributum personas, a propria electione injuste & ultra statuta antecessorum nostrorum inrationabiliter propriis privilegiis frustratum, & ab electione dejectum esse didicimus: ideoque nos imperiali auctoritate, hoc idem monasterium propriis B privilegiis restituimus, & electionem fratribus regulari professione in eodem monasterio (a) coronatis perpetuali conditione concessimus, & jussimus hoc nostræ auctoritatis præceptum inde conscribi, per quod decernimus atque jubemus, ut deinceps hoc idem monasterium sub nostra defensione salvum consistat, nullusque habeat potestatem aliquam inrationabilem eis inferre molestiam, sed liceat fratribus ibidem Domino famulantibus sub omni quietudine pro nobis C nostrisque parentibus Dominum exorare. Quandocumque autem divina vocatione abbas illorum obierit, & ad loca meliora transierit, habeant potestatem fratres inter se eligendi abbatem, quamdiu Deus concesserit, ut talis inter illos reperiri possit, qui eumdem locum & fratres juxta regulam S. Benedicti & professionem fratrum juste & regulariter ordinare & regere possit. Et ut hæc nostræ largitatis concessio pleniorem in Dei nomine obtineat firmitatem, hoc idem præceptum propria manu firmavimus, & D bullæ nostræ impressione assignari jussimus. Insuper vero concessimus beato Maximino quamdam piscinam quæ est sub ipso ponte in civitate Treviris.

Signum domni KAROLI serenissimi imperatoris augusti.

INQUIRINUS notarius ad vicem LIUTWARDI archicancellarii recognovi.

Data Kalendas Octobris anno incarnationis Domini DCCC. LXXXV. indictione III. anno vero domni KAROLI IX. imperii autem V.

Actum Vormatiæ civitate in Dei nomine E feliciter. Amen.

(a) Coronatos vocat fratres clericos ob tonsuram quam in modum circuli deferunt, ad distinctionem fratrum laicorum, qui toto tonso capite erant.



PRÆCEPTUM CAROLI CRASSI imperatoris pro Turonensi sancti Martini ecclesia.

Ut de consensu abbatis omnia per decanum ordinentur decernit, confirmatque immunitates & possessiones S. Martini.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis KAROLUS ejusdem omnipotentis misericordia imperator augustus. Si sacris locis & divinis cultibus mancipatis emolumentum imperialis celsitudinis exhibemus, servorumque Dei in eisdem degentibus necessitatibus opem ferendo consulimus, profuturum nobis hoc ad æternæ remunerationis præmium facilius obtinendum, & ad præsentem vitam felicius transigendam fore nullatenus dubitamus. Itaque noverit omnium sanctæ Dei ecclesiæ fidelium, nostrorumque tam præsentium quamque futurorum industria, quoniam grex humillimus eximii confessoris Christi beati Martini adiit serenitatem culminis nostri, offerens obtutibus imperialis nostræ dignitatis præceptum, per quod eisdem fratribus quasdam villas in eodem præcepto nominatim præscriptas, CAROLUS patruus noster quondam imperator augustus ad eorum subsidium confirmaverat. Insuper præ manibus habentes privilegia domni videlicet NICOLAI papæ atque episcoporum, quorum potestate sibi cælitus permissa idem præceptum prænominati patrui nostri, videlicet CAROLI corroboratum habetur, ut sicut ejusdem præcepti series continet, ita decanus permissu abbatis ac senioris ejusdem cœnobii beati Martini res omnes sibi munere regio vel a quibuslibet fidelibus concessas, cum universitate sibi pertinentium perpetuo ordinent atque integerrime possideant: ita ut nullius potestatis senior quicquam exinde de eorum dominio vel possessione præsumat conferre, neque per præpositi sui ordinationem temeraria præsumptione disponere attentet. Super qua re imperialem nostram dignitatem humili supplicatione deprecati sunt, ut imperiali more præceptum patrui nostri CAROLI atque præceptum LUDOVICI filii sui super omnibus eorumdem fratrum rebus denuo corroborare dignaremur. Quorum petitionem ratam perspicientes, pro amore Dei ac reverentia B. prælibati domni Martini, in nostra eleemosyna præceptum nostræ auctoritatis fieri jubemus, per quod decernimus, ut sicut in privilegiis prædecessorum regum parentum nostrorum continetur: ita ab hodierna die, ac in reliquum irrefragabiliter permaneat, cum omnibus villis eorum stipendiis deputatis, cum Lirado, & Capleia seu Miliciaco, & Marciaco, necnon Faldoa cum illo manso, & Merlao, villa quoque Monte, quam

Anno 886. Ex cartario S. Martini.

Gerbaldus precario more ad censum retinet, atque Noviento, quam Odo integerrime ad peculiare fratribus contulit. Insuper etiam censemus, ut monasterium jam dicti sancti Martini, cum omnibus rebus sibi pertinentibus, de more imperatorum vel regum parentum nostrorum sub nostræ immunitatis tuitione ac defensionis munimine habeatur, assensum præbendo, ut sicut tempore avi nostri domni LUDOVICI quondam augusti, seu patrui nostri CAROLI atque LUDOVICI regis, res ejusdem sancti Martini in Francia, Austria, Neustria, Burgundia, Aquitania, Provincia, Germania, Italia, & in exteris imperii, Christo largiente, nostri partibus consistentes, quæ non solum a regibus, ut diximus, atque ab orthodoxis principibus, verum etiam a ceteris fidelibus collatæ, vel per quoslibet contractus, & munimina cartarum in jus ejusdem sancti Martini traditæ sunt, quieto jure in ditione ac regimine abbatis, ejusdem loci decani, ac seniorum fratrum ordinatim extiterint: ita & nostris temporibus sub nostræ immunitatis defensione consistere, & ab omni publica functione ac judiciaria exactione immunes liberasque decernimus. Præcipientes ergo jubemus, ut nullus judex publicus aut quilibet superioris, aut inferioris ordinis rei publicæ procurator, ad causas judiciario more audiendas, in ecclesias aut villas, seu reliquas possessiones, quas moderno, vel priscis temporibus in quibuslibet provinciis, aut territoriis imperii nostri, juste ac legaliter tenet, vel deinceps in jure ipsius basilicæ divina pietas augeri voluerit, ingredi præsumat, nec freda, aut tributa, aut mansiones, aut paratas, ac teloneum ex ullis negotiis, sicut in præceptis regum continetur, exigere, aut fidejussores tollere, aut homines tam ingenuos quam servos super terram ipsius basilicæ commanentes distringere, aut ullas publicas functiones, aut redibitiones, vel illicitas occasiones requirere nostris futurisque temporibus quisquam tam temerarius existat, qui id faciendi illicitam sibi potestatem attribuere audeat. Quidquid ergo de prædictis rebus beato Martino devote collatis, vel sibi pertinentibus, in jus fisci cedendum fuit, & a decessoribus nostris collatum, nostræ largitatis munere libenter volumus esse eidem sancto Martino, sibique famulantibus canonicis concessum, ut id remoto fisci dominatu, ad sustentationem canonicorum, seu pauperum, sit supplementum. Volumus etiam ut, sicut in præceptis eorumdem fratrum continetur, decimæ & nonæ dominicalium rerum, scilicet tam ex villis dominicatis, quam & in beneficio datis, hospitali nobilium atque pauperum absque substractione aliqua in nostra eleemosyna deputatæ habeantur. Si quis autem in tantam prærumpere ausus fuerit audaciam, & hoc præceptum nostrum violare præsumserit, quemadmodum in regum parentum nostrorum præceptione continetur, non solum in offensam nostram lapsurum, verum etiam sexcentorum solidorum auri ad purum excocti probatæ monetæ se noverit pœna mulctandum; ex qua duas partes rectores prædicti monasterii S. Martini, tertiam vero jus fisci recipiat. Si autem de prædicti sancti rebus per tepiditatem & negligentiam abbatum aut ministrorum, seu per præsumtionem judicum, cupiditatemve malorum hominum, injuste abstractum est, id per hanc nostram auctoritatem prorsus restaurandum præcipimus: corroborantes denuo pancartam super omnibus rebus ejusdem sancti, pro munimine omnium cartarum, quæque ab incendio Normannorum, vel quolibet modo adustæ sunt. Et ut hæc auctoritas inviolabilem obtineat effectum, & a fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ, & nostris verius credatur, ac diligentius conservetur, manu propria subter firmavimus, & anuli nostri impressione signari jussimus.

Signum domni CAROLI serenissimi imperatoris augusti.

AMALBERTUS cancellarius ad vicem LIUTARDI cancellarii recognovit.

Data XI. Kal. Septembris anno incarnationis Domini DCCC.LXXXVI. indictione quarta; anno imperii imperatoris CAROLI in Italia VI. in Francia IV. in Vallia II.

Actum ad Siluci in Dei nomine feliciter. Amen.

PRÆCEPTUM CAROLI CRASSI imperatoris.

Factam Germundo a Carolo imperatore donationem confirmat.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, KAROLUS divina favente clementia imperator augustus. Noverit igitur omnium fidelium nostrorum præsentium scilicet & futurorum industria, qualiter quidam homo GERMUNDUS nomine nostram adiit excellentiam, ostendens præceptum KAROLI imperatoris, in quo continebatur quemadmodum idem Karolus quamdam villam, quæ Nideis vocatur, in pago Carnotino consistentem, cum omnibus juste & rationabiliter ad eamdem aspicientibus, villam illam in proprietatem condonasset. Et ideo nostram deprecatus est clementiam, quatenus hoc per præceptum nostræ auctoritatis dignaremur corroborare. Nos vero rationabilibus illorum satisfacere desiderantes petitionibus, decrevimus ita fieri, & jussimus eis hoc nostræ auctoritatis præceptum inde conscribi, per quod decernimus atque omnino sancimus, ut sicut in

Anno 886. Ex cartario S. Martini.

illo comprehensum est præcepto, ita deinceps per hanc nostram auctoritatem firmum & inconcussum succedentibus permaneat temporibus, nullo umquam successorum nostrorum hoc irrumpente. Et ut hoc nostræ corroborationis sive confirmationis præceptum firmiorem in Dei nomine obtinere valeat vigorem, manu propria nostra subter hoc firmavimus, & anulo nostro insigniri jussimus.

Signum domni KAROLI serenissimi imperatoris augusti.

AMALBERTUS cancellarius ad vicem AUTBERTI archicancellarii recognovi.

Data VIIII. calendas Novembris, anno Incarnat. Domini DCCCL. XXVI. indictione IIII. anno imperii imperatoris Karoli in Italia VI. in Francia IV. in Gallia II.

Actum Parisiis in Dei nomine feliciter. Amen

PRÆCEPTUM BOSONIS REGIS Burgundiæ, pro episcopo Maurianensi.

Concedit ei castrum quod juxta fluminis Arki ripam adjacebat.

Anno 887. Ex ms. domni de Mazaugiis eruit D. Furnerius S. Victoris monachus.

REgnante Deo factore omnium, qui cuncta suo disponit ordine, cujus nutu ac potestate reges regnant, qui nobis beneficio suæ misericordiæ regni gubernacula non nostris intervenientibus meritis concessit Ego quippe Boso procurante divina gratia Burgundionum, Ausonorumque rex, una cum Er. uxore, pariter aula Viennæ urbis siti anno regni octavo, cœpimus cogitare piorum ac improborum retributionem: qualiterque remedio eleemosynæ cassantur imminentia bella injuste insurgentia, vel qualiter adquiritur eleemosyna interveniente misericordia Salvatoris. Interfuit quoque noster dilectus (a) ASMUNDUS, Secusivæ civitatis vel Maurianorum episcopus, una cum proprio fratre LEOTMANNO Cremonensis ecclesiæ præsule, qui nobis meditata ac mutuo dictata, suadentes ditari regalibus opibus ecclesiam proprii episcopii S. Johannis-Baptistæ in confinio Burgundiæ positam, quæ admodum destituta esse cognoscitur servitia hostium euntium vel redeuntium. Nos vero in amministratione tanti negotii assensum præbuimus veneratione sancti prædicti Johannis-Baptistæ, utque nos victores intercessione semper ubique reddat, donamus eidem sancto Domini Baptistæ refugium de nostris propriis genealogiis, castrum scilicet in ejusdem territorio sancti Johannis positum ultra flumen, quod vulgo Armariolum nuncupatur, quod etiam adjacet supra dicti parvi fluminis ripam Arki, cum nostra capella S. Dei genitricis cum decimis, & villis, villaribusque subjectis eidem castro pertinentibus, & ex hac parte fluminis & ultra ubi sit præsulis * requires, ubi secunda sedes, ubi tempore belli tuta defensio, ubi libros thesaurorumque munimen inexpugnabile Armarium enim antiquitas antiqui vocaverunt aptum & congruum judicatus a regalibus institutis, ut sit arma inexpugnabilis contra hostium incursiones nostræ Mauritanæ ecclesiæ sancti videlicet Johannis-Baptistæ. Si quis vero suadente humani generis inimico, contra institutionem nostræ potestatis violare tentaverit, lege Bonifacii universalis pontifici sit anathema, & componat nostro judicio c. libras auri. Has quippe duas ecclesias Maurianorum, scilicet sancti Johannis-Baptistæ, sanctæque Dei genitricis civitatis Secusivæ, cum propriis ecclesiis subjectis, secundum jam dicti Bonifacii instituta esse concedimus Maurianensis ecclesiæ pontificis dominata, eo tenore, ut ad proprii pontificis synodum constituto tempore veniet, sæpe denominatus Maurianorum episcopus.

* f. requies.

(a) Nullam hujus episcopi mentionem inveni in vulgatis indicibus episcoporum Maurienensium, in quibus Asmundo locus vacuus relictus est.

DIPLOMA CAROLI CRASSI imperatoris, pro monasterio Corbeiæ novæ.

Confirmat Corbeiensi monasterio exemtionem ab omni expeditione militari, tametsi instante præsenti barbarorum irruptione ex necessitate a Bobone abbate milites exigebat, &c.

Anno 887. Ex veteri codice Corbeiensi.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis KAROLUS divina favente clementia imperator augustus. Si petitiones servorum Dei nostrorumque fidelium quas pro suis necessitatibus, & maxime pro ecclesiarum Dei utilitatibus nobis suggesserint, ad effectum perducimus, non solum honorificam imperialis liberalitatis exercemus consuetudinem, verum etiam ad æternæ retributionis mercedem talia credimus nobis facta profutura. Unde noverit omnium fidelium nostrorum præsentium scilicet & futurorum industria, quod fidelis noster BOBO abbas monasterii, quod vocatur Nova Corbeia, & situm est in Saxonia, dedicatum vero in honore SS. martyrum Stephani atque Viti, insinuavit amplitudini nostræ, qualiter idem monasterium beatæ Mariæ avus noster LUDOVICUS imperator primitus inchoaverit, & statim inter ipsa constitutionis ejus exordia concesserit, ut neque abbates illius loci, neque homines eorum cujuscumque conditionis in expeditionem umquam ire deberent: sed liceret eis cum quiete ac securitate præfatæ utilitates ecclesiæ providere, necnon & regiis interdum legationibus exequendis, ubi opus esset, operam dare; quam concessionem firmam in futurum esse

volumus, licet ad præsens eam instantis periculi necessitas paulululum minuere cogat. Nam propter immensam barbarorum infestationem, necesse habemus cum universo nobis divinitus commisso ecclesiæ Christi defensioni insistere, & ob hoc non omnes sub memorati loci dominio consistentes, a profectionibus in hostem immunes relinquere possumus, sed quoniam ejusdem loci abbates missaticum regium peragere soliti erant, concedimus eis ut triginta homines nobiles ab aliis profectionibus secum immunes habeant; & si extra patriam est legatio peragenda, plures nobiles ad hoc opus paratos teneant; reliqui vero cum suo populo in hostem proficiscantur, & hoc quamdiu tantorum bellorum pericula imminent. Ubi vero divina pietas pacem dederit, concessionem quam temporibus gloriosæ memoriæ avi, genitoris, & germani mei habuerunt, firmam & stabilem manere volumus. Tradidimus etiam in remedium animæ nostræ, & patris nostri, & fratris, & in eleemosynam progenitorum nostrorum quædam beneficia ad præfatum cœnobium in propriam hereditatem, scilicet in Wehsigo quinque mansos & II familias, quos habuit Liudwardus in beneficium, & in *Hession* v. mansos, & duas litorum familias, quas habuit olim Remeias in beneficium, & in marca Asseki, in villa *Ecrikeshusun*, quicquid ad regium jus pertinet in terris, silvis, & mancipiis. Concedimus quoque partem villæ quæ dicitur Ovenhus, quam habuit olim *Vuiric* comes in beneficium, & IIII, mansos in *Sinuatfeldun* quos Landwardus habuit in beneficium. Et ut hæc nostræ largitatis concessio pleniorem in Dei nomine obtineat firmitatem, manu propria firmavimus, & anuli nostri impressione assignari firmavimus.

Signum KAROLI serenissimi augusti.

LUITFREDUS notarius ad vicem LIUTWARDI archicancellarii recognovi.

Et data nonas Maii anno incarnationis Domini DCCCLXXXVII.

Actum Weibilinga villa in Dei nomine feliciter. Amen.

DIPLOMA ARNULFI imperatoris pro S. Maximino.

Ad petitionem Megingoz comitis donationem facit in pago Meinifeldiensi.

Anno 888. Ex cartario Trevirensi S. Maximini.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, ARNOLFUS divina gratia favente rex. Si erga casas Dei dignanter divinis cultibus coruscantes, necnon præclaris sanctorum patrociniis cælitus præfulgentes curam gerere, & aliqua impendere eis opportuna studuerimus suffragia, sempiternæ beatitudinis mercedem inde nos consequi posse pro certo confidimus, & ibi Domino famulantes ad bonæ conversationis propositum devotiores efficiemus, ad orationemque nostram eos promtiores existere credimus. Quapropter omnium sanctæ Dei ecclesiæ fidelium tam præsentium quamque futurorum cognoscat industria, qualiter quidam fidelis comes noster nomine MEGINGOZ mansuetudinem nostram precatus est, ut cœnobium in civitate Treviris, in honore Christi & S. Maximini constructum, aliqua concessionis nostræ gubernatione ditando augeremus. Nos autem æternum animæ nostræ remedium sollicita mente pertractantes, & justæ ejus admonitioni & precatui libenter assensum præbentes, decrevimus ita fieri, & in pago *Meinifeld* dicto in comitatu ipsius ad eumdem sanctum Dei martyrem villam unam Ribanacha vocatam, perpetuo jure in proprium concessimus, & quicquid illuc juste pertinere videtur, id est ecclesiam in eadem villa constructam cum decima & curte cum casa ceterisque ædificiis, cum mansis habitantibus & mancipiis utriusque sexus, campis, agris, pratis, pascuis, silvis, aquis, aquarumve decursibus, molendinis, vineis, terris cultis & incultis, finibus & adjacentiis, viis & inviis, exitibus & reditibus, mobilibus & immobilibus, quæsitis & inquirendis, & cum universa integritate jure & rationabiliter ad præfatam villam pertinente. Idem vennam in marca Windinga sitam, cum silvula, quam Cone rivus alluit, ad instaurandam eamdem vennam. Hæc itaque omnia ad jam dictum sanctissimum locum potestativa manu in memoriam nostram, & cunctorum, quorum recordationem facere debitores sumus, in usum ibidem Domino & S. Maximino famulantium, per hoc nostræ confirmationis conscriptum tradimus atque transfudimus, eo videlicet tenore, ut rectores ejusdem monasterii de his omnibus securam perpetualiter habeant potestatem, prout eis placuerit, universa disponere juxta utilitatem famulorum Christi inibi divinum momentaneis horis obsequium officialiter persolventium & in hospitum pauperumque eleemosynam nostra receptione, absque ullius personæ vim inferentis obstaculo. Et ut hæc donationis nostræ auctoritas firmior habeatur, & per futura tempora a fidelibus nostris verius credatur, ac diligentius conservetur, manu propria subtus eam firmavimus, & anulo nostro insigniri jussimus.

Signum domni ARNOLFI serenissimi regis.

ASPERTUS cancellarius ad vicem (a) THEOTMARI archicapellani recognovi. [a]

Data x. calendas Februarii indictione VI. anno Incarnationis Domini DCCC.LXXXVIII. anno vero I. regni ARNOLFI piissimi regis.

(a) Fuit archiepiscopus Salisburgensis.

Actum

Actum civitate Regina in Dei nomine feliciter. Amen.

PRÆCEPTUM IMMUNITATIS Arnulfi regis, pro monasterio Prumiensi.

Anno 888. Ex cartario Prumiensi.

IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu-Christi, ARNULFUS divina ordinante providentia rex. Notum esse volumus cunctis fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ & nostris, præsentibus scilicet & futuris, quia vir venerabilis FARABERTUS, abba monasterii, cujus vocabulum est Prumia, quod est dicatum in nomine Domini & Salvatoris nostri JESU-CHRISTI & S. Mariæ semper virginis, quod olim bonæ memoriæ attavus noster PIPPINUS quondam rex, & attavia nostra BERTRADA in rebus proprietatis suæ a fundamentis construxerunt, attulit nobis auctoritatem prædicti domni regis PIPPINI, in qua continebatur insertum, qualiter idem monasterium non solum rebus multiplicibus ditaverat, verum etiam sub sui tuitione heredumque suorum, regum videlicet constituerat, nec non & auctoritatem domni & proavi nostri CAROLI, bonæ memoriæ præstantissimi imperatoris, in qua erat exaratum, qualiter constitutionem pii patris sui confirmaverat, & constituerat, ut in villis vel rebus prædicti monasterii, nullus judex publicus absque ejus jussione vel hæredum suorum, ad causas audiendas, aut freda undique exigenda, nec fidejussores tollendos, nec scaras, vel mansionaticos, seu conjectos, tam de carrigio, quam de paraveredis exigere, aut exactare præsumeret: sed quicquid exinde tam de hominibus francis seu servientibus, qui infra agros vel fines, seu super terram prædicti monasterii degere videntur, fiscus aut freda poterat sperare, ex ejus indulgentia in luminaribus prædicti monasterii cederent. Prædictus etiam abba deprecatus est, ut non solum attavi & proavi auctoritatibus firmitatis gratia nostram superadderemus auctoritatem, & ipsum monasterium cum rebus & hominibus, quæ præsenti tempore in quibuslibet pagis & territoriis, tam per traditionem prædicti domni PIPPINI regis, seu & imperatoris CAROLI, nec non & augustorum HLUDOVICI, HLOTHARII, atque CAROLI, regum quoque serenissimi avi nostri & junioris HLOTARII, vel ex liberalitate liberorum hominum tam per traditiones, commutationes, venditiones, aut ex qualicumque legali ordine præsenti tempore prædictum tenet vel possidet monasterium, vel quæ deinceps in jure ipsius sancti loci divina pietas augeri voluerit, sub nostra tuitione atque immunitatis defensione constitueremus. Cujus precibus aurem placabilem accommodantes, hos nostros regales apices fieri jussimus, per quos decernimus atque jubemus, ut quicquid tam ex donatione regum, vel traditione liberorum hominum, ad idem monasterium legibus jure collatum est, & præsenti tempore legaliter tenet vel possidet, vel ea quæ ab hinc in futurum ibidem juste & legaliter traditum fuerit, perennibus temporibus rectores prædicti monasterii, absque ullius injusta contrarietate, teneant & possideant. Insuper præcipimus, atque per hanc nostram auctoritatem sancimus, ut nullus judex publicus, vel quislibet ex judiciaria potestate, in ecclesias, aut loca, vel agros, seu reliquas possessiones prædicti monasterii, ad causas pro more audiendas, vel judicia sicut in præcepto domni imperatoris CAROLI continetur, vel freda aut fidejussores tollendos, aut scaras, vel mansionaticos seu conjectos, tam de carragio, quam de paravaredis exigendos, aut homines ipsius monasterii tam francos, quam ecclesiasticos, vel servientes, qui infra agros vel fines, seu super terram prædicti monasterii manent, bannum aut heribannum exigere aut exactare præsumat, aut ullus redibitiones aut inlicitas occasiones quærere, sed liceat rectoribus prædicti monasterii cum omnibus rebus & mancipiis, prædicto monasterio jure possessis quieto ordine vivere ac residere, quemadmodum in prædicti pii PIPPINI regis, & domni CAROLI imperatoris, ac HLUDOVICI vel HLOTARII augustorum auctoritate, vel in hac nostra continetur, nostro nostrorumque successorum fideliter parere imperio, qualiter monachi ibi per successiones degentes liceat quiete vivere, & Domini misericordiam pro nobis, prolequе nostra adtentius exorare. Quicquid etiam de rebus prædicti monasterii jus fisci exigere poterat, totum nos pro æterna remuneratione in luminaribus prædicti monasterii, & in alimonia pauperum, vel sustentatione peregrinorum, in nostra elemosyna perennibus temporibus concedimus. Hæc vero auctoritas firmitatis nostræ, ut per curricula annorum inviolabilem obtineat firmitatem, eam manibus nostris subterfirmavimus, & anuli nostri impressione signari jussimus.

Signum domni ARNOLFI serenissimi regis.

ASBERTUS cancellarius ad vicem THIOTMARI archicapellani recognovit.

Data III. idus Junii anno Incarnationis Dominicæ DCCCLXXXVIII. indictione VI. anno I. regni domni ARNOLFI invictissimi regis.

Actum Franconofurt in Dei nomine feliciter. Amen.

PRIVILEGIUM ODONIS REGIS pro monasterio Vedastino.

Ad varias fratrum necessitates exemplo Caroli regis varia adsignat prædia.

Anno 890. Ex cartario Vedastino.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis ODO gratia Dei rex. Si ea quæ prædecessores nostri, divina ordinante providentia præditi, & superna dignatione illuminati, necnon & sanctæ Dei ecclesiæ suorumque fidelium devotis admonitionibus ac precibus instigati, pro statu & utilitate ecclesiarum ac servorum Dei statuere decreverunt, nostris confirmamus edictis, atque ipsorum devotissimis consentientes affectibus, eadem pia munia Domino annuente exequimur, hoc nobis procul dubio ad æternam beatitudinem, & totius regni nobis à Deo commissi tutelam profuturum esse credimus,& retributorem Dominum exinde in posterum habere credimus. Igitur notum sit omnibus sanctæ Dei ecclesiæ fidelibus ac nostris,præsentibus scilicet futurisque,quia carissima conjux nostra THEODERADA, necnon venerabilis HRODULFUS abba monasterii S. Vedasti, quod vocatur Nobiliacus, ubi ipse pretiosus confessor Christi corpore quiescit in perpetuum, humillimis precibus efflagitati sunt, ut pro Dei omnipotentis amore, & futuro sanctæ congregationis suffragio, atque in sancto proposito religionis augmento ibidem Deo militantium, & ne aliqua successorum suorum negligentia aut parcitate, seu diminutione ordo monasticus futuris temporibus perturbaretur,quasdam villas ob multimodas necessitates præfatæ monachorum congregationi jam priscis temporibus a regibus per præcepta regalia delegatas, propter rei firmitatem & ipsius sancti patroni Vedasti reverentiam, morem imitantes regum prædecessorum nostrorum, auctoritatis nostræ præceptum fieri juberemus,per quod tam ea quæ præ manibus habebant, quam ipsa quæ eis dictus abbas contulerat, rata atque stabilita deinceps permanere possent. Nos vero petitionibus illorum, quia necessariæ & rationabiles erant, aurem accommodantes, veluti postulaverunt fieri adjudicavimus, atque has infra scriptas villas diversis eorum necessitatibus profuturas, quemadmodum à divæ recordationis beatæ memoriæ prædecessore ac quondam seniore nostro KAROLO rege piissimo, per præcepti paginam stabilita atque ordinata sunt, ad eorum usus & necessitates supplendas perpetuo deservituras delegavimus, ad matriculam scilicet Maisbodvillam, Baïs, Senous, Herbodcisternam, Pomerias, Erlini-curtem, & in Bovini curte mansos x. cum Longobraio, Mainimum, Morsele, & Sceldego-

A thein, Juventiacum, & in Dominica-curte mansum I. & in Farreolo mansum I. & censum de omnibus precariis monasterii. Ad necessaria vero fratrum, victus scilicet & potus medietatem vici qui vocatur Novavilla, juxta ipsum monasterium sitam & tabernam I. Filciacum, Dominicam-curtem, Theuludum, Bigartium, Hecnam-curtem, & Bernellam. In pago Belvacensi Mediolanas, Puteas-aquas, Angeli-curtem, valles cum camba I. & duobus molendinis, & mansis ad easdem pertinentibus,Stagras,Sat-

B liacum, Atramentarias, Mast, Manheim, Sirengheim cum omnibus precariis ad easdem villas pertinentibus, precariam Emmonis & Tagengarii. Ad cameram vero fratrum Ateias, Saltiacum, Liniacum, Campanias, & in Fontanido mansos III. & in Lambras mansum I. & alterum in Hadas & tabernam unam in vico monasterii. Ad portam vero Berneiam villam, & in Anzinio mansum I. cum molendino, & in *Enez* mansos V. cum molendino,& decimam omnis abbatiæ. Ad Hospitale pauperum in Daginvil-

C la mansa VII. in Boneiam villam & Lensales mansos III. ad quintam partem omnis decimæ quæ ad portam venerit. Ad domum vero infirmorum omne theloneum ex mercato. Villas vero quas eis memoratus rex pro remedio animæ suæ, patris, matrisque ac conjugum dedit vel reddidit, id est Frontelli-curtem, Lutosum-montem, Tilgidum, Cilliacum deservire usibus fratrum sancimus, ut ab ipso institutum est. Quia vero dictæ res ab incursione Nortmannica penitus depopulatæ sunt, memoratus illustris

D HRODULFUS abba miseratus inopiæ & paupertati fratrum, quamdam villam Hadis vocabulo,ab antiquis temporibus ab ipsis monachis possessam, sed a sepedicto rege concambiatam in Vise dominationis eorum revocando restituit. Insuper dedit eis commutationem, quam Sicherus & Walterus vassalli ipsius pro Laivinio dederunt, & mancipium I. ex Ficxo Aplinio nomine Teutbertam cum infantibus suis, atque villulam Mourcurtem ecclesiæ B. Mariæ in eodem monasterio sitæ deservituram delegavit, ex-

E petens humiliter celsitudinis nostræ clementiam, ut quod ab ipso pro divino amore actum est, nostro inviolabili roboraretur edicto. Has ergo suprascriptas villas cum omnibus appenditiis & precariis & redditibus, vel mancipiis ad se pertinentibus fratribus dicti monasterii eo modo, sicuti supra taxatum est, quemadmodum eis sæpius dictus rex CAROLUS per suum præceptum delegavit, ordinavit, ac Gallicanorum episcoporum auctoritate constabiliri fecit. Insuper creatus imperator per semet a Romana at-

F que sancta apostolica sede sub anathematis interdicto, quod nulli mortalium violare liceret, roborari petierat, regali auctoritate

& indulgentia per hoc præceptum confirmationis nostræ stabili jure eis in perpetuo concedimus atque confirmamus. A Et mancipia sicut tempore ADALONGI quondam abbatis ad præfatas villas pertinuerunt, vel quemadmodum a suprascripto inclyto rege contradita, ubicumque fuerint, absque inquietudine aliqua possideant. Quia vero, proh dolor! ob nimiam paganorum infestationem ac depredationem castrum propter munimen loci, KAROLO imperatore, petentibus monachis, consentiente & permittente, in ipso monasterio ab eis constructum est; ideo B de antiqua clausura reticemus. Ædificia vero sicuti sæpius nominatus rex KAROLUS constituit, & semper consuetudo fuit, ita construantur & restaurentur, ubicumque necesse fuerit. Denique sub occasione castelli, nolumus nomen monasterii deperire, ne ordo monasticus in eo a sæcularibus perturbetur, sed pristinus honor eis servetur ac potestas in omnibus, atque loci immunitas, quemadmodum a sancta Romana atque apostolica sede, ac Gallicanorum episcoporum auctoritate, atque regalium indulgen- C tia constitutum est, atque officinas quod ipsum castrum, capere prævaleat, secundum regulam S. Benedicti in eo habentes, non sit eis necessitas foris vagari, ut idem pater docet, quia non expedit animabus eorum: præcipientes regia auctoritate, ut nemo successorum nostrorum regum vel comitum, quod nostro inviolabili roboratum est edicto, subtrahere, commutare, vel minuere audeat, aut ad usus suos ea retorqueat, vel alicui quiddam in beneficium tribuat, sed D neque servitia aliqua ex eis exactet, neque paraveredos, aut expensas, aut hospitum susceptiones requirat, aut carricaturas, aut ullas in aliqua re exactiones sive mansionaticos inde exigat, præter quod eis ab antiquis temporibus in utilitatibus monasterii constitutum est, quibus nihil addere præsumant: quatenus monachi in cœnobio supradicto Deo secundum regulam S. Benedicti libere deservire valeant & fideliter pro nobis orare queant, nobisque pro rata confirmatione & illis pro pia & sancta observatione merces in perpetua recompensetur E beatitudine. Et ut hæc auctoritas, quam ob Dei amorem & animæ nostræ remedium statuimus atque roboravimus, firmiorem obtineat vigorem, & deinceps inconvulsa perdurare valeat, manu nostra eam subterfirmavimus, & de anulo nostro sigillari jussimus.

Regula S. Bened. c. 66.

Signum ODONIS gloriosissimi regis.

TROANNUS notarius ad vicem EBULI recognovit & subscripsit.

Data XII. calendas Junii indictione VIII. anno III. regnante ODONE gloriosissimo rege.

Actum Vermeria palatio in Dei nomine feliciter. Amen.

EPISTOLA R. AD. D. EPISCOPUM Virdunensem.

Excusat se quod senex ad eum ire non possit. Hortatur ad patientiam in adversis. Quid per Gog & Magog in Ezechiele intelligendum sit explicat, nonnullaque enarrat de Hungrorum origine.

Circa 890. Ex ms Floriacensi.

DOMINO beatissimo & vere apostolico veræ & æternæ sapientiæ amatori D. sanctæ Virdunensis ecclesiæ ierarchæ, dignissime ab omnibus venerando, (a) R. ejus fidele mancipium, & minimus servorum ejus servulus fidelissimas & devotissimas in Christo orationes & servitium sempiternum. [a]

Omnipotenti Deo gratias refero, ejusque clementiam totis præcordiorum viribus laudo, qui sacræ menti vestræ tantam misericordiam dignatus est inspirare, ut me exiguum cognoscere & sacris litteris vestris omni nectare dulcioribus dignaremini honorare. Taceo quod multiplici munerum collatione me immeritum decorastis, qui nec saltem dignus sum cuilibet minimo ex vestris servulis exequari. Facitis hoc certe, quia creditis me alicujus esse utilitatis, cum ego nullius meriti vel scientiæ mihi conscius sim. Verum si quid illud est, totum ejus gratia qui habet flatum hominis in manu sua; quique est nostræ dator & moderator vitæ, qui etiam dona sua persæpe indignis & non merentibus tribuere consuevit. Hanc gratiam utique in omnibus & in singulis vos amare certissimum est, quia & ipse plenus estis, ut pote qui secundum Apostolum primitias spiritus abundantius exhausistis. Ceterum quod dixistis velle vos me esse vobiscum, me miserum, cui nec contigit vos id velle dum adhuc calidus medullas sanguis alebat, solideque suo stabant sanguine vires. Nunc longo senio putre corpus & succedentibus sibimet morbis membra debilia hoc mihi exoptabile bonum invident. Essem certe, essem apud vos, assisterem, inhærerem, erudirer alloquio, firmarer exemplo, benedictionibus sacrarer. Verum quia id non licet, ago quod possum; vos noctibus, vos

(a) Hujus epistolæ scriptorem ex prima dumtaxat nominis littera R. designat inscriptio, cum vero ad quem scribitur ex primo nominis elemento D. & ex dignitate episcopali, scilicet Virdunensis ecclesiæ. In serie autem episcoporum Virdunensium unicum reperimus cui hæc conveniant, Dadonem, qui anno 880. sedem illam ascendere cœpit ad annum 829. quo tempore virtute & eruditione florebat Remigius Autissiodorensis S. Germani monachus, ex prima nominis littera designatus, quem hujus epistolæ auctorem fuisse nullus dubito; id enim satis superque indicat sub finem his verbis: *Fratres & domini mei vestri fidelissimi & devotissimi oratores, omnis scilicet B. Germani congregatio æterna vobis præmia exorant.*

diebus memoria, desiderio tenendo & spirituali intuitu assidue contemplando. Sane quod professi estis non posse vos non dolere pro miseriis Christicolarum, quas nostris meritis exigentibus patimur, scio, pater sanctissime, esse verissimum. Quod enim pace omnium dixerim, vos vel præcipuum vel solum esse constat, qui pro calamitatibus sanctæ Dei ecclesiæ ingemiscitis, cujus filios videtis gravissimis cladibus atteri, & divinæ ultionis jam destricto jam cervicibus imminenti gladio feriri. Quodque doloris vestri pondus exaggerat, cernitis nonnullos Dei potentia in superbiam abuti, & non solum suorum nullam peccatorum agere pœnitentiam, verum etiam inter ipsa flagella deteriores, dum Dei bonitatis divitias contemnunt, thesaurizant sibi iram in die iræ & revelationis justi judicii Dei, de qualibus per prophetam dicitur: *Impius cum in profundum venerit iniquitatum contemnit.* Et Apostolus: *Ut impleant*, inquit, *peccata sua semper.* Juste ergo talibus superducitur ira Dei, ut nullam mereantur misericordiam, sed pereant in æternum. Nam electis flagella non ab irato, sed a propitio Deo irrogantur. Quia per illa quasi per ignem purgantur, & excoquitur in eis omnis vitiorum rubigo. Ergo flagellis Dei alii emendantur, alii exercentur, alii puniuntur, fitque miro & ineffabili modo, ut aliquando mali ab irato Deo tolerentur, justi vero à propitio flagellentur. Isti permittuntur ad tempus florere, ut in sæculum sæculi intereant; illi temporaliter affliguntur, ut in perpetuum gaudeant. Cum hæc ita sint, oportet vos, ter beatissime pater, venerari & ammirari judicia Dei, quæ aliquando occulta sunt, semper autem justa, & non nimis dolere de his quæ ad bonorum correctionem, vel ad malorum constat fieri justissimam damnationem. Num enim aliquid novi contigit? Usitatissima sunt ista, & communis generis humani deploranda querela. Et ne longius ad multa profluam, B. Gregorius in ultima parte Ezechielis prophetæ hæc ipsa deplorat dicens: » Nostræ » tribulationes excreverunt, undique gladiis » circumfusi sumus, undique imminens mor» tis periculum timemus. Et post pauca: » Quid igitur restat, nisi inter flagella, quæ » ex nostris iniquitatibus patimur, cum la» crimis gratias agamus? » & cetera quæ doctor egregius lugubriter deplorando persequitur. Ipse autor salutis nostræ non nobis prospera, sed adversa promisit dicens: In mundo pressuram habebitis. Sed continuo consternatos ac pavidos consolari dignatus est dicens: *Confidite, ego vici mundum.* Beatus pater Augustinus scribens ad quemdam episcopum, ruinam suæ civitatis plus justo dolentem, inter cetera dixit: » Non » est magnus qui magnum putat, quod cor» ruunt lapides & moriuntur mortales. » B. item Gregorius ad hujus vitæ contemptum nos provocans, » absit, inquit, ut de mundi perturbationibus lugeant, qui & aliam « vitam esse credunt, & ad hanc per meri- « tum aspirant. » De mundi enim fine luge- « re eorum est, qui in ejus amore radices cordis plantaverunt, & aliam vitam aut esse nesciunt aut non amant. Et cum dicat Apostolus, *quicumque voluerit amicus esse hujus sæculi, inimicus Dei constituitur*, qui de mundi persecutionibus dolore concutitur, inimicus Dei convincitur. Quæ igitur ratio est, ut vir sapiens de mundi persecutionibus lugeat, quem finiri ipsis suis percussionibus non ignorat? Scio me forte improbulum, quod sic audaciter vel fortassis irreverenter loquar cum Domino meo, nulla subserviente verecundia, & quasi velim consolari eum in quo est, auctore Deo, consolationis & sapientiæ plenitudo. Sed dabitis, spero, veniam obedientiæ, quæ me facit tentare quod nequeo, nec arrogantiæ deputabitis impossibilia me præsumsisse, sed potius devotioni. Inter hæc vel maxime jussistis, ut aciem mentis ad ultimam Ezechielis prophetæ converterem, & quid sibi velit quod de Gog & Magog, aliisque gentibus cum eis congregatis sermo propheticus describit diligentius investigarem. Ac primum dicendum opinionem quæ innumeros tam in vestra quam in nostra regione pervasit, frivolam esse, & nihil verum se habere, qua putatur Deo odibilis gens Hungrorum esse Gog & Magog, ceteræque gentes quæ cum eis ascribuntur. Propter hoc maxime quod dicitur: *a lateribus Aquilonis venies & post dies multos visitaberis, in novissimo annorum venies ad terram quæ eversa est gladio.* Dicunt enim non esse novissimum sæculi, tempus finemque imminere mundi, & idcirco Gog & Magog esse Hungros, qui numquam ante auditi sunt, sed modo in novissimo temporum apparuerunt. Sed considerandum attentius quæ gentes cum eis venturæ dicantur. *Fili hominis, pone faciem tuam contra Gog & Magog principem capitis Mosoch & Tubal.* Et paulo post: *Persæ & Libies cum eis omnes scutati & galeati. Gomer &c. domus Thogorma*, &c. Si ergo Hungri sunt Gog & Magog, ubi sunt gentes istæ, quæ cum eis venire dicuntur? Nam Mosoch ipsi sunt Capadoces secundum Josephum, Tubal Hiberi sive Hispani, vel secundum Hebræos Itali. Persæ & Libies notissimæ gentes Persarum & Æthiopum, Gomer Galatha, Gallogræcos vocamus, Thogorma Friges Sabei, quos in sequentibus commemorat Arabes. De Dan Carthaginenses, Tarsis Cilices sive maritimi negotiatores. Ubi ergo hæ gentes sunt cum Hungris, quorum nomina saltem aut regiones ignorant? Quod vero sagittas & arcum arripere, & in sequentibus contos habere dicuntur, numquid soli Hungri hoc genere armaturæ utuntur? Pene enim omnes gentes Orientales & Australes, plu-

res etiam aliæ nationes in hoc armaturæ genere confidunt. Sed & Philistæi sagittis plurimum valuisse leguntur. Legimus quia Saul vulneratus est a sagittariis, & de David legimus, quia rex factus præcepit ut docerent filios Juda arcum, ut eodem genere prælii cum Philisthæis discerent decertare. Judæi & quidam nostrorum judaizantes computant Gog & Magog gentes esse Scyticas, immanes & innumerabiles, quæ trans Caucasum montem & Meoticam paludem juxta Caspium mare, ad Indiam usque tendantur, eas post mille annorum tempus putant a diabolo commovendas, ut veniant in terram Israel & regnent contra sanctos multis secum gentibus congregatis. De quibus etiam in Apocalypsi Johannis dicitur: *Cum finiti fuerint mille anni, solvetur sathanas de carcere suo, & egredietur ut seducat gentes in quatuor angulis terræ Gog & Magog*, &c. Cum ergo liber iste Apocalypsis id est revelationis titulo prænotetur, quis dubitet totum esse mysticum, revelatione, hoc est expositione indigere? Itaque Gog & Magog, non gentes aliquæ corporaliter intelligendæ sunt, sed his nominibus immanissima persecutio hæreticorum designatur, qui contra civitatem Dei, id est ecclesiam sanctam, diabolo instigante, consurrexerunt de angulis & cavernis errorum. Hi sunt anguli juxta quos meretrix sedet, quæ adolescentes, hoc est stultos quosque per plateas, id est per latam & spatiosam viam quæ ducit ad mortem transeuntes decipere festinat. In evangelio quoque reprehenduntur Pharisæi, quod orent in angulis platearum, ut videantur ab hominibus, & receperunt mercedem suam. Gog autem tectum, Magog de tecto interpretatur, & Gog quidem hæresiarchas, id est principes hæresum, Magog vero a Gog deductum nomen eorum sequaces & adjutores intelligimus. Gog ergo, id est tectum, & Magog id est de tecto sunt hæretici magistri cum sequacibus suis in sublimi tecto superbiæ stantes, & falsi nominis scientia gloriantes, de quibus Isaias sub increpatione dicit: *Quid tibi quoque est, quia ascendisti & tu in tecta urbs plena civitas exultans?* Quæ quia a B. Hieronymo exposita sunt, & brevitas epistolæ plura de his dicere non permittit, ad nostri temporis Gog & Magog, ad Hungros scilicet veniamus, ut quæ ista gens esse possit, quodve solum incolat investigemus. In nullis enim historiis legimus hujus monstriferæ nationis nomen. Et certe nulla est in mundo regio mediterranea, nulla media via, nullæ mediæ insulæ, quas potestas Romana non adierit. Qui proferendi nominis curiosissima indagatione ultimam omnium insularum Filetam probant, quod insulam sub ipsa perusta plaga positam, ipsosque hyperboreas ultra polum nostrum feliciter viventes investigare labore, maximo etiam cum vitæ periculo studuerunt. Quorum industria probatum est oceanum ex omni parte mundi esse navigabilem. Cum igitur omnes regiones cognoverint, & ad notitiam sequentium sæculorum scribendo transmiserint, cur hanc Hungrorum gentem solam prætermiserunt, & æterno silentio damnantes nescire voluerunt. Potest aliquis dicere aliud nomen hujus gentis aliquando fuisse, & temporis vetustate mutatum, sicut solent mutari urbium vel fluminum seu locorum nomina. Nam Tiberis quondam Albula dicebatur, unde Virgilius: *amisit vetus Albula nomen*. Et Italia prius Saturnia dicebatur, sicut idem poeta: *& nomen posuit Saturnia tellus*. Sic ergo & hæc natio forte alterius nominis in historiis habetur, & propter mutatum nomen quæ gens sit non recognoscitur. Referam quid primum audieram a majoribus. Cum execratione hujus gentis nomen apud nos auditum est, sive illud historia, sive sit fabula. Fames immanissima quondam omnem Pannoniam, Histriam quoque & Illiriam ac vicinas gentes invasit, cumque jam strages vulgi catervatim fieret, principes regionum illarum ex consilio decreverunt, ut numerarentur singulæ domus, & ex singulis domibus tot homines a dominis retinerentur, quot se viderent a famis periculo posse salvare. Cetera vero multitudo innumerabilis diversi sexus diversæque ætatis abdicata est, & projecta in desertis regionibus & ignotis, interminantibus his qui eos ducebant dedituros se morti quicumque ex his reverti voluisset. Illi vero a suis tam crudeliter derelicti, diu per vastas solitudines vagantes, tandem intraverunt Meotides paludes, ibique majore illius multitudinis parte fame consumta, pauci qui robustiores erant, & ingenio strenui, cœperunt insistere venationi, quoniam regio illa feris, avibus, & piscibus fertilissima est; & captarum ferarum carnibus alebantur, pellibus tegebantur. Tali modo innumerabilis eorum crevit exercitus, & a fame quam patiebantur Hungri vocati sunt. Freti ergo innumera multitudine, loca inculta & horrida relinquentes, vicinarum primo gentium terras invaserunt, summam virium statuerunt in exercitatione sagittarum, quam artem ex necessitate didicerant, cum miseram in desertis degerent vitam. Nunc justo Dei judicio in nostris grassantur cervicibus, & ubique intolerabilis eos formido præcurrit, Deo se per talia hominum monstra ulciscente de nobis, qui ipsius gratiam cognoscentes, non sicut Deum glorificavimus aut gratias egimus, sed elegimus servire avaritiæ, quam idolorum servitutem definit Apostolus, & a libertate qua Christus nos liberavit, demum nos captivari & durissimis peccatorum catenis mala patienter astringi permisimus. Verumtamen non in perpetuum irascetur

Dominus, neque in æternum comminabitur. A Recordabitur misericordiæ suæ, nec sinet vacari triumphum passionis quam sustinuit pro nobis, miserebitur pœnitentibus, aperiet sinum clementiæ ad se confugientibus. Salvabit sibi populum suum, & dabit gloriam nomini suo. Amen. Hæc sunt, ô ter beatissime & ipsa gratiosior luce, quæ vobis præcipientibus scribere potuimus, quæ poscimus ut benigne suscipere, & congenita vobis pietate corrigere ac tueri dignemini. Fratres & domini mei vestri fidelissimi & devotissimi oratores, omnis scilicet beatissimi B Germani congregatio æterna vobis præmia exorant & omnimodas mercedes referunt pro beneficiis sibi a * nobis collatis, qui quantum vobis fideles sint, testes sunt orationes, quas pro vobis fundunt noctu & interdiu privatim & publice. Peculiarem vestrum servum E. nostrum dilectissimum fratrum & vestræ dominæ mansuetudini in quantum audeo commendo. Scio enim quod multum vobis fidelis est, & si necesse fuerit, animam pro vobis ponere paratus sit. Omnipotentis Dei gratia vos semper & ubique custodiat, & sua misericordia circumvallet, provehat C in prosperis, protegat in adversis, & post longa vitæ curricula summis sacerdotibus in cælesti gloria vos consociet, domne beatissime præsul.

*f. a vobis.

EPISTOLA II. R. AD EUMDEM.

Cur nullæ dedicentur ecclesiæ in honorem sanctorum veteris testamenti.

Ex eodem ms.

PLACUIT beatitudini vestræ, pater sanctissime, requirere a nostra exiguitate, D cur modo in orbe christiano non ædificentur aut dedicentur ecclesiæ in memoria vel nomine patriarcharum, vel prophetarum ceterorumque sanctorum, qui Domini & Salvatoris nostri adventum præcesserunt, sicut in beatorum apostolorum & martyrum, seu ceterorum sanctorum fieri solet. De qua re hæc reddi ratio potest, quia perrari sunt ex antiquis patribus quorum natalitii dies memoriæ traditi sunt. Judæi siquidem bonis omnibus invidentes, noluerunt dies transitus vel martyrii eorum commendare memoriæ, E ne eorum qui passi sunt gloria, illis qui eos occiderunt major fieret peracti sceleris pœna, & istorum veneranda recordatio inimicis esset illorum æterna confusio. Sed nihil hoc agentes perfecerunt, quia quibus singuli dies subtracti sunt per oblivionem, omne tempus tribuitur per honorem. Nam etsi nescimus quando passi sunt martyres, tamen quia martyres fuerunt novimus. Interea eorum reliquias aut impossibile aut difficile est reperire, sine quibus templa ædificari aut consecrari moris non est. Quia ergo innumeri sunt sanctorum patrum quorum natalitii dies ignorantur, quorumque reliquiarium non reperitur, paucissimi vero quorum dies mortis vel passionis scitur; iccirco nulli eorum memorias celebrari vel templa construi contingit, istorum paucitate intra illorum multitudinem delitescente. Inter hæc sciendum quia in veteri testamento post tabernaculum a Moyse in deserto perfectum juxta exemplar sibi divinitus ostensum unum fuit templum a Salomone constructum, nec præter illud alicubi hostias immolari licitum erat. Quæ omnia tunc in figura erant, cum necdum tempus venerat exstruendæ aræ, in qua singularis Agnus immolatus typicis hostiis finem imponeret, atque in se cuncta quæ illo tempore inenarrabilibus mysteriis adumbrabantur impleta doceret. Abolitis ergo veteris legis sacramentis, sanctorum quoque memoria qui illo tempore fuerunt, quique ipsa tam vocibus quam actibus prætulerunt symbola futurorum jure quantum ad cultum celebrare pertinet, subsedit, ut nec in ecclesia sub eorum nominibus preces fundantur, nec sacella construantur. Nunc autem sublato velamine figurarum, & veritatis luce revelata, per totum mundum ubique gentium construuntur, & dedicantur ecclesiæ in sanctorum nominibus, ad laudem & gloriam nominis ejus qui mirabilis est in sanctis suis, donec perveniamus ad illud unum & singulare templum, regni scilicet cælestis ingressum, post quod non erunt multa templa, sed unum templum, & dicetur: *In ecclesiis benedicite Deo*, quia una erit ecclesia ex decem sanctis angelis & hominibus congregata, & tunc erit Deus omnia in omnibus. Hoc est illud templum, hæc illa ara, interque duo legitur Zacharias interfectus fuisse. Ait enim *à sanguine Abel justi, &c.* Abel qui luctus vel vapor interpretatur sanctos designat, qui Domini passionem præcesserunt. Zacharias vero qui in memoria Domini, vel memorans Domini dicitur, eos designat qui passi sunt vel patienter a passione Domini usque ad finem sæculi. Et bene inter templum & altare occisus dicitur, & intra aram dominicæ passionis & ingressum regni cœlestis multitudo omnium sanctorum pro Christo patietur, donec regnum Dei manifestetur.

PRÆCEPTUM DOMNI ARNOLFI regis.

Suestram abbatiam Sanctimonialium Siginando presbytero concedit.

Anno 891. Ex cartario Prumiensi.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis ARNOLFUS divina præordinante clementia rex. Oportet igitur, ut quia quodammodo ceteris prælati sumus mortalibus, hi qui nostro fideliter parent imperio, nostram sibi sentiant usquequaque suffragari

clementiam. Quapropter omnium sanctæ A Dei ecclesiæ præsentium scilicet & futurorum patescat agnitioni, qualiter nos divino afflati instinctu, ac pro bonæ voluntatis merito, devotissimæque servitutis studio, cuidam fideli presbytero nostro Siginando videlicet illustri artifici quamdam abbatiam in Masalante consistentem, quæ vulgari vocabulo Suestra (*a*) nuncupatur, ubi sanctæ [a] moniales feminæ divinum subministrant officium; cum omnibus appendiciis suis in proprietatem concessimus, cum ecclesiis, cellulis, curtibus, casis, aliisque ædificiis, B familiis ac mancipiis utriusque sexus, campis, agris, pratis, vineis, pascuis, silvis, aquis, aquarumque decursibus, molinis, piscationibus, viis & inviis, exitibus & reditibus, terris cultis & incultis, quæsitis & inquisitis, mobilibus & immobilibus, & universis juste ad præfatum locum respicientibus in quibuslibet terminis vel pagorum finibus sitis. Hæc quoque omnia de nostro jure in jus & dominationem jam fati Siginandi per hoc nostræ auctoritatis præceptum dedimus atque tradidimus, ea videlicet ratione, ut deinceps omni tempore prælibatam abbatiam secure cum omnibus ad se pertinentibus habeat, teneat, atque possideat. Et ad C quemcumque sacrosanctum locum eligerit pro æterna divæ memoriæ avi nostri HLUDOVICI regis & genitoris nostri KARLOMANNI elemosyna, pro nostræ etiam salutis retributione, suæque animæ remedio perpetuo consistenda propriæ commoditatis suæ complacitatione per eam affecta potenter contradat, nullo umquam successore nostro irrumpente neque immutante, sed Deo opitulante hæc donatio nostra semper stabilis & inconcussa persistat, nostri muniminis auctoritate solidata. Et ut hæc auctoritas largitionis nostræ, inviolabilem D in Dei nomine per omnia volventis mundi curricula obtineat stabilitatem, manu nostra subtus eam roborantes anulo nostro insigniri jussimus.

Signum domni ARNOLFI largissimi regis.

ENGILBERO notarius ad vicem THEOTMARI archicapellani recognovi.

Data VII. calendas Martii anno Dominicæ Incarnationis DCCCXCI. indictione E VIII. anno vero regni domni Arnolfi regis IIII.

Actum Regenesburg in Dei nomine feliciter. Amen.

(*a*) Suestrensem abbatiam in ducatu Juliacensi diœcesis Leodiensis primum concessam fuisse S. Vvillibrodo pro monachis probat Pipini regis diploma a nobis supra relatum. Nunc vero est nobilium canonicarum collegium.

(*b*) Cum nullus hic abbas compareat, datum videtur istud præceptum, sede vacante, per spontaneam Faraberti abbatis dimissionem, ut libere ad abbatis electionem fratres procedere possent. F

PRÆCEPTUM ARNOLFI REGIS.

De emmunitate vel electione abbatis Prumiensis.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Anno 891. ARNOLFUS divina favente clementia rex. *Ex cartario Prumiensi.* Si erga loca divinis cultibus mancipata curam gerimus, parentumque nostrorum statuta non solum confirmamus, verum etiam augmentare satagimus, pro æterno mercedis incremento id nobis profuturum esse liquido credimus. Quapropter omnibus sanctæ Dei ecclesiæ fidelibus præsentibus & futuris agnitum esse volumus, quoniam religiosi Prumiensis cœnobii (*b*) fratres, quod [b] etiam divæ memoriæ PIPPINUS rex proavus scilicet noster, in honore S. Salvatoris a fundamentis construxit, primitusque ad laudem ejus sub regulari disciplina regendum esse instituit, quoddam suæ auctoritatis præceptum pro ejusdem cœnobii stabilitate conscriptum obtutibus nostris attulerunt, deprecantes ut hoc nostræ dignitatis auctoritate denuo roboraremus. Quorum itaque votis rationabilibus pro cælestis patriæ incolatu libenter annuentes, propositique sui constantiam in divinis officiis indefessam fore cognoscentes, decrevimus ita fieri, & jussimus hoc præsens muniminis nostri exinde scribi præceptum, per quod tam idem sacro-sanctum monasterium, quamque omnes in eo regulariter Domino famulantes, juxta illius præcepti testificationes, & jam fati gloriosi principis decretum, non minori scilicet providentiæ cura sub nostræ defensionis tenore deinceps omni tempore cum tranquillitate consistere volumus, ita ut nullus omnino successor noster, nec cujuslibet ordinis persona, neque judiciaria potestas ulla contra hoc nostræ tuitionis decretum temeraria præsumtione quiddam dispendii vel incommoditatis ingerere præsumat; sed liceat eis in omnibus quæ superna prædestinatione, ejusdem beatissimi proavi nostri constitutione, tam in privilegiis inter se abbatem eligendi, quamque in ceteris ad ipsius loci luminaria fratrumque stipendia collatis universis, prout in eodem domni Pippini regis præcepto, vel etiam in aliis hujuscemodi antecessorum nostrorum edictis, inscriptionibusque illuc traditis continetur, æternaliter potiri, ac sub nostræ protectionis tutamine, & mundiburdio quiete persistere, Deique misericordiam pro nobis attentius exorare. Et ut hæc liberalitatis nostræ institutio firmiorem in Dei nomine per omnia futura tempora obtineat stabilitatem, manu nostra subter eam firmavimus, anuloque nostro sigillari jussimus.

Signum domni ARNULFI invictissimi regis †

Engilpero notarius ad vicem Diotmari archicapellani recognovit.

Data calendis Octobris anno Domini DCCCXCI. indictione VIIII. anno IV. regni domni Arnolfi serenissimi regis.

Actum Trajetto tempore regiæ sessionis in Dei nomine feliciter. Amen.

PRIVILEGIUM FORMOSI PAPÆ, Servo-Dei episcopo Gerundensi concessum.

Omnes ecclesiæ Gerundensis possessiones confirmat.

Anno 892. Ex ms. Colbertino. [a]

FORMOSUS episcopus servus servorum Dei, reverendissimo & sanctissimo (a) Servo-Dei sanctæ Gerundensis ecclesiæ episcopo & per te in eadem venerabili ecclesia in perpetuum.

Sicut per donum Spiritus-sancti beatorum apostolorum principi Petro, & cælestis regni clavigero, ligandi atque solvendi ab ipso Domino tradita est potestas, evangelica subsequente sectione, quæ ita inter cetera ait: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & tibi &c.* ita sedes apostolica, canonica, legalique auctoritate suffulta, omnibus ecclesiis Dei per universum orbem diffusis suffragia & justa postulatiotionis subsidia ut præbeat, tam divini quam humani juris ratio postulat. Igitur veniens, jam dicte Serve-Dei venerabilis episcope, causa orationis ad eorum sacratissima apostolorum limina, suggessisti nobis, quatenus hujus apostolicæ nostræ confirmationis privilegio confirmare deberemus omnes res mobiles ejusdem Gerundensis ecclesiæ in honorem sanctæ Dei genitricis & semper virginis Mariæ, Dominæ nostræ, ubi B. Felix Christi martyr corpore quiescit, hoc est domos, plebes, cellas, ecclesias, villas & insulas, Majoricam scilicet & Minoricam, seu curtes, parrochias, terras, vineas, prata, silvas, una cum * familiis utriusque sexus, cum omnibus adjacentiis, quæ a piis imperatoribus, regibus, vel ab aliis Deum timentibus in eadem Gerundensi ecclesia collata sunt, sicut ipse nunc usque legali ordine tenere videris: unde salubribus petitionibus tuis inclinati decernimus, & a præsenti decima indictione per hoc apostolicum nostrum privilegium roboramus, confirmamus, & in perpetuum stabilimus, &c.

* f. familiis.

(a) Ejus electionem anno 888. factam edidimus tomo I. Anecdotorum pagina 52.

PRIVILEGIUM ARNULFI REGIS pro S. Maximino.

Ad victum & vestitum fratrum amplissimam donationem facit.

Anno 893. Ex chartario Trevirensi S. Maximini.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis Arnolfus divina prædestinante clementia rex. Si servorum Dei petitionibus pie annuimus, & ea quæ pro utilitatis suæ commodo suggesserint usque ad effectum perduxerimus, id nobis ad æternæ vitæ præmia feliciter promerenda profuturum esse liquido credimus. Unde noverit omnium fidelium nostrorum, præsentium scilicet ac futurorum industria, quia Hatho venerabilis ac dilectus archiepiscopus noster pio monitu postulavit clementiam nostram, ut collegio fratrum in monasterio S. Maximini Treviris constructo Domino die ac nocte famulantium, loca subnotata specialiter ad sua victualia concederemus. Cujus justam petitionem libenter implentes, hæc loca illis ad suam peculiaritatem perpetualiter habenda, ut ex his victum & habitum consequantur, pro nostræ animæ absolutione concessimus, hoc est Apula, *Abernesheim*, Brichina, Holzhusa, in Moguntia una capella, *Tionenheim*, Rivanacha, Loabia, Decima, Cannis, Alsoncia, Embilado, Tavena, Bessiaco, Burnacha, *Matribesthorff*, Fuliria, Eberlinga, *Borstat*, Meroldivilla, Marsc, Wimari ecclesia, Crufta, Seranna cum omnibus abbatiæ S. Maximini salicis decimationibus, quas concedimus in usus hospitum, peregrinorum & pauperum. Jussimus quoque hoc præsens præceptum inde conscribi, per quod decernimus atque firmissime......ut ipsi fratres prælibata loca cum omnibus pertinentiis sub eorum cura teneant, atque secure & quiete juxta suum arbitrium illis potiantur, & nec nobis, neque illi qui abbatiam tenuerit aliquod servitium impendant, excepto hoc quod more solito benedictionem suam illi offerant, qui monasterio præsit, potestatemque teneant super ipsas res suum præpositum specialiter constituere, eumque pari modo si bene officium præposituræ suæ non expleat degradare. Et ut hoc præceptum nostro munimine roboratum perpetualiter firmum & stabile perseveret, manu nostra illud firmavimus, anuloque nostro consignari præcipimus.

Signum domni Arnolfi gloriosissimi regis.

Engilpero notarius ad vicem Diotmari archicapellani recognovit.

Data III. idus Februarii anno Dominicæ Incarnationis DCCCXCIII. indictione XI. anno vero VI. domni Arnolfi serenissimi regis.

Actum

Actum Ingelinheim curte regali in Dei nomine feliciter. Amen.

PRÆCEPTUM ODONIS REGIS Francorum.

Ad deprecationem Roberti fratris sui Ebolo fideli suo donationem facit.

Anno 893. Ex cartario S. Martini. IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri JESU-CHRISTI, ODO clementia Dei rex. Si fidelium nostrorum petitionibus aurem celsitudinis nostræ accommodamus, eorum animos nostris utilitatibus & reipublicæ necessitatibus reddimus promtiores. Quocirca omnibus sanctæ Dei ecclesiæ fidelibus & nostris, præsentibus scilicet atque futuris, notum esse volumus, quoniam placuit serenitati nostræ ad deprecationem ROTBERTI fratris nostri illustris comitis & marchionis, quemdam alterum fidelem nostrum nomine EBOLUM de rebus nostræ proprietatis honorare & sublimare. Quæ siquidem res sunt sitæ in comitatu Turonicensi, vocabulo Votinus, quæ olim per negligentiam cujusdam eas possidentis in fiscum sunt versæ, & est mansus unus. Has itaque prædictas res cum mancipiis, vineis, campis, pratis, silvis, aquis, aquarumve decursibus, exitibus & regressibus, jam dicto EBOLO & infantibus ejus, omnique posteritati illius, regio more largimur, & ad habendum concedimus, ea ratione ut abhinc ex his, sicut ex reliquis suæ proprietatis rebus, libero in faciendo potiatur arbitrio. Ut autem hujus nostræ largitionis concessio pleniorem in Dei nomine obtineat firmitatis vigorem, manus roboratione eam subscribentes anuli nostri impressione jussimus insigniri.

Signum ODONIS gloriosissimi regis.

ARNULFUS notarius ad vicem ADALGARII recognovi.

Data idus Octobris anno VI. regnante ODONE gloriosissimo rege.

Actum apud S. Dionysium in Dei nomine feliciter. Amen.

PRÆCEPTUM ZUENTIPOLDI regis de Soestra.

Suestrense monasterium Prumiensi monasterio confirmat.

Anno 895. Ex cartario Prumiensi. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis ZUENTIPOLDUS divino nutu rex. Antecessorum nostrorum regum Deo devote militantium, quantum Dominus posse suggerere dignabitur, justis fidelium nostrorum desideriis parendo, sequi vestigia inhiamus. Quapropter sanctæ Dei ecclesiæ nostrorumque fidelium industriæ non ignotum habeatur, quia serenissimus genitor noster domnus rex ARNOLFUS cuidam eximiarum artium presbytero Siginando monasterium nuncupante Suestra, cum universis ad illud accidentibus, in jus proprium largiflua munificentia sua, necnon & ejusdem jam fati presbyteri Siginandi gratificis servitiis ad hoc eum incitantibus, firmissime donavit. Postea vero dictus Siginandus presbyter domnum regem magnum ARNOLFUM deprecatus est, ut ipse manu sua propria hoc ipsum quod sibi tradidit præscriptum monasterium ad Deo acceptissimum locum Prumiensem, ubi instanter congregatio ad Deum sedula ac sacratissima precamina dirigit, tribuendo firmaret. Cujus rogationi ipse clementissimus rex nullatenus contrarium se existere dignum percensuit, ac uti petiit, ita pie perfecit. Nos autem ut regnum adepti sumus, archiepiscopi (a) RATBODI salubri imploratione, quia utilia quæque & proficua nobis regnoque nostro jugiter meditatur, quatenus domnus rex genitor noster ARNOLFUS hoc monasterium primitus prædicto Siginando presbytero tradidit, postea quoque ejus petitione precario more ad Prumiensem ecclesiam delegavit, sic nos ut in perpetuum inviolabiliter persistat a die præsenti firmamus, quippe ut ante scriptum monasterium & precationem quam per hoc condixit ad vitæ suæ tempora teneat & possideat, nullo contradicente; & postquam ab hoc sæculo decesserit, præscriptum monasterium Soestra, & cum eo reconciliata cum omnimodi ratione ad sæpedictum locum Prumiensis ecclesiæ redeant. Et ut hæc nostræ auctoritatis firmitas inconvulsa & inviolabilis perpetualiter consistat, manu nostra subtus scribentes & corroborantes anulo nostro insigniri jussimus.

Signum ZUENTIPOLDI invictissimi regis.

EGILBERTUS notarius ad vicem RATBODI archicancellarii recognovi.

Data nonas Junii anno Incarnationis Domini DCCCXCV. indictione XIII. anno I. domni ZUENTIPOLDI regis.

Actum apud monasterium S. Goaris confessoris in Dei nomine feliciter. Amen.

FUNDATIO ECCLESIÆ SEU capellæ de Lindiche, ejusque concessio facta monasterio S. Maximini.

Anno 896. Ex ms. S. Maximini. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Quoniam honestum hoc unicuique in hac vita posito esse videtur, ut fidei vel caritatis officiis se quibuscumque potest commendare conetur, ut & ipse econtra mutua recompensatione beneficiorum donetur. Idcirco ego ROTGERUS mediante amicitiæ fidelitate, adii monachos sancto Maximino Christi confessori deservientes, supplicans

(a) Trevirensis, prius abbas de Medio lacu, de quo vide, si lubet, hist. Trevirensem Spicilegii tom. 12.

pietatis eorum benevolentiæ, ut infra parochiam eorum, ad ecclesiam S. Michaelis in villa *Marisch* appendente, in mea possessione, consensu eorum, in villa *Lindiche* ecclesiam construere liceret. Qui meæ petitioni assensum præbentes, capellam ibi fieri permiserunt; sed & ope qua poterant, vel familia sua ut perficeretur, fideliter adjuverunt. Illa igitur peracta, apud domnum RATHBODUM archiepiscopum, consensu prædictorum monachorum, ut dedicaretur obtinui. Quasdam etiam decimationes prædictæ parochiæ ad ecclesiam S. Michaëlis pertinentes in eadem videlicet villa *Lindiche* nominata, & in *Rukrode* * & in *Scoz*, * & in novalibus terris noviter exstirpatis, ut ad eamdem terram appendices fierent ab eisdem monachis impetravi. Sed & decimas illarum possessionum, quas habere visus in * *Rugilande* & in *Reddingen*, vel * *Heckcheslheit*, illuc nihilominus determinavi. Dimidium quoque mansum in eadem villa vel alia quatuor jugera inter prata & arabilem terram, & in *Hechelscheidt* jugera duo, & in *Michelenbergh* mansum unum, de mea proprietate illuc pro dotalibus contradidi. Mancipia quoque eidem capellæ famulatura, Madalonem videlicet & uxorem ejus *Sclivif*, & Brunigum dedi. Ea siquidem ratione, ut dedicaretur obtinui, ut presbyter sancto Michaeli deserviens, illam semper capellam habeat, & præscriptis omnibus nullo contradicente fruatur, nec anterior vel antiquior determinatio sancti videlicet Michaelis ob hoc mutilari videatur. Quia vero præscripti monachi tam prompta voluntate meis precibus annuerunt, ne velut ingratus beneficii mihi ab illis collati esse videar, eamdem capellam sancto confessori Christi Maximino, qui in suburbio Trevirensis civitatis requiescit, cum omnibus appenditiis & utilitatibus suis in perpetuam trado possessionem, ea tamen conditione, ut usque ad obitum meum vel uxoris meæ Anastasiæ, sub jure nostro nullo contradicente persistat, postea vero monachorum utilitati pro remedio & absolutione animarum nostrarum jure legitimo cum omni bono illius villæ cedat & teneant, possideant; & ut melius potuerint suis eam viribus adjungant Et ut hæc nostra traditio inviolabilis & fixa permaneat, hanc cartulam fieri rogavimus. Si vero aliquis, quod absit, hanc traditionem infringere tentaverit, iram Dei incurrat, & ad ærarium regium XXX. libras auri coactus solvat. Acta est hæc traditio anno Dominicæ Incarnationis DCCCXCVI. regnante LUDOVICO rege.

* Rode.
* Schosz.
* Reuland apud Fischbach, vel Rollingen.
* Hetschet.

PRÆCEPTUM ZUENDEBOLDI regis pro S. Maximino.

Confirmat factam à patre suo Arnulfo donationem.

Anno 897. *Ex cartario Trevirensi S. Maximini.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis ZWENTEBOLCHUS divina ordinante clementia rex. Quanto propensius divinæ laudis cultum exequimur, ejusque præconia unanimi fratrum collegio stabilire, & transitoriis lucris augere studemus, tanto Domini clementiam & regnum nobis cælitus commissum latius diffundere, ac diuturnis temporibus sanitatem nostram protelare, & ad extremum æternæ nos inserere felicitati proculdubio confidimus. Quapropter omnibus sanctæ Dei ecclesiæ nostrisque fidelibus præsentibus & futuris notum esse volumus, quia nos ob interventum venerabilissimi archiepiscopi nostri RATBOOCI. monachis in monasterio S. Maximini penes urbem collocato supernæ servituti invigilantibus loca subnotata, quæ eis piissimus genitor noster domnus imperator ARNOLFUS suo deputavit præcepto, in perpetuos usus concessimus, id est Appula *&c. ut supra p. 240. in præcepto Arnulfi.* Jussimus autem hoc præceptum nostræ auctoritatis inde conscribi, per quod volumus & firmiter jubemus, ut deinceps per decurrentia sæcula ipsa congregatio monachorum memorata loca habeat, teneat, atque nemine inquietante, vel molestiam quamlibet ingerente possideat, nullique illius abbatiæ dominiorum quidquam servitii impendat ex præscriptis rebus, nisi solummodo nobis ac successoribus nostris regibus, sub nostra semper, non sub alterius ullius tuitione, quiete Domino serviens, & pro nostris ac generosissimæ conjugis nostræ VODÆ, sed & omnium prædecessorum nostrorum regum, nostrorum scilicet parentum commissis sedulo orans. Habeant etiam illi potestatem ex ipsis quem super se præpositum eligere velint, ipsumque si postmodum indignus habebitur, rationabiliter deponere, in omnibus nostro freti munimine. Et ut hoc melius credatur, hoc nostræ jussionis præceptum manu nostra subtus roborantes, anulo nostro assignari jussimus.

Signum ZUENTEBOLCHI gloriosissimi regis.

GILBERTUS concellarius ad vicem HERIMANNI archicapellani recognovit.

Data idus Junii anno incarnationis Domini DCCCXCVII. indictione XV. anno III. domni ZUENTEBOLCHI regis.

Actum in villa *Herolvesheim* dicta feliciter. Amen.

A

PRÆCEPTUM ZUENTIPOLCHI regis pro monasterio Prumiensi.

Quædam ei prædia concedit in villa Tontondorp.

Anno 898. *Ex cartario Prumiensi.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, ZUENTIPOLCHUS gratia Dei, rex. Si ecclesias Dei rebus variis quæ nobis a Deo collatæ sunt honoramus, credimus hoc ad augmentum cælestis præsentisque regni omnimodo pertinere. Ideoque noverit omnium sanctæ matris ecclesiæ nostrorumque fidelium industria, qualiter nos ad antecessorum nostrorum nostramque memoriam cuidam sacro loco ac venerabili vocabulo Prumia, quem beatæ memoriæ PIPPINUS in honorem Domini & Salvatoris mundi JESU-CHRISTI & sanctæ Dei genitricis MARIÆ a fundamento construxit, quasdam res proprietatis nostræ concessimus, atque in perpetuum transfundimus, quod est quidquid Hadabaldus in villa quæ vocatur *Tontondorp* habere videbatur cum omnibus illuc rite legitimeque aspicientibus ubicumque conjacent, & est in pago Efflinse in comitatu scilicet ALBUINI. Et ideo hunc jussionis nostræ titulum fieri jussimus, per quem memoratas res sancto ac venerabili loco Prumia vocato in perpetuum jus tradimus atque transfundimus, scilicet, ut diximus, *Tontondorp* cum omnibus sibi juste adhærentibus mansis, mancipiis utriusque sexus, ecclesiis, terris, agris, campis, pratis, pascuis, silvis, aquis, aquarumve decursibus, molendinis, piscationibus, viis & inviis, quæsitis & inquirendis, quatenus illuc imperpetuum nullo ulterius inquietante pertineant. Quod si quispiam successorum nostrorum, vel qualiscumque persona sit, quæ hanc auctoritatem infringere tentaverit, anathematis nisi resipiscat vinculis ligatus hic & in æternum permaneat. Quod ut firmiori tradatur auctoritati, manu propria subter roborantes firmavimus, anulique nostri impressione per ceram diligenti cura jussimus insigniri.

Signum domni ZUENTIPOLCHI gloriosissimi regis †

WALTGERUS notarius ad vicem RATPODI archiepiscopi archiquecancellarii recognovit.

Data XVII. cal. Novembris anno incarnationis Domini DCCCXCVIII. indictione secunda, anno vero piisimi Zuentipolchi regis IIII.

Actum in villa quæ dicitur SUNCAR, in Dei nomine feciciter. Amen.

PRÆCEPTUM DOMNI ZUENTIPOLCHI regis.

Super moneta & theloneo de Novo-monasterio.

Anno 898. *Ex cartario Prumiensi.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. ZUENTIPOLCHUS divina clementia rex. Si pro Domini nostri JESU-CHRISTI amore & sanctorum reverentia utilitatibus servorum Dei consulimus, & quiddam locis Deo dicatis conferimus beneficii, id nobis ad regni superno nutu concessi stabilitatem, & ad promerendam æternæ beatitudinis felicitatem, proculdubio credimus profuturum. Omnium ergo fidelium nostrorum præsentium & futurorum noverit solertia, quia nos ad (a) Novum-monasterium in pago Riwerense situm venientes, cogitavimus ut pro eleemosyna domni genitoris nostri, ac pro nostra, nostræque conjugis remuneratione, aliqua nostræ liberalitatis munificentia illud augmentaretur. Statuimus itaque quatenus nostra nostrorum licentia in eodem loco mercatum habeatur, & publica fiat moneta, & de theloneo ipsius mercati duas partes ad beatum Chrysanthum & Dariam (b), quorum corpora ibidem quiescunt perpetualiter concessimus. Unde & hos nostra mansuetudo apices fieri jussit, per quos enixius præcipiendo sancimus, ut duæ partes thelonii, atque moneta, sicut dictum est, ad sanctum Chrysanthum & Dariam absque aliqua ullius repetitione, aut contradictione perenniter traditæ veniant, & in eorum jure & eorum ministrorum dispositione consistant. Et ut hæc nostræ largitionis auctoritas firmiorem in Dei nomine finetenus obtineat stabilitatis vigorem, manu propria subter eam firmavimus, & sigilli nostri impressione adsignari jussimus.

Signum domni ZUENTIPOLCHI piissimi regis.

WALTKER notarius ad vicem RATPODI archiepiscopi archiquecancellarii recognovit.

Data idibus Novembris anno dominicæ incarnationis DCCCXCVIII. anno vero domni Zuentipolchi gloriosi regis IIII. indictione II.

Actum Treviris civitate in Dei nomine feliciter. Amen.

(a) Novum illud monasterium, in quo depositæ sunt reliquiæ SS. Chrysanthi & Dariæ, erat cella a Prumiensi monasterio dependens, de qua Vvandalbertus monachus in martyrologio

Chrysanthum Dariamque novo quos munere Christi
Roma nunc vectos tumulis Nova-cella venustat,
Quam Rheni celsis succedunt æquora silvis.

(b) Eorum corpora a Marcvvardo piissimo abbate Prumiensi anno 844. translata fuere. Translationis acta habes sæculo IV. Benedictino parte I. pag. 611.

PRIVILEGIUM KAROLI SIMPLICIS regis Francorum pro Elnonensi monasterio.

Antiquas monasterii possessiones confirmat.

Anno 899. *Ex cartario Elnonensi.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, KAROLUS gratia Dei rex. Divinorum beneficiorum memores, inter alias præcipuam religionis curam gerere, & ut nostris diebus reformetur, confirmetur, atque proficiat, prospicere desideramus. Ita enim propitium Deum nobis credimus affuturum, si cultus illius nostra industria incrementum accipiat. Idcirco noverit omnium sanctæ Dei ecclesiæ fidelium ac nostrorum, præsentium scilicet & futurorum solertia, quia ad petitionem monachorum ex cœnobio almi præsulis Amandi, adiens serenitatem culminis nostri vir venerabilis FULCO Remorum archiepiscopus nobis charissimus, præsentavit obtutibus nostris quædam imperialia & regalia prædecessorum nostrorum scripta, per quæ eidem cœnobio sua auctoritate quædam ob respectum divini amoris noviter contulerant, quædam vero ex antiquo collata confirmaverant. Insuper & nostræ innotuit clementiæ privilegium tempore beati Amandi a pontificibus illi loco collatum, necnon & plura tam ex immunitatibus, quam ex præceptis regalibus, seu etiam cartis & cessionibus illi monasterio olim factis, incendio & vastatione barbarica deperisse. Unde propter suspectas succedentium rectorum vel aliorum malorum hominum voluntates, præfati monachi per eumdem venerabilem archiepiscopum devote nostram postulaverunt serenitatem, quatinus de omnibus rebus olim prædicto cœnobio vel regali munificentia, vel bonorum hominum largitione, ad luminaria ecclesiæ, & ad speciales usus ipsorum delegatis & contraditis, quasque usque inpræsentiarum absque ullius contradictione quiete possidere videntur, more prædecessorum nostrorum, nostræ auctoritatis privilegium eis largiri dignaremur. Nos autem eorum justam & necessariam considerantes petitionem, libenter annuimus, & a prædecessoribus nostris, sive à quibuscumque bonis hominibus collata & concessa concedimus, & regalis auctoritatis præcepto confirmamus. Hæc vero sunt nomina de menoratis rebus. Ex largitione CHILDERICI regis & CHUNECHILDIS reginæ, quod & PIPINUS rex & postea LUDOWICUS & LOTARIUS, sed & KAROLUS imperatores, præceptis suæ auctoritatis confirmaverunt. In pago Laudunensi cella quæ vocatur Barisiacus, cum omnibus villulis ad se aspicientibus, & cum omni integritate ad se pertinente. Ex largitione LUDOWICI imperatoris, necnon & filii ejus avi nostri KAROLI imperatoris hæc sunt. Ad sepulchrum sancti Amandi Alanius, Neonisius, Bovingolo, Nivielle; & in Barisiaco mansos III. & in Diptiaco mansi LII., res quas Rhodo tradidit in villa Litsacas, & de Baliolo medietas. In Viticonia mansionile unum, & in Culbraco mansionile unum, cum omnibus ad eadem pertinentibus, & pars ipsius silvæ quam Hungarius prævidit, cum manso patris ejus Blitharii, quæ Humbaldus & idem Hungarius filii ejus postea tenuerunt, & cum hominibus ad ipsum aspicientibus. Istæ autem sunt villæ, res & mansionalia ad usus fratrum. Securiacus, item Neonisius, *Baceroth*, Decla, *Squindrest*, in Fiolinas mansi III. Warniacus, Halciacus; in Nigella farinarii II. In Nova-villa farinarii III. *Saleem*, Bulcimus, Scladinius, Helemna, Seoncortis, Calviniacus; & in Berbiarias farinarius I. cum homine Squirgario & uxore ejus, Ratbodirodus; in villa Castello mansi II. Circa monasterium mansus qui dicitur Baldini, & mansionalia V. teloneum ex mercato, & census qui colligitur ex ponte rapido; silva quam Wilhadus monasterio contulit, piscationes; & inter Mespilarios & Tumnes mansi V. In Spidinio ecclesia, & mansi V. Beneficium quod tenuit Rodericus clericus in loco qui dicitur Waratti mortarius, & in Blillione villa *Samion*, & illa quæ dicitur domni-Medardi. In Madria mansi VI. in Wralsna molendinum unum cum Bunnariis XX. Item ex piscaria Rodonis medietas de Baliolo; res etiam quas RODULPHUS abbas ad petitionem magistri sui HUCBALDI monachi sancto Amando & fratribus tradidit, id est in ipso Baliolo quidquid mortuis heredibus fiscalinis in ejus dominicatum devenit; simulque in Wascinio mansos VI. & in Vitriaco mansos IIII. Res quoque quas Rodo filius Rodonis eis dedit in Haldione, Merlenio, Warconio, Harnas, Ruma cum præstariis, quas post mortem ipsius & fratris ejus Odonis receperunt. In Castricinio, Spilcinio, Lamithinio, Corberio, Formis, Hostadis, Bonangiis, Feltreca, Gislat-curte, & cum hominibus ad easdem pertinentibus, farinarii duo, quos idem Rodo dedit in Tornaco. In Curtriaco mansos II. Item villæ *Bonart*, Hardoia, Roslare, Concellare, Ledda, *Ricolvvingahehun* & mariscos XV. In Flandris in pago Morla villa Heringa; ultra Renum villa Escreda. Donationes insuper bonorum hominum. Super fluvium Renum Campos & Merulas dictas cum aliis donationibus per diversos pagos tam pro remedio animarum suarum, quam & pro stipendia monastica, vel etiam sepulturæ causâ eidem monasterio collatis. Ad portam mansi V. in Helcinio. Ad hospitale pauperum mansi V. in Mageleno. Item ad portam & ad hospitale pauperum decima, & ad usus fratrum nona pars de omni suppellectili ipsius abba-

f. memoratis.

tiæ per totas villas & possessiones ejusdem cœnobii rectoris. Præterea quoniam DAGOBERTUS quondam rex ad suggestionem præfati pontificis Christi Amandi pro quiete servorum Dei ibidem degentium, omnes res ejusdem monasterii sub immunitatis suæ defensione consistere fecit, & sancti illius temporis patres ac pontifices, qui magnis dum adviverent virtutibus floruerunt, & quorum meritis nunc quoque nostra sublimatur & gloriatur Francia, super hoc suæ sanctitatis privilegium statuerunt, plurésque priscorum regum Francorum immunitates eidem loco factas comperimus, necnon & postea PIPPINUS rex pater KAROLI MAGNI; sed & ipse imperator Karolus atque filius ejus imperator LUDOWICUS, hujus quoque filius avus noster KAROLUS imperator & ipse hujuscemodi immunitatis auctoritatem erga jam dictum venerabile monasterium fecerunt: præfatus vir venerandus archiepiscopus FULCO humiliter postulavit, quatinus morem antecessorum nostrorum imitantes, nostra etiam auctoritate beneficium ab eis illi monasterio largitum confirmaremus. Cujus petitionibus assensum præbere, & sicut ex hoc jam dicti imperatores & reges fecerunt, ita & per hanc auctoritatem nobis agere & confirmare placuit. Præcipimus igitur ac jubemus, ut nullus ejusdem monasterii abbas, vel quilibet fidelium sanctæ Dei ecclesiæ de rebus sive in rebus supra notatis ullam inquietudinem, aut refragationem, vel præjudicium, sive violentiam facere tentet; sed potius sine ulla subreptione, aut substractione, vel diminoratione, atque divisione liceat eas eidem congregationi cum omni integritate inviolabiliter absque ulla calumnia & contradictione secure ac perpetualiter habere, possidere & frui, nec quælibet humana potestas sine sui periculo discriminis possit eas in alias partes convertere vel detorquere Et ut neque ipsius loci abbas, neque aliquis judex publicus in ecclesias aut loca, villas seu curtes, vel agros, sive reliquas possessiones quas moderno tempore in quibuslibet pagis & territoriis infra ditionem regni nostri juste & legaliter possident, vel quæ deinceps in jure ipsorum monachorum voluerit divina pietas augeri ad causas audiendas, aut freda exigenda, aut mansiones vel paratas faciendas, vel fidejussores tollendos, aut homines ejusdem cœnobii distringendos, nec ullas reddibitiones aut illicitas occasiones requirendas nostris & futuris temporibus ingredi audeat, nec ea quæ supra memorata sunt penitus exigere præsumat; sed omnibus fredis, & quicquid exinde jus fisci exigere poterat, in integrum sibi concessis, cum rebus & hominibus tam servis quam ingenuis sive commutatis, juste ad se aspicientibus vel pertinentibus, sub regalis tuitionis atque immunitatis defensione, remota abbatis sive totius judiciariæ potestatis inquietudine, quieto ordine teneant. Scilicet ut perpetuo tempore eis & successoribus suis hoc ad peragendum Dei servitium augmentum & supplementum fiat, quatinus ejusdem loci devotæ Deo congregationi pro nobis ac totius regni stabilitate & pace Dominum propensius exorare delectet. Et ut hæc auctoritas per futura tempora inviolabilem obtineat firmitatem, manu propria subterfirmavimus, & anuli nostri impressione signari jussimus.

Signum KAROLI gloriosissimi regis.

HERIVEUS notarius ad vicem FULCONIS archiepiscopi & cancellarii recognovit.

Data XVI. cal. Aprilis indictione II. anno VII. regnante Karolo serenissimo rege.

Actum Remis civitate in Dei nomine feliciter. Amen.

Impetratum est mediante domno (a) Hucbaldo monacho. [a]

PRÆCEPTUM CAROLI SIMPLICIS regis, pro Turonensi S. Martini ecclesia.

Ipsius immunitates, privilegia, & possessiones confirmat.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, CAROLUS ejusdem omnipotentis Dei misericordia rex. Si petitionibus regni nostri procerum, immo etiam servorum Dei, pro quibuslibet ecclesiasticis necessitatibus aures nostras pulsantium libenter annuimus, & ad divinæ militiæ in locis Deo dicatis uberius famulandum auxilium porrigimus pro viribus, id nobis proculdubio, & ad instantem vitam temporaliter transigendam, & ad futuram feliciter obtinendam commodum provenire confidimus. Præcognitum igitur fore omnimodis cupimus omnibus sanctæ Dei ecclesiæ fidelibus & nostris, scilicet præsentibus & futuris, quoniam adiit serenitatem nostri culminis vir venerabilis germanus quondam prædecessoris nostri ODONIS regis noster fidelis, ROTBERTUS scilicet inclitus abba basilicæ gregis ac rerum eximii confessoris Christi beati Martini, quæ sita esse cognoscitur in (b) suburbio Turonis civitatis, reverenter poscens, ne res quas olim laudabilis sollicitudo piorum regum, & patrum, & pastoralis cura apostolicorum per propria privilegia, necnon ac prædecessorum nostrorum, parentum, imperatorum, & regum per inviolabilia umquam præcepta, quasque antecessor suus vir venerabilis propinquus noster HUGO abba suo nobili obtentu, ob amorem

Anno 899. Ex cartario S. Martini. [b]

(a) Hunc Hucbaldum ad regendas Remorum scholas evocaverat Fulco archiepiscopus, ac diu secum retinuit, unde haudquaquam mirum videri debet, si eo mediante obtentum fuerit privilegium ab eodem Fulcone, quem sibi devinxerat.

(b) Ampliata civitate nunc in ipsius medio existit, non in suburbio.

Dei, & reverentiam beati Martini, cujus deffensor esse videbatur, cum magno, & ortodoxo imperatore CAROLO avo nostro, & ejusdem regni principibus eidem sancto Martino a fratribus suæ congregationis, seclusa omni importuna suorum ditione abbatum, ac procerum, ad eorum speciales & quotidianos usus, perpetualiter possidendas obtinuerat, ita & nostris futurisque temporibus sub nostræ immunitatis defensione consistere, & ab omni publica functione, ac judiciaria exactione per nostræ præceptionis seriem immunes liberasque decernere dignaremur, Capleiam videlicet & Comisiacum cum omni integritate omnibusque suorum attractis in pago Tornetrensi sitis. Miliciacum etiam prædium in pago Cavillonensi cum omnibus suis districtis & decimis, sicut in privilegiis sanctorum continetur apostolicorum, necnon etiam Saldoam ac Calistam, Novientum atque Morlanum, quam piissimus genitor noster domnus LUDOVICUS rex ad serviendum fratribus in die suæ ad regnum ordinationis atque depositionis, cum omnibus rebus sibi pertinentibus Deo, & sancto Martino prona mente contulerat, pro mercede nostra communique omnium, qui easdem res tota devotione Deo, & sancto Martino contulerunt, more regio perpetuo mansuras absque minoratione vel subtractione aliqua corroborare, & si monasteria in prædictis rebus vel alicubi pro infestatione paganorum vel malignorum hominum construere eisdem fratribus libuerit aut necesse extiterit, nostra largitione concederemus, absque inquietudine more solito permanendum, nec cuiquam fidelium nostrorum in mansionibus clericorum, absque eorum voluntate manendi licentiam concederemus, etiamsi nostra affuerit præsentia, sicuti nec cum prædecessorum nostrorum regia persæpe affuit præsentia, alicui numquam licitum ullo modo fuit. Insuper etiam nostræ familiaritati idem reverendus & admodum amabilis noster abba ROTBERTUS humiliter supplicando addidit, ut monasterium sancti Martini cum omnibus aliis rebus sibi pertinentibus, de more regum prædecessorum nostrorum, sub nostræ immunitatis tuitione ac deffensionis munimine recipere dignaremur, assensum præbendo, ut sicut temporibus domni LUDOVICI proavi nostri serenissimi augusti, seu etiam sapientissimi domni CAROLI avi nostri gloriosissimi imperatoris, necnon & piissimi genitoris nostri domni LUDOVICI regis omniumque prædecessorum nostrorum imperatorum & regum, res ejusdem sancti Martini in Austria, Neustria, Burgundia, Gallia, Aquitania, & in ceteris regni nostri, Christo largiente, partibus consistentes, quæ non solum a regibus atque ab orthodoxis proceribus, ve-

A rum etiam a cæteris fidelibus collatæ, vel per quoscumque contractus per munimina cartarum, in jus ejusdem sancti Martini & fratrum contraditæ sunt, & quieto jure in ditione, & regimine abbatum, decani quoque ejusdem gregis, fideliumque ac seniorum fratrum, Deo omnipotenti suoque egregio confessori, speciali patri nostro beato Martino devote famulantium ordinatum extiterint, ita & nostris futurisque, uti & res prælibatæ, sub nostræ immunitatis deffensione consistere, & ab omni publica functione ac judiciaria exactione quietas decernere
B misericorditer dignaremur. Expetiit insuper iterum reverenter, quatenus eorumdem fratrum præcepta & privilegia, apostolicorum, sanctissimorumque pontificum sanctum Martinum specialiter amantium in præsentia nostri nostrorumque fidelium recitarentur, in quibus præceptis regum & privilegiis prærogativo consensu ab eorum mansionibus infra eorum monasteria constructis, & intra muros Turonicæ aliarumque civitatum necessitate locatis, omne dominium proprii abbatis ac procuratorum suorum, sicut ex
C omnibus rebus eorum stipendiis specialiter delegatis, excluditur ad totum & nos munificentia regali ex toto excluderemus, quarum prædictarum villarum ac rerum usus & possessio temporibus, quibus beati Martini gleba cum peregrino grege suo exulavit, ipsius egregii patris obtentu, suæ tunc ecclesiæ non minime subministravit subsidium, sed postquam, Deo tribuente, beatus Marnus propriam (a) revisit sedem Turonicam, [a] subsequente continuo paganorum excidio, eædem res perpetuum prope suscepere succidium, quemadmodum ipsius verissimis di-
D ctis apparet in experimentis. Ideoque isdem piissimus eorum abba sæpe dictus ROTBERTUS dulcissimus ac carissimus noster animo dignum duxit, ut tam ex memoratis omnibus rebus, quam etiam ex omnibus aliis villis ad stipendia eorum priscis temporibus specialiter deputatis, renuntiationem præceptorum ipsorum ad majorem in posterum auctoritatem a nostra munificentia obtinerent, ex animo suggereremus, ut nostro indultu ac pro nostro suffragio eis subvenire dignaremus, & in restauratione earumdem
E rerum uti Deo omnipotenti assidue famulantibus opem ferre more regio studeremus, quatenus exinde & futura potior pararetur nobis merces, & servientium famulorum Dei, propensius ac liberius pro stabilitate & augmento regni nostri in dies redderetur: quas quidem villas infra dicendas memorati sancti Martini canonici per privilegia apostolica, ut nobis ostensum est, necnon & imperatorum, ac regalia præcepta

(a) Id factum sub Adalando archiepiscopo anno 877. scribit Johannes monachus in lib. de gestis Andegavensium consulum Spic. tom. 10.

sibi ad victus potusque ac vestimentorum naturales necessitates ex multo tempore delegatas habeant, seu ob negligentiam abbatum, cupiditatemque malorum hominum, necnon & sævitiam paganorum maxima ex parte, cum maximo illorum detrimento subtractas testabantur, quarum videlicet villarum nomina hæc sunt; Lugogalus cum omni integritate suorum appendicum: cum quartis ex eadem villa XII. quas illis pietas præfati abbatis reddidit. Brugogalus quoque cum quibusdam villulis, Pagniacum videlicet, & Prunarios, quas quondam sæva quorumdam cupiditas abstraxerat, sed præfati abbatis benignitas ipsis restauravit habendas. Portus etiam cum omni integritate, Bladalaicus denique integerrime, atque Dociacus, Antoniacus, quin etiam ad eorum vestimenta & Curtiacus cum omnibus rebus sibi pertinentibus; Pseudosocus etiam quæ & Sadobria dicitur, cum omnibus sibi pertinentibus rebus. Medonia insuper, atque Curciacus, Vaubridius & Lauviacus, Castanetus & Odatus, atque Catinitus, Vobridius & Restiniacus cum quibusdam rebus ab ipsa subdole quondam sublatis, sed benignitate ejusdem ROTBERTI abbatis eidem Restiniaco restitutis, Novientus, Magittus & Genestogalus, Prisciniacus & Patriciacus. Item Vobridius in pago Cenomanico, Marciacus quoque ad subtulares, quam male seducti pro Beluaco commutaveramus: Leradus quin etiam & villa Mons, quam Gerbaldus precario more tenere videtur. Hæ quidem villæ omnes supradictæ cum omnibus rebus sibi pertinentibus, insuperque omnibus alodiis usquam postmodum fratribus contributis sub omni integritate, suisque appenditiis, & omnibus illarum dominicatarum rerum decimis eorumdem fratrum hospitalibus delegatis, ut omnibus temporibus, sicut in præceptis imperatorum & regum continetur, nec non & in privilegiis apostolicorum insertum est, eorum usibus, ac negotiis nostro ceptæ munimine deserviant usquequaque expetiit. Cujus saluberrimæ petitioni nobis valde salutiferæ ac profuturæ, ob amorem Dei & reverentiam prælibati peculiaris patroni nostri domni Martini, libenter assensum præbere nobis usquequaque libuit. Quapropter volumus atque decernimus, ut jam dictæ villæ mercede regum aliorumque bonorum virorum ad supplementum seu confugium fratrum collatæ, cum aliis villis modo nominatim expressis, & jam pridem eorum stipendiis ac vestimentis deputatis, & in præcepto domni CAROLI serenissimi augusti avi quidem nostri nominatis, simulque cum reliquis facultatibus omnium rerum prælibati sancti Martini sub nostræ deffensionis munimine modis omnibus consistant, super qua re regiam nostram dignitatem, humili supplicatione cum consensu sæpe nominati abbatis ROTBERTI carissimi quidem nostri humiles jam sæpedicti canonici deputati sunt, ut more regio præceptum magni CAROLI atavi nostri, atque præceptum domni LUDOVICI proavi nostri super omnibus eorumdem fratrum rebus denuo corroborare dignaremur. Quorum etiam petitionem ratam perspicientes, pro amore Dei, reverentiaque prælibati domni Martini, in nostra eleemosina communi præceptum nostræ auctoritatis fieri jubemus, per quod decernimus, ut sicut in privilegiis prædecessorum nostrorum regum continetur, itaut ab hodierna die & in reliquum inrefragabiliter permaneat, cum omnibus villis eorum stipendiis deputatis. Præcipientes ergo jubemus atque præcipimus, ut nullus judex publicus, aut quilibet superioris aut inferioris ordinis reipublicæ procurator, ad causas judiciario more audiendas, in ecclesias aut villas, seu reliquas possessiones, quas moderno, vel priscis temporibus, in quibuslibet primitiis, aut territoriis regni nostri juste tenet, vel deinceps in jure ipsius basilicæ divina pietas augere voluerit, ingredi præsumat, nec freda, aut tributa, aut mansiones, aut paratas, aut teloneum, ex ullis negotiis sicut in præceptis regum continetur exigere, aut fidejussores tollere, aut homines tam ingenuos quam servos super terram ipsius basilicæ commanentes distringere, nec ullas publicas functiones, aut redibitiones, vel illicitas occasiones requirere tam temerarius audeat. Quicquid igitur de prædictis rebus beato Martino devote collatis vel sibi pertinentibus ex quolibet districto in jus fisci cedendum fuit, & a decessoribus nostris sancto Martino comperimus collatum, nostræ largitatis munere libenter volumus esse per immensum eidem sancto Martino sibique famulantibus canonicis concessum, toto remoto fisci dominatu, ut ad sustentationem canonicorum seu pauperum in nostra eleemosina sit supplementum. Volumus etiam ut, sicut in præceptis eorumdem fratrum & privilegiis continetur, omnes refectiones ex cellis & villis illis ministrarentur, & manselli qui sunt ad Berbezillos instituta fratribus compleant officia decimæ & novæ dominicalium rerum, scilicet tam ex villis supra scriptis, fratribus specialiter delegatis, quam & in beneficio attributis hospitali, ut est supra dictum, nobilium atque pauperum absque subtractione aliqua in nostra eleemosina deputata, sicuti privilegia apostolicorum confirmant habeantur. Si quis autem in tantam prorumpere ausus fuerit audaciam, & hoc præceptum nostrum violare præsumpserit, quemadmodum in regum præceptionibus continetur, non solum in offensam nostram lapsurum, verum

etiam DC. solidorum auri ad purum excocti se noverit pœna mulctandum: ex qua duas partes canonici monasterii, tertiam vero proprius abba excipiat. Sin autem de prædictis rebus per tepiditatem & negligentiam abbatum aut ministrorum per præsumtionem judicum, cupiditatemve malorum hominum injuste abstractum est, id per hanc nostram auctoritatem prorsus restaurandum præcipimus, corroborantes denuo pancartam super rebus ejusdem sancti Martini, pro munimine omnium cartarum quæ incendio Normannorum, vel quolibet modo adustæ vel neglectæ sunt. Et ut hæc auctoritas inviolabilem obtineat effectum, & a fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ, & nostris verius credatur, ac diligentius conservetur, manu propria subter firmavimus, & anuli nostri impressione signari jussimus.

Signum domni CAROLI gloriosi regis.

BENJAMIN regiæ dignitatis notarius ad vicem ERNUSTI archicancellarii recognovit.

Actum Compendio palatio XVIII. kal. Julii, eodem rege regnante anno VII. indict. X.

[a] (a) in Dei nomine feliciter. Amen.

DIPLOMA CAROLI SIMPLICIS regis Francorum, pro monasterio S. Ebrulfi.

Possessiones monasterio a diversis collatas confirmat.

Anno 900. Ex ms. S. Ebrulfi.

FORMAM subscriptæ KAROLI regis cartæ RODBERTUS Uticensis monasterii abbas Aurelianis invenit, & ipsius jussu Gosselinus monachus scriptor egregius celeriter transcripsit; & ad notitiam intimandam quantæ famæ B. Ebrulfus apud Gallos antiquitus fuerit, Uticensibus monachis tempore Philippi regis Francorum misit.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, KAROLUS rex divina ordinante clementia. Si fidelium nostrorum justis petitionibus aures serenitatis nostræ accommodamus, assensumque illis præbemus, morem prædecessorum parentum scilicet nostrorum regum imitari videmur, ac per hoc Deum propitium nobis fore non dubitamus, & in nostræ fidelitatis devotione animos illorum accendimus. Quocirca noverit omnium sanctæ Dei ecclesiæ fidelium, nostrorumque tam præsentium quam & futurorum sollertia: quoniam adeuntes nostræ dignitatis excellentiam dulcissima genitrix nostra ADELEIDIS & dilectus comes HUGO consanguineus, necnon & illustris comes ETFRIDUS humi-
[b] liter petierunt, ut sacris (b) canonicis in monasterio S. Petri, in quo Ebrulfus sanctus corpore quiescit, qui vocatur Uticus, in comitatu Oximensi, tale præceptum fieri dignaremur, qui eis & successoribus eorum futuris temporibus prodesset; hoc est, ut villas quæ eorum usibus antiquitus deputatæ fuerunt, res etiam subterius nominandas, quæ eidem loco justo desiderio ab hominibus Deum timentibus traditæ sunt, tali præcepto ecclesiæ ipsorum, & ipsis copularentur, ut inviolabile in perpetuum permaneret. Quorum petitionem ratam invenientes, hoc nostræ altitudinis præceptum fieri, ipsisque fratribus dari jussimus, per quod præcipientes jubemus, ut ab hodierna die ac deinceps has villas: scilicet in comitatu Oximensi villam Agon, Pontum, Novamvillam, Metlro, *Hartlolit*, Villare, Ridum, Balcantiam cum Ponto, Baliolum, Montem, Niovinum, Acimacum, Maciacum, Abrotinum, Broilum. In comitatu quoque Cœnomanico, Nunniagum villam, quam dedit HUGO comes & mater sua RODHILDIS sancto Ebrulfo, in vicaria Gaviacense cum omnibus appendiciis; in alio loco in Vicaria Silgiacense, Culiatura, quartas IIII. Intervallis & Gisna, quartas IIII. In Vicaria Belfaidisse, Berindum, mansos sex cum omnibus ad se aspicientibus. In villa quæ dicitur Montis mansum unum cum vinea quem dedit Isembardus, & quarta I. In ipsa villa mansum unum cum quarta, quam dedit Basoinus. In villa quæ dicitur Crannas, mansum unum cum vinea & deforis terram arabilem, quam dedit Engelboldus. Has villas & res nullus abba neque ulla potestas sibi indominicari neque alicui beneficiari præsumat, sed ipsi canonici libere eas teneant & canonice disponant. Et ut hoc nostræ præceptionis seu confirmationis edictum inviolabilem obtineat vigorem, manu propria subter firmavimus, & anulo nostro sigillari jussimus..

Signum KAROLI gloriosissimi regis.

HERLUINUS (c) notarius ad vicem ANSERICI cancellarii recognovit & subscripsit. [c]

Datum pridie Kal. Novembris indictione tertia anno octavo redintegrante III. regnante Domno KAROLO gloriosissimo rege.

Actum monasterio sancti Benedicti in Christi nomine feliciter. Amen.

DIPLOMA CAROLI SIMPLICIS regis pro ecclesia Autissiodorensi.

Cravennum villam ei restituit.

Anno 900. Ex autographo eruit dominus le Beuf canonicus & succentor Autissiodorensis.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. KAROLUS divina propitiante clementia rex. Si locis divinis cultibus mancipatis beneficia

(a) Indictio est mendosa nam anno 899. Caroli regis 7. non decima sed secunda occurrit indictio.

(b) Hinc patet Uticensi monasterio, id contigisse, quod multis aliis, in quibus dispersis a Normannis monachis, substituti sunt canonici.

(c) Eumdem notarium ignotum Mabillonio notat aliud Caroli Simplicis diploma pro ecclesia Autissiodorensi, quod beneficio Cl. V domni *le Beuf* canonici & succentoris ejusdem ecclesiæ subjicimus.

beneficia opportuna largimur, aut abstracta A reddimus & restauramus, id nobis procul dubio ad præsentem vitam facilius transigendam, & æternam felicius capessendam nos adesse confidimus. Quapropter notum esse volumus cunctis fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ & nostris, præsentibus scilicet atque futuris, quoniam nos de æterna cogitantes remuneratione, & gloriosi avi nostri piæ memoriæ KAROLI imperatoris ac genitoris nostri domni HLUDOUVICI regis animarum remedio, quamdam villam quæ vocatur Crevennus, sitam in pago Autissiderensi super fluvium Icaunæ per deprecationem B dilecti carissimi nostri RICHARDI venerabilis comitis sanctæ matri ecclesiæ Auttissiderensi in honore beatissimi Christi Stephani fundatæ, atque rectori ejus HERIFRIDO dilecto ac venerabili nobis episcopo reddimus & restauramus, atque perpetualiter confirmamus. Ipsa autem villa eidem matri ecclesiæ olim abstracta, propter vestituram nonas & decimas persolvere hospitali ipsius annis singulis visa est. Unde hoc C nostræ celsitudinis præceptum fieri jussimus, ac præfato venerabili episcopo HERIFRIDO dedimus. Per quod præfatam villam Crevennum cum omnibus integritatibus & appendiciis suis, hoc est in Vermentonno mansa IIII. in Baxonte mansf. I. in Valeria m. I. in Germiniaco m. XII. cum vicaria Tauriacensi, & cum ecclesia in honore beati Petri principis apostolorum constructa, cum terris, cultis & incultis, vineis, silvis, pratis, pascuis, molendinis, D aquis, aquarum decursibus ac exitibus ac etiam regressibus, & omnibus legitimis terminationibus, ac mancipiis utriusque sexus desuper commanentibus, vel ibidem aspicientibus, præfatæ ecclesiæ memoratus pontifex ac successores ipsius jure firmissimo perpetualiter teneant atque possideant, sicut alias res ipsius ecclesiæ nemine inquietante. Sed & successores nostros obnixe poscimus, ut hanc nostram restaurationem congruo in futurum loco conveniente ob amorem Dei sanctique Stephani ratam & stabilem esse permittant, sicut sua statuta stabilia manere desiderant. Ut autem hoc E nostræ auctoritatis præceptum ampliorem in Dei nomine obtineat firmitatis vigorem, manu propria subter illud firmavimus, & anuli nostri impressione insigniri jussimus.

Signum KAROLI gloriosissimi regis.

ERLUINUS notarius ad vicem ASKERICI episcopi recognovit & subscripsit.

Datum .... anno VIII. regnante domno KAROLO gloriosissimo rege, redintegrante tertio.

Actum Compendio palatio.

PRÆCEPTUM CAROLI SIMPLICIS pro S. Martini Turonensi ecclesia.

Confirmat illius possessiones, & immunitates, & omnia privilegia ab aliis regibus & imperatoribus concessa.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis KAROLUS ejusdem omnipotentis Dei misericordia rex. Si petitionibus regni nostri procerum, servorumque Dei, pro quibuslibet ecclesiasticis necessitatibus aures nostras pulsantium, libenter annuimus, & ad divinæ militiæ in locis Deo dicatis uberius famulandum auxilium porrigimus, id nobis procul dubio & ad instantem vitam temporaliter transigendam, & ad futuram feliciter obtinendam commodum provenire confidimus. Præcognitum igitur fore omnimodis cupimus omnibus Christi nostrisque fidelibus, præsentibus videlicet & futuris, quoniam adiit serenitatem culminis nostri vir quidam specialius venerabilis germanus quondam prædecessoris nostri domni ODONIS regis fidelis noster ROTBERTUS, gregis eximii confessoris Christi B. Martini basilicæque ipsius atque rerum abbas, reverenter exposcens, ut res omnes quas olim laudabilis pietas atque sollicitudo priorum patrum, necnon & pastoralis cura sanctorum apostolicorum, seu etiam prædecessorum nostrorum parentum, imperatorum, & regum per inviolabilia præcepta, quasque antecessor suus vir venerabilis propinquus noster HUGO abbas suo nobili obtentu ob amorem Dei & reverentiam B. Martini, cujus defensor erat, cum magno & orthodoxo KAROLO imperatore avo quidem nostro eidem sancto Martino & fratribus suæ congregationis, ad specialiter futuris temporibus serviendum, seclusa omnium suorum ditione abbatum, ad eorum speciales & quotidianos usus perpetualiter possidendas obtinuerat: ita & nostris futurisque temporibus sub nostræ immunitatis tuitione consistere, & ab omni publica functione ac judiciaria exactione, per nostræ præceptionis seriem, immunes liberasque decernere dignaremur. Quarum rerum atque villarum nomina hæc sunt, Lugogalus scilicet cum omni integritate suorum appendicium, & quartis XII. ad eamdem villam pertinentibus, quæ quondam in beneficium datæ fuerunt, sed pietas præfati ROTBERTI abbatis fratribus restauravit. Brugogalus quoque cum quibusdam villulis, Paginacium videlicet & Prunarios, quas etiam præfati abbatis benignitas ipsis restauravit habendas, Portus etiam cum omni integritate, Bladalaicus denique integerrime, atque Dociacus, Antoniacus, quin etiam ad eorum vestimenta, & Curciacus cum omnibus rebus sibi pertinentibus, Pseudoforus etiam, quæ & Sodobria

Anno 903. Ex cartario S. Martini.

dicitur, cum omnibus sibi pertinentibus rebus. Insuper quas QUARNEGAUDUS vicecomes fratribus condonavit, cum ecclesiis in honore S. Dionysii & S. Leobini in eisdem rebus constructis, & omnibus rebus ad eas pertinentibus. Medonna insuper atque alter Curciacus in pago Turonico cum prato in Canabas concamiato, Vaubridius atque Tauriacus, Castanetus, & Odatus atque Catuntius, Vobridius & Restiniacus, cum quibusdam etiam rebus ab ipsa subdole quondam sublatis, sed benignitate ejusdem ROBERTI abbatis eidem Restiniaco restitutis, Noventus, Magittus, atque Genestolius, Prisciniacus & Patriciacus. Item Vobridius in pago Cinomannico, Liradus quin etiam cum monasterio & omnibus ibi pertinentibus rebus, * Belvacus denique ad calceamenta fratrum cum omnibus sibi pertinentibus, per quæ subdole decepti Marciacum villam in pago Arvernensi in concambium fratres dederunt. Cableia quoque in pago Tornatrinsi, ubi fratres monasterium constructum habent, ubi & S. Martinus (a) corpore quasi peregrinus jacuit, cum Comisiaco villa cum omnibus rebus ad easdem villas pertinentibus. Miliciacus etiam prædium cum omnibus districtis & * dominicalium rerum decimis, sicuti in privilegiis quæ à sanctis apostolicis ex ipsis adquæsierunt continentur. * Mons insuper villa cum omnibus rebus sibi pertinentibus, quam RAINARDUS vicecomes precario more tenere videtur, necnon etiam Saldoa ac Novientus, sive Merlaus, quam piissimus genitor noster domnus LUDOVICUS rex ad serviendum fratribus in die suæ ad regnum ordinationis atque depositionis, cum omnibus rebus sibi pertinentibus Deo & S. Martino perpetuo condonavit. Et insuper Areas cum sala, quæ quondam dicebatur maledicta, quæ modo propter receptionem S. Martini Domus Dei dicitur, intra muros Turonicæ urbis sitos, in quibus fratres nunc monasterium constructum habent, atque præbendarum omnium mercedes, quas idem ROBERTUS eorum piissimus abbas fratribus perdonaverat, & ex quibus à nobis ut perpetua ditione ipsas possiderent præceptum eis adquisierat, & pro nostra mercede, conjugisque atque prolis & ipsius ROBERTI communique omnium, qui easdem res tota devotione Deo & sancto Martino contulerunt, more regio perpetuo mansuras absque minoratione & subtractione aliqua, per nostræ auctoritatis perceptionem denuo corroboraremus. Et si monasteria in aliquibus prædictis rebus pro infestatione paganorum vel malignorum hominum construere eisdem fratribus libuerit, aut necesse extiterit, id nostræ

* Juxta Liradum.

[a]

* Id est in quibus rebus habent dominium.

* Id est Domna Maria.

A largitatis munere concederemus absque inquietudine permanendi, nec cuipiam fidelium nostrorum in mansionibus canonicorum absque eorum voluntate manendi licentiam concederemus, etiamsi nostra in eisdem eorum monasteriis præsentia adesse potuerit, sicuti nec aliis prædecessoribus nostris regibus id facere licitum fuit. Insuper etiam idem reverendus & admodum amabilis ROTBERTUS abbas nostræ familiaritatis serenitatem humiliter supplicando expetiit, ut res prælibatas omnes, & monasteria cum omnibus aliis rebus ipsis pertinentibus, de B more regum prædecessorum nostrorum sub nostræ immunitatis tuitione, ac defensionis munimine dignaremur recipere. Præcipientes ut in nullis prætitulatis sancti Martini & fratrum rebus, quæ habentur in Austria, Neustria, Burgundia, Gallia, Aquitania, & in ceteris regni nostri Christo largiente partibus, nullus judex publicus ad causas judiciario more audiendas, nec freda, aut tributa, aut mansiones accipere, aut telonium exigere, aut fidejussores tollere, aut homines distringere, ingredi præsumat. Sed sint ad regendum & defendendum in manu abbatum, & ad ordinandum in maC nu gregis beati Martini decani atque editui, nobiliumque atque seniorum fratrum. Cujus saluberrimæ petitioni nobis valde salutiferæ, sibique & omnibus qui easdem res S. Martino contulerunt profuturæ, ob amorem Dei & reverentiam prætitulati peculiaris patroni nostri domni Martini, libenter assensum præbere nobis usquequaque collibuit. Quapropter decernimus atque jubemus, ut supradictæ omnes res & villæ mercede imperatorum & regum, aliorumque Christi fidelium ad supplementum seu conD fugium fratrum collatæ, cum aliis villis non nominatim expressis, sed ipsis pertinentibus, & jam pridem stipendiis fratrum & vestimentis atque calceamentis deputatis, cum reliquis facultatibus & abbatiolis atque villulis ad stipendia abbatum, exceptis nonis & decimis specialiter deputatis, sub nostræ defensionis munimine consistant. Super qua re cum sæpedicti fidelis nostri ROTBERTI precibus regiam nostram dignitatem humili supplicatione, cum consensu, ut diximus, sæpe nominati abbatis ROTBERTI, carissimi E quidem nostri etiam canonici ejusdem sancti Martini deprecati sunt, ut regio more præceptum domni magni CAROLI atavi nostri, atque præceptum domni LUDOVICI serenissimi imperatoris proavi, atque alterius sapientis quidem KAROLI imperatoris avi nostri, necnon genitoris nostri LUDOVICI regis piissimi, in hac nostræ præceptionis pancarta super omnibus eorumdem fratrum re-

(a) Hinc patet, corpus sancti Martini Cableiam, ubi hactenus insignis ecclesia collegiata S. Martino subjecta exstitit, aliquandiu requievisse, priusquam ad Autissiodorensem sancti Germani ecclesiam deferretur, id quod patet etiam ex alio Ludovici Balbi diplomate à Mabillonio in tom. 3. Annalium Benedictinorum relato.

bus denuo corroborare more regio dignaremur. Quorum etiam petitionem ratam perspicientes, pro amore, ut diximus, Dei, & reverentia prælibati domni Martini in nostra communi omnium eleemosyna hoc nostræ altitudinis præceptum & auctoritatem fieri jubemus, per quam decernimus, atque jubemus, ut sicut in præceptis & privilegiis prædecessorum nostrorum tantorum imperatorum & regum continetur: ita ab hodierna die, & in reliquum irrefragabiliter permaneat cum omnibus villis eorum stipendiis deputatis. Præcipientes ergo jubemus, & jubendo præcipimus, ut nullus judex publicus, aut quilibet superioris aut inferioris ordinis reipublicæ procurator, in his præsignatis sancti Martini omnibus rebus ad causas judiciario more audiendas, in ecclesias, aut villas, seu reliquas possessiones, quas moderno vel priscis temporibus, in quibuslibet provinciis vel territoriis regni nostri juste basilica sancti Martini tenet, vel deinceps in jure ipsius basilicæ divina pietas augeri voluerit, ingredi præsumat, nec freda, aut tributa, aut mansiones, aut paratam, aut teloneum ex illis negotiis, sicut in præceptis, ut diximus, continetur, exigere, aut fidejussores tollere, aut homines tam ingenuos, quam servos super terram ipsius basilicæ commanentes distringere, aut ullas publicas functiones, aut redhibitiones, vel illicitas occasiones requirere tam temerarius audeat. Quidquid igitur de prædictis rebus B. Martino devote collatis, vel ipsis pertinentibus in quibuscumque districtis in jus fisci nostri cedendum fuit, & à prædecessoribus nostris sancto Martino collatum comperimus, nostræ largitatis munere libenter volumus esse eidem S. Martino sibique famulantibus canonicis concessum, remoto toto fisci dominatu, ut ad sustentationem canonicorum seu pauperum in nostra eleemosyna omniumque probatorum & fidelium subsequentium sit supplementum. Volumus etiam atque præcipimus, ut sicut in præceptis eorumdem fratrum & privilegiis continetur, omnes debitæ refectiones ex cellis S. Martino subjectis & villis, census etiam ex omnibus precariis fratribus integerrime ministrentur atque reddantur, & manselli qui sunt ad Berbezillas cum prato ad Bellum-montem instituta fratribus officia compleant. Decimæ quoque & nonæ dominicalium rerum, scilicet tam ex villis suprascriptis fratribus specialiter delegatis, quam & in beneficiis ab abbate eorum proprio attributis hospitali, ut est supra dictum, nobilium atque pauperum, absque subtractione aliqua, sicuti privilegia apostolicorum confirmant & auctorisant, in generali omnium fidelium eleemosyna deputatæ habeantur. Si quis autem prorumpere in tantam ausus fuerit audaciam, ut hujus nostræ auctoritatis & altitudinis præceptum violare præsumserit, quemadmodum in ceteris regum & imperatorum prædecessorum & parentum nostrorum præceptionibus continetur, non solum in offensam Christi & nostram lapsurum, verum etiam DCC. solidorum auri ad purum excocti se noverit pæna mulctandum, ex quo duas partes ecclesia, id est canonici sancti Martini ad proprios usus, tertiam vero proprius eorum abbas recipiat. Si vero de prædictis rebus per tepiditatem & negligentiam eorum abbatum aut ministrorum, seu per præsumtionem judicum, cupiditatemve malorum hominum, aliquid injuste abstractum est, id per hanc nostram auctoritatem regiam prorsus restaurandum præcipimus, corroborantes hanc denuo pancartam super omnibus ejusdem S. Martini rebus pro munimine omnium cartarum, quæ aut incendio Nortmannorum, ut fratres asseverant, vel quolibet modo adustæ vel neglectæ sunt. Et ut hujus nostræ præceptionis auctoritas inviolabilem obtineat effectum, & ab omnibus sanctæ Dei ecclesiæ fidelibus & successoribus nostris regibus verius a nobis facta esse credatur, & diligentius inviolabilis conservetur, manu propria eam signavimus, & anuli nostri impressione signari jussimus.

Signum CAROLI gloriosissimi regis.

Data II. calendas Maii indictione V. anno XI. regnante Karolo piissimo rege.

PRÆCEPTUM LUDOVICI IV. imperatoris pro Massiliensi S. Victoris monasterio.

Concedit ei fiscum suum Pinum nuncupatum.

Anno 904. Ex cartario S. Victoris eruit D. Furnerius.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis HLUDOVICUS gratia Dei imperator augustus. Omnium fidelium nostrorum præsentium scilicet ac futurorum noverit industria, quoniam ROSTAGNUS metropolita & TEUBERTUS comes nostram adeuntes excellentiam, enixius postulaverunt, quatenus fideli nostro MAGNO abbati ecclesiæ scilicet Dei genitricis Mariæ & gloriosi martyris Victoris, cujus corpus in Massilia urbe requiescit, pro remedio animæ nostræ parentumque nostrorum concederemus, jure perpetuo, videlicet fiscum quod nominatur Pinus cum salinis, & piscationibus, & portu navium, & omnibus juste & legaliter ad eumdem fiscum pertinentibus, conjacentem in comitatu Massiliensi, qui vulgo Paradisus nominatur: sicut est via quæ descendit a Guardia usque in portum Formigarium, una cum terra comitali, quæ ante portam castri fore videtur, usque ad Carnarium, omnia omnino in integrum ut ei concederemus per præceptum nostræ auctoritatis. Quorum precibus assensum præbentes, hoc serenitatis nostræ præceptum fieri decrevimus, per quod jam dictus fidelis MAGNUS ea omnia quæ superius sunt obtinere valeat, tam ipse quam sui

successores, remota totius potestatis inquietudine aut deminoratione. Et ut verius habeatur, manu propria firmavimus, & anuli nostri impressione assignari jussimus.

Signum domni HLUDOVICI serenissimi imperatoris augusti.

ARNULFUS recognovit & subscripsit.

Data XI. calendas Maii anno Domini DCCCCIIII. indictione VII. anno IIII. imperante domno nostro Hludovico.

Actum Arelate feliciter. Amen.

PRIVILEGIUM KAROLI SIMPLICIS regis Francorum pro monasterio Elnonensi.

Permittit ut Barisiacum cellam Roberto abbati in beneficium dent ad vitam.

Anno 906. Ex cartario S. Amandi.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis CAROLUS divina propitiante clementia rex. Quicquid locis divino cultui mancipatis ad suggestionem fidelium nostrorum nostra clementia conferimus, Deum nobis exinde retributorem fore veraciter confidere debemus. Noverit igitur omnium sanctæ Dei ecclesiæ nostrorumque fidelium, tam præsentium scilicet quam & futurorum solertia, quod adiens serenitatem nostram carissimus fidelis noster ROBERTUS abbas monasterii almi præsulis & confessoris Christi Amandi, innotuit nostræ celsitudini, qualiter ipse a monachis prædicti cœnobii expetierit quasdam res illorum, ab ipso beatissimo pontifice Amando suis monachis olim traditas, & præceptis imperatorum seu regum usibus eorum specialibus confirmatas, sed illi propter nostrum servitium necessarias & convenientes, in pago Laudunensi sitas, hoc est cellam quæ vocatur Barisiacus, cum omnibus ad se pertinentibus, ut easdem res illi in beneficium diebus tantum vitæ ejus concederent. Sed ne absurda & onerosa ejus videretur petitio, & ne forte proinde incurreret Dei & amantissimi ejus præsulis Amandi offensam, atque ne servis Dei aliquam ex hoc inferre videretur molestiam, & ne hujus causa facti, in accipiendis rebus stipendiariis necessaria in quantum fieri poterat eis deessent subsidia, a nostra postulavit mansuetudine, quatinus ex ipsa abbatia, & ex ejus dominicatu, villam quæ dicitur Diptiacus cum omnibus ad se pertinentibus illorum specialibus delegaremus, & a die præsenti perenniter profuturam contraderemus usibus. Nos autem justam & rationabilem ejus perpendentes deprecationem, assensum præbuimus, atque hoc nostræ auctoritatis præceptum sub hac re fieri jussimus, & eisdem monachis dedimus, per quod sancimus & in perpetuum firmum esse volumus, ut jam dicta villa Diptiacus, quam eis ad præsens concedimus, cum omnibus ad eam pertinentibus illorum dominicationi in ævum subdatur, & post obitum fidelis nostri ROBERTI cella Barisiacus cum cunctis ad eam legaliter pertinentibus, absque ullius abbatis contradictione, ad ipsum dominium revocetur. Insuper quicquid eidem sanctæ congregationi a prædecessoribus nostris imperatoribus vel regibus, seu quibuslibet bonis hominibus in quibuscumque pagis vel territoriis collatum est, sicut in edicto nostro olim petente FULCONE archiepiscopo, eisdem monachis facto confirmavimus; sic etiam nunc sub plenissima immunitatis tuitione perenniter inconvulsum manere decernimus. Et ut hoc nostræ regalis majestatis præceptum inviolabilem obtineat firmitatem, manu propria illud subterfirmavimus & anuli nostri impressione signari jussimus.

Signum KAROLI gloriosissimi regis.

ERNUSTUS notarius ad vicem ASKERICI episcopi subnotavi.

Data VII. idus Septembris indictione VIIII. anno XIV. regnante Karolo gloriosissimo rege, redintegrante VIIII.

Actum Lauduni castro in Dei nomine feliciter. Amen.

DIPLOMA LUDOVICI IV. imperatoris.

Conrado comiti Brechonem curtem ad construendam & dotandam basilicam in monte Lintburcensi concedit.

Anno 909. Ex ms. S. Maximini.

HLUDOVICUS divina favente clementia rex. Si ex terris quas divina largitate consecuti sumus, &c. Quapropter noverint omnes, &c. quia nos rogatu atque consultu fidelium nostrorum HATONIS venerabilis patris nostri, necnon CHUANRATHI egregii ducis, & fidelis nepotis nostri, cuidam CHUANRATHO dilecto comiti nostro filio EBERHARDI, in pago *Lagenach*, in suo comitatu, curtem dominicalem Brechone nomine cum curtilibus, ædificiis, ecclesia, decimis, mancipiis utriusque sexus, terra salica, & universis quæsitis & inquirendis, magnis & parvis, ad eamdem proprietatem rite pertinentibus in proprium donamus, &c. Jussimus hoc præceptum inde conscribi, per quod volumus firmiterque jubemus, quatenus præfatus comes CHUANRATUS ab hodierna die & deinceps liberam atque securam teneat potestatem basilicam suam dotandi, quam extruere nititur in monte quodam *Lintburck* vocato in *Longonach*. Et ut hoc præceptum largitionis nostræ firmum stabileque consistat, manu nostra illud firmavimus, & sigillo nostro consigniri fecimus.

Signum domni HLUDOWICI serenissimi regis.

SALAMON cancellarius ad vicem PHI-

LIGRINI archicapellani recognovit. A

Data IV. idus Februarii anno incarnationis Domini DCCCCVIII. (a) indictione XIII. regni domni HLUDOVICI XI. [a]

Actum Franconofort feliciter in Dei nomine. Amen.

EPISTOLA PETRI SANCTÆ Cameracensis ecclesiæ archidiaconi ad Hucbaldum monachum & sacerdotem cœnobii sancti Amandi confessoris Christi scriptorem gestorum beati sacerdotis Christi Libuini.

Laudat ejus librum de vita sancti Libuini.

Circa 910. Ex ms. Verdinensi.

VEstræ sancto dogmate apostolico ac totius philosophiæ gemmis decusato domino ac doctore HUCBALDO monacho cœnobii sanctissimi Amandi Petrus peccator archidiaconatui sanctæ Cameracensis ecclesiæ deserviens, competentem instantium facilitatem, ac perpetem futurorum in Christo felicitatem.

Cum vestræ sapientiæ lampas admirabilis in Galliis hac tempestate singulariter dono cælesti excellere noscatur, admiratione dignum videtur, cur vestra sagax prudentia, & prudens sagacitas, vestræ operæ stylum [b] super beati (b) Lebuini vita memorabili exaratum, mirabiliter examinandum, comprobandumque direxerit. Vere enim pusillitas meæ scientiæ quantulacumque fuerit, porro infra vestræ sapientiæ pedes substernitur, nec disciplinæ scolasticæ unius auditorum vestrorum propinquat. Sed qui vos mira implevit scientia, mirabili etiam roboravit humilitate: quoniam spiritus sapientiæ & scientiæ idem etiam & timoris Domini, a quo vera manat humilitas. Porro autem præclara vestri gnomonis digestio cordati quidem & optimi viri depinxit æthereos mores, ortum, vitam, & felicem exitum probabiliter commendavit; sed inter id exsequendum vitam figuravit practichen pariter & theorichen, physicam etiam in geminæ descriptionis serie, ethicam vero in morum sacra institutione. Porro logicam in eminentia cælestium ac sublimium rationum limavit, ut dum unius stupendam probitatem pandere niteretur, plurimorum rudis ignavia erudiretur. Revera igitur sacram in vobis scripturam impleri novimus, quæ dicit: *Da sapienti occasionem & addetur ei sapientia.* Legi ergo nitidum vestri sermonis florem, & inveni quod omnino mirarer, non quod ullatenus emendarem. Divinæ protectionis custodia fulgurantem vestræ sapientiæ lampadem perpetuo nobis incolumem conservet ad sanctæ profectum ecclesiæ. Amen.

EPISTOLA ODILONIS cœnobitæ sancti Medardi episcopi Hucbaldo directa.

Libellum de vita sancti Libuini quem ei examinandum miserat, cum laude approbat.

Circa 910. Ex ms. Verdinensi.

PRiscæ gravitatis tenore conspicuo omnique probitatis genere permodesto domno HUCBALDO humanis divinisque studiis experientissimo ODILO peccator, veræ & indissolubilis amicitiæ copula etiam quæ Christi glutino nectitur.

Hunc vestræ fidelissimæ paternitati, ex quo primum præoptabilem vestræ dilectionis gustum absque ullius prærogativa meriti prælibari promerui indeficientem in plenitudine caritatis inesse sine cunctatione non ambigo, & ut finetenus sic maneat totis viscerum præcordiis ambio & exposco. Misistis mihi libellum de vita beati LEBUINI amici Dei prudenter ornateque compositum, omnis philosophiæ partibus undique roboratum, quem quidem legi, & nil quod in eo corrigeretur, sed quod discendo & imitando quisquam proveheretur, reperire potui. Magno, ut vere fateor, polletis ingenio, infinitam sermonis habetis suppellectilem, nil latinius eloquentiæ vestræ, nil pulchrius, nil umquam legi dulcius. O felix Gallia, quæ tali illustratur doctore! Miror cur mihi imperito nulliusque momenti ac meriti flores eloquentiæ vestræ miseritis discernendos. Non debuissetis me annorum numero æstimare, nec sapientiam canis, sed canos sapientiæ reputare, Salomone testante, *cani hominis prudentia ejus.* Permutatis in me rerum ordinem, & quod ego a vobis exigere debueram, sicuti & feci de virtutibus domni mei (c) Sebastiani, vos quem pharum totius prudentiæ omnes mirantur Galliæ, meam quantillitatem non dedignati estis expetere. Sed ignosco dignationi vestræ. [c] Nostis exaltari, nostis & humiliari. Et scriptura præcipit *quanto magnus es humilia te in omnibus.* Fecistis quidem hoc non necessitate, sed voluntate & ob genium nostri loci meoque amore. Obnixe deprecor uti mei sitis memor inter orandum.

Hucbaldo sopho sophia sit semper amica.
Hucbaldus sophus sophiæ semper amicus.
Exposco hoc Odilo peccator cernuus ego.

[a] More veteri Gallicano quo annus ab VIII. calendas Aprilis incipiebat.

[b] Hanc vitam habes in prima editione Surii de vitis Sanctorum ad duodecimam diem Novembris.

[c] Librum de translatione & miraculis S. Sebastiani ab Odilone monacho Suessionensi sancti Medardi habes apud Mabillonium inter acta Sanctorum ordinis sancti Benedicti.

VERSUS JUDIONIS
in confirmatione operum magistri sui Hucbaldi Baldrico præsuli destinati.

Ex ms. Verdunensi.

IN primis (*a*) Baldrice vale clarissime præsul,
Nomine reque decus, nobilitatis opus.
Hoc opus est actus Lebuini patris amandi
HUCBALDUS doctor quod decorat calamo.
Hinc cælis dignus terris memorandus habetur,
Sed tu laude sua dignior exsuperas.
Cujus ob auspicium fecit quod fecit idipsum,
Hinc consors operis laudibus erigeris.
Hinc ita de reliquo vobis liceat mihi coram
Lectori vestro dicere quæ cupio.
Lector erit vester Nitgerus, carus adelphus,
Ipse adeo studuit ut legeretur opus.
Dum vestris crebro scriptorem mulsit amicum,
Et tandem obtinuit, quod bene concupiit.
Hoc ego post lectum mihi præcipiente magistro
Carmen subsigno, tunc simul hoc jubilo.
Nil melius, fateor, legi, mi lector amice,
His quæ Hucbaldus scripsit & edocuit.
Quod dixi potes in Vitæ rescire libello
Liaffirini sancti magnanimique patris.
Hunc bene si recitas, offendis seria plura
Quæ rhetor serit hic grammaticusque simul.
Et si judicio calles discernere docte,
Sermo evangelicus currit & historicus.
Omne etenim spatium sic regula dirigit artis,
Ne quem fallat iter, aut via decipiat.
Et similis Ciceronis inest constructio docta
Augustinus & hic ut docet invenies.
Dummodo cordatus, non invidus, atque detractor
Hunc recitans volvat, atque legens replicet.
Quo circa quisquis legis hæc non corde sinistro,
Cum Judione simul ex animo rogita.
Hucbaldum Deus hunc dona durare per annos,
Post mortem carnis junge dehinc superis.
Ut te cum sanctis laudet per sæcula cuncta
Qui Deus unus, ades, trinus & ipse manes. Amen.
Deo gratias.

Votorum Deus arbiter
Quæ dant fideles pariter,
Rogamus nostris vocibus
Ut annuas propitius,
Per Libuini merita
Quo nostra solvas crimina,
Quibus quasi compedibus.
Illaqueati cernimur.
Sed quod nequimus consequi
Reatu multo saucii
Id Libuino tribuas,
Qui sanctis tuis nihil negas.
Hic nobis dux & previus
Sit in periclis omnibus,
Hujus precatu territus
Facessat hostis invidus.
Hic nos purgatos sordibus
Restituat cælestibus
Ubi felici gaudio
Fruamur ævo intermino.
Amen.

(*a*) Hic Baldricus fuit episcopus Trajectensis, cui Hucbaldus vitam S. Libuini dicavit.

DIPLOMA LUDOVICI IV. regis Germaniæ.

Concedit certa prædia quibusdam Hugonis comitis vassallis.

Anno 910. Ex cartario Trevirensi S. Maximini.

IN nomine Dei æterni & Salvatoris nostri JESU CHRISTI, HLUDOWICUS superna ordinante gratia rex. Si fidelium nostrorum petitionibus congruum præbuerimus assensum, hoc nobis procul dubio ad statum regni nostri proficere, eosque in nostro promtiores credimus aptari obsequio. Cunctorum igitur sanctæ Dei ecclesiæ fidelium, nostrorumque præsentium ac futurorum noverit industria, quoniam Isaac, Chuonradus atque Warnarius pariter celsitudinem nostram efflagitati sunt, ut quibusdam vassallis HUGONIS illustris comitis, scilicet Bernardo seu Rathfrido ac Reginardo quasdam res proprietatis nostræ ad proprium largiremur, quas olim pater noster ARNOLFUS Hildenenno ex parte dedit, sed ipse fallaci versucia deceptus ultra modum donationis excessit subripiendo. Quod prænominatus comes HUGO, in cujus comitatu ipsæ res constiterant, approbans, nostrisque auribus denuntians, judicio fidelium nostrorum præsentialiter adsistentium fisco dominico redigimus. Quorum petitioni libenter acquiescentes, præfatis viris Bernardo videlicet, Rothfrido, ac Reginardo ipsas res sitas in pago & comitatu Albinse, in villa siquidem vocabulo Domni Apri, mansos xx. cum omnibus ad se juste & legaliter pertinentibus regia donatione impertiri decrevimus. Hoc est mansum indominicatum, ecclesiamque in eadem villa constructam cum ceteris mansis, casticiis, campis, pratis, pascuis, cultis & incultis, silvis, aquis, aquarumve decursibus, molendinis, piscationibus, viis & inviis, exitibus & regressibus, mobilibus & immobilibus, quæsitis & inquirendis, ac mancipiis utriusque sexus. Unde præsentem nostri vigoris munificentiam eis fieri jussimus, nostraque manu contulimus ipsis impartiendo, per quam decernimus, firmiter-

que statuendo sancimus, quatenus sicut de reliquis suarum possessionum rebus, ita & de prænominata villa Domni Apri vocata ab hodierna die deinceps libero potiantur arbitrio habendi, tenendi, tradendi, donandi, vendendi, commutandi, suisque heredibus jure successionis derelinquendi, seu quidquid propria elegerint voluntate faciendi. Et ut hæc nostræ largitionis auctoritas per succedentia temporum fluctivagi ævi curricula a cunctis fidelibus verius credatur, atque diligentius servetur, manu propria subter eam firmavimus, & sigilli nostri impressione insigniri jussimus.

Signum domni HLUDOWICI piissimi regis.

THEODULFUS notarius ad vicem HRAPPODI archiepiscopi summique cancellarii recognovi.

Data x. calendas Octobris anno dominicæ Incarnationis DCCCCX. indictione XIIII. anno vero domno Hludowico regnante XI.

Actum *Forechheim* curte regia, in Dei nomine feliciter. Amen.

DIPLOMA CAROLI SIMPLICIS regis pro sancto Maximino.

Confirmat factam ab Arnulfo rege donationem.

Anno 912. *Ex cartario Trevirensi S. Maximini.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. KAROLUS divina propitiante clementia rex Francorum & vir illustris. Cum igitur a nostræ sublimitatis gratia postulantur ea videlicet quæ rationi oportuna adfore videntur, animo nos decet libenti concedere, & petitiones flagitantium congrua proportione adimplere. Quamobrem omnibus sanctæ Dei ecclesiæ fidelibus nostrisque, tam præsentibus quamque futuris, venerabilem comitem atque B. Maximini cœnobii, cujus gleba Treviris in suburbio quiescit, abbatem celsitudinis nostræ adiisse clementiam & intulisse auribus nostris suprafati S. Maximini monachos quasdam res juste olim possidere, quæ ob negligentiam prædecessorum abbatum cupiditatemque malorum omnium matrem habebantur subtractæ, quasque ipse, eum præfatum locum ad regendum largiremur, oco illi reddiderat, flagitans, ut de istis præfatis rebus, & ex illis quæ victui eorum deputatæ erant, de quibus quoque illis ARNOLFUS rex præceptum largitus est, nostro instaurantes præcepto, ac nostræ corroborationis insigniremur edicto. Cujus justam petitionem libenter implentes, hæc loca illis ad suam peculiaritatem perpetualiter habenda, ut ex eis victum & habitum consequantur pro nostræ animæ absolutione concessimus, hoc est Appula, *Averneshein*, &c... Jussimus quoque hoc præsens præceptum inde conscribi, per quod decernimus atque firmissime jubemus, ut ipsi fratres prælibata loca, cum omnibus pertinentiis sub eorum cura teneant, atque secure & quiete juxta suum arbitrium illis potiantur, ut nec nobis, neque illi qui hanc abbatiam tenuerit, aliquod servitium impendant, excepto hoc quod more solito benedictionem illi offerent, qui ipsi monasterio præsit, potestatemque teneant super ipsas res suum præpositum specialiter constituere, eumque pari modo, si bene officium præpositura suæ non expleat, degradare. Et ut hoc præceptum nostro munimine roboratum perpetualiter firmum & stabile perseveret, manu nostra illud firmavimus, anuloque nostro consignare præcepimus.

Signum KAROLI gloriosissimi regis.

HUGO regiæ dignitatis notarius ad vicem HERIVEI archiepiscopi subnotavit.

Datum calend. Januarii, indictione* XIII. anno XIX. regnante Karolo gloriosissimo rege, redintegrante XIIII. largiore vero hereditate indepta I. * l. XV.

Actum Mettis civitate, in Dei nomine feliciter. Amen.

PRÆCEPTUM DOMNI CAROLI regis pro Prumia.

Abbatiam Sostrensem in conventu procerum adjudicat Prumiensi monasterio.

Anno 91[illegible]. *Ex cartario Prumiensi.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. KAROLUS divina propitiante clementia rex. Si utilitates sanctæ Dei ecclesiæ, commoda & justa procuramus, ea nobis in æterna beatitudine retribuenda confidimus. Qua de re omnibus sanctæ Dei ecclesiæ fidelibus notum esse cupimus, quia quidam fidelium nostrorum nomine RICHARIUS abbas monasterii quod vocatur Prumia, obtulit quoddam præceptum ARNULFI quondam serenissimi regis, in quo continebatur qualiter abbatiam, quæ vocatur Suestra, cuidam Prumiensis potestatis presbytero eximiarum artium nomine SIGINANDO, gratificis servitiis, & hæc eo promerente, firmissime condonavit, & qualiter eodem postulante Siginando hoc ipsum monasterium ad Prumiam sua regali auctoritate tradidit: quod ita non solum perfecit, sed etiam præscripto auctoritatis suæ præcepto firmavit: sed & aliud detulit præceptum, qualiter successor regni & filius ejusdem Arnulfi ZUENTIPOLDUS paternæ auctoritatis præcepto suum superaddere studuit, ut firmiori auctoritate subnixa utraque inviolabili firmitate constarent præcepta, hanc abbatiam ad Prumiam cœnobium firmantia; sed inter hæc dum sæpefatus Siginandus precario more eamdem excolendam suscepit, potentiorum injusto violentoque conamine ei ablata est. Unde post multas & pene innumeras reclamationes, sine * nos cupientes eamdem definire ratio-

* Videtur deesse *effectu* aut quid simile.

nem, habito generali placito apud Haristallium in conventu totius regni, tam episcoporum, quam comitum & procerum, ac judicum diversarum potestatum, omniumque conventu nobilium, cunctorum fidelium nostrorum, quorum nomina hæc sunt. ROTGARIUS archiepiscopus, HERIMANNUS archiepiscopus, DADO episcopus, STEPHANUS episcopus, WIDRICUS comes palatii, RICHUINUS comes, GISLEBERTUS, MALFRIDUS, BERINGARIUS comes, THEODERICUS comes, REINHERUS comes, ERLEBODUS comes, RODOLFUS comes, OTTO comes, CUNRARDUS comes, WALCHERUS comes, SIGARDUS comes, LETARDUS comes, Fulbertus, Waltherius, Hagano, Eurwinus, Equinus, Witlegius, Hadeboldus, Widricus, Gerbernus, Odilbertus, Wlmarus, Farbertus, Euricydus, Rotboldus, Lubertus, wichingus, Amalricus, generali judicio decretum & determinatum est sæpefatam abbatiam majus juste & legaliter juri monasterii Prumiensis & ejusdem loci rectori ac fratribus ibidem Deo servientibus competere, quam ulli alii hominum. Quorum judicio nos gratantissime assensum præbentes, hoc nostræ auctoritatis notitiam fieri jussimus, per quam omnibus tam præsentibus, quam futuris sanctæ Dei ecclesiæ fidelibus & nostris notum esse cupimus, nos eamdem abbatiam pro amore Dei, sanctorumque omnium, pro eleemosyna nostri omniumque prædecessorum nostrorum, necnon & eorum quorum collatione priori traditione collata sunt, præfato Prumiæ monasterio per hanc nostræ auctoritatis notitiam tradimus atque transfundimus, ea videlicet ratione, ut deinceps omni tempore prælibatam abbatiam secure cum omnibus ad se pertinentibus rectores sæpefati Prumiæ monasterii habeant, teneant atque possideant, & quicquid ad utilitatem jam dicti loci fratrumque inibi habitantium facere disposuerit, liberam in omnibus habeat facultatem, nemine inquietante. Et ut hæc hæc nostræ auctoritatis notitia inviolabilem & inconcussam in omnibus obtineat firmitatem, & inviolabilis perpetualiter consistat, & ab omnibus verius credatur, diligentiusque conservetur, de anulo palatii nostri eam subter jussimus sigillari.

Signum KAROLI regis gloriosi.

Domnus rex fieri jussit.

RATBODUS notarius hanc notitiam scripsit vice RUTGERI archiepiscopi summique cancellarii & subscripsit.

Data XIIII. calendas Februarii, indictione IIII. anno XXII. regnante domno rege Karolo, redintegrante XVII. largiore vero hereditate indepta V.

Actum Heristallium palatium in Dei nomine feliciter. Amen.

PRÆCEPTUM CAROLI SIMPLICIS regis pro Turonensi S. Martini ecclesia.

Castrum circa ecclesiam S. Martini positum confirmat atque immunitatis privilegio donat.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. KAROLUS divina propitiante clementia rex Francorum. Cum locis divino cultui mancipatis, ob divinæ servitutis amorem, opem congruam ferimus ad sublevandas Dei servorum commoditates atque utilitates, & regum morem decenter implemus, & id nobis profuturum ad æternæ remunerationis præmia capessenda veraciter credimus. Idcirco notum esse volumus omnibus sanctæ Dei ecclesiæ nostrisque fidelibus tam præsentibus quam & futuris, quia adiens nostri culminis serenitatem comes & marchio noster venerabilis ROTBERTUS, studuit humiliter expetere, quatenus de (a) castro quod est circa monasterium S. Martini egregii confessoris Christi, de quo ipse abba habetur, præceptum nostræ auctoritatis fieri esset placitum, ob immunitatis gratiam, scilicet ne quispiam ibi præter abbatem sive canonicos ejusdem cœnobii umquam ab hac die deinceps aliquam de quacumque re haberet exercendi potestatem, & hujusmodi petitionem firmam esse in perpetuum sanciremus. Nos autem primo ob salutem nostram, deinde ob petitionem seu suggestionem ac devotam erga nos fidelitatem præfati comitis concedimus, ac concedendo confirmamus, & super hanc cessionem nostræ auctoritatis præceptum fieri mandamus, per quod præcipientes decernimus, ut ab hinc in futurum nullus quilibet comes, neque vicecomes qui dicitur, neque judiciaria seu quælibet humana potestas, habeat potestatem, vel inferat aliquod præjudicium de castro sito in gyro cœnobii S. Martini. In comitatu vero Turonum superque fluenta Ligeris, nisi tantummodo abbas ejus loci, necnon & canonici, sicut postulatum est a comite & abbate ROTBERTO. Et ut hæc nostræ cessionis seu confirmationis auctoritas firma & inconvulsa sit semper, quatenus pro nobis S. Martinum cum suis fidelibus jugiter intercedere sentiamus, manu propria eam subterfirmavimus, & anuli nostri impressione jussimus insigniri.

Signum KAROLI regis gloriosissimi.

GOSLINUS notarius ad vicem ERIVEI archipræsulis summique cancellarii recognovit.

Datum kal. Decembris, indictione VII. anno XXVI. regnante Karolo rege gloriosissimi

Anno 918. Ex cartario S. Martini.

[a] Apud Turonicos scriptores Castrum-novum solet appellari.

simo, redintegrante XXI. largiore vero hereditate indepta VI.

Actum Castro Lauduno, in Dei nomine feliciter. Amen.

PRÆCEPTUM CAROLI SIMPLICIS regis pro Turonensi S. Martini ecclesia.

Possessiones & immunitates illius confirmat, ac jus cudendæ monetæ donat.

Anno 919. Ex ms. Colbertino.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. CAROLUS ejusdem omnipotentis Dei misericordia rex. Si petitionibus regni nostri procerum servorumque Dei pro quibuslibet ecclesiasticis necessitatibus aures nostras pulsantium libenter annuimus, & ad divinæ militiæ in locis Deo dicatis uberius famulandum auxilium porrigimus, id nobis procul dubio, & ad instantem vitam temporaliter transigendam, & ad futuram feliciter obtinendam commodum venire confidimus. Cognitum igitur fore omnimodis cupimus omnibus Christi nostrisque fidelibus, præsentibus scilicet atque futuris, quoniam adiit serenitatem culminis nostri vir quidam specialius venerabilis germanus quondam prædecessoris nostri domni ODONIS regis fidelis noster ROBERTUS, gregis eximii confessoris Christi B. Martini, basilicæque ipsius atque rerum abbas, reverenter exposcens, ut res omnes quas olim laudabilis pietas & sollicitudo priorum patrum, necnon & pastoralis cura sanctorum apostolicorum, seu etiam prædecessorum nostrorum parentum, imperatorum scilicet & regum, per inviolabilia semper præcepta, quasque antecessor suus quondam VIVIANUS S. Martini abbas, & postmodum vir venerabilis propinquus noster HUGO ejusdem S. Martini abbas, suo nobili obtentu ob amorem Dei & reverentiam ejusdem B. Martini, cujus defensor erat, cum magno orthodoxo CAROLO avo quidem nostro, eidem S. Martino & fratribus dictæ congregationis, ac specialiter futuris temporibus serviendum, seclusa omni suorum ditione abbatum, ad eorum speciales usus perpetualiter obtinendos obtinuerant. Nos easdem & in futuro eidem Sancto conferendas nostris futurisque temporibus sub nostræ immunitatis tuitione consistere, & ab omni publica functione, ac judiciaria exactione per nostræ perceptionis seriem immunes liberasque decernere dignaremur, quarum rerum atque villarum nomina hæc sunt. Lugogalus scilicet cum ecclesiis & omni integritate suorum appendicium, & res alias ad eamdem villam pertinentes, quæ quondam in beneficiis & precariis datæ fuerunt; sed pietas præfati ROBERTI abbatis fratribus reddidit. Brugogalus quoque cum ecclesiis & quibusdam villulis, Pagniaco videlicet & Pruneirs, quas etiam præfati abbatis benignitas ipsis restauravit habendas. Portus etiam cum ecclesia & omnibus rebus ad eam pertinentibus. Bladalaicus denique cum ecclesia & omnibus suis rebus. Dociacus quoque cum ecclesia & omnibus rebus ad ipsam pertinentibus. Anthoniacus, Quiernam, & Curciacus ad eorum vestimenta cum ocreis & omnibus rebus sibi pertinentibus. Pseudoforus etiam quæ & Sodobria dicitur, cum ecclesiis & omnibus rebus ad ipsam pertinentibus, ex quibus quædam sunt in beneficio datæ; sed easdem per altitudinis nostræ præceptum fratribus restaurandas præcipimus, & cum aliis insuper rebus quas GUARNEGARDUS vicecomes fratribus dedit cum ecclesiis in honore S. Dionysii & S. Leobini in eisdem rebus constructis. Medonia cum ecclesia & omnibus sibi pertinentibus rebus, ex quibus quædam sunt in beneficio datæ; sed præfatus ROBERTUS abbas, ipsas per hanc nostram præceptionem fratribus restauravit. Curciacus in pago Turonico cum ecclesia & omnibus aliis rebus sibi pertinentibus; a prato in villa Canabas sito atque farinario pro ipso quondam dato. Vabridius atque Cauriatus, Castanetus & Ordatus atque Catunctus cum ecclesiis & omnibus ipsis pertinentibus rebus, alter etiam Vabridius & Restiniacus cum capellis & quibusdam rebus subdole quondam sublatis, Novientus, Magitrus, atque Genastolius, Prisciniacus, & Patriciacus. Item Vabridius in pago Cenomannico & Vania villa cum ecclesia in villa Vascomia in pago Aurelianensi, quam ADRADUS vicecomes fratribus dedit. Leridus etiam cum monasterio & omnibus sibi pertinentibus rebus, Belvacus etiam ad calciamenta fratrum cum ecclesia & omnibus sibi pertinentibus rebus, pro qua Marciacum villam in pago Arvernensi in concambium dederunt. Cableia etiam in Tornatrensi cum monasterio ibi constructo, ubi S. Martinus quasi peregrinus quievit cum villa Cumisiaco, Ninrianco etiam, & Ulciaco, cum ecclesia & omnibus sibi pertinentibus rebus, Miliciacus etiam prædium cum omnibus sibi districtis, sicut temporibus domni CAROLI regis distinguebantur. Mons insuper villa in pago Milidunensi cum ecclesiis & omnibus sibi pertinentibus rebus, necnon etiam Saldoa ac Novientus, cum capellis & omnibus rebus sibi pertinentibus. Merlaus etiam, quam piissimus genitor noster domnus LUDOVICUS rex ad serviendum fratribus in die suæ ad regnum ordinationis atque depositionis, cum omnibus rebus sibi pertinentibus Deo & S. Martino prona mente perpetuo donavit. Marcigniacum & villam super fluvium Ligeris, quam grex B. Martini cum præscripto ROBERTO ex propriis rebus commutavit, & insuper Areas cum Sala, quæ quondam dicebatur Maledicta, quæ modo

propter receptionem S. Martini Domus Dei dicitur, intra muros Turonicæ urbis sitas cum muro & posterula habentes in circuitu a porta Aurelianensi usque ad arenas porticas nonaginta sex dantos, quod ipsis domno HUGONI abbati ad comitatum similiter inter ipsam civitatem porticas nonaginta sex ex parte Ligeris cum ecclesia & muro atque posterula præbendarum, insuper omnium mercedes, quas idem ROBERTUS eorum piissimus abbas fratribus perdonaverat, & ex quibus a nobis, ut perpetua ditione tenere potuissent, præceptum eis acquisierat, & pro nostra mercede conjugisque atque prolis & ipsius ROBERTI, communique omnium qui easdem res tota devotione Deo & S. Martino contulerant, eodem Christi confessori more regio perpetuo mansuras, absque minoratione vel subtractione aliqua, nostræ auctoritatis præceptionem perpetuo roboraremus. Et si monasteria in aliquibus prædictis rebus pro infestatione paganorum vel malignorum hominum construere eisdem fratribus libuerit, aut necesse extiterit, id nostræ largitatis munere concederemus absque inquietudine permanendum, nec cuiquam fidelium nostrorum in mansionibus canonicorum eorumque famulorum, nec intra nec extra castellum absque eorum voluntate manendi licentiam concederemus, etiamsi nostra in eorum monasteriis præsentia adesse potuerit, sicuti nec aliis prædecessoribus nostris regibus id licitum facere fuerit. Insuper etiam idem reverendus & admodum amabilis noster ROBERTUS abbas nostræ serenitatis familiaritatem humiliter supplicando expetiit, ut sicut jam ipsius petitione in alia nostra protectione fratribus firmaveramus, ut quicquid intra castellum circa capellam beati Martini noviter constructum continetur, quicquidque foris in circuitu ipsius castri ex terris antea ditioni sancti Martini per regia præcepta subactis usque ad fluvium Ligeris habetur, totum in nostram communem eleemosynam, juxta quod præfatum Christi antistitem pro nobis cupieramus superhabere interventorem, per hanc interim nostram præceptionem in generales usus fratrum semper habenda confirmaremus, & ut eidem sancto in eodem castro, sicut priscis temporibus, a prædecessoribus nostris regibus concessum fore probatur, propriam monetam & percussuram proprii numismatis nostra auctoritate concederemus, & ut nullus ex eadem ipsorum minister de ipsorum proprio argento moneticam accipiat, & quicquid annuatim exinde exactum fuerit, in usibus fratrum conferatur, & ut res prælibatas omnes, & monasteria cum omnibus aliis rebus ipsis pertinentibus de more regum prædecessorum nostrorum, sub nostræ immunitatis tuitione, ac defensionis munimine recipere dignaremur,

A præcipientes ut in nullis præfatis sancti Martini & fratrum rebus, quæ habent in Austria, Neustria, Burgundia, Aquitania, & Francia, & in ceteris regni nostri * proceribus, Christo annuente, nullus judex publicus ad causas judiciario more audiendas, nec freda, aut tributa quærere, aut mansiones accipere, aut teloneum exigere, aut fidejussores tollere, aut homines distringere, ingredi præsumat; sed sint ad regendum & defendendum in manu abbatum & in præ-

* l. partibus,

B fati gregis decani manu, seniorumque & nobilium & fidelium fratrum ad ordinandum. Hujus saluberrimæ petitioni nobis valde salutiferæ, sibique & omnibus qui easdem res sancto Martino contulerunt profuturæ, ob amorem Dei & reverentiam præfati peculiaris patroni nostri domni Martini, libenter assensum præbere usquequaque collibuit. Quapropter decernimus atque jubemus, ut supradictæ res omnes & villæ, si castello & prædictis terrulis extra positis, atque mone-

C ta, mercede imperatorum & regum atque nostra aliorumque Christi fidelium ad supplementum seu confugium fratrum permaneant cum aliis villis hic non nominatim expressis, sed ipsis pertinentibus etiam pridem stipendiis fratrum & vestimentis, atque alimentis deputatis cum reliquis sancti Martini facultatibus, & abbatiolis atque villis ad proprios usus abbatum suorumque fidelium, exceptis dominicalium rerum nonis & decimis specialiter deputatis, sub nostræ defensionis munimine modis omnibus consistant.

D Super qua re cum prædicti fidelis nostri ROBERTI carissimi quidem nostri precibus, canonici etiam ejusdem S. Martini cum consensu ejusdem proprii abbatis regiam nostram poscebant dignitatem, ut more regio, præceptioni magni CAROLI attavi nostri, atque præceptioni domni LUDOVICI serenissimi imperatoris proavi nostri, atque alterius quidem sapientis CAROLI avi nostri, necnon & genitoris nostri domni LUDOVICI piissimi regis, in hac nostræ præceptio-

E nis pancarta super eorumdem fratrum rebus, pro majori & uberiori firmitate denuo corroborare more regio dignaremur. Quorum etiam consentientes petitionibus pro amore omnipotentis Dei, ut diximus, & reverentia domni Martini, & amore etiam sæpedicti abbatis, in nostra communi omnium eleemosyna hoc nostræ altitudinis præceptum atque auctoritatem fieri jussimus, per quam decernimus, atque præcipimus, ut sicut in præ-

F ceptis & privilegiis tantorum prædecessorum patrum, quæ præ manibus habebant, continetur: ita ab hodierna die in reliquum irrefragabiliter a nobis permaneat statutum cum omnibus villis eorum, stipendiis deputatis. Præcipientes ergo jubemus, atque jubendo præcipimus, ut nullus judex publicus, aut quilibet superioris aut inferioris ordinis

reipublicæ procurator, & sancto Martino omnibus rebus ad causas judiciario more audiendas, in ecclesias, aut villas, vel reliquas possessiones, quas moderno vel priscis temporibus, in quibuslibet provinciis aut territoriis regni nostri sancti Martini basilica juste tenet, vel deinceps in jus ipsius divina pietas augere voluerit, ingredi præsumat; nec freda, aut tributa, aut mansiones, aut paratas, aut teloneum ex ullis negotiis, sicut in præceptis eorum continetur, exigere; aut fidejussores tollere, aut homines tam ingenuos quam servos super terram eorum commanentes distringere; nec ullas publicas functiones, aut redhibitiones vel illicitas occasiones temerarius requirere audeat. Quisquis igitur de prædictis rebus, ex quibuslibet districtis in jus fisci nostri cedendum fuit, & a prædecessoribus nostris sancto Martino collatum comperimus, nostræ largitatis munere libenter volumus esse per immensum eidem sancto Martino sibique famulantibus canonicis concessum, remoto toto fisci dominatu, ut ad sustentationem canonicorum seu pauperum in nostram eleemosynam omnium prælibatorum & subsequentium Christi fidelium sit supplementum. Volumus etiam & præcipimus, ut sicut in præceptis eorumdem fratrum & privilegiis continetur, omnes illis debitæ refectiones ex cellis sancto Martino subjectis, & villis in beneficium datis, id est sanctæ Mariæ quæ dicitur ad Scriniolum, & sancti Andreæ, & S. Columbæ, & S. Martialis Sichrinaci, & S. Johannis, & S. Pauli Cormeriacensis, & Popoleni monasterii, & villæ Arrestiaci, & omnibus quoque sitis aliis cellis census etiam ex omnibus precariis fratribus integerrimæ reddantur & ministrentur, & manseli qui sunt ad Berbezilos cum prato ad Bellum-montem, & pascuis ad pontem Caris instituta fratribus officia compleant. Decimæ quoque dominicalium rerum ex omnibus his rebus, & ex omni abbatia S. Martini hospitali nobilium atque pauperum reddantur. Novæ vero ex prædictis omnibus rebus de dominicatis frugibus, & ex omni sancti Martini abbatia, ut semper recognoscatur, quia illa terra sancti Martini est in generales usus sancti Martini canonicorum, integerrime reddantur, & ministrentur sine ulla diminutione, sicuti privilegia sanctorum Romanorum apostolicorum confirmant atque testantur. Si quis autem in tantam prorumpere ausus fuerit audaciam, ut hujus nostræ auctoritatis & altitudinis præceptum in aliquo violare præsumserit, quemadmodum in ceteris regum & imperatorum antecessorum parentum nostrorum præceptionibus continetur, non solum in offensam nostram successorumque regum nostrorum se noverit lapsurum; verum etiam DC. solidorum auri ad purum excocti se noverit pœna mulctandum, ex quo duas partes etiam ad proprios usus canonicorum, tertiam vero proprius abbas eorum recipiat. Si vero de prædictis rebus per tepiditatem & negligentiam ipsorum abbatum, aut ministrorum, seu etiam per præsumtionem judicum, cupiditatemve malorum hominum aliquid injuste abstractum est, id per hanc nostram auctoritatem ad integrum restaurandum præcipimus: corroborantes hanc denuo pancartam super omnibus ejusdem sancti Martini rebus pro munimine omnium cartarum, quæ aut incendio Normannorum, ut fratres asserebant, vel quolibet modo adustæ vel neglectæ, aut nimia vetustate perditæ sunt. Et ut nostræ præceptionis auctoritas inviolabilem semper obtineat effectum, & a successoribus nostris regibus, a nobis facta certius credatur, & inviolabilis observetur; manu propria eam signavimus, & anuli nostri impressione signari jussimus. Sed pro tanto a nostris fratribus beneficio expectemus, in nostri memoriam in die quo ad regni fastigium ordinati sumus; quæ evenit VI. calendas Februarii, id est nat. sanctæ Agnetis (a) virginis coram sancti Martini sepulchro in eorum sacris orationibus habeant, & hanc cum acciderit in die nostri obitus mittent similiter aut pro Frideruna quondam uxore nostra quæ obiit IV. idus Februarii, fideliter ipso die orent.

Datum V. calendas Julii indictione VII. anno XXVII. regnante CAROLO rege glorioso, redintegrante XXII. largiore vero hereditate indepta VII.

Actum Heristallo palatio regio in Dei nomine feliciter.

SCRIPTUM KAROLI SIMPLICIS regis pro Elnonensi monasterio.

Villam Scalponis ad subveniendum fratrum necessitatibus concedit.

Anno 911. *Ex cartario Elnonensi.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, KAROLUS divina propitiante gratia rex Francorum. Si servorum Dei utilitatibus & necessitatibus sustinendis solatia contulerimus necessaria, & animæ salutem proinde consequi in Dei remuneratione credimus & status regni in pace diutius ac securitate solidius roborabitur. Ideo sit notum omnibus fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ & nostris præsentibus atque futuris, quia adiens nostram cordivolentiam venerabilis abba cœnobii S. confessoris Christi Amandi ROBERTUS, ut quamdam villam quæ dicitur *Scaldpontis* sitam super flumen Scaldim, quæ ex abbatia sua & dominicatu erat, congregationi sancti Amandi deputarem, ad sublevandas necessitates ejusdem congregationis. Cujus peti-

(a) Hoc est octava S. Agnetis, quæ vulgo dicitur festivitas S. Agnetis secundo.

tionem libenter suscipientes, devotis monachis beati Amandi ad eorum usus speciales concedimus eamdem villam Scalpontem, cum omnibus suis appenditiis legitimis, in terris, pratis, pascuis, silvis, aquis, mancipiis utriusque sexus, terminationibus justis, mobilibus & immobilibus rebus. Hoc praeceptum, ut per omnia annorum curricula continuationis obtineat vigorem, manu firmantes propria, anulo nostro illud sigillari praecipimus.

Signum KAROLI regis gloriosi.

GAUZLINUS notarius vice RODGERI archiepiscopi recognovit.

Datum III. idus Junii mensis, indictione nona anno XXVIIII. rege glorioso KAROLO regnante, redintegrante XXIV. largiore vero hereditate indepta X.

Actum Attiniaco palatio fideliter.

PRIVILEGIUM RODULFI REGIS Francorum pro monasterio Elnonensi.

Ad precem Rogerii comitis & abbatis quaedam praedia concedit ad sublevandam monachorum inopiam.

Anno 925. *Ex cartario Elnonensi.*

IN nomine sanctae & individuae Trinitatis RODULFUS superna regente pietate rex. Cum necessitatibus sanctorum & servorum Dei secundum divinum praeceptum communicamus, & ad sublevandam eorum indigentiam vel aliquid largimur, vel in melius instauramus, Deum profecto inde magis benivolum adjutorem in nostris opportunitatibus invitamus, & ipsos paratiores oratores pro nobis apud ipsum credimus quos conciliamus. Idcirco omnium sanctae Dei ecclesiae fidelium, nostrorumque tam praesentium quam & futurorum comperiat prudens solertia, quod accedens ad nostrae regiae scilicit dignitatis praeminentiam devotus fidelis noster ROTGERUS comes atque memorandus abbas Elnonis monasterii coenobiique eximii praesulis ac confessoris Christi Amandi, suppliciter depoposcit, quatinus ex rebus ejusdem praefatae abbatiae, cui ipse Dei clementia nostroque etiam favore principari dinoscitur, monachis inibi, hoc est in praedicto monasterio Deo & sancto Amando ancillantibus ad refocillandam eorum indigentiam aliquid, hoc est in villa Judinio, quae sita esse videtur in comitatu Austrobatinse, juxta Scaldum fluvium IIII. mansos, & in pago Tornacense in villa cui vocabulum est Antunio similiter mansos IIII. Itemque in eodem pago, sed in alia villa, quae dicitur *Guislimum*, mansos aeque quatuor, pro intuitu divinae remunerationis nostra munificentia delegare. Insuper & praecepti scripto nostrae auctoritatis easdem praedictas res confirmare illis in perpetuum jure hereditario dignaremur. Cujus salutiferis immo animae nostrae profectuosis petitionibus voluntarie aurem nostri culminis adcommodavimus, atque ob irreprehensibilem ipsius praefati comitis nobisque dilecti ROGERII erga nos fidelitatem, tumque etiam ut eosdem Dei viros, praefatos videlicet monachos, jugiter delectet orare pro nostra salute, necnon & stabilimento regni nostri hoc nostrae auctoritatis praeceptum fieri illisque dari jussimus, per quod sancimus & decernimus, ut easdem praescriptas res, sicut & alias jam olim sibi per antecessorum nostrorum, priorum videlicet regum praecepta contraditas & confirmatas eodem rationis tenore, cum omnibus juste & legaliter ad se pertinentibus sive respicientibus; hoc est pascuis, pratis, territoriis, aliisque terris cultis & incultis, campis, egressibus & regressibus, omnibusque legitimis terminationibus, vel si quid est aliud quod ad easdem praememoratas res legibus videatur attinere; totum & ad integrum praedicti fratres, monachi videlicet beati Amandi usu fructuario & jure hereditario ab hodie & deinceps per omne tempus habeant, teneant atque inviolabili jure possideant. Et quicquid inde facere voluerint liberrima in omnibus utantur potestate, nemine umquam vel de his quae impraesentiarum conferimus, vel de aliis quibuscumque donativis quae antecessores nostri reges vel imperatores praeceptali ordine visi sunt illis contulisse inquietante, Deo autem semper & ubique eos protegente.

Utque hoc praeceptum firmum per saecula duret,
Et credant homines cuncti per tempora mundi,
Subsignante manu propria firmatio paret,
Atque anulus nostrum pinxit suppressus agalma.

Signum RODULFI regis gloriosi.

RACENARDUS notarius ad vicem ABBONIS episcopi recognovit & subscripsit.

Datum VIII. idus Aprilis indictione XIII. anno II. regnante RODULFO gloriosissimo rege.

Actum Lauduno castro publico in Dei nomine feliciter. Amen.

PERMUTATIO FACTA inter nobiles viros Franconem, Norpoldum & Hubertum & monachos S. Maximini ad faciendam munitionem adversus impressiones Agarenorum.

Anno 926. *Ex cartario Trevirensi S. Maximini.*

CUNCTIS etenim in catholica ecclesia Salvatoris sequentibus instituta decretum est, caritatem auctoris prae omnibus & super omnia praeponere; fratri autem ut sibimet, in omnibus caritatis fervore deservire, & his bonis legalia praeceptis & prophetica implesse documenta. Anno autem DCCCCXXVI. auctoritatis Domini nostri JESU

Christi secundum humanam fragilitatem A depopulantibus Agarenis pæne totum regnum Belgicæ Galliæ, studuit unusquisque diligenter tuta loca perquirere, ubi aliquid firmitatis fieri potuisset contra prædictorum insidias perfidorum. Invento igitur quodam castro a Francone videlicet & Nortpoldo Humbertoque super ripam fluminis qui dicitur Cyra, vallatus undique præcisis rupibus, de hereditate S. Maximini Trevericæ urbis episcopi, cujus glima (a) oratorium (b) S. Johannis in sinistro latere prædictæ urbis fulgentibus decorat miraculis; & pertinet ad ministerium custodis supradi- B cti loci, quod sibi concambiare suas e contra duplice dando obnixe flagitabant instabiles hereditates cum mansis finitivis VI. & jugeribus VIII. hocque eis benivolenter concessimus ac tradidimus propter memoratas fratrum dilectiones, cum jussu ac deprecatione senioris nostri Giselberti comitis & abbatis, & voluntate cunctorum cœnobitarum memorati patroni, ut dictum est, injustum cambium. Et ista sunt loca quæ de parte eorum e contra nobis in æternum possidenda traduntur. De parte Franconis & Humberti mansos V. & jugera IIII. in C villa quæ dicitur Brola & arale unum in villa quæ dicitur Cardonis, cum suis appendiciis. De parte autem Nortpoldi mansos & jugera totidem in loco qui dicitur *Beregon*, & hoc firmiter actum, & funditus traditum utraque regione & stitipulatione subnixa. Si quis vero quod fieri non credimus, hoc concambium irritare tentaverit, non careat iræ Dei sanctorumque ejus; & persolvat ad ærarium regis auri libras V. & argenti pondera XX. &, ut statutum est, cum verecundia amittat. Actum est hoc comcam- D bium Trevirim in cœnobio memorati antistitis, adstante plebe & advocato Volmaro, cui Vormaciæ in publico mallo ab Henrico rege ministerium advocationis traditum est, cum testibus subscriptis. S. Giselberti comitis, qui hoc concambium fieri jussit. Sig. Bodonis præpositi, sig. Motarii, sig. Rotberti, sig. Wigerici, sig. Tietmari, sig. Bonefacii, sig. Gaganhardi, sig. Godeberti, sig. Asolfi, sig. Heriberti, sig. Nantelini, sig. Franconis, sig. Ravingeri, sig. Gerardi, sig. Ruodacri, sig. Suidulfi, sig. Everelini, sig. Sigibodonis, sig. Folerici, sig. E Bettonis, sig. Popponis, sig. Gozberti, sig. Stephani, sig. Rotfridi, sig. Gerochi. Anno incarnationis Domini supradicto indict.* IIII. regnante Henrico rege. Ego Vogo in vicem cancellarii cum jussu domni Bodonis præpositi scripsi & subcripsi.

[a] [b] (margin)

*I. XIIII.

(a) An gleba? glossæ veteres, glis gliris terra tenax. An inde glima? an zima vel berma corpus vel sepulchrum.

(b) Quippe ecclesia S. Maximini primarium patronum agnoscit S. Johannem evangelistam.

COMMUTATIO FACTA inter Giselbertum comitem cum congregatione S. Maximini & nobiles viros Nortpoldum, Franconem & Humbertum ad faciendam munitionem.

Anno 926. Ex cartario S. Maximini Trevirensis.

Inter quos caritas illibata consistit, pars parti congrua sibi beneficia impertiri non denegat; quia nihil ibi minus cernitur, ubi similis qualitatis & quantitatis æqua portio recompensatur. Ideoque placuit atque convenit inter Giselbertum illustrissimum comitem cum congregatione monachorum in monasterio S. Maximini Deo famulante, & quosdam nobiles viros; Nortpoldum scilicet & Franconem & Humbertum, ut quasdam res pro ambarum partium opportunitate inter se commutarent. Dederunt itaque præfati viri legali traditione ad partem S. Maximini, ad custodiam scilicet de rebus suæ proprietatis, Franco videlicet mansos V. & insuper IIII. jugera in comitatu Magnacense, in loco qui dicitur Brula, & in Cardone arales III. cum eorum appenditiis. Nortpoldus vero similiter mansos quinque cum jugeribus IIII. in comitatu *Nachgovve* in loco vocabulo *Beregon* jacentes. Acceperunt autem e contra de rebus almi Maximini montem & rupem quamdam munitioni faciendæ aptam, super ripam fluminis sitam, quod dicitur Cyra, cum mansis V. & jugeribus IIII. in circuitu ejusdem montis jacentibus, ea nimirum ratione, ut utraque pars quod accepit, habeat, teneat, & absque recompensatione & calumnia in perpetuum possideat, & quod exinde agere decreverit, liberam in omnibus habeat potestatem cum stipulatione subnixa. Si quis autem contra hanc commutationem insurgere repertus fuerit ausus, legalibus subjaceat institutis. Acta in civitate Treverensi in monasterio memorati patroni III. cal. Januarii, adstantibus viris nobilibus clericis & laicis, quorum ista sunt nomina, sig. Giselberti comitis, qui hoc concambium legaliter fieri jussit. Sig. Bodonis præpositi S. Motarii canc. Volmari advocati, cui Wormaciæ in publico mallo officium advocationis traditum est ab Henrico rege. Sig. Rotperti, sig. wigerici, sig. Thietmari, sig. Bonefacii, sig. Gagenhardi, sig. Gudeberti, sig. Adulfi, sig. Herivardi, sig. Heriberti, sig. Nantelini, sig. Engelrici, sig. Reginarii, sig. Franconis, sig. Ravingeri, sig. Gerardi, sig. Herardi, sig. Ruodacri, sig. Sucidulfi, sig. Everelmi, sig. Sigibodonis, sig. Folerici, sig. Bettonis, sig. Popponis, sig. Gosberti, sig. Stephani, sig. Rotfridi, sig. Gerochi, anno incarnationis Domini DCCCCXXVI. & præsidente in cathedra supradictæ civitatis Rotgero venerabili metropolitano, indictione * IIII. regnante Henrico rege. *I. XIIII.

DIPLOMA FOLCKMARI ABBATIS Corbeiensis

De fundatione monasterii Vvestergronigen Sitridio comite.

Anno 936. Corb. nova. Ex ms. hist.

IN nomine Dei omnipotentis, FOLKMARUS novæ Corbeiæ indignus abbas, omnisque congregatio inibi Deo serviens, omnibus sanctæ matris ecclesiæ filiis salutem. Quia statuta sæpe majorum turba pravorum, & juste possessa aliquando injuste putantur acquisita. Idcirco unanimitati vestræ notum fieri volumus, qualiter quidam comes SITRIDIUS nomine, ob spem retributionis æternæ tradidit hereditatem suam ad nostrum monasterium in pago Hardgo, in loco cui vocabulum *Vvestergronigen* sito, juxta fluvium *Bade*, hoc est ecclesiam ipsam cum clericis, quos ibi proprios habuit, & quicquid in australi parte ecclesiæ intra urbem est, & quicquid extra urbem hereditatis possidet in agris, pratis, pascuis cultis & incultis, aquis, aquarum decursibus, pro rege gloriosissimo videlicet HENRICO, cum serena MACHTILDA & regia prole OTTONE, HENRICO, BRUN, GERBERT, HATHUWIN, necnon & pro seipso, una cum conjuge & pro omnibus suis debitoribus: ea ratione, si fieri posset, ut eum juvaremus (ad) monasterium inibi construendum, & ut duobus monachis de nostra congregatione ipsum locum perpetuo commendaremus, quod & fecimus in præsenti. Insuper & alios & quatuor clericos cum eis direximus. Hæc traditio facta est præsente Deo coram altari sacratissimorum Christi martyrum Stephani prothomartyris & Viti, nostra astante parvitate, simulque advocato Hotgero, cum aliis testibus Luidbrando, Aged, Thiatmaro, Heodwardo. Actum autem novæ Corbeiæ, anno Incarnationis DCCCC XXXVI. VII. calendas Junii, id est postridie Urbani indictione IX.

PRÆCEPTUM OTTONIS imperatoris pro monasterio Corbeiæ novæ.

Concedit Folkmaro abbati & ejus successoribus jus banni.

Ex eodem ms.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. OTTO divina favente clementia rex. Si petitionibus quæ pro utilitatibus sanctorum nobis suggeruntur locorum, adsensum præbuerimus, non solum regium morem decenter implemus, sed eosdem qui precantur ad servitium nostrum promtiores efficimus, & quod maximum nobis prodesse proficuumque manere optamus, ad æternæ remunerationis emolumentum excrescere liquido credimus. Idcirco noverit omnium fidelium A nostrorum præsentium & futurorum solertia, quomodo nos ob amorem Dei & animæ nostræ debitorumque nostrorum remedium, necnon & interventu conjugis nostræ dilectæ, concessimus ut omnes abbates, qui super monachos in nova Corbeia Deo sanctoque Stephano protomartyri & Vito famulantes constituentur, & nunc qui eis præest FOLCKMARUS abbas bannum habeant super homines qui ad præfatum cœnobium & ad civitatem circa illud constructam debent confugere, & in ea operari, hoc est in pago B Auga in comitatu Rethardi, & in pago Netga in comitatu Dendi & Hamponis, & in pago Huctigo in comitatu Herimanni, nullus horum aut aliqua judiciaria potestas super præfatos homines potestatem ullius banni, quæ *Burgban* vocant, nisi ipsius monasterii abba, & cui ipse vult committere, quod scripto corroboravimus, manu nostra signavimus, & anulo nostro sigillari jussimus.

Signum domni OTTONIS serenissimi regis.

C PRIVILEGIUM LUDOVICI Ultramarini Francorum regis pro monasterio Elnonensi.

Ad petitionem Rogerii sui fidelis quædam ei prædia donat & confirmat.

Anno 937. Ex cartario Elnonensi.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. LUDOVICUS divina propitiante clementia Francorum rex. Quicquid pro Dei amore sanctorumque reverentia agimus, profuturum nobis ad præsentis vitæ curricula felicius transigenda, & ad futuræ beatitudinis præmia facilius obtinenda non dubitamus. Com- D periat igitur omnium fidelium sanctæ Dei ecclesiæ nostrorumque præsentium ac futurorum solertia, quia fidelis noster ROGERUS ad nostram accedens clementiam postulavit, ut quasdam res suæ abbatiæ S. Amandi egregii confessoris Christi in comitatu Pabulo, in cella quæ antiquitus Gonsiniacas est dicta, & habetur ibi ecclesia in honore S. Dionysii constructa, terram quæ infra septa ejusdem loci circumjacentem simul cum pratis ibidem juste pertinentibus, silvam etiam quæ Blangiacas nominatur, ad eumdem locum per- E tinentem, monachis in prædicto monasterio beati Amandi Deo militantibus perpetim habendas & ecclesiastico jure possidendas largiremur, & largiendo nostræ auctoritatis præcepto confirmaremus. Cujus salutiferis animæque nostræ proficuis postulationibus ob Dei sanctique Amandi egregii confessoris amorem & honorem, assensum præbentes, hoc altitudinis nostræ præceptum fieri illisque dari jussimus, per quod præfatas res cum domibus, ædificiis, curtiferis, viridariis, ortis, terris, cultis & incultis, silvis, pratis, pascuis, aquis, aquarumque decursibus, exitibus & reditibus, atque omnibus

illic conjacentibus, & ad eumdem locum A juste pertinentibus, eisdem monachis perpetim pleniterque habendas largimur, largientesque confirmamus. Et sicut prædecessores nostri imperatores atque reges eis de ceteris rebus fecerunt, ita & per hanc auctoritatem nobis agere & confirmare placuit. Præcipimus igitur ac jubemus, ut nullus ejusdem monasterii abbas, vel quilibet fidelium sanctæ Dei ecclesiæ in rebus supra nominatis, seu omnibus ad monachos ejusdem loci pertinentibus ullam inquietudinem, aut refragationem, vel præjudicium, B sive violentiam facere tentet; sed potius sine ulla subreptione, aut subtractione, vel diminoratione atque divisione liceat eas eisdem congregationi cum omni integritate inviolabiliter absque ulla calumnia & contradictione secure ac perpetualiter habere, possidere, & frui, nec quælibet humana potestas sine sui periculo discriminis possit eas in alias partes convertere vel retorquere, sed omnibus ad se juste & legaliter pertinentibus, tam a nobis, quamque a prædecessoribus nostris sibi collatis sive commu- C tatis, & ad se jure aspicientibus sub regalis tuitionis atque immunitatis defensione, remota abbatis sive totius judiciariæ potestatis inquietudine, quieto ordine teneant. Scilicet ut perpetuo tempore eis & successoribus suis hoc ad peragendum Dei servitium augmentum & supplementum fiat, quatinus ejusdem loci devotæ Deo congregationi pro nobis ac totius regni stabilitate & pace Dominum propensius exorare delectet. D Et ut hoc auctoritatis nostræ præceptum per futura tempora inviolabilem obtineat firmitatem, manu propria subterfirmavimus, & anuli nostri impressione signari jussimus.

Signum HLODUWICI gloriosissimi regis.

GERARDUS notarius ad vicem ARTOLDI archiepiscopi summique cancellarii recognovit.

Datum sub die XII. cal. Septembris, indictione * VIII. anno II. regnante Hloduwico glorioso rege. (*l. x.)

Actum monasterio S. Audomari, in Dei E nomine feliciter. Amen.

PRÆCEPTUM OTTONIS I. imperatoris.

Ad petitionem ducis Conradi quædam prædia concedit Franconi fideli suo.

(Anno 945. *Ex ms. S. Maximini.*)

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. OTTO Dei gratia rex. Notum sit omnibus F præsentibus, necnon & postfuturis, qualiter nos per interventum dilecti ducis nostri CUONRADI, cuidam fideli nostro FRANCO nominato, in forasto nostro Lutara dicto, VI. regales mansos inter *Basinbahe & Richenbache* cum tribus feminis Volinza, Umma, Meginza nuncupatis & illarum filiis unoque servo Manno dicto, in pago *Hahgovve* nominato, in comitatu Cuonradi, in proprium donavimus, cum omnibus illuc pertinentibus, agris, pratis, pascuis, silvis, aquis, aquarumque decursibus, molendinis, piscationibus, exitibus & reditibus, quæsitis & inquirendis. Jussimusque hoc præceptum inde conscribi, per quod volumus quatenus prædictus Franco de ipsa proprietate securam habeat potestatem habendi, donandi, vendendi, commutandi, & quidquid sibi libuerit inde faciendi. Et ut hoc nostræ concessionis præceptum firmiter permaneat, manu nostra subtus firmavimus, anuloque nostro insigniri jussimus.

Signum domni OTTONIS serenissimi regis.

BRUNO cancellarius ad vicem FRIDURICI archiepiscopi recognovi.

Acta XVI. cal. Jan. anno Incarnationis Domini DCCCXLV. indictione II. anno domni Ottonis X. Actum *Tancburg*.

CARTA ROBERTI COMITIS.

De dono quod fecit Vvalciodorensi monasterio.

(Anno 946. *Communicavit R. abbas Valciodorensis.*)

DUM fragilitati humanæ naturæ varii casus accidunt, & unusquisque finem vitæ suæ ignoret, ita agere debet quasi omni hora se cogitet hinc transiturum, ne interveniente negligentia circa finem imparatus inventus sine aliquo boni operis respectu de sæculo migret, nisi dum in sua potestate consistit, præparet sibi viam salutis, per quam valeat pervenire ad præmium æternæ beatitudinis. Idcirco ego ROTBERTUS gratia Dei favente comes, cogitans de Dei timore atque ejus amore, quasdam res de portione hereditat *....... d partem sanctæ Dei genitricis Mariæ tali tradidi jure. (* tis meæ ad.) Inveni namque quoddam monasterium in comitatu * me .... odorum nomine, (* meo Valciodorum.) dicatum in honore præfatæ matris Domini in pago Lomacinse. In quo almificus confessor Christi * Elo........... sat corpore, ubi multorum sanctorum conditæ noscuntur reliquiæ, (* Eloquius pausat.) cuique præesse venerabilis abbas FORONDANUS * di...... r ac prodesse, olim a sua pro Deo exulans patria, (* Dinoscitur.) cum non pauca Scottigena atque Francigena, quam ipse in Christi famulatu educavit monachorum sub regula almi patris BENEDICTI degentium turmula. Quam ob rem tradidi per hanc donationis cartam, sive per festucam, ac per (a) andelangum, pro remedio animæ meæ & uxoris, filiorumque atque parentum meorum, & pro æterna re- [a]

(a) Andelangus fustem seu baculum longiorem interpretatur Cangius, qui etiam alias valde incertas hujus vocis explicationes refert.

tributione, ad præfatum locum quamdam villam *Melin* nomine, ab ipso cœnobio fere duobus millibus distantem, in eodem pago Lomacinse sitam, ad quam v. pertinent mansi cum omnibus domibus, ædificiis, campis, pratis, silvis, arabilibus terris, atque una camba, mancipiis, quorum primi, per quem sæpe dictam sanctæ MARIÆ dono perpetuo tradidi villam, hic scribi percepi nomen, qui Genhardus vocatur, cum uxore, filiis, ac filiabus, atque omnibus ibi commanentibus & aspicientibus utriusque sexus, necnon omnibus rebus quas repperire & exquirere potui, quæ ad eamdem villam pertinent, vel quæ usque ad hanc diem quoquo modo ibidem acquisivi. Ut autem hoc traditionis atque eleemosynæ donum ad usus servorum Dei sub regula beati Benedicti doctoris monachorum egregii viventium firmum ac inconvulsum permaneat, manu propria cum impressione signi præsentem cartam roboravi, atque signo fidelium meorum firmari præcepi.

Actum Namuco publice sub die IIII. non. Junii, anno ab Incarnatione Domini nostri JESU CHRISTI DCCCCXLVI. & regni serenissimi regis OTTONIS XI. indictione IIII. † Signum ROBERTI comitis qui hanc traditionem fir......... mari præcepit. † JOHANNIS vice-comitis. † Cilheri presbyteri. † Willei. † Rotberti. † Huboldi. † Rainouvardi. † Boson... † Alcheri. † Adelelmi. † Radulfi † Immonis. † Item Immonis. † Grimoldi. † Warneri. † Wigirici.

Ego Kodradus cancellarius scripsi.

CARTA EILBERTI COMITIS de translatione corporis S. Eloquii in Valciodorense monasterium, deque donis quibusdam eidem monasterio factis.

Anno 946. Communicavit R. abbas Valciodorensis.

IN nomine Dei summi. Ego comes EILBERTUS notum facio omnibus scire cupientibus ea quæ per memetipsum tradita sunt beatæ Mariæ in ecclesia Walciodorensi, & sancto (a) Eloquio, & alia multa quæ data fuerunt a nobilibus viris: scilicet a WIDRICO DE FALEMANNIA, & THEODERICO DE LEMBRIN cognomento *Baal*; octavo idus Octobris, die translationis ejusdem confessoris Christi. Veniens namque vir sanctissimus Eloquius in villa quæ vocatur *Lembrim* cum populorum turbis se sequentibus, ibi honorifice est receptus a WIDRICO de Falemannia, & a populo circiter a quatuor milliaribus a Florinis, & ab omni parte circumquaque circumfluentibus. Quem cum de loco illo asportare conarentur, non potuerunt movere feretrum; donec THEODERICUS dominus ejusdem loci, in eodem vico ipsi tradidit nobis præsentibus, mansum unum. Et sic cum gaudio magno ipsum levaverunt, & ad locum a Deo præfinitum detulerunt, ubi cum maximo tripudio clarescentibus plurimis virtutibus, a venerando ac sanctissimo episcopo & abbate FORANNANO, & a me peccatore gloriose est locatus. In eadem die ibi coram me WIDRICUS vir nobilissimus de Falemannia sic est episcopum Forannanum adlocutus: Vir sanctissime, quoniam per hunc sanctum virum Eloquium, ut video virtutes multæ sunt divinitus operatæ; volo in honore ipsius huic loco honorificentiam pro remissione peccatorum meorum impendere. Idcirco trado ei coram te & coram comite EILBERTO de allodio meo Falemannia, quem teneo jure paterno, singulis annis de unaquaque domo dimidiam ceræ, vel dimidium denarium, quæ die ac nocte ardeat in conspectu sanctorum in hoc loco quiescentium, & præcipio genti meæ, sicut possum facere, ut unusquisque & unaquæque, sicut conveniunt ad missam præcipuis diebus in Falemannia; sic semel in anno ad beatæ Mariæ, & sancti Eloquii conveniant merita: post hæc ego comes EILBERTUS propius accessi, & gladium quem causa justitiæ portabam, super venerabile corpus posui, eique advocationem & providentiam totius abbatiæ tradidi, & sic ad populum conversus, Florinenses mihi prope astantes advocavi, eosque velut ipsi rogaverant, beatæ MARIÆ & sancto confessori liberaliter tradidi, ea scilicet conditione, ut ex singulis domibus de toto banno Florinensi pro me, & pro seipsis, ut ab adversitatibus liberemur sæculi, ad luminaria monasterii detinenda per annos singulos dimidius denarius, vel dimidia ceræ per manus singulorum afferatur in die translationis prædicti confessoris, & unusquisque vir vel mulier, postquam ad quintumdecimum annum pervenerint ætatis, semel in anno in die jam dicta, ad facienda tecta monasterii afferant virgam ferream ad mensuram unius cubiti. Postquam ista & alia peregi; beatus FORANNANUS episcopus & abbas ad altare accessit, & sacrosancta mysteria sacratissimæ missæ complevit. Deinde versus ad plebem, ista omnia replicavit, & ad finem deveniens, auctoritate Dei Patris, & Filii, & Spiritus sancti, & sub anathemate, ut ipse potestatem ab Apostolico acceperat, interdixit ne quis hanc traditionem & confirmationem præsumat violare, vel auferre monasterio Walciodorensi. Et si quis hoc apostolicum præceptum transgressus fuerit, maledictus sit in omnibus locis; sic ut nec memoria ejus sit in die judicii: sed sit deputatus in inferno cum impiis.

Actum Walciodori octava idus Octobris anno ab Incarnatione Domini nongentesimo quadragesimo sexto, indictione quinta, anno undecimo imperii OTTONIS augusti Henrici

(a) S. Eloquius fuit S. Fursei discipulus, uti & S. Mumbolus, qui post eum abbates Latiniacenses extiterunt.

Henrici imperatoris filii. Testes harum rerum sunt, domnus FORANNANUS episcopus & abbas, comes EILBERTUS, WICERUS comes frater ejus, Boso comes, Ergundus de Ercheneils, Widricus de Falemannia, Theodericus *Boeals*.

PRÆCEPTUM DOMNI OTTHONIS regis pro Prumiensi monasterio.

Ingramno abbati Prumiensi confirmat Suestrensem abbatiam.

Anno 948. *Ex cartario Prumiensi.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. OTTO divina auxiliante clementia rex. Si utilitates sanctæ Dei ecclesiæ, commoda, & justa procuramus, ea nobis in æterna beatitudine retribuenda confidimus. Qua de re omnibus sanctæ Dei ecclesiæ fidelibus notum esse cupimus, quia quidam fidelium nostrorum nomine INGRAMNUS, abbas monasterii quod vocatur Prumia, obtulit nostris obtutibus quædam præcepta, scilicet ARNOLFI quondam serenissimi regis, & ZUENTIBOLDI ipsius filii, necnon præceptum regis KAROLI, in quibus continebatur, qualiter abbatia quæ vocatur Suestera ad monasterium quod vocatur Prumia regali auctoritate tradiderunt, & præceptis regalibus firmaverunt. Quapropter pro Dei amore nostræque animæ absolutione cupientes eamdem confirmare abbatiam, habito generali placito apud Niumagam, in conventu totius populi tam episcoporum quam comitum & procerum ac judicum diversarum potestatum, omniumque conventu nobilium, cunctorum fidelium nostrorum, quorum nomina hæc sunt: ROTBERTUS (*a*) archiepiscopus, WICFRIDUS (*b*) archiepiscopus, BALDRICUS (*c*) episcopus, ADELBERTUS episcopus, DUDO (*d*) episcopus, FARABERTUS (*e*) episcopus; CUONRADUS dux, HERIMANNUS dux, HEZZO comes, GODEFRIDUS comes, RUODULFUS comes, REGINHERUS comes & ceterorum; generali judicio decretum est, determinatum est præfatam abbatiam majus juste & legaliter juri monasterii Prumiensis competere, quam ulli alii hominum. Quorum judicio nos gratantissime assensum præbentes, hoc nostræ [* l. hanc.] auctoritatis notitiam fieri jussimus, per quam omnibus tam præsentibus quam futuris sanctæ Dei ecclesiæ fidelibus & nostris notum esse cupimus, nos eamdem abbatiam pro amore Dei sanctorumque omnium, pro eleemosyna nostri omniumque prædecessorum nostrorum, necnon & eorum quorum collatione priori traditione collata sunt, præfato Prumiæ monasterio per * hæc nostræ [* l. hanc.] auctoritatis notitiam tradimus atque transfundimus, ea videlicet ratione, ut deinceps omni tempore prælibatam abbatiam secure cum omnibus ad se pertinentibus rectores sæpefati monasterii habeant, teneant, atque possideant, & quidquid ad utilitatem jam dicti loci fratrumque inibi habitantium facere disposuerint, liberam in omnibus habeant facultatem, nemine inquietante, & nulli umquam homini abbas INGRAMNUS qui hodie est, tradere in beneficium habeat potestatem, nec ullus de successoribus ejus, nec episcopo, nec comiti, nec alicui, ut prædiximus, homini, nisi tantum aliquem delectet deservire erga sanctum locum, hoc tantum permittimus, & fieri concedimus. Et ut hæc nostræ auctoritatis notitia inviolabilem & inconcussam in omnibus obtineat firmitatem, & ut ab omnibus verius credatur, diligentiusque conservetur, de anulo palatii nostri eam subter jussimus sigillari.

Signum domni OTTONIS invictissimi regis.

BRUN cancellarius ad vicem RUODBERTI archicapellani recognovi.

Data kalendas Junii, anno Domini DCCCCXLVIII. indictione VII. regnante pio rege Ottone anno XIIII.

Actum Nimaga, in Domino feliciter. Amen.

DIPLOMA OTHONIS imperatoris I. pro monasterio Indensi.

Confirmat antiqua illius privilegia.

Anno 949. *Ex ms. D. de Louvrex*

IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri JESU CHRISTI, OTHO divina clementia rex. Cum locis divino cultui mancipatis ob amorem Dei opem congruam ferimus, & imperialem morem decenter implemus, id nobis profuturum ad æterna remunerationis præmia capessenda veraciter credimus. Quapropter noverit omnium fidelium nostrorum præsentium necnon & futurorum industria, qualiter dilectus germanus noster BRUN nomine, BERCHATOLDUS Indensis monasterii venerabilis abbas, nostram adierunt postulantes regalitatem, ut privilegia quæ antecessores nostri reges ad monasterium, quod est in honore Domini & Salvatoris nostri JESU CHRISTI super fluvium Inda constructum, ubi præfatus venerabilis abbas BERCHATOLDUS præesse dignoscitur, donaverunt, ea videlicet nostræ auctoritatis munimine renovaremus. Eorum vero petitiones benigno animo suscipientes jussimus inde hoc præsens præceptum conscribi, per quod volumus firmiterque jubemus, ut nullus judex publicus superioris aut inferioris ordinis reipublicæ procurator ad

(*a*) Trevirensis qui etiam Ottonis fuit archicapellanus.
(*b*) Coloniensis.
(*c*) Trajecti ad Rhenum.
(*d*) Paterbornensis.
(*e*) Leodiensis.

causas judiciario more audiendas, in cellulas, ecclesias aut villas, seu reliquas possessiones, quas moderno tempore in quibuslibet provinciis aut territoriis imperii nostri possidet, vel deinceps in jure ipsius monasterii divina pietas voluerit augeri, ingredi præsumat, nec freda, aut tributa, vel mansiones, aut paratas, aut theloneum, ripaticum, postaticum, pontaticum, salutaticum, rotaticum, pulveraticum, trabaticum, aut fidejussores tollere, aut homines tam ingenuos quam servos super terram ipsius monasterii commanentes distringere, nec ullas publicas functiones, aut redhibitiones, vel illicitas occasiones requirere, quibus in aliquo idem monasterium sibique subjecti aliquod injuste patiantur incommodum, nostris futurisque temporibus quisquam temerarius existat, qui ad id faciendum illicitam sibi potestatem attribuere audeat: Sed liceat memorato abbati suisque successoribus omnes res prædicti monasterii sub immunitatis nostræ defensione quieto ordine possidere, & quicquid de rebus prænotati monasterii fiscus sperare poterat, totum nos pro æterna remuneratione prædicto concedimus monasterio, sicut & prædecessores nostri, ut perennibus temporibus in alimonia pauperum & ad stipendia monachorum ibidem Deo famulantium proficiat in augmentis, quatenus ipsos servos Dei, qui ibidem Deo famulantur, pro nobis proleque nostra & stabilitate regni nostri a Deo nobis collati, ejusque misericordia per immensam conservandi jugiter misericordiam exorare delectent. Et ut hæc auctoritas nostris futurisque temporibus Domino protegente valeat inconvulsa manere, manu propria nostra subterfirmavimus, anuloque nostro corroborari præcipimus.

Signum domni OTHONIS invictissimi regis.

BRUNO cancellarius ad vicem RODBERTI archicapellani recognovi.

Data VI. nonas Maii, anno Domini DCCCCXLVIIII. indictione VII. regnante pio rege OTHONE anno XIII.

Actum Aquisgrani palatio, in Domino feliciter. Amen.

DIPLOMA OTTONIS I. imperatoris pro S. Maximino.

Reddit monasterio S. Maximini ablatas ecclesias.

Anno 950. *Ex cartario Trevirensi S. Maximini.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. OTTO divina largiente clementia rex. Noverit omnium fidelium nostrorum, præsentium scilicet ac futurorum industria, quod nos admoniti in primis Dei amore omnipotentis, deinde quoque interventu fidelium nostrorum BRUNONIS germani nostri

A HEINRICI etiam æque nostri germani, sed & CHUONRADI ducis reddidimus cœnobitis S. Maximini totius abbatiæ ejusdem confessoris Christi ecclesias cum decimis, dote, dotalibusque mancipiis ad ipsas pertinentibus, quatinus prædicti fratres talibus nostræ pietatis adjuti solatiis liberius Deo servire, & pro nostra nostrorumque incolomitate, regi regum valeant supplicare. Et ut hoc nostræ largitatis munus per succedentia tempora maneat inconcussum, istud fieri jussimus conscriptum regio statuentes decreto, B ut nullus successorum nostrorum præfatis monachis inde aliquid abstrahere præsumat, nec ab his subtrahi permittat, qui beneficia ex eadem prædicta teneant abbatia. Quod nostræ auctoritatis præceptum propria manu roboravimus, anulique nostri impressione insigniri jussimus.

Signum domni OTTONIS serenissimi regis.

BRUN cancellarius ad vicem RUODBERTI archicapellani recognovi.

Data III. calendas Martii, anno Incarnationis Domini nostri JESU CHRISTI DCCCCL. indictione VII. anno vero Ottonis C serenissimi regis XIIII.

Actum Nemetensi civitate, in Dei nomine feliciter. Amen.

CARTA CONRADI REGIS Provinciæ.

Carlutto concedit curtem de Tresia.

Anno 951. *Ex archivis S. Victoris eruit D. Furnerius.*

IN nomine sanctæ Trinitatis, CHUONRADUS gratia Dei rex....... justis postulationibus perspectum est, illi impendere cu- D remus, quoniam quidem notum sit omnibus nostris fidelibus qualiter quidam homo nomine Carluttus petiit regiam magnitudinem nostram, petens nos, ut quasdam res illi concederemus, quod & facimus. Hoc est in curte de Tresia, quæ est pertinens ex comitatu Marsiliacense, & jacet in comitatu Aquense, cum omnibus appendiciis qui inibi pertinent de comitatu Marsilia cum turre...... de nostro jure & potestate in illius tradimus dominatione quicquid hagere voluerit..... & abet hos terminos di- E nominatos, de uno latus usque in loco que vocant Untinos. & usque in Paleria, ita & in monte Bagde usque in flumen Belone & de..... usque in valle Restones, item in monte Bed..... præceptum...... observetur & a nullo umquam..... tur, manu nostra firmavimus.

Signum domni CHUONRADI regis.

ad vicem AMONIS episcopi recognovi.

Data XV. calendas Septembris, anno regnante domno CHUONRADO rege XIIII. feliciter. Amen.

PRÆCEPTUM OTTONIS I. imperatoris pro monasterio S. Maximini.

Decimationes salicas Villero abbati S. Maximini restituit.

Anno 956. Ex ms. S. Maximini.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. OTTO Dei gratia rex. Notum esse volumus omnibus fidelibus nostris præsentibus scilicet & futuris, qualiter venerabilis VILLERUS cœnobitarum S. Maximini Trevericæ civitatis suburbio requiescentis abbas, interventu fidelium nostrorum, BRUNONIS B videlicet germani nostri, atque CONRADI ducis, nostram regalem adierit munificentiam, conquærens ab eis personis, qui beneficia ex eadem tenerent abbatia, quoniam eidem abbati, eorumdem obtimatum nostrorum interventu, & consilio ecclesias omnes abbatiæ illius in beneficiis omnibus ad usus prædictorum cœnobitarum reddidimus dominicales, quas vulgo salicas vocant decimationes, quoniam essent nostræ regales, & nulli umquam termino episcopali vel ecclesiæ subjacentes, in suos usus redigisse, & ob id hospitalitatem, quæ ab eisdem salicis decimationibus jam antea in C eleemosynam prædecessorum nostrorum regum videlicet & imperatorum, nostris quoque præbebatur hospitibus, peregrinis & pauperibus, aut penitus destrui, aut si hæc eadem eleemosyna nostri ex his locis vel sumtibus quos prædictis cœnobitis in usum præbendarium concessimus, amministraretur, nullo modo sufficere monachicæ conversationi. Igitur consilio prænominatorum optimatum nostrorum, in eleemosynam nostri, conjugisque & filiorum nostrorum, præcedentium quoque vel subsequentium regum & imperatorum, nostra regali auctoritate reddidimus prædicto venerabili abbati D VILLERO, cœnobitisque Deo sanctoque Maximino in ejus provisione sub regula S. Benedicti famulantibus, omnibusque imposterum eorum successoribus, cunctas abbatiæ S. Maximini dominicales, quas vulgo salicas decimationes vocant, in quocumque regni nostri episcopio, parrochia, terminove sint sitæ, in usus hospitum, peregrinorum & pauperum, destructorem regni nostri successorumve nostrorum deputantes, quicumque vel imperatorum vel regum vel qualiumcumque personarum ob alicujus E personæ machinationes vel infringere vel debilitare voluerit. Et ut hoc nostræ largitatis munus per succedentia tempora maneat inconcussum, illud nostræ auctoritatis fieri jussimus conscriptum, regio statuentes decreto, ut nullus successorum nostrorum præfatis cœnobitis easdem decimationes auferre præsumat, vel ab aliqua persona subtrahi permittat. Quod nostræ auctoritatis A conscriptum propria manu roboravimus, & anuli nostri impressione insigniri præcepimus.

Signum domni OTTONIS invictissimi regis.

LIUTULFUS cancellarius ad vicem WILHELMI archicapellani recognovi.

Data VI. idus Martii, anno incarnationis Domini DCCCCLVI. indictione XIII. (a) regnante pio rege OTTONE anno XXI.

Actum in *Franconovurt* feliciter. Amen.

EPISTOLA GUNZONIS ad Augienses fratres.

Invehit in monachum S. Galli, qui quod grammaticaliter in casu quodam errasset, ipsum contemtui habuerat, ostenditque se & in grammatica & in aliis liberalibus studiis eruditum.

SACRÆ congregationi in Augia constitutæ, GUNZO puræ devotionis obsequium. Anno 960. Ex ms. Elnonensi.

Humanæ perversitatis injuriam cuilibet illatam non populari judicio committendam puto, verum illorum quorum interest: quatenus non modo ponderatio quæratur culpæ, sed etiam comparatio regulæ. Non enim una eademque res bona, licet æque omnibus conceditur. Siquidem nuptiæ laicis concessæ sacris ordinibus denegantur. In vitiis quoque naturæ quædam aliquibus conceduntur, aliquibus minime. Nam gestantibus gladios permittitur, ut hostes reipublicæ sine culpa prosternant. Non enim, ut ait Apostolus, sine causa gladios portant; ab hoc tamen permissu clericatus ordo longe videtur distare. Quapropter quædam licent laico, quæ non licent clerico, præsertim monacho, cujus regula quanto est strictior, tanto est transgressio damnabilior. Hinc de sacris ordinibus legitur, quanto gradus altior, tanto casus gravior, cui sententiæ disticon quoque concinit Juvenalis:

Omne animi vitium tanto conspectius in se
Crimen habet, quanto major qui peccat habetur.

Verum ne mora præfatiunculæ intelligentia vestra suspendatur, secundum artis præcepta benivolos, attentos, docilesque vos expeto in querela injuriæ a quodam cucullato in S. Galli cœnobio mihi illatæ. Cucullatum dico, quia absolute hominem vulpeculæ fraudibus corruptum non rite fateri possum, de qualibus Persius: (Gunzo causatur se ab uno S. Galli monacho injuriam accepisse.)

Astutam vapido servas sub pectore vulpem.

Monachum quis dixerit, in quo nihil dignum hoc nomine reperitur? Non enim cuculla justificat, quem fraternum odium maculat. O diram sortem! qua humana natura, relicta rationabilitatis dignitate; ad ferinam se conformat vitam, sicut scriptum

(a) Indictio hæc a mense incarnationis Domini exsurgit.

est, *homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Inde est quod in Evangelio Herodem Dominus vulpem appellat, *Ite*, inquiens, *dicite vulpi illi.* Et Psalmista: *Partes*, inquit, *vulpium erunt.* Canes, porcos, ut *nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos.* Tauros, vitulos, ut *Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me.* Nequam homines in divinis voluminibus appellatos invenimus eatenus, ut non solum nominibus animalium, verum etiam rebus insensibilibus comparentur. Scriptum quippe est: *Ecce gentes quasi stilla situlæ, & quasi momentum stateræ reputatæ sunt.* Item, *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi momentum & inane reputatæ sunt ei.* Ex quo liquido colligitur eos inter gentes computari, qui sine operibus Christiano nomine se insigniri gloriantur. Ergo ultroneitate arbitrii sibi concessa abutentes aut irrationabilibus animalibus comparantur, aut in nihilum rediguntur, quorum exitus unus est. Ne putetis me doctrinaliter velle loqui, excitare tamen mentes vestras volo, quo & cucullati lasciviam & me non qualem putavit cognoscatis. Narrationis itaque ordo ab hoc loco creditur ordinandus.

Quod fateor vestras forsan pervenit ad aures.

Ab Ottone rege accersitus ex Italia.

Venerabilis rex OTTO sæpe apud Italiæ principes quibusdam moliminibus egit, quatenus ad hæc regna evocarer. Sed enim quia non alicui ita subjiciebar, neque tam humilis fortunæ habebar, ut cogi possem, versis ad me precum indiciis, promissionem ceu pignus veniendi accepit. Eoque factum est, ut eo ab Italia redeunte, una venerim, negotio, ut vera fatear, ultra proprias vires suscepto. Quo non caritate impellimur? Quo non fraterna delectatione provocamur? Cordium scrutator Deus scit, non eo me venisse, ut alicui nocerem, verum quo multis prodessem. Neque processi veluti Britannus spiculis hirsutus reprehensionis, sed munere caritatis. Sciunt me revera fari, qui munia litterarum non mihi penitus abesse didicerunt. Munia litterarum dico, non insidiari fraude, sed ex dilectione velle prodesse. Per abrupta igitur montium ac præcipitia vallium, perventum est tandem ad S. Galli monasterium. Porro adeo fatigatus eram, ut carerem pene officio manuum montano frigore perustarum, quatenus neque imponi, neque deponi equo possem, nisi alienis manibus deportarer. Advenienti tamen mihi spes erat securæ quietis in loco monachicæ habitationis. Videbam frequentes capitum inclinationes, per inter scapularia compositos jacere cucullos, incessus lenes, raros sermones; nihil mali suspicabar, nisi quia Juvenalis sententia latenter

Divertit ad S. Gallum.

A mordebar, qua falsos philosophos culpat his verbis:

Rarus sermo illis, sed magna libido tacendi.

Quis hoc de monacho dictum crederet? Unde gentili homini cognitio cucullatæ perversitatis? Ignorans vitam lætabar, atque expectabam si forte inter raros susurros philosophici studii scintilla micaret. Nihil inde, sed fraudis molimina parabantur. Aderat B siquidem pusio, interque principes morabatur, quem frequenter aspiciebat magister qualis qualis in hircos oculis reflexis, atque inter aspectus ringebat, quod delicias suas potentibus adhærere cerneret, ut reor interesse non putans quicquam castitatem turturis, & obscenitatem perdicis. Hic cum egrederetur & ingrederetur, committebat discipulo quas parabat fraudes.

Nox erat, & somnus curas marcore premebat,

Jusque sibi in saturo poscebat ventre Liæus.

Cum fortuna fuit in sermonibus frivolis unius casus mutatione offenderim, ponendo videlicet accusativum pro ablativo. Tunc denique palam factum est, quod per totum C diem magister improbabilis eruditionis docuerit discipulum in laudibus obsecutionis. Affuit tamen quem supra pusionem dixi, culpans tam grave facinus mutationis unius casus, asserens me senem scolaribus dignum flagellis, & hoc lascivulis versibus, quasi in hoc sapiens mihi cucullatio videretur. Verumtamen quis ignorat versus lascivientis monachi? Otio vacans, os aperit, & poema emittit, ignorans œconomiam carminis, purpureum pannum qui bene splendeat unum, & alterum inserere, mores ætates personare, observare dignitates in poesi nescit. D Porrigit tantum labra & ejactat poema: quod Persius non mentem intrare dicit, sed lumbum.

Injuriæ quid occasionem dederit.

cum carmina lumbum
Intrant, & tremulo scalpuntur ubi intima versu.

Item ex persona qui molli pronunciatione gaudent, inquit,

Quidnam igitur? tenerum & laxa cervice legendum,
Torva Mimalloneis implerunt cornua bombis,
Et raptum vitulo caput ablatura superbo
Bassaris.

E Horatius de Lucilio inquit:

Nam fuit hoc vitiosus in hora sæpe ducentos,
Ut magnum, versus dictabat stans pede in uno.

Fateor me juvenem hoc vitio tactum. Pudet, non tamen ceu quidam monachus ovina sine moribus pelle tegebar. Ne putetis me hæc proloqui ut poematis studium in contemptum ducere velim. Ecclesiasticos etiam

Optimi Poetæ rari.

viros poemate usos invenio; sed miror si nostro tempore queat veri poematis scriptor inveniri. Si quidem (a) Cinna librum suum Smyrnam x. annis elimavit, Horatius in nonum annum carmina sine publica ostentione producenda præcepit. Hinc Juvenalis de Scriptore poematis ait;

Magna mentis opus, nec de lodice paranda.

Persius quoque.

Non ego laudari metuam, si forte quid aptius exit,
Quando hæc rara avis est.

Statius quoque librum suum alloquens inquit:

O mihi bis senos Thebaei vigilata per annos
Vive precor, nec tu divinam Æneida tenta.

Casuum mutatio apud optimos auctores non infrequens.

Eamdem tamen Æneidem, quam Statius appellat, in extremo vitæ positus poeta inemendatam Vulcano committere voluit. Non parum videbatur illis, ut reor, operam dare carminibus. Nunc vero quis ructat & optima poemata jactat, quæ tamen scurra vicatim producat, secundum Persium:

Nec pluteum cædit, nec demorsos sapit ungues.
Vult medio terram finique reponere merdam,
Quam lasciva sibi modicum victura fatiscat.

Perpendite, quæso, tandem quid prudens vir ille, de quo sermo est, in reprehensione unius casus profecerit, aut quid magni de se ostenderit. Porro silemsis per casuum mutationes non solum apud versidicos, verum apud sine metris scribentes frequenter invenitur. Virgilius accusativum pro genitivo aut ablativo miranter posuit.

Sed Latagum saxo atque ingenti fragmine montis
Occupat os faciemque adversam

Pro eo quod est occupat Latagum ore aut Latagi os. Quæ figura apud Latinos rarissime, apud Homerum frequens invenitur, ut est illud *Ecrousen Achille ton poda*, id est percussit Achillem pedem. Dicenda igitur quædam de mutatione casuum, ne ignoscere sibi stultus monachus videatur. Apud Terentium genitivus pro nominativo, ut *hoc villi edormiscam* pro hoc villum. Apud Virgilium, ut *Quodcumque hoc regni* pro regnum. Dativus pro genitivo, ut *immitis Achilli* pro Achillis. Ablativus pro accusativo, ut *it clamor cælo* pro in cælum. Dativus pro ablativo apud Juvenalem:

Penelope melius levius torquetis Arachnæ.

Persius vocativum pro nominativo posuit. *Censorem tuum vel quid trabeate salutas* pro trabeatus. Rursus ut nominativus pro vocativo inveniatur, superfluum puto inquisitum, cum divina volumina plena exemplis inveniantur. Virgilius tamen inquit:

Corniger Hesperidum fluvius regnator aquarum,

pro fluvie. Si quis autem hoc pleniter scire desiderat, libros Prisciani de constructione legat. Animadvertite, quæso, insaniam miseri homuncionis, qui in tam vili re integrum pene expenderit diem. Num saltem unam quæstiunculam quam proponeret habuit? Audiat iterum accusativum pro dativo in Psalmis: *Quasi proximum & quasi fratrem nostrum sic complacebam* pro proximo & fratri. Vult fortasse complangebam. Esto. In prosa apud Salustium ablativum pro genitivo. *Dubitavit acie pars* pro aciei. Item dativum pro genitivo, *ad bellum Persi Macedonicum* pro Persis. In evangelio quoque accusativum pro nominativo secundum artigraphos invenimus. *Jesum quem quæris, non est hic*, pro Jesus. Et *Sermonem quem audistis, non est meus* pro Sermo. Et in Psalmis *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes* pro Lapis. Hæc & mille talia scriptores artium vitio dantur, ut Donatus, *Urbem quam statuo vestra est.* Sed quis tam excerebratus, ut putet verba sacri eloquii stringi regulis Donati aut Prisciani? Legitur in divina historia: *Moysi huic, qui nos eduxit de terra Ægypti, nescimus quid acciderit ei.* Quis modo sic loquitur? Nescimus quid acciderit Moysi huic ei? Et in Psalmis: *Misit Moysen servum suum, Aaron quem elegit ipsum.* Licet quidam ex superfluo sibi velint, Virgilius hanc constructionem posuit ubi ait:

Olli subridens hominum sator atque Deorum
Oscula libavit natæ.

Sed quia Servio aspera visa est, olli adverbium temporis esse voluit, id est tunc Nullus, inquit, dicit oscula libavit illi natæ. Pronomen enim non cum pronomine, sed loco nominis debet poni. Cum igitur ita sese divinarum series habeat scripturarum, quis tam perditus est, ut tales elocutiones aut reprehendere audeat aut mutare? Falso putavit S. Galli monachus me remotum a scientia grammaticæ artis, licet aliquando retarder usu nostræ vulgaris linguæ, quæ latinitati vicina est. Excedimus quoque aliquando aut negligentia aut humana imperfectione, de qua Priscianus, *Nihil*, inquit, *in humanis inventionibus ex omni parte perfectum inveniri credo.* Negligentia peccamus, sicut de Homero Horatius ait: *Quandoque bonus dormitat Homerus*, id est negligenter scribit. Qua Virgilium etiam notare possumus, ubi ait: *Stratus humi bos.* Pessimus versus est habens in fine monosyllabum nomen, nisi forte sit minorum animalium, ut in Horatio:

Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus.

(a) Cinna fuit Poeta doctissimus, Virgilio æqualis, qui ipsius meminit ecloga 9.
Nam neque adhuc varie videor, neque dicere Cinna Digna, sed argutos interstrepere Anser olores.

Præterea Servius majores nostros vitia dicit non in dictu esse voluisse, sed in significatione, ut est illud in Salustio: *Quam quisque pessime fecit, tam maxime tutus est.* Legitur in arte, quod tam, magis, maxime, minus, minime, positivo tantum junguntur. Ergo sensui & significationi hæc Salustii sententia convenit, & non dicto. Cui rei Aristoteles in libro Peri Ermenias congruit his verbis: *Sunt ergo ea quæ sunt in voce earum quæ sunt in anima passionum nota. Omnis nota alicujus rei nota est. Prius ergo res est quam nota. Res ergo prius ponderanda est, quam nota.* Solent præterea diversæ res una eademque nota signari, ut puta leo Christum significat & diabolum. Quis demens dixerit eo loci ubi legitur, *Vicit Leo de Tribu Juda* diabolum monstrari? aut Christum ubi legitur: *libera me de ore leonis*? Patet profecto quia non verba tantum examinanda sunt, quantum significatio. Quod in Moyse quoque comprobatur, qui omni sapientia Ægyptiorum imbutus, quos liberalium repertores artium fuisse constat, Domino se ad Pharaonem mittenti dixisse legitur: *Obsecro, Domine, non sum eloquens ab heri & nudius tertius, & ex quo cœpisti loqui ad servum tuum impeditioris & tardioris linguæ sum.* Fatebatur utique se in sermone tardum, quem in philosophia nullus rite valet dicere imperitum, teste prothomartyre Stephano, qui in Actibus apostolorum de eo ita loquitur: *Erat Moyses eruditus omni sapientia Ægyptiorum.* Quapropter si de verborum significationumque vi plura audire cupitis, etiam ea quæ sequuntur æquo animo considerare debetis. Boetius vir eruditissimus in libro Peri Ermenias secundæ editionis audire quid dicat: *Adminiculari quis debet obscuris sensibus, patientia, atque consensu, quod ad sententiam dicentis spectat, & si sermonum ratio se ita non habeat.* Sufficiunt hæc ad confutandam stultitiam fratris, an plura requiritis? Ni fallor, vera quoque me dicere probant verba ex corruptis composita, vel in compendium ducta, in quibus brevi prolatu multa monstrantur, ut in nomine Verna, quod aiunt ex tribus corruptis compositum, quæ sunt Bonus, Hereditarius, Natus. Ex prima itaque parte nihil habetur nisi littera alterius loco posita, V. videlicet pro B. ideoque quidam propriam litteram servantes Bernam dicunt. Eodem etiam modo unum verbum quamvis incompositum plura in se retinet, quale est illud Lucani:

Omnia majorum vertamus busta, licebit.

Dicunt in hoc verbo tres debere intelligi partes orationis, conjunctionem, nomen, & substantivum verbum, ut sit *licebit*, si licentia erit, quatenus *si* affirmativa sit conjunctio, non dubitativa. Præterea si in dicto tantum & non in significatione oratio constat, nihil in figmento fabularum, nisi nudum accipitur mendacium; superflua putabuntur omnia quæ ex his ad veritatis intelligentiam a prudentibus traduntur. Mitologiarum liber ille (*a*) Fulgentii nihili habebitur. Divinarum scripturarum mystici intellectus ceu supervacui contemnentur. Quid ergo erit inter Judæum & Christianum sublata allegoria? Subauditiones insuper tam in divina quam in humana scriptura superfluæ habebuntur. Delirus videbitur Terentius, dicendo *Egone illam? Quæ illum? Quæ me non?* Imperfectus etiam Poëta, ubi ait:

Jam cœlum terramque meo sine numine venti
Miscere, & tantas audetis tollere moles?
Quos ego.

In evangelio etiam mutila videbitur sententia, ubi legitur: *Quia si cognovisses & tu.* Patenter igitur monstratur prudentiam non tantum in verbis, quantum in significatione constare, teste Apostolo, qui de se loquitur: *Etsi imperitus sermone*; sed non imperitus scientia. Notissimus quoque orator eloquentiam sine sapientia obesse fatetur. Sapientiam sine eloquentia prodesse, numquam nocere. Possem multa ex divinis humanisque libris exempla subjicere, sed nolo epistolæ tenorem exemplorum copiis onerare. Verumtamen quia uniuscujusque rei exitus propriam habet causam, nihil enim, ut in libro Job legitur, in terra sine causa fit, volo animadvertatis quam putem in S. Galli monacho causam iniquæ reprehensionis. Æstimo illum ingressum aliquando hortum viri prudentis, in quo degustavit refanum canino stercori innatum, quæ est causa putidi ructaminis, id est, malivolæ reprehensionis. Adhibete quapropter viridariis vestris claustra, seras, custodes, ne olera vestra bene olentia turpi ructamine vitientur. *Corrumpunt*, ut inquit Apostolus, *mores bonos colloquia mala.* Non tamen mirum videri debet, si non metuit quis minoribus obligari, qui majoribus vitiis obnoxius habetur. Nonne hic de quo loquimur unus est ex illis, qui proprium nuper abbatem (*b*) pepulerunt, subrogatumque pro eo in exitium merserunt? Hoc ideo dicitur, quia nisi is qui successit hortatibus perversorum minime cessisset, adhuc fortasse viveret. Notum est quod cum bonis operibus vita ali-

Non tam verba examinanda, quam eorum significatio.

S. Galli Monachum objurgat.

(*a*) Hic Fulgentius non fuit insignis ille Ruspensis episcopus, fidei catholicæ adversus Arianos acerrimus defensor, sed Fabius Planciades Fulgentius, qui præter Mitologiarum librum conscripsit ad Calcidium librum de *Prisco sermone* editum a Junio & Mercero, & *Moralem expositionem Virgilianæ continentiæ* a Commelino vulgatam.

(*b*) Hic haud obscure designat Cralonis abbatis depositionem a Liudulfo Ottonis magni filio anno 953. factam, ob severiorem ejus disciplinam, quam fratres detestabantur. Huic subrogatus est Anno ipsius frater, *insulis certe dignissimus*, inquit Mabillonius, *si legitime creatus fuisset*: quem brevi post in exitium merserunt, hoc est, ut interpretor, morti tradiderunt. Sane eum immature obiisse anno sequenti tradit Mabillonius, qui occisum fuisse ignoravit.

quando protenditur, & cum malis breviatur, sicut per quemdam sapientem dicitur: *Noli esse justus multum, ne moriaris in tempore non tuo.* In Job quoque de iniquo viro legitur: *Antequam dies ejus impleantur peribit.* Et Psalmista, *Viri*, inquit, *sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos.* In divina etiam lege frequenter invenitur: Si quis hoc vel illud fecerit, moriatur. Ergo non faciendo vivat. Quapropter mortiferum consilium dantem ex studio & accipientem, uno modo obligatos tenet. Haud igitur miremini, si fratrem verberat qui patrem necat. Lætor quia nihil tale de vobis audio. *Ab impiis*, ut scriptum est, *egreditur impietas:* Siquidem jugiter armata est Pallas, id est sapientia, ubique munita. Si tamen diligenter advertitis, hospes noster necessitate peccavit. Quid hospitibus ferre posset in secessibus cuculli sui per totum diem quæsivit, in quibus nihil aliud quam fraudes, quas absconderat invenit. *Malus homo de malo thesauro profert mala.* Quod ergo habuit erogavit; ne miremini me cucullum dicere, cucullam namque religionis dico, cucullum turpitudinis. Hinc Juvenalis de scorto:

Illa jubet juvenem summo properare cucullo.

Dignum nempe æstimo ex qualitate personæ ceterorum accidentium qualitates æstimari. Scriptum quippe est, *Omnia munda mundis.* Si hoc recipitur, restat e contrario ut omnia immunda sint immundis. Ideoque in divina lege cautum erat, ut quæcumque immunda tetigissent, immunda forent. Verumtamen quia ab ecclesiastico, ut videbatur, viro injuriam tuleram, graviter ferebam, *quoniam si inimicus maledixisset mihi, sustinuissem utique; & si is qui oderat me super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo.* Indignabar quapropter vindictam quærens motu humanæ fragilitatis, verumtamen sciebam illum, de quo sermo est, in suo conclavi cornutum, ut locus mihi nullus defensionis haberetur; novitius siquidem eram, neque vera dicenti mihi fides adhiberetur, etiamsi contendere vellem; retardabar quoque præcepto Sapientis quo dicitur; *Ne respondeas stulto juxta stultitiam suam, ne efficiaris ei similis.* Sed quia tempus est loquendi & tempus tacendi, respondeo nunc, monente eodem Sapiente; *Responde stulto juxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur.* Hæc mecum sollicita intentione perquirens scrutabar accidentia personæ, quæ fraudi convenirent; deprehendi tandem in ejus vultu colorem vilis metalli, quo solent pretiosa vitiari. Persius:

Ne qua sub arato mendosum tinniat auro.

Calamistratos capillos, nitidum ultra quam oporteret cucullum, pedes calciamentorum adhærentes (a) pedibus, ne fallere possint: quibus indiciis B. Hieronymus sponsum monstrari docet, inquiens, » Sunt quidam mei ordinis clerici, quibus cura est « de vestibus si bene oleant, si ungulæ in di- « gitis radient, si capilli nitida compositio- « ne complaceant, si per laxa pelle non fol- « leat. Hos tales cum videris, magis spon- « sos æstima quam clericos. Hinc ipse ge- « neralem sententiam proferens; inquit: « Nec affectatæ sordes, nec exquisitæ mun- « ditiæ conveniunt Christiano. His igitur « perspectis, curiose rimari cœpi, utrum proprii quoque nominis nota factis consentiret: quid ni? (b) Achar namque vocabatur, quasi ex præsagio furis nomen acceperit. Notum quippe est, quod in excidio Jericontinæ urbis Achar furto auream sustulerit regulam, certique ponderis siclos cum coccineo pallio. Igitur quia conveniunt nomina, perscrutari liquet quomodo duorum congruunt facta. Primus Achar, qui anathema interpretatur, regulam auream sublegit, secundus iste Achar regulam bene vivendi contempsit; regula namque ad hoc adhibetur, ut rectitudo servetur. Quisquis etenim regulam bene vivendi spernit, auream furto normam subtrahit. In sacra namque scriptura aurum plerumque ad splendorem sapientiæ refertur. Hinc B. Gregorius, » Aurum, inquit, Deo offerimus, si in conspectu illius luce sapientiæ resplen- « demus. Quod furari convincitur quisquis « acceptum a Deo ingenium vertit in usum pravæ operationis. Ducentos quoque siclos idem Achar furatus dicitur, per quos gemina virtus caritatis non immerito figuratur. Centenarius namque perfectus est numerus, non tantum quia decade solidatur, quantum quia divinis voluminibus sacratus invenitur, sicut in evangelio ubi legitur, *Aliud cecidit in terram bonam, & ortum fecit fructum centuplum.* Siclus namque ponderis species est, & omnia caritate ponderantur, sicut scriptum est; *In his duobus mandatis tota lex pendet & Prophetæ.* Qui sicli bene argenti fuisse dicuntur: argentum quippe in divinis voluminibus ad eloquii claritatem refertur, teste Psalmista, qui ait: *Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum.* Verumtamen quia a reprobis caritas & animo & verbis contemnitur, merito Achar & verbis ut in argento, & mente ut in auro furtum fecisse narratur: in auro, sicut scriptum est; *Qui odit fratrem suum, homicida est.* In argento, ut est illud: *Qui dixerit fratri suo fatue, reus erit gehennæ ignis.* Præterea quia sunt

[a]

[b] Monachi illius nomen cui, adaptat ea quæ conveniunt Achar.

(a) Videtur legendum pellibus, idque satis innuit locus subsequens ex Hieronymo, *si per laxa pelle folleat.*

(b) Hic haud obscure designat Ekkehardum seniorem, qui in S. Galli scholis magisterium aliquando tenuit, postea decanus effectus, oblatam etiam abbatis dignitatem recusavit, non dignus certe tam mordaci & indecora reprehensione.

quidam qui non solum se fratribus impertiri nolunt, sed exteriora quoque denegant, idcirco Achar cum aurea regula, atque ducentis siclis argenti, coccineum quoque pallium abstulisse memoratur. Coccus etenim ignei coloris est, & caritas ardere perhibetur, sicut in evangelio legitur; *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, cum loqueretur in via, & aperiret nobis scripturas?* Quid igitur decernitis? nonne videtis quia in omnibus, in quibus circumcisus Achar peccavit, cucullatus Achar culpabilis invenitur; auream regulam sublegit, quando adversus fratrem malevolentiam mente concepit; ducentos argenti siclos abstulit, in eo quod malivolentiam mente conceptam verborum indiciis patefecit: coccineum quoque pallium furtim rapuit, quando jura hospitalitatis in usum vertit pravæ redargutionis. Si palingenesiam vel metemsicosim Pytagoræ stulte quis accipere vellet, animam circumcisi Achar corpori istius nullatenus inesse dubitaret. Curtavit ille furto rempublicam, rempublicam multo magis iste curtare voluit, quando accepto itinere, me removere tentavit. Sciet forsitan & ipse quantum damnum reipublicæ inferre voluit, cum postquam veni, quid utile egerim cognoverit. Amalech in via mihi occurrit, cœptumque iter intercludere voluit, cujus memoriam de terris se Dominus ablaturum comminando promisit. Amalech quippe lambens populus interpretatur, cui merito comparantur, qui litterarum superficiem lingunt, & ad gustus dulcedinem non perveniunt; quos hypocritis comparandos nullus fidelis dubitat, qui dum ficte Deum quærunt, invenire non merentur, quos mundanæ litteraturæ scriptores servili conditioni deputant, ut est illud Juvenalis:

Nos colafum incutimus lambenti crustula servo,

Mirandum tamen est, cur misertimus inviderit bonum aliis, quod profuturum sibi noluit. Proh dolor! diabolum imitatus est, qui bonum quod perdidit homini invidit. Humana facie tales belluina mente monstrantur, de quibus in evangelio Dominus loquitur: *In vestimentis ovium veniunt, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Utinam vellet is, de quo loquor, mecum in conspectu vestro conversari, quorum prudentiam ab antiquo spectatam audio, nota sunt mihi Achar furta, nota ficti monachi fraudulentia, quam mala incude spicula ejus producantur non ignoro, quam invalida manu jaculentur expertus sum. Noverit Horatium pro me minantem. In malos asperrimus parata tollo cornua qualis Sicambe spretus infido gener, aut acer hostis Bupalo. An si quis atro dente me petiverit, inultus ut flebo puer? Dares Siculum attentavit Entellum, lascivus monachus Gunzonem Italicum.

Noverit incauto Entellus conamine lapsus,

Qua vi perculerit prostratum pene Dareta.

Causam querelæ audivistis, quid etiam contra studium litteratoriæ professionis hostis nescio aut hospes egerit oportet audiatis. Adveniens deferebam pene centum librorum volumina, arma scilicet pacis, quæ vertit invidus hostis in studium furoris, inter quæ erat Martiani in VII. liberalibus disciplinis succincta veritas; quam contemnendam putant, qui fabulæ solummodo delectationibus oblectantur, qui non integre capitur, si veritatis qualitas ignoratur. Deportabatur quoque Platonis in Timeo vix intellecta profunditas, Aristoteles in libro Peri Ermenias, aut nostris vix temporibus tentata aut non perspecta obscuritas, Ciceronis Aristotelisque non contemnenda Topicorum dignitas. In quibus aliisque cum me interrogandum putarem, nequaquam vilium rerum motu, sed desuper immissi impetus gravitate sollicitabar. Quis putaret se reprehendendum in unius casus mutatione, cui Deus plura concesserit? Non putabam Achar furem vivere, neque transitum animarum secundum Pytagoram, in diversa corpora fieri, quæ si reciperem, animam hominis corpori ipsius monachi inviderem. Sordibus quis fœdatus porcum uniit, fraudibus gaudens, merito anima vulpeculæ vivificatur. Ne putetis me odio loqui, absit ut odio habeam quod humana effigies viventem hominem monstrat. Nam licet accidentem homini nequitiam odio habeam, diligo tamen substantiam, quamvis ipsa quoque malitia contra votum se possidentis mihi profuerit. Nam & multorum fraudes patefecit, teste Marone, qui ait:

Accipe nunc Danaum insidias & crimine ab uno

Disce omnes.

Atque multorum ignorantiam nudavit, apertissimo autem indicio se apud indoctos nutritum monstravit, qui pronunciatione unius casus animi conceptiones deprehensas putavit. Sæpe audivimus vilia quæque ornatis dici verbis, econtra digna prolatu vili sermone notari, veluti si nomen diaboli aureis litteris quis scribat, Dei autem atramento. Præterea quid de his hominibus dicendum est qui sine litteris vivunt? nonne quidam acumine ingenii quibusdam litteratis præferuntur. Ulixes vigore ingenii omnibus qui Ilium oppugnavere prælatus est, adeo ut armis Achillis solus inventus sit dignus. Legimus quoque prudentiam Adæ, qua omnibus creaturis nomina imposuerit, non tamen quod grammaticam sciverit, nisi forte S. Galli monachus, ita velit primum hominem creatum, ut omnium scientiam noverit artium, quam peccando amiserit.

Quos secum libro Gunzo ex Italia detulerit.

Quod

Quod si ita est, omnes homines scientiam A naturaliter omnium habemus artium; corruptum sed enim in primo homine arbitrium legimus, non scientiam artium interclusam: viderit qui potest, nos tamen in re dubia ne controversemur, vilium rerum quapropter controversiam pertinaci cucullato relinquamus, quem putabam velle stipulari a me fundamenta totius orationis, quomodo ita se
I. habeant, ut neque vocales, neque semivocales, neque mutæ certis spatiis limitentur, sed confundi sic videantur, ut cuilibet stulto casu positæ potius quam ratione habeantur.
II. Cur digamma post latinas acceptum
III. litteras non post v. veluti x. sed post c. collocetur. Liberales disciplinæ secundum propriam vim an pro captu sese percipientium pernoscantur. Nam dubitant quidam utrum
IV. uti sunt præceptæ sint; Donatus an Priscia-
V. nus orationis partes ordinaverit; quis horum diffinitiones eisdem partibus & accidentibus eis dignius attribuerit: magnum siquidem laborem expenderunt antiqui in ordinandis & determinandis rebus. Putat fortasse tumidus monachus grammaticam ceu vile quiddam cucullo suo contineri; non tamen ita est, semel tergum ejus aspexit, & festinans ut faciem ei cerneret, impactione pedis cecidit, & vix ad sessionis ejus partes pervenit, ex quo & superbit. Hæc femina aliter grammaticis, aliter Aristoteli cedit. Huic suadet per obliquos casus non posse nomina dici, illis etiam in obliquis posse nuncupari. Hæc figuratas elocutiones aliquando sic commemorat, ut cui generi subjici debeant ostendat. Multa præterea servat, in quibus stultorum temeritas errat. Habeant tamen hanc quibus contigit saltem in somnis vidisse Minervam, dummodo de ea quæ subsequitur nihil præsumant. Nam reluctatur & fugit, quibusdam etiam tergi visum negat. Quibus tamen se videndam præbet, non una eademque facie apparet. Alio etenim huic, alio illi vultu monstratur. Quod ostenditur ex eo quod Aristoteli genus, speciem, differentiam, proprium & accidens, subsistere denegavit, quæ Platoni subsistentia persuasit. Aristoteli an Platoni magis credendum putatis? Magna est utriusque auctoritas, quatenus vix audeat quis alterum alteri dignitate præferre. Hæc ita aliquando ambiguitate obfuscatur, ut quæ res, cui generi subponi debeat difficile possit inveniri. Verbi gratia, si quis ita proponat: Cum omnia quæcumque sunt, aut substantia aut accidens habeantur, quid de differentia dicendum est, quæ neque substantia, neque accidens dici potest? Substantia dici nequit, quia non prædicatur in eo quod quid sit. Accidens idcirco vocari non potest, quia substantiam informat. Quod enim substantiam constituit in substantia prædicatur. Est autem hæc tam subtilis prudentiæ, ut x. &

De Grammatica.

De Dialectica.

VIIII. modorum conclusionibus omnem pene logicen philosophiam concludi existimet. Quæ Aristoteli adeo obsecuta creditur, ut ei nutrix credatur. Scit Sophistica stultos cavillatione decipere, monstrat tamen qualiter ipsa cavillatio possit evitari. Falsa veris quando vult sic farcinat, ut uno eodemque tempore, eodemque loco rite convenire videantur. Esse etiam & non esse arcana quadam ratione simul concurrere fingit. Propositionum suarum quadraturam eo modo dispositam autumat, quatenus obliquorum laterum recursus aliquando sine coactione redeat, aliquando coactione ope-B riat. Huic non satis est ut dicatur malum esse quod est, sed quia bonum non est. Verba secundum se nomina esse putat. Nam & qui dicit auditum constituit, & qui audit quiescit, ipsaque non nisi in instanti tempore judicat dici posse. Ubique se vertit ad singulos, ac veluti ludens venena mordacitatis, quæ venena monstrata cuti vitam non intercludunt. Quam bonus Deus, qui invidum cucullatum talibus privavit, quibus in fraudes possit valentior inveniri. Bene est. Caret enim maledicto, de quo per quemdam sapientem dicitur: *Qui sophistice loquitur, Deo odibilis est, &c.* Grator itaque huic, C quod hac macula caret, licet non sponte. Vellet forsitan miserior esse quam sit, sed bonitate Dei temperatur, neque intelligit. Sedens in conclavi monasterii cornutum se putat secundum proverbium Aristotelis quo ait:

Limax in suo conclavi cornupeta sibi videtur.

Seque putat cursu timidis contendere damis.

Unciolam tota cum vix expendere, quo cœna valeat sese impertire sodalis. Ne imputetis vitio quod sæpe idem repeto. Siquidem utor Juvenalis exemplo, quod de Crispino ait:

D *Ecce iterum Crispinus & est mihi sæpe vocandus*
Ad partes.

Et Cicero in Verrinis sæpe Verrem repetit. Verumtamen quia in liberalibus disciplinis multa inquisitu digna reperiuntur, paucis ex grammatica & dialectica prælibatis, rethoricæ potentiam breviter in medium deducere tentabo.

De Rethorica.

Eloquiis hæc se promittit solvere mentes
Quas velit, ut lætis convertere tristia possit
Tristibus, & doctæ medicari famine linguæ.

E Hujus materia tribus generibus divisa causam constitutionis informat. In hac multa inquisitu digna reperiuntur, aut quia nunc in usu non est, aut quia apud auctores diverso modo variabilis invenitur. Nam fuere quidam qui unum tantum genus hujus artis esse vellent, quidam, ut dixi, tria. Con-

ſtitutiones vero plures tres eſſe voluerunt, A cum partibus qualitatis. Pauci autem quatuor eſſe dixerunt. Totius artis ſummam multi quinquepertitam eſſe voluerunt. Verumtamen Cicero in duobus libris tantum de inventione tractat. Cauſarum partes alii quatuor affirmant, Cicero vero duas addit, confirmationem videlicet & reprehenſionem. In probabili quoque narratione, in qua ab aliis VII. introducuntur, in quibus rei veritas ſolet inveniri, Cicero numerum variat, in quibus omnibus quanta neceſſitas inquiſitionis habeatur palam oſtenditur. Hæc femina prudenti tranſgreſſione a genere in gene- B ra, a conſtitutione in conſtitutionem tranſitum facit. Nam Virgilio cum de Turno loqueretur, a qualitate in finem tranſmeabilem motum permiſit. Hæc in principio alterius vultus, alterius in medio, in extremo alterius ſe monſtrare contendit. In progreſſu autem & in fine mutabilitates ſuas aſtutius prodit. Quæ loquens numquam ſine ſtrepitu graditur, niſi forte aliquando tacens loqui videatur. Alumnam hanc Ciceronis nullus dubitaverit. Nam præſidio illius vallatus, conjuratores in rempublicam deprehendit. An aliud ſubvenit ei niſi hæc, quando Catilinam de ſenatu ejecit gravitate ſermonum C & ſententiarum, quibus Roma patrem patriæ Ciceronem libera dixit? Hæc uno ductu diverſos pingit colores, reditque ad proprium cubile quinquepertitis ſemitis, quatenus flexus viarum ſuarum brevi reductione colligat, circaque epilogum præſumtionem requirat. Excipit hanc quam ſapientiſſimi regis ſororem ferunt ſubtilitate vultus & ſapientiæ dignitate. Dicunt Hebræi Salomonem minutis formatum corporis lineamentis. Quod ex verbis quoque filii ejus colligitur, quibus ait: *Minimus digitus meus groſſior eſt dorſo* D *patris mei*. Ex quo poteſt aliud colligi, in eo videlicet quod in tenui corpore Salomonis larga ſapientia fuit, datur intelligi, quod in pingui vix queat ſubtilitas ſapientiæ inveniri. Hinc Perſius:

nugaris cum tibi calve
Pinguis aqualiculus propenſo ſexquipede extet.

Statius quoque virtutem corporis enumerans de Tideo inquit:

Major in exiguo regnavit corpore virtus.

Hæc quaſi per digreſſionem, ad propoſita recurram. E Hanc ideo viraginem corpore tenuem memoravi, quia abſtracta a rebus corporeis in natura ſui nulla corporalitate craſſatur. Vindicat ſibi quapropter collegium divinitatis, non tamen ut accidens haberi in Deo velit, ſed ſubſtantiam. Unum namque in Trinitate perſonarum Patris & Filii & Spiritus-ſancti ſubſtantia eſt. Ergo Trinitas in unitatate, & unitas in Trinitate ſubſtantia eſt. In creaturis quoque ſecundum philoſophos poteſt numerus quoquo modo ſubſtantia videri, niſi forte neget quis numerum eſſe. Aiunt prudentes Unum & Eſt idem eſſe, ut tamdiu ſit aliquid, quamdiu unum eſt; & cum deſierit unum eſſe, jam non ſit. Eſt ſubſtantiam monſtrat, atque idcirco à ſapientibus ſubſtantivum vocatur. Ergo & Unum quod idem habet, quod eſt, ſubſtantiæ non inrationabiliter deputari poteſt, quamvis numerus omnis generi quantitatis aſſignetur. Hæc de qua loquor ita ſe in minoribus conformat, quatinus in majoribus mas velit haberi, ut jure quis eam Cenea aut Tyreſiam credat, id eſt utriuſque ſexus capacem. Præterea componit aliquando mirabile præſtigium, quando ſine judicio verborum aliquibus animi ſecreta pandit. Ex quo etiam ſtultus arguitur, qui in brevi ſermone prudentiam ſanæ mentis ſe deprehendere poſſe arbitratur.

Ecce iterum Criſpinus & eſt mihi ſæpe vocandus
Ad partes.

Hæc virago cuncta intra ſe eatenus contineri putat, ut recedens nihil poſt ſe relinquat. Quapropter cum tantæ dignitatis ſit, gravatur præſumtione quorumdam, quod de ſe plus quam oportet præſumant. Nam difficile eſt infinitum finito limitari, quod qui conatur haud injuria inſanus creditur. Siquidem multa huic inſunt, quibus variabilis potentia difficulter deprehenditur. Aliquando propriæ magnitudinis figuram ſic ſupergreditur, ut giganteæ quantitati ſimilis æſtimetur. Aliquando ita infra ſe decidit, ut pigmeæ virgini non immerito aſſimilari poſſit. Tanto moderamine quandoque licet ſeſe cohereret, quo nihil majus, nihil minus in ea poſſit inveniri. Porro ſi quando pertuſa ad compita venit, dominam ſe haberi popoſcit, ruris magiſtram, moderatricem ſyderum, atque diſpenſatricem ſonorum, ſuo putat parcere magiſterio. Nam ſi Platonis Timeo creditur, mirabili hac compoſitione mundi anima conformatur, de qua Virgilius:

Principio cælum ac terras campoſque liquentes,
Lucentemque globum lunæ, Titaniaque aſtra
Spiritus intus alit, totoſque infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.

In hac quoque ut aliis multa egent inquiſitione quæ ſtulti quaſi inutilia & non neceſſaria contemnunt. Debuit tamen ſaltem ordo inquiri, cur a Boetio in primo loco quadruvii liberalium diſciplinarum hæc poſita ſit, a Martiano autem ſecundo. Ideo forſitan nullus requirit, quia aut caſu hoc factum putat, aut Martianum in artibus nihil boni contuliſſe exiſtimat. Meo tamen judicio utriuſque diviſionis æſtimator aut inſano aut

inlitterato hebetur. Sequitur hanc, quam præmisi, agrestis femina adeo masculæ & infatigabilis virtutis, ut cælo non ignota putetur, quæ in medio mundanarum rerum eo modo sibi statuit domicilium, ut media extremaque possideat, cui merito carmen illud Virgilii conveniat.

Ingrediturque solo & caput inter nubila condit,

Quo te metiatur solum & certis lineis dispertiatur polum, quæ sine corpulentia corpus sibi assumit, longitudinem sine latitudine sibi inesse struit, quod neque in araneæ filo repperitur. Junctis longitudini & latitudini arcana quadam potentia altitudinem subtrahit; quod corporalibus incongruum videtur: sed sibi theoremata hæc digne deberi fatetur.; linearum compositiones ita compaginat, ut aliquando rectis sibi angulis conveniant, aliquando obtusis, mixtis aliquando, sicque fit ut non æqua sibi semper mansura consocientur, sed dispari quantitate. Quondam etiam stantibus suppendiculares copulantur, & hoc non simpliciter. Possunt tamen inveniri, quæ nulla societate aliis copulari queant, non immerito alogas dicunt, quæ in qualitate, quantitate, sectione, positioneque consistunt. Hæc planetarum circulos, zonarum giros, zodiaci atque lactei connexionem circuli, propriis lineis complectitur, & quæcumque linearum ductis absolvuntur suo juri attribuit. Patenter itaque monstratur; quia sine hujus lineamentis nulla corporalis dimensio possit ostendi, quandoquidem qualiter corpus limitetur, incorporaliter ingenii sui potentia patefacere conetur. Non injuria quis hanc apostolorum dixerit: *In omnem terram exivit sonus eorum*. Procedit dehinc quæ Astrea vocatur, tanti acuminis femina, ut numquam interpolatione noctis fuscetur, numquam caliginem sentiat, numquam nubium contractu furvescat, quæ cum sanctas animas ad cœlum evehit corporibus solutas, monet uti despiciant quam densis tenebris tegerentur, donec corporibus inhæserunt. Helicæ non immerito quis contubernalem dixerit, cui currum ex innocuo perspicuoque ætheris elemento paravit. Ligneo siquidem curru sublatus dicitur; porro est ignis exurens, est solummodo splendens. Hæc quanto elatior terris est, tanto mortalibus minus cognita, quæ in solo domicilium possidens, quasdam planetarum miro coactu impellit, nunc eas præ se agens, modo retrogradari compellens, modo stationi connectens, ipsumque domicilii sui circulum a luna secundum Platoni suasit, tertium Mercurii, Veneris quartum; Ciceroni vero & aliis longe aliter ordinis distantiam persuadendam putavit, ut secundus a luna Mercurii, tertius Veneris, quartus Solis, quintus Martii, sextus Jovis, septimus Saturni circus haberetur; quid igitur? Reprehendimus Platonem, minime. Ciceronem ergo & alios? absit. Hæc tanta rapiditate cœlestem speram movet, quo & planetarum cursus cum ea rotet, & mirabili quadam ratione naturæ eorum occursus celeritatem ejus retardet. Mensem lunaris accensionis aliter constare, aliter peragrationis zodiaci fatetur, eo modo quo XII. menses lunaris accensionis, XIII. sint zodiacteæ peragrationis. Per hanc invenitur quomodo a capricorno in cancrum ascendendo pauciores dies explicet sol, quam a cancro in capricornum descendendo. Oritur quoque magna inter Philosophos de cœlestibus corporibus quæstio, utrum animata sint, an inanimata; & Plato quidem non solum animata, sed & rationabilia & immortalia putat. Aristoteles inanimata & immortalia. Ex quo secundum opinionem Platonis contrarium quiddam conficitur diffinitioni Porphirii; qui differentias substantiales & divisivas affirmat generum, & constitutivas specierum. Sed irrationalis & immortalis differentiæ secundum Platonem nullam speciem conformant. Licet Aristotelis opinio a Porphyrii diffinitione non dissentiat, Salomon tamen Platoni videtur favisse, ubi ait: *Oritur sol & occidit, ad locum suum revertitur, girat per meridiem & flectitur ad Aquilonem. Lustrans universa per circuitum vadit spiritus; & in circulos suos revertitur*. Quæ sententia ita solvi potest; quod ideo sol spiritus dicatur, quia calore ejus omnia nascentia vivificantur & crescunt. Inde est quod quidam gentilium naturam hoc modo diffiniendam putarent. Natura est ignis artifex, quadam via vadens in res sensibiles procreandas; sed quia hoc non adeo probabile est, sententia Apostoli, cum in uno modo ecclesiastici doctores conveniunt, considerandа est, qua dicitur: *Scimus quia omnis creatura ingemiscit & parturit usque adhuc*. Et paulo post: *Quia & ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei*. Nonne rectius in talibus deceret monachum occupari quæ ad eruditionem pertinent Christianæ religionis, quam inservire fraudibus? vile putat in liberalibus studiis immorari, planetarum absidas, positionem, discursus per zodiacum, circulorum inter se replicationem inquisitum ire nihili pendit. Saltem ea quæ in divinis libris ex ipsis artibus inveniuntur considerare deberet, ut est illud in divina historia, quando Josue soli & lunæ stationem indixit, utrum reliquæ quinque planetæ & intima mundi orbita stationi servierint, an proprios cursus servaverint. Quod si ita est, diaphoniam passa est cœlestis illa armoniæ suavitas, mutilatis duobus nervis, eo præsertim quo primum retracordum terminatur, & secundum auspicium sumit. Si autem ultima spera simul cum planetis subsistit, superæ dulcedo

Cœlestia corpora an animata.

musicæ conticuit. Forsitan inde est quod in Job legitur, *Concentum cæli quiescere quis facit?* In qua quæstione tot emergunt, ut Lerneus anguis herculeis iterum viribus compensari videatur. Verumtamen quia musicæ mentionem intuli, de inquisitu ejus pauca narrabo, quæ tanta dignitate viget, ut Deo assistere jure credatur. Cujus rei exempla ita se frequenter offerunt, ut modo dictu supervacua putentur. Hæc cum tanta majestate polleat, ut divino conspectui famuletur, in cælestibus corporibus ita sibi monarchiam vindicat, quod in his jugiter concentum struat, & Pytagorici dignitatem silentii non amittat, eoque fit ut personet & taciturnitatis modum servet, sicque in circulorum varietatibus sese moderatur, quatenus contra legem humanæ modulationis, juxta quorumdam opinionem laxioribus giris acutos, brevibus graviores impertiatur sonos. Nascitur quoque perplexa quæstio in eo quod quinque planetæ aliquando solari radio impelluntur, quandoque stationi deputantur: statio motu caret, sonus autem sine motu esse non potest, stantibus ergo aliquibus planetis, non integratur jugis armoniæ concentus. Quapropter inquirendum est, quantum humanæ scientiæ conceditur, quomodo cœlestes planetarum motus & impositam sibi legem continue servent sonoritatis, & injunctam sibi quandoque necessitatem nequaquam prætereant stationis, inter quæ de mundi etiam spera inquiritur, utrum sonitu impellatur, an silentio agitetur. Dicunt omne quod in motu est locum mutare, omne autem corporale mutatione loci sonum efficere; cælestis autem orbita locum non mutat, quatenus in sese rotatur, nullum ergo sua volubilitate sonum reddit, & tamen ingenti strepitu dicitur agitari, sicut paulo ante exemplo Job cæli concentum præmisi. Sed potest forsitan illud de planetis tantummodo accipi, de his tamen viderit quicumque ille est, quantum sibi divina gratia ministraverit, dummodo in terrestris cognitione sonoritatis aliquantulum mihi liceat immorari, in hac namque multa reperiuntur, quæ frequenti indagine digna judicantur. In hac generaliter ipsius requirendæ sunt partes, quas Virgilius VII. esse monstrat, inquiens,

Obloquitur numerus septem discrimina vocum,

In cujus brevitate carminis totius armoniæ gravitas continetur; quæritur etiam in hac quid infinitate terminet vocum, quis motus sit audiendi, quot symphoniæ, & quæ prima dici queat, qualiter Plato consonantiam dici putet, quæ voces stantes, quæve sint mobiles, utrum insuper partientibus numeris consonantiæ possint reperiri; namque illud prætereundum videtur, utrum acumen & gravitas ex quibus voces consistunt in qualitate melius constare aut quantitate dicantur; continuæ autem disgregatæ voces armoniæ melius conveniant, utrum omne judicium sonorum auribus dandum sit an rationi, ratio metrorum quantum in musica valeat, emitonii diversitas qualiter constet, quomodo ex supradictis quindecim troporum varietas conformetur. Hæc strictim commemoravi, non quo artium prima ponerem, sed ut stultitiam indocti monachi reprehenderem, cui cum scientia artium abesset liberalium, maluit fraude grammaticellus videri, quam scientiam artium saltem extrinsecus adipisci. Est enim ars intrinsecus, est & extrinsecus. Infelix, quia intrinsecus fortasse artes adquirere non potuit, quare non saltem extrinsecus adquisivit? Esto, sapientem se putavit, num tandem quid alii sentirent inquirere debuit? In rebus enim diversorum hominum diversa est opinio. Inde est illud Terentii; *Quot homines, tot sententiæ.* De quo & Persius inquit;

Mille hominum species & rerum discolor usus.

Putat se fortasse omnia scire, quod summæ dementiæ nullus ignorat. Nescit in hoc quid Cicero dicat: *Unum vix pauci possunt, utrumque nemo.* Et Maro: *Non omnia possumus omnes.* Contemnit testimonia gentilium scriptorum, saltem Apostoli sententiam ad memoriam reducat, qua dicitur: Alius judicat sic, alius sic; alius diem inter diem, alius omnem diem. Item: *Unusquisque in suo sensu abundat.* Nonne igitur debuit diligenter inquisivisse, an saltem parva intelligentia scripturarum mihi inesset? nimia jactantia elatus est, ut inter suos sapiens videri posset, veluti Cinero poëticus inter suos ultra hominem videri voluit. Rana in limo non dubitat se magnitudini vaccæ comparari, eoque modo monachus uno casu vult doctus haberi: sed dum sapiens videri voluit, stultum se monstravit, juxta illud Horatii:

Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt,

Est fortasse is de quo loquor tantum grammaticus, sed notum est non posse quemlibet unius liberalis artis scientiam integre percipere, nisi studuerit omnibus aliquam opellam dare. Ciclicæ namque dicuntur, atque ita in se recurrunt, ut modo trium sonorum connexæ reperiantur; non enim Achar ille sub lege positus, cujus anima secundum Ovidii dogma Achar iste vivificatur, ad radicem montis stetit, aut vocem loquentis Domini audivit; in heremo natus sub murmure crevit, servatque adhuc anima ejus ferinum morem, quo in heremo ille a Moyse decidit, & Josue non bene cohæsit, Ille in activa vita persistere noluit, & ad contemplativam nequaquam pervenit; in iti-

nere ergo defecit, ah tepidus substitit. Jam A illum fortasse humani generis æmulus suo cauterio inussit. Utinam aut calidus aut frigidus esset, nam melius fuerat ei secundum Apostolum viam veritatis non agnoscere, quam post agnitionem retrorsum converti. Hortarer vos ad exhibendam huic opem medicinæ, sed vereor inveteratus sit morbus.

Elleborum frustra cum jam cutis ægra tumebit,
Poscentes videas, venienti occurrere morbo. Persius.

Hæc vobis communicanda putavi, quibus B & vanitatem stulti monachi, & me non per omnia qualem putavit cognoscatis Nam sunt quidam stulti, qui ad mensuram sui alios metiri volunt, veluti miserrimus iste, qui comparatione sui cum a pusionibus laudaretur, nihil alios æstimavit. Ergo in ipsa sui æstimatione deficiat, atque prudentium judicio tabescat, nisi palam monstraverit qualem se in conclavi monasterii monstrare voluit. Nobis tamen quibus præcipitur, ut pro inimicis oremus, procurandum est, quatinus divinis mandatis obsequamur. Dignum C quapropter putavi epilogum hujus epistolæ precibus terminari.

Conditor omnipotens rerum, qui cuncta gubernas,
Quique soluta ligas, & sparsa reducis in æquum.
Nec finis in solido positum dissolvier umquam.
Cui nihil quod pereat, nihil est quod sine fatiscat.
Cuncta tibi vivunt, famulari cuncta laborant.
Nil sub te moritur, vitæ cum limina servas.
D Quicquid adesse decet, nihil est quod constat abesse.
Da pater omnipotens veniam, da, posco, regressum.
Qui cecidere suo demersi crimine, cede
Consurgant tenero sub nomine fonte renati.
Non illos extrema dies transmittat averno.
Portitor ille Charon limosa haud evehat unda.
Sors procul abscedat, Minois cesset & urna
E Quos tribuit Christus medicabile pignus in unda.
Sentiat Hixion solitæ vertiginis ictum.
Saxa rotent alii, jecur his increscat opimum.
Vulturis in rabiem, solvantur viscera siti
Vicina Heridani, cui non conceditur unda.
Ille cibos vacuis expectet hiatibus amplos.
Quem furtale malum prohibet contingere mensas.
Cetera pænarum vulgus gentile coarcent.
More rapit pecudum quod per diversa libido.
Dummodo qui sese Christi sub jure fatentur,
Effugiant laqueos inimicaque tela draconis,
Protecti clypeo & non deficiente lorica.
Inter quos si forte meam quis rodere vitam
Expetit, invidiæ maculis noxaque remota,
Evolet alta petens liber, tricasque refutet,
Seque Deo extremo socians examine lætus
Dextra petat, quo præclara jam laude beatus,
Gaudia percipiat lucrati pecunia nummi.
Euge feratque simul Domini sine fine beatum.

Finis.

DIPLOMA HENRICI ARCHIEPISCOPI Trevirensis pro S. Maximino.

In villa Marlscensi habito conventu, parœcia ejusdem fines rogatu monachorum sancti Maximini ibidem determinat.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Notum sit omnibus fidelibus tam præsentibus quam futuris, qualiter ego HENRICUS divina annuente clementia Trevericæ sedis præsul, adveniens in villam *Marisch*, terminationemque sanctæ matris ecclesiæ in eadem villa constructæ multis annorum curriculis adscriptam requirens, maxima ex parte antecessoris mei huc illucque decisam negligentiaque substractam inveni. Rogatu itaque monachorum, Deo sanctoque Maximino famulantium, quorum utilitati eamdem ecclesiam scimus a comite NITHARDO & conjuge ejus ERKANFRIDA donatam, placuit ingenuorum tam clericorum quam & laicorum cum nostra auctoritate ibidem fieri conventum, ut eamdem terminationem ab ecclesia prædicta ex parte mutilatam, tantorum fidelium posset adunari & roborari testimoniis, quod & factum est. Quapropter visum est eamdem terminationem anno incarnationis Domini DCCCCLX. indictione vero III. fidelium, ut diximus, testimoniis conquisitam scriptis etiam assignari & locorum adjacentium notari vocabulis. Descriptio ista determinationis hæc est. A *Vvischebach* usque *Ischa*, ab *Ischa* usque *Calambach*, a *Calambach* usque *Heimensiturad*, ab *Heimensiturad* usque *Beiresroth*, a *Beiresroth* usque *Vvesestein*, a *Vvesestein* usque *Stalbach*, a *Stalbach* usque *Bisiceromarkun* * a *Bisiceromarkun* usque *Ulinabach*, ab *Ulinabach* *.... usque *Pitigeromarkun* *..... *geromarkun* .....

Anno 960. Ex ms. S. Maximini.

* Nunc Bissen.
* Hodie Vveilerbach.
* Nunc Pittingen.

usque *Diefenbach*. A *Diefenbach* usque *Engilisharte*, ab *Engilisharte* usque *Mentebach*, a *Mentebach* usque *Bucdoleistein*, a *Bucdoleistein* usque *Dutilumbrunnum*, a *Dutilumbrunnum* usque * *Vviverc*, a *Vviveren* usque *Kerdeslegen*, a *Kerdessegen* usque *Masche* & *Houmbouch*, ab *Houmbouch* usque *Ticmeresberch*, a *Ticmeresberch* usque *Heidenbrunnum*, ab *Heidenbrunnum* usque *Frithegardun-Broile*, a *Fritegardun-Broile* usque *Gladabach* *, a *Gladabach* usque *Ticsfurs* & *Merdebach*.

* Vveger.

* Glabach.

PRÆCEPTUM OTTONIS imperatoris I.

Prædia quædam Loganæ fluvio assita Theoderico præposito Moguntiacensis ecclesiæ attribuit.

Anno 961 Ex ms. S. Maximini.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. OTTO divina præordinante clementia rex. Notum sit omnibus fidelibus nostris præsentibus scilicet & futuris, qualiter nos per petitionem nostræ dilectæ conjugis ADELHEIDÆ, atque interventum WILHELMI sanctæ Maguntiensis ecclesiæ venerabilis archiepiscopi, tale præmium, quale Lantberto & Megingozzo per EMICHONEM comitem secundum jus scitumque Francorum, judiciumque * scabinum ablatum, & in fiscum regium debita bannorum examinatione transmissum est, hoc est quicquid in Kirero marca, vel in Bergero marca, sive in Husenbachero marca, seu in Wickenrodero marca, necnon & in Putbwillaringero marca possidere videbantur, cuidam nobis admodum familiari nomine Theoderico præfatæ ecclesiæ præposito, præcepto in proprium donavimus, in mancipiis videlicet utriusque sexus, & in areis, agrisque cultis & incolendis, in pratis, silvis, pascuis, aquis, aquarumque decursibus, piscationibus, molendinis, exitibus & reditibus, sive in acquisitis rebus vel acquirendis, atque omnibus ad prædicta loca jure pertinentibus. Ut autem hoc firmum stabileque & per succedentium curricula temporum infractum atque incommutabile permaneat, & ut ipse præfatus Theodoricus ejusdem prædii supradicti potestatem atque liberum arbitrium habeat donandi, vendendi, sive commutandi, vel etiam quicquid sibi jure libuerit faciendi, hoc præsens præceptum conscribi, anulique nostri impressione jussimus corroborari, necnon & propria manu subtus firmavimus.

* f. Scabinorum.

Signum domni OTTONIS invictissimi regis.

LIUDULFUS cancellarius ad vicem BRUNONIS archicapellani recognovi.

Data IIII. cal. Junias anno Dominicæ incarnationis DCCCCLXI. indictione IIII. anno videlicet regni serenissimi regis OTTONIS XXVI.

Actum Ingilinheim.

CARTA THIEDONIS prædium suum S. Maximino donantis.

Anno 962. Ex ms. S. Maximini.

IN nomine summæ sempiternæque Deitatis. Quoniam ineffabilis clementia Domini Salvatoris nostri per eleemosynam mundari promittit in evangelio inquiens: *Date eleemosynam & omnia munda sunt vobis*. Idcirco ego THIEDO ut hujus fidelis & salutiferæ promissionis participium adipisci merear, trado S. Maximino ob salutem animæ meæ & patris mei HUMBERTI, seu etiam pro acquisitione meæ præbendæ, quoddam hereditatis meæ prædium *Dalaheim* nominatum, quod est in Rezensi pago, in comitatu Waldevinga, cui EGITOLFUS comes præesse videtur. Dedi ergo & perpetualiter datum esse volo locum ipsum *Dalaheim* (a) cum ecclesia, & quidquid ad prædictum prædium pertinet tam in mancipiis infra & extra manentibus, quam ædificiis, terris cultis & incultis, pratis, pascuis, silvis, aquis aquarumve decursibus, mobilibus & immobilibus, viis & inviis, exitibus & reditibus, quæsitis & inquirendis, quatenus absque ullius contradictione monachi in loco, ubi ipse S. Maximinus requiescit, Deo illique famulantes, deinceps illum jure hereditario teneant, atque ad suam utilitatem possideant. Familia quoque ipsa in servitio & censu quo a parentibus meis vel a me habita est permaneat. Quod si aliquis propinquorum meorum, vel alius omnino hanc donationis meæ eleemosynam destruere tentaverit, omnium fidelium pietas ei resistat, & nisi cessaverit, in die extremi examinis, ut eleemosynæ destructor, coram Deo rationem exsolvat.

Luc 11. 41.

[a]

Acta autem est hæc traditio publice Trevere in basilica S. Maximini confessoris Christi atque pontificis, astante venerabili abbate ipsius cœnobii WIKERO & omnibus monachis, simulque HILDRADO domus advocato, per fidejussores quos vulgariter Saleburgiones (b) vocamus, Wolmarum & Harduwicum coram testibus subnotatis, Wolmaro, Adalberto, Liuthardo, Warnero, Theodone, Thurinberto. Anno dominicæ Incarnationis DCCCCLXII. indictione V. regni serenissimi regis Ottonis XXVI.

[b]

[a] Ibi sunt quædam stativorum Romanorum vestigia, de quibus prolixius in historia ms. monasterii sancti Maximini, & in historia antiquitatum Lucemburgi nondum edita.

[b] Vide Vvendelini glossarium salicum verbo Sala & Saleburgiones.

JOHANNIS PAPÆ XII. privilegium.

De erectione archiepiscopatus Magdeburgensis & episcopatus Mersburgensis.

Anno 962. Ex ms. sancti Germani a Pratis.

JOHANNES episcopus servus servorum Dei reverentissimis confratribus archiepiscopis, episcopis, abbatibus, monachis, primatibus, omni clero & populo in Gallia, Germania, Bauvaria constitutis.

Quotiens ad profectum novæ christianitatis, concessionis firmitatisque privilegium a sancta Romana ecclesia, cui Deo auctore deservimus, exposcitur: toties omni diligentia, omnique amore impertiri, operæ pretium duximus, ne quod erga pia desideria propensius impendi convenit, callidi hostis invidia ob desidiam indesinenter subripiat. Totis ergo viribus, carissimi fratres, certandum est, ut christianitatem quam Deus omnipotens per servos suos cælesti trophæo extendit & provehit, nostro quoque per eum adjutorio in eodem solidetur. Nunc vero Dei operante clementia, charissimus & christianissimus filius noster rex OTTO devictis barbaris, gentibus scilicet aliisque quam pluribus, ut ad defensionem sanctæ Dei ecclesiæ, triumphalem victoriæ, imperii culmen, per nos a beato Petro apostororum principe susciperet coronam, summam & universalem, cui Deo præsidemus auctore, adiit sedem. Quem paterno affectu suscipientes, ob defensionem sanctæ Dei ecclesiæ in imperatorem cum B. Petri benedictione unximus. Cumque in ecclesia B. Petri apostoli de statu & regimine totius christianitatis tractantes, quæ utilia sunt utiliter secundum Deum tractarentur, præfatus piissimus imperator OTTO qualiter Slavos quos ipse devicit, in catholica fide noviter fundaverat, nostræ innotuit paternitati, deprecans & obnixe postulans, ne oves quos ipse in Christo adquisierat, ob pastoris defectionem, antiqua serpentis versutia dominaretur. Ad hanc itaque petitionem assensum, fratres carissimi, merito præbuimus. Totis ergo medullis cordis, prout dignum est, ut novella hæc plantatio super verticem montis in petra, quæ Christus est, fundetur, intendamus, dabit vires qui neminem vult perire. Cujus annuente clementia volumus, & per hanc privilegii paginam jubemus, ut Magdaburgense (a) monasterium in regno Saxorum juxta Albim constructum, quod prælibatus sanctissimus imperator ob novam christianitatem construxit, quia vicinius id locorum gentibus est, in archiepiscopalem transferatur sedem, quæ per subditos suffraganeos totum Dei gregem regere & gubernare valeat. Volumus & per hanc privilegii paginam jubemus, ut (b) Mersburgense monasterium, quod ipse piissimus imperator, quia Ungros prostravit, futurum Deo devovit, in episcopalem debeat sedem, quæ Magedaburgensi sit subdita sedi. Et quia tot gentes sub uno pastore regi minime possunt, volumus & per nostræ auctoritatis privilegium censemus, ut censum ac decimationem omnium gentium, quas idem piissimus imperator baptizavit, & per eum suumque filium æquivocum regem successoresque eorum, Deo annuente, baptizandæ sunt, ipsi successoresque eorum potestatem habeant distribuendi, subdendi, Magedaburgensi, Mersburgensi, vel cuique velint futuræ sedi. Volumus etiam, carissimi confratres, & ex B. Petri apostoli jussione præcipimus, ut Moguntiensis, Trevirensis, Coloniensis, Salzeburgensis, Hammaburgensis archipræsules Magedaburgensis monasterii in archiepiscopalem, & Mersburgensis translationem in episcopalem sedem totis cordis corporisque viribus consentanei fautores persistant. Cum vero Deus omnipotens per prætaxatum servum suum invictissimum imperatorem, suumque filium regem, successoresque eorum vicinam Slavorum gentem ad cultum christianæ fidei perduxerit, per eos in convenientibus locis secundum opportunitatem episcopatus constitui, & in eisdem per consensum prædictorum quinque archipræsulum successorumque eorum ab archiepiscopo Magdaburgensi episcopos consecrari volumus suffraganeos. Sed tamen si præfati filii nostri piissimi imperatoris suique filii æquivoci regis, successoresque eorum statuta frangere tentaverint, aut prædictarum ecclesiarum, ceterorumque præsules successoresque eorum Magedaburgensi archiepiscopo suisque successoribus, eorumque suffraganeis & eorum successoribus adjutores consentaneique non fuerint, anathematis mucrone feriantur, a summoque retributore damnationem sine fine recipiant. Omnipotens itaque Deus serenissimo imperatori Ottoni, suoque nato æquivoco regi, spiritualibus filiis nostris, longævam tribuat vitam, quatenus in hoc sæculo tranquille viventes, in futuro immarcessibilis gloriæ percipiant palmam.

Scriptum per manum Leonis Scriniarii sanctæ sedis apostolicæ in mense Februario,

(a) Illud monasterium construxit Otto I. anno 937. instinctu piissimæ conjugis Edithæ in honorem SS. Petri & Pauli, atque SS. Mauricii & Innocentii, in quo eductos e Trevirensi S. Maximini cœnobio monachos instituit, quibus præfectus est Anno vir venerabilis, factus postea Vormatiensis episcopus. Primus autem novi archiepiscopatus pontifex creatus est S. Adalbertus, & ipse S. Maximini monachus.

(b) Mersburgense monasterium in sedem episcopalem erigi curavit Otto I. hortatu Bosonis S. Emmerammi monachi, qui cum in Orientali Saxonia innumeram Christo prolem sua prædicatione peperisset, imperatori auctor fuit, ut tres episcopatus illis in partibus constitueret, Misnensem, Cicensem, & Mersburgensem, cujus primus extitit præsul.

indictione v. Data II. idus Februarii per manum Georgii secundiarii sanctæ sedis apostolicæ, anno Deo propitio pontificatus domni JOHANNIS summi pontificis & universalis papæ septimo, imperii domni piissimi augusti OTTONIS a Deo coronati magni imperatoris anno primo . . . in mense, & indictione factum v.

OTTONIS IMPERATORIS diploma pro S. Maximino.

Leges prescribit advocatis de Sucgerbach.

Anno 963. *Ex cartario Trevirensi S. Maximini.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. OTTO divina annuente clementia rex. Notum sit omnibus Christi fidelibus præsentibus & futuris, qualiter WIKERUS abbas monasterii S. Maximini nostram humiliter adierit clementiam, postulans ut familiam prædicti confessoris Christi Maximini de *Sucgerbach* a miseriis & oppressionibus, quas ab advocatis patiebantur, absolveremus, & justitiam quam patres eorum habuerant, illis nostra regali auctoritate corroboraremus. Cujus piæ petitioni assensum præbuimus, & ut justitiam suam secundum jura antecessorum suorum sacramento firmarent, jussimus: quod ab eis in nostra præsentia juratum firmum & stabile per futura tempora decernimus, scilicet ut advocatus, quem ipsi petierint duo placita in anno teneat, & quidquid ibi palam vel secreto adquisierit, duæ partes ad altare S. Maximini, tertia advocato cedat. Ad unum vero placitum villicus advocato pro servitio dabit xxx. denarios, aut servitium quod valeat xxx. denariis. Ad secundum quoque placitum tantum servitium dabit illi quantum ad primum & non plus. Insuper toto anno quicquid advocatus in familia vel petendo, vel in eo quod extraneas uxores duxerint, aut in alia qualibet causa placitando adquisierit, duæ partes altaris, tertia advocati erit. Familia autem per annum advocato dabit, unusquisque eorum unum manipulum & unum denarium. Si in placito advocati culpabilis inventus fuerit, aliquis de ipsa familia, non plus quam quinque solidos solvat; qui vero omnino pauper est, unum tantum solidum & non plus dabit. Ipsos vero homines de *Sucgerbach* & omnes qui ad altare S. Maximini censum debent solvere, nullus umquam abbas audebit vel poterit ulla ratione cuiquam in beneficium præstare. Et ut hoc auctoritatis nostræ præceptum firmum & stabile permaneat, cartam hanc inde conscribi & sigilli nostri impressione jussimus signari.

Signum domni OTTONIS invictissimi regis.

LUDOLFUS cancellarius ad vicem WILLEHELMI archicapellani recognovi.

Data XII. calendas augusti anno dominicæ Incarnationis DCCCCLXIII. indictione VI. anno regni serenissimi regis III.

Actum Ingelinheim feliciter. Amen.

DIPLOMA CAPITULI ECCLESIÆ Leodiensis pro collegiata S. Martini in Monte publico ecclesia.

Ad supplementum fundationis ecclesiæ S. Martini tria loca concedit cum medietate vini quam in villa Haudregingas habebat.

Anno 963. *Ex ms. Cl. V. domini de Louvrex.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Omnibus ubique Deo militantibus fratres Leodienses salutem & gaudium. Omnes, quos veræ & illibatæ caritatis complectitur vinculum, hoc proprium habere decernunt, ut si quis alteri in quibuslibet oportunitatibus prodesse, aut aliquid utilitatis impertiri poterit, caritatem sectando illud studiose procurans contendant. Quapropter noverit omnium fidelium sanctæ Dei ecclesiæ tam præsentium quam futurorum industria, qualiter venerabilis vir domnus videlicet EVERACRUS sanctæ Dei ecclesiæ episcopus, ecclesiam sibi commissam dilatare cupiens, quoddam (a) monasterium extra civitatem sæpedictæ sedis in honore S. Martini instituit, ubi canonicis sub regula constitutis, toto nisu & conamine satagere cœpit, qualiter laus Dei inibi perpetualiter accresceret, eisque sustentatio corporalis numquam deesset. Unde & nos tantam ejus devotionem cognoscentes, suisque fidelibus & amicis plurima quæque ei in auxilium conferentibus, studuimus etiam de nostra communitate aliquod supplementum illi concedere, hoc est tria loca nostra Bues, Somna, & Madelgreias, cum mansis indominicatis & omnibus ad eos rite pertinentibus, ecclesiis, domibus, & ædificiis aliis, cambis, molendinis, terris cultis & incultis, mancipiis utriusque sexus, totum & integrum, quidquid in præfatis locis nostra videbatur esse possessio. Insuper etiam addidimus medietatem vini nostræ partis, quam habebamus in villa Haudregingas. Ista autem omnia pari devotione in communi egimus absque scrupulo murmurationis alicujus, ea videlicet ratione, ut ejus benevolentiam erga nos singulariter ac generaliter gratiose sentiamus. Hæc igitur tali ordine omnes successores nostros rogamus, atque ob reverentiam B. Martini contestamur, ut quemadmodum jam sua rationabiliter facta a suis successoribus conservari cupiunt; ita & hæc nostra non solum inviolabiliter conservent, verum etiam si necesse fuerit, suis auctoritatibus & subscriptionibus perpetuum man-

[a] Monasterii vocem usurpabant mediæ ætatis scriptores non solum ad significandam monachorum habitationem, sed etiam quamlibet ecclesiam, ut infinitis prope exemplis comprobari posset.

sura

sura alacriter corroborent.

Ego EVERACRUS episcopus hanc conscriptionem subscripsi atque canonicorum ejusdem monasterii sive fidelium laicorum, quorum nomina subter adscripta tenentur, manibus ad roborandum contradidi.

Signum Johannis præpositi, signum Guntramni. *Sequuntur sexaginta quinque subscriptiones, inter quas extant.* Signum HUBERTI advocati, signum ROBERTI comitis, signum GISLEBERTI comitis, signum FULCUINI comitis, signum EMMONIS comitis, signum HERIMANNI comitis.

Ego Heribertus ad vicem Adelvisi cancellarii recognovi & subscripsi.

Datum publice Leodio sub die XII. calendarum Maii, anno Domini DCCCCLXIII. indictione VI. regnante vero OTTONE rege XXVII.

DIPLOMA OTTONIS imperatoris I. pro S. Maximini monasterio.

Concedit villam ad Valles dictam, ut monachis æstate post somnum meridianum porrigatur in posterum vini haustus.

Anno 966. Ex cartario S. Maximini.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. OTTO divina favente clementia imperator augustus. Noverit omnium fidelium nostrorum tam præsentium quam futurorum industria, qualiter nos interventu dilectæ conjugis nostræ ADALHEIDIS fidelisque archiepiscopi nostri WILLIHELMI, pro statu & incolumitate regni vel imperii nostri, filiique nostri carissimi OTTONIS, quamdam villam de proprietate almi confessoris Christi Maximini in comitatu vel suburbio Trevirorum sitam, ad Valles nominatam, quam antecessor noster divæ memoriæ DAGOBERTUS rex Francorum prælibato confessori Christi pro suæ animæ absolutione, ut singulis kalendis pro eo vigiliæ agerentur, monachique Domino sanctoque Maximino famulantes in eisdem calendis inde pascerentur, sed & æstivo tempore post meridianam quietem, ob ejus memoriam inde vini haustus [a] vel potus clementia reficerentur, regali munificentia obtulit, multis retro temporibus ab antecessoribus nostris in beneficium datam monachis Domino sanctoque Maximino famulantibus in cœnobio quod in suburbio Trevirorum situm est, ex toto & integro imperiali benevolentia concedimus & remittimus, & ut calices aquæ, quæ hactenus ob paupertatem æstivo tempore pro calicibus vini, quos Dagobertus rex instituit, accipiebant, in antiquum & pristinum statum redeant & mutentur, volumus & firmiter jubemus. Ita sane nostra regia vel imperatoria auctoritate jubentes, ut prænominata villa cum omni integritate, sicuti a prædicto rege Dagoberto sancto confessori Christi Maximino oblata est, monachis prælibati cœnobii perpetualiter deserviat, nullusque successorum nostrorum eam hinc auferre vel in beneficium dare præsumat, ut nobis in regni negotiis occupatis, monachos eo devotius pro nostra salute Dominum exorare delectet. Et ut hoc auctoritatis nostræ præceptum firmum & stabile permaneat, cartam hanc conscribi & anuli nostri impressione signari jussimus, quam & propria manu subter firmavimus.

Signum domni OTTONIS magni & invictissimi imperatoris augusti.

LIUDOLFUS cancellarius ad vicem WILLIHELMI archicapellani recognovi.

Data VII. idus Januarii anno dominicæ Incarnationis DCCCCLXVI. indictione VIIII. anno regni domni OTTONIS XXXI. imperii vero IV.

Actum Coloniæ in Dei nomine feliciter. Amen.

PLACITUM CORAM WILLELMO comite Provinciæ inter Honoratum episcopum Massiliensem & Garibaldum & Avonancium de quadam terra.

Anno 968. Ex archivis S. Victoris.

NOTITIA quirpitionis vel diffinitionis in Arelate civitate publice ante domno WILLELMO inlustrissimo comite, & ante vassos dominicos, tam Romanos, quam Sallcos, una cum plurimarum personarum diversis legibus viventibus. Sunt nomina eorum Berengarius judices, Pontius major, Archimbertus, Aicardus, Willelmus, item Willelmus, Gisfredus, Rainaldus, Warnaldus, Ingilramnus, Amalricus, Winerius, Richebnus, Guadaldus, Aicardus, Odilus, Auno, Bernardus, Bertramnus, Rocius, Autericus, Poncius, item Pontius, Bonifilius, Adalburno, Teubertus, Poncius, Richardus, Guido, Rainaldus, David & aliis pluribus bonis hominibus, qui cum ipsis ibidem aderant, qui hanc notitiam subter firmaverunt. Ibique veniens HONORATUS gratia Dei Massiliensis episcopus ante domno WILLELMO comite, ceu etiam ceterorum hominum, quorum nomina jam superius scripta sunt, interpellavit aliquos homines his nominibus Garibaldum & Avonancium vel heredes illorum de terra S. Victoris martyris Massiliensis, quæ est in comitatu Aquense, in terminio de villa Stavello, id est vineis, campis, quod contra le-

[a] De hoc potu post meridianam quietem æstivo tempore nihil extat in regula S. Benedicti, antiquissimus tamen ordinis usus invaluit ut convenientibus post nonam in refectorium fratribus, vini haustus propinaretur, cujus fit mentio in Regula Magistri c. 27. in Consuetudinibus S. Benedicti Anianensis tom. 4. Analect. in capitulis monachorum ad Augiam directorum cap. 8. in capitulis monachorum Sangallensium c. 27. apud Udalricum & in lib. Usuum Cisterc.

gem & malum ordinem invaserunt, tenuerunt & possederunt. Et ipsi homines Garibaldus videlicet & Avonancius, vel heredes eorum, in præsentia stabant, & in suis responsis dicebant. De ista interpellatione, unde HONORATUS episcopus nos interpellavit, de ipsis vineis & de ipsis campis jam superius scriptis, melius debent nostras esse ex progenie parentum nostrorum quam episcopi, propter nullam causam sanctuariam succedere. Tunc comes præfatus & judex Berengarius judicaverunt ut episcopus perportare fecisset ad servos S. Victoris, hoc sunt homines, Letus, Avustus, Faraldus, Udulricus, Castellanus, ibi fuerunt adepti qui volunt jurare & perportare, ipsas vineas & ipsos campos, quod melius eis succederet ex parte S. Victoris, quam ipsi homines ad tenendum propter causam alodis, quod etiam episcopus paratus fuit. Videntes vero prædicti homines Garibaldus & Avonancius & heredes illorum, se recognoscebant quia nullum directum non habebant de ipsis vineis & de ipsis campis, & se guerpierunt, & stipulaverunt, & intra jacentem jactaverunt, & calcaverunt, quo ita & fecerunt. Et si legibus factum & definitum habui qualiter lex Romana commemorat, quicquid in præsentibus partibus fuerit ordinatum habebit plenissimam firmitatem, nec poterat immutari.

Actum fuit Arelate civitate publice, quorum corroboratione & signaculo subter tenentur insertum, propterea opportunum fuit HONORATUS episcopus, ut notitia guirpitionis & diffinitionis conscribere vel adfirmare rogasse, quo ita & fecit. Facta notitia ista XIII. calendas Septembris, anno XXXI. regnante Conrado rege Alamannorum vel Provinciarum.

JOHANNIS PAPÆ XIII. privilegium.

De erectione ecclesiæ Ausonensis in archiepiscopalem ecclesiam.

Anno 971. Ex ms. Colbertino.

JOHANNES episcopus, servus servorum Dei, omnibus in Christo dilectissimis confratribus nostris in Galliarum partibus commanentibus, carissimis, reverendissimis, archiepiscopis atque episcopis, apostolicam benedictionem & perpetuam in Christo salutem.

Dilectionem & fraternitatem vestram scire volumus, qualiter BORELLUS honorabilis & laudabilis comes orationis & redemtionis suæ causa apostolorum Petri & Pauli limina veniens, prostratus pedibus nostris, lacrymabiliter quæstus est, quemadmodum Terraconensem archiepiscopatum, qui olim caput in illis partibus fuerat, Ausonensi ecclesiæ subderemus, eo quod peccatis merentibus, ipsa jam dicta civitas Tarraconensis a Saracenis capta & pastore destituta, nullum recuperandi locum, aut inhabitandi usque hactenus reperire valeat. Propter quam causam prædecessorum meorum secutus auctoritatem, a modo & usque in perpetuum volumus, atque statuentes roboramus & confirmamus, ut Ausonensis ecclesia potestatem & primatum teneat Tarraconensis ecclesiæ,... ad Ausonensem ecclesiam confugiant, & quando aliquis ex illis ab hac luce migraverit, successor illius ab Ausonensi archiepiscopo, qui a nostra apostolica sede confirmatus est, succedat & consecretur. Unde quia sine sanctorum patrum auctoritate hoc nostrum privilegium confirmare nolumus, ante omnia & super omnia beatissimi & egregii papæ Gregorii instrumenta & documenta declarare depromimus, ubi ait ad BENENATUM episcopum Musitanæ ecclesiæ, « & temporis qualitas, & vicinitas nos locorum invitat, ut Cumanam atque Musitanam unire debeamus ecclesias, quoniam hæ non longo a se itineris spatio sejunctæ sunt, nec peccatis facientibus tanta populi multitudo est, ut singulos, sicut olim fuit, habere debeant sacerdotes. Quia igitur Cumani castri sacerdos cursum hujus explevit, utramque nos ecclesiam præsentis auctoritatis pagina inesse, tibique commisisse cognosce, propriumque utrarumque ecclesiarum scito te esse pontificem. Et ideo te quæcumque tibi de earum patrimonio, vel cleri ordinatione sive promotione juxta canonum statuta visa fuerint ordinare atque disponere habebis, ut proprius revera sacerdos liberam & nostræ auctoritatis consensum atque permissione licentiam. Similiter episcopo Willitrano, atque Fundano, & Squalitano ita in cunctis: Temporis qualitas admonet episcoporum sedes antiquitus certis civitatibus constitutas, ad alia quæ securiora putamus, ejus diœceseos loca transponere, quo & habitatores nunc degere, & barbaricum possit periculum facilius declinari «: Et quia longum esset enarrare qualia & quanta documenta a sanctis doctoribus exinde dicta sunt, prout melius scimus & possumus, nostrum privilegium abbreviare curavimus, & OTHONEM virum venerabilem nuper episcopum ex modo & in antea, Deo favente, archipræsulem ejusdem Ausonensis ecclesiæ præesse (a) decrevimus: ita sane ut nullus nostrorum successorum pontificum dictum OCTONEM archipræsulem confratrem nostrum, in omnibus quæ superius exarata sunt vel scripta, audeat inquietare, vel in aliquo diminuere, sed magis quiete & secure conservet ipsum succes-

(a) Hoc decretum effectu caruisse asserit Petrus de Marca in Marcæ Hispanicæ lib. 4. pag. 403. eo quod inaudito archiepiscopo Narbonensi conditum fuisset.

foresque suos. Nam si aliter, quod absit, qualiscumque homo sit dignitatis, qui hoc nostrum privilegium qualibet causa de omnibus quæ superius scripta sunt, infringere aut diminuere voluerit, sciat se auctoritate Dei, apostolorumque Petri & Pauli principum, quamvis nos indigni eorum vicariatione fungamur, a corpore & sanguine Domini nostri JESU CHRISTI esse alienum, & cum iniquis & transgressoribus a gremio sanctæ ecclesiæ segregatum. At vero qui pro intuitu custos & observator in omnibus extiterit, benedictionis gratiam & misericordiam a misericordissimo Domino Deo nostro consequi mereatur.

Scriptum per manum Gregorii notarii & secretarii & scriniarii S. R. E. in mense Januario, indictione XIV. Bene valete.

PRÆCEPTUM OTTONIS II. imperatoris pro S. Maximino.

Plura diversis in locis ablata S. Maximino restituit.

Anno 974. *Ex cartario Trevirensi S. Maximini.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. OTTO divina favente clementia imperator augustus. Noverit omnium industria fidelium nostrorum, tam præsentium quam & futurorum, qualiter venerabilis abbas THIETFRIDUS cœnobii sancti Maximini, qui in suburbio Trevirorum requiescit, piissimi genitoris nostri OTTONIS imperialem Ravennæ adierit clementiam, postulans quasdam proprietates prædicti confessoris Christi jure quodam præbendarias, ejusdem loci cœnobitis restitui. Cujus postulationem benigne suscipiens, in præsenti quidem distulit, hanc tamen si felici successu in patriam reverteretur, se completurum promisit, sed voti ejus effectum mors interveniens impedivit. Nos igitur imperii & voti successores ob eleemosynam prædicti genitoris nostri, necnon & per interventum dilectissimæ genitricis nostræ ADELHEIDIS, conjugisque nostræ THEOPHANIÆ, fidelisque comitis nostri BERTOLFI, petionibus præfati abbatis, monachorumque annuimus. Igitur nostra imperiali dignitate reddimus cœnobitis sancti Maximini quidquid prædictus confessor in pago & in comitatu videlicet *Nahegovve*, & in pago & in comitatu Wormacensi, & in pago & in comitatu Spirensi habere dinoscitur, scilicet totum quod hactenus RUOTBERTUS Mogonciacensis archiepiscopus in beneficio tenere videbatur, vel milites ejus, ut monachorum Deo inibi sanctoque Maximino sub regula sancti Benedicti servientium, quies his nostris donationis sublevata beneficiis, instantius libentiusque, & pro animæ absolutione piæ memoriæ genitoris nostri, necnon pro statu & incolumitate imperii nostri, Dei misericordiam jugiter exoret. Illud sane nostra imperatoria auctoritate jubentes, ut prædictæ proprietates prælibati confessoris Christi in supradictis pagis vel comitatibus sitæ, usui monachorum perpetualiter deserviant, nullusque successorum nostrorum, regum videlicet vel imperatorum, eas inde auferre vel in beneficium dare præsumat. Et ut hoc auctoritatis nostræ præceptum stabile & inconvulsum permaneat, hoc.... conscribi & anuli nostri impressione signari jussimus, quod propria manu subterfirmavimus.

Signum domni OTTONIS imperatoris augusti.

WILLIGISUS cancellarius vice RODBERTI archicapellani recognovi.

Data VI. calendas Septembris anno incarnationis Dominicæ DCCCCLXXIV. indictione I. anno regni domni Ottonis XIII. imperii VI.

Actum Franconofurt.

DIPLOMA LOTHARII REGIS Francorum pro monasterio S. Quintini in Insula.

Singinam villam Medetensis in Flandria pagi à publicis oneribus eximit.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. LOTHARIUS gratia Dei Francorum rex. Si divinis cultibus operam dantes, sacræ religioni suffragari nitimur, progenitorum nostrorum privilegiis fulti jure regio utimur. Igitur notum sit omnibus sanctæ matris ecclesiæ filiis tam præsentibus quam futuris, quod ARNOLDUS abbas cellæ sancti Quintini, quæ sita est in fluvio Somenæ, in suburbio ejusdem municipii, ante nostram accessit præsentiam, humiliter nostram exorans excellentiam, ut villæ sancti Quintini, quam ipsi monachi tenent in pago (a) Medetensi nomine Syngin, aliquod ex nostro beneficio largiremur, quod pro Dei amore facere decrevimus. Præcipimus ergo atque statuimus, ut ab hodierna die eadem villa cum suo procinctu immunis maneat ab omni querela comitis, sive regalium ministerialium, sed quidquid in ea corrigendum sive in latronibus, sive in aliis querimoniis fuerit, ex nostra concessione abbas & ministri ejus libera utantur facultate. Ut autem hæc nostra concessio inviolabilis semper maneat, manu propria hanc conscriptionem firmavimus & anulo nostro signari jussimus. Si quis vero, quod minime futurum credimus, contra hanc exsurgere tentaverit, primo iram Dei incurrat, deinde perpetuo exilii periculo succumbat, & quod repetit nequaquam obtineat.

Anno 976. *Ex cartario S. Quintini in Insula.* [a]

Signum LOTHARII gloriosi Francorum regis.

(a.) Vulgo *Synghin en Melantois en Flandre.*

Adalbero notarius vice Adalberonis Remensis episcopi recognovi.

Actum Lauduno nonas Augusti indictione IV. anno XXHI. Lotharii inclyti Francorum regis.

RESTAURATIO MONASTERII S. Quintini de Monte ab Alberto comite.

Anno 977. Ex autographo.

Ego Adalbertus comes notum esse volo tam præsentibus quam futuris, in meo Viromandensi comitatu ab antiquo extitisse ecclesiam in honore sancti Quintini martyris dedicatam, in monte sitam juxta vicum Peronam, quam quondam Dagoberti regis auctoritate, Erchenaldi præfecti donatione, sancti Eligii pontificis benedictione, Ultanus quidam genere Scotus, professione monachus, ecclesiasticis sanctionibus & monasticis instituit institutionibus, abbatis honore functus; post cujus vitæ excessum, incuria ac barbarorum insectatione ad tantam desolationem ipsa pervenit ecclesia, ut vix rara antiquæ habitationis apparerent vestigia. Hanc igitur pro meæ remedio animæ, prædecessorum sive heredum meorum salute, divina compunctus inspiratione, jussi a fundamento reædificare; & abbate constituto, cum consilio fidelium meorum, abbatiam studui dotare; sicque in perpetuum ratum & inconvulsum permanere. Hujus autem dotis res hæ sunt. In pago Virodunensi villula una quæ dicitur *Aissilcourt*, & in ipso pago in villa Curticulus nuncupata mansi septem, & medietas ecclesiæ de Duriaco, apud castellum Nigellum super fluvium Lingonpontem cum terra appendente ibi. In Tegeri hamo mansi duo, & in villa quæ dicitur S. Radegundis mansi tres. In vico medietas capellæ sancti Quintini cum quatuordecim hospitibus. In villa Alania super fluvium Hallo duodecim hospites cum terra colenda & prato uno. Ad ecclesiam ejusdem montis respicit villa quæ Vivarius, cum suis adjacentibus super fluvium Grinsionem. In villa quæ *Douin* vocatur molendinum unum cum tertia parte prati ibi appendentis. In pago Suessionico in villa quæ *Allemans* vocatur tres mansi cum curia indominicata. In his ergo domino Quintino martyri datis rebus, nullus heredum vel propinquorum meorum, non comes, nec vicecomes, nec ejus liberæ ingenuitatis homo aliquid a modo accipiat causa consuetudinis seu advocationis, non bannum, non justitiam, non districtionem, nisi fideli precatu ipsius abbatiæ abbatis. Quod qui infringere præsumserit, pro suæ temeritatis ausibus æternis subjaceat maledictionibus, & publicis coactus resipiscere teneatur legibus. Cujus actionis testes laudatores confirmarunt.

Ego Adalbertus comes, qui fieri jussi, confirmavi.

S. Heriberti comitis, S. Widonis comitis. S. Philiberti. S. Luntberti, S. Walchisi, S. Odonis, S. Ivonis, S. Bostevi, S. Walcelini, S. Amalrici, S. Walmeri, S. Odonis, S. Macharii.

Ego Liudulfus Wermandensis ac Noviomensis ecclesiæ episcopus subscripsi, confirmavi.

Actum in curia sancti Quintini die passionis ejusdem.

PRIVILEGIUM BENEDICTI papæ VII. pro monasterio Bisuldunensi.

Monasterium sub sua protectione suscipit, ejus possessiones confirmat, aliaque ei concedit privilegia.

Anno 978. Ex ms. Colbertino.

Benedictus episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Gausberto abbati monasterii Bisulduno, quod est situm infra castrum Bisulduni, ad flumen Fluviani, ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris, regularem viram professis salus, pax & benedictio, quod ad mundum permaneat. Amen.

Cum constet Dominum Deum nostrum honorem sanctæ universalis ecclesiæ incessanter a propagantibus beatæ fidei augmentare, necesse est accipientibus ab illo totius curæ regiminis: & idcirco ego Benedictus papa cum cœtu episcoporum presbyterorumque, cum omni caterva clericorum in Romana sede degentium, sub norma beatissimi Petri Deo militantium, in nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio roboramus illud donum, quod dilectus filius noster (a) Miro episcopus Gerundensis per paginam donationis Romanæ ecclesiæ tradidit pro remedio animæ suæ, suorumque parentum, videlicet ecclesiam S. Petri Bisulduno cum omnibus ecclesiis, & prædiis, & villis, & dominicaturis ab eo datis, seu ab aliquibus fidelibus in futurum concessis, adipisci potuerit, nostro in hoc præsenti privilegio in perpetuum confirmamus, & in omni libertate disponimus: statuentes etiam ut ordo monasterii, qui secundum Deum & regulam B. Benedicti, ab eodem episcopo institutus esse dignoscitur, semper inviolabiliter sub regimine proprio abbatis observetur. Præterea quæcumque bona idem monasterium in futurum donatione & pontificum concessione, regum vel principum oblatione, multorumque fidelium, dante Deo, poterint adipisci, a modo firma nobis sub tutela B. Petri & nostra illiba-

(a) Fundationis cartam monasterii Bisuldunensis a Mirone episcopo Gerundensi & comite Bisuldunensi atque a fratribus ipsius Olibano & Seniofrido comitibus habes in Marcæ Hispanicæ appendice pag. 919.

ta in sempiternum permaneant. Concedimus si quis de illis regionibus alodia vel aliqua oblatio mercedis sanctæ Romanæ ecclesiæ relinquitur, præfatum monasterium per nostrum beneficium possideat in sempiternum, & abbas qui præest, vel qui præfuerit in eodem monasterio, per singulos annos quinque solidos S. Petro Romæ persolvat in censum, & si minime annuatim venire non possunt, ad quartum annum viginti solidos persolvant. Statuimus etiam, ut quando abbas ipsius monasterii obierit, neque a regibus, neque a comitibus, neque a quacumque persona ibidem abbas constituatur; sed a cunctis ibidem degentibus servis Dei juxta Patris Benedicti regulam eligantur abbates; qui a Romano Pontifice, vel a suo mandatore benedictionem suscipiant. Confirmamus igitur & stabilimus, ut nullus archiepiscopus, nullus episcopus in ipsum monasterium, sive suas ecclesias, a prædicto episcopo datas, neque clericos in eis stantes, in eodem monasterio neque abbatem, monachos & conversos suos audeat & præsumat sententiam excommunicationis inferre, vel a nullo possint interdici vel excommunicari nisi a Romano pontifice.

Item etiam concedimus, ut si quis causa orationis ad prædictum monasterium venerit, habeat licentiam introducendi, & omne officium audiendi, nisi forte quis reatu suo proprio fuerit excommunicatus. Concedimus quoque ipsius loci abbati correctionem cunctorum suorum clericorum, ut nullus episcopus, nulla ecclesiastica vel laica persona dominationem ibi habeat: sed quidquid ecclesiasticum est, per manum ipsius abbatis, & sub regimine ipsius cuncto subsistant tempore. Oleum vero seu sanctum chrisma baptizantium, consecrationes altarium, a quocumque voluerit catholico episcopo suscipiat. Cimiterium de omni villa Bisuldini, & de omnibus circumstantibus villis, sicut a supradicto episcopo constitutum est, confirmamus & roboramus, &c.

Datum VIII idus Maias, imperante domnó nostro OTTONE, a Deo coronato, magno & pacifico anno XII. & indictione VII. anno dominicæ Incarnationis nongentesimo septuagesimo nono. Æra MVII.

DIPLOMA OTTONIS imperatoris II. pro sanctimonialibus Mulenbechiensis Parthenonis.

Quædam eis concedit privilegia.

Anno 979. Ex autographo asservato in Bodecensi monasterio.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. OTTO divina favente clementia imperator augustus. Noverit omnium fidelium nostrorum tam præsentium quam futurorum industria, qualiter nos ob petitionem & interventum fidelium nostrorum MIRONIS videlicet Mindensis ecclesiæ venerabilis episcopi, necnon BERENHARDI ducis sanctimonialibus in loco qui dicitur (a) Mulenbechi [a] Deo servientibus in memoriam nostri nominis concessimus, ut ab hominibus prædictæ ecclesiæ usibus ac servituti earum subditis regalis vel imperialis census, qui nostro juri solebat hactenus persolvi, a nullo comite vel judiciali persona deinceps exigatur. Ad hæc etiam præscriptis sanctimonialibus supplicum prænominatorum vota sequentes, indulsimus ut nullus comes, vel judex publicus, aut aliqua potens persona homines præfatæ ecclesiæ in suo judicio bannum eis imponendo, aut justitiam ab eis ullam aliquatenus exigendo, audeat inquietare, excepta solummodo lege illa, quam advocatus episcopi qui præsidet eidem ecclesiæ solitó more ab eis solet reposcere, & illa juris sanctione, quod necessario propter capitale crimen in præsentia ducis & judicum solet finiri. Et ut hæc nostræ jussionis auctoritas firmior per futura tempora & stabilior a cunctis habeatur, hoc nostræ dominationis præceptum inde conscribi manuque propria subtus notatum sigilli nostri impressione jussimus insigniri.

Signum domni OTTONIS invictissimi imperatoris augusti.

HILDIBOLDUS cancellarius ad vicem WILLIGISI archicapellani recognovi.

Data V. calendas Maii anno dominicæ Incarnationis DCCCCLXXVIIII. indictione VI. anno vero regni Ottonis secundi imperatoris XVII. imperii autem XI.

Actum Diusburg civitate feliciter. Amen.

In ipso autographo hactenus perseverat affixum sigillum.

FUNDATIO MONASTERII Vallis-Clusæ a Walcaudo episcopo Cavallicensi.

Anno 979. Ex archivis S. Victoris.

DIVINA suffragante misericordia, & sanctarum..... sanctorum locorum ad perficiendum divini cultus officium construxerit...... ædificaverit...... bonis... .... perpetuam accipiat retributionem. Quo circa ego WALCAUDUS divino favente juvamine, Cavellicensis ecclesiæ humilis præsul ut om..... B. confessoris Verani.... absolvere dignetur ab omni vinculo delictorum, & ad gaudia perducere æterna, cum consilio senioris mei CHUONRADI regis atque inclyti marchionis WLLELMI consilis.... atque.... monasterium infra meam .... quæ in (b) Valle-Clusa sita fore vide- [b]

(a) Nullam hujus Parthenonis notitiam habuit Mabillonius, cum annales condidit Benedictinos, cujus fundatores extitere nobiles personæ Hildiburga & Folchartus presbyter, ex diplomate Henrici II. regis Romanorum infra referendo.

[b] Hoc Vallis-clusæ monasterium postea S. Victori Massiliensi dedit Clemens episcopus Cavellicensis.

tur, ubi etiam quosdam religiosos ex mihi a Deo commissa ecclesia mitto sacerdotes, qui hujus sæculi abrenuntiantes pompam, ardenter gliscunt religiosorum imitari vestigia monachorum, eosque informo, quatenus inibi deinceps desudent implere officium: quibus etiam ad victum tribuo medietatem ..... supradictæ vallis, & duos molendinos, ea instante ratione, ut tam ipsi quam posteri illorum sic regulam firmiter teneant absque ullius hominis interpellatione, eosque jubeo sub pia ditione episcoporum Cavellicensium ...... ipsi ceu boni pastores super eos invigilent, & si forte aliquis eorum oberraverit, pastorali coërceant..... supradicti loci juxta sanctorum canonum instituta suis se subjiciant episcopis....... humilitate religionis in illorum potestate consistant. Sin autem, quod absit, aliquis ex successoribus meis, seu quislibet homo hujuscemodi donum aliquo tempore irrumpere...... proficiat, sed omnipotentis Dei iram & maledictionem incurrat, & post istius vitæ finem, in inferno cum Juda traditore damnetur perpetuo anathemate, ac decem libras auri monachis in ipso monasterio Deo famulantibus coactus componat.... postea hæc in...... obtineat vigorem. Facta est hæc donatio seu institutio Avenione IIII. idus Maii anno dominicæ Incarnationis DCCCCLXXVIIII. indictione VII.

Tribuo namque ad supradictam ecclesiam S. Mariæ & S. Verani confessoris Christi, de mea parte medietatem de vineis, quæ in præsenti in illa valle esse videntur, & in antea quantum ipsi in suo do........re potuerint absque ullius contradictione teneant eo tenore, quod supra insertum esse videtur......, hereditatem seu donationes quod homines qui..... sub tuclera mittere .... in antea obtulerint hoc

Signum WALGAUDI episcopi qui donationem istam scribere jussi & testibus firmare rogavi.

Signum SILVESTRI archiepiscopi Aquensis ecclesiæ.

Signum WARNERII Avenionensis ecclesiæ

Signum WILLELMI comitis.

.... chanonicus S. Mariæ vel.... .... vit. Dodo firmavit.... Auravi... ...... ricus firmavit. Rod..... firmavit.

Durandus presbyter........

DIPLOMA OTTONIS imperatoris II. pro ecclesia Leodiensi.

Notkero episcopo & successoribus ejus concedit telonium de Viseto.

Anno 983. *Ex schedis Cl. V. baronis de Crassier.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. OTTO divina favente clementia imperator augustus. Omnium fidelium nostrorum præsentium scilicet atque futurorum pateat industriæ, quia nostram adierunt serenitatem venerabilis scilicet Mettensium episcopus THEODERICUS noster consanguineus & illustris dux BEATRIX nostra consobrina, quatinus fideli nostro Leodiensium episcopo NOTKERO ad opus ecclesiæ suæ, sanctæ Mariæ scilicet & sancti Lamberti, perpetuo habendum concederemus teloneum anniversarium de foro in villa Viesato annuatim agendo, quod videlicet tam nostræ quam antecessorum nostrorum cameræ servitio constabat semper deservisse, quod etiam dictæ nepti nostræ ad tempus concesseramus. Igitur considerantes justam eorum petitionem propter supradicti NOTKERI episcopi in omnibus extra domique spectatam fidem, & devotionem erga nostræ fidelitatis executionem, a die præsenti tam ipsi reverendo episcopo, scilicet NOTKERO, quam & successoribus ejus ad honorem & usum ecclesiæ Leodiensis sanctæ Mariæ sanctique Lamberti martyris donamus, donatumque in perpetuum esse volumus anniversarium jam dicti mercati teloneum in villa Viesato, totum & ad integrum, & quod jam dicta dux de camera nostra tenuerat, & episcopo placitaverat, & quod quælibet judiciaria potestas nostro permissu vel districto comitis L. de jure prædii possidebat, quicquid videlicet ex coemptione animalium, vel ex omni genere tam vestium, quam ferri & metallorum, vel ex reditu navium, vel ex omnium commercio vectigalium, vel ex jure forali, vel districto judiciali possit provenire, totum & ad integrum de jure nostro & ministrorum nostrorum, in jus & dominationem episcopi Leodiensis & ministrorum ejus, a modo & in sempiternum transfundimus. Et ut hæc auctoritas largitionis nostræ per curricula annorum inviolabilem atque inconvulsam obtineat firmitatem, & a fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ & nostris verius certiusque credatur, manu propria subterfirmavimus & sigilli nostri impressione signari jussimus.

Signum domni OTTONIS invictissimi imperatoris augusti.

HILDEBALDUS cancellarius vice WILLIGISI archicapellani recognovi.

Data XVII. kalendas Julii anno dominicæ Incarnationis DCCCCLXXXIII. indictione XI. anno vero regni secundi OTTONIS XXV. imperii autem XV.

Actum Veronæ feliciter. Amen.

CESSIO FACTA WILLELMO vice-comiti Massiliensi de quibusdam bonis S. Victoris a Pontio episcopo.

ANNO dominicæ Incarn. DCCCCLXXXIIII. indictione XII. Ante tempus legi istius donationis etiam sine gestorum testificatione valebat: nunc vero post hanc legem, nec

Anno 984. *Ex cartario S. Victoris. eruit D. Fumerius.*

nuptialis, nec quælibet donatio valere potest, si gestibus non fuerit alligata. Hic est carta conventionis, quæ convenit inter domino PONTIO episcopo sanctæ sedis Massiliensis ecclesiæ & clero ipsius civitatis, nec non & domno WILLELMO vice-comite & uxore sua BELUDE, qualiter convenit inter eos de villas quæ sunt in comitatu Massiliensium, id est castro Almis cum villa Cobriana cum omnibus appendiciis suis, quæ ad ipsum castrum vel ad ipsam villam pertinere videntur, & in alio loco villa quæ nominant Madaligas cum omnibus appendiciis suis. In alio vero loco villa quæ nominant Mauranicum cum ipsas villas, id est Almona & *Ribols*, vel altaria, cum quantum ad ipsas villas pertinere videntur, & habet ipsas villas consortes, vel interminationes Almes usque in terminio de villa Auriolo, vel de Geminas, & Madaligas usque in terminio de *Torives*, & Mauranicus usque in terminio de Signa, & domnus PONTIUS episcopus cum clericis suis ipsius civitatis cedimus & donamus vobis, quantum infra ipsos terminos habemus de terra S. Mariæ, vel S. Victoris una medietate, propter remedium revertendum ad proprium alodem, sive de castris, vel de villis, vel de vineis, vel de campis, cultis & incultis, hortis, oglatis, pratis, pascuis, silvis, garricis, arboribus pomiferis & impomiferis, aquis, aquarum vel decursibus, earumdem ista omnia suprascripta donamus vobis unam medietatem sine interpellatione de ullo episcopo, & faciatis de ipsa medietate quicquid facere volueritis, id est habendi, vendendi, concedendi, vel commutandi, vestrisque heredibus derelinquendi, in Dei nomine habeatis integram licentiam & potestatem. Sane si quis, ego PONTIUS episcopus, aut ullus episcopus de successoribus meis, vel ullus homo, aut ulla opposita vel amissa persona quæ contra cartulam istam ire, agere, vel inquietare voluerit; non hoc valeat vendicare quod repetit, sed componat in vinculo de auro optimo libras XII. & in antea cessio vel donatio ista firma & stabilis permaneat omni tempore cum stipulatione interposita pro omni firmitate subnexa. Facta cessione vel donatione ista in Massilia civitate publice V. idus Februarii anno XLIIII. regnante CONRADO rege Alemannorum sive Provinciæ. † Signum domnus PONTIUS episcopus qui hanc cartulam fieri jussit, & testibus firmare rogavit, manu sua firmavit. Sig † num Deodato, Sig † num Nicetio, signum Autardo, signum Marino, signum Fulcardo, signum Dominico, signum Riculfo.

PLACITUM CORAM WILLELMO comite inter Pontium episcopum atque Adalardum abbatem S. Victoris, & Radulfum episcopum atque Imonem de villa Camaricas, gallice *La Camargues*.

Notitia definitionis vel guirpitionis in quorum præsentia in placito generale.

Anno 984. Ex cartario S Victoris eruit D. Furnerius.

VVILLELMO comite in Monoasca, venit episcopus PONTIUS sanctæ sedis Massiliensis ecclesiæ, & abbas S. Victoris martyris ADALARDUS: reclamaverunt se de RODULFO episcopo & DELMONE, vel de ipsos heredes qui ipsam terram tenent Camaricas. Fuit Heldebertus judices, Garbedus judices, in ipso placito, quia & ipse Rodulfus & ipsi heredes ipsam terram malo ordine tenebant contra ipsam ecclesiæ S. Victoris. Venit episcopus PONTIUS & ADALARDUS abbas, voluerunt jurare & probare cum testibus suis, quorum nomina hæc sunt, Ariberto presbytero, & Bernardo monacho. Venerunt ante altare S. Mariæ, quod si Deus illis adjuvasset, voluerunt jurare de villa illa Camaricas, totam tertiam partem. & ipsas colonicas tres absas, melius debet esse S. Victori, quam RODULFO episcopo & IMONE, & ipsos heredes, qui ipsam terram tenebant contra legem. Postea recognoverunt se ipse Rodulfus & Imo, & ipsi heredes guirpiverunt, & in terras jactaverunt, & stipulaverunt in manu PONTIONI episcopi, & in manu ADALRADO abbate, in præsentia GUILLELMO comite, & Hildeberto judice, & Garbido judice, & Aicardo & Guilmo, & Pontione, & Johannam, & Amico, & Tassilo, & Leugerio, & Leufrido, & Pontione, & Castone, & aliis plus bonis hominibus, tam satellites quam pagenses, quicquid in præsentibus partibus fuerit hordinatum habebit plenissimam firmitatem, nec poterit immutari. Si quis autem principe per judicium judicis fuerit definitum, nec poterit immutari, sed postea tentare voluerit X. libras auri esse damnandum.

† Aldebertus presbyter. † Warbinus presbyter.

Facta notitia ista in die Mercoris, in villa Manoasca, ante ecclesiæ sanctæ Mariæ, IIII. nonas Januarii anno XLIIII. regnante Conrado rege Alemannorum sive Provinciæ, Emoni firmavit, Nortaldus * episcopus firmavit, Radaldus episcopus firmavit.

* Aptensis.

DIPLOMA OTTONIS IMPERATORIS III. pro monasterio Indensi.

Confirmat ipsi jus eligendi abbatis, renovat ejus immunitates, mercatum ac monetam.

Anno 985. Ex ms. Cl. V. domini de Louvrex.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. OTHO divina favente clementia rex. Omnium fidelium nostrorum petitiones juste & rationabiliter auribus serenitatis nostræ infusas oportet implere, præsertim eas quas pro utilitate ecclesiarum sibimet commissarum nobis suggerunt, quia Deum nobis inde remuneratorem promereri liquido credimus. Quapropter noverit omnium fidelium nostrorum præsentium nec non & futurorum industria, qualiter ERWICUS Indensis monasterii venerabilis abbas, una cum sibi subjecta catervula, nostram adierint postulantes regalitatem, quod privilegium sibi abbates inter se eligendi tam a piissimo genitore nostro, quam a ceteris prædecessoribus nostris regibus vel imperatoribus hactenus concessum, nostræ renovationis auctoritate roboraremus. Quorum petitioni gratanter nos annuentes, devotiusque ob id genitrici nostræ dilectissimæ commonenti obsequentes, privilegium quod prædecessorum nostrorum temporibus obtinuit, per nostram corroborationis auctoritatem firmavimus. Ea vero ratione, ut ipse abbas nulli nisi regiæ vel imperiali potestati sub obsequio servitutis subdatur, neque jure cedat alteri potestati. Post decessum vero ejusdem abbatis, liceat eis secundum institutam normam sibi eligere abbatem, nullaque potestas absque consensu & voluntate eorum monachum quempiam ex quolibet monasterio in præsignato loco pro aliqua occasione constituat, unde in postmodum aliqua oriatur dissensio. Decrevimus quoque hoc præceptum conscribi, per quod volumus, firmiterque jubemus, ut nullus judex publicus superioris aut inferioris ordinis reipublicæ procurator, ad causas judiciario more audiendas, in cellulas, ecclesias, aut villas, seu reliquas possessiones, quas moderno tempore in quibuslibet provinciis aut territoriis nostri imperii possidet, vel deinceps in jure ipsius monasterii divina pietas voluerit augeri, ingredi præsumat, nec freda aut tributa, vel mansiones, aut paratas, aut theloneum, ripaticum, portaticum, pontaticum, salutaticum, rotaticum, pulveraticum, trobaticum, aut fidejussores tollere, aut homines tam ingenuos quam servos super terram istius monasterii commanentes distringere, nec ullas publicas functiones, aut redhibitiones, vel illicitas occasiones requirere, quibus in aliquo idem monasterium, sibique subjecti aliquod injuste patiantur incommodum, nostris futurisque temporibus quisquam temerarius existat, qui ad id faciendum illicitam sibi potestatem attribuere audeat. Sed liceat memorato abbati suisque successoribus omnes res prædicti monasterii, sive circa ipsum locum, seu ubique jacentes, culta & inculta sub immunitatis nostræ defensione quieto ordine possidere, & quicquid de rebus prænotati monasterii fiscus sperare poterat, totum nos pro æterna commemoratione prædicto concedimus monasterio, sicut & prædecessores nostri. Decima vero omnis dominicæ culturæ ad usus fratrum pertinentes jubemus atque sancimus, ut perennibus temporibus ad portam monasterii in alimonia pauperum atque hospitum detur. Cetera autem omnia ad stipendia monachorum ibidem Deo famulantium proficiant in augmentis. Mercatum quoque ibidem habendum, una propria cum moneta, sicut a pio genitore nostro illis traditum comperimus, ita & nos, domna augusta genetrice nostra interpellante, ipsis ad supplementum hereditario jure concedimus, quatinus ipsos servos Dei jugiter inibi Deo deservientes pro nobis & stabilitate regni nostri a Deo nobis collati ejusque misericordia per immensam conservandi misericordiam jugiter Dei exorare delectet. Et ut hæc auctoritas nostris futurisque temporibus Domino protegente, valeat inconvulsa manere, manu propria nostra subterfirmavimus, anuloque nostro corroborari præcipimus.

Signum domni OTHONIS gloriosissimi regis.

HILDIBALDUS episcopus cancellarius vice WILLIGISI archicapellani notavi.

Data XIII. calendas Septembris, anno dominicæ Incarnationis DCCCCLXXXV. indictione XIII. anno vero regni tertii Othonis secundo.

Actum Novomagii in Dei nomine feliciter. Amen.

PRÆCEPTUM BORELLI comitis de securitate castri Cardonæ.

Anno 986. Ex ms. Colbertino.

REGNANTE in perpetuum Domino nostro JESU CHRISTO, sexta mundi ætate, in sexto miliario sæculi, æra millesima vicesima quarta, anno trabeationis Domini nostri JESU CHRISTI DCCCCLXXXVI. resurrectionis dominicæ, nobis celebranda est pridie nonas Aprilis, luna vicesima, Deo auxiliante, & sacro divino eloquio nobis confortante, & sub jussione magno imperio nostro LUDOVICO rege obediente, filio LEUTARII regi anno primo corregnante, misericordia Dei postulante, ego BORELLUS gratia Dei comes & marchio facio præceptum, & securitatem atque liberationem in castro vocato Cardona, vel suis adjacentiis, & ad omnes abitatores ejus, seu ad posteritatem

ritatem & progenies eorum, quidquid ad usum hominum pertinet, seu alaudes illarum, ut ab odierna die, & tempore supra memorato jure & quieto ordine teneant & possideant. Et hoc securiter & in perpetuum feliciter sine aliqua dubietate, vel inquietatione de ullo homine: quia quando in primis construxit avus meus WIFREDUS comes & marchio bonæ memoriæ & ædificavit istum castrum Cardonæ cum suis terminibus, præcepit in suo præcepto, & suo verbo, & suo memoriale, ut omnes gentes & habitatores, qui ibidem stare veniebant, aut cum illorum bona ad hæc currebant, & hic vivere volebant, jure quieto tenuissent & possedissent perpetualiter. Et si aliquis malignus homo, aut superbia inflatus aliquid tulisset, aut diripuisset de sua facultate, de illo habitatores homines ille qui possedisset de sua facultate de illum malignum hominem, qui hoc malum fecisset. Et si unum asinum possedisset, ille qui perdidit duos meliores prendidisset, & de aliis modis in omnibus rebus sic in duplum præcepit custodiri vel defendere. Et si unam alapam, quamvis unus ex ipsis de abitatoribus suis percussus fuisset, de nullum malignum hominem duas pejores reddidisset sine dubitatione, & postea nullam calumniam pertimesceret in nullum judicium servitium. Similiter & de aliis plagis vel vulneribus, atque injuriis teneri & puniri jussit in duplum, & sic perdonavit ad omnes habitatores istius loci supra memorato, illam quartam partem de illo teloneo, ut inter eos divisissent, sicut faciunt hodierno die, & nullum censum non fecissent, nec habuissent, nec dedissent, nisi debitum sanctæ Dei ecclesiæ: quod est veram primitiam & veram decimam, & fidelem ofertionem, & sanctum sacrificium. Et si servus aut ancilla venisset inter eos, aut aliquis homo cum alienam uxorem aut sponsam, aut latro ingeniosus, aut aliquis falçator, vel criminosus, securus extitisset inter omnes alios habitatores, sine aliqua dubitatione, cum de aliis modis vel culpis in omnibus præcepit legem & directam justitiam inter eos per judices custodire, ad eum cujus potestatem eos condemnavit vel concessit patrono. Similiter sic præcepit frater meus MIRO comes & marchio, reliquit facultatem in suo nomine, subter sigillo confirmavit, sicut audivimus, dicta confirmata ab avo nostro jam supra nominato, & JESUS CRISTUS Dominus in centuplum ei retribuat. Amen. Et ego BORELLUS comes & marchio, & filios meos RAYMUNDO & ERMENGARDE, communiter simul in unum cum omni progenie parentorum nostrorum, unanimes, & una concordia in melius statuimus, & in melius confirmamus, & sic præcipimus custodiri. ut de ab odierno die & tempore omnis ho-

A mo, qui ibidem vivere vellet, vel habitare desiderat in hoc loco destinatum, vel in suis terminis quid habuit ab initio, & quod hodie habet, & quod habere debet, & quod cum Dei adjutorio habitatores ejus acquirere potuerint in omnibus locis jure quieto teneant & possideant, sicuti jam supra diximus, sine aliqua inquietatione vel functione vel redibitione, vel sine aliqua dubitatione de nullum hominem sinceriter & securiter in perpetuum. Præcipimus & ordinamus & B statuimus in melius, ut si quis malignus homo, aut superbia inflatus, aut scandalum tumulatus ad aliquem hominem, qui hic venire in loco isto, postquam directos gressus habuerit, iter profectus ad veniendum aliquis malignus homo insurgerit contra eum sine causa, & sine sua negligentia, & tulerit ei de sua facultate, ille qui perdidit septies tantum aprehendat de sua facultate de illum malignum hominem, qui hoc malum fecerit, & omnes habitatores loci istius adjuvent eum. Et si unum asinum perdet, septem asinos meliores aprehendere faciat, & C postea nullam calumniam pertimescat in nullu judicium. Similiter de aliis modis in alapis, in plagis, vel vulneribus, vel aliis injuriis, vel de omnibus rebus in septies tantum præcepimus custodiri vel defendere, & postea in nullum judicium, nullam calumniam pertimescat. Et sic perdonamus ad omnes habitatores loci istius, & ad illos qui venturi sunt & erunt, illam quartam partem de illo teloneo donare facimus ad domum sancti Vincentii, sicut fecerunt gentes nostræ ex toto, & in hebdomada duas comatas salis & necessaria ligna, & vos nullam redibitionem, functionem, seu censum alicui D faciatis, nisi sanctæ ecclesiæ, id est veram primitiam, & veram decimam, & fidele sacrificium, & debitam ofertionem Deo & ad ecclesias proprias. Et faciatis ipsa opera ad ipso castro, id est turrem & muros, & superpositos, & valles in profundum ad fodiendum ipsa septimana diem unum propter vestras animas ad salvandum, sive pro paginis & malis christianis. Et si vobis mayor necessitas fuerit, omnes vos emparabitis per vestram bonam voluntatem, sicut videbitis. Quoquo modo opus est vobis, ut vos defendatis contra inimicos vestros. Et si vos per vestram bonam voluntatem aliquem E bonum servitium feceritis ad seniorem vestrum, aut ad amicum vestrum, ut visitaveritis eum aliquid de vestra bona, aut receperitis eos in vestras domos, sicut fuit semper consuetudo ab initio a bonis hominibus ad faciendum, & est & erit semper inantea, ut aliquod servitium per vestra bona voluntate feceritis, aut in suorum necessitatibus aliquid adjuveritis, hoc non computet nullus homo per nullum censum, nec per nullum exemplum, nec per nullum malum vitium.

Quod si tamen aliquis malignus homo, aut senior malignus, aut amicus malignus hoc per censum computare voluerit, aut malum censum per aliquod malum ingenium adhærescere voluerit, ut in exemplo malo sit, nullatenus possit hoc facere, sed aspiciat oculis suis in ipsa scriptura, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & evacuet mala præsumtio sua, ut non sit alienus a regno Dei, & si tantum Deum timens non fuerit, & in sua malitia voluerit perseverare, & dicta maledictio de suo evacuare voluerit, alienus sit de regno Dei, & de temporali damno non poterit componere in septuplum: quoniam per malum censum aut vitium computaverit, & postea hoc non potuerit vendicare, quod malum voluerit facere vel adcrescere, & si aliqui fuit aut latro, aut criminosus falçator, aut aliquis malignus adulter cum aliena uxore, vel sponsa venerit inter vos: isti malefici secundum legem judicabuntur; quia non est bonum malignos habitare cum bonis, & stabitis in dilectione Dei, in legem directam & justitiam rectam, in quantum possitis secundum canones & leges doctorum, & abeatis inter vos omni tempore negotium rectum, & mercatum perfectum, & moneta una, & sine mutatione, & sine aliqua falsitate, ut qualis fuerit prima, talis sit omni tempore, & semper habeat firmitatem. Et dono vobis PETRO CREMEMIRO vice-comite, & posteritatem eorum, & in cujuscumque voce vos advocaverit, sequimini eum ubicumque ille voluerit in omnibus, & ipso die Jovis semper sit vestrum de illo sale in omni tempore, sicut fuit ab initio, &c.

Facta commemoratio, sive præceptum, vel confirmatio, sive judiciali agnitio, quæ nullus irrumpere audeat, vel mutare, vel cum socordia exturbare abhinc & deinceps, sicut scriptum est, hoc mense Aprilis, die VIIII. calendas Maii, luna decima ↄↄ IIII. epacta VII. A. C. sidus Grisolaris postquam ingressi fuerint XV. & antequam ingrediantur ad caput habeamus ad XLV. anno isto obiit Leutarius rex, qui regnavit anno XXX. & menses X. post obitum ejus anno quinquagesimo ingrediente, regnante filio ejus Ludovico rege.

Sig†num BORELLI gracia Dei comitis marchio.

Sig†num RAYMUNDI comes gratia Dei.

Sig†num ERMENGODE comes gratia Dei.

Sig†num ERMEMIRUS gratia Dei vice-comes, qui hunc præceptum vicem meam & omnium regni principum, seu pontifices, seu clericorum, abbatum, monacorum, cum omni gradu ecclesiæ sive laicos, vice-comites, & seniores, vel viliores personas regni nostro parentium simul confirmamus, & ad honorem eximium referimus. Quin etiam & in dilectione proximi habeatur & impleatur, fiat semper & oblivioni nullo modo frustretur. Hoc signum indidi per hoc robore validum. Statui & hoc firmare rogavi.

VIVAS gratia Dei episcopus.

ODO gratia Dei abbas de cœnobio sancti Cucufati.

ERMEGO qui vocor Bonifilio.

Sig†num Bonuncio.

Sig†num Geribertus vice-comes.

Ermengaudus sacerdos & judex.

Sig†num Visadus.

Sig†num GOCEFRIDUS frater Borelli comes.

Seniofredus.

Sig†num Unifredus.

Sig†num SENIOFREDUS gratia Dei vice-comitis.

GONDOMARUS gratia Dei etsi indignus episcopus.

DIPLOMA HUGONIS REGIS Francorum pro Turonensi S. Martini ecclesia.

Confirmat omnes illius immunitates & possessiones.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. HUGO Dei gratia Francorum rex. Si petitionibus servorum Dei pro quibuslibet ecclesiasticis necessitatibus aures nostras pulsantium libenter annuimus, & ad divinæ potentiæ in locis Deo dicatis uberius famulandum auxilium porrigimus, id nobis procul dubio & ad mortalem vitam temporaliter deducendam, & ad futuram feliciter obtinendam commodum provenire confidimus. Igitur notum esse volumus cunctis sanctæ Dei ecclesiæ fidelibus & nostris, scilicet præsentibus atque futuris, quia ad suggestionem atque precatum sancti Martini canonicorum adiit serenitatem nostri culminis vir venerabilis, noster quoque satis superque fidelis ARCHENIBALDUS (a) decanus ac RAINALDUS archiclavis basilicæ in qua sanctissimum corpus ipsius eximii confessoris Christi beati Martini venerabiliter requiescit, rectores rerum ipsius, humiliter deposcentes, ut monasterium sancti Martini cum omnibus rebus sibi pertinentibus de more regum videlicet prædecessorum sub nostræ immunitatis tuitione, ac defensionis munimine recipere dignaremur, ut sicut temporibus CAROLI serenissimi imperatoris, necnon etiam domni ODONIS gloriosissimi regis, omniumque prædecessorum nostrorum,

Circa 987. Ex cartario S. Martini.

[a]

(a) Ecclesia S. Martini postquam a monachis ad canonicos sæculares transiit, etiam abbates pro rectoribus habuit usque ad Hugonem Capetum ultimum abbatem, qui factus rex Francorum abbatialem dignitatem suæ univit coronæ, habitura deinceps decanos & archiclavos seu thesaurarios.

res ejuſdem ſancti Martini in Auſtria, Neuſtria, Burgundia, Aquitania, & in ceteris noſtri, Chriſto largiente, regni partibus conſiſtentes, quæ non ſolum a regibus, atque ab orthodoxis principibus, verum etiam a ceteris fidelibus collatæ, vel per quoſlibet contractus & munimina cartarum in jus ejuſdem ſancti Martini traditæ ſunt, & quieto jure in ditione ac regimine abbatum/ſeu decanorum, fideliumque fratrum Deo devote famulantium ordinatim extiterint, ita & noſtris temporibus ſine aliqua detractione vel diminutione, ſub noſtræ immunitatis defenſione conſiſtere, & ab omni publica functione ac judiciaria exactione immunes liberaſque decerneremus. Hac itaque conſequenti ac ſaluberrima ſuggeſtione permoti, illius præfati decani admodum venerandi petitionibus congruentiſſimis tanto libentius aſſenſum præbere dignum duximus, quanto & ipſum erga fidelitatem noſtram noveram eſſe promptiſſimum, & inſuper id quod ſentiendum ille petebat, noſtris futuriſque temporibus eidem venerabili monaſterio ac fratribus ibi perpetuo degentibus providebamus, atque ſalubertima. Primo ſiquidem monemus omnium atque præcipiendo jubemus, de caſtro quod ob infeſtationem Normannorum in circuitu jam dictæ baſilicæ obtentu atque juvamine ROTBERTI quondam venerabillimi ipſius loci abbatis ædificatum eſt, ne quiſpiam præter decanum ceteroſque canonicos ejuſdem cœnobii unicuique ab hac die aliquid deinceps, de quacumque re, in prælibato caſtro, ſive in circuitu ipſius, & uſque ad fluvium Ligeris, in hoc tantum quod juris ſancti Martini eſſe videtur, habeat exercendi poteſtatem juxta quod in præcepto domni CAROLI sereniſſimi regis prædeceſſoris noſtri, ad liberaliſſimam petitionem ſæpius nominandi abbatis ROTBERTI habetur inſertum, nec cuicumque fidelium noſtrorum in manſionibus clericorum in eodem monaſterio, immo in ipſo caſtro degentium, ſecundum inſtituta apoſtolicorum & regum, manendi licentiam damus, etiamſi noſtra affuerit præſentia. Concedimus etiam noſtræ largitatis munere, ut ſervitium illud ex præbendis eorum, quod abbates ejuſdem loci ex antiqua conſuetudine ſibi proprium vendicare conſueverant, atque jam dictus abbas ROTBERTUS ob ſuam & generalem omnium ad eleemoſynam eis per præceptum regale habendum perpetuo impetraverat, nos etiam e veſtigio noſtræ auctoritatis præcepto eis miſericorditer indulgere ſatagimus. Annuimus etiam ut percuſſuram numiſmatis, quæ & moneta dicitur, ſecluſo fiſci jure, iidem

A canonici, ex more ſemper habeant; refectiones quidem ex cellis in giro ejuſdem baſilicæ conſtructis, velut in præceptis prædeceſſorum regum continetur, ex priſco uſu ſingulis annis eis reddi jubemus, necnon abbatiolas (a) tres; unam videlicet ſancti Petri ad Cimeterium quod eſt extra caſtrum, & alteram ſancti Venantii ante portam caſtelli: tertiam vero ſancti Benedicti infra caſtrum; ſicut a priſtinis temporibus eatenus tenuerunt, ob immunitatis gratiam B largimur, & in reliquum abſque inquietudine cujuſlibet poſſidendas. Areas quoque in civitate, quas commutaverunt fratres cum domino HUGONE piæ recordationis abbate, cum terra quæ eſt extra murum, ſicut in carta commutationis exaratum eſt, perpetuo teneant. Decernimus etiam munificentia regali, ſuggerente & exortante præfato decano, ut ſicut præmiſſæ & nominatim prænotatæ ſancti Martini res ſive villæ, ita & ceteræ omnes ad eumdem venerabilem locum pertinentes, C quæque a prædeceſſoribus noſtris inviolabiliter huc uſque conſervatæ ſunt, velut in præceptis eorum, quæ in promptu habentur, contineri dinoſcitur, noſtræ quoque protectionis munimine, in quibuſcumque regni noſtri locis habeantur, inrefragabiliter noſtris futuriſque temporibus conſervari, quarum villarum nomina hæc ſunt: Lugogalus cum omni integritate ſuorum appendicum, Portus quoque & Antoniacus cum eorum appenditiis, Brugogalus, Curtiacus, & Tauriacus cum eorum appendi- D tiis, Caſtanetus quoque; Odatus & Medonna cum eorum appenditiis; Catinitus, & Vobridius ſuper Ligerim cum eorum appenditiis, Magittus, Colonia, & Premiæ, Braolio, & Mons Morimus, Fontenellus & Sacerellus, necnon & Veſacium, Oratorio, & Catanetus cum eorum appenditiis, Geneſtogalus, Novientus, & Sadobria cum eorum appenditiis. Item Vobridius in pago Cenomannico; Martiniacus quoque ſupra Ligerim, Priſcinnacus & Patriciacus cum eorum appenditiis, Ventiacus ſupra Carum cum omnibus eorum adjacentiis, Gandiaco E ſcilicet Bretehnaico. Cantus etiam picæ non longe ab ipſo Araris fluvio cum eorum adjacentiis. Liradus etiam, Belvacus & Beſton in Aurelianenſi, & villa Bania, & Mons in pago Miledunenſe cum eorum appenditiis, Saldoa & Noventus. Capleia & villa Comiſiacus, Miliciacus, & villa Curcellis cum eorum appenditiis, Saldoa & Novientus atque Merlaus cum eorum appenditiis. Sunt etiam hæc inſuper Vulton in pago Biturigenſi, & pratum quod eſt juxta Canabas in pago Turonenſi, Verruca in pago Pictaven-

(a) Ex tribus illis abbatiolis ſuperſunt hodie eccleſia parochialis S. Petri de Corporibus, ſeu ut habet hoc diploma ad Cimiterium extra urbem, S. Venantii eccleſia collegiata prope S. Martinum. S. Benedicti vero nulla extat eccleſia, haud procul tamen a Caſtro-novo videtur hactenus antiqua domus in urbe S. Benedicti nomine inſignita ad Majus monaſterium pertinens.

si, & villa quæ dicitur ad illam ripariam, atque prædiolum quoddam super rivulum Vorde, & insuper illas res quas duo fratres sancti Martini canonici Aganonis (a) videlicet atque Adjutor fratribus per cartam cessionis tradiderunt, quæ sunt tam in Blesiacensi pago, quam in Andegavensi, quam etiam in Turonico. Canormacus quoque in pago Andegavensi quam dedit fratribus HUCBERTUS abba, Antoniacus & Curciatus ad vestimenta quæ quidem sub omni integritate eorum stipendiis deputatæ sunt, ut omnibus temporibus, sicut in præceptis regum insertum est, illorum necessitatibus deserviant. Quidquid ergo de præceptis rebus beato Martino devote collatis, vel sibi pertinentibus in jus fisci cedendum fuit & a decessoribus nostris comperimus collatum, nostræ largitatis munere pro amore Dei, & reverentia peculiaris patroni nostri domni Martini, & pro communi eleemosyna tantorum qui res suas eidem contulisse noscuntur, quam nostra nostræque,... seu totius nostri regni statu per hoc nostræ auctoritatis præceptum volumus esse per immensum, eidem sancto Martino famulantibus sibi canonicis concessum, toto remoto fisci dominatu, ad sustentationem canonicorum etiam sit supplementum. Et ut nullus judex publicus, aut quilibet superioris aut inferioris ordinis reipublicæ procurator ad causas judiciario more audiendas, in ecclesias aut villas, seu reliquas possessiones quas moderno, vel priscis temporibus in quibuslibet provinciis, aut territoriis regni nostri basilica sancti Martini jus tenet, vel deinceps in jure ipsius divina pietas augere voluerit, ingredi præsumat, nec freda, aut tributa, aut mansiones, aut paratas, aut teloneum ex ullis negotiis, sicut in præceptis regum continetur exigere, aut fidejussores tollere, aut homines tam ingenuos quam servos super terram ipsius basilicæ commanentes distringere, nec ullas publicas functiones aut redibitiones, vel illicitas occasiones requirere tam temerarius audeat. Præcipientes etiam volumus, ut manselli qui sunt ad Berbezillos instituta compleant..... decimæ & nonæ dominicalium rerum tam ex villis fratrum, quam in beneficio datis hospitali nobilium atque pauperum, absque substractione aliqua in prædecessorum nostrorum & nostra eleemosyna deputatæ, habeantur. Si quis autem in tantam prærumpere ausus fuit audaciam, & hoc præceptum nostrum violare præsumserit, quemadmodum in regum præceptione continetur, & non solum in offensam nostram lapsurum, verum etiam sexcentorum solidorum auri ad purum excocti se noverit pœna mulctandum, ex quo duas partes rectores monasterii, tertiam vero jus fisci recipiat. Et ut hæc auctoritas inviolabilem effectum, & a fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ & nostris verius credatur, ac diligentius conservetur, manu propria subterfirmavimus, & de bulla nostra insigniri jussimus.

Signum domni HUGONIS gloriosissimi regis.

(a) Horum donationem seu testamentum edidimus in tom. primo Anecdotorum pag. 21.

PRÆCEPTUM HUGONIS REGIS pro Corbeiensi monasterio.

Privilegia ei ab antecessoribus concessa confirmat.

Anno 987. Ex archivis Corbeiensis monasterii.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis Patris & Filii & Spiritus sancti, HUGO mediatoris Dei & hominum propitiante misericordia Dei Francorum rex. Omnibus sanctæ matris ecclesiæ fidelibus manifestum fore haud ignoramus, quoniam nostræ sublimitas potestatis non aliter recto stare valet ordine, nisi omnibus & super omnia justitiam operando, ac justa priorum sectando mentaliter decreta regum, Deique ecclesiam sublimando. Quapropter notum esse volumus sanctæ Dei ecclesiæ filiis per omnia regna nostra degentibus, ea quæ antecessores nostri Francorum scilicet reges præcepto suæ auctoritatis confirmaverunt, nos per omnia confirmari & corroborari velle; quoniam valde justum constat atque religiosum, ut qui a Domino percepimus regni honorem, ipsi Deo conservemus quod ei collatum est pia credentium devotione, atque quod est aut regio munere aut fidelium devotione ad unumquodque cœnobium Deo famulisque ejus oblatum, nec ipsi auferamus, nec alios auferre permittamus. Etenim si quis alicujus hominis possessionem per violentiam sibi visus fuerit usurpare, reus publici juris efficitur, & tamquam raptor & pervasor hereditatis alienæ legali judicio puniendus subjicitur. Multo magis igitur quicumque res Deo consecratas in suam possessionem transfunderit, non humanitatem divini juris noxius tenetur, & non solum raptoris & pervasoris crimine, verum etiam sacrilegii nota damnandus cælesti judicio mulctabitur. Unde cognoscat totius ordinis fraternitas, quod venerabilis MAINGAUDUS abbas de monasterio Corbeiæ, adiit nos per reverendissimum ADALBERONEM archiepiscopum petens, quatenus omnia præcepta quæ antecessores nostri, Francorum scilicet reges, de loco Corbeiæ & de omnibus rebus ad eumdem locum pertinentibus fecerant, redintegrare fecerimus, ac præcepto nostræ auctoritatis confirmaremus. Cujus petitioni assensum præbentes, & religiosam esse petitionem considerantes, petita concessimus, & ut concessionis nostræ perpetuitas servetur, omnia præcepta prædicto monasterio facta nostræ auctoritatis præcepto corro-

borabamus, id est jam dictum cœnobium sub Romana & apostolica, sub regia etiam tuendum maneat ditione, & res ejusdem monasterii, sive quæcumque a fidelibus oblata fuerint Deo & congregationi fratrum ibidem Christo militantium, in dispositione abbatis & fratrum maneant, vel quæcumque legitimo jure videntur possessa in fratrum substantiis, videlicet in pecuniis, in agris, in prædiis, in domibus, in cellis, aut ecclesiis, seu in his omnibus quæ ad jus & ad dominationem fratrum pertinent, nullus episcoporum, comitum neque judicum, neque ministrorum ipsorum aliquid sibi potestatis jure vindicent aut exigant vindicanda, nec contra nostram auctoritatem facientes, nostraque decreta contemnentes, reos se nostræ majestatis & perpetuæ damnationis efficiant. Ut autem hoc nostræ auctoritatis præceptum firmum & stabile permaneat, manu nostra ego filiusque noster ROBERTUS rex subterfirmavimus, sigilloque nostro corroborari jussimus. Actum Compendio anno Incarnationis dominicæ DCCCCLXXXVII. indictione prima regnantibus gloriosissimis regibus HUGONE ac ROBERTO filio ejus anno primo.

Signum domni HUGONIS gloriosissimi regis Francorum, qui hoc præceptum fieri jussit, fidelibusque suis firmari præcepit.

Signum ROBERTI regis incliti.

Signum ADALBERONIS archiepiscopi Remensis.

Signum SEVINI Senonensis archiepiscopi.

Signum DAIBERTI Bituricensis archiepiscopi.

Signum WIDONIS Suessionensis episcopi.

Signum LISIARDI Parisiensis episcopi.

Signum GODESMANNI Ambianensis episcopi.

Signum ADALBERONIS Laudunensis episcopi.

Signum HERIVERI Belvacensis episcopi.

Signum WALTERI comitis Ambianensis ac filiorum ejus WALLERI, GOZEFRIDI, RODULFI.

Ego RENOLDUS cancellarius ad vicem domni ADALBERONIS archiepiscopi summi cancellarii recognovi & subterfirmavi.

DIPLOMA OTTONIS III. imperatoris pro S. Maximino.

Ablata variis in locis S. Maximino restituit.

Anno 992. Ex cartario Trevirensi S. Maximini.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. OTTO divina favente clementia rex. Noverit omnium fidelium nostrorum tam præsentium quam & futurorum industria, qualiter venerabilis abbas THIOTFRIDUS cœnobii S. Maximini, qui in suburbio Trevirorum requiescit, piissimi avi nostri OTTONIS imperialem Ravennæ adierit clementiam postulans quasdam proprietates prædicti confessoris Christi juste quidem præbendarias, sed multis retro temporibus injuste beneficiarias, ejusdem loci cœnobitis restitui. Cujus postulationem benigne suscipiens in præsenti quidem distulit, hanc tamen si felici successu in patriam reverteretur, se completurum promisit; sed voti ejus effectum mors interveniens impedivit. Prædictus vero abbas THIETFRIDUS, ejusque successor OGO eodem querimonio patris nostri OTTONIS atque divi imperatoris clementiam adierunt, ejusque simili modo promissionem, sed variis bellorum aliorumque imperii negotiorum obstantibus causis effectum completionis non perceperunt. Nos tamen regni & voti eorum successores adiens prædicti monasterii venerabilis abbas FOLEMARUS, per horum postulationum & promissionum testes & interventores dilectissimam videlicet aviam nostram divam imperatricem ADALHEIDEM, necnon & venerabilem sanctæ Moguntinæ ecclesiæ archiepiscopum WILLIGISUM in eleemosynam prædictorum imperatorum eorum promissionem nos complere postulavit. Igitur ob eleemosynam avi & patris nostri, & per petitionem prædictorum testium & interventorum, nostri regali auctoritate reddidimus cœnobitis S. Maximini quicquid prædictus confessor in pago & in comitatu videlicet *Nachgouve*, & in pago & in comitatu Wormatiensi, & in pago & in comitatu Spirensi habere dinoscitur, scilicet totum quod hactenus HERIBERTUS comes in beneficio tenere videbatur, ut monachorum Deo inibi sanctoque Maximino sub regula S. Benedicti servientium quies his nostræ donationis sublevata beneficiis, instantius libentiusque & pro animarum absolutione piæ memoriæ avi & genitoris nostri, nec non pro statu & incolumitate regni nostri, Dei misericordiam jugiter exoret. Illud sane nostri regali auctoritate jubentes, ut prædictæ proprietates prælibati confessoris Christi in supradictis pagis vel comitatibus sitæ, usui monachorum perpetualiter deserviant, nullusque successorum nostrorum regum videlicet vel imperatorum eas inde auferre vel in beneficium dare præsumat. Et ut hoc nostræ auctoritatis stabile & inconvulsum permaneat, hoc privilegium conscribi & anuli nostri impressione signari jussimus, quod propria manu subterfirmavimus.

Signum domni OTTONIS gloriosissimi regis.

HILDEBALDUS episcopus cancellarius vice WILLIGISI archicapellani recognovi.

Data IV. kalendas Junii ipso die festivo S. Maximini archiepiscopi, anno dominicæ Incarnationis DCCCCXCII. indictione V. anno autem tertii Ottonis regnantis IX.

Actum in suburbio Treviris in cœnobio prædicti sancti in Dei nomine feliciter. Amen.

DONATIO FACTA S. Sepulcro Jerosolymitano.

Anno 993. Ex archivis S. Victoris eruit D. Furnerius. [a]

IN nomine Domini nostri JESU CHRISTI Dei & æterni, anno ab Incarnatione ejus nongentesimo nonagesimo tertio IIII. calendas Novembris, indictione (a) VIII. constat me HUGO in Dei nomine marchio filio Bm. Humberti, qui fuit marchio lege vivente salica, & uxor mea JULITTA, quæ secundum lege mea salica...... pinna & pargamena manibus meis de terra levavit, & Petrus notarius & judex domni imperatoris, per Wasonem testem, & festucum nodatum seu ramum arborum atque per cultellum & wantonem seu vandilagine, & sic. per hanc cartam juxta lege mea salica pro animæ meæ remedium, offero tibi Deo & gloriosum Domini sepulcrum, id est Hierusalem, quisquis in sanctis ac venerabilis locis ex suis aliquid contulerit rebus, juxta auctoris vocem in hoc sæculo centuplum accipiet insuper, & quia melius est, vitam possidebit æternam. Ideoque nos HUGO & JULITA jugalibus donamus & offerimus a præsenti die & animæ nostræ quem supra Suglb. mercedem, id est curtem de S. Stephano quæ est in burgo Arisa cum viginti & octo similiter casis massalicis, cum rebus suis vel cum omnibus ad ipsa curte pertinentibus, sicut conquistaverunt Berta regalis, & Albertus sive & in Ebrario masci novem, seu & medietate castelli quæ dicitur Gurgulas, seu & villa quæ dicitur Cusana, seu & medietate castelli quæ dicitur Monte-Porra, seu & villa quæ dicitur Cusenza usque terram S. Petri pertinentibus, seu & ipsa curte quæ dicitur Rubiana, seu & villa quæ dicitur Allegole masci sex, seu & villa quæ dicitur Miletute, masci novem, seu & villa quæ dicitur Osingana masci octo, seu & villa quæ dicitur Leontinana, seu & medietate ipsa villa quæ dicitur Rosani, seu & medietatem quæ dicitur Turre cum omnibus ad medietatem pertinentibus, seu & castro quæ dicitur Ripeseni cum omnibus suis pertinentibus, seu & monte quæ dicitur Dominica, jacere videtur infra comitatu Suanense, vel ubicumque inquirere, aut invenire potest infra totum comitatum Orbibeto, tam castris, quam & curtis, vel casalibus, aut villis, silvis, pascuis, terris, vineis, olivetis, castangetis, quercetis, virgareis, pratis cultis vel incultis rebus, omnia & in omnibus, ac staliciis, rivis, rupinis, sicut supra Berta regalis & Albertus conquistaverunt, omnia & in omnibus, sicut jam supradictum est, ubicumque de ipso conquisito Berta regalis & Albertus inventum fuerit, tam in Aquapendente, quam & in omni comitatu, scilicet Orbibeto inventum fuerit, donamus S. Sepulcro Domini in Hierusalem, & tibi WARINO abbati atque consanguineo tuo GISLEBERTO inde inde. Quæ autem est donatione cum omnibus sicut supradictum est, cum mansis & molendinis, vel sicut superius legitur offerimus, & præsentem cartulam offertionis ibidem habendum confirmamus, faciendum exinde præsenti die illi qui nunc & pro præsenti tempore serviunt monachi in Hierusalem ad opus illorum peregrinorum, qui vadunt & veniunt de Hierusalem: ut inde ipsi vivant, & monachi qui sunt in S. Maria Latina in Hierusalem, censum quod Dominus dederit recipiant ad usum omnium peregrinorum, qui vadunt & revertuntur ad S. Sepulcrum Domini pro animæ nostræ mercede, ut nobis in æternum proficiat ad animæ salute & gaudium sempiternum, & si forsitan aliqua potestas fuerit in tempore qui eorum monachis de ipsis omnibus castris & curtis, vel villis, vel omnibus, sicut supra dictum est, Berta regalis & Albertus conquestaverunt aliquam subtractionem & minorationem facere quæsierit, eis quiete habere non permiserit, sicut supra legitur, in primis iram Dei incurrat, & cum Juda traditore particeps fiat, & cum Datan & Abiron, quos terra vivos absorbuit in inferno inferiori descendat, & sit anathema, maranatha, & liminibus sanctæ ecclesiæ extraneus permaneat, & insuper componat auri optimi libras c. argenti pondera mille. Si quis vero quod facturum esse non credo, quod absit, aut ullus de heredibus ac proheredibus meis contra hanc cartulam assertionis ire quandoque tentaverit, aut eam pro quovis ingenio infrangere quæsierit, tunc in duplum eamdem jam dictam componat assertionem. Insuper sicut pro tempore fuerit meliorata aut valuerit sub æstimatione in consimilis localibus, & nec nobis subjectis liceat ullo tempore nolle quod volumus; sed quod a nobis semel factum vel conscriptum est, sub jusjurandum inviolabiliter conservare promittimus cum stipulatione subnixa. Hanc enim cartulam offertionis paginam Petri notarii & judex domni imperatoris tradidimus, & scribere rogavimus, in quo subtus confirmans testibusque optuli confirmandam.

Signum † istorum UGO marchio & JULITA jugalibus, qui hanc cartulam offertionis fieri rogaverunt, eorumque relecta est.

Signum manibus TEUDICI comitis filius quondam Girardi, & Guido.

Signum ROZO comes ss.

VENERANDUS vicecomes de Monte-Miate interfuit & testis fuit.

(a) Error irrepsit in anno Incarnationis aut in indictione; nam anno 993. non 8. sed 6. indictio competit.

Cunizo Guastaldo de Bando ss.

Albizo filio Ingilberto ss.

Teufredo Guastaldo de Pontecli, Farudo de Plana interfuit.

Ego qui supra Petrus notarius & judex domni imperatoris hanc cartulam offertionis post traditam complevi & dedi.

NOTITIA

De conventione inter Adalardum Massiliensem S. Victoris abbatem & Willelmum vicecomitem de villa Cathedræ.

Anno 993. Ex archivis S. Victoris eruit D. Furnerius.

NOTITIA conventionum villæ Cathedræ inter ADALARDUM abbatem S. Victoris & WILLELMUM vicecomitem Massiliæ, quam ego PONTIUS abba successor prædicti volo scribere, præcipiente & cogente mihi patre meo INGILBERTO, quatinus præsentes & futuri cognoscant, quid credere debeant, vel quid refutare. Igitur cum gens pagana fuisset e finibus suis, videlicet de (a) Fraxineto expulsa, & terra Tolonensis cœpisset vestiri, & a cultoribus coli, unusquisque secundum propriam virtutem rapiebat terram, transgrediens terminos ad suam possessionem. Quapropter illi qui potentiores videbantur esse, altercatione facta, impingebant se ad invicem, rapientes terram ad posse, videlicet WILLELMUS vicecomes, & PONTIUS de Fossis. Qui Pontius pergens ad comitem dixit ei: Domne comes, ecce terra soluta est a vinculo paganæ gentis, tradita est in manu tua donatione regis: ideo rogamus, ut pergas illuc & mittas terminos inter oppida & castra & terram Sanctuariam. Nam tuæ potestatis est terminare, & unicuique distribuere quantum tibi placitum fuerit. Quod ille, ut audivit, concessit, & continuo ascendens in suis equis perrexit. Cumque fuisset infra fines Cathedræ villæ cœpit inquirere nomina montium, & concava vallium, & aquarum, & fontium. Quæ cum audisset misit terminos in terra Sanctuaria, qui sunt in carta quæ est in cartulario S. Victoris, ita dicendo: Quantum ego habeo infra istos terminos donatione regia, hoc est fiscum regalem, dono sancto Victori, & monachis ibidem excubantibus. Hæc donatio facta est coram WILLELMO vicecomite, & fratre suo episcopo & Theoderico atque Noë fratribus, sive Giffredo, necnon abbate & Ranganardo monacho. His ita gestis, venerunt Theodericus & Noë fratres ad ADALARDUM abbatem, rogantes eum verbis blandis, ut concederet eis Cathedram vestire ad medium vestem, quod & factum est. Abbas vero missis bobus cepit terram quæ est ante ecclesiam S. Damiani ambienter excolere, & huc illuc rumpere terram ad faciendas condaminas. Noë vero & Theodericus dixerunt ad alterutrum: Isti monachi semper habebunt totam terram raptam, & nos qui dicimur vestitores, quandoque erimus illusi, nihil habentes, & invidia ducti ejecerunt boves arantes, flagellantes bubulcum. Insuper quamdam concam marmoream; quæ satis videbatur apta officiis monasterialibus confregerunt ante ecclesiam supradicti Sancti. Abbas vero & monachi hæc audientes, nimium irati, pergentes ad WILLELMUM vicecomitem Massiliæ complanxerunt se ita dicentes; Domine, terram quam comes terminavit, & in tua defensione misit, nescimus quid opus habeat monachis, nisi justiciaveris nobis Theodericum & Noë, qui nostros boves expulerunt, & bubulcum ceciderunt, insuper quoddam vas utile nobis confregerunt. Qui audiens dixit: Ite & tali die sitis ibi, quia ego ero & habeamus placitum cum illis. Interea cum pergerent ad placitum, & abbas cum suis monachis multum complangeret se ad vicecomitem de supradictis fratribus, ait ille: Domne abba, colligite me in medietatem terræ, & vestite me in tali conventione, ut quamdiu vixero teneam & possideam, & post discessum meum revertar ad S. Victorem, & ego expellam omnes inimicos foras, non solum istos, qui talia vobis fecerunt, sed & de omnibus defendam vos, & dilatabo terminos illos. Milites vero cuncti causa adolationis ita laudaverunt, ut abbas vestiret eum. ADALARDUS vero Vicarius Massiliæ fraudulenter dixit abbati: Domine abba, isti vestri vestitores exhibuerunt vobis umquam mel vel ceram? respondentibus monachis, numquam; Juro per Deum omnipotentem, ait, quia alio die obviavi Salomonem Judæum ducentem quatuor asinos onustos melle, quem cum percontatus essem unde venisset, respondente illo de vestro sancto Damiano. Et quis tibi vendidit, aio, tantum mel? audivi illico, Theodoricus & Noë, cumque multi multa dicerent, abbas nimium credulus promissionibus vicecomitis & suorum, apprehendens viregam suam dixit: In tali conventione, ut locuti estis, audiente me, vestio vos; & ita vestivit eum, præsente episcopo fratre suo & Deodato canonico, Adalardo, & Gisfredo; & Ranganardo monacho. Nunc intentis auribus audiatur & mente figatur, idcirco scripsisse me hanc notitiam instigante patre meo, quoniam videbam terram S. Victoris membratim carpere, & ceu a belluis particulatim dilaniare, ab Arnulfo scilicet Sabenco, qui fraudulenter acquisivit sibi cartonem Cathedræ ab antecessore meo BERNARDO, nec non & a WILLELMO vicecomite, qui nuper professus est se esse terræ Sanctuariæ defensorem: mortua uxore sua, dotavit

(b) Fraxinetum erat in comitatu Forojuliensi ex alia carta.

Cathedram uxori suæ ERMENGARDÆ, quam postea duxit, & hæc consiliante Arnulfo filio suo.

EPISTOLA GERBERTI ad Widerodum Argentinum episcopum.

De Arnulfo Remensi archiepiscopo, ejus destitutione & restitutione, ac Gerberti ejectione.

[a] *Anno 995. Ex ms. Regina Suecia eruit Mabillonius.*

VVIDERODO (a) Argentinæ civitatis episcopo GERBERTUS.

Bene concepta meliusque retenta casta societas præstanti officio ...... cum me remotum, vixque solo nomine cognitum fidi interpretis dulci alloquio recreasti, eoque præstanti officio palam fecisti, cui & quanto Helvetia pareat sacerdoti. ARNULFUS regis LOTHARII, ut fama est, filius, postquam suum episcopum dolo & fraude circumventum cum propria urbe captivavit, post multum cruorem humani sanguinis a se effusi, post prædas & incendia in conventu totius Galliæ episcoporum damnatus est, ac deinde post obitum ADALBERONIS a solo ADALBERONE episcopo Laudunensi reconciliatus spe obtinendæ pacis, metropoli Remorum donatus, acceptis ab eo terribilibus sacramentis & libellari professione, pro fide suis regibus conservanda, quam viva voce in conventu ecclesiæ recitavit, & propria manu subscribendo roboravit. Necdum a sua ordinatione sextus mensis elapsus erat, & ecce urbem ab eo proditam hostis invasit, sanctuarium Dei polluit, spolia diripuit, clerum & populum captivavit. Post hæc vero ARNULFUS suos prædones sub anathemate posuit, & ut idem facerent Galliarum episcopi imperavit, prædia ecclesiæ quæ per sacramentum suis militibus dederat, abstulit, hostibus contulit, conjuratorum manum contra suum regem ejusque exercitum in aciem sub signis CAROLI perduxit. Interea legatis & litteris synodicis Romanus pontifex, ut ecclesiæ turbatæ subveniat admonetur, sed neque catholicis, neque clericis consulentibus consulit. Itaque gravium episcoporum facto consultu, legatis & litteris synodicis, ac trina admonitione Arnulfus convenitur, decem & octo continuis mensibus, ut a cœpto furore desisteret, seque a scelere proditionis & rebellionis quo impetebatur regulariter purgasset, noluit; sed a se fautores nequitiæ suæ discedere sensit, territus regem adiit, novisque sacramentis, ac novis rerum conditionibus regiæ mensæ particeps effectus est, atque ita ira regis sedata, omni se crimine exertum credidit, indeque mox rediens fidem sacramentorum rupit, conditionibus non servatis; at ii quorum intererat, totiens decipi, totiens bonis privari non ferentes, Lauduni arcem occupant. Arnulfus inter hostes regis invenitur, synodo repræsentatur, pro tot tantisque flagitiis rationem reddere deposcitur, qui diu secum ac cum suis complicibus multum deliberans, sua sponte in confessionem peccatorum suorum erupit, suisque confessionibus alios testes adhibuit, crimina sua in libellis contulit, eique coram ecclesia viva voce recitatæ subscripsit, insignia sacerdotii deposuit. eoque se abdicavit, confessoribus suis ac testibus attestantibus & respondentibus: secundum professionem & subscriptionem tuam, cessa ab officio.... Respondent regem Arnulfo veniam tribuisse, nec postea quidquam veniabile commisisse, Romano pontifici injuriam factam, quasi sine ejus auctoritate, & sine juribus resumtis deponere non debuerit. In epilogo, ego ille multum jactatus Remis & alto, dum philosophorum in vita prosequor, dum gentes indisciplinatas fugio & non evado. Ego, inquam, qui magnæ urbis Remorum perditæ, & captivi ac spoliati populi pars non parva fui, ad te quasi ad tutissimum refugio portum. Ergo fluctuanti salutarem porrige manum, fessum alleva; edax livor diffamavit me alterius invasisse sedem, meo instinctu pastorem captum, accusatum, dejectum, quod ita non esse, sacerdotalis dignitas Gallica testis est, testes reges & proceres, cur egenus & exul nec genere, nec divitiis adjutus, multis locupletibus & nobilitate parentum conspicuis prælatus sit, nisi quod tui est muneris, bone JESU, qui de stercore erigis pauperem, ut sedeat cum principibus. Tu scis me Germaniam & Belgium semper honorasse, ut dominam coluisse & matrem. Et nunc quidem dulces affectus quos perdidi exposco, tuumque antistitem Will. gratiæ indebitæ amissæ reconciliatum fieri oro, meæque interpretem innocentiæ coram præsulibus, coram rege nostro, cui fovendo tempore regis LOTHARII gladiis hostium adductus sum. Et tunc quidem mala pro bonis retribuuntur nobis ab his quos pacis amatores, innocentum protectores, impiorum propugnatores existimabamus. Pressa jacet terra, inde omnis ecclesia Gallorum, ut quæ non a Gallis, sed ab his sperabatur salus, sed una Christe salus homini tu es, & Roma omnium ecclesiarum hactenus habita mater, bonis maledicere, malis benedicere fertur, & quibus nec aure dicendum est communicare tantum, legitur zelantis dominari abutens ligandi atque solvendi potestate a te accepta.

(a) Hujus epistolæ fragmentum edidit Chesnius tom 4. Hist. Francorum, & post eum Marlotus in tom. 2. Hist. Remensis, integram eruit Mabillonius ex manuscripto codice Reginæ Sueciæ.

DONATIO

DONATIO BALMÆ SANCTI Michaëlis de Falio ad construendum monasterium.

Anno 998. Ex archivis S. Victoris eruit D. Furnerius.

IN divinis prodigus cultibus oportet semper exercere factis vel laudibus. Annuente divina clementia, ego RAIMUNDO comes & marchio, & uxori meæ ERMENSENDIS donatores sumus tibi Gundebalde. Nobis convenit, atque oportet fieri, ut tibi jam prælibato aliquit de proprietate nostra donare deberemus, sicuti & facimus. Donamus tibi speleam nostram, cum venerandis B titulis quæ infra sunt. Quod S. Michaëlem, Archangelum & alios quorum ididem siti sunt, & cum terris, eremis & rupibus, & cunctis emanentibus laticis, vel omnis generis arboris, atque aliis cunctis cavernis, speluncis, qui ibidem sunt, sicut in ista sedula resonat, & inlaterat terminis: & in utrosque alios locos terris cultis vel eremis, arboribus vel vineis, domibus vel aliis acquisitionibus quos habet, & ipsa basileca peregrinis nostris, cum illorum affrontationes tibi donamus ad construendum cœnobium propter desiderium cælestis regni, ad refrigerandum utrasque animas nostras. Qui mihi advenit a me Remundo per prosapia mea C origo, & ad me ERMESSEDES pro decimæ donum dotalis meæ. Et est hæc omnia in comitatu Barchinonense, sive aliquid in termine Ausonense, cujus basileca sita est in locum quæ dicunt Falio, qui afrontat de parte Orientis in torrentem, qui per hymbrem ducit aquam, qui descendit de mus comestus, id est gato manducato, & pervenit per ipsa limite de ipsa rocha usque in Petramala, & vadit usque in medium flumine Tenensis, & de meridie in Petra jam dicta mala, & de Occiduo in medio alveo Tenensis, & de Circii in summitate de ipsis rupibus, vel in D saltum Gerundelo prope valle Asinaria. Quantum infra ipsas afrontationes includunt, sic donamus tibi ipsa hæc omnia superius scripta, cum aditus, accessus, vel regressus earum, & de nostro jure in tuo tradimus dominio & potestate, ad faciendum quodcumque volueris, & quando tempus expirationis tibi advenerit, largire cui volueris licentia tibi data permaneat. Quod si nos donatores aut ullusque homo, qui contra hanc donationem venerit ad irrumpendum, non valeat vindicare, sed componat hæc omnia superius scripta in duplo, cum illorum omnes immeliorationes. Et in antea ista donatio firma permaneat omnique tempore. E Facta scriptura donationis III. idus Junii A anno primo quod cœpit regnare (*a*) RADBERTUS rex filio UGONI regi, qui pridem fuit dux. [*a*]

S. † REMUNDO comes & marchio.

S. † ERMINSINDIS comitissa, qui hanc donationem fecimus & firmare rogavimus.

ARNULFUS ac si indignus gratia Dei humilis episcopus & abba ss. Oliba sacerdos, Wifredus sacerdos ss. Hichilane sacerdos scripsit die & anno quo supra.

EPISTOLA ENCICLICA W. Scireburnensis episcopi ad universos episcopos, abbates & fideles.

Commendat eis pœnitentem hominem qui avunculi sui filium interemerat.

Ex ms. Bibliotheca regia.

ANNUENTE atque favente melliflua Dei gratia episcopis, abbatibus, ducibus, universisque inclytis vernaculis sanctæ Dei ecclesiæ W. humilis apostolicus vir S. parrochiæ pacis prosperitatem permanendamque in Christo salutem.

Igitur nullatenus dubitamus vobis esse cognitum, quomodo in primordio hujus labilis vitæ nostri protoplasti parentis natus multatus fuit a Deo pro sola fraterni sanguinis effusione, & sic postea longe lateque per climata totius cosmi perplurimæ similes miseriæ, instigante zabolatico conatu, perpetratæ sunt. Idcirco pro certo reminiscamini vos quicumque litteras has perlegitis, quod ista imago Dei est in pœnitentiæ loco constituta pro sui interfectione fratris, filii, aut avunculi, sive fratruelis, quam provise seu improvise aut etiam per incuriam perficiebat, suadente hostili versutia. Qua de re vos benignissime precamur, ut pro Dei dilectione sitis illius auxiliatores, administrantes ei corpore indigentiæ subsidium, verum etiam quod multo melius est spiritale, & spirius illius in die magni judicii Dei servetur inlæsus, cum omnibus electis in dextra Dei collocatis † domno papæ cunctisque generaliter sanctæ matris ecclesiæ filiolis W. Schireburnensis ecclesiæ. Notum fieri vobis cupimus de portitore schedulæ præsentis, quia diabolico instinctu avunculi sui filium (*b*) interemerat: unde a nobis pœnitentiæ fructum inquirentem, in hujus vitæ peregrinatione constituimus, corporalique cruciatu damus, quo spiritus ejus in tremendi examinis die salvetur. Valete cuncti fideles vineæ Domini cultores, ipsius inopiam benedictionum vestrarum copia reficere volentes in Christo. [*b*]

(*a*) Robertus patri Hugoni anno 997. die Octobris 24. defuncto successit, ac proinde hæc carta quæ III. idus Junii anno I. regni ejus data est, scripta fuit anno 998.

(*b*) Fratricidis aliisque homicidis hanc olim impositam fuisse in admissi criminis satisfactionem pœnitentiam, ut ferreis vinculis corpore constricto, toto vitæ tempore peregrinarentur, demonstravimus in lib. I. de Antiquis ecclesiæ Ritibus cap. 6. art. 4. num. 12. quam tamen improbavit concilium Moguntinum anno 847. celebratum can. 20.

EXEMPLAR LIBERTATIS

Concessæ famulo ad sacros ordines promovendo.

Ex ms. Stabulensi.

AUCTORITAS ecclesiastica patenter ammonet, insuper & majestas regia catholicæ religioni assensum præbet, ut quemcumque ad sacros ordines ex familia propria promovere ecclesia quæque delegerit, in præsentia sacerdotum canonicorum simul & nobilium laicorum ejus cui subjectus est, subscriptione vel manu-missione sub libertatis testamento solemniter roboretur. Idcirco ego in Dei nomine N. annuente Christo sanctæ ill. ecclesiæ episcopus, quemdam ecclesiæ nostræ famulum nomine ill. sacris ordinibus oblatum, ad altaris cornu in conspectu nobilium virorum per hoc auctoritatis testamentum statuo, ita ut ab hodierno die & tempore bene ingenuus, atque ab omni servitutis vinculo securus permaneat, tanquam si ab ingenuis parentibus fuisset procreatus, vel natus, eamdemque pergat partem quamcumque volens canonice elegerit, ita ut deinceps nec nobis nec successoribus nostris, ullum debeat noxiæ conditionis servitium, sed omnibus diebus vitæ suæ sub certa plenissimaque ingenuitate, sicut alii cives Romani, per hunc manu-missionis atque ingenuitatis titulum bene semper ingenuus atque securus existat. Suum vero peculiare quod habet, aut quod abhinc vel deinceps assequi poterit, faciat inde secundum canonicam auctoritatem libere quicquid voluerit. Et ut hæc ingenuitatis pagina inviolabilem obtineat firmitatem manu propria illam roboravimus.

DIPLOMA GUILLELMI ET Fulconis vice-comitum Massiliensium.

De donatione ecclesiæ S. Mitrii facta monasterio sancti Victoris.

Circa 1000 Ex cartario S. Victoris eruit D. Furnerius.

IN nomine Domini ego GUILLELMUS & FULCHO frater meus Dei gratia vice-comites & uxores nostræ AICELINA & ODILA, & filii mei, domnus videlicet PONTIUS Massiliensis episcopus, GUILLELMUS, & AICARDUS, FULCHO & GAUFFREDUS, nos simul audientes scripturam dicentem mundum transire & concupiscentiam ejus, & ad hoc natos nos esse in eo, ut pro terrenis quæ ad tempus videmus possidere, mercemus cælestia, ut possimus habere partem in regno Dei, & videre eum in æterna gloria, qui nos creavit & redemit, utque remedium nostrarum capiamus animarum, donamus Deo & S. Victori martyri monasterii Massiliensis & habitatoribus ejusdem loci, tam præsentibus quam futuris, ecclesiam quæ est dedicata in honore S. Mitrii martyris, & S. Martini, & S. A Laurentii in comitatu Massiliensi, & in territorio quod dicitur Albania, cum suis altaribus, & cum suo alode, & suis adjacentiis, & suis terminis, & cum terris cultis & incultis, & cum vineis, cum pratis, cum arboribus & hortis, cum suis garricis & pascuis, cum ermis & boscliis ipsis, qui ibidem sunt, cum suis egressibus & regressibus. Et ipse alodis habet terminos in fluvio quem dicunt Welena, & pergit per ipsum rametalem, qui est ultra ipsam salam & pervenit ad ipsam Iliam, & pergit ad ipsum podium B sursum, & vadit per ipsam serram quæ est supra ipsam ecclesiam subtus Creisaco, & descendit per ipsam petram ad ipsum glandiferum, & pergit in fluvium Welenam subtus salam, quæ est in campo majore. Hæc omnia superius dicta cum ipsa ecclesia sine ulla servatione vel minoratione tradimus, cedimus, donamus Domino Deo & S. Victori martyri Massiliensis monasterii, & habitatoribus ejusdem loci tam præsentibus quam futuris, ea scilicet ratione, ut ipsa omnia supradicta teneant, habeant, & sine C ulla inquietudine possideant, & pro remedio animarum nostrarum ad Dominum intercedant. Hanc autem donationem si nos donatores aut ullus homo vivens fuerit, qui contraire voluerit, vel irrumpere vel minorare in aliquo tentaverit, non hoc valeat vendicare quod requirit, sed cogatur solvere ad supradictum sanctum Victorem Massiliensis monasterii & habitatores ejusdem loci, duplum tantum quantum valuit injuste sibi vendicare. Insuper ista carta donationis firma & stabilis permaneat omni tempore. Hanc cartulam donationis ego GUILLELMUS & FULCHO frater meus Dei gratia vi- D cecomites & uxores nostræ AICELENA & ODILA, & filii mei PONTIUS videlicet episcopus Massiliensis, GUILLELMUS, AICARDUS, FULCHO & GAUFREDUS fieri fecimus & firmavimus & alios firmare rogavimus.

Facta autem est carta donationis VI. idus Januarii, regnante RODULFO rege. Deodatus firmavit, Pontius firmavit, Lambertus firmavit, Berardus firmavit, Pontius de Albania firmavit, Pontius & Guillelmus firmavit, Aicardus firmavit, Pontius Cabilloni firmavit, Garnaldus firmavit, Rainaldus firmavit, Guitbertus firmavit, Andreas E presbyter firmavit, Aicardus firmavit.

EPISTOLA A. CIVIS SPIRENSIS ad Heribertum Colonienfem archiepifcopum.

Adverfus praeproperas peccatorum abfolutiones.

Circa an. 1000. Ex mf. Tuitienfi. [a]

NOBILISSIMAE fedis archiepifcopo nobiliori (a) H. A. inquilinus civis ex urbe Spirae fummam felicitatis aeternae.

Novi quofdam veftri ordinis, & quidem fatis probos atque eruditos, qui quotiens in ecclefiis fuis populo Dei triticum fpirituale diftribuunt, expletis omnibus quae ad fructum fanctae aedificationis pertinere intelligunt, manus furfum levare & peccata fua confiteri jubent, quo facto, confeftim abfolutionem & remiffionem eorum omnium illis tribuunt tanta facilitate, quanta forfitan de pecunia propria obolos tres nollent cuique relaxare. Hoc itaque audientes, nonnulli fratrum, qui ex divino munere, aliquantam facrae fcripturae facultatem habent, & tamen propter reverentiam obloqui nihil audent, vehementer fcandalizantur, fcientes rem prorfus illicitam fieri, quae nulla fanctorum patrum auctoritate poffit defendi, & ad internecionem imperitae multitudinis laqueus diabolicus fit, exiftimantis fe nec confeffione poftea indigere, fed omnia crimina fua tamquam denuo baptizatis, dimiffa fibi effe, acceptaque hac mortifera fecuritate, nec pericula animarum fuarum incurrunt, & iterare flagitia fua vel graviora addere pro nihilo ducunt: quippe quae iterum atque iterum tam facile ignofcenda fibi effe confidunt. Vides itaque Domine mi, quam late pateat hoc malum, quod nefarium, quod plenum blafphemiae & omnino illicitum effe evangelica tuba intonante, toto mundo oftenditur. *Quis enim poteft peccata dimittere nifi folus Deus?* cui nimirum dicit omnis homo veraciter: *Tibi foli peccavi.* Putant autem fe hanc poteftatem accepiffe in eo quod dixit Dominus difcipulis fuis: *Quaecumque ligaveritis fuper terram, erunt ligata & in caelis; & quaecumque folveritis fuper terram, erunt foluta & in caelis.* Sed hoc fancti doctores noftri ad officium difpenfationis, non ad jus poteftatis pertinere volunt, ut quod ante tribunal divini examinis de actibus humanis invifibiliter decernitur, hoc ipfe velut quidam mortalis Deus, apud homines vifibili quadam fpecie exequatur. Dictos quippe Deos effe facerdotes quifquis facras litteras fcrutatur non ignorat; fed & ifta ecclefia terreftris, beatae illius civitatis imaginem quamdam gerit, ut quifquis ab illa ob im-A manitatem alicujus fceleris exulaverit, idem ab hac tamquam leprofus extra caftra feparandus fit; cumque per modum legitimae fatisfactionis illuc rediiffe videbitur, tunc per facerdotale minifterium quafi mundatus huic redintegratur. Denique facerdotes teftamenti veteris non mundabant leprofos, fed mundatos in templum inducebant. Qua ergo * tenuitate facerdotes novi teftamenti lepram fpiritualem mundare fe profitentur? quem umquam fanctorum inveniunt cuique peccatori dixiffe? Ego tibi dimitto peccata B tua, ac non potius communicatis jejuniis & orationibus, id eis quibus fubvenire volebant a Domino impetraffe; quod legimus in ecclefiaftica hiftoria feciffe Johannem apoftolum pro juvene illo, quem a latrocinio revocatum, Chrifto iterum parturiebat. Sed & ipfe filius hominis habens poteftatem in terra dimittendi peccata, devitata perfonae fuae expreffione, non ait: Remitto tibi peccata tua, fed quafi verecunde, *Homo*, inquit, *remittuntur tibi peccata tua.* Noverat plane paraliticum illum longo atque acerbiffimo dolore purgatum indulgentiam mereri, ficut & illum qui XXX. & VIII. annos in infirmitate habentem in probatica pifci-C na, evangelio teftante, curavit. Et audent filii hominum aliena peccata ignota atque indifcuffa dimittere, quorum neque ipfi confcii funt, neque poenitentiae teftes exiftunt. Nonne hoc eft quod de fallacibus prophetis per prophetam fuum Dominus conqueritur dicens: *Mortificant animas quae non moriuntur, & vivificant animas quae non vivunt.* Quo ergo ordine poteftas ifta amminiftrari debeat, per prophetam alium evidenter pronuntiat, *Probatorem*, inquit, *dedi te in populo meo robuftum, & fcies & probabis vias eorum.* Probandi utique funt greffus fingulorum, qualiter inceflerint per D viam morum, & antequam proferatur humanum judicium, quorfum vergat divina fententia vigilanter intuendum eft: Denique Lazarus prius eft a Domino vivificatus, & poftea a difcipulis folutus: quem fi ante vocem Domini folviffent, ille nihilominus infenfibilis, foetidus jaceret. Ita nempe exanimis anima prius excitetur, evocante Domino ab inferis peccatorem, & fic abfolvatur minifterio facerdotum. Quifquis aliter agit, certum eft nihil illum alii proficere, fibi vero plurimum obeffe; quia ficut ait B. Gregorius, *ipfa ligandi atque folvendi po-E teftate fe privat, qui hanc pro fuis voluntatibus, & non pro fubjectorum meritis exerceat.* Confiderandum itaque eft juxta regulam fanctorum patrum, quae culpa praeceſſerit, quae fatisfactio fit fecuta, habitaque fagaci difcretione, tum demum timide atque humiliter poteftas officii eft adhibenda, nec ita dicendum: Dimittat tibi Dominus peccata tua, & ego tibi dimitto, nifi

* f. temeritate.

(a) Hanc epiftolam in vetuftiffimo codice Tuitienfis monafterii prope Coloniam reperimus ad calcem vitae S. Heriberti, cui proinde fcriptam exiftimavimus.

forte familiaris sit injuria, quæ sacerdoti ipsi A a reo sit illata. De tali utique peccato fidenter dicere potest: Indulgeat tibi Dominus & ego. Sed quemadmodum nemo ita justus, nemo ita sanctus est, ut dicere ipse præsumat, Ego justus sum, ego sum sanctus: sic & multo magis cavenda est hæc blasphemia in Spiritum sanctum, cujus proprium opus est remissio peccatorum, ne quisque homo [a] homini dicere audeat, (a) Ego peccata tua dimitto. Si enim hoc potest, potest consequenter illud dicere: Ego te justifico, & non de solo Deo dicemus, Deus qui justificat impium, quod tam impium est corde cogitare, quam sacrilegum ore proferre. Pote- B rant autem qui hujusmodi sunt, & hanc calumniam facile devitare, & cetera omnia multo simplicius agere, si venerabilium doctorum quorum sermones fructuosos quotidie audiunt, imitari exempla vellent. Illi enim cum ad verbi divini tractatum se expediebant, primo omnium attentionem audientium blanda & benivola allocutione præformabant, deinde ingressi evangelicam sive apostolicam seu etiam propheticam explanationem, pro captu popularis intelligentiæ mysticorum sensuum caliginem dilucidare studebant, atque inter omnia terrorem C incutere peccatori. Per confessionem vero & pœnitentiam veniam polliceri, justum ad melius exhortari, tum de instabilitate rerum præsentium, de brevitate atque incertitudine hujus vitæ, de futuri examinis severitate, postremo de ineffabili beatitudine sanctorum, de infelicissima damnatione impiorum. De his ac talibus catholici prædicatores nostri alii latius & suavius, alii angustius & austerius, prout singulis gratia divina largita est, sermones ecclesiasticos texuerunt. D Has vero nescio quas novas absolutiones, quas verius dicimus publicas deceptiones, nec in litteris eorum reperimus, nec fecisse eos credimus, nisi uno illo die, quo communionem ecclesiasticam more antiquitus instituto pœnitentibus reddebant. Audacter hoc, sed fideliter & nullo modo arroganter majestati vestræ scribendum esse putavi, sciens per auctoritatis vestræ gladium nascentem & adhuc latentem istam hæresim posse levius resecari: quoniam omnis sententia apud multos tantum habet ponderis, quantum est persona proferens potentiæ sæ- E cularis. At vero prudentia vestra nequaquam ita sentit, neque rationem pensat ex fortuna hominis, sed hominem metitur ex momento rationis. Deus omnipotens augeat vobis facultatem intelligendi & exequendi suam voluntatem.

(a) Ex tota hujus epistolæ serie apparet, auctorem illius aliam non admisisse absolutionis in sacramento pœnitentiæ formulam, nisi deprecatoriam.

EPISTOLA ALBUINI EREMITÆ ad Heribertum Coloniensem archiepiscopum.

Mittit ei excerpta ex scripturis de diversis virtutibus exempla.

Circa 1000. *Ex ms. codice canonicorum regularium Tongrensium.*

DOmino HERIBERTO Coloniensi episcopo ALBUINUS heremita indignus gloriam & pacem sempiternam.

Ex quo, mi pater, misericordiæ vestræ gratiam promerui, exoro Domini nostri pietatem die noctuque, ut secum vos post hanc vitam regnare sinat sine fine, & incensus divinis mandatis possitis adimplere bona quæ desideratis. Igitur quia pium studium sacras scripturas habetis audire; sicut mihi indigno præcepistis, desideravi scribere pietati vestræ aliqua exempla, quæ in libris divinis legendo hæc omnia scripta invenio. Si tamen Deo omnipotenti adjuvante, aliquid proficere posset, omnia quæ in hoc libello scripta habeo, non proprio sensu fingo, vel excogito quod dico, sed de sanctis patribus coadunata retineo. Sine dubio qui ea fecerit videbit lumen æternum, & in tali admonitione nemo me despiciat; quia etsi indignus sum talia ministrare, vera tamen sunt quæ dico, & dum otiosus nemo stare debet, per ista de virtute in virtutem ascendit ad illum qui vivit in sæcula sæculorum. Amen. Si tamen placet, pater sancte, & si bonum tibi videtur, sæpius fac rescribi; (ne) me pœniteat tantum laborasse, & ne me peccatorem spernatis in oratione vestra, ut vos non spernat qui cum Patre & Sancto-Spiritu regnat in se. Amen. Pro certo scitote omnes quod nullus libellus citius vos deducet ad cælestes thesauros quam iste, si sæpius eum curetis recitare. Scio non multum esse beatum, qui se solummodo salvat, Domino adjuvante, sed felicior est qui desiderat alios trahere secum ad regnum cæleste. Quapropter, ô homo, moneo tuam caritatem quicumque legeris hanc scripturam, ut compleas ore perfecto, & aliis bonum exemplum monstres, ut de tuo & aliorum labore merearis percipere a Deo remunerationem. Mente curiosa semper cogita, ne hæc facias, ut Creatori displiceas, quia si in bono perseveraveris, donabit tibi quod oculus non vidit, nec auris audivit, ubi multi sanctorum requiescunt.

Cum igitur de plurimis virtutibus te desiderem ammonere, in primis cupio, ut virtutem caritatis ante omnia studeas habere, &c.

PRÆCEPTUM OTTONIS imperatoris III. pro monasterio sancti Maximini.

Concedit jus mercati & cudendæ monetæ.

Circa 1000 Ex ms. S. Maximini

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis OTTO Dei gratia Romanorum imperator augustus. Si locis divino cultui mancipatis alicujus honoris & augmentationis sublementum præbuerimus, divinitus nos remunerari procul dubio credimus. Quapropter omnium sanctæ Dei ecclesiæ fidelium præsentium ac futurorum solers comperiat sagacitas, quoniam nos ob remedium animæ nostræ & parentum nostrorum OSTRADO reverendo abbati de S. Maximino suisque successoribus largiti sumus concessimus & perdonavimus jus, potestatemque, securamque licentiam, mercatum & monetam construendi, tali legitimæ securitatis ordine, ut tam idem abbas ipse quam & sui successores, in sua liberali potestate teneat, regat & perpetualiter habeat idem mercatum, cum moneta & theloneo, ac totius reipublicæ functione, ac dispositione, in quadam villa *Billiche* dicta ad abbatiam sancti Maximini pertinente, in pago quoque *Muselgovvi* & in comitatu BECELINI comitis sita. Proinde volumus & imperialiter edicimus, ut homines præsentes futurique omnes prædictum mercatum visitantes, cum omni pace illuc eant, redeant, compareant, & quidquid illis placuerit, sicut in aliis publicis mercatis vendant. Quicumque autem hujus nostræ auctoritatis concessionis & potestativæ perdonationis contradictor & violator in aliqua re extiterit; sciat se componere nostrum bannum, ita sicut ille qui mercato Moguntiæ, Coloniæ & Treviris contracto & contiminato damnatus fuerit. Et ut hæc nostra imperialis donatio stabilis permaneat, hanc paginam inde conscriptam manu propria corroborantes sigillare præcepimus.

Signum domni OTHONIS Cæsaris augusti.

[a] Actum in Ingelheim curia anno regni domni Ottonis tertii VIIII. (a) in Dei nomine feliciter. Amen.

DONATIO VILLÆ DE Bovines facta sancto Amando.

Anno 1002 Ex cartario S. Amandi.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego ERNOLDUS cum mea conjuge RICHELDE traditionem hanc facimus. Cum omnia in terra rotatu celeri videantur ad ima delabi, & quodcumque est mundi sedem fugiens æternitatis, pertranseat ut flos fœni; expedit nobis in terrenis divitiis diutius non delectari. Sed quoniam ea solummodo nesciunt finem, quæ a nobis propter Domini fiunt amorem, proculdubio per transitoriarum rerum oblationem felicis æternitatis mercari possumus capacitatem. Quapropter ego ERNOLDUS cum mea conjuge RICHELDE audiens veritatis verba: *facite vobis amicos de iniquitatis mammona, ut cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula*, sancto & amantissimo Amando, sibique in Christo famulantibus fratribus in ipsius cœnobio, pro remedio animarum nostrarum, villam quæ dicitur Bovinas, offero, trado, dono & in perpetuum donatum esse volo, cum omnibus ad se aspicientibus, cum servis & ancillis, qui in præsenti cartula habentur denotati. Euvradus, Rodulfus, Gozelinus, Azechinus, Robertus, Ozanna, Rainsendis, Fruuvetia, Ida, Lidewid, Roburgis, Landrada, Fremelendis, Laurentia, Rozelina, Servatia. Quæ familia unoquoque anno in festivitate S. Amandi quæ est VII. cal. Novembris, persolvat de respectione capitis sui II. denarios, de mortua vero manu VI. de licentia maritali VI. simili modo. Hæc autem omnia supra memorata eo tenore trado, ut a modo fratres jam dicti loci absque ulla contradictione heredum meorum, vel quorumcumque aliorum hominum habeant illa jure hereditario, inde faciant quod ad profectum & usus eorum sibi fuerit animo, & ut nullius inibi nisi solius sancti Amandi dominetur advocatio vel defensio. Quod si quis violari præsumserit vel minorari, iram Dei sanctorumque omnium sentiat damnatricem sui, ita ut omni tempore vitæ suæ anathema vel maranatha fit, & quando eum extrema dies occupaverit, lectum digne paratum habeat in gehennalibus flammis. Et ut nostræ auctoritatis donatio permaneret durabilior & coæva sæculo, sub venerabilium virorum fecimus testimonio, quorum nomina retinentur cartulæ præsentis in ultimo loco. Ego (b) HUGO GRANDIS Noviomensium seu Tornacensium episcopus tam jussu comitis (c) BALDUINI quam rogatu ipsius ERNOLDI, hanc traditionem præsentia mea confirmavi, & ut firma & stabilis permaneat ævo perenni, coram altari sancti Amandi, astante domno abbate MALBALDO, & cuncta congregatione sancti Amandi, violatorem seu infirmatorem hujus traditionis excommunicavi, anathematizavi, atque perpetua damnatione mulctavi. [b] [c]

(a) Ottonis tertii annus regni VIIII. incidit in annum 991. quo tempore præerat Trevirensi S Maximini monasterio Folcmarus seu Valemarus abbas, non Obitradus. Itaque hic in numero irrepsit error amanuensis oscitantia forte legendum XVII.

(b) Hugonis Grandis nulla occurrit mentio in vulgata serie episcoporum Noviomensium, qui proinde collocandus est Radbodum inter & Harduinum, cui perperam Bucelinus initium tribuit episcopatus anno 1000.

(c) Hujus nominis IV Barbati vulgariter appellati, qui anno 988. aut sequenti Arnulfo juniori Flandriæ comiti successit, regnavitque annos 48.

Actum Elnone monasterio anno Dominicæ incarnationis M. II. regnante rege Francorum Roberto, imperante vero Romanorum imperatore Henrico, annuente & consentiente marchione nostro magno BALDUINO, astante quoque cum aliis pluribus advocato nostro RODULFO. S. Ernoldi hujus traditionis auctoris, S. Rogeri de Vauvrinio, S. Rogeri de *Spelecim*, S. Gerulfi de Tornaco, S. Gotsuini de Tornaco, S. Sicheri, S. Arnulfi de Schelmis, S. Herimanni de Dosemaro, S. Wiselini *de Beecs*, S. Engelberti *de Petengen*, S. Machelini *de Vvarcon*, S. Hugonis de Perrona, S. Euvrardi Calvi.

DIPLOMA S. HENRICI REGIS Romanorum pro parthenone Mulenbechano.

Confirmat privilegia eidem ab Arnulfo & Ottone II. imperatoribus concessa, liberam eligendæ abbatissæ potestatem tribuit, &c.

Anno 1003. *Ex autographo in Bodecensi monasterio asservato.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. HENRICUS divina favente clementia rex. Si loca divino cultui dicata nostro studuerimus amplificare subsidio, æterni regni portionem nos ob hoc adepturos esse liquido confidimus. Quapropter noverit omnium fidelium nostrorum præsentium scilicet atque futurorum industria, qualiter quædam venerabilis abbatissa nomine BERTHEID, quædam imperialia nostris obtutibus repræsentavit præcepta, per nostros antecessores ARNOLFUM & OTTONEM secundum pro immunitate suo collata monasterio, a quibusdam nobilibus personis HILDIBURGA & presbytero FOLCHARTO a fundamentis olim in loco Mulinbeche constructo, nostramque suppliciter precata est clementiam, ut & nos ipsum locum cum suis pertinentiis in nostrum mundibrium & defensionem, pro redemtione animæ nostræ susciperemus, & eam quæ in suis scriptis inventa est, convenientiam & oblationem nostræ auctoritatis scripto corroboraremus. Nos itaque interveniendbus BERNHARDO duce & episcopo (a) THIEDERICO, in cujus hoc monasterium puellare constructum est diocesi, pro divinæ mercedis augmento, ipsum monasterii locum cum suis adjacentiis & omnibus pertinentiis in nostrum mundiburdum suscepimus, & ad ordinem priorum præceptorum in omnibus confirmavimus, hoc regio insigni roboravimus. Hoc firmiter sancientes, ut sanctimoniales ibi Deo devotæ per decessionis tempora quam meliorem noverint, inter se eligant licenter, & sibi præponant abbatissam, communicato episcopi sui consensu. Insuper etiam in nostri memoriam nominis concessimus, ut ab hominibus prædictæ ecclesiæ usibus & servituti ancillarum Dei subditis regalis vel imperialis census, qui inde solebat persolvi, a nullo comite, vel judiciali, sive regiæ exactionis persona deinceps exigatur, & ut nullus comes, vel judex publicus, aut aliqua potens persona homines præfatæ ecclesiæ in suo judicio, bannum eis imponendo, aut justitiam ab eis ullam aliquatenus exigendo, audeat inquietare, excepta solummodo lege illa quam advocatus episcopi qui præsidet eidem ecclesiæ, solito more ab eis debet reposcere, & illa juris sanctione, si quid necessario propter capitale crimen in præsentia ducis opus habet finiri judicialiter & determinari. Et ut hæc nostræ concessionis auctoritas firmior habeatur, hoc nostræ dominationis præceptum manu propria roboratum, nostræ imaginis signo jussimus insigniri.

Signum domni HENRICI regis in Christo invictissimi.

EGILBERTUS cancellarius vice WILLIGISI archicapellani notavi.

Locus sigilli quod est integerrimum.

Data III. idus Martii anno incarnationis Domini M. III. indictione I. anno vero domni HEINRICI regnantis adhuc primo.

Actum Mindæ.

[a] Mindensi, ut patet ex diplomate Ottonis secundi superius relato.

ELECTIO PONTIÆ ABBATISSÆ

Anno 1004 *Ex archivis S. Victoris eruit D. Furnerius.*

.... Omnium quodam modo existentium hortatur quoscumque homines, immo vero mulieres habere documenta virtutum, quarum gradibus subnixæ aut scandere mereantur celsa polorum. Ea siquidem prædicamenta edocent quodcumque animal rationale, vivere honeste, juste, pudice, sollicite, patriamque delictis succrescentibus olim amissam, omni industria quærere. Hoc..... nihil hominum convincitur approbatum ab omnibus fidelibus CHRISTO JESU pie famulantibus. Noscimus namque Dominum dixisse: *Discite a me quia mitis sum & humilis corde.* Rursus alibi: *Estote prudentes sicut serpentes & simplices sicut columbæ.* Ergo simplicitas & humilitas quamvis litteratura virtute ac sensu paulisper dissentiant: ideoque una sine altera numquam haberi meretur. Igitur has duas species nobis ab eodem Redemtore quondam sancitas viriliter nanciscamur, postmodum autem reliquas mirum in modum ab ejusdem testibus jam dudum exquisitas, nequaquam ignavius expetere decertemus. Imminet denique tempus referendi ad quid hujuscemodi conventus episcoporum, necne nobilium hominum, quin potius devotarum feminarum valvas hujusce cœnobii circumvenit: proindeque abhinc incipiam texere tenorem ejusdem rei. Ordines nempe angelorum novem esse nemo litteratorum ambigit, inter

quos quidam eorum præferuntur ad jubendum, quidam ad obediendum. Hoc itaque fit, ut rationabilius quisque per idem peragant ministeria sibi collata. Hunc vero licet natura æquentur, tam fiducialius, ut unusquisque audeant, sua principantur. Idcirco nos dicatæ mulieres Deo Raimberga, Fredegarda .... elda sufficiat......... quatenus eis de quibus loquimur consortes esse possimus. Anno M. IV. trabeationis Dominicæ indictione II. mense duodecimo qui dicitur Janus, atque ejusdem vul. ideo coram præsentia sacrorum antistitum Frodus .... ceterorumque filiorum hominum, & ante conspectum nobilis matronæ ejusdem monasterii fundatricis una cum filiis suis. Nomen etenim ejus ELGARDA dicitur, ipsius vero filiorum notantur G...linus, Ugo, Adebertus. Itaque nos omnes præsignatæ puellæ, elegimus atque præferimus nobis hanc monacham nomine PONTIAM, vultu decoram, sensu illustrem, natura sublimem, moribus insignem. Id equidem facimus ea ratione qua oportet, favente deorum Deo, suorumque militum copia. Facta electione præscripto mense ipsius dataro, regnante Francorum rege RODBERTO. Petrus grammaticus hanc electionem scripsit & subscripsit coram testibus plurimis die & anno præfixo cum aliqua reprehensione.

DIPLOMA HENRICI REGIS II. Keminadensi virginum monasterio concessum.

Monasterium sub sua protectione suscipit, & monialibus potestatem eligendæ abbatissæ concedit.

Anno 1004. Ex autographo Corb. novæ.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. HENRICUS divina favente clementia rex. Omnium sanctæ Dei ecclesiæ nostrorumque fidelium præsentium, ac futurorum comperiat universitas, qualiter domna FRIDERUNA necnon abbatissa, ejusque soror IMMA comitissa, GERONE comite adjuvante, construxerunt quoddam (a) monasterium in honorem sanctæ Dei genitricis & perpetuæ virginis Mariæ dedicatum, ad quod omnem hereditatem, hoc est Keminadam, Hogen, Barigi, Tundivium, Othere. Hæc sunt in Tilichi Warstan, in Auga Rohten, in Wakenafalde Bardewik, Hottmannessum, Wintorp, Britlingi, Biangi, Budiburg, Addunestorp, Hatterbiki, Bodenhusen, Suterburg, in Gardanga Clomkey; in Drevan Wigmannesburgscal, Bennestorp; in Mosidi Widila, Waldersidi, Kokerbiki; in Heilanga Holana, Aunsetila; in Hostrunga Henstidi, Sungad, cunctaque eorum hic prænemorata prædia gratissima voluntate tradiderunt. Quæ vero sita sunt in comitatu BEVARDI ducis, unde nostram regalem aggressæ majestatem, supplices rogaverunt, ut ipsum monasterium in nostro mundiburgio susciperemus, talisque libertatis ac legis primatum concederemus, qualem (b) *Gandersheim*, (c) Quintiliburg, Gernivisti tenere viderunt. Quod nos petitione THEODERICI Mindonensis episcopi fecisse omnino noscat universitas fidelium. Ad hoc statuimus ut in præfatæ abbatissæ suæque sororis comitissæ prædictum monasterium & abbatia nostro persistat consensu diebus vitæ eorum, post obitum vero utrarumque earum ad nostrum publicum eadem abbatia jus in perpetuum pertineat. Insuper autem volumus, ut nulla major aut minor regni nostri persona in eadem abbatia placitum facere, aut aliquam sibi molestiam inferre, vel publicam functionem exigere *, nisi advocatus abbatissæ cunctarumque monialium. Hoc etiam nostra regali auctoritate ad hoc concedimus abbatiæ, ut sanctimoniales ejusdem monasterii, abbatissa defuncta, licentiam habeant eligendi aliam ad hoc idoneam. Et ut nostræ auctoritatis præceptum firmius omni tempore perseveret, hanc paginam manu propria roborantes signo nostro jussimus insigniri.

* Supple præstationes.

Signum domni HENRICI regis invictissimi.

EGIBERTUS cancellarius vice WILLIGISI archicapellani notavi.

Data IV. nonas Novembris, anno dominicæ Incarnationis MIIII. indictione II. anno vero domni Henrici regis....

Actum *Magadeburg.*

ELECTIO WIFREDI ABBATIS S. Victoris.

Anno 1005. Ex archivis S. Victoris eruit D. Furnerius.

NORMA divinæ institutionis quantocius creaturæ dispositio divina quadam & ineffabili ratione, documentis multifarie ordinatis, cum æquæ sit moderationis, diversis tamen in creaturis summi diverso disponuntur Creatoris moderamine. Cumque omnia creata pro creationis diversitate, voluntate atque providentia opificis gubernentur, tamque ad sui cognitionem in duobus voluntatis & exhibitione famulatus fieri visum est, quidam rationis ordo præminet in angelica scilicet, quæ ut majorum prædicatorum documentis, alia præminentia, alia vero secundum officia a Creatore sibi

(a) Istud monasterium successu temporis in præposituram Corbeiæ novæ conversum, faventibus Conrado II. imperatore & Eugenio papa III. tandem ad Brunsvvicenses duces transiit.

(b) Gandersheim nobilissimum virginum Benedictinarum monasterium in ducatu Brunsvvicensi a Liutolpho Saxonum duce & Oda eius conjuge fundatum fuit circa annum 852.

(c) Istud monasterium condidit Mathildis regina Henrici Aucupis regis Germanorum conjux, in eoque sub sæculari habitu religiosam vitam duxit. Situm est autem in diocesi Haberstatensi, & in eo una cum Henrico rege quiescit.

dispofita principatibus obfecundantia, & in humana quamvis gravedine depreffa terrena; non ita femper hæreat creatori, ut non neceffitate deprimatur corporali, evangelica tamen & catholica doctrina fpiritualibufque donis ditata, mente Deo adhærens & corporaliter deferviens vocatur ecclefia. Quæ videlicet fancta ecclefia diverfis ordinum gradibus decorata, præpollet in fummis, vernat in mediocribus, floret in fupremis, in quibus etiam diverfitate non fidei, fed vitæ, cum fit unus grex & unus paftor Dominus JESUS CHRISTUS inveniuntur, alii vero a paftore munere ditiori præcelfi paftores dicti, qui pro fibi fubditis totis quo valent nifibus infudantes, virtutum eos nutrimentis fovendo, ad vera pafcua reportare geftiunt. Alii vero ab iftorum longa vita diftantes, fuppetio majorum egentes, propria non fufficientes, eorum virtute freti, atque eorum fequaces effecti, cum ipfis ad gaudium, quod verus paftor Dominus JESUS-CHRISTUS promifit merentur introduci, quibus paftorum nomine ditatis, uni a fummo paftore præcipitur. *Pafce oves meas*, cujus exemplo eruditus & præcepto geftiens obfecundare, cum ipfius juvamine veri paftoris, fcilicet ex monafterio S. Victoris honore dicatum, pater adhæreat domnus Warnerius, cujus petitione domnus PONTIUS gratia Dei Maffilienfis ecclefiæ epifcopus, cum totius ecclefiæ S. Mariæ ordine canonicorum fub eo conftitutorum, cum confenfu etiam præfati fancti Victoris cœnobii monachorum, etiam cum confilio domni fcilicet abbatis ARCHINRICI monafterii Montis-majoris, atque domni PATONI abbatis (a) S. Gervafii eligendo decrevit virum nomine WIFREDUM adeo bonis moribus ditatum, quo loci fibi, ut credit, a Deo commiffi curam pervigil gerens, fui mercedem laboris percipiens a vero paftore cum fibi fubditis adfcifci mereatur.

[a]

Anno ab Incarnatione dominica MV. indictione III. cum confenfu omnium fupradictorum, domni fcilicet PONTIONI epifcopi, & domni WARNERII abbatis Pfalmodienfis, domnique ARCHINRICI abbatis, ac domni PATONICII abbatis, feu & domni WILLELMI vicecomitis, fratrifque ejus domni FOLCONI, omniumque fupradictorum canonicorum ac monachorum, regnante Domino noftro JESU CHRISTO, qui cum Patre & Spiritu-fancto vivit & regnat per omnia fæcula fæculorum, amen. Benedictus, Witbertus, Caftellanus, Andreas, Saturninus, Willelmus, Ifarnus, Ugo, Arduinus, Landricus, Laugerius, alius Saturninus, Petrus, Erchimbertus, Marinus, Warnerius, Belladus, Dominicus, Martinus, Arnaldus, alius Arnaldus, Rotbertus. Hi omnes manu propria monachi ipfius firmaverunt loci. Stephanus, Erambertus, Salvatus, Wlfinus, Eolcoaldus, Pontius, Amalricus firmaverunt. Giflabertus, Deodatus, Maffilius, Andreas, Pontius, Amelius, Cleophus, Suavis, Gelinus, Honoratus, Ugo, Auriolus, Teutbertus, Wichirannus, Arlulfus, Wichirannus, Pontius, Dido, Radaldus, Dagubertus, Bofo, Iterius, Ingilradus, Aycardus, Pontius, Teutbaldus, Giraldus. Hi omnes manu propria canonici feu & clerici & fideles laici firmaverunt.

Ego Erambertus indignus monachus rogante domno WARNERIO (b) abbate meo, & PONTIONE epifcopo & fratre ejus WILLELMO, & Folcone & Ademaro fcripfi. [b]

DIPLOMA (c) PONTII Maffilienfis epifcopi pro S. Victore. [c]

Confirmat donationes factas S. Victori in monafterii reftauratione.

Anno 1005. *Ex cartario S. Victoris eruit D. Furnerius.*

SACRUM judicium. Conftat paginibus librorum, quod poft Domini Salvatoris adventum gloriofamque ejus afcenfionem, priufquam facrum illud quod erat Jherofolymis collegium disjungeretur, ac fancto revelante Spiritu ad prædicandam fui nominis gloriam, cognitionemque propalandam, per diverfa mundi fpatia dirigeretur, *Multitudinis credentium erat cor & anima una, nec quifquam eorum quæ poffidebat aliquid fuum effe dicebat: fed erant illis omnia communia, nec quifquam egens erat inter illos. Quotquot enim poffeffores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, & ponebant ante pedes apoftolorum, dividebanturque fingulis prout cuique opus erat.* Nam talis extitit in Jherofolymis omnis illa credentium multitudo, quales nunc perpaucos in cœnobiis invenire difficile eft. Sed cum per prædicationem apoftolorum univerfarum gentium colla jugo Domini fubderentur, effetque infinitus credentium numerus, jamque fancti apoftoli per martyrii gloriam e mundo exceffiffent, cœpit illa fancta communis apoftolorum inftitutio paulatim tepefcere. Cernentes hæc aliqui quorum mentes in ea quæ a beatis apoftolis acceperant doctrina fervebant, fequeftrantes fe cœperunt habitare fimul, quos græco nomine cœnobitas, id eft in commune viventes cœperunt vocitare, ex tunc monafteria exordium fumfere. Ad horum igitur formulam cœnobiorum, extitit infra pagi noftri fines, hoc eft in Provincia

(a) Hæc abbatia ad maris ripam fita erat, & quidem in diœcefi Aquenfi, ut quidam volunt; rectius, ut fcribit nofter Sammarthanus, in Arelatenfi. Ei Pontius miles de Foffis donationem feciffe traditur, anno 1081. quam admifit Ivo prior Cluniacenfis.

(b) S. Victoris abbate, quo proinde adhuc vivente, & annuente facta eft electio Vvifredi.

(c) Editum fuit in utraque Gallia Chriftiana diploma iftud, fed adeo truncatum & deturpatum, ut neceffario fuerit recudendum.

celebre

celebre monasterium, Massiliæ civitatis haud procul mœnia situm, præcipui martyris Victoris corpore sacratum, a glorioso imperatore CAROLO privilegiis & maximis donis sublimatum, quod diu in eadem sublimitate sub regulari tramite mansit stabilitum. Sed post multorum curricula annorum, cum idem piissimus princeps a sæculo decessisset, & omnipotens Deus vellet populum christianum flagellare per sævitiam paganorum, gens barbara in regno Provinciæ irruens, circumquaque diffusa vehementer invaluit, ac munitissima quæque loca obtinens & inhabitans, cuncta vastavit; ecclesias & monasteria plurima destruxit, & loca quæ prius desiderabilia videbantur, in solitudine redacta sunt, & quæ dudum habitatio fuerat hominum, habitatio postmodum cœpit esse ferarum, sicque factum est, ut monasterium illud, quod olim præcipuum ac famosissimum in tota Provincia fuerat, adnullatum & pene ad nihilum est redactum, quousque bonæ memoriæ domnus GUILLELMUS & domnus HONORATUS præfatæ civitatis episcopus, & frater ejus domnus GUILLELMUS vicecomes, filiusque suus domnus PONTIUS præsul, qui eidem avunculo suo in episcopatum successit, & jam pene lapso manum sublevationis porrexerunt, qui non solum ex sua * ei aliqua reddiderunt: verum etiam de propriis suis possessionibus ob remedium animarum suarum multa largiti sunt, ac monachos aggregantes abbatem ibi ordinaverunt. Igitur ego PONTIUS ordinatione omnipotentis Dei Massiliensis ecclesiæ pontifex, igne divini amoris succensus; & gloriosissimi ac pretiosissimi Dominique mei beatissimi martyris Victoris amore flagrans, ut ejus monasterium, ubi sacrum ac venerabile corpus ejus requiescit, stabilitum & inconvulsum absque ulla interruptione vel diminutione in secuturis sæculis maneat, & ut labor noster ac donatio, & redditio, vel augmentatio nostra seu antecessorum nostrorum supradictorum indissolubilis firmaque ac stabilis in perpetuum maneat, una cum consensu domni RODULFI regis Alamannorum & Provinciæ, seu etiam cum præcepto & connibentia domni apostolici papæ urbis Romæ, cum voluntate etiam domni RODBALDI comitis, & domnæ ADELAIZIS comitissæ, domnique GUILLELMI comitis filii ejus, consentiente etiam pariterque rogante clero ac populo sanctæ ecclesiæ Massiliensis, facio hanc roborationis, liberalitatis ac donationis cartam omnipotenti Deo ac S. Victori suo martyri, seu & abbatibus ac monachis, tam præsentibus quam futuris, ut ab hac die ipsum monasterium sub nullius hominis manu, nisi ad defensionem consistat, sed sit sicut cetera sunt monasteria regularia ad honorem omnipotentis Dei ac sanctorum ejus consistentia in his abbatibus ac monachis, qui secundum regulam S. Benedicti ac sanctos canones voluerint vivere, & terram cunctamque possessionem, omnia quæ in præsenti tenet; vel in futuro adquirere poterit, nullus episcoporum, nulliusque ordinis persona; tam clericorum quam laicorum, ab eodem monasterio vel ab eisdem abbatibus seu monachis auferre valeant, ut abbates & monachi tam præsentes quam secuturi, quietes ac securi absque ullius hominis voluntate Deo possint servire, & pro nobis omnibus jam sæpius prælibatis omniumque salute Christianorum, vivorum scilicet ac defunctorum, orationes ac preces valeant incessanter offerre. Ergo si potestas surrexerit aliquando inimica, vel sancto Victori, ejusque monasterio contraria; quæ hoc opus nostrum, quam * pro remedio animarum nostrarum instituimus, vel hunc privilegium, quem cum præcepto regis, ac jussione domni apostolici, & auctoritate omnium supranominatorum scribimus, irrumpere voluerit, & irritum facere, ac manus nostras falsare, vel a quocumque episcopo, vel abbate, seu a quocumque homine aliquod donum pro ipso monasterio voluerit accipere, sit anathema, maranatha, sitque anathema maranatha, sitque anathema dando & anathema recipiendo, id est tam ille qui dat, quam ille qui accipit, sicut sacri canones statuunt, & sint excommunicati & maledicti & abhominati a Patre, & a Filio, & a Spiritu-sancto, necnon a domno papa sedis apostolicæ, & ab omnibus ordinibus sanctæ Dei ecclesiæ catholicæ, ab episcopis & presbyteris, a diaconibus, & ab omnibus qui * intra eamdem potestatem ligandi, solvendique, & sint damnati in inferno inferiori cum Juda traditore, cum Ario, cum Sabellio, & cum omnibus hæreticis & infidelibus Dei, tam qui faciunt, quam qui consentiunt facientibus. Hoc etiam inserere mihi placuit PONCIO episcopo ac fratribus meis GUILLELMO & domno FULCHONI, ut quæcumque de hereditate patris nostri, vel matris nostræ, parentumque nostrorum huic monasterio a patre nostro, & a parentibus nostris, vel a nobis collatum vel collocatum fuerit, si aliquando surrexerit aliqua potestas vel episcopus, vel cujuslibet ordinis persona, qui aliquid ab eodem monasterio, vel ab eisdem abbatibus, vel monachis auferre vel abstrahere voluerit, hoc vendicare non valeat. Quod si fecerit, heredes vel successores nostri liberam habeant potestatem resumendi ac recuperandi ea quæ auferre vel abstrahere voluerit aliquis. Super hoc autem omnem licentiam habeant abbas & monachi ejusdem monasterii interpellare eos, qui hanc scripturam nostram offuscare voluerint, in omni regali curia, vel ante domnum apostolicum Romæ, & red-

* f. suis.

* ita legitur in cartario.

* f. in terra habent.

dere cogantur in vinculo auri libras D. & denuo scriptura ista firma & stabilis permaneat. Scripta anno Incarnationis dominicæ MV.

RODULFUS rex Alamannorum seu Provinciæ.

JOHANNES gratia Dei papa sedis apostolicæ.

RODBALDUS Dei gratia comes firmavit, voluit & consensit, & manu propria roboravit.

† Signum PONTIUS episcopus manu propria firmavit.

ADALAX inclita comitissa assensum præbuit & manu propria firmavit.

GUILLELMUS comes Provinciæ filius ejus firmavit.

GUILLELMUS Tolosæ urbis comes firmavit.

ERMENGARDIS uxor Rodbaldi comitis manu propria firmavit.

WARNERIUS abbas Psalmodæ firmavit.

GUIFREDUS licet indigne ejusdem monasterii opilio vocatus.

ARCHINRICUS abbas Montis-majoris firmavit.

RADO episcopus firmavit.

[a] ALMERADUS (a) episcopus firmavit.

Domnus PONTIUS Arelatensis archiepiscopus firmavit.

[b] PATO (b) abbas firmavit.

Deodatus firmavit.

Andreas firmavit.

Massilius firmavit.

Ugo firmavit.

GUILLELMUS vicecomes firmavit.

FULCHO frater ejus firmavit.

Lambertus firmavit.

Radaldus firmavit.

AMALRICUS Aquensis episcopus firmavit.

Domnus Franco firmavit.

DONATIO VILLARIS S. JOHANNIS facta ab Atanulfo Massiliensi S. Victoris monasterio.

Anno 1007. Ex archivis S. Victoris eruit D. Furnerius.

ANNO Incarnationis dominicæ MVII. indictione V. facta est donatio hæc a viro illustrissimo nomine ATANULFO. (c) [c] Manifestum est, & universis qui eum noverunt, liqueat, & quia id est ad limina SS. apostolorum Petri & Pauli Romæ pergens, dum reverteretur eodem itinere obiit, sed priusquam ab hac vita discederet, integro sensu ac plena memoria, omnia sua ordinans atque disponens, de salute animæ suæ sollicitus, inter ea quæ bene ordinavit atque disposuit, delegavit & præcepit dare aliqua de suo omnipotenti Deo, & S. Victori suo martyri, ejusque monasterio apud Massiliam fundato, abbatibus quoque ac monachis ibidem perpetim famulantibus; id est in pago Forojuliensi infra terminos de castro quod vocant Salerna, villare quod vocatur S. Johannis, quantum ille habebat, & ad diem obitus sui tenebat, & in ecclesia S. Mariæ, quæ in eadem valle quæ superjacet fundata est suam portionem: quia idem vir priusquam Romam pergeret, mittens fecit ad se venire abbatem ejusdem monasterii VUIFREDUM nomine ac fratres, & commendans se eorum orationibus, dixit se velle eamdem ecclesiam reædificare, & S. Victoris monasterio, quantum ad se pertinebat, dari. Præterea & qui juxta est villare S. Johannis quæcumque habuit dedit propter redemptionem animæ suæ, ut abbates & monachi tam præsentes quam futuri sine interpellatione alicujus hominis teneant & possideant, & pro redemtione animæ suæ ac pro peccatis suis assidui apud Dominum intercessores existant. Nunc igitur ego BELLETRUS mater ejus, & ego JUDETA uxor ejus, & ego PETRUS filius, & ego JONAM & ego ISNARDUS, & ego PANDULFUS, & ego BONIFACIUS & ego VUIFREDUS, nos omnes, qui sumus fratres & cohæredes ejus, hanc donationem eleemosynam quam, propter remedium animæ suæ ille vivens instituit, nos omnes post mortem ejus bono animo & bona voluntate ac propriis manibus firmamus.

Facta donatio hæc tempore præscripto, regnante RODULFO rege Alamannorum, seu Provinciæ.

ATANULFUS hanc donationem dedit & ore proprio firmavit.

† BERNARDUS ex ore ejus & ab eo rogatus manu mea firmavi.

BELLETRUDIS mater ejus firmavi.

JUDETA uxor ejus firmavi.

PETRUS filius ejus firmavit.

BONIFACIUS & uxor ejus firmaverunt.

JONAM frater ejus firmavit.

PANDULFUS frater ejus firmavit.

BONIFACIUS frater ejus firmavit.

VUIFREDUS frater ejus firmavit.

DONATIO VILLÆ S. JOHANNIS facta Massiliensi S. Victoris monasterio a Belletrude.

Anno 1010. Ex magno cartario S. Victoris.

EGO BELLETRUDIS propter remedium animæ meæ & senioris mei JONAM & filios ac filiabus nostris tam vivis quam & defunctis, ut & vivi proficiant ad salutem,

(a) Duo hujus nominis eodem tempore præfuisse reperiuntur episcopi Provinciæ, Almeradus Regensis, & Almeradus Vasionensis, quorum alterum hic subscripsisse non dubito.

(b) Iste Pato fuit abbas S. Gervasii, interfuitque electioni Vuifredi abbatis S. Victoris.

(c) In lib. 4. Chronici Casinensis cap. 14. & aliis mentio fit Athenulfi comitis Aquinensis, qui fratres habuit Landulfum de S. Johanne, Pandulfum & Landonem, quos ex Athenulfo hujus donationis auctore originem duxisse non sine fundamento suspicamur.

& mortui ad præmium æternæ vitæ. Facio hanc donationem omnipotenti Deo & S. Victori martyri ac monachis ibidem habitantibus, tam præsentibus quam futuris, id est de villa quam vocant de S. Johanne. Dono ego supradicta BELLETRUDIS quantum ibidem habeo, id est in campis, in vineis, in pratis, in hortis, in aquis, in terris cultis & incultis, ad supradictum martyrem S. Victorem, vel abbatibus ac monachis sine ulla interpellatione, id est quartam partem quæ ibidem habeo, & est ipsa villa in comitatu Forojuliense, in territorio de castro Salernas. Facta carta donatio ista in villa quæ vocatur Archos, anno Incarnationis dominicæ MX. Nonas Decembris regnante RODULFO rege.

† Ego BELLETRUDIS qui hanc donationem feci & manu mea roboravi.

Pandulfus firmavit, Ripertus firmavit, Girmundus firmavit, Raiambaldus firmavit, Teutbertus firmavit.

DIPLOMA HUGONIS COMITIS Cenomanensis.

De confirmatione Tussiacensis beatæ Mariæ abbatiæ.

Circa an. 1015. *Ex cartario Cenomanensis S. Vincentii monasterii.*

CUM nullus mortalium hoc in sæculo vacillanti sapiat se esse ita perpetuo stabilitum, ut non ad futurum perveniat judicium, oportet ut quamdiu vita comes fuerit, se tam perornet operibus bonis, ne post aditum vitæ pænas inferni cognoscat imminere sibi.

Quapropter ego in Dei nomine HUGO Cenomanensis comes, quia tanta totque futura timeo tormenta, nolo recusare, sed magnanimo cupio ea confirmare, quæ de nostris sanctorum basilicis video concedere, quatinus hæc prædicta pænarum tormenta vitare possim, & cum sanctis in æterna requie feliciter permanere. Ergo notum esse volo omnibus sanctæ Dei ecclesiæ fidelibus, tam futuris quam præsentibus, quod quidam de meis confidelibus videlicet HUGO nostram adiens præsentiam, postulans sibi fieri præcepti mei firmitatem in sanctæ Mariæ matris Domini ecclesiæ dotem, in comitatu Cenomanensi, in vico qui vocatur Tusiacus, super fluvium Karona, * de terris quas de nostro tenet beneficio, ut laventur ejus crimina, & regni cælestis ei aperiatur janua. Me ergo favente & nullo modo contradicente, præsentat nobis ipse Hugo fidelis noster quemdam monachum nomine HERMENTUM, virum bonum, & sagaciter instructum, cupiens eum ad ordinem abbatis benedicendum, per meam jussionem, & domni AVESGAUDI episcopi, seu per deprecationem domni abbatis INGELBAUDI & omnis congregationis ejus, obsecrans ut omnibus diebus quamdiu Christianitas permanserit, in eodem loco abbas habeatur, qui regulariter vitam ducat, & ipsum locum diligenter instruat, & gregem sibi commissum regere sciat. Concedit namque ad usus fratrum totam villam Tusiacum cum ecclesia & decimam, & unam capellam ad ipsam pertinentem, & mercatum totum, & terram in ipsa villa ad duas carucas, molendinos duos super fluvium Karona, & super (a) Idoneam unum; de pratis arpennos v. super Karona, & super fluvium Bunionem arpennos VIII. De vineis quoque arpennos IIII. & in Monte Dublello arpennos tres, & pastum ad porcos, qui erunt in monachorum dominio, & terram Girodii, & unum masnilum qui dicitur Ramada, cum hospitibus quinque, & silvam quæ vocatur *Bolbiez* de beneficio Wauterii, & terram Ascelini, & terram Warnerii, quæ est prope monasterium, ad Ulenum unum molendinum. Ea ratione ut merita sanctæ Dei genitricis Mariæ & S. Petri apostolorum principis, necnon & omnium sanctorum, orent apud pium judicem Dominum nostrum JESUM CHRISTUM, ut ipse in diem judicii de suis & de nostris peccatis misereri dignatus sit. Contestamur igitur omnibus & prohibemus per nomen Domini & virtutem ejus, & per merita sanctæ Mariæ & omnium sanctorum, qui ab initio mundi Deo placuerunt, ut nullus nunc aut in posterum livoris aut cupiditatis molimine irretitus, infringere aut calumniari præsumat hanc nostræ traditionis firmitatem. Quod si quispiam egerit aut tentaverit, iram Dei omnipotentis habeat, & sanctorum omnium ejus iram incurrat, & sit perpetualiter alienum a consortio sanctorum, & hæres incendii inferorum recipiatur, sit cum diabolo & sociis ejus, missus in stagnum incendio dimersus, ibique finetenus pereat in sæcula sæculorum. Amen.

* Cheronne.

Signum BENEDICTI papæ.

Signum HUGONIS Cenomanensis civitatis comitis.

Signum AVESGAUDI episcopi ipsius civitatis.

Signum domni INGELBAUDI abbatis S. Petri ipsius civitatis.

Signum SESGUALONI abbatis monasterii S. Launomari.

Signum GENESII abbatis monasterii sancti Karilesi.

Signum DURANDI abbatis monasterii S. Mariæ. * (* S. Mariæ de Ebronio.)

Signum RADULFI ipsius civitatis vicecomitis.

Signum HUBERTI ipsius civitatis thesaurarii.

(a) Gallice *Huisne* de hoc fluvio ita cecinit Theodulfus ad Modoinum episcopum Æduensem scribens :
Tale quod asseverant flumen Idonea passum,
At quod ab urbe fluens fat prope Sarta bibit.

Signum WILHELMI ipsius civitatis decani,

Signum WILHELMI laici.

Signum IVONIS ejus fratris.

Signum HUGONIS ipsius militis qui hoc præceptum fieri jussit.

Signum HUGONIS filii ejus.

Signum HAIMONIS. Item signum Haimonis de Superlitus.

Actum Conomannis publice regnante Roberto humili rege.

DIPLOMA ODONIS COMITIS Carnotensis.

De fundatione ecclesiæ beatæ Mariæ de Monte Dublelli, & ejus abbatiæ Tussiacensi subjectione.

Circa 1015. *Ex cartario S. Vincentii Cenomanensis.*

CUM dubia & fragilis inter incertos casus vita mortalium versetur hominum, rationabilitate qua ceteris præeminent animalibus, oportet unumquemque sollicite perpendere, per devia peccatorum suorum, quam longe a Deo discesserit, deinde recti itineris tramitem studiose perquirere, cujus ducatu ad Viam quæ Veritas pariter & Vita est, valeat pervenire. Nec debet quisquam æstimare aliquid boni aut a se fieri, aut a se posse habere, sed potius ab illo summo bono quod Deus est, qui & voluntatem simul & facultatem contulit operandi, se credat accipere. Debet etiam unusquisque desiderium suum & cogitatum non in caducis rebus & subito prætereuntibus leviter constituere, sed in Domino qui scit quibus humanum genus indiget, spem suam firmiter collocare. Est præterea perutile unumquemque altius bona quæ recta fiunt voluntate ex animo diligere, atque ut perficiantur, prout vires suppetunt auxilium præbere. Et hæc omnia non ad humanam gloriam, vel popularem favorem, sed pro æternæ remunerationis emolumento, quicumque facere studuerit, ab ipso Domino Deo qui reddet unicuique secundum ejus opus, cum majestate in sua venerit, sciat sibi ex integro recompensari. Hujus rei gratia ego ODO Carnotensis civitatis comes notum fieri volo cunctis catholicæ fidei cultoribus, tam præsentibus quam futuris, quoniam accessit ante nostram humilem præsentiam quidam fidelium nostrorum HUGO, scilicet cognomento Dublellus, reverenter postulans corroborari nostra auctoritate præsens testamentum de rebus a se collatis ecclesiæ, quam in honore sanctæ Dei genitricis & virginis Mariæ, consilio venerandæ memoriæ FULBERTI, Carnotenæ urbis episcopi, pro redemtione animarum, suæ videlicet ac filiorum suorum, hoc est Hugonis archidiaconi, atque Odonis, necnon & Hervei, in proprio castro, quod ab ipsius cognomine Mons-Dublelli vocatur, laudabili studio construxerat. Cujus postulationi, ut decebat, animo volenti assentientes, manu propria illud roboravimus, manibusque fidelium nostrorum roborandum tradidimus. Tribuit igitur præfatus Hugo clericis in jam dicta ecclesia, sub nomine canonicali Deo servientibus per consensum & voluntatem Gisleberti & Elgaudi ejus filii, quorum dono ex nostro possidebat beneficio VI. hospites, quatuor in villa quæ vocatur *Ivez*, & duos ante ecclesiam sancti Clementis, & in eodem loco duas medieturas, unam cum tribus arpennis pratorum, alteram cum quatuor. In ipsa quoque terra unum molendinum in dominio, & censum de tribus molendinis, & duos vinearum arpennos & dimidium solvente censu, & in loco qui vocatur *Gelroim* aliam mediaturam. Alibi apud Muselaium de quatuor carrucis decimam, & de hominibus qui locum incolunt, sepulturam & panem & candelam, & apud villam vocabulo *Braiz* duos arpennos de vineis. Unum etiam caballarium cum omni beneficio suo, in villa quæ vocatur *Ardun*. Ecclesiam vero illam cui hæc contulit, cum ipsis clericis commisit potestati abbatum Tussiacensis loci, qui olim ab ipso Hugone in pristinum statum, quo per annos multos caruit, restitutum fuerat. Eo videlicet modo ut tamquam membrum eadem ecclesia prædicto loco Tussiacensi adhæreat, & clerici ipsius ecclesiæ a nulla sæculari persona pro ullo judicentur excessu, sed a prædicti loci abbate regulariter corripiantur. In ejus quoque obsequium semper sint parati, & obeunte eorum quolibet, ab eo qui in canonicali statu obeunti successerit, ipse X. solidos accipiat. Omnes ergo qui sæpe dictæ ecclesiæ bona rebus propriis adcreverint, gloriosissimæ Dei genitricis Mariæ, atque omnium sanctorum orationibus a peccatorum suorum allevientur onere, & benedictionem quæ sanctis omnibus repromissa est, a Deo æterna possideant hereditate. Et quicumque aliquid ex his quæ per præsentis cartæ donationem Hugo & filii ejus ipsi contulerunt, calumniose aut violenter auferre præsumserit, Dei omnipotentis & omnium sanctorum offensam incurrens, atque a Christianorum sequestratus consortio, proditoris Judæ ac Simonis magi, Juliani quoque apostatæ de terra viventium exemplo cruciandus perpetuo igni cum diabolo ejusque ministris. Signum ODONIS comitis † Signum GAUFRIDI vicecomitis, S. HUGONIS DUBLELLI, S. Hugonis archidiaconi, S. Hervei filii Hugonis, S. Gisleberti, S. Elgaudi. Signum Odonis archidiaconi, † S. Odonis decani, S. Vulgrini grammatici, S. Bucchardi, S. Hugonis filii Gripponis, S. Anastasii. S. Hilberti, S. Odonis Muscantis, S. Ursionis, S. Gradulfi, S. alterius Gra-

dulfi, S. Alberti, S. Drogonis, S. Rainardi, S. Hugonis filii Raimonis, S. Humbaldi, Sig. Hermandi, S. Roscelini, S. Mannelini. † Nomina canonicorum Montis-Dublelli, Harduinus, Odricus, Theodericus, Girardus, Goscelinus. Factum est hoc testamentum ab (a) ERMENTEO abbate, datum autem in castro Montis-Dublelli regnante ROBERTO rege Francorum feliciter. [a]

CARTA DOMNI BALDRICI Leodiensis episcopi.

De fundatione ecclesiæ sancti Jacobi.

Anno 1016. Ex archivis S. Jacobi Leodiensis.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Quia manentem in hoc mundo civitatem constat quemquam non habere, futuram quæ in cælis est, qui sani consilii sunt non negligunt inquirere; & ad hanc possidendam quanto quisque potuerit studio anhelare. In qua etsi primum obtinere gradum ex divina promerentur gratia, qui optimam partem elegerunt cum Maria, illos tamen ab ejus beatitudine nequaquam credendum est excludi, qui more Marthæ ipsi Christo in suis fidelibus, ejus scilicet vestigiis adhærentibus officiosa caritate frequens ministerium satagunt impendere. Nam quorum voluntariam paupertatem in proposito beato ac quietæ vitæ de suis facultatibus pro nomine JESU videntur sustentare, eorum etiam in futuro donabuntur mercede, ipso Domino in evangelio sic attestante: *Qui recipit prophetam in nomine prophetæ mercedem prophetæ accipiet.* Hanc Domini auctoritatem mecum retractans, & cum fidelibus Christi tantam mercedem accipere desiderans, ego BALDRICUS sanctæ Leodiensis ecclesiæ sacerdos indignus, cum ex propriis operibus plus odii timerem quam amoris sperarem, decrevi eos mihi amicos adjutores præparare, qui me deficientem in æterna possent tabernacula recipere. Ea ergo spe & consilio confugiens ad tutelam & patrocinium S. Jacobi apostoli fratris Domini, & omnium apostolorum Christi, qui omnia pro ejus amore relinquentes, ipsum secuti sunt nudi, in honore & venerabili memoria eorum cœnobium monachorum tentavi construere in insula Leodii, ubi collocato ecclesiæ fundamento, cum jam cryptam ipsius ad effectum perduxissem, nesciens diem neque horam, acceleravi eam dedicare VIII. idus Septembris in honore sancti Andreæ apostoli, cujus pias ac semper venerabiles reliquias ibidem in altari recondidi. Tali autem meæ devotionis ædificio incœpto, in dotem adscripsi plusquam bonuarium terræ undique adjacentis, eamque liberam fore ab omni exactione decrevi, & allodium quod *Silva* nominatum, hereditario jure mihi competebat, eodem die ad ipsum altare per manum VVIGERI advocati contradidi, præsentibus fratribus meis GISLEBERTO videlicet comite de Los, & ARNULFO, & aliis quampluribus clericis & laicis liberis, beatos videlicet apostolos Jacobum & Andream, faciens in primis patrimonii mei heredes. Deinde fratres ibidem Deo sub regula & abbate servientes, quos cum sanctis apostolis redemtionis animæ meæ fidejussores esse decreveram. Quorum amabiles primitias, quas ibidem ad cultum Dei constitueram, cum postmodum interrogassem, quem prædictæ ecclesiæ advocatum esse vellent, fratremque meum GISLEBERTUM comitem de Los sibi eligerent, libenter annui petitioni eorum, sperans a nullo fidelius aut rectius, quam ab ipso & ab ejus heredibus detineri ac foveri ecclesiam, quam pro mea & eorum salute construere inceperam. Sed iterum metuens ne forte aliquando vel ipse vel heredes ejus obliti fidei & propinquitatis, justitiæ ac pietatis, libera vellent uti potestate, & pravas consuetudines per accessum temporum bonis ecclesiæ violenter irrogare: Visum est mihi sub judicio & testimonio illustrium virorum illi constituere quid juris haberet, quid præmii speraret pro ipsa advocatione, & ne aliquando quisquam illud infringere vellet, præsenti cartæ cum idoneis testibus inserere. Noverit ergo ipse cum sua successione, noverint omnes filii ecclesiæ in prædicto fundo, quod *Silvam* ex pulchritudine circumstantium silvarum nominavimus, id juris tantummodo illi constitutum esse, ut ad tria generalia placita tantummodo in anno illuc veniat, sic tamen ut non amplius quam ad opus decem virorum & undecim equorum servitium quod ei adjudicatum fuerit, accipiat, & de omnibus quæ in his tribus placitis annunciata, vel correcta, seu corrigenda, & placitanda usque ad legitimas noctes fuerint, ministri & scabinorum consilio tertium denarium sibi tollens, abeat in pace. De omnibus vero aliis quæ foris vel intus abbas vel minister ejus per se corrigere toto tempore poterit, nihil exigat, nec de ullo negotio molestus sit ei, in ipso prædio non pernoctet, nihil precetur, denique non veniat, nisi juxta proprietatem nominis sui advocetur. Præterea ut ipsam advocationem in manu sua semper teneat, nulli umquam beneficet, neque sub se quemquam instituat, nisi abbatis & fratrum voluntate & consensu id fiat pro quo id meriti speret, ut de peccatis suis consequatur veniam. Sin autem aliud fecerit, iram Dei quam meretur, se incurrere sciat. Itaque advocatione ecclesiæ data fratri meo GISLEBERTO, comiti scili-

(a) Hic Ermenteus abbas ex monasterio S. Petri de Cultura assumtus videtur, siquidem ad Ingelbaudi abbatis de Cultura præsentationem primus Tussiaci abbas est institutus, vivebatque adhuc anno 1040. quo interfuit dedicationi ecclesiæ Vindocinensis.

cet de Los, tradidi per manum ejus ad supradictum altare sancti Andreæ duo prædia cum omnibus appendiciis & procincturis suis, Hanretium scilicet & Mattenam, tertium quoque quod dicitur *Ernau*, quod de bonis sancti Lamberti pro *Palnaldes* commutavi, eodem die tradidi cum omnibus appendiciis suis, excepta ecclesia. Sed duo quæ præmisi, quæ a comitatu fratris mei remota erant, aliis providenda committere decrevi. *Ernau* vero quod propinquum erat, sub advocatione ejusdem fratris mei constitui, ea tamen lege qualem antiquitus ibi fuisse compertum habui. Videlicet ut in procincturis *Ernau* nemo sequentium forestem vel aliquam potestatem intercipere præsumat, sed cum quanta pace S. Lambertus possederat, cum tanta & sancti apostoli in perpetuum possideant. Testes dux GODEFRIDUS, ARNULFUS comes frater comitis Gisleberti, WIGERUS advocatus, Godescalcus de sancto Germano, Oldo de * *Tomines*, Rogerus filius Lamberti, Evrardus filius Thiebaldi, Rodolphus de * *Halek*, Lambertus de *Oltapie*, Bechelinus de *Sentile*, Engo *Julentey*, Hugo de *Cultuen*, Hugo de Formala, & alii quamplures liberi homines. Acta sunt hæc anno ab Incarnatione Domini MXVI. indictione XIIII. imperante feliciter Henrico secundo.

* f. Tornines.

DIPLOMA ROBERTI REGIS Francorum pro Corbeiensi monasterio.

Reprimit iniquas Elfredi de Encra advocati Corbeiensis consuetudines & oppressiones.

Anno 1016 *Ex autographo.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego R. gratia Dei rex Francorum. Compertum esse volo omnibus sanctæ Dei ecclesiæ fidelibus, tam futuris quam præsentibus, quoniam prævalescente nostris temporibus malignitate perversorum hominum, cum quotidie videretur minorari status ac justitia sanctæ matris ecclesiæ, maxime ab illis qui advocati sanctorum locorum esse deberent & defensores, illi e contrario prædatores fiant & raptores. Pro qua re sæpenumero dum interpellatus essem a venerabili abbate HERBERTO cœnobii Corbeiensis, qui hanc pernitiam mali sæpe experitur a nefando & maligno EFREDO suo milite & advocato supradicti cœnobii, qui aliquando si ad expeditionem regiam commonitus extiterit, sumptus itineris sui ab hominibus ipsius monasterii requirit sibi præparari; aut si rediens ex aliquo itinere, si nox eum occupaverit, hospitium in abbatia & servitium sibi demandat ab hominibus villæ a se hospitate ministrari; si vero qualiscumque offensa inter homines suæ advocationis acciderit, justitiam legis ex integro requirit habere. Quod si in castro suo Encrensi aliquid reformari necesse fuerit, homines memorati cœnobii ad illud opus ire compellit. Repertum est igitur judicio nostro & nostrorum principum, quia cum suum beneficium ex abbatia ipsa propter advocationem habeat, supradictas consuetudines in ipsum monasterium habere non debeat, excepto si abbas ipsius loci in expeditionem regis ire deberet, & eum secum ire jusserit, aut per se illum cum suis militibus ire præceperit: tunc sibi sumtus ex advocatione, non tamen sine ratione requirere liceat, nec aliam legis justitiam in abbatia habeat, nisi aut major abbatis, aut præpositus ipsius, vel ipsemet abbas cum mutaverit super se exigere justitiam sibi non potuerit, & de ipsa lege tertiam partem habeat. Nec castrum ipsius advocati ab hominibus ipsius abbatis cogatur, neque fieri, neque refirmari, nec in villa aliqua ipsius abbatiæ non comedat, nisi forte abbas illum vocaverit, aut præpositus villæ pro sua utilitate; nec hominem ipsius abbatiæ ad placitum suum compellat pro aliqua occasione, nec causam despectus ab ipso requirat. Hanc igitur sanctionem nostram ac principum nostrorum, si ipse EFREDUS aut successores ipsius infringere præsumserit, despectus nostri pænam & tremendi judicii damnationem cum perpetua excommunicatione incurrant.

Acta est hæc constitutio in villa vocabulo Pons Sanctæ-Maxentiæ, regnante glorioso rege ROTBERTO anno vicesimo indictione XIIII.

† S. Rotberti gloriosi regis.

PRÆCEPTUM DOMNI HENRICI imperatoris augusti pro monasterio Prumiensi.

Prædium Butenhart Hilderado abbati concedit.

Anno 1020 *Ex cartario Prumiensi.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. HENRICUS divina favente clementia imperator augustus. Si nostræ liberalitatis munere locis Deo dicatis quiddam beneficii conferimus, & necessitates ecclesiasticas nostro juvamine relevamus, id nobis & ad mortalem vitam temporaliter transigendam, & ad æternam vitam feliciter obtinendam, profuturum liquido credimus. Unde pateat notitiæ omnium Christi fidelium, præsentium scilicet atque futurorum, qualiter nos pro remedio animæ nostræ ac dilectæ conjugis nostræ CHUNIGUNDÆ, & per interventum HILDERADI (a) abbatis, nostri dilecti prædium nomine *Butenhart*, in pago Hulpiæ, in comitatu HEZELINI comitis situm, quod post obitum Epponis viri, & legis jure & lege ad nostras regales & impe- [a]

(a) Hilderadum ex Burgundiæ comitibus originem traxisse tradunt Prumienses, atque Henrico imperatori in primis carum, obiisse post annos regiminis octo anno 1026.

riales manus devenit, cum utriusque sexus mancipiis, & omnibus utensilibus, terris, cultis & incultis, agris, pratis, campis, pascuis, silvis, aquis, aquarumve decursibus, piscationibus, molendinis, viis & inviis, exitibus & reditibus, & omnibus appertinentiis, quæsitis & inquirendis, quæ dici poterunt aut nominari, ad monasterium S. Salvatoris mundi, situm in loco qui dicitur Prumea, in usus fratrum Deo inibi sub regula S. BENEDICTI servientium, concessimus, & in proprietatem donavimus, ut per omnia succedentium temporum curricula eidem monasterio absque omnium mortalium contradictione firmum atque stabile in æternum permaneat. Et ut hæc nostræ concessionis traditio omni tempore stabilis & inconvulsa permaneat, hanc imperialis præcepti paginam inde conscribi & manu propria confirmante, propria sigilli nostri impressione jussimus insigniri.

Signum domni HENRICI Romanorum invictissimi imperatoris augusti.

WITHARIUS cancellarius vice ERCHANBALDI archiepiscopi recognovi.

Data v. calendas Octobris indictione III. anno dominicæ incarnationis M. XX. Anno autem domni HENRICI secundi regnantis XVIIII. imperii vero ejus VII.

Actum *Hamerstein* feliciter. Amen.

CONSTITUTIO LEDUINI abbatis S. Vedasti Atrebatensis.

De placito generali.

Circa 1020 Ex cod. S. Vedasti.

I. HOMO de generali placito tria placita debet in anno. Unum sexta feria post epiphaniam, aliud VI. feria post octavas paschæ, tertium VI. feria post festum S. Johannis-Baptistæ. In quibus placitis nulla extranea potestas debet venire, neque præsidere ad judicandum, neque comes, neque advocatus ullus, nisi tantum abba aut præpositus.

II. Quod si quis eminentioris potentiæ, vel qui non sit de lege hujus generalis placiti, habuerit causam, volueritque clamare in placito, licet ei venire & clamare, & secundum legem placiti causa illius judicabitur recte; sicque egredietur, remanente placito in sua libertate.

III. In hoc itaque generali placito, præsidente abbate seu præposito, circumsedentibus etiam scabionibus, si quis adversus alterum habet querelam, stabit & faciet clamorem suum legitime super illum, audieturque clamor ejus, & diligenter discutietur, & secundem legem placiti res inter utrumque dijudicabitur.

IV. Qui sacramentum acceperit, XX. noctes de interstitio habebit.

V. Qui vadem dederit v. solidos de lege dabit XXX. den. de fredo, & hujus fredi duæ partes erunt præpositi, tertiam vero partem habebit major placiti. Si autem lex abbatis vel præpositi fuerit, totum fredum major placiti habebit. At vero si quis causam clamoris habens, in præsenti clamare distulerit, usque ad diem alterius placiti omnino clamare non poterit. Abba autem vel præpositus, si est unde velit clamare, potest omni tempore hominem de placito in camera sua mundare, & de catelo suo super eum clamare & legem facere, ipsaque lex, quæ in camera abbatis fiet, consuetudinem placiti debet tenere. Ad clamorem vero alterius, ut dictum est, nisi in placito nullum debet judicare.

VI. Homo de generali placito non dat censum de capite suo, nullam dat neque debet advocaturam, quia liber est ab hac exactione sine inquietudine. Si uxorem ex lege sua acceperit, quinque solidos de comedo, id est licentia vir & femina dabit. Si extra legem suam uxorem acceperit, illicitam rem operatus est, tantum dabit quantum deprecari poterit. Si liberam feminam uxorem duxerit, nihil dabit, quia libertatem uxoris suæ ad legem suam convertit.

VII. Homo si mortuus fuerit, quinque solidos de mortua-manu dabit; femina cum mortua fuerit, nihil dabit, quia prolem suam in hereditatem dimittit. De his quoque v. solidos tam de comedo quam de mortua-manu, decimum denarium major placiti habebit.

VIII. Non licet homini de placito generali vendere aut in vadimonium mittere alodium placiti, aut alteri ecclesiæ dare, nisi per licentiam abbatis vel præpositi: verum si qua necessitate compulsus vendere, vel in vadimonium mittere illud voluerit, veniet & offeret abbati; si placuerit illi ut redimat, levius habere debet, quam quilibet alius; si noluerit vel non potuerit redimere, dabit ei licentiam vendendi, non alicui extraneo, sed proximo generis sui, aut alicui ejusdem legis, ne alodium placiti videatur exheredari. Quod si nesciente abbate vel præposito hoc fecerit, & abba cognoscens hoc insequi voluerit, nec illi remanebit qui emit, nec ad illum revertetur qui vendidit, sed ecclesia alodium suum jure sibi vendicabit.

IX. Hanc ego (a) LEDUINUS abba ecclesiæ beati Vedasti rationem sive constitutionem placiti generalis, ut in libertate sua ratum & inconvulsum omni tempore permaneret; tam posteris quam præsentibus ecclesiæ filiis & fidelibus, scripto commendans notificare volui, consensu & dispositione tunc temporis advocatorum & aliorum ecclesiæ fidelium, quorum hæc sunt nomina. Robertus Fasciculus, & Helgotus ad- [a]

(a) Iste Leduinus etiam abbas Marcianensis post restaurationem monasterii extitit.

vocati assenserunt. Stephanus *Bechez* qui major erat hujus placiti, & fratres ejus Rainboldus, & Gontrannus, Varnerus Malnis. Wlago *de Vualenscurt*, & Johannes frater ejus, Albricus castellanus, Gerricus *de Herchingehen*. Actum est autem tempore comitis Balduini (a) Pulchræ barbæ.

EPISTOLA BERNONIS abbatis Augiensis ad Aribonem, Moguntinum archiepiscopum.

De tempore celebrandi adventus Domini.

Anno 1021 aut 1027. *Ex ms. Verdinensi.*

SUMMÆ dignitatis apice sublimato ARIBONI archiepiscopo, per quem in area Domini bona conservis fideliter amministrentur tritici mensura. BERN. etsi vile Dei matris mancipium, illud servi boni Euge optat in præmium.

Quotiens in ecclesiastici ordinis ritu minus concordamus, oportet ut ad consilium magistrorum recurramus, per quos, ut scriptura testatur, sapientia divina profunda fluviorum scrutata est, & abscondita perduxit in lucem, legislatore id etiam præcipiente: *Interroga patrem tuum, & adnuntiabit tibi; majores tuos, & dicent tibi.* Hujus rei gratia te potissimum, piissime pater, de his quæ in dubium de dominici adventus celebratione venerunt, consulendum censuimus, cui superna Dei providentia tantam scientiæ plenitudinem donavit, ut te per aquam divinarum scripturarum, non solum usque ad talos vel ad genua, sed etiam usque ad renes transduceret. Quoniam, inquit, intumuerunt aquæ profundæ torrentis, qui non potest transvadari, qui etsi non pertransiri ad illum, tamen ipsa Dei sapientia adjuvante, quæ per torrentem designatur, potest perveniri. Igitur hujus aquam torrentis, quam nullus mortalium transire potest, aliquatenus tange, ac aliquem intelligentiæ gustum sitibundis pectoribus nostris præbe. Unde enim apertius, ut quæramus agnoscas, intimamus, quod tamen jam dudum te latere minime credimus. Quotienscumque natalis Domini in II. feria, velut in præsenti (b) anno evenerit, magnus error per ecclesias Dei se infundit, aliis dicentibus, non debere plus quam quatuor dominicos dies cum ipsa sacratissima dominicæ nativitatis vigilia celebrari, aliis vero e regione contendentibus, magis oportere quatuor plenas hebdomadas adventum Domini habere, quintum diem dominicum specialiter vigiliæ Domini dedicantes, nullum aliud, ut investigare potuimus, defensionis suæ argumentum vel rationem habentes, nisi ut illa quatuor officia, quæ in nocturnalibus antiphonariis inveniuntur, vel lectiones sanctorum evangeliorum necnon & Apostoli plenius adimpleantur. Ad hæc alii pleniorem veritatis ratione subnixam, videlicet beati Gregorii papæ ac presbyteri Hieronymi præferunt sententiam, quorum alter in libro sacramentorum, id est missali ita prætitulavit Dominica I. de adventu Domini, dominica II. III. dominica IV. quæ & proxima est ante natale Domini, alter vero in lectionario, quem librum Comitis appellavit, sic dominica V. ante natale Domini, quam Amularius præparationem dominici adventus nominavit, deinde dominica IV. ante natale Domini, dominica III. ante natale Domini, dominica II. ante natale Domini, dominica I. ante natale Domini, ut converso modo quæ apud Hieronymum I. vel proxima ante natale Domini, apud Gregorium dicatur dominica IV. de adventu Domini, non inconvenienter, ut reor, propter quinque hujus sæculi ætates, in quibus hominum genus sub jugo diaboli captivum tenebatur, quousque per intactæ Virginis uterum nascendo in carne appareret, qui carnis peccata per sui corporis hostiam aboleret, & initium sextæ sequentis ætatis sanctificaret, vel quia interior noster homo per quinque sensus corporis corrumpitur, ita ut in nobis mors operetur, sicut propheta dicit: *Introivit mors per fenestras vestras*, quatenus in his quinque hebdomadibus hospitium mentis illi regi nostro præparetur, quem prophetica lectio in ipsa hebdomada V. his verbis pronuntiat: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & suscitabo David germen justum, & regnabit rex & sapiens erit, & faciet judicium & justitiam in terra.* Item in antiphonario diurno, quia post tria officia, statim sequitur jejunium, deinde dominica vacat, ut ex hoc liquido comprobetur, quantum etiam in hoc delinquant, qui in præsenti anno jejunium quod præcedere debuit, post dominicam quæ vacat ponunt, adventum Domini inchoantes VI. calendas Decembris, quod si hoc caventes prius jejunant, nihilominus contra patrum instituta agunt, qui jejunium decimi mensis semper in proximo sabbatho ante natale Domini celebrandum statuerunt; quaternarium vero numerum, quem ut supra notavimus, S. Gregorius in quatuor dominicis de adventu Domini diebus posuit, tali celebrant sacramento, ut homo qui quatuor consistit elementis, per quatuor hebdomadas, qui expectet adventum, quem per tres ordines librorum, legis scilicet prophetarum, psalmorum olim pro- missum,

(a) Balduinus Pulcra-barba seu Barbatus dictus, obiit anno 1036. postquam regnasset in Flandria annis octo & quadraginta.

(b) Hinc patet epistolam istam scriptam fuisse anno 1021. aut 1027. nam cum Aribo archiepiscopus Moguntinus anno 1021. ordinatus fuerit, & 1031. obierit, hoc in intervallo Nativitas Domini feria secunda non accidit, nisi illis annis.

missum, & per quartum id est principium evangelii, angelo S. Mariæ semper Virgini conceptum ac nativitatis ejus ordinem narrante, ad salutem humani generis, certissime sciunt huic mundo præsentatum. Et ne tantilla meæ parvitatis attestatio, quam ex aliorum magis, quam ex propria protuli sententia, videatur parvipendenda, majorum dicta ponantur in medio, ut vel ex his liquido comprobetur, quorum usus rectior habeatur. Ait nempe Amalarius divinorum officiorum scrutator non contemnendus: In » antiquis libris missalium & lectionariorum » reperitur scriptum, Ebdomada quinta ante natale Domini, totidem enim lectiones » habentur in lectionario, & totidem evangelia a tempore memorato per dies dominicos, usque ad nativitatem Domini, antiphonarius habet tria officia diurna & » quartum in die dominica quæ vacat post » lectiones XII. Nocturna vero IV. ut superius dixi, per dies dominicos; auctor lectionarii excitat fidem nostram, ad recolendum Domini nostri JESU CHRISTI venturi in mundum præconium per v. ætates » mundi; auctor missalis qui nominatur » Gregorialis & antiphonarii nos tangit, ut » recolamus nativitatem Domini celebratam » per tres ordines librorum, scilicet legis, » prophetarum & psalmorum, nec non & » per quartum, id est principium evangelii, » in quo narratur Gabriel archangelus missus ad Zachariam, videlicet nuntius nativitatis & præcursoris Domini; verum » etiam & prophetia Zachariæ de adventu » Domini, & Gabriel missus ad Mariam » Virginem, narrans ei conceptionem Salvatoris nostri, & cetera talia usque ad ipsam nativitatem; nempe & ipsa IV. hebdomada, hoc est quæ proxima est ante » nativitatem Domini, sive in qua celebratur, singularis est; habet in matutinali » officio per unamquamque feriam antiphonas proprias in psalmis. Et alio modo » auctor lectionarii docet nos quam fortis » sit Dominus, qui venturus est ad nos, & » intraturus domum nostram, ut in ea habitet, quam solemus sordidare quinque » sensibus nostris, scilicet formæ intrant per » oculos, suspicio mala de fratre per aures, » odor libidinosus per nares, per os ingluvies polluit, per tactum credulitas. In » sordibus non vult habitare rex venturus, » nisi ita purgetur hospicium, ut nec saltim pulvis talium phantasmatum remaneat, non dignabitur hospes venturus intrare in illud. Ideo scribit auctor quinque lectiones quinque hebdomadarum, » ut nos hortetur circumcidere quinque sensus nostros ab omni vitio, & parare mansionem dignam regi & Domino atque vero prophetæ. De ipso rege dicit prima lectio: *Ecce dies veniunt dicit Dominus, & suscitabo germen justum, & regnabit rex & sapiens erit.* Et iterum de Domino: *Et hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus justus noster.* Et iterum in evangelio de propheta: *Quia hic est vere propheta qui venturus est in mundum.* Auctor missalis sive antiphonarii eamdem præparationem nos hortatur facere per quatuor hebdomadas, sicut enim homo internuntiis quinque sensibus ad animam bene aut male operatur, ita per quatuor elementa aut ruit ad mala corporalia, aut surgit ad bona. Quapropter, ut dixi, hortatur nos auctor memoratus, ut si usque modo torpuimus negligentia, dehinc surgimus ad mundandam domum nostram, ut qui non excitatus est in quinta hebdomada, saltim surgat in quarta; ipsum enim sonat lectio quæ legitur in quarta hebdomada: *Scimus quia hora est jam nos de somno surgere*, & reliqua. Non dubitamus propterea cantorem in memorata hebdomada cum tuba sua exaltare vocem: *Ad te levavi animam meam*, ut excitet eos qui quinta hebdomada sopore negligentiæ oppressi sunt, quomodo nostram domum præparare debeamus, in sequentibus memorata lectio monstrat, *Non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione, sed induimini Dominum* JESUM CHRISTUM. Eamdem præparationem inculcat in ara cordis nostri Sacramentarium. *Suscipiamus*, inquiens, *Domine misericordiam tuam in medio templi tui, ut reparationis nostræ ventura solemnia congruis honoribus præcedamus.* Si quis voluerit nostra dicta infringere, quasi non sint IV. hebdomadæ plenæ a memorata dominica usque in nativitatem Domini, videtur mihi ignarus esse regulæ sacræ scripturæ, quæ a parte totum solet implere. » His verbis satis datur intelligi, quod hanc sacræ scripturæ regulam, quæ non solum a parte totum, sed etiam aliquando ex toto partem significat, hi transcendant, qui in adventu Domini nostri non quatuor, sed quinque dominicos dies annumerant. Adstipulatur huic narrationi illud famosissimi ac sapientissimi calculatoris, domni videlicet Bedæ argumentum, si tamen ipsius & non alterius esse conceditur, toto pene orbi, ut puto notissimum: « Notum sit, « inquit, omnibus hominibus, ut quicumque adventum Domini diligenter voluerit « celebrare, videat ut nec ante v. calendas « Decembris inchoet, nec III. nonas ipsius « mensis transeat, sed in his septem diebus « ubicumque dies dominicus advenerit, ibi « sine dubio celebrare valebit. » Hunc morem, ut fertur, tota pæne servat Gallia, ac ipsa civitas Romana quondam mundi domina, ut per veracissimos relatores, ac præcipue

sanctæ recordationis ADALBOLDUM episcopum, qui scriptis nostris pulsatus Romæ positus hoc requisivit, didicimus, quamquam postea nescio qua de causa aliter agerent in Placentina, et ipse tamen ego eodem in tempore & audiendo & in videndo cognovi, aliisque Italiæ civitatibus antiquæ institutionis regulam servantibus; sed & abbas (a) HERIGERUS vir non parvæ auctoritatis nostris temporibus proprium super hac re libellum composuit, in quo, ut asserunt qui illum legerunt, probabilibus argumentis eos convincit contra patrum instituta agere, qui plus quam quatuor dominicos dies adventus Domini celebrare contendunt. Quod vero ex adverso objiciunt, ideo quatuor dominicos dies excepta vigilia Domini debere celebrari, ut illa quatuor nocturnalia officia vel sancti evangelii seu Apostoli lectio, in illa dominica quæ vacat possint impleri, facili responsione potest enervari. Quis enim non videat incongruum valde esse propter tria vel quatuor responsoria, quæ retroactis ebdomadæ diebus, si tamen ita visum fuerit, decantari, vel sancti evangelii seu Apostoli lectio quæ feria III. ante jejunium, sicut in Italiæ regionibus nos ipsi agere audivimus ac vidimus, vel potius in ipsa dominica quando vigilia celebratur, cum hymnis matutinalibus primo mane possint adimpleri, tam mysticas rationes ebdomadarum evacuari debere. Non utique quarta dominica adventus Domini vacaret, si proprium officium haberet. Introitus *memento* in nullo authentico invenitur antiphonario, sed ipsum officium a quodam pro libitu est superadditum, ideoque nec summopere est curandum, si pro rationabili causa aliquando fuerit intermissum. Vacat enim ista, quemadmodum & ceteri tres dominici dies, qui simili modo ponuntur post duodecim lectiones, quibus tamen minime desunt lectiones epistolarum & evangeliorum ad implendum numerum quinquaginta duarum anni dominicarum. Habentur enim inter natale Domini & septuagesimam officia quatuor per dies dominicos, a septuagesima usque in pascha octo; nam nona in medio vacat: a pascha vero usque in octavam Pentecostes VIII. deinde sequuntur XXIII. usque ad adventum Domini, in adventu Domini tria tantum ponuntur, quarta ut supra diximus vacante. Quatuor enim & VIII. itemque VIII. atque XXIII. & III. fiunt simul XLVI. His adde quatuor dominicas vacantes, & unam quæ est præparatio dominici adventus, nec non de S. (b) Trinitate LII. dominic. videbis adimpletum esse numerum. At vero missæ in libro sacramentorum plures inveniuntur adpositæ, utpote post Theophaniam abundant III. post octavas pentecostes una, & una in septimo mense, quando jejunium est celebrandum; non incongruo, ut puto ordine, ut quinarius qui LII. numerum his supergreditur, quintæ nihilominus dominicæ ante natale Domini verba deprecationis adunetur. Sic enim orat Sacerdos: *Excita, Domine, quæsumus tuorum fidelium voluntates*, & cetera, quamquam & in quibusdam missalium libris, etiam altera nescio a quo inveniatur composita; quod si in aliquibus plures inveniuntur libris, non tamen authenticis. His ita se habentibus, eos qui tanto adnisu hoc anno unam hebdomadam dominico adventu conantur adjicere, libet percontari, quidnam agendum censeant, cum primum pascha in XI. calendas Aprilis, septuagesima vero XV. calendas Februarii evenerint, nisi forte duo officia quæ sunt: *Omnis terra, Adorate Dominum*, velut minus necessaria remanebunt, nisi forte priori, id est *Omnis terra*, tali modo dent locum, ut ante epiphaniam *In excelso throno* contra morem canant, cum in omnibus authenticis antiphonariis id ipsum ita prætituletur. Dominica I. post Epiphaniam Domini non solum hoc, sed & responsorium *Domine, ne in ira tua* nullum diem dominicum poterit attingere, octava epiphaniæ proxima III. feria ante septuagesimam occurrente. Quod si ita est, immo quia ita est, unum horum necesse est ut eligant, aut ut hæc omnia, id est officia duo. *Resp. Domine ne in ira*, lectiones IV. missas V. omnino quasi necessaria prætermittant, aut ubi locorum possunt interserant, & concedant nobis id in una tantum missa, & una lectione apostolica seu evangelica agere, quod sibi putant in plurimis licere. Alioquin terminum paschalem eotenus transferant, quatenus illa duo officia, ne dicam lectiones & missas inter epiphaniam & LXX. locum inveniant, & nos illis concedimus adventum Domini anticipare, ut dominica quæ vacat cum integritate ebdomadæ possit vigiliam natalis Domini hoc anno præire. Quod si respondebunt hoc canonica auctoritate esse prohibitum, & nos veraciter didicimus, quia ritum quo adventum Domini hoc anno celebramus, a sanctis patribus Gelasio, Gregorio, Hieronymo, indubitanter accepimus, qui velut bases consistunt in sanctæ ecclesiæ fundamentis, quorum sententiæ nolle acquiescere, transgressio est legis divinæ. Hæc etsi ita esse credimus, haud facile tamen aliis persuadebimus, quapropter ex sanctæ sedis tuæ auctoritate sententia prodeat, sanctorum pa-

(a) Harigerus abbas Lobiensis vir pro tempore fuit doctissimus, cujus præclaram habes epistolam a nobis editam tom. I. Anecdotorum pag. 112.

(b) Olim dominica ultima ante Pentecosten, seu quæ adventum Domini præcedit, officium fiebat de SS. Trinitate, ut patet ex hoc loco, quod hactenus etiamnum celebrant ecclesia Cenomanensis & nostri Vindocinenses.

trum instituta servare decernat, ne sanctæ matris ecclesiæ filii in schisma divisi, minus unanimes possint habitare in domo Dei; nam ex dulcissimo sacri pectoris tui fonte purum hujus scientiæ potum tandem haurire cupimus, ne per varios errorum rivulos diutius a vero nos aberremus, ut illa valeas mercede donari, quam Dominus per prophetam talibus verbis dignatus est polliceri. Beati qui seminatis super omnes aquas. Dilectus ecclesiæ sponsus, qui quotidie descendit in hortum suum ad areolam aromatum te pascentem in hortis virtutum inter lilia castitatis convallium post hujus vitæ terminum colligat in hortum suum. Salutat te humilis Augensium fratrum catervula semper tui memor inter sacra orationum libamina.

RESCRIPTUM ARIBONIS archiepiscopi.

Approbat Bernonis de tempore celebrandi adventus sententiam.

SANCTITATEM vestram ævo sempiterno intemeratam conservari optantes, circumspectæ vestræ in his quæ ad Deum sunt sollicitudini gratulamur. Tandem etiam vestris bene & artificiose inventis, optime dispositis, facunde elocutis, & postremo firma memoria pronunciatis, ex animo favemus tractatibus, & si qua est illa pontificatus tantilla auctoritas, sicut rogastis manum eis imponimus. Fœcundet Dominus & amplificet tantam gratiam in vobis, ut si quod adhuc etiam in quo ecclesia offendat obstaculum restare senseritis, eadem cautela propellere velitis & industria. De cetero orationibus vestris & sancti examinis sub vestro regimine mellificantis recreari optamus. Et qui nunc sub crucis habitu assi piscis parte cibamini, ut quandoque favo mellis digni habeamini, me quoque a longe haud strenue certantem, & interdum statione relicta loco cedentem precibus vestris revocare.

Hic desinit codex in quo aliquid deest.

CARTA ROBERTI REGIS Francorum pro Gemmeticensi monasterio.

De restitutione cujusdam terræ.

Circa 1027 Ex apographo Gemmeticensi.

PRopicia largiente Christi clementia, ego ROBERTUS Francorum rex notum esse cunctis Dei ecclesiæ filiis tam præsentibus quam futuris volo, quos intra sui gremii retinet sinus, quod quamdam terram Montiteræ adjacentem, quam ex S. BALTILDIS tempore Gemmeticenses tenuerunt monachi, sed ignorante ROBERTO loci abbate, cunctisque fratribus, cuidam militi nomine Hermanno Waningus monachus ad manufirmam illam tradiderat, Albertus Crecellensis castri dominus post eamdem manufirmam transactam, violenter invaserit. Pro qua re ejusdem loci abbas GUILLELMUS illiusque monachi, nostræ excellentiæ mansuetudinem adeuntes rogaverunt, ut de temerario invasore illis justitiam facerem. Quorum questuosis singultibus benigno respectu libentissime favens, illico pervasorem apud Silvanectensem urbem coram nostris fidelibus ad placitum adscivi. Cujus præjudicium ut agnovi, regali animadversione illum, ut ab hac insania resipisceret jussi, terramque cultam & incultam, cum ecclesia & decima, cum vineis & pratis, solutam & liberam ab omni sæcularium legum incuria, nullius hominis in se advocationem vel viatoriam habentem S. Petro monachisque Gemmetensibus reddidi. Oro ergo in regimine succedentes, ut sicut sua instituta voluerint rata fore: ita mea sinant firma manere, quatenus si in vita illorum aliquis de hac terra eisdem monachis molestus fuerit, visis his litteris, regali continuo districtione feriatur. Si quis vero pervasor quandoque surrexerit, qui hanc notam justitiæ præsumat subvertere, judiciali sententia districtus, fisco dominico libras auri decem persolvat, præsumtione ejus cassata. Sin autem, a sanctorum cœtu sequestratus duro anathemate damnetur usque ad satisfactionem. Et ut hæc firma permaneant, propria manu subterfirmavi fidelibusque meis roboranda tradidi.

Signum regis (a) HENRICI filius ejus. † Signum † ODONIS (b) comitis. Signum † RICARDI comitis Normannorum. Signum † WARNERII vice-domini. Signum † LETERICI (c) archiepiscopi. Signum † ROGERII (d episcopi. Signum † FULCONIS episcopi. Signum † AZELINI (e) episcopi.

EPISTOLA BERN ABBATIS Augiensis ad Fridericum palatinum capellanum.

De Cassiani erroribus de gratia.

Circa 1027. Ex ms. Stabulensi.

SUus suo Bern. Frederico. Dum præsenti anno convenissemus Coloniæ, ibique dulcis quædam de sacra scriptura inter nos habita esset collatio, subito quæstionem intulisti; cur Cassianus, qui de Institutione

(a) Hinc patet cartam istam datam non fuisse ante annum 1027. quo Henricus vivente adhuc patre unctus est in regem.

(b) Carnotensis seu Blesensis comitis.

(c) Letherici archiepiscopi Senonensis, qui ab anno 1000. ad 1032. præfuit.

(d) Constantiensis episcopi.

(e) Laudunensis episcopi, qui & Adalbero dictus est, cujus habemus duo ad Robertum regem carmina.

monachorum multa composuit utilia, a quibusdam reprehenderetur; qui error, vel ubi in libris ejus, qui catholici pene omnium ore prædicantur, idem reperiatur, qui præcipue ejusdem reprehensores esse videantur? Ades ergo animadvertens quæ dico. Cassiodorus ex senatore monachus, vir in divinis & humanis litteris eruditus, cum psalmi LXVIII primum versum qui sic incipit: *Deus in adjutorium meum intende*, exposuisset, adjunxit « Sed non sequendus in omnibus generaliter hunc locum facundissimus Cassianus in decima collatione plurima de ejus, id est versus hujus utilitate edisserens, tanto honore concelebrat, ut quicquid monachi assumserint, sine hujus versiculi trina iteratione non inchoent. Item in alio opere, ad monasterii sui fratres. Cassianum, inquit, patrem, (a) qui conscripsit de Institutione fidelium monachorum, sedulo legite, libenter audite. Qui inter ipsa initia sancti propositi, octo principalia vitia dicit esse fugienda. Et paulo post: Qui tamen de libero arbitrio a beato Prospero jure culpatus est: unde monemus, ut in rebus talibus excedentem, sub cautela legere debeatis. Cujus dicta VICTOR Maritanus episcopus Afer, ita Domino juvante purgavit, & quæ minus erant addidit, ut ei rerum istarum palma merito conferatur. » Ecce a tribus reprehenditur, quorum testimoniis errasse convincitur: dum Cassiodorus eumdem dicit non in omnibus sequendum, & beatum Prosperum jure de libero arbitrio eum culpasse aliquatenus audisti. Nunc ubi locorum in scripturis suis hæreticus ille error lateat, caritas tua diligenter advertat. In libro ipsius qui prætitulatur *de Protectione Dei*, introduxit idem Cassianus senem quemdam Cheremonem nomine, de gratia & libero arbitrio disputantem, cujus per omnia se probasse ac suscepisse ostendit sententiam, ubi ab eo loco in quo dicit: *Adest igitur nobis inseparabiliter semper divina protectio*; usque ad ejusdem pene collationis finem, a veritatis linea exorbitare videtur, dum alterno quodam sensu ex sacra scriptura adversa sibi quædam colligit, ex quibus, generali omnium fidelium divisione habita, affirmare contendit, quod alii sint quos Deus per gratiam salvet, alii quos natura per liberum arbitrium justificet. Unde de Deo infert: Qui cum in nobis ortum quemdam bonæ voluntatis inspexerit, illuminat confestim atque confortat, & incitat ad salutem incrementum tribuens ei, quam vel ipse plantavit, vel nostro conatu viderit emersisse, &c. »

[a] De divinis lectionibus c. 29.

cap. 8.

Si vero objicis nil jam reprehensionis reperiri posse, eo quod supra diximus, a Victore episcopo eumdem illum emendatum fuisse *, penes nos minime haberi sicut nec ipse Cassiodorus tunc temporis habuit, quando hæc scripsit. Unde & dicit: « Quem librum videlicet, inter alios de Africæ partibus cito nobis credimus esse dirigendum. Sed vos, inquit, charissimi fratres, Deo juvante, eas partes legite, quas salubriter cognoscitur ille laudasse. Nisi fortasse tum illum habeas, in quo inter odoriferas suavium sententiarum rosas, spinas erroris inveniri non metuas; nec illud Virgilianum ibi putes auribus admittendum:

* Supple Respondeinus Victoris opus aut quid simile.

Fugite, ô pueri, latet anguis in herba.

Verum ne fastidium lectori videamur ingerere, si omnia hujusmodi falsitatis dogmata in hac epistolari brevitate volumus detegere, præcipue cum contra easdem hæreticæ pravitatis ineptias Dei gratiam impugnare nitentes, liber extet catholicus a beato jam sæpe dicto Prospero editus; libet pauca de multis ejusdem divinæ gratiæ defensoris verba ponere, ut clareat ex adverso, quis eorum merito ferat palmam ex hoc certaminis campo. Postquam enim doctor prædictus in catholica acie constitutus, inimicum gratiæ Dei sacræ scripturæ armatura expugnavit, murumque infidelitatis fidei ariete contrivit, ante finem libri sic ait: « Necessarium sane nunc æstimo, ante conclusionem voluminis, ea quæ ostendimus non congruere veritati catholicæ, breviter conjunctimque digerere: ut quæ interjectis responsionibus nostris possunt recordationem legentis effugere, fidelius simul decursa recolantur. »

Lib. contra collat. c. 19.

Prima ergo diffinitione dictum est: *Non solum actuum, verum etiam cogitationum bonarum à Deo esse principium. Qui nobis & initia sanctæ voluntatis inspirat, & virtutem atque opportunitatem eorum quæ recte cupimus tribuit peragendi. Omne enim datum optimum, & omne donum perfectum desursum est descendens à Patre luminum, qui & incipit quæ bona sunt, & exequitur & consummat in nobis.* Quod & nos valde amplectimur, catholicumque esse profitemur, &c. *ut in editis usque ad hæc verba.* Tam libera sit voluntas in Adæ posteris, quam in Adam fuerit ante peccatum.

Hæc tibi interim ad ea quæ interrogasti, dilectissime, sufficiant. Ceterum si quid plenius nosce desideras, ipsum librum beati Prosperi inde compositum lege, & liquido comprobabis Cassianum, virum licet in aliis probatum, in hac parte jure culpatum.

(a) Apud Cassiodorum editum legitur non *patrem*, sed *presbyterum*.

CONFIRMATIO PRIMA fundationis celeberrimi (*a*) Brunwillariensis monasterii facta a Piligriuo Coloniensi archiepiscopo.

Anno 1028. *Ex Hist. ms. Brunvilrensi.*

PILIGRINUS Dei gratia Coloniensis archiepiscopus ac plebis Dei famulus. Notum sit universitati pie viventium, tam præsentium quam futurorum, quorum defensione & testimonio quæ a filiis suis ecclesiis Dei conferuntur, rata atque inconvulsa in perpetuum creduntur manere, quod ERENFRIDUS comes palatinus una cum conjuge sua domna MATHILDE allodium suum in *Brunvvilre* cum omnibus suis appenditiis & cum omni integritate scilicet in agris, in pratis, aquis, pascuis, silvis, & jure quod vulgo dicitur *Vvitkan*, Deo sanctoque Nicolao sine omni exceptione liberum ab omni servitute contulerunt, obsecrantes ut gratiam libertatis & privilegii formam nostræ auctoritatis cirographo confirmaremus, constituentes illud sub mundiburdio sancti Petri Coloniensis ecclesiæ, cui auctore Deo deservio, meque PILIGRINUM ejusdem sanctæ Coloniensis ecclesiæ archiepiscopum, & omnes successores meos in perpetuum ejusdem allodii defensores esse impetraverunt, ut contra improborum violentias a metropolitani auctoritate melius defensaretur, & ut abbas ejusdem loci numisma unum aureum, pondus habens trium denariorum nostræ monetæ, singulis annis ad altare beati Petri principis apostolorum persolvat, sicque ab omni præsentium ac futurorum potestate, atque dominio tam pontificum quam regum seu imperatorum, ad cetera omnino liberum permaneat. Terminum etiam & bannum ipsius alodii, sicut ipsi summa libertate habuerunt, designantes a via quæ dicitur (*b*) ..... usque transfluvium qui *Arnese*, ita constituerunt, ut nullus ibi aliquid juris vel potestatis habeat, præter abbatem loci & villicum ejus quemcumque statuerit. Prata quoque, quæ vel ipsi tunc habuerunt; vel abbas & fratres acquirere potuerint, in illis terminis qui vulgo dicuntur *Compelevverde*; quorum terminorum duos beato Petro dederunt, unum in *Zonaburg*, alterum circa ripam *Arnese*, tali eos pace habere decreverunt, ut nulli penitus quicquam juris inde facere compellantur. Cum vero silvam illam quæ præ magnitudine sui *Vele* nuncupatur, præfatus comes ERENFRIDUS & frater ejus comes HEZELINUS communi utilitate possiderent, in præsentia nostra nostrorumque & multorum nobilium, eamdem utilitatem partientes, duobus cœnobiis tradiderunt. Comes quidem ERENFRIDUS suam partem beato Nicolao, frater vero ejus suam beato (*c*) Cornelio, cum prædio Berchem, hanc utrobique legem statuentes, ut nullus in prædicta silva aliquid potestatis aut juris habeat, præter supradictorum cœnobiorum patres & mansionarios illos, qui in locis ecclesiæ destructa resarcire & communire deberent, vel illos quibus ipsi abbates pro misericordia concesserunt. Nullus autem extraneorum in ea aliquid sibi, quasi pro justitia, usurpandi licentiam habeat, præter illos tantum, quos prædicti abbates in illam pro solvendo sibi frumento consignaverint, qui vulgo dicuntur *Vverlude*; in ea tamen conditione, ut si ipsi homines aliquid contrarii admiserint, liceat ipsis abbatibus eos inde expellere, & alios quos voluerint pro eis admittere. Si quis autem absque eorum concessione aliquid in illa silva præsumserit, & forestarius abbatis de *Brunvvylre* hoc deprehendens, aliquid pro pignore detinuerit, uterque abbates ex æquo partiantur, eadem vicissitudine expensa ex parte abbatis sancti Cornelii, si ejus forestarius idem deprehenderit, simili modo partiendo. Nos itaque prædicti ERENFREDI suæque conjugis MATHILDIS piam secuti actionem de nostro etiam aliqua eidem monasterio ob Dei amorem nostræque animæ salutem curavimus addere, id est ad *Alstenrode* quinque mansos, & curtem quamdam infra nostræ urbis muros sitam, ob hoc videlicet, ut ejusdem monasterii primus abbas venerabilis (*d*) ELLO, ejusque successores eam tenendi habeant amodo liberam potestatem. Hæc ergo jam habita & quæque in futurum habenda ex auctoritate sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, & beati Petri Apostoli nostrique ordinis atque juris censura confirmamus, & per hanc nostræ defensionis paginam sigillo nostro manuque propria insignitam in perpetuum corroboramus. Datum VI. idus ...... anno ab incarnatione Domini millesimo vigesimo octavo, indictione XI. regnante CONRADO imperatore Romanorum augusto.

(*a*) Brunvvillariense S. Nicolai insigne monasterium ab Erenfrido comite Palatino & Mathilde ejus uxore duabus infra Coloniam leucis fundatum, hactenus perstat sub congregatione Bursfeldensi.

(*b*) Hæc lacuna ex sequenti instrumento potest sic resarciri: JacobSvvesche *usque ad viam* Haspath, *rursum a via* Haspath *ad viam regiam, & a via regia per cursum rivuli qui dicitur* Vischbach, *usque transfluvium qui dicitur* Arneze.

(*c*) Id est monasterio Indensi, quod S. Cornelium papam agnoscit patronum, cujus caput possidet, vulgo *Corneilmunster* appellato.

(*d*) Ex hoc loco & duabus sequentibus cartis emendandus auctor vitæ sancti Popponis, qui Evonem, non Ellonem primum Brumvvillariensis monasterii abbatem; *Elonem* vero *Palatii administrantem comitatum*, non Erenfredum & Mathildem ejus conjugem fundatores illius facit. Non dissimulabo tamen Erenfridum mutato nomine dictum fuisse etiam Ezonem, ut legitur in Historia fundationis Brunvvillariensis monasterii, scripta ab auctore coævo, & a Libnitzio edita tom. 2. script. Brunsvvisch; ac amanuensis oscitantia legi potuisse *Elonem* pro *Ezonem*.

CONFIRMATIO SECUNDA fundationis celeberrimi monasterii Brunwillariensis facta a Piligrino Coloniensi archiepiscopo.

Anno 1028 Ex hist. ms. Brunvvilre.

PILIGRINUS Dei gratia Coloniensium archiepiscopus ac plebis Dei famulus. Notum sit universitati pie viventium, tam præsentium quam futurorum, quorum defensione & testimonio qua a filiis suis ecclesiis Dei conferunt rata atque inconvulsa. in perpetuum credunt manere, quia ERENFRIDUS comes Palatinus nostram adiverit humilitatem, obsecrans ut monasterio suo quod in vico Brunwylrensi, id est in dote piæ memoriæ MATHILDIS conjugis suæ, crebra ejus suggestione ædificare inchoaverat, & ea immatura morte præventa, atque ibidem sepulta, pro anima illius ac sua voluntarius jam consummaverat, gratiam libertatis & privilegii formam auctoritatis cyrographo confirmaremus; constituens illud sub mundiburdio sancti Petri Coloniensis ecclesiæ, cui Deo auctore deservio, meque Piligrinum ejusdem S. Coloniensis ecclesiæ archiepiscopum, & omnes successores meos in perpetuum præfati monasterii defensores esse impetravit, ut contra improborum violentias, a metropolitani auctoritate melius defensaretur, & ut abbas ejusdem loci numisma unum aureum, pondus habens trium denariorum nostræ monetæ, singulis annis ad altare beati Petri principis apostolorum persolvat, sicque ab omni præsentium & futurorum potestate atque dominio tam pontificum, quam regum seu imperatorum ad cetera omnino liberum permaneat. Hujus igitur piis inclinati precibus, diffinitione præfata a nobis accepta, & filiis ejus HERMANNO & OTTONE pie annitentibus, qui in præsentiarum positi patris in omnibus favebant voluntati, ea quoque quæ pro salute animæ suæ Deo sanctoque Nicolao ibidem contulerat, secundum petitionem ipsius in hac sceda curavimus annotare, id est Brunwylrense prædium cum aliis locis subternotatis ad idem prædium pertinentibus, id est *Lonenich*, *Vvremersdorp*, *Cunyngstorp*, *Brunvvilre Glessene*, *Kyrdorff*, *Syntere*, *Mansfede*, * *Tehendorff*, *Slenderhugen* cum omnibus appenditiis suis, & cum omni integritate scilicet in agris, in pratis, in aquis, pascuis, silvis, molis, molendinis, piscationibus, exitibus & reditibus, quæsitis & inquirendis, cum omni utilitate quæ in perpetuum inde provenire poterint. Præterea quatuor silvas quarum nomina sunt .... *Haenpaze*, *Asp*, & *Brain* cum omni integritate juris quod vulgariter dicitur *Vviltban* libera traditione præfato monasterio donavit. Terminum etiam & bannum ipsius prædii, sicut ipse summa libertate habuit, designans a via quæ dicitur

* f. Manestede.

A *Jacobvveche* usque ad viam *Haspath*, rursum a via *Haspath* ad viam-regiam, & a via-regia per cursum rivuli qui dicitur *Vvischbach* usque trans fluvium qui dicitur *Arnese* ita constituit, ut nullus ibi aliquid juris vel potestatis habeat, præter abbatem ipsius loci, & villicum ejus * quæcumque statuerit. Cui etiam abbati singulariter duas paludes; unam inter *Sintere* & *Glessene*, alteram circa fluvium *Arnese* a silva Quarcæa usque ad pontem Turre tali juri delegavit, ut nemo in his præter abbatem aliquid potestative usurpare præsumat, neque aliquis ibi excepto abbate & fratribus, piscari audeat. B Prata quoque vel * ipse tunc habuit vel postea præfati cœnobii fratres acquirere potuerint in illis terminis qui vulgo dicuntur *Copelevveyde*, quorum terminorum duos B. Petro dedit, unum in *Tonaburg*, alterum circa ripam *Arnese*, tali eos pace habere decrevit, ut nulli penitus quicquam juris inde facere compellantur. Cum vero silvam illam quæ prae magnitudine sui *Vele* nuncupatur, præfatus comes Palatinus ERENFRIDUS & frater ejus comes HEZELINUS, communi utilitate possiderent, in præsentia nostri nostrorumque & multorum nobilium eamdem C utilitatem partientes, duobus cœnobiis tradiderunt, ERENFRIDUS comes Palatinus suam quidem partem beato Nicolao in *Brunvvilre*, frater vero ejus comes HEZELINUS beato Cornelio, cum prædio *Berchem*. Hanc utrobique legem statuentes, ut nullus in prædicta silva aliquid potestatis aut juris habeat, præter supradictorum cœnobiorum patres, & mansionarios illos, qui in bonis ecclesiæ destructa resarcire & communire, & censum persolvere debebunt. Qui etiam ex eadem silva singulis annis in epiphania D Domini ligna, quæ vulgo dicuntur *Vvartole*, ad caminatam abbatis deferent, vel etiam illos, quibus ipsi abbates pro misericordia concesserint. Nullus autem extraneorum in eadem aliquid sibi quasi pro justitia usurpandi licentiam habeat, præter illos tantum quos prædicti abbates in ipsam silvam pro solvendo sibi frumento consignanaverint, qui vulgo dicuntur *Vverlude*, ea tamen conditione, ut si ipsi homines aliquid contrarii admiserint, liceat ipsis abbatibus eos inde expellere, & alios quos voluerint E pro eis admittere. Si quis autem absque eorum concessione aliquid in illa silva præsumserit, & forestarius abbatis de *Brunvvilre* hoc deprehendens, aliquid pro pignore detinuerit, uterque abbates ex æquo partientur, eadem vicissitudine repensa ex parte abbatis sancti Cornelii, si ejus forestarius idem deprehenderit, simili modo partiendo, nec suis advocatis inde aliquid dare aut respondere tenebuntur. Bona etiam quæ prædictus comes Palatinus habuit, id est ad *Vilke* v. sos, *Rinhave* XVII. *Birte* IIII. *Aschila*. VII. *Budelinchoven* (vel Kendeinchoven) XI. &

Lege quemcunque.

* f supp. quæ.

duo jugeta vineæ, *Benchoven* XIII. & XV. A
jugera vineæ, *Hordelstorp* VIII. beneficia &
CC. & XXIV. jugera, *Unkelebach* de IX.
mansis vel jugeribus medietatem, & ad *Re-*
mago de II. mansis similiter; quam medie-
tatem quidem SUCCO comes ab abbate EL-
LONE jam acceperat, quoad viveret haben-
dam, nulli autem heredum suorum post
mortem suam relinquendam. *Engresche* IX.
mansos & X. jugera vineæ, ad *Mesenich* &
Rile XXIV. jugera, *Gangele* XVI. mansos cum
appenditiis suis, & cum integritate ipsius,
videlicet in villis, in vineis & arpennis, in
silvis & in agris, in aquis, & in pascuis,
viis & inviis, terris, cultis & incultis, exi-
tibus & reditibus, quæsitis & inquirendis, B
absque ulla sui diminutione libere & inte-
gre prælibato cœnobio perpetuo possidenda
donavit. Nos itaque præfati ERENFREDI
comitis Palatini suæque conjugis MATHIL-
DIS piam secuti actionem, de nostro etiam
aliqua eidem monasterio ob Dei amorem
nostræque animæ salutem curavimus adde-
re, id est ad *Alsenrade* quinque mansos &
curtem quamdam infra nostræ urbis muros
sitam, ob hoc videlicet ut ejusdem mona-
sterii primus abbas venerabilis ELLO ejus-
que successores eam tenendi habeant a mo-
do liberam potestatem. Hæc ergo jam ha- C
bita & quæque in futurum habenda ex au-
ctoritate sanctæ & individuæ Trinitatis Pa-
tris, & Filii, & Spiritus sancti, & beati
Petri apostoli, nostrique ordinis, atque juris
censura confirmamus, & hanc nostræ defen-
sionis paginam sigillo nostro manuque pro-
pria insignitam in perpetuum corroboramus,
testibus idoneis qui interfuerunt subnotatis.
Nomina testium, ANSFRIDUS episcopus de
Trajecto, MEGINARDUS episcopus Paden-
brunensis, TITHARDUS præpositus Templi,
SIGESO præpositus, WERENSO præpositus,
GODEFRIDUS dux pilosus, EVERHARDUS an-
tiquus comes de Mosella, RECHEZO comes D
de *Heingebach*, GODEFRIDUS filius ejus,
HERMANNUS comes de *Norvenich*, SICCO
comes *Starchri*, Embrico, Eppo, Ruot-
prat, Ruochri, Gerunc, Herman.
Acta sunt hæc anno dominicæ incarnationis
millesimo vicesimo octavo, indictione XI.
regnante Conrado Romanorum imperatore
augusto.

CARTA PILIGRINI
Coloniensis archiepiscopi pro mo-
nasterio Brunwillariensi.

Concedit curtem Coloniæ cum omnibus domi-
bus, ut quoties abbatem aut fratres neces-
sitas cogeret ad urbem accedere, refugium E
aliquod haberent.

Ex ms. hist. Brunvvilariensis monasterii.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis,
PILIGRINUS Dei gratia Coloniensium ar-
chiepiscopus, ac plebis Dei famulus, chri-
stianæ fidei cultoribus, quorum mens fixa
erat in cœlo. Non est visa inanis operatio,
si necessitatibus sanctæ Dei ecclesiæ ejusque
servitoribus fidelis eorum subveniret devo-
tio. Quorum nos devotionem, si secuti fue-
rimus, cælestium quoque præmiorum, Deo
donante, participes erimus; quoniam justus
& misericors Dominus, qui omnium bono-
rum tribuit incrementum, & plantantem
& rigantem æqua mercede remunerat. Un-
de notum esse volumus cunctis christianæ
fidei servatoribus & amatoribus, qualiter
nos ob Dei amorem nostræque animæ salu-
tem, tum etiam ob sanctæ Coloniensis ec-
clesiæ, cui, Deo auctore, deservimus, ho-
norem, ad monasterium S. Nicolai quod
nostris diebus a Palatino comite ERENFRI-
DO vocato noviter fuerat constructum,
quamdam curtem infra nostræ urbis muros
sitam donavimus, cum cunctis quæ in ea
tunc erant domibus, quæ quondam fuerat
Wicilmio de Duno, ob hoc scilicet ut præ-
dicti monasterii primus abbas venerabilis
ELLO ejusque successores eamdem curtem
tenendi amodo liberam habeat potestatem;
& quotiescumque rei causa ad urbem com-
migraverint, in eadem aptissime suam pos-
sint perficere necessitatem. Præcipimus ergo
ut hanc donationem nullus umquam mini-
ster aut advocatus infringere præsumat, nec
quicquam præter ipsius abbatis ejusque suc-
cessorum voluntatem usurpare audeat. Ipsi
tamen abbates ad usum suum & fratrum suo-
rum ob nostræ orationis memoriam hanc in-
violabiliter possideant. Et ut hæc donatio
in futurum non valeat violari, hanc car-
tam inde conscriptam sigilli nostri impres-
sione jussimus signari.

CARTA WALTERNI
sepulturam apud Walciodorum eli-
gentis.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis,
ego WALTERMUS audiens scriptum quia
sicut aqua extinguit ignem, ita & eleemosyna
peccatum, ...

Anno 1028 Communicavit R. abbas Valciodorensis.

Compunctione cordis tactus sum, consilio-
que usus amicorum meorum, statui apud me
aliquod animæ meæ quærere remedium,
cœnobium autem in Lomacensi provincia
fuerat situm, nomine Walciodorum, sanctæ
Dei genitrici semperque Virgini Mariæ de-
dicatum, quo locus erat sepulturæ antecess-
sorum meorum; id enim ab eis multo antea
tempore fuerat ordinatum. Quapropter ip-
sum locum adamavi, & eum libentius fre-
quentare cœpi, ut illuc etiam locum sepul-
turæ eligerem mihi sicut & antecessores mei.
Talibus intentus dum vita comes fuit, sem-
per loco in quantum potui, profui, adjutor
factus Dei servorum illuc commanentium.
Novissime vero ab inimicis graviter vulne-

ratus, & sic ad extrema deductus, cœpi mecum volvere quid illuc pro remedio animæ meæ possem dimittere. Convocatis ergo amicis meis dixi me ingressurum viam universæ carnis, & eis precatu meo faventibus, quidquid mihi jure hereditario competebat in Gessignula pago Condrusco, id est quartam partem in omnibus, in camba, in molendino, in aquis, in silvis, in pratis, in terris cultis & incultis, per manus fratris mei WASCOLINI filiique mei GUIDONIS ipsi loco tradidi, & jure perpetuo firmavi. Quod ut fixum maneret, litteris confirmari præcepi. Et si quis hujus rei fraudator fieri voluerit, pœnam sortiatur Judæ traditoris, & hereditate privetur regni cælestis. Testes hujus rei fuere Wascelinus frater ejus, Guido filius ejus, Ettho advocatus, Radulfus, Bernardus, Hudeboldus, Richardus, Adelardus *de Hanil*, Hugo *de Hubin*, Albertus de Manils.

Actum est hoc tempore domni abbatis HEREMBERTI, anno dominicæ Incarnationis MXXVIII. indictione XI. imperante domno Cuonrado imperatore anno regni ejus quarto.

CARTA AVESGAUDI episcopi Cenomanensis.

De his quæ dedit ecclesiæ S. Vincentii apud Colonias de Broilo.

Circa an. 1030. *Ex cartario S. Vincentii Cenom.*

QUONIAM dum in exilio hujus vitæ mens humana peregrinatur, multorum criminum mole deprimitur, oportet unumquemque mortalium secundum evangelicæ veritatis salutifera documenta de his quæ possidet sanctæ ecclesiæ vel egenis partem humiliter erogando amicos sibi præparare, quorum meritis & orationibus divinæ pietati reconciliatur, cum defecerit in æternam gloriam recipiatur. Hoc superni regis consilium ego AVESGAUDUS Dei gratia Cenomanensium præsul, meusque frater IVO diu mente revolventes, & revolvendo imitari desiderantes, dedimus pro nostro parentumque nostrorum salute ecclesiæ sanctorum martyrum Vincentii atque Laurentii, quæ extra muros Cenomannicæ civitatis sita est, de nostris possessis hæc quæ distincte hic subnotata sunt. In villa quæ dicitur Colonia terram quam tenuit Hildebertus cum silva quæ vocatur Broilus, super fluvium cui Blatna vocabulum est, terram unius aratri, in territorio quod dicitur Cortis-wadani unam plenariam mansionem, in villa quæ dicitur Curtillo, unde testes sunt Ivo, Robertus, Beraldus de Malchenaico, Odo *Moschet*, Raimundus de Sodona, Aimericus de Pratis, Walterius capellanus, Hildebertus canonicus S. Leonardi.

DIPLOMA RAIMBALDI Arelatensis archiepiscopi.

De consecratione & dotatione ecclesiæ sancti Zachariæ & S. Johannis Baptistæ a Massiliensi sancti Victoris monasterio dependentis.

An. 1033. *Ex archivis S. Victoris eruit D. Furnerius.*

CUM quadam die dominus PONTIUS Massiliæ civitatis episcopus, gratia orationis S. Victoris CHRISTI JESU Domini martyris adiisset monasterium, & præmissa oratione ante regiam ecclesiæ, diverso genere hominum, monachorum scilicet & canonicorum & laicorum confabulantium fultus sederet, assisteretque ei quidam BERNARDUS nomine, tunc solus presbyter, postea autem monachus, supplex & non mediocriter rogans, ut S. Zachariæ, & sancti Joannis-Babtistæ ecclesiam, quam suo sumtu quamvis grandi penuria dudum, nescio aut vetustate consumtam, aut a Mauris dirutam, cum paucis fratribus, duobus videlicet vel tribus fideli quodammodo qua poterat devotione restaurasset, ipse dominus pontifex pro mercede sua in honore sanctorum supradictorum consecraret, ego quoque qui hunc calamum tenendo manu scribo, audivi eumdem præsulem talia dedisse responsa. Ego quidem conscius vestræ bonæ voluntatis præmisi legationem, ut quantocius præparassetis vos ad consecrationem. Nunc autem Deo gratias quia gavisi sumus de ea consecratione, debemus scribere qualiter domnus archiepiscopus hanc ecclesiam dotat sponsalitio suæ donationis.

Ego RAIMBALDUS sanctæ sedis Arelatensis gratia Dei archiepiscopus, pro eo quod Dominus noster promittit hominibus, *Date elemosynam & ecce omnia munda sunt vobis*, & *sicut aqua extinguit ignem, ita elemosyna extinguit peccatum*, & fratres mei & heredes Boso & BONIFACIUS atque FULCHO & alius BONIFACIUS filius ATANULFI donamus aliquid de alode nostro, qui nobis jure hereditario parentum nostrorum obvenit ecclesiæ in honorem S. Zachariæ & S. Johannis constructæ, & ipse alodis in comitatu Massiliense, in territorio castri nomine Auriolis, ubi est ecclesia, in loco qui vocatur Restonis. Termini autem istius donationis sunt hujusmodi dispositionis: a parte orientali atque meridiana fons sive rivus, qui vocatur Vvuelna, a parte Aquilonis, sicut ipse mons, qui est supra ecclesiam vergit contra meridiem, a supradicto fonte usque in rivum, quem nuncupamus Savardum; a parte occidentali sicut iste rivus, quem jam diximus, discurrit in ipsam Vuelnam. Quicquid igitur infra istos terminos habere videmur, totum omnipotenti Deo & ecclesiæ jam dictæ donamus atque concedimus.

concedimus. In castello Ornione habet ipsa ecclesia tres braciarias, unam dedit Boso, aliam Isnardus, aliam Lambertus. Alimburga dedit ipsi ecclesiæ de vinea unam quartariatam in Graulerias, de uno latere consorte ipsa donatrice, ex alia est heremus, ex una fronte Christophorus presbyter, de vinea habet ipsa ecclesia in Guarda fames semodiatam unam de Stephano Benecorna ad Pogiolo Gauceranno, aliam semodiatam de Ascarico, in Causalone unam modiatam de terra culta, & modiata de vinea quæ fuit Stephano Benecorna, pro uno caballo. Habet adhuc mansionem in castro jam dicto cum vineæ semodiata de Pontio clerico filio Firmini. Habet insuper hæc ecclesia unius molendini partem tertiam Guichiranni, quam ab eo comparaverunt clerici ejusdem ecclesiæ uno caballo cum campo juxta rivum Savardum, quæ fuit de Durante vicario, aliam namque tertiam ipsius molendini dedit cum omnibus heredibus suis eidem ecclesiæ ipse Guichirannus & Fulco frater ejus vendiderunt S. Victori & S. Zachariæ totam condaminam, quæ fuit de Bonefacio in palude de ultra Vuelna pro uno caballo & uno bove & uno verre & uno majale, & domnus WILLELMUS filii * alii WILLELMI, frater domni PONTII episcopi, quantum infra istos terminos habet jam dictos similiter donavit. Sane si quis, nos videlicet donatores, id est RAIMBALDUS archiepiscopus Arelatensis & PONTIUS episcopus Massiliensis, & BOSO, & BONIFACIUS, & FULCO, & alius BONIFACIUS, & WILLELMUS juvenis, & ISNARDUS, & LAMBERTUS, aut heres noster, aut ulla opposita persona, quæ contra hanc donationem sponsalitii & dotalitii hujus ecclesiæ S. Zachariæ & S. Helisabet & S. Johannis quam mittimus in manu ISARNI abbatis S. Victoris monasterii, & in manu canonicorum illic Deo servientium; quisquis sit qui contra hoc, ut diximus, reinquietare*, aut inrumpere, vel violare voluerit, non valeat vindicare quod repetit, sed iram & maledictionem Dei incurrat, & cum Juda traditore in inferno damnetur, & cum Datan & Abiron pœnas luat, & cum Simone mago participetur.

* l. filius.

Facta carta donationis istius mense Janoario in comitatu Massiliense, regnante ODONE rege Alemannorum sive Provinciæ, anno ab Incarnatione Domini MXXXIII. Signum RAIMBALDI & PONTII episcoporum, & aliorum suprascriptorum qui hanc donationem fecerunt, & manus eorum firmaverunt & alios firmare rogaverunt. Leofredus firmavit, Aldegarius firmavit, Bermundus firmavit, Guichirannus firmavit, Fulco & Pontius frater Guichiranni firmaverunt, Aldoardus firmavit, Gadaldus firmavit.

Ego RAIMBALDUS & BONEFACIUS & Boso fratres mei donamus Domino Deo & S. Victori & S. Zachariæ & ad monachos qui ibidem sunt vel futuri erunt devesum in aqua qui vocatur Vuelna, de ipsa Fur usque Ic ubi cadit Petrois in Vuelna, hoc damus Deo & S. Zachariæ ego Raimbaldus & Bonifacius & Boso frarres mei, & ego Huardus Belletus dono similiter, Guichirannus similiter, Fulco similiter.

CARTA LEODEGARII archiepiscopi Viennensis ecclesiam S. Ferreoli in plena Synodo S. Victori concedentis.

Anno 1036. Ex archivis S. Victoris, eruit D. Furnerius.

CUNCTIS liquido patet, primum hominem a Deo conditum atque in paradiso positum, ut si peccare nollet, necessitatem peccandi non haberet: quia vero invidia diaboli seductus est, atque in hæc ærumnosa a Deo projectus exilia, omnes homines ex eo genitos natura postmodum æquales fecit, sed Deus qui est summum bonum, ipse præscius futurorum, postmodum per multa annorum curricula hominem suum carum animal regere non destitit, imponens unum aliis, patriarchas primitus, & prophetas, ac deinde reges, ad extremum vero tempus sacerdotes. Hæc autem ideo facere voluit, ut si quis ejus amore peccata nollet vitare, coerceret eum videlicet alterius timore. Sunt itaque multa quæ per Moysen præcepit, & quæ Aaron primo sacerdoti injunxit, ad ultimum vero B. Petro Apostolo principi ligandi atque solvendi potestatem contulit, & ab eo usque ad nos licet indignos hanc potestatem permanere concessit. Quapropter ego LEODEGARIUS sanctæ matris ecclesiæ Viennensis archiepiscopus, omnium Dei fidelium servus, exemplo & amore prædecessorum meorum tactus, cupiens ornare ecclesiam nostram, quæ quondam gloriosissime floruit, propono & desidero deservire beatissimo ac domno Ferreolo martyri, & civitatis nostræ tribuno, siquidem ecclesia ipsius vel cœnobium, quod vocant Grinienisium, quadragintorum simul in se habuit multitudinem monachorum. Nos vero quos ad hæc Deus infelicia perduxit tempora, si non ita, saltim quod possumus adimplemus. Reddimus ergo sibi, videlicet S. Ferreolo, ipsiusque quondam monasterio, ex hereditate ipsius quidquid in nostro dominio tenebamus, ceu etiam ubicumque fuerit inventum aliquid ex ejus hereditate, totum omnino reddimus, & eos qui tenent, si reddere voluerint, in hac elemosyna adjungimus. Sed & fidelis noster Bladinus quicquid de ejus hereditate in beneficio de nobis tenebat, totum reddit. Insuper & de suo alode largitur. Hoc ergo per consilium fidelium nostrorum facimus, collaudante omni clero & populo ecclesiæ nostræ, insuper & annuente HERMEN-

GARDA inclyta regina regis RADULFI uxore, nunc vidua. Ponimus ergo in ipso loco Dei servos ex monasterio S. Victoris gloriosissimi martyris Massiliensis, ipsumque locum cum omnibus ad se pertinentibus eidem S. Victori perpetualiter damus, & viro venerabili domino ISARNO abbati, per consilium & voluntatem domni abbatis ODILONIS Cluniacensis, & omnium fratrum suæ congregationis. Facta donatio hæc eleemosynaria anno Incarnationis Domini nostri JESU CHRISTI MXXXVI. indictione IV. epacta I. anno VIII. imperatoris Romanorum Conradi. Obsecramus itaque ex auctoritate omnipotentis Dei, Patris, & Filii, & Spiritus sancti, ac nostra contradicimus, & excommunicamus, ut nullus successorum nostrorum ecclesiæ hujus nostræ pontificum, sive aliqua persona disrumpere vel inquietare ullo modo hanc elemosynariam donationem valeat vel audeat. Quod si fecerit, omnibus Dei maledictionibus subjaceat, & ab ecclesia Dei in die judicii separatus, in inferno sepeliatur damnatus. Insuper & hæc nostra donatio firma ac stabilis permaneat cum stipulatione subnixa.

Ego Nuspa monachus ad vicem domni cancellarii, domno archiepiscopo LEODEGARIO dictante atque mandante scripsi, anno ordinationis ejus VI. III. nonas Novembris, luna X. feria IV.

Acta publice in Synodo Viennensi in præsentia domni LEODEGARII archiepiscopi & canonicorum ipsius ecclesiæ multorumque fidelium abbatum, monachorum, aliorumque clericorum diversorum graduum fere quingentorum, omni affectu ea quæ hic habentur inserta acclamantium atque laudantium, simul etiam, si, quod absit, ulla umquam persona sæcularis, aut ecclesiastica ullo modo inquietare voluerit hoc donum, invocatione divina & auctoritate omnium sanctorum ac virtutum cælestium eos excommunicantium, atque anathematizantium, qui quolibet modo inquietare voluerint hoc donum ullo umquam tempore. Amen.

Ego LEODEGARIUS archiepiscopus propria manu firmo. Signum Hartaldi præpositi, S. Burnonis laici patris ejusdem, S. Heriberti archidiaconi. S. Siufredi archidiaconi. S. Arnaldi archidiaconi. S. Pontii presbyteri. S. Giraldi diaconi. S. Bernardi diaconi. S. Sarili diaconi. S. Ascarici levitæ. S. Senioreti canonici. S. Guigonis canonici. S. Richardi subdiaconi. S. Adelardi custodis. S. Guarnerii magistri scholæ. S. NORTALDI abbatis (a) S. Petri. S. PONTII (b) abbatis. S. (c) DOTHMARI abbatis. S. WILLELMI (d) patris archiepiscopi. S. WILLELMI filii ejus. S. HUMBERTI comitis. S. Hectoris. S. Herberti & Artaldi fratris ejus. S. Herberti præpositi Diensis. S. Arnulfi. S. ADALARDI abbatis (e) Lugdunensis. S. HODRICI (f) abbatis. S. EUGENII (g) abbatis. S. Ugonis canonici. S. Girardi levitæ. S. Girardi canonici. S. Milonis canonici. S. Adalardi canonici grammatici. S. Berlionis Banchi canonici. S. Blandini laici. S. Renconis l. S. Vidgerii canonici. S. Hugonis subdiaconi. S. Lamberti subdiaconi. S. Hotmaris subdiaconi. S. Rothbaldi subdiaconi.

CARTA LEODEGARII archiepiscopi Viennensis.

Ecclesiam sancti Symphoriani cœnobio sancti Ferreoli donat.

... Dum Dei omnipotentis ordinatissima ..... sanctorum canonum ..... quatenus res ecclesiasticæ a cujus.... ordinis personæ a quocumque acquisitæ, an nos quamvis possessæ ..... utilitate quantumvis ædificiis, possessionibus ac substantiis, mox ab heredibus ecclesiæ ad quam jure pertinent, justa ratione fuerunt requisita, cum omnibus absque ulla reddantur contrarietate, nolentes vero reddere a sanctæ Dei ecclesiæ segregari debere societate. Ego LEODEGARIUS sanctæ matris ecclesiæ Viennensis Christianorum archiepiscopus, omnium Dei fidelium servus, notum esse volo nostræ ecclesiæ ..... filiis præsentibus ac futuris, quia amore tactus divino, reædificandorum venerabilium locorum monasterium sancti Ferreoli .... ex utraque parte Rodanis fluminis positorum desiderio, consentiente universo clero & populo, annuente venerabili abbate ISARNO Dei servo, asciverim ex Massiliensi cœnobio jam dictis locis ad serviendum Deo, & quæcumque prædictorum locorum juris essent, omni voto ac desiderio decreverim ad posse me rediturum ab integro. Quapropter sancti Symphoriani ecclesiam ad Aquilonarem Viennæ urbis partem sitam, quam fidelium testimonio, auctoritate & Dei judicio constat fuisse ex sancti Ferreoli cœnobii dominio, cum omni integritate eidem nunc restituo, cedo atque trado, & monachis Deo

[Anno 1037 Ex archivis S. Victoris eruit D. Fumerius.]

(a) Insignis abbatia in urbe Viennensi, quæ tandem ad canonicos sæculares transiit.

(b) Pontius aut Romanensis aut S. Theuderii abbas extitisse videtur.

(c) Dothmarus præfuit monasterio S. Andreæ inferiori.

(d) Notandus hic locus de patre Leodegarii archiepiscopi, cujus nomen hactenus ignorabamus, ut & fratris ejus Vuillelmi, quos, cum ante Humbertum comitem subscripserint, magnæ nobilitatis fuisse conjicimus.

(e) Vulgo Athanacensis monasterii, qui abbas desideratur in vulgatis indicibus valde imperfectis.

(f) Hodricus seu Udricus fuit abbas Insulæ Barbaræ, vel Odericus abbas Jurensis S. Claudii.

(g) Hunc Eugenium suspicor fuisse abbatem Savigniensis S. Martini monasterii.

servientibus ibidem permanentibus, videlicet cum parochia, primitiis, cimiterio, insuper decimo omneque theloneum, corvadas, omne quoque servitium. .... ipsam ecclesiam alteram super ripam Rhodani, sive at...... optimusque constat, ad caput ipsius ecclesiæ situm, & cetera omnia quæcumque videntur ad eumdem locum pertinere, cum campis, vineis, pratis, hortis, molendinis, arboribus pomiferis & impomiferis, aquis, aquisve decursibus, sicut sciuntur termini, & hic habentur scripti. Ab oriente terra S. (a) Mauritii terminos qui vocantur Suspulis, ab occidente terra regalis, a meridie terra S. Severi, ab aquilone terra de castello qui vocatur *Saxol*, & de villis *Masin* & *Macen*, parochiam & omnia quæ pertinent ad parochiam, cum omni decimo, primitiis ac cimiterio. Insuper etiam reddo unum mansum, qui vocatur Adamaredas super ecclesiam sancti Desiderii situm cum campis, vineis, omnibus omnino rebus ad eumdem mansum pertinentibus. Si quis ergo hanc donationem vel redditionem inquietare tentaverit, omnibus Dei maledictionibus subjaceat, cujuscumque fuerit personæ aut dignitatis, sitque extraneus a fidelium societate, hac donatione inconvulsa perpetuo permanente. Facta donatio hæc anno incarnationis dominicæ M. XXXVII. indictione V. anno VIIII. imperatoris Romanorum Conradi.

Ego Nuspa monachus ad vicem domni cancellarii scripsi, domno Leodegario archiepiscopo mandante, anno ordinationis ejus VII, feria I. stationis ad S. Ferreolum ante natale Domini.

Domnus LEODEGARIUS archiepiscopus firmavit. S. Sarili decani, S. Artaldi præpositi, S. NORTALDI abbatis S. Petri, S. Synfredi archidiaconi, S. Arnadi archidiaconi, S. Herberti archidiaconi, S. Pontii canonici, S. Senioreti canonici, S. Geraldi diaconi, S. Bernardi diaconi, S. Ascarii levitæ, S. Ugonis canonici; S. Garnerii canonici magistri scholæ, S. Gerardi canonici, S. Girardi canonici, S. Adalardi canonici grammatici, S. Giudgerii canonici, S. Renconis, S. Richardi canonici subdiaconi, S. Milonis canonici, S. Rothbaldi subdiaconi, & ceteri uno animo firmaverunt.

CARTA AMELII EPISCOPI Senecensis pro Massiliensi S. Victoris monasterio.

Plures ecclesias restituit S. Victori.

Circa 1040 *Ex archivis S. Victoris eruit D. Furnerius.*

EGo AMELIUS gratia Dei Senecensis episcopus nostrorum filiorum ceterorumque fidelium nostrorum voluntate vel rogatu, ecclesias nostræ diœcesis quasdam quæolim fuerant sancti Victoris monasterii Massiliensis juris, quamvis aliquanto tempore a quibusdam monachis injuste possessas, auctoritate apostolica eodem monasterio reddimus sive donamus, cum omnibus quæ ad easdem ecclesias pertinent, simul cum omni decimo rerum sibi pertinentium, nunc vel in posterum acquisitarum, quæ ecclesiæ sunt sitæ in loco vel villa quæ vocatur Petra-castellana. Et hoc tali tenore facimus, ut omni tempore servi Domini ibidem permanentes, pro nobis & successoribus nostris ad Dominum sint intercessores. Sunt autem hæ ecclesiæ S. Mariæ, S. Johannis, S. Petri, S. Laurentii.

DONATIO COENOBII S. Michaëlis de Fallio facta Massiliensi S. Victoris monasterio.

Anno 1045 *Ex archivis S. Victoris eruit D. Furnerius.*

† IN Dei nomine. Ego Gombaldus de castro *Bisaure*, inspirante clementia Dei, cœpi cogitare intra memetipsum diem mortis meæ, & quid acturus in districto judicii examinis diem. Et nimis tristis de meis sceleribus, de salute mea cœpi agere, ut non caderem in inferni pœnam. Verti me ad JESUM CHRISTUM Dominum meum, & ad verba ipsius in evangelio dicentis: *Date & dabitur vobis*, & in alio loco: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Et alibi: *Date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis.* Et Salomon: *Redemtio animæ viri propria substantia.* His & aliis hujuscemodi verbis admonentes, cœpi de substantia ecclesiis Dei servire & honorare, e quibus elegi unam infra terminibus Barchinonense vel Ausonense constitutam, & in servitium Dei restitutam, & non humano opere factam, sed mirabili voluntate Dei adimpletam, & in excelsa rupe positam, & ipsam vocant Spæleam, & in honore Dei & S. Michaëlis archangeli consecratam, super castrum quem vocant Mons-boium, infra terminos ipsius sitam, quem vulgus nuncupant Falium. Proinde ego GOMBALDUS de Castro *Bisaure* facio donationem de ipsa spelunca cum altariis quæ intus sunt, & cum aliis speluncis quæ circa ipsam sunt, tam majoribus quam minoribus, & cum terris, & vineis, & cum silvis & garricis, & cum boscis, & cum pratis, & oglatis, & cum solatibus & superpositis, & cum curtis casalibus ædificatis vel non ædificatis, & cum petris, & cum pascuis, & cum molinis, & illorum ædificiis, & cum reguis & caput reguis, & ortis & aquis, & fontis, & cum decursibus, vel recursibus, & cum arboribus universis generibus cunctis, cultis, & cum cunctis appenditiis suis, id est mansibus, vineis, terris cultis, vel ermis, & aliis alodibus, id sunt casas cum solis & superpositis, & cum casalicibus, & cum

[a] Id est ecclesiæ cathedralis quæ S. Mauricio sacra est.

curtis, & cum ædificiis omnibus, tam intus, quam foris, & ostiis & januis, & cum boschis, & silvis & garricis, & pratis, vel pascuis & ortis, & molinis, & illorum ædificiis, & cum reguis & caput reguis, & cum petris, & cum fontis, & cum aquis, & cum discursibus vel recursibus, & cum arboribus cunctis generis omnibus, & cum viaductibus, vel reductibus, quæ ipsa spelunca Dei adquisivit in comitatibus omnibus, & cum omnibus terminibus suis dono Domino Deo & S. Victori martyri, monasterio Massiliensi, & abbati ISARNO præsenti, & abbatibus qui post ipsum futuri sunt, & monasteriis tam præsentibus quam & futuris ibidem Deo servientibus ad alodem proprium, sicut mihi donavit senior meus RAIMUNDUS comes, & mulier sua HERMENSENDIS comitissa, & ego adquisivi per meam comparationem in ipsis alodiis sicut superius resonat, sive per ullas quoque voces, sive per meos ingenios, quod ego adquirere potui ad servitium sancti Michaëlis & Dei, pro remedio animæ meæ. Omnia hæc dono ad monasterium sancti Victoris prænominatum non longe a Massiliæ mœnibus fundatum, in ea videlicet ratione, ut non liceat eis vendere, nec alienare, nec excommutare, aut transfundere, sed omni tempore ad servitium S. Victoris tenere, & sui monachi sancti Victoris in ipsa spelunca, & ecclesia Dei, omni tempore stare, & pro peccatis meis Dominum exorare. Quod si monachi sancti Victoris in ipso loco stare noluissent, S. Victor nec monachi sui omnino nihil habuissent. Et affrontat ipsa spelunca & ecclesia Dei, quæ donavit senior meus & mulier sua ad me Gonbaldum, de parte aquilonis in summitate de ipsis rupibus, de parte orientis adlaterat in ipsum torrentem, qui discurrit per Gatum-manducatum, & descendit per ipsas rochas, usque in deteriora saxa, hoc est Petra-mala; & de meridie in jam dicta Petra-mala; de occasu in medio alvei Tenesi, sive in medio alveo Gerundella, vel in alodem sancti Cucufati, & alios alodes quos adquisivit ipsa spelunca & ecclesia Dei sanctique archangeli Michaëlis in cunctis omnino locis, sive per comparationem, sive per donationem, sive per scambiationem, terminant cum suis terminis, sicut scriptum est in ipsius ecclesiæ cartulis. Dono itaque hæc omnia superius scripta ab integrum ad S. Victorem martyrem alumnum perpetim abiturum cum exiis vel regressiis earum, vel cum eorum affrontationes, pro redemtione animæ senioris mei RAIMUNDI nomine, sive pro mulieris suæ HERMENSENDIS nomine, sive pro memetipsum, sive pro animabus patris mei & matris meæ & mulieri meæ defunctæ GUISLÆ nomine: qui hæc superius scripta in alodiis comparavit & donavit ad prædictam

A speluncam S. archangeli Michaëlis consecratam: sive pro ista viva Auratia vocitata, & quia in adquirendis alodiis fidelissima facta, & diem judicii audiamus a Domino dicturi: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod paratum est vobis ab origine mundi* Ista carta est facta non in occulto, sed in publico, tradita & omnibus manifestata, & de domno Gombaldo donata & roborata. Quæ vero prædicta omnia de meo jure in dominio & potestatem sancti Victoris trado in alodem proprium. Quod si ego
B donator, aut ullus ejus homo, vel femina, quæ contra istam donationem venerit ad irrumpendum, non hoc valeat vendicare, sed componat aut componant in duplo cum sua immelioratione, & in antea ista donatio firma permaneat omnique tempore. Facta carta ista donationis idus Octobris anno XII. HEINRICI regis. Sig†num GOMBALDI qui istam donationem fecit & firmavit & testibus firmari rogavit. Sig † num Mir Garibertus. † Mirone, signum Arnaldoliba, sig†num Auracia, sig†num GUISLÆ filiæ ipsius Gombaldi, † Adalertus sacer & judex, sig†num Udalardi Guitardi, sig†-
C num Richardi, signum Arnaldi Arnaldi, sig†num Bernardi Oldofredi, sig†num Symfredi, sig†num Ademar, sig†num Gumbaldi Ademar, sig†num Adalbert, sig†num Mir Willelmi, sig†num Ermengaudi, Ebrinus.

Stephanus sacerdos & monachus rogatus ab eodem Gombaldo & uxore sua Aurucia donatoribus scripsit, die & anno quo supra.

CARTA PONTII EPISCOPI Massiliensis.

De monachis Græcis in ecclesia sancti Petri de
D *Auriol ponendis sub obedientia & regimine abbatis S. Victoris.*

IN nomine Domini nostri JESU CHRISTI. Memoria & notitia vel donatio de tertia parte ecclesiæ sancti Petri, quæ est constructa in territorio castelli vel villæ quæ vocatur *Auriol*, in comitatu Massiliensi, ad monachos Græcos, quos in eadem ecclesia ponunt episcopus PONTIUS & ISARNUS abbas monasterii S. Victoris Massiliensis. Igitur ego PONTIUS gratia Dei sanctæ sedis Massiliensis episcopus, una cum voluptate & consensu
E clericorum ecclesiæ a Deo mihi commissæ, facio donationem de altare sancti Petri ecclesiæ superius nominatæ, & de omni tertia parte omnium rerum, videlicet alodis, camporum, vinearum, hortorum, pratorum, vel quarumcumque possessionum, quæ ad eamdem ecclesiam nunc pertinent, & in futuro qualicumque modo ullo umquam tempore pertinere videbuntur, servis Dei Græcis, & successoribus eorum in eadem ecclesia

Anno 1044 *Ex majori cartario S. Victoris eruit D. Furnerius.*

Domino servientibus sub cura & regimine abbatis S. Victoris, ut quamdiu ad eumdem altare servierint, teneant & possideant: ita tamen ut omni tempore pro me, & successoribus meis, & pro clero sedis Massiliensis intercessores existant. Si autem evenerit, quod absit, ut in eadem ecclesia Deo servientes non maneant, eadem tertia pars revertatur ad clericos sedis Massiliensis. Itaque ego PONTIUS episcopus rogo & commoneo, & ex auctoritate omnipotentis Dei ac sanctæ ejus genitricis etiam interdico, ut nullus successorum meorum episcoporum vel clericorum sanctæ Dei genitricis sedis nostræ, hanc eleemosynariam donationem inquietare, irrumpere, vel annullare audeat: quod qui fecerit, sciat se a liminibus sanctæ ecclesiæ & a societate Christi prorsus extraneum, qui tantum opus misericordiæ conatus est evertere.

Facta donatio hæc anno ab incarnatione Domini MXLIIII. indictione XIII. regnante HEINRICO rege. THEODATUS canonicus episcopus Tolonensis firmavit, Wichirannus firmavit, Pontius firmavit, Stephanus firmavit, Cleophas firmavit, Willelmus firmavit, Amalricus firmavit, Boso firmavit, Willelmus firmavit, item alius Willelmus firmavit, Milo firmavit, Theodatus firmavit, Arnulfus firmavit, omnes isti canonici, similiter & alii omnes firmaverunt.

Acta publice apud Massiliam in conventu clericorum II. nonas Julii feria VI.

CARTA GISLABERTI EPISCOPI Barchinonensis.

Impignorat ecclesiam de Riels *monasterio de Fallio.*

Anno 1045. *Ex cartario S. Victoris eruit D. Furnerius.*

IN Dei nomine ego GISLABERTUS nutu Dei sanctæ sedis Barchinonensis episcopus, una cum assensu canonicorum meorum impignatores sumus Domino Deo, & monasterio sancti Michaëlis archangeli de ipso Fallio, & tibi GONDEBALDO Bishorensi. Manifestum enim quia debitores sumus Deo & prædicto monasterio, & tibi Gondeballo uncias X. auri boni de Ispania per XV. uncias auri legitime pensatas; quas tu Gondeballus & monachi servientes Deo & prædicto monasterio nobis præstatis in maxima nostra necessitate; & quas expendimus in opere & ædificio parietum ecclesiæ sanctæ Crucis sedis prædictæ; quæ noviter reædificatur. Propterea impignoramus Domino & prædicto monasterio & tibi Gondeballo & monachis servientibus prædicto loco ipsam ecclesiam S. Vincentii *de Riels* cum suis omnibus alodis, & decimis, & primitiis, & oblationibus, & suis pertinentiis atque adjacentiis, quæ hodie habet, aut inantea Deo dante adquisitura erit. Est namque prædicta ecclesia *de Riels* in comitatu Burchinonense, in Vallense, in terminio castro *Montebois*, afrontad de oriente in parochia S. Petri de Bigas, de meridie similiter in ipsa parochia, & in alodium quæ fuit de Petrasius condam. De occiduo in parochia sancti Felicis de Codinas, sicut suum est censum terminatum & modo eum retinemus per terminum *de Riels*. De circi affrontat in alodium sancti Cucufati & sancti Michaëlis, & in parochia sancti Petri vocati Bertin. Quantum istæ affrontationes includunt, sic impignoramus Domino & prædicto monasterio, & monachis prædicto loco servientibus, & tibi Gondeballo jam dicto omnia ab integre cum exios & regressios earum, exceptus ipsum redditum synodi, hoc sunt denarios XII. quod ad opus nostrum retinemus, & de jure nostræ sedis prædictæ in ejus dominationem prædicti monasterii tradimus prædictæ ecclesiæ hoc modo & ordine, ut ego GISLABERTUS episcopus reddere faciam ad supradicto domo, vel ad ejus servientes XV. uncias auri de ista festa sancti Michaëlis ad aliam venientem. Et si ego aut prædicti canonicorum meorum non reddiderimus ipsum debitum ad supradictum terminum, teneat ipse supradicto monasterio vel ejus servientes supradicta ecclesia sancti Vincentii sicut resonat, usque dum redditæ sint supradictæ unciæ auri ad supradicto domo cum illorum lucro pretium per unumquemque annum, & post meum discessum similiter facient alii episcopi successores mei, vel canonicorum S. Crucis, & qui ista impignoratione disrumpere voluerit, non hoc valeat vindicare, sed componat, aut componamus supradicta omnia ad jam dicto domo in duplo, & inantea ista impignoratio firma permaneat omnique tempore.

Actum est hoc die calend. Octubris anni XIIII. regni HENRICI regis.

Ego Gondebaldo Bishorensi dono ad supradicto domo ipsas meas voces, quas in ipsa pignora resonat ad suo proprio.

Signum GONDEBALDO Bishorensi, qui ista donatione feci ad supradicto domo.

* GUISLIBERTUS gratia Dei episcopus, † S. Geralli levita, S. † Dalmatius sacerdos, † Petrus levita, Miro presbytero, † Seniofret sacerdos, † Berengarius archidiaconus, Guillelmus clericus, Sig. † Miro presbyter, Adalbertus sacerdos & judex, S. Ermemirus levita & sacriscrinis, Reimundus presbyter, sig. † Compan levita, S. Bernardus presbyter, S. † Gaudefridus sacerdos.

Ego Gislabertus episcopus cum canonicorum meorum nos suprascripti, qui ista impignoratione fecimus & firmavimus & testes firmare rogavimus. S. † Arnald Wirald. S. † Adalard Witard, S. † Petro Mirone, S. † Gonbald Signol. Vitalis monachus, qui

hanc impignorationem scripsit die & anno quo supra.

DIPLOMA PETRI VICE-COMITIS Wapincensis pro sancto Victore.

Restitutio villæ de Jugurnis facta Isarno abbati sancti Victoris.

Anno 1045 Ex cartario S. Victoris eruit D. Furnerius.

DEi omnipotentis nutu animatus, ejusque dulcibus promissionibus incitatus, quibus indignis vitam promittens, inquit peccatoribus: *Date eleemosynam & omnia munda sunt vobis*, & *sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum.* Ego PETRUS vice-comes Guapincensis, una cum matre mea DALMATIA & uxore mea INGUILBERGA ac filiis meis ISOARDO.... facimus hanc donationem JESU CHRISTO Domino ejusque monasterio apud Massiliam in honore suæ genitricis, sive sancti Victoris gloriosi martyris, ejusque sociorum, seu sancti Petri omniumque apostolorum constructo, de quibusdam rebus nostræ potestatis, tamen ipsius hereditatis, videlicet de ecclesiis S. Mariæ & S. Petri, sive S. Johannis, quæ sitæ sunt in comitatu Ebredunensi in villa Jugurnis, cum omni parochia & tota medietate decimi de toto territorio ipsius villæ cum medietate mercati, & cum omnibus omnino rebus, & nunc & in futuro tempore ad easdem ecclesias pertinentibus cum terris, mansis, domibus, vineis, pratis, hortis, molendinis, arboribus, atque aquis. Siquidem eumdem locum vel ecclesias monachi Bremetensis (a) cœnobii aliquanto tempore injuste possederant, utpote deficientibus possessoribus Massiliensibus, olim illorum monasterio a paganis destructo, moderno autem tempore eidem jam cœnobio præsidente abbate ISARNO, missis a se monachis qui requirerent locum, in conciliis episcoporum ac provincialium nobilium antiquissimis cartis in medium prolatis, a cunctis est judicatum, ut per Dei judicium quisque probaret suum directum. Unde redditi sunt læti, & in Domino fisi, eisdem assistentibus monachis Bremetensibus & pluribus nobilibus, palam agunt judicium a præsulibus atque judicibus datum, secretim jam probato in igne atque ferro fidem præbentes, omnibus Dei ostentationibus, quo sui essent juris ecclesiæ Jugurnis. At illi contumaces & Deo resistentes, itidem cunctis coram hominem mergunt in aquam, sed eorum judicio spe injusta frustrato, diruptis ligaminibus, & supinatis cruribus, risum fecerunt, omnibus qui aderant videntibus. Tandem ergo attoniti ac stupentes ac veriti, coram & in præsenti, sic fuerunt concrediti, rogantes reddi sua, quæ ex propria cella fuerunt deportata. Ego etiam Rodulfus cum uxore Tumidia & filio meo Ismidone, ac nepotibus meis reddo ac dono monasterio Massiliensi similiter quædam, quæ in eadem villa Jugurnis ad me pertinere videbantur, videlicet hortum unum, & pratos, & molendinum unum, & quicquid meum erat in manso de Arnaldo, & aliam medietatem de mercato. Et hæc omnia nos supradicti donatores ideo facimus, ut monachi Massilienses nostri semper sint memores & apud Deum intercessores, nobis neque ullis ex nostris ullo umquam tempore in supradicto loco Jugurnis ullum servitium neque censum omnino requirentibus.

Facta donatio sive redditio hæc anno incarnationis dominicæ MXLV. indictione XIII. regnante HEINRICO rege. Igitur ego PETRUS & uxor mea & filii mei, & ego Rodulfus, & uxor mea & filii mei ac nepotes hanc cartam manu propria firmavimus, & testibus firmari rogavimus. Si quis vero, quod absit, hanc redditionem vel cessionem inquietare, vel annullare voluerit, cogatur exsolvere auri optimi libras X. & insuper omnibus Dei maledictionibus subjaceat, stipulatione hac perenniter permanente.

(a) Bremetense monasterium ordinis sancti Benedicti in diœcesi Papiensi, Padum inter & Ticinum fluvios situm est.

CARTA WASONIS EPISCOPI Leodiensis pro Leodiensi ecclesia collegiata S. Bartholomæi.

Addit X. *præbendas ad numerum* XX. *canonicorum, eisque assignat amplos reditus.*

Anno 1046. Ex ms. Cl. V. domini de Louvrex.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Notum sit omnibus, quod comes LAMBERTUS de Lovanio pro culpis suis excommunicatus, dedit mihi WAZONI indigno præsuli pro absolutione sua quinque mansos fiscales apud *Villers* in Hasbania, quatuor serviles, & quintum indominicatum, liber scilicet homo liberum malis consuetudinibus allodium, aquis, silvis, pratis, pascuis decoratum & consitum. Dedit etiam mihi in eodem loco comitatum cum procinctu totius villæ & appendiciorum ejus, in agris & variscapiis, in propriis & alienis allodiis. Dedit etiam ejusdem villæ matrem ecclesiam, cum optima corte & certis decimæ suæ dominiis. Ego vero prædecessorum meorum BALDRICI scilicet, WOLBODONIS, & RAYNARDI, qui pauperem ecclesiam S. Bartholomæi suis auxerunt adquisitionibus, secutus vestigia, tradidi ibidem idem allodium cum ecclesia & ipso comitatu, per manus GOZELONIS comitis, qui erat advocatus altaris, quem etiam ibi pro animæ suæ redemtione advocatum constitui, interdicens sub anathemate, ut in procinctualibus tantummodo placitis tertio recepto denario, nullatenus ultra locum ipsum vel ecclesiam hospitiis vel exactionibus præsume-

A ret gravare. Dedi etiam ibi quicquid habebam apud *Herlans* & *Tavers*, apud *Haimetines*, & ecclesiam de Marcha, & quicquid tenebam apud Francons-curtem & apud *Formale* & *Roteleirs*, ad supplendam præbendam x. clericorum, quos adjunxi ad numerum xx. canonicorum, quos ibi inveni. Hujus rei testes sunt Lanzo præpositus de S. Lamberto, Rotbertus archidiaconus, Goisbertus, Johannes præbendarii, Rotgerus, Asculphus, Theodericus, Bavo, Onulfus. De clericis S. Bartholomæi, Erpo præpositus, Ailulfus decanus, Bernardus; B Gozechinus, cum aliis pluribus. De liberis hominibus comes GOZELO qui & advocatus, comes A. de Namurco, comites de Los EMMO & OTTO. De familia ecclesiæ Mainerus, Warnæus, Fastradus, Adelinus, Lambertus, Wolbertus, Godefridus.

Actum est hoc anno Incarnationis dominicæ MXLVI. indict. XIV. regnante HEINRICO imperatore, GOZELONE duce, me WAZONE pontifice, advocato loci GOZELINO, Erpone præposito, Ailulfo decano.

C

DONATIO ECCLESIÆ de Grauleriis facta monasterio S. Victoris Massiliensis.

Anno 1047 Ex archivis S. Victoris eruit D. Furnerius.

IN sanctæ & individuæ Trinitatis nomine. Ego STEPHANUS dominicæ feminæ quondam filius & fratres mei Guillelmus & Ingilrannus, videntes hoc sæculum quod sit tam vanum, tamque instabile, ut nulli possit fidem servare, & quod hodie est, cras non valeat in suo statu subsistere: quique heri superbia tumidus & extenso collo ibat, pene supinus nunc jacet sine sensu, ut truncus inutilis, esca vermibus de se factus D scaturientibus; audientes quoque Dominum in evangelio dicentem: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Et alibi: *Date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis*, tacti sumus dolore cordis intrinsecus, & pro animabus patris nostri & matris nostræ, & pro remedio animarum nostrarum & seniorum Amici, Rostagni & uxorum eorum, ipsis nostris senioribus nobis consentientibus, & ipsum fundum nobiscum dantibus; donamus Domino Deo & E S. Victori monasterii Massiliensis, & habitatoribus ejusdem monasterii, tam præsentibus quam futuris, ecclesiam S. Mariæ, quæ est in valle quæ nominatur Graulerias, cum uno clauso vinearum & cum duabus sparanis, & cum toto hoc quod huic ecclesiæ accreverit. Et alteram ecclesiam donamus similiter prædicto sancto, quæ est in castello, quod est nominatum Majorie, cum tota ipsa potestate, quam pater noster & mater nostra habuerunt in ipso Castello & nos habemus, & cum una vinea, & suis paranis, & cum omnibus rebus quas adquisierit in futuro tempore. Tertiam nihilominus damus quæ consecrata est in honore S. Petri. Fundata est in valle quæ nominatur Toredena cum quatuor peciis de terra inter cultas & incultas. Hæc omnia sicut suprascripta sunt donamus prænominato S. Victori Massiliensis cœnobii & habitatoribus ejusdem loci, tam præsentibus, quam etiam futuris, ea scilicet ratione, ut habeant, teneant, possideant. Si quis autem comes, vicecomes, comito, episcopus, presbyter, clericus, laicus, vel alia aliqua persona hanc donationem annulare voluerit; nisi resipuerit, legitima satisfactione si emendare potuerit, & emendare noluerit, cogatur auri libras XII. si tantum prævalet. Sin autem, totum suum habere persolvat prædicto monasterio S. Victoris & habitatoribus ejusdem loci. Insuper veniant super eum omnes maledictiones quæ inveniuntur scriptæ in novo & veteri testamento.

Ego Stephanus & frater meus Guillelmus & Ingilrannus consentientibus nobis domno DURANDO Vincensi episcopo cum clericis suis, per quem tenemus altaria supradictarum ecclesiarum, & domnis Amico & Rostagno eorumque conjugibus, hanc donationem jam sæpe dicto S. Victori fecimus, & in hac carta scribi rogavimus, & manibus nostris firmavimus, & in præsentia domni PETRI abbatis supra altare iterum atque iterum dicti S. Victoris Massiliensis urbis; firmata quoque ab aliis quos rogavimus, posuimus. Hæc donatio facta est anno ab Incarnatione Domini MXLVII. indictione XV. epacta IIII. Luna vero XXII.

DONATIO ABBATIÆ S. Pauli Gerundensis facta Massiliensi S. Victoris monasterio.

Anno 1048 Ex archivis S. Victoris eruit D. Furnerius.

ANTIQUITUS mos inolevit, instituit, atque sanctivit, ut quicumque de rebus suis causa augmentandi aliquid conferre voluerit Deo & sanctis ejus, hoc per scripturarum seriem studeat commendare, ne in novissimo nullius contradictione impediatur. Hunc igitur ergo ERMESINDIS indigna licet comitissa prosecuta modum, divina inspirante clementia, subintravit in animo meo, ut clara mente, integroque consilio, aliquid ex meo jure darem Domino Deo, sicut ipso vivente facio pro redemtione animæ meæ & redemtione animæ viri mei, RAYMUNDI scilicet comitis, nec non & filii mei BERENGUERII & filiorum ejus, si tamen hujus donationis auctores extiterint, præsertim cum ipse Dominus per semetipsum perque suorum fidelium ora assidue clamitet: *Date eleemosynam & omnia munda sunt*

vobis. Et quia *sicut aqua extinguit incendium, ita eleemosyna delet peccatum*. Et *eleemosyna a morte liberat animam*. His ergo & aliis quamplurimis divinis Dei nutu cohacta mandatis, ut mala quæ æterna cavere queam, bonaque cuncta possidere, ratione qua desuper taxavi, concedo Domino Deo & S. Victoris Massiliensis cœnobii fratribusque cunctis qui ibidem degunt Dei famulatui, præsentibus scilicet atque futuris, monasterium S. Pauli, qui situm est in pago Girundensi, quod mihi ex parte RAIMUNDI comitis scilicet mariti mei, quondam obvenit ad proprium, ut a modo & deinceps prædicti fratres locusque jam dictus teneant & possideant, ibique Deo jugiter serviant, & in quantum potuerint, Deo juvante, prædictum locum ædificent. Concedo etiam præfati loci prædictisque fratribus Massiliensium, scilicet cuncta quæ ad ipsum monasterium videlicet S. Pauli pertinent, & nunc usque habere videtur, vel quicquid, Deo largiente, adquirere deinceps pro ejus amore servientes ipsius sancti Pauli potuerint; qui locus sancti Pauli, sicut supra diximus, est in comitatu Gerundensi, in maritima. Nam ego ERMESINDIS comitissa, sicut superius resonat, ex meo jure dono, trado & concedo in potestate S. Victoris, vel ejus servientibus, & ut hoc dono semper sit in diebus vitæ meæ ad mea fidelitate & meo servitio, & post obitum vero meum similiter fiat ad comitem qui tenuerit Gerundam, & Umberto Odonis fidelibus christianis, qui in prædicto cœnobio fideliter Christo Domino & ejus Apostolo .... Si quis ergo, ego donatrix, aut ullus vivens homo aut femina hanc donationem irrumpere tentaverit, pro sola præsumtione irrumpendi quinas auri libras componat, & gladio excommunicationis feriatur, & cum Juda traditore partem in inferno recipere mereatur, nisi Deo inde satisfaciat & emendet. Facta hæc scriptura donationis VIII. idus Februarii, anno XVII. regni HENRICI regis.

† ERMENSENDIS comitissa qui hanc donationem feci & firmavi & testes firmare jussi.

PETRUS aba.

Sig † num Umberto Oddonis, sig † num Berengarii Attonis, sig † num Sicardus, Æneas.

Ego Maianfredus sacerdos & monachus scripsi hanc cartam cum litteris suprascriptis atque deletis in linea duo .... die & anno quo supra.

VENDITIO VINEÆ IN Cathedra facta abbati Petro Massiliensi.

Circa 1048. Ex cartario S. Victoris eruit D. Furnerius.

EGo Lambertus & uxor mea Austrudis decrevimus pecuniam mutuare, & pro pignore quartonum de Cathedra fœneratori committere. Itaque quia ipse quartonus, sicut tres aliæ partes S. Victoris Massiliensis urbis monasterii erat, secundum antiquitatem & secundum vetustissimam cartam inde factam, inde mutuo suscepimus a domno ISARNO tunc temporis prædicti loci abbate ejusque monachis centum octoginta solidos denariorum, & pro pignore ipsum quartonum de Cathedra eis dedimus. Nunc autem mortuo ipso domno ISARNO abbate, immo de mortali hac vita, ut credimus, ad æterna sublato, & ejus vicem in præfato monasterio domno PETRO jam pastore ordinato, retinemus ipsam pecuniam, & partim pro ipsa pecunia, partimque pro remedio animarum nostrarum, & animarum filiorum nostrorum & filiarum nostrarum, ego Lambertus & uxor mea Austrudis donamus & reddimus in nostra vita S. Victori & domno PETRO abbati, ejusque congregationi unum mansum in ipso quartono investionem. Post mortem vero nostri amborum donamus & reddimus jam dicto sancto Victori & congregationi ejus totum ipsum quartonum ea ratione, ut statim quando venerit postquam mortui fuerimus, nos ambo, ipsi monachi accipiant totum ipsum quartonum, & possideant sine ulla contrapellatione aliquorum nostrorum heredum masculorum & feminarum consanguinearum, vel aliquorum hominum, & homines qui in ipsos sunt reducant ad alios homines in tribus quas habent partibus commorantes, & sic postmodum fiat una villa coadunato ipso quartone, & suis hominibus cum illis partibus tribus hominibusque earum. Ego Lambertus & uxor mea Austrudis, & filiis & filiabus nostris consentientibus, hanc donationem, immo guerpitionem facimus sancto Victori Massiliensis monasterii & abbati PETRO & congregationi ejusdem loci tam præsenti quam futuræ eo modo, ut supra scriptum est, scilicet ut in vita nostra mansum unum habeant in ipso quartone sine querela & inquietudine alicujus hominis. Post mortem autem nostram ipsum quartonum de Cathedra totum cum hominibus & cum omnibus quæ ibi sunt sibi pertinentibus habeant & possideant, & totos homines & totas feminas cum omnibus rebus suis quas videbuntur tunc habere sine alicujus contrapellatione, & sine aliqua prohibitione reducant ad homines suos qui sunt in tribus partibus quas habent, & sic redintegrentur, & redintegrata permaneat inconcusse ipsa villa quæ nominatur Cathedra. Si quis autem comes,

mes, vicecomes, aut qualiscumque alia persona, qualiscumque ordinis & sexus hoc donum tentaverit annulare, aut in aliquo minuere, nisi resipuerit prius digna satisfactione, omnes maledictiones, quæ in veteri & novo testamento sunt scriptæ, veniant super eum vel eam: insuper damnetur cum Juda traditore in inferno inferiori. Hanc donationis cartam scribi præcipimus, & manibus nostris firmavimus. Ego Lambertus & uxor mea Austrudis & filii & filiæ meæ & alios firmare rogavimus & firmata posuimus super altare S. Victoris jam dicti monasterii. Acta autem anno ab Incarnatione Domini MXLVIII. indictione I. PONTIUS episcopus Massiliensis firmavit. Guikirannus de S. Marcello firmavit. Gerunculus firmavit, Austrudis firmavit, Ugo de Caliano firmavit, Pontius Ketbera Arelatensis firmavit, Isnardus de Baldrone firmavit, FULCO vicecomes & ODILA uxor sua firmaverunt.

PRIVILEGIUM IMBERTI episcopi Parisiensis de S. Germano in Laia.

Abbatiolam S. Germani in Laia monasterio B. Mariæ de Columbis tribuit.

Ex chartario B. M. de Columbis.

DIVINA nobis providentia commissæ speculationis cura impellimur, & pia christianæ religionis affectione, quando divini cultus studio visceraliter percellimur pro venerabilium locorum stabilitate, atque in eisdem Deo famulantium stipendiali pro securitate incessanter cogitare, quatenus pietatis proveniente labore, atque in futurum episcopali diligentia necessaria providente; animæ Christo dicatæ, quæ quidem in illis diebus vitæ suæ divinæ contemplationi decreverint servire, perseverent suppetentibus necessariis imperturbate. Ob hoc igitur nostris fidelibus universaliter laicis & clericis in Christo pie degentibus notum fieri volumus, quoniam S. Germani (a) abbatiolam, in loco qui Lira dicitur sitam; GOZFRIDO ejusdem loci venerabili abbate interveniente, immo nobis cognita sibi ejus ecclesiæ pro penuria commode consiliante, sanctæ Columbensis loci Mariæ sub privilegii auctoritate tradidimus, ea videlicet ratione, ut GOZFRIDUS, qui eidem Columbensi ecclesiæ præest abbas, nec non reliqui omnes adfuturi de nostra nobisque succedentium præsulum potestate, & in subjectione sanctæ Parisiensis ecclesiæ permanentes, eam cunctis cum rebus sibi pertinentibus tenerent, suisque monachis sibi ibi Deo famulantes copiis sustentarent; insuper in libris & in omnibus vitæ illorum competentibus eamdem curam quam sanctæ Columbensi ecclesiæ exhiberent. Quod ut vigorem perpetuum in posterum tempus obtineret; hoc illis privilegium manu nostra firmavimus, ejusque, quod non credimus, si qui forte violatores extiterint, anathematizavimus.

S. IMBERTI præsulis. S. Lisierni decani. S. Ulrici archidiaconi. S. Alberti archidiaconi. S. Alberti presbyteri. S. Landrici presbyteri. S. Landrici levitæ. S. Mainardi levitæ. S. Landonis levitæ. S. Ivonis subdiaconi. S. Ursonis subdiaconi. S. Goscelmi. S. Manasse puer, Wlgrini puer, Hardrardus cancellarius propria manu subscripsi.

(a) Hanc abbatiolam Imbertus sive Humbertus, qui & Enzelinus dictus est, ab Henrico I Francorum rege non multo ante acceperat, eamdem hoc diplomate monasterio B. Mariæ de Columbis ordinis S. Benedicti in diœcesi Carnotensi tribuit.

LITTERÆ HERIMARI abbatis S. Remigii assignantis certos reditus pro cœna fratrum, pro infirmis, pro peregrinis & pauperibus.

Circa 1050. Ex ms. S. Remigii Remensis.

DOMINI favente clementia HERIMARUS abbas suis dilectis in Christo filiis. Divinæ bonitatis respectu, & vestro omnium assensu, ad regimen animarum vestrarum ascitus, licet tanto prælationis sim gradu indignus, & ad tantum opus minus idoneus, de vestra tamen salute sum valde sollicitus; scio enim quia a discipulis quicquid delinquitur respicit ad magistrum, & pertimesco justum judicem Deum, utpote de vobis omnibus rationem de me acturum. Vobis igitur, fratres, qui Deo in hoc cœnobio militatis, ad conservandum vitæ regularis statum necessaria debeo ministrare, sicut scriptum est: *Dividebatur singulis prout cuique opus erat.* Nec vobis timentibus Deum aliquid timeatis deesse, memores promissi veritatis dicentis: *Primum quærite regnum Dei & justitiam ejus, & omnia adjicientur vobis.* Cum ergo de cotidiano victu & reliquis necessariis merito conqueri possitis, sed pro Deo patientes estis, proposui in animo, quod hactenus imperfectum & inordinatum, ad cœnam vestram aliquod certum assignare stipendium, ut sine murmuratione unanimes sitis in oratione, & deputavi villam Tusciacum cum molendinis & omnibus quæ solvere consuevit; adjeci etiam, ut decima ovium de Curte-ausorum, sicut suis terminis persolvitur, ita in curte ejusdem villæ congregetur, & ad vestram utilitatem ibi conservetur. Decrevi itaque ut ad hoc cellerarius sub sua providentia habeat tantummodo deputata, ut ex his cœnam vestram præparet & disponat, & anniversario die depositionis meæ omnibus annis pro remedio animæ meæ vobis refectionem faciat. His ita dispositis, quoniam infirmorum cura ante omnia & super omnia adhibenda est, utile duxi eis ministrare necessaria, minus

sollicite ab antecessoribus nostris procurata. Itaque ad eorum usus assigno ecclesiam S. Juliani cum altari, ecclesiam de Hisla cum altari & molendinis, minutam decimam de salice S. Remigii & de villare Alcranni, censum etiam de atrio de columnis, quodque comes RODULFUS dedit pro anima filii sui, videlicet terram & homines. Præterea pauperum & peregrinorum solatia procuramus, quia in ipsis magis Christus suscipitur. His decerno molendinos de S. Martino, molendinum unum super fluvium nomine *Py*, molendinum Hugonis, molendinum ad pontem ante portas monasterii, censum etiam de Exia & Valle dominica cum multonibus, XVII. quoque jugera terræ & vineam unam quæ Richardus serviens noster Jerosolymam iturus reliquit. Placuit hoc nostro consilio confirmare decretum, ne quis minuere vel immutare illud præsumat in posterum. Auctoritate igitur summæ & individuæ Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, ne quis hoc decretum violare audeat prohibemus, quod qui præsumserit, & a communione sanctæ Dei ecclesiæ ecclesiasticum statutum sic separaverit, anathematis vinculo obligatus, a communione cælestis & perennis ecclesiæ in perpetuum separetur.

CARTA ODONIS MILITIS

De donatione ecclesiæ S. Petri de Noviomo facta monasterio S. Vincentii Cenomanensi.

Circa 1050. *Ex cartario S. Vincentii Cenomanensis.*

IN Dei nomine ego ODO a pueritia militari disciplina instructus, Domini voce compunctus ita ammonentis: *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum*, de peccatorum meorum remissione, simulque de cælesti remuneratione cogito. Video namque & intelligo, quod omnis terrenorum bonorum copia fluxa & fragilis in occasum miserabiliter vergit. Itaque totius hominis labor tandem in vacuum cedit, nisi tantum quod in hac vita pro vera caritate operari studuit. Illud enim non perit sed permanet, & vitam præstat æternam. Quocirca hoc evangelicum in mente memoriter tenens: *Quid proficit homini si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?* Credensque indifferenter quod quisquis pro amore Domini aliquid boni gesserit, non sit perditurus mercedem suam, quasdam de meis rebus abbatiæ S. Vincentii prope urbem Cenomannicam sitæ jure perpetuo donare dispono. Confidens ergo de misericordia omnipotentis prædictæ abbatiæ sancti martyris Vincentii dono ecclesiam sancti Petri de * Noviomo cum omnibus ad illam pertinentibus, videlicet decimis & sepultura; simulque dono decimam molendinorum meorum, annonæ videlicet & piscium, taliter ut monachi nihil de suo ad reficienda ipsa molendina mittant, & dono piscatoriam unius piscatoris, quantum supra piscari poterit & infra, & dono medietatem unius capellæ fundatam in honore S. Mariæ Virginis, & dono unam terram ad unam mediatoriam, cum pratis, & duos agripennos de vinea. † Hoc autem datum est ex consensu & ammonitione domni GERVASII præsulis, & domni Petri ejusdem loci prioris. Signum ROSCELINI vicecomitis. †. Signum Odonis. † S. Elizabeth ejus feminæ. S. Odonis Vicarii. S. Fulcredi. S. Warnaldi. S. Radulfi. S. Alberici. S. Wauterii. S. Frogerii. S. Widonis. S. Hamelini. †.

* Noyen.

DIPLOMA IVONIS EPISCOPI Sagiensis pro Avesgaudo abbate sancti Vincentii Cenomanensis.

Concedit ei ecclesiam Curiæ-laboris.

Circa 1050. *Ex cartario S. Vincentii Cenomanensis.*

IVO gratia Dei episcopus Sagiensis, AVESGAUCO abbati sanctorum martyrum Vincentii & Laurentii Cenomannis monasterii extra murum constructi, annuit ecclesiam de (a) Curia-laboris, cum terra altaris illius ecclesiæ, quam emit sex libris nummorum cum orationibus suis, de Wilhelmo vicario filio Beraldi de Belismo, pro se suisque omnibus, annuente comite GAUFRIDO Andegavensi, & GAUFREDO fratre vicecomitis Cenomannensis. Hæc cartula sancita est a supradicto pontifice v. cal. Junii in sancta synodo Sagiensi, testibus archidiaconis, Bauduino videlicet filio Etualdi, & Rogerio Mauritaniensi, & Lamberto de Belismo, & Hermerio, & Fulcoio, atque omnibus canonicis (b) sancti Gervasii, & Wilhelmo Argentensi, qui hæc scripsit imperante domno pontifice. Quod si aliquis in jure suo, vel vi, vel pretio, vel nefaria cupidine, quod absit, quod jure acceptum est a sancto Vincentio & Laurentio arripuerit aut calumniatus fuerit, incurrat sententiam damnationis, confirmante supradicto pontifice, sanctoque Gervasio atque Prothasio, sanctisque omnibus quorum memoria in terris agitur. Et hoc concessum est a fratre episcopi WILHELMO; & OLIVERIO & VARINO & RADULFO episcopi nepotibus; & a militibus episcopi Berlaio & Radulfo fratre suo ac omni familia sua. Hujus conventionis fuerunt testes Odo de Climcampo, Wido de la Gailla, annuentibus uxore ac filiis Wilhelmi qui hæc peregit. Hii sunt testes quorum nomina cum signis subnotata sunt. Signum Ursolini, S. Hugonis de Roceio, S. Normanni filii Radulfi, S. Saginfredi de *Biart*, S.

(a) Curia-laboris, sive Curtis-laboris, una e præcipuis cellis S. Vincentii, gallice *Courgain*.
(b) Id est ecclesiæ Cathedralis, quæ S. Gervasio sacra est.

Lamberti canonici, S. Hervei de *Braviart*, S. Wilhelmi Musconi, S. Giroii Fortini, S. Hervei, S. Gradulfi, S. Wauterii-Rufi, S. Beraldi de Malchenaldo, S. Lancelini, S. Gunherii, S. Haimonis, S. Fulcoii Crapuni, S. Bernardi viatoris, S. Berlai, S. Wauterii filii Rainerii, S. Hervei-longi, S. Wauterii de Monte, S. Lamberti, S. Wilhelmi Gastinelli, & omnium canonicorum, S. Leonardi, S. Hugonis filii Gaufridi, S. Alberici, S. Humberti, S. Ulgerii, S. Wilhelmi. Hi sunt ex hominibus GAUFRIDI comitis. Signum Normanni viatoris regis. S. Hamelini fratris Wilhelmi vicarii, S. Gaufridi filii Vvilhelmi viatoris, Haoilla mater ejus, cui ista ecclesia fuit donata in dote quam suus senior vendidit sancto Vincentio & AVESGAUDO abbati, & propter istam ecclesiam recepit Haoilla ecclesiam de Capella in Iscannum, videntibus & audientibus cunctis istis supradictis hominibus.

DIPLOMA HERVEI DE DOSCELLA pro monasterio sancti Vincentii Cenomanensis.

De donatione ecclesiæ de Doscella.

Circa 1050. *Ex cartario S. Vincentii.*

QUISQUIS perpetuæ retributionis supernorumque civium existere desiderat particeps, necesse est ut ex rebus transitoriis, quas in hujus peregrinationis miseria possidet, superno eas remuneratori largiendo, sanctæque ecclesiæ & digne ei servientibus delegando, indeficientis felicitatis sibi præmium mercari studeat. Quod etiam scripturarum serie taliter oportet alligari, quatinus nequeat per futura tempora violari. Quamobrem ego HERVEUS de Doscella considerans labentis ævi deceptiones, meorum quoque peccaminum enormitatem perpendens, atque districti examinis debitas metuens pœnas, futurorum etiam bonorum adipisci desiderans inenarrabile gaudium, ecclesiam de Doscella, cujus tamen in calumnia (a) est medietas, altera vero medietas solide & quiete mea est, pro remedio animarum parentum meorum atque fratrum, conjugis quoque meæ ac filiorum meorum, ecclesiæ beatorum martyrum Vincentii & Laurentii prope civitatis Cenomannicæ suburbium sitæ, & monachis inibi Deo servientibus, per consensum & voluntatem dominorum atque filiorum meorum, perpetuo jure dono atque concedo. Et cœpi talem convenientiam cum AVESGAUDO prædicti loci abbate, & cum ceteris fratribus, ut prædictæ ecclesiæ de Doscela medietatem illam, quæ in calumnia est, adquietare illis omnibus modis elaborem, quod si efficere nequivero, tale compendium eis reddam, quod digne ipsam medietatem contra valeat. Interim tamen utramque partem illis tribuo possidendam. Hoc ergo donum factum est & convenientia capta sub præsentia & testimonio horum virorum, quorum nomina huic paginulæ habentur inscripta. Signum filiorum Hervei † Vvilhelmi atque Roberti. S. Hervei, S. Radulfi, S. filiæ Hervei, S. Vvilhelmi nepotis ejus, S. Roberti-Rufi militis ejus, S. Vviterni de Curte-Lienardi, S. Odonis de Julliaco. † Dono quoque ego ipse Herveus eidem ecclesiæ S. Vincentii terram Arinburge cum omnibus consuetudinibus, pariterque duos agripennos pratorum.

DIPLOMA HENRICI I. Francorum regis pro monasterio sancti Theoderici prope Remos.

Adjutus ab Alberto abbate in expugnatione Castri-novi, ejus monasterium a jugo advocatorum & vexationibus archidiaconorum absolvit.

Circa 1050. *Ex ms. S. Theoderici.* [b]

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego (b) HAINRICUS gratia Dei Francorum rex, successoribus meis regibus pacem & salutem.

Omnis quicumque alicui in aliquo dignitatis genere succedit, ejus imitator esse debet in omni honestatis proposito, cujus officio se mancipavit libenter succedendo. Neque enim locum officii vel sedem celsitudinis usurpando appetere debet, qui ejus effectum vindicare non audet. Unde nos liberalitatem & munificentiam regum & imperatorum, quibus cum officio tum dignitate, Dei gratia præveniente, successimus, pro posse exequentes, erga loca sanctorum & congregationes fidelium divinæ majestati famulantium, ita liberales & devoti cultores esse cupimus, ut ab eorum excellentia & largitate desides & degeneres esse non videamur. Et licet hoc in commune omnibus ecclesiis debuerimus, ut eis amminiculari & subvenire dignum judicaremus, illorum tamen necessitudini propensius debemus debito & ratione condescendere, quos in servitio nostro insudasse, & in fidelitate nostra contigit vehementius elaborasse. Notum siquidem est omnibus pene regni Gallorum incolis, quantum laborem impenderimus in captione castri quod Novum vocatur. Ad quam strenue & viriliter peragendam, magnum solamen nobis præbuit locus (c) S. Bartholomei, ALBERTO ejus loci tunc temporis ab- [c]

(a) Id est sub lite est, nam calumnia apud auctores mediæ & infimæ latinitatis litem significat, & calumniam facere idem est ac litem movere.

(b) Aliquam hujus diplomatis partem edidit Mabillonius in Annalibus Benedictinis tom 4. integrum hic damus.

(c) Locus S. Bartholomæi est monasterium S. Theoderici prope Remos, cujus ille apostolus primarius patronus hactenus agnoscitur.

bate, diligenter & conſtanter adeo inſiſtente, ut etiam a meis ſæpe monitus eſſem, ut ei bonam vicem redderem, & dignam remunerationem pro merito conferrem. Qua perſuaſionis inductione meorum provocatus, deliberavi quærere quid prædicto loco & abbati poſſem exhibere, pro ſui beneficii & laboris remuneratione. Sed cum comperiſſem ab abbate & habitatoribus loci advocationem abbatiæ, quam quidem caſtellani tenuerant, ſibi & ſuis fuiſſe infeſtam, eo quod multas injurias publice & privatim per eam perpeſſi fuerant; conſilio & aſtipulatione meorum, jam dictam advocationem cum beneficio ad eam pertinente, prædicto omnino conceſſimus loco. Deinde noſtræ ſerenitati ſuggeſſerunt, quod ab archidiacono, qui procurator & proviſor ejuſdem loci ad utilitatem eſſe debuerat, multa ſub obtentu canonicæ inſtitutionis patiebantur adverſa. Pro quibus ſæpius apud archiepiſcopum proclamantes, ſæcularibus negotiis archiepiſcopo ſæpius intento, pacem ſecundum quod voluerant, & ſibi neceſſe fuerat, non obtinuerunt. Hac neceſſitate coacti, nobis intimaverunt quid patiebantur adverſi. Huic compatiens conqueſtioni, amicabiliter aggreſſus ſum archiepiſcopum cum eccleſiæ miniſterialibus, petens ut quod contra canonum ſtatuta & apoſtolicæ ſedis decreta perſpicue injurioſum erat, omnino prætermitterent, & quidquid malorum exigi poterat ſub ſpecie boni, cauſa noſtri amoris & petitionis omnino fruſtrarent. Et hujus petitionis conditionem poſtquam ab illis non voluntarie obtinui, ſub impreſſione noſtri ſigilli ſcriptam, & manibus fidelium noſtrorum corroboratam, prædictæ eccleſiæ publice contulimus, & per aſſenſum cunctorum qui affuerunt contradidimus. Petimus ergo ſucceſſores noſtros, ut quidquid pro ſalute animarum ſuarum ſtatuerint, & velint eſſe in perpetuum, ita hoc noſtrum ſtatutum per curricula temporum, per eos contra epiſcoporum alumnos ſervetur inconvulſum. Hoc autem noſtræ auctoritatis præceptum, ne alicujus temeritas contra fas & jura violare præſumeret, in conſeſſu epiſcoporum noſtrorum firmavimus, & per eorum excommunicationem corroboravimus, & præſentia (a) papæ ad hoc idem faciendum præſentari juſſimus. [a] Conventionem denique quam archiepiſcopus & archidiaconus nobiſcum firmaverunt & pacti ſunt, ſcripto noſtri præcepti inſerere placuit ne quis in poſterum emergeret, qui inde aliquid addere vel minuere, ſeu commutare aliquando poſſet.

CARTA RICHISÆ REGINÆ pro monaſterio Brunwillarenſi.

Eligit ſepulturam in monaſterio Brunvvillarenſi, amplamque ei donationem facit.

Anno 1050. *Ex mſ. hiſt. Brunvillarenſi.*

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Notum eſſe volo tam præſentibus quam futuris, quia ego RICHESA (b) regina, poſtquam frater meus piæ memoriæ OTTO [b] dux medietatem Brunwilrenſis prædii, quæ annuente fratre noſtro HERMANNO archiepiſcopo (b) jam in uſus noſtros transierat, [c] pro anima ſua & pro parentum ibidem pauſantium, æterna memoria Deo ſanctoque Nicolao reconſignavit. Pro illo paulo poſt defuncto, aliqua etiam de meo huic cartulæ indita monaſterio illi ſtatui addere, velle habens bonum adhuc ampliora, ſi vita comes fuerit, conferre, quia illic locum ſepulturæ meæ juxta matrem meam elegi Deo volente, Ansfridum videlicet clericum meum cum XIIII. manſis ad *Luttenrode* cum mancipiis ſuis, & cum quatuor carradis *Scozvvyns* a Clotteno, & inſuper fratrem ejus Arnolt, cum beneficio quod habet *Dreiſe*, id eſt ii manſis & mancipiis ſuis, Rupertum capellanum meum & Embrichonem miniſtrum meum cum beneficiis ſuis, quæ poſt mortem eorum deputavi eccleſiæ. Amborum vero aſſidua petitione devicta voluntati eorum aſſenſum præbui, & ab hac eos donatione abſolvi, ac pro eorum commutatione alios ſubnotatos cum beneficiis ſuis ibidem reconſignavi, Wolphardum ſcilicet, & cum ſuo, & eo quod dedit Adelgerus filiæ ſuæ uxori ejus, plus duos manſos, Huczonem fratrem ejus cum dimidia, Vinconem ad *Gelderſtorp* cum duobus manſis & tertia de Sellande, & molendino, id eſt Wendecham ad *Aldendorp* cum manſo uno, Wipertum cum dimidia, Eccelinum ad *Vvrmereſdorp* cum III. Eccelinum ad *Mecchetenheim* cum dimidia, Ruopertum & Azewis ad IIII. denariatas ceræ, Milonem clericum cum III. parte eccleſiæ, Ruboldus Rode, Wulfere cum poſſeſſione ſua. Ea autem ratione dedi eos ut ipſi & omnis ſucceſſio eorum ſolvant ſingulis annis duas denariatas ceræ ad eccleſiam ipſam. Beneficia vero quæ habent, ut poſt mortem eorum non ad filios aut filias, ſed in cenſum redacta, ſtatim in uſus Deo illic ſervientium tranſeant hoc modo, ut per ſingulos annos in anniverſariis noſtris de fratrum plena refectione noſtra augmentetur memoria, & ut per circulum anni ſaltem ſolemnibus diebus ex ipſo eorum exhibeatur cœna. Sin ergo ex his ali-

(a] Haud dubium Leonis papæ IX. quando Remos acceſſit, & in eccleſia S. Remigii quam conſecraverat, concilium celebravit.

(b) Richiſa hæc regina erat Poloniæ ex Galenio & ex carta Henrici imperatoris mox danda, filia Ernfridi comitis Palatini & Mathildis natæ Ottonis II. imperatoris.

(c] Colonienſi ſcilicet, qui pontificalem dignitatem adeptus eſt anno 1037. tenuitque ad 1055.

quid commodaverit vel in usus alios quam substatui, transtulerit ex eleemosyna mea, peccatum grande se contraxisse noverit, quæ causa si ad defensores ecclesiæ pervenerit, forte Deo volente irrita erit, & ipse perpetuo maledictioni subjacebit. Subnecto quoque quoniam jam dictus minister meus Embricho, post aliquot annos pœnitentia ductus, possessionis suæ quæ *Geldestorp* dicitur, quam ipse & uxor ejus Deveranna me donante propriam habebant, post mortem eorum sanctum Nicolaum heredem esse instituerunt, & a TEGENONE abbate aliam ad *Budelinchone* utramque precario jure habendam quamdiu vixerint susceperunt, & mansum unum ad *Belpinchove* solventem quinque solidos, & duos castratos (*a*) gallos, & modium tritici in anniversariis suis singulis annis, ac refectionem fratrum. Addiderunt possessiunculam etiam *Ottinge* dictam, quæ data est pro anima HENRICI comitis filii fratris mei LUDOLPHI. Subjungo monens, ut ex ea fiat memoria caritatis & eleemosynæ in ejus anniversario, mansum quoque unum & decem jugera ad *Misteleberge* quæ RUOTGERUS advocatus minister patris mei pro anima sua dedit, & xv. jugera cum mansiuncula, XXIV. den. ad *Haperscoze*, quæ uxor ejus Wazela addidit, partemque terræ ad *Bacherendorp*, quam Timo de *Ovveskrieke* communem sancto Nicolao & sancto Heriberto obtulit pro anima sua. Cujus medietatem Eppo de *Aldendorp* ab abbate ELLONE præstari impetravit sibi quamdiu viveret habendam, nulli autem heredum suorum post mortem suam relinquendam. Litterulis his adjicio, ut eorum omni tempore non negligatur commemoratio sui. Quæ ne posteros lateant, hanc cartulam sigillo nostro insignitam fieri jussi, & testibus subscriptis corroboratam fore censui, HENRICO comite Palatino, RUOTGERO advocato, GERHARDO comite Gozwino, Storkero, SICCONE comite, Ruodperto capellano Embrichone, Eppone, &c. Datum VII. idus Septembris anno ab incarnatione Domini M. L. &c. regnante Henrico tertio Romanorum imperatore augusto.

HENRICI III. DIPLOMA pro sancto Maximino.

Interventu Leonis Papæ IX. restituit monasterio curtem Prichinas, pluresque villas confirmat ad usus fratrum.

Anno 1051 *Ex cartario Trevirensi S. Maximini.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. HENRICUS divina favente clementia Romanorum imperator augustus. Si locis Deo dicatis, quibus beneficia non conferimus, saltem prius ab aliis tradita, & injuste subtracta, vel ablata restituerimus, divinitus nos proculdubio remunerari confidimus. Quapropter fidelium nostrorum tam præsentium scilicet quam & futurorum industria noverit, qualiter nos ob amorem Dei & interventum spiritualis patris nostri domni videlicet (*b*) LEONIS S. R. E. summi pontificis & universalis papæ reddimus cœnobitis S. Maximini, qui in suburbio Trevirorum corporaliter quiescit, curtem quamdam vocabulo Prichina, in pago *Cinridke* sitam, cum omnibus appenditiis, & cum omni utilitate, quæ vel scribi vel nominari poterit, quam nos cuidam Anshelmoni THEODERICUM abbatem injuste pro beneficio præstare jussimus, modo autem justitia dictante eamdem curtem cum omnibus in quibuscumque locis ad eam juste & legaliter pertinentibus vel aspicientibus rebus, S. (*c*) Johanni sanctoque Maximino & fratribus eis famulantibus, reddidimus, firmavimus, & in æternum Deo auctore stabilivimus, ea videlicet ratione, ut nec præfatus THEODERICUS abbas, nec aliquis successorum suorum alicui umquam præstare vel vendere præsumant, sed fratres iidem, inde consolati, sagimen habeant, femoralia etiam (*d*) mantelas, ac mensalia (*e*) ad usus necessarios inde percipiant, hospites suscipiant, & peregrinorum, ac pauperum usibus fideliter inde deserviant. Statuimus etiam, & hac nostra imperiali auctoritate ad præbendam eorumdem fratrum corroborare decrevimus ecclesias, villas & possessiones, quas sub temporibus regum & imperatorum DAGOBERTI, PIPPINI, CAROLI, aliorumque prædecessorum nostrorum ad nostra usque tempora, ad peculiaritatem illorum pertinere videbantur, ut ex his victum atque habitum consequantur, hoc est Apula *&c. enumerat* XLIX. *villas*, & in civitate Merensi, & circumcirca domos & agros, vineas, areolas, Brisanga, Weinareskiricha, Crufta, Seranna, & ecclesia in Steinsicla & Diedenhoium. Hæc igitur loca, & omnes sancti Maximini ecclesias cum decimis, dote & dotalibus, cum cunctis salicis decimationibus, quas in usus peregrinorum, ac pauperum, & hospitum constituimus, ad peculiaritatem fratrum Deo ibi famulantium more prædecessorum nostrorum regum & imperatorum tali modo & ea ratione delegamus & corroboramus, ut sicut HENRICUS decessor noster divæ me-

(*a*) Hinc colliges Brunvvillarenses monachos aliquando volatilia ad mensam adhibuisse tamquam non prohibita per regulam, quæ quadrupedum carnibus tantum interdicere videbatur. Qua de re vide, quæ diximus in Commentario in regulam S. Benedicti.

(*b*) Hujus nominis noni, qui ex episcopo Tullensi factus summus pontifex, post adeptam papatus possessionem, natale solum adiit, Henricum imperatorem convenit in Saxonia commorantem, inde Coloniam veniens, in Gallias Remis concilium celebravit, ac deinde in Germaniam reversus Treviros invisere potuit.

(*c*) Quippe basilica monasterii primarium patronum agnoscit S Johannem Evangelistam.

(*d*) Mantela hic idem videtur esse ac Mantellus, vestimenti genus gallice *Manteau*.

(*e*) Mensalia erant supertunicalia, quibus veteres ad mensam utebantur ad parcendum magis pretiosis vestibus.

moriæ augustus instituit, postquam de eadem abbatia ea quæ ad expeditionem, sive ad regale servitium pertinebant, abstulit, nullus imperator, nullus rex, nullus abbas de eisdem locis & ecclesiis alicui de his qui liberi dicuntur homines, sive alterius ecclesiæ vel domini famulo vel ministro quicquam beneficiare vel ab eorum jure distrahere præsumat, sed liceat inde abbatibus luminaria ecclesiæ restaurare, ædificia recuperare, & necessaria fratribus fideliter ministrare. Et ut hoc præceptum inde conscriptum firmum semper & stabile permaneat, non solum hoc manu nostra firmatum sigilli nostri impressione insigniri jussimus, verum etiam ut apostolicæ defensionis auxilium, si quis eis hæc infringere voluerit, habere valeant, prædicti patris nostri, domni videlicet LEONIS sanctissimi papæ privilegium inde conscriptum eidem venerabili loco obtinere meruimus.

Signum domni HENRICI III. regis invictissimi, II. Romanorum imperatoris augusti.

WINNITHERIUS cancellarius vice BARDONIS archicancellarii & archiepiscopi recognovi.

Data XII. cal. Februarii anno Dominicæ incarnationis MLI. anno autem domni Henrici tertii regis, secundi imperatoris, regni XIX. imperii vero V.

Actum Treviris in Dei nomine feliciter. Amen.

PRIVILEGIUM DOMNI Henrici tertii regis seu imperatoris super Clotteno.

Confirmat monasterio Brunvvillarensi donationem factam a Richeza regina Poloniæ.

Anno 1051. Ex ms. hist. Brunvillariensi.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. HENRICUS divina favente clementia Romanorum imperator augustus. Si locis Deo dicatis, quibus beneficia non conferimus, saltem ab aliis fidelibus Christi tradita confirmaverimus, divinitus nos procul dubio remunerari confidimus. Quapropter fidelium nostrorum tam præsentium scilicet quam futurorum magnitudo comperiat, qualiter quædam domina venerabilis RICHEZA nomine, regina quondam Poloniæ, prædium suum Clotteno dictum, aliis locis subternotatis, id est *Comenheim*, *Elre*, *Brembe*, *Asche*, *Masbrech*, *Vvernus*, *Tanelach*, *Vvilre*, & Pulego, Chucomo, Chundedo, *Merle*, & *Ryle*, *Erichriche*, *Lutzenrode*, *Dreise*, & *Ottingin*, cum mansis & mancipiis, & cum omni integritate ipsius, in villis, in areis, in mansionibus, in vineis, in arpennis, in silvis & in agris, in pratis, in aquis, aquarumque decursibus, & in pascuis, viis & inviis, terris cultis & incultis, exitibus & reditibus, quæsitis & inquirendis, & cum omnibus appendiciis suis, absque ulla sui A diminutione, pro remedio animæ suæ fratrisque sui beatæ memoriæ OTTONIS ducis, aliorumque parentum suorum in monasterio Brunwilrensi sepultorum libere & integre Deo sanctoque Nicolao ad prædictum monasterium per manum HENRICI Palatini comitis filii patrui sui, sub cujus tunc mundiburdio manebat, contradidit, terminum etiam & bannum ejusdem prædii, sicut ipsa prius habuit a fluvio Andrida usque ad fluvium Elza ita constituit, ut nullus ibi aliquam potestatem habeat, nisi abbas ejusdem loci B & villicus ejus quem constituat. Quasdam etiam arpennas, id est vineas quibusdam servientibus suis beneficiaverit, id est Ruperto præposito duas, Weringero de *Salevelt* duas, Sigebodoni *de Odendorff* duas, Sigifrido pincernæ tres, Epponi *de Aldendorff* duas, & cameras juxta dominicam curtem, Alberto fratri Winboldi duas, Embriconi *de Geldestorp* duas, Ansfrido clerico suo XIII. mansos cum mancipiis suis ad *Lutzenrode*, & vinum quod dicitur *Srozvvin*, in Clotteno Ernestoni fratri suo duos C mansos cum mancipiis, in *Dreise* Wolferum etiam tradidit illuc cum sua possessione, ea videlicet conditione, ut quamdiu vivant, ecclesiæ bona sive beneficia habeant; post mortem vero illorum nullus heredum suorum quicquam de his sibi quasi jure hereditario vendicet aut possideat, sed in jus & dominium S. Nicolai & abbatis ipsius, ac fratrum sibi servientium redeant, ut quod abbas utilius sibi ac fratribus inde judicaverit, faciat atque disponat. Homines etiam quos dedit S. Nicolao ita tradidit, ut nullus extraneas, nisi forte liberas vel ex potestate S. Petri Coloniæ ducat uxores. Si autem D alienas acceperint uxores, omnis hereditas eorum & universa quæ possident, ad S. Nicolai cedant monasterium, & nullus heredum suorum in his quicquam habeat. Si vero ex potestate S. Petri Coloniæ uxores duxerint, filii eorum iterum accipiant uxores ex potestate S. Nicolai; quod si non fecerint, omnis hereditas eorum & omnia quæ possident, ad S. Nicolai & abbatis redeant dominium. Eadem vero rogante, abbas TEGENO prædicti monasterii idem & prædium permisit, cui beneficium postquam ipse illud E in suum redegerat dominium, cui statim curtem Caneda & familiam quinque libras ibi solventem, quod fuit Ellonis beneficium ad *Gevvere* tradidit VI. arpennas Clotteno, quæ fuerunt SICONIS comitis beneficium, & duas mansiunculas quas Wecelmus habuit, & in quibus habitavit. Tradidit etiam castrum suum Chucomo HENRICO Palatino comiti filio patrui sui, ea scilicet conditione, ut quamdiu viveret, super ipsum Clotteno defensor & advocatus existeret; post obitum vero suum, si ipse heredibus careret, proximus heres dominæ RICHESÆ reginæ advocatiam super eadem bona haberet; si

vero & ipsi heredes defuerint, Coloniensis archiepiscopus eamdem advocatiam tribuat cuicumque abbas & fratres petierint. Siconi vero comiti, qui eamdem advocationem a Palatino comite, prædicta regina Richeza petente, suscepit tale servitium tribus tantum temporibus anni sibique succedentibus advocatis constituit, scilicet ut ad unumquodque placitum detur advocato modius unus tritici & unus filliginis, & quinque solidi levis monetæ valentis, & tantum uni detur, quantum ad istud servitium conveniat, modii quinque avenæ, id est ad duo placita modii decem avenæ. In natali vero sancti Johannis Baptistæ in prato quod vocatur *Summunt*, pabulum ei detur in gramine, addito uno modio avenæ. At si villicus vel de ædificiis vel de agricultura placitum ibidem habuerit, nullam inde partem vel justitiam quærat advocatus, similiter & de placito, quod vocatur *Ludine*. Hanc autem traditionem cum moneta & marcatu per manum Henrici Palatini comitis, sub cujus tunc mundiburdio manebat, in præsentia nostra & Hermanni sanctæ Coloniensis ecclesiæ venerabilis ac pii archiepiscopi, multorumque principum regni fecit, quam abbas Tegeno ejusdem monasterii, & Sico præfatus comes & advocatus ibidem susceperunt, nostram imperialem flagitantes clementiam, ut eadem bona Deo sanctoque Nicolao confirmaremus, & ut navibus & bonis abbatis & fratrum & familiæ de Clotteno & *Mesenich* per alveum Rheni sive Mosellæ, quotiescumque necessitas poposcerit, liberum assensum & descensum sine aliqua exactione telonei traderemus; quorum petitioni annuentes, cartam hanc inde conscribi, manuque propria, ut subtus videtur, corroborantes, sigilli nostri impressione jussimus insigniri; quam si quis infringere tentaverit; ad primum iram Dei sanctique Petri, simulque omnium sanctorum incurrat.

Signum domni Henrici tertii regis invictissimi, secundi Romanorum imperatoris augusti.

Wintherus cancellarius vice Bardonis archicancellarii recognovit.

Data xv. cal. Augusti indictione iv. anno dominicæ Incarnationis MLI. anno autem domni Henrici tertii regis secundi imperatoris, ordinationis ejus XXIIII. regni vero XIII. imperii quinto.

Actum *Comphingin* feliciter. Amen. Cujus rei testes sunt Hermannus Coloniensis archiepiscopus, Henricus comes Palatinus, Sico comes, Starchri comes, Gerardus, Berengerus, Gozwinus, Rutgerus, Embrico, Eppo, Winboldus, Ansfridus.

DIPLOMA HENRICI III. pro Brunwillarensi monasterio.

De fundationis monasterii confirmatione per Hermannum Coloniensem archiepiscopum & Richezam reginam Poloniæ, deque jure advocatorum.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Henricus divina favente clementia Romanorum imperator augustus. Notum esse volumus præsentibus & futuris, quod charissimus noster Hermannus sanctæ Coloniensis ecclesiæ venerabilis ac pius archiepiscopus, necnon soror ejusdem domna Richeza Poloniæ quondam regina, ad nostram accedentes præsentiam, abbatiam in loco qui *Brunvvylre* dicitur, a suis parentibus domno Ernfrido scilicet comite Palatino & sua conjuge domna Mathilde primum fundatam; dehinc post decessum eorum ad ipsos jure hereditario devolutam, ipsum etiam prædium *Brunvvylre* cum omnibus appendiciis suis, sicut ab ipsis devote Deo sanctoque Nicolao traditum, ac pia dispensatione primum fuerat constitutum, sibi in jus hereditarium legibus postularunt. Quibus in mea præsentia placito indicto, legibus discussis, filii parentum hereditatem justitia dictante per sententiam principum obtinuerunt. Qui mox timore & amore Dei commoniti, pro se suorumque parentum, fratrum ac sororum in gremio ejusdem ecclesiæ sepultorum, æterna memoria dictum prædium *Brunvvilre* cum omnibus appenditiis suis, & cum omni integritate, scilicet in agris, in pratis, aquis, pascuis, silvis Deo ac sancto Nicolao & fratribus ibidem Deo servientibus perpetuo possidendum, secundum diffinitionem ac liberam parentum suorum traditionem pari devotione contulerunt. Terminum etiam & bannum ipsius prædii prædicto monasterio, sicut eorum progenitores habuisse noscuntur designantes, a via quæ dicitur *Jacobs-vvech*, usque ad viam *Hespath*, rursumque a via *Hespath* ad viam-regiam, & a via-regia per cursum rivuli qui dicitur *Visbach* usque trans fluvium qui dicitur *Arnese*, ita constituerunt, ut nullus ibidem aliquid juris vel potestatis habeat, præter abbatem ipsius loci & villicum ejus quemcumque statuerit. Pro abundanti quoque cautela, beato Petro sanctæ Coloniensis ecclesiæ summo patrono idem monasterium dictumque prædium in proprietatem absque omni exceptione in manus Christiani Coloniensis advocati rata ac perpetua donatione tradiderunt, quatinus idem locus ab omni præsentium & futurorum, tam pontificum quam regum, seu imperatoris liber dominatu, lætius tam pro nostra quam pro illorum salute vacaret. Ve-

Anno 1051. Ex ms. hist. Brunvillariensi.

rum quia plerumque accidit servos Dei aut perfidorum violentiis opprimi, injuriis seu damnis fatigari, cauto deliberationis moderamine constituerunt, ut Coloniensis archiepiscopus de consilio ac voluntate abbatis, dictæ ecclesiæ advocatum præficiat, dummodo abbas idoneum velit; post quem qui secundus dicitur advocatus nullo modo subrogetur. De servitio etiam quod exhibendum erit hujusmodi advocato sic ordinaverunt, scilicet ut tribus anni temporibus, quibus legitima placita observanda erunt, cum xx. equis advocatus in locum veniat, & prima nocte qua venerit sequentique die servitium ei abbas tribuat, ut tantis sufficiat; dehinc mane scilicet tertia die prandium solummodo accipiat & recedat. Ipse quoque advocatus caveat, ne super statutum sibi servitium superfluum aliquid exigat vel requirat. Si vero plures secum adduxerit, in abbatis erit arbitrio ipsis aliquid aut nihil dare. Familia quoque ejusdem ecclesiæ observet placitum advocati tribus anni temporibus, & non amplius. Quotiens vero abbas vel suus villicus apud *Brunvvilre*, vel quolibet in loco infra terminos abbatiæ placitum habere voluerit, quod vulgariter *Buding* dicitur; id suæ sit potestatis, nihilque in tali placito advocatus requirat, aut sibi vindicare præsumat. Hujus igitur constitutionis paginam, quæ ad instantiam supra memorati Coloniensis archiepiscopi, & suæ sororis dominæ RICHESÆ reginæ, in nostra primorumque regni præsentia, juste & rationabiliter ordinata est, ut rata & inconvulsa in perpetuum permaneat, manu propria, ut subtus videtur, corroborantes, nostri sigilli impressione jussimus insigniri: quam si quis infringere tentaverit, Dei omnipotentis sanctique Petri & omnium sanctorum incurrat iram, & ut violator nostræ constitutionis perdat advocatiam illam, sciatque se compositurum auri purissimi libras centum, nostræ cameræ medietatem, archiepiscopo alteram medietatem.

Signum, &c. *ut supra.*

NOTITIA DE CONVENTIONE facta a Mirone Gariberto & ejus uxore Guisla cum Mirone abbate.

Quod præpositi S. Sebastiani debent esse monachi S. Victoris Massiliensis.

Anno 1052. *Ex archivis S. Victoris.*

IN nomine Domini. Memoria & notitia de convenientia quam habuit domnus Miro Garibertus, & uxor ejus Guilla cum domno MIRONE abbate S. Sebastiani, & cum monachis S. Victoris monasterii Massiliensis, quos fecerunt venire in monasterio S. Sebastiani ad servitium Dei omnipotentis & S. Sebastiani, & ut ordinem S. Benedicti ipsi monachi, cum timore & amore Dei in eodem loco demonstrent aliis, & ipsi teneant secundum suum esse, & ut obedientes sint ipsi MIRONI abbati, & honorent eum omnibus diebus vitæ suæ sicut abbatem suum. Et quomodo ipse MIRO abbas Durandum monachum S. Victoris constituit præpositum & priorem post se in prædicto suo monasterio, & quomodo Udalardus præpositus sancti Michaëlis monasterii honoret eumdem Mironem abbatem, sicut suum abbatem cum venerit ad S. Michaëlem, & ipse Miro abbas teneat & honoret Udalardum sicut priorem, cum venerit ad S. Sebastianum. Et si in diebus Mironis abbatis ipse præpositus S. Sebastiani Durandus, vel alii monachi fuerint defuncti, de ipsis monachis qui advenerint de monasterio S. Victoris, similiter ipse eligat præpositum, & idem præpositus & alii monachi obediant eumdem Mironem abbatem, & teneant eum omni honore, etiamsi in gravissima, quod absit, infirmitate ceciderit, & omnibus diebus vitæ suæ honorent eum sicut abbatem suum. Acta sunt hæc anno XXI. Hegenrici regi, in præsentia domno Mironis Gariberti & uxoris ejus domnæ Guislæ & aliorum bonorum hominum, II. idus Julii anno quo supra.

MIRO gratia Dei qui & abba, qui ista convenientia fecit & rogavit firmare. Miro Gariber, † Guisla, † Bernardus Miro, † Gombaldus, † Guadaldus monachus, † Egenricus monachus, † Pontius monachus, † Guillelmus monachus, † Signoldus † Oliba Agaldus, † Rigaldus Boreldus, † Ermenardus, † Udalardus Guitardus, † Bernardus Oliba, † Willelmus levita.

DIPLOMA HENRICI III. pro S. Maximino.

Adversus advocatos quorum juri & privilegiis limites ponit.

Ex ms. Historiarum S. Maximini.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. HENRICUS divina favente clementia Romanorum imperator augustus. Si ecclesiis vel cœnobiis divino cultui mancipatis alicujus patrocinii vel defensionis solatium adversus insolentiam perfidorum præbuerimus, divinitus nos remunerari procul dubio credimus. Quapropter omnium sanctæ Dei ecclesiæ fidelium, tam præsentium quam futurorum comperiat sagacitas, qualiter nos ob remedium animæ nostræ & progenitorum nostrorum, interventu etiam carissimæ contectalis nostræ AGNETIS imperatricis augustæ, nostrique filii dilectissimi HENRICI IV. (a) regis, crebram & importunam que- [a]

(a) Anno 1054. Henricus Henrici III. imperatoris filius Aquis in regem Romanorum inunctus est, teste Sigeberto in Chron.

rimoniam

rimoniam THEODERICI abbatis cœnobii S. Maximini benigne suscepimus, & coram fidelibus nostris diligenter discussimus, de multis scilicet oppressionibus, quas familia S. Maximini patiebatur a comitibus & advocatis, adeo etiam, ut videretur destituta antiquis legibus, & non quasi regalis abbatiæ familia, sed ut propria advocatorum ancilla esset in servitutem redacta. Unde nostrorum consilio amicorum præcipiendo decrevimus, & coram legatis nostris BERTOLFO scilicet comite de *Strumburg*, & DRAGEBODONE ministro nostro, & aliis nuntiis nostris, & coram præsenti abbate THEODERICO, & comite GISELBERTO tunc temporis advocato, majores & antiquiores de familia sancti Maximini convocarentur, & sacramento constricti confirmarent, quibus legibus temporibus HENRICI ducis senioris & HENRICI ducis junioris familia illa subjaceret, qualiter placita & judicia ferent; ut ipsi & posteri eorum eodem jure eademque lege exinde perfruerentur. Electi sunt ergo qui hanc legem & justitiam facerent inter abbatem & advocatum, secundum jura priorum & antecessorum suorum, super reliquias sanctorum confirmarent, & postea Treviri in præsentia episcoporum EBERARDI Trevirensis, LIUTBALDI Moguntiacensis, ADALBERONIS Mettensis, & DEODERICI Virdunensis episcopi, & aliorum principum nostrorum juxta petitionem prædicti abbatis sacramento corroborarent. Confirmatum itaque est eorum sacramento, quia advocatus familiæ illius, nisi ter in anno in abbatia placitare non debeat. Quidquid autem illis placitis quisque reus vaticaverit, arbitrio abbatis & suorum præpositorum & villicorum secundum culpam & posse uniuscujusque hominis cedat, & duæ partes abbati, tertia advocato cedat. Et si aliquis forte culpam furti vel seditionis inciderit, & abbas ob rebellionem temeritatis advocatum accerserit, ex eodem vadio abbati duæ partes, advocato tertia proveniat: ita tamen si advocatus a regia manu bannum susceperit; aliter in abbatia placitare non præsumat. Servientes vero qui præbendarii & qui fratribus infra claustrum serviunt, vel qui foris ad curtes dagescalci dicuntur, nulli advocato neque (*a*) hunnoni subjaceant; sed tantum abbati ejusque præpositis quibuscumque culpis respondeant. Advocatus qui bannum a regia manu suscepit, proxima die post festum S. Maximini super prædia & mancipia eorum qui (*b*) scaramanni dicuntur, illa sola die, si jejunium, vel celebre festum, aut dominicus dies non fuerit, placitabit: sin autem jejunus, prima sonante, placitum intrabit, & usque ad horam nonam illud tenebit, postea vero nullum diutius ibi stare cogere poterit; & quicquid ibi acquisierit, duæ partes abbatis, tertia ejus erit, nullumque alium post se ponere præsumet qui vocetur postadvocatus. Eadem vero die abbas ipsi advocato servitium dabit duos modios panis, (*c*) frizkingas IIII. & unam amam vini. Si ecclesiæ homo interfectus fuerit, & abbas aut villicus ejus ab homicida wiregildum exigere poterit, totum sui juris erit: sin autem advocatum necesse fuerit accersire, tertia pars cedet ei potestativa. Per abbatiam placitare hospitia vel servitia a rusticis exigere, petitionibus gravare, & pecora eorum aut palefridos tollere & reditus ab ipsis extorquere, tam comitibus quam advocatis omnimodis imperiali auctoritate interdicimus. Et ut nostræ præceptionis de his omnibus firma servetur auctoritas, manu propria subterfirmavimus & sigilli nostri impressione insigniri jussimus.

Signum domni HENRICI tertii Romanorum imperatoris augusti.

GEBEHARDUS (*d*) episcopus & cancellarius vice WEZELONIS archiepiscopi & archicancellarii recognovi.

CARTA HENRICI REGIS Francorum pro S. Victore Nivernensi.

Erepta e laicorum manu abbatia S. Victoris Nivernensis restauratur.

Anno 1055. Ex archivis S. Victoris Massiliensis eruit D. Furnerius.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. HENRICUS gratia Dei Francorum rex. Sciant omnes posteri, quæ ad instaurationem S. ecclesiæ catholicæ pertinere noscuntur, sine dubio regii culminis statum magnum præparare comprobatur, & non solum statum regni in præsenti corroborat, sed etiam in futuro æternæ retributionis præmium sibi conciliat. Quapropter notificamus omnibus sanctæ Dei ecclesiæ filiis tam præsentibus quam futuris, quod majestatis nostræ præsentiam quidam clericus nomine BELINUS adiit, rogans ut privilegio nostræ auctoritatis confirmaremus quoddam donum sibi a Nivernensi comite WILLELMO, & quibusdam aliis Nivernensibus primoribus factum, scilicet in suburbio Nivernensi quamdam ecclesiam in honore S. Victoris consecratam, antiquissimam videlicet, & ex primis supradictæ urbis abbatiam primis temporibus locupletem, pluribus dotatam, augmentatam, & ditatam, postmodum vero mundo jam in maligno posito, partim pastorali in curia desolative

(*a*) Hunnones erant quoddam magistratuum genus.
(*b*) Scaramanni erant servientes seu ministri judicum.
(*c*) Friskingam seu friscingam alii vitulum, alii porcum adultum, alii porcellum seu fœtum porci aut ovis, alii pernam interpretantur: qua de voce vide Cangium.
[*d*] Scilicet Eichstadiensis qui tum erat regi a cancellis & consiliis, quique defuncto Leoni papæ IX. subrogatus est summus pontifex, Victor II. dictus anno 1055.

destitutam, partim pessimorum christianorum barbarie dirutam, & ut verius fatear, usquequaque sub impiorum manibus incurvatam & humiliatam. Hanc ex regali dominio, ut multa alia emancipatam, & comiti Nivernensi beneficiario jure a prædecessoribus nostris regibus traditam, quidam FROTMUNDUS post comitem habebat, militibus dispertiverat, majus dederat, minus sibi retinuerat. Sic itaque ecclesia desolata & ad nihilum redacta, pene destruc..... esse ecclesiam nimirum a fundamentis eversa. Deus autem omnipotens martyris honorem & ecclesiæ nomen non minui volens, quemdam clericum prælegit, qui ab ipsis cunabulis in ecclesiæ illius amorem exarsit, ibi in pueritia, ibi in adolescentia, & usque ad perfectam ætatem Deo sub clericali professione militavit, captivatam ecclesiam quam unice post Deum diligebat, quoad potuit, adjuvit & auxit, atque ut eam oriens ex alto visitare dignaretur, interminative oravit & exoravit. Hic assensu HUGONIS episcopi & WILLELMI comitis supra taxatum Frotmundum adiit, & ut captivatam ecclesiam a captivis captivata a captivitate redimeret oravit, & liberalitatem libere derogatam restauraret ammonuit, ammonendo desudavit, de Dei misericordia quod quæsierat impetravit. Igitur jam dictus Frotmundus amore caritatis intrinsecus tactus, utpote viri venerabilis verbis accensus, comitem adiit, & ei quod ab ipso habere videbatur, scilicet sancti Victoris ecclesiam dereliquit. Comes vero ardorem viri venerabilis adimplendum adjudicavit, hunc advocavit, atque ecclesiam pro Dei amore & timore, & prædecessorum nostrorum regum animarum requie dono dedit, nihil pro excambio accepit. Non multo post supradictus comes auctoritatis nostræ magnitudinem cum jam dicto sacerdote adiit, & auribus nostris factum istud intimavit, rogans ac multa prece cum sacerdote exposcens, ut pro animæ meæ requie parentumque nostrorum donum istud auctorisaremus.... majestatis confirmaremus. Quorum petitioni libenter acquievimus, & donum, sicut erat, adstipulavimus; statuimus quoque ut ad pristinum statum ecclesia illa revertatur, & abbatia restituatur, res atque ecclesiæ dispertitæ & a pluribus subtractæ supradictæ ecclesiæ...... uantur nostra auctoritate, & nulli sit fas ex ipsius bonis aliquid ulterius diripere vel auferre. Sancientes sancimus, ut quisquis ecclesiam illam ex nostro beneficio augmentare voluerit, aut aliquid ex antiquitus ereptis bonis restituere, disponente Deo, seu ex propriis..... liberam habeat in omnibus potestatem per nostræ auctoritatis gratiam. Placuit etiam ut nullus archiepiscopus, nullus episcopus, nullus in sancta ecclesia præpositus, nullus dux, nullus comes aut vicecomes, nullæ sæculares personæ, potentes vel impotentes, aliquid sæculare in ecclesia illius...... abbas igitur ab omni venalitate Deo dignus ibi instituatur, nullius potentis gratia aut voluntate, sed fratrum Deo inibi deservientium electione, non sæculari stemmate generosus inquiratur, non qui sæcularibus delectabitur, non qui a sæcularibus sæculariter obligetur, quia *...... ait, qui invitatus renuit, quæsitus refugit, sacris est altaribus promovendus; sic qui ultro se importune ingesserit, & sibi abbatiam quæsierit, nullo modo ad hoc honoris digni sunt. Ecclesia illa ab omni sæculari jugo libera permaneat, nullum ...... pastorem inibi instituere præsumat, nullus recipiatur nisi quem elegerit fraternitas de Dei misericordia unanimis & provida. Habeat itaque jam dicta abbatia (a) liberam acquirendi vel commutandi facultatem... .... habet aut habuerit, quicquid salvo ecclesiastico jure adquisierit, salva nostra & ecclesiæ matris condigna reverentia inconvulsum, firmum, & stabile permaneat. Si quis vero ingerens se...... ..... abbas loci illius ad regat......... plenam vindictam recepturum se non discredat; versipellis autem nihil super hoc proficiat, sed fisco regio centum libras auri persolvat........
munificentiæ auctoritatis semper in Dei nomine obtineat firmitatis vigorem, manu propria subter eam firmamus, & anuli nostri impressione roboramus.

*. Sicut B. Gregorius.

Ego BALDUINUS cancellarius relegendo subscripsi.

Actum est Carisiaco palatio astante exercitu, anno XXII. regni HEINRICI regis, calendas Maias, luna x. indictione VI.

NOTITIA

De Synodalibus exactionibus & aliis ecclesiarum consuetudinibus monasterio Cenomanensi S. Vincentii a Gervasio & Vulgrino episcopis dimissis.

Circa 1055. Ex cartario S. Vincentii Cenomanensis.

OMNIBUS sanctæ Dei ecclesiæ fidelibus tam posteris quam præsentibus, quibus nosce convenit, litterarum assertione veridica notum esse volumus quoniam domnus GERVASIUS primo Cenomannensium episcopus, deinde vero Rhemensium archipræsul, eo tempore quo Cenomannensis ecclesiæ episcopatum regebat, ecclesiam in honorem Dei & memoriam beatorum martyrum Vincentii & Laurentii consecratam monachorum dominio, sicut antiquitus fuerat,

(a) Hanc Nivernensem S. Victoris ecclesiam Vvillelmus Nivernensium comes anno 1085. subjecit monasterio beatæ Mariæ de Caritate ad Ligerim, subscribente Hugone III. Nivernensi episcopo.

[a] restauravit. (a) Et quia, ut monasticus ordo exigit, servos Dei inibi commorantes aliqua exactione ab ullo inquietari noluit, præsentes æque ac successuros res ecclesiæ libere & quiete possessuros stabilire curavit. Hac ergo de causa ecclesiarum omnium quas cœnobitæ loci illius tunc habebant vel habituri erant synodales exactiones, circuitiones, relevationes omnes, excepto illius forisfacti vadimonio, ubi ecclesiæ convenit reconciliatio, ab episcopali jure & dominio in monachorum jus & dominium libera auctoritate transtulit, & habere concessit. Ad hoc etiam si quis clericus aut laicus pro sepultura sive pro anima sua vineas aliquas loco ipsi dimitteret, omnem earum consuetudinem ad episcopalem exactionem pertinentem, omni tempore eodem modo perdonavit. Hæc igitur libero tenore habuerunt & tenuerunt monachi, quamdiu domnus GERVASIUS Cenomanensis ecclesiæ episcopus extitit.

[b] [c] Postquam vero, illo satis injuste (b) remoto, domnus WULGRINUS (c) episcopatum adeptus fuit, ipse GERVASIUS jam Dei gratia Rhemensis ecclesiæ factus archiepiscopus, ubi primum tempus oportunum habuit, domnum Wulgrinum successorem suum humiliter deprecaturus adiit, quatenus ecclesiam sancti Vincentii sibi tantum viventi patrocinandam concederet, causam subjungens, ut eleemosynam suam quam ibi facere cœperat, prosequendo perageret. Quo ut dignum fuerat impetrato, ab eodem subsequenter petiit, quod cœnobitis ipsius sancti omnes prædictas consuetudines, sicut idem Gervasius annuerat, domnus ipse Wulgrinus pro salute animæ suæ, & deprecantis amore, verbo eodem in perpetuum annueret, quod sicut voluit & petiit, post multam deprecationem tandem Deo volente impetravit. Factum est autem hujus concessionis donum atque ex utraque parte gratuita deliberatione firmatum quadam die dominica, canonicorum conventu facto, & aliis pluribus tam clericis quam laicis hujus rei adhibitis testimonio; sed quia longum fuit omnes nominibus singulis recenseri, quorumdam vocabula opportunum duximus subnotari. Ingelbertus, Ernaldus, Gradulfus, Tescelinus, Frogerius, Galdelbertus, Draco capellanus, Galfridus, Leonius, Hubertus expiator, Walterius Bigotus, Widdo Excorians-villanum, Hamelinus Spinardus.

NOTITIA
De ecclesiæ sancti Cornelii de Bonniolo concessione facta à Gervasio Cenomanensi episcopo monasterio S. Vincentii.

NOTUM esse volumus sanctæ Dei ecclesiæ fidelibus tam futuris quam præsentibus, quod domnus GERVASIUS Cenomanensis episcopus, emit sancto martyri Vincentio, monachisque ibi Deo famulantibus, ecclesiam S. Cornelii ab Herberto Falcuini sacerdotis fratre, dans ipsi pro eadem ecclesia c. solidos denariorum, insuper & unam præbendam Roberto clerico ejus filio in ecclesia beati Juliani, annuentibus & rite hanc emtionem confirmantibus Raginaldo de Secusa & Johanne de Guirchia, de quorum beneficio ecclesia ipsa fuerat. Præterea annuit propter hoc domnus GERVASIUS pontifex ipsi Roberto clerico filio Herberti capellam S. Mariæ, prope monasterium sancti Vincentii sitam, ut eadem consuetudine eam in vita sua habeat & deserviat, qua patruus ejus Fulcuinus sacerdos illam tenuit. Ad corroborandam quoque hujus emptionis stabilitatem, dedit postea eidem Johanni abbas AVESGAUDUS XX. solidos denariorum, quos Herbertus de Posterna S. Juliani canonicus jussu Johannis recipiens numeravit. Declarata autem fuit hæc emtio, & recte confirmata tam a Johanne de Guirchia, quam ab aliis ad quos pertinebat, in beati Johannis capitulo, sub præsentia & testimonio bonorum virorum, clericorum scilicet atque laicorum, quorum nomina in hoc pargameno notantur. S. Girardi decani † S. Eberardi * præceptoris. † S. Ingelberti. S. Arnaldi. S. Gradulfi. S. Walterii. S. Ansgerii laici. S. Fulcherii canonici. S. Ildeberti. S. Herberti filii Alberici. S. Hilduini. S. Raimundi. S. Wilhelmi Apolchardi. S. Hamelini de Guirchia. S. Drogonis. S. Odrici. S. Wilhelmi monachi.

Circa 1055. Ex cartario S. Vincentii Cenomanensis.

* f. præcentoris.

ITEM DE EADEM ECCLESIA.

NOTUM esse volumus tam futuris quam præsentibus, quod Johannes de Guirchia, annuentibus fratribus suis & filiis, omnibus filiabus confirmavit, quæ donavit sponte sua Deo & SS. ejus martyribus Vincentio atque Laurentio ecclesiam S. Cornelii absque omni servitio, & absque omni sæculari querela, & ob hoc accepit a fratribus loci XL. solidos denariorum & duos porcos lectitios, tali ratione ut ipse cum uxore sua Emma & anima patris matrisque suæ, & uxoris suæ Guiburgis defunctæ, & fratres, & filii & fi-

(a) Id contigisse anno 1040. quarto episcopatus Gervasii anno docet Mabillonius in Annalibus.

(b) Hic innuere videtur id quod habent gesta episcoporum Cenomanensium apud Mabillonium tom. 3. Analectorum, Gaufridum Andegavensem comitem Gervasium episcopatu Cenomanensi privare voluisse, eu que vi ac dolo captum in vincula conjecisse, ac per septem integros annos tenuisse, nec liberum post adeo duram captivitatem abire permisisse, quam prius cum sacramento promitteret Cenomanensem civitatem, quoad viveret Gaufridus, se non intraturum, sed non multo post Gervasius ad Remensem ecclesiam translatus est anno 1055.

(c) Vvulgrinus Vindocinensi ex castro ortus, monachus primum in Turonensi Majori-monasterio factus, deinde Andegavensis S. Sergii abbas electus, restaurato monasterio, ordinatus est episcopus Cenomanensis anno 1055.

liæ ejus in vita & in morte participes sint omni tempore beneficii & orationum fratrum loci hujus. Et talis conventio est, ut si quando forte, quod fore non credimus, calumnia surrexerit fratribus loci S. Vincentii de ipsa ecclesia, Johannes & post eum heredes ejus adquietent eam Deo & sanctis ejus martyribus Vincentio & Laurentio, & quietam & ab omni calumnia faciant solutam. Si vero ipsam ecclesiam sancti Cornelii forte ita adquietare nequiverit, convenientia talis est, ut ecclesiam sancti Audoeni de Monte-busoti donet pro ea Deo & sanctis martyribus Vincentio & Laurentio. Donum autem hoc posuit domnus Johannes super altare sancti Vincentii, præsentibus & videntibus testibus multis, quorum hic conscripta sunt nomina. Domnus ERNALDUS episcopus, Raginaldus de Secusa, Johannes de Guirchia, Gunherius frater ejus, SAVARICUS filius vicecomitis RADULFI, Wilhelmus & Robertus filii Hervei de Doscella, Fulcodius de Orta, Fulcodius de Tronchetto, Rogerius de Scalaris, Wilhelmus *Passavant*, Hugo Lancelinus, Wido Scoriatorvillani: Letardus filius Constantini, Raimundus Transsartanus, Constantinus, Milo, Arduinus, Gaudricus & Rainaldus de Janua, Christianus Picotus, Witernus canonicus, Tedoinus, Umbertus, Mainardus canonicus sancti Petri, Lambertus clericus, Lambertus cubicularius episcopi, Odo episcopi clericus, Rogerius de Coloniis, Warnerius Burgundus, Rainaldus, Stephanus presbyter, Herbertus & Wauterius filii Fredesindis, Walterius *Bramedener*, Andreas, Gaufridus clericus, Hugo filius Widonis bastardi, Raginaldus *de Bus*, Herbertus filius Johannis de Guirchia & fratres ejus, Hubertus, Wido, Rogerius natus de Normanna, Agnes uxor Salomonis de Fracta-valle, Eremburgis & Guiburgis sorores eorum, Landricus de *Curcesbot*, Hugo illius nepos, Airardus qui habet uxorem Odonis-Borni. Signum Herberti filii Johannis. †

DE CONFIRMATIONE DONI ecclesiæ S. Cornelii de Banniclo.

FIRMITER hoc ætas præsens sciat atque futura, & testis verax cum scriptis cartula, quod Herbertus de Wirchia monachis sancti Vincentii ecclesiam de sancto Cornelio pro anima patris sui atque pro sua concessit sub præsentia domni ERNALDI episcopi in camera ejus. Sed ut hoc firmum sit & perpetuo maneret indiscussum, HUGO S. Vincentii abbas dedit eidem Herberto XXX. solidos denariorum. Concessit etiam ecclesiam de Maceriis, quam Robertus de Sordonico eis dederat: tali tamen conventione, quod monachi pro anima patris sui atque pro sua, & pro anima Herberti Extensi, qui hoc placitum fecit, unum pauperem assidue pascerent, vel centum missas unoquoque anno cantarent, nisi Robertus servitium illud quod ante reddebat, pro ecclesia illa ei redderet. Erat enim de suo feodo, & servitium quod inde debebatur ei condonare noluit. Hujus rei sunt testes isti Hoellus, Wandelbertus, Tescelinus, Ebrardus Isembaldi filius, Gaufridus Mulotus, Salefredus. Ex parte quidem Herberti, Herbertus Extensus, Hubertus de Ferraria.

DE CONTENTIONE inter Herbertum de Wirchia & monachos sancti Vincentii.

SEQUENTI itidem tempore RAMNULFO abbate ecclesiam gubernante, eo anno quo (a) Longobardus Cenomannicum comitatum HELIÆ comiti (b) vendidit, & recessit, cœpit jam dictus Herbertus monachos infestare, dicens se in eleemosyna suum pauperem secundum suam voluntatem mittere. Contradicentibus monachis, tandem ad concordiam venerunt, & dedit sibi abbas suum mulum quem adamaverat nomine Barbinum, tali tenore ut omnes querelas dimitteret, & loco & fratribus omnino fidelis existeret. Actum in capitulo sancti Vincentii, postquam HOELLUS episcopus, & prædictus (c) abbas de exilio ubi Longobardus eos exulaverat, redierunt. Quem etiam mulum Guherio avunculo suo, pro quo ipsum petierat, prædictus Herbertus dedit.

CARTA ADALMOIDIS & Clisendis pro Victorino Massiliensi monasterio.

Suam omnem ei donant hereditatem de consensu fratrum suorum Raimbaldi archiepiscopi & Falconis.

Anno 1056 *Ex archivis S. Victoris eruit D. Furnerius.*

IN Dei æterni nomine. Constat quidem antiquitate legalique esse decretum institutione, ut si cuipiam venditionis aut commutationis vel excambiationis causa placue-

(a) Hic Longobardus fuit Hugo Athonis Marchisi filius, qui spreto Roberto legitimo comitatus Cenomanensis domino, eumdem vi usurpavit, ac Hoellum pontificem, qui Roberto adhærebat, toto vitæ suæ tempore persecutus est, ac patria discedere coëgit, uti videre est in libro de gestis episcoporum Cenomanensium cap. 34.

(b) De hac venditione audiendus est auctor de gestis episcoporum Cenomanensium: *Transactis autem paucis diebus, cum præfatus comes propter inconstantiam suam bonis omnibus haberetur infestus, omnibus quæ habere poterat in pecuniam redactis, Halia cognato suo, cujus supra mentionem fecimus, ipsam civitatem, totumque comitatum, quantum in ipso erat, vendidit, sicque inhonesta mercationis pretio sarcinatus, in patriam suam cum magno repedavit opprobrio.* Id autem contigisse videtur circa annum 1093. quo Hoelius a propria episcopali civitate exul reversus Cenomanos, corporis S. Juliani egit translationem 16. calendas Novembris.

(c) De exilio Hoelli pluribus liber de gestis episcoporum Cenomanensium, at de exilio Ramnulfi quod hac ex carta innotescit, altum ubique silentium.

rit transferre suas res vel sua patrimonia in A alterius potestatem, procuret id agere descriptionis titulo, quatenus omnibus succedentibus ejus testimonio clarescat, qualiter hujuscemodi negotium ab utroque sit actum, ejusque animo atque bona voluntate, immo ut ipsa res insolubili atque inextricabili nodo tenacitatis in sæculorum sæcula valeant permanere. Quapropter nos duæ sorores, ambæ Deo dicatæ, videlicet ADALMOIS & CLISENDIS, pro amore Dei omnipotentis & remedio animarum nostrarum parentumque nostrorum, donamus sanctæ Dei genitricis Mariæ, & sancto Victori mar- B tyri Massiliensi, & monachis ejus tam præsentibus quam futuris, cum consilio & consensu fratrum nostrorum, domni videlicet [a] (a) RAIMBALDI Arelatensis archiepiscopi, & FULCONIS & fratris ejus omnem nostram hereditatem, quæ nobis obvenit hereditario jure patris nostri BONIFACII ad proprium alodem. Et est ipse alodis sive ipsa hereditas in territorio Massiliensi, in loco qui dicitur *Spalians*, omnia quæ nobis pertinent, quæque fuerunt patris nostri prædicti Bonifacii, in campis, & vineis, & terris cultis & incultis, arboribus pomiferis & im- C pomiferis, ut fuerunt patris nostri & nostra, ab integro tradimus & donamus prædicto monasterio sancti Victoris, & monachis ejus in perpetuum possidenda. Item in comitatu ejusdem urbis Massiliæ villam quæ vocatur Lasa, quæ sita est super fluvium qui nuncupatur Welna, cum ecclesia sancti Vincentii, & cum altaribus in eadem ecclesia dedicatis, cunctisque in territorio ejusdem villæ nobis pertinentibus, & ex paterna hereditate nobis succedentibus, scilicet in terris cultis & incultis, campis, vineis, pratis, D ortis, molendinis, arboribus pomiferis & impomiferis, aquis, aquarumve decursibus, & in omnibus omnino rebus ad eumdem locum pertinentibus. Ea omnia quæ nobis pertinent jure hereditario in perpetuum possidenda eidem monasterio. Quæ villa habet consortes ex uno latere territorium villæ quæ dicitur Albanea, ex alio terras de *Auriol* castello, de tertio Montem magnum Guarnabam vocitatum. Sane si nos aut heredes nostri, aut aliqua persona venerit irritanda, hæc in primis iram Dei incurrat, & cum Juda Scarioth, & Datan & Abiron æterni ignis pœnas sustineat, nisi penitus fuerit E emendatus. Insuper componat in vinculo auri optimi libras XX. Insuper hæc carta firma & stabilis in æternum permaneat.

Facta donatio hæc anno dominicæ incarnationis MLVI. indictione VIII. regnante HEINRICO rege Romanorum. Signum duabus sororibus prædictis donatricibus ADALMOIS videlicet & CLISINDÆ quæ hanc donationem fecerunt & propriis manibus firmaverunt, & testes firmare rogaverunt. Domnus RAIMBALDUS archiepiscopus firmavit, FULCO frater ejus firmavit, Rostagnus firmavit, Pontius Guadaldus firmavit, Aldoardus firmavit, Rostagnus Porcellus firmavit, Guichiranus firmavit, Fulco frater ejus firmavit, Bertrannus Arveus firmavit, Fulco de Reitana firmavit. Pontius scripsit.

(a) Consanguineis & fratribus Raimbaldi archiepiscopi Arelatensis in Gallia Christiana relatis, addendæ sunt duæ nobilissimæ ac piissimæ sorores Adalmois & Clisendis, quæ hoc ex instrumento innotescunt.

CONSECRATIO ECCLESIÆ S. Trinitatis de Tritis.

Anno 1056 Ex majori cartario S. Victoris eruit D. Furnerius.

POSTQUAM divina dispensatione sunt gesta quæ a propheticis oraculis de Christi incarnatione multo ante sunt edita, omnipotens Deus per apostolos suos mundo contulit leges, quibus cathechismati homines, suo famulantes auctori, Christi efficerentur heredes. Inter quas etiam videlicet leges præcipue ab apostolis est decretum Domino ædificare ecclesias, intra quarum septa custodiantur dominici greges, & exorando percipiant quod ibidem juste poposcerint Deo: quia juxta cujusdam sapientis vocem, sicut considerandum est ubi offeras, quia locus veri sacrificii non est extra catholicam ecclesiam, dicente etiam Domino: *Ædificate mihi domum ubi invocetur nomen meum.* Et iterum: *Domus mea domus orationis vocabitur.* Cujus rei seriem quidam fideles Dei reminiscentes ædificaverunt ecclesiam Deo in comitatu Provinciæ, in valle quæ vulgo vocatur Tritis, quam juxta conditionem ecclesiarum Domino dedicare deposcunt in honorem SS. Trinitatis. Quorum precibus domnus RAIMBALDUS Arelatensis archiepiscopus cum canonicis suis monitus, hanc studuit dedicare ecclesiam, quam juxta decreta sanctorum Patrum dotibus exornandam præmonuit. Unde domnus FULCHO atque domnus WILLELMUS, & domnus GOSFREDUS atque domnus PETRUS, ut Christi sponsa hanc dotantes ecclesiam, cum consensu fidelium hominum, videlicet Umberto, Pontio, Inguilranno, Bermundo, Willelmo, Bermundo, Godafrido, Aldeberto, Unguberto, Willelmo, & aliorum hominum, qui in circuitu hujus ecclesiæ aliquam habent possessionem, donant ei in dotem terram de manso de Wilielmo Budello in loco qui dicitur *Badises*. Domnus Fulcho modiatas quatuor, domnus Wilielmus modiatas duas, domnus Gosfridus modiatas duas, Andreas & Gairaldus semodiata una de terra Erma. Si quis autem homo aut femina dotaverint hanc ecclesiam de suis possessionibus, ita ut alodem faciant, si confessus fuerit episcopo vel sacerdoti peccata sua, sint illi dimissa

ex parte Dei, & domni RAIMBALDI archie- A piscopi atque domni AUSTINGUI (a) archiepiscopi, & domno WILLELMO Tolonensi episcopo, & domni abbatis PETRI sancti Victoris. Si vero homo vel femina ter in anno ad vigilias venerit, aut tres dies hic laboraverit, in ipsa absolutione permaneat. Si quis autem deviaverit, per illos qui ad servitium hujus ecclesiæ venerint, aut euntes aut redeuntes sit excommunicatus vel maledictus ex parte Dei omnipotentis, & omnibus sanctis, & supradictis episcopis, nisi ad emendationem venerit.

Facta dotalitio ab Incarnatione Domini B nostri JESU CHRISTI anno MLVI. jubente domno Fulchone, Willelmo & fratres ejus.

PRÆCEPTUM DOMNI Henrici III. imperatoris augusti pro monasterio Prumiensi.

Confirmat ipsius privilegia & possessiones.

Anno 1056. *Ex cartario Prumiensi.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. HENRICUS divina favente clementia rex. Si erga loca divinis cultibus mancipata curam & diligentiam adhibemus, parentum ac decessorum nostrorum instituta non so- C lum firmamus, verumetiam augmentare satagimus, id nobis in æternæ remunerationis retributione profuturum veraciter confidimus. Quapropter omnibus sanctæ Dei ecclesiæ nostrisque fidelibus, præsentibus videlicet atque futuris, cognitum esse volumus, quoniam inclytus ac venerabilis ROBERTUS abbas Prumiensis monasterii, quod divæ memoriæ PIPPINUS quondam rex Francorum suggestu & consensu BERTRADÆ augustæ conjugis suæ, in honore Domini nostri JESU CHRISTI ejusque sanctissimæ genitricis Mariæ, in juris sui proprietate a fundamentis construxit, una cum col- D legio monachorum sub eo regulariter degentium, adiit serenitatis nostræ clementiam, deprecans ut monimenta & auctoritates augustorum ab ipso, scilicet PIPPINO & infra, quæ super tenore ac statu præfati monasterii suis præceptis & edictis roborarunt, eadem nos innovare & regali auctoritate firmare denuo dignaremur. Quorum petitionibus libentissime annuentes, præpositique sui constantiam in divinis excubiis indefessam fore cognoscentes, decrevimus ita fieri, & jussimus hoc præsens muniminis nostri conscribi præceptum, per quod cognoscant omnes Dei fideles & nostri tam futuri quam præsentes, quoniam quicquid E de statu prædicti loci cunctorumque ad illum pertinentium, universi decessores nostri serenissimi augusti utiliter perfecteque sanxerunt, id pro remedio nostri patris HENRICI secundi Romanorum imperatoris augusti, necnon ob interventum nostræ carissimæ matris, scilicet AGNETIS imperatricis augustæ, inconvulsum ac stabile modis omnibus cunctas per successiones manere decernimus. Igitur secundum præceptum & edictum præclarissimi præfati regis PIPPINI, omniumque successorum ejus augustorum auctoritate, privilegium sit monachis prædicti cœnobii eligendi sibi abbatem more solito de ipsa congregatione, nec aliunde recipiendi rectorem vi vel potestate alicujus personæ; sed in eadem electione vigeat cum nostro consensu atque consilio seniorum de ipsa congregatione sapientiorum probitas ac humilis suggestio. Volumus præterea, sicque decernimus, ut res, villæ, cellæ, atque possessiones, in quibuscumque sitæ sint provinciis, & præfato subditæ debent servire loco, sub defensione nostræ tuitionis atque mundiburdo ab omni exactione ac discussione cujuspiam immunes & intactæ semper consistant. Nullus in eis comes sive aliqua judiciaria potestas, eorumque aliquis qui rempublicam amministrare debent, locum habeat tenendi audientiam vel placitum, ab eis exigendi freda, parafredos, conjectos, vehiculos, alicujusmodi requirendi bannum vel heribannum tam a servientibus & colonis, qui per eadem passim resident territoria, quam etiam a liberis & de hisdem beneficia habentibus, quia sic censuit de eis KAROLUS Pippini filius imperator maximus, omnesque post eum usque ad hæc tempora reges & augusti. Et ut abbas suos advocatos habeat licentiam statuendi, sine regis præsentia, in cujuscumque comitis mallum voluerit. Quicquid vero jus fisci de supradictis rebus ad regios usus ministrorumque ejus exigere poterit, ad luminaria ejusdem ecclesiæ, ac recreationes indigentium, sicut ab eis est concessum, & in sempiternum concedimus. De theloneis quoque cunctis etiam occasionibus, exactionibus, quemadmodum constat præfinitum a supradictis regibus, præcipiendo decernimus, ne quis exigere præsumat ab eorum ministris & missis, qui ob diversas causas ac necessitates discurrunt per diversa loca, sed neque ab ullo de tota familia S. Salvatoris in nullo mercato regni nostri, portuque navali, vel naulus vel theloneus requiratur, sintque semper & ubique ab hujusmodi exactoribus & exactione immunes, & securi, quocumque locorum ditionis nostræ potuerint pervenire. Placuit etiam illud interserere, ut si aliquid minus reperitur de imperialibus edictis, regalibusque præceptis, vel instrumentis cartarum, per quæ loco supradicto & nobilium filiis res vel prædia legaliter sint collata, quod

(a) Vulgo Austendi archiepiscopi Auxitani, qui anno 1042. sedem archiepiscopalem ascendit ac sanctissime occupavit ad 1068. quo ad superos evolavit die 25. Septembris inter sanctos Auscienses adscriptus.

tum crematione incendii facti per irruptionem paganorum, seu aliqua negligentia, vel nimia vetustate deperisse probatur; nullus contra locum illum ejusque privilegia aliquas repetitiones vel occasiones propter hujusmodi rem movere deinceps præsumat; sed quodcumque illi loco secundum legem a quocumque collatum est, hactenus sine repetitione possedit, jugiter absque contradictione alicujus possideat; & si aliqua exinde per pravitatem pravorum hominum sunt educta sive subtracta, repetendi ea liberam habeat facultatem. Inter hæc liberales quoque donationes, quas decessores nostri reges loco eidem contulerunt, repperitur hoc ab eis esse concessum, quatenus si rectores ejus utile judicaverint, mercatum statuant in quocumque potestatis suæ loco voluerint, propriique numismatis percussuram, monetam videlicet faciendi ibidem, ex regia haberent auctoritate licentiam. Quod & nos, si sic abbas necessarium duxerit, libenter annuimus, & auctoritate nostra roboramus; sitque locus ille præclarissimus sub tutamine & emunitate nostræ defensionis, sicuti fuisse probatur sub omnium qui ante nos fuerunt regum tuitione. Et quia rex cælestis ejusdem loci peculiariter non dedignatur esse possessor, cum totus ejus sit orbis ipsiusque plenitudo, rex terrenus in quantum valet, ad vicem hujus infatigabilis studeat esse defensor, quatenus milites Christi inibi degentes pro nobis cunctisque ad nos pertinentibus, atque regni nostri statu, cuncta etiam in toto orbe diffusa ecclesia, continuas preces debitasque Deo laudes die noctеque persolvere alacriter certent. Et ut hæc liberalitatis nostræ institutio firmiorem in Dei nomine per omnia futura tempora obtineat stabilitatem, manu nostra subtus eam firmavimus, sigillique nostri impressione jussimus insigniri.

Signum domni HENRICI quarti regis.

WINITERIUS cancellarius vice LUITBOLDI archicancellarii, archiepiscopi recognovi.

Data nonas Decembris, anno dominicæ incarnationis MLVI. indictione IX. anno autem domni Henrici IV. regis ordinat. III. regni I.

Actum Coloniæ in Dei nomine feliciter. Amen.

CARTA ANNONIS archiepiscopi Coloniensis.

De castello Saleveldoini ecclesiæ S. Petri Coloniensis, a Richisa regina concesso, & de villis quas eidem reginæ ipse Anno in precariam dedit.

Anno 1057. Ex ms. hist. Brunvvilariensis monasterii.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. ANNO secundus divina præstante misericordia Coloniensis ecclesiæ archiepiscopus.

A Consideramus ergo quia fecit mihi Dominus magna qui potens est, & anxius factus sum pro eo quod vix invenirem quid retribuerem Domino pro omnibus quæ retribuit mihi. His curis æstuanti mihi divina pietas viam aperuit, quo pergens, eo quo desiderabam, attingere posse speraverim, scilicet ut amplificando ecclesiam dono Dei mihi commissam, his qui me præcesserunt viris, toto pene orbe terrarum tum sanctitate, tum patrimonio, tum generis claritate conspicuis, & ut pace illorum dicam, me studiosius operantem, parem illis factum esse B dicere non formidem. Inde occasione data dominam RICHEZAM reginam super quibusdam prædiis *Salevelt-kobins*, quatinus de his precariam consentiens ea sancto Petro Coloniæ traderet, convenimus. Quod cum in aditu primo parum ad votum responderet, voluntas Dei fuit, ut non longo post tempore quod quærebamus prosperum ac felicem haberet exitum. Unde notum esse volumus cunctis tam præsentibus quam futuris Domini Dei & sancti Petri fidelibus, qualiter STARCKHARE quidam vir ingenuus C & comes, miles ipsius reginæ, præcepto atque petitione dominæ suæ Saleveldoin castellum cum universis ad hoc pertinentibus, terris ac silvis, forestis atque piscationibus, pratis, pascuis, familiis, & quicquid ipsa in Orla proprietatis habere visa est, exceptis servientibus, sancto Petro Coloniensi ad usum archiepiscopi CHRISTIANI advocati tradidit jure perpetuo possidendum, eo videlicet tenore, ut ipsius prædii usus fructum domina regina usque in finem vitæ suæ teneat, ea quoque ratione ac firmissimo in-D terdicto, ne umquam aliquis archiepiscoporum per concabiam, vel cuiquam in beneficium dando *Salavelt*, vel ad hoc pertinentia ab dominicato suo faciat aliena, nisi forte quantum nos cum ejusdem reginæ consilio pro anima nostra, necnon ipsius, suorumque parentum per monasteria Coloniæ distribuendum ex ipso statuerimus. Sed & decimam vestimentorum sive cujusque generis pannorum, necnon & lodicum, mellis quoque & ceræ in usum monachorum E in *Brunvvilre* regina disposuit. Nos quoque pro devotione christianissimæ reginæ non multa quidem a nobis quærenti, quantum tamen ipsa proposuerat in precariam ejus concessimus, has videlicet villas nostri dominicatus ei tradentes usque in finem vitæ suæ, cum omni utilitate possidendas, *Sedekeback*, *Brezenheim*, *Vickolo*, *Moffendorp*, *Muoteresheim*, *Blasheim*, *Znonoro*. Insuper annis singulis centum marcas argenti de camera nostra, quæ omnia eo tempore facta sunt. Et si quis, vel rex, vel episcopus, sive ipse ego, vel aliquis successorum meorum, de his omnibus ei aliquod minuere, vel aliquo modo mutare, nisi ipsa petente, tenta-

taverit, odium Dei & sancti Petri incurrat, ipsaque sit potens *Salavelt*, & omnia ei pertinentia recipere, eisque ut propriis uti. Tradidit quoque domina Regina, immo supradictus comes STARKARE servientes quos supra excepimus omnes utriusque generis ad hæc prædia pertinentia, præcepto atque petitione dominæ suæ, ad altare S. Petri, sub censu duorum denariorum annis singulis, quatenus ipsi & omnis posteritas eorum sub ea lege permaneant, quod omnes similem censum ad altare solvant; illud quoque firma ratione constituens, ut liberis vel sinordis venatoribus, sive cujuscumque generis hominibus ad hanc dominationem pertinentibus, quæ suis temporibus jura & optimas consuetudines habuisse probare potuerint. Anno ab incarnatione Domini nostri JESU CHRISTI MLVII. indictione X. VII. cal. Julii facta est hæc traditio in Salaveldon, secundum legem & ritum gentis illius, cujus rei testes sunt hi astantes quidem & videntes traditionem: OTTO comes, Otlogh, Wetego, Romzezo, Herman, ejusdem filius Herman, & iterum Herman, Reguhart, Gerwart, Aldeger, & iterum Aldeger, Gunthore, Rathere, Mazzo, Ruodolf, Herman, Adelart, Adelbert, Gerbort, Usito, Helinbolth, Ruozelin, Adeleich, Morlog, Vincho, & iterum Vincho, Hebo, Bubo, Gadelher, Starkhare, quando domina regina stans in domo S. Petri traditionem hanc recognovit: & STARKHARE comes ita ut in Salevelt tradidit, sanctum Petrum ita vestivit. Testis est Coloniensis clerus & populus, tum hi quos subter notabimus, Berthold, Sicco, Ruotgher, Adolff, Christian, Ingram, Beringher, Adelger, Burghart, Thicmar, Herman, Arnolt, Godefrid, Berung, Sigebodo, Waltare, Nug, Goswin, Wecho, Cuno, Wigman, Herman, Herwart, Bertholt.

CONVENTIO INTER MIRONEM Gariberti, Guiliam & filios eorum, cum Petro abbate Massiliensi S. Victoris de monasterio S. Sebastiani.

Anno 1059. Ex archivis S. Victoris eruit D. Furnerius.

HÆc est convenientia quæ est facta inter domnum Mironem Gariberti, conjuxque ejus domna Guillia, & filiis eorum, videlicet Bernardi & Gondebaldi, aliisque filiis cum abbate S. Victoris Massiliensis cœnobii, videlicet domno PETRO & monachis ejus. Convenit namque domnus Miro & uxor ejus cum filiis eorum, ut hunc locum S. Sebastiani teneant monachi S. Victoris ad servitium Dei, & S. Sebastiani, vel nostrum, secundum regulam S. Benedicti sive possibilitatem illius loci, excepto, quod illud locum S. Sebastiani non liceat eis alium senioraticum facere, nec proclamare, nisi nos aut filiis nostris, cui nos dimiserimus ipsum locum. Ergo etsi monachi quos abbas Massiliensis transmiserit in locum S. Sebastiani, quod absit, fecerint rem malam, nullatenus pro hac re sit disrumta hæc convenientia; sed alios idoneos transmittat ad servitium Dei, & S. Sebastiani, & nostrum. Igitur etsi abbas Massiliensis non vult transmittere monachos in locum S. Sebastiani, qui secundum quod supra scriptum est, teneant, ipse locus sancti Sebastiani remaneat in suo statu, sicut nunc permanet. Facta convenientia anno Incarnationis dominicæ MLVIIII. V. idus Aprilis XXVIII. regnante Heinrico rege.

S. † Mirone, sig † num Guilia, nos simul in unum qui ista convenientia fecimus & firmavimus & testes firmare rogavimus, S. † Bernardi levitæ, sig † num Gumbaldus, sig†num Arnaldus Arluino, sig†num Berengarius Guadaldi, sig†num Remon Anganrico, sig†num Guilem Oliba, sig†num Mironi Arloini, sig†num Remon Odger.

† Signum Johanni prioris cœnobii S. Michaëlis, Pontius monachus † Willelmus monachus.

PRÆCEPTUM HENRICI REGIS pro monasterio Columbensi.

Ecclesiam de Villa-mille monachis Columbensibus restaurandam committit.

Anno 1059. Ex cartario Columbensi.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego HENRICUS gratia Dei Francorum rex. Notum fieri volumus omnibus sanctæ Matris ecclesiæ fidelibus & nostris, tam præsentibus quam futuris, quod quidam meus miles HUGO nomine, nostræ serenitatis adierit præsentiam, rogans & obnixe postulans, ut sibi liceret ecclesiolam quæ vocatur VILLA-MILLE, ab antiquis male neglectam tradere in perpetuum Columbensibus (a) monachis ad restaurandum. Cujus petitionibus, quia justæ & rationabiles videbantur, benignum assensum præbentes, concedimus & præcepto nostræ auctoritatis ratum esse jubemus, ut quod ille hactenus de suo beneficio vel prædio contulit, vel a modo collaturus est, sine aliqua molestia teneant, & sine perturbatione possideant. Sunt autem ea quæ inserere nostræ jussionis scripto petiit, hæc videlicet: Ecclesiam B. Mariæ quæ vocatur VILLE-MILLE, cum terra sibi adjacente, & ejusdem loci dimidium forum, atque unius carrucæ terram in eadem villa, unum quoque agripennum vineæ, & ad omnes necessitates quantumcumque silvæ proximæ sibi placuerit, aquam præterfluentem piscationi opportunam. Quin etiam apud Otmarivillam terram sex bobus sufficientem, deinde pratorum sex agripennos, &

(a) Columbense monasterium est ordinis S. Benedicti in diœcesi Carnotensi.

& dimidium totius suæ terræ, quam apud villam Sutorios nomine tenere videtur, & apud Minerias terram quinque carrucis ad excolendum sufficientem. Itaque scripto nostræ auctoritatis ...... exarata ..... manu propria firmavimus, & manibus uxoris & filiorum nostrorum, necnon & fidelium corroborandam tradidimus, & insuper sigilli nostri impressione signare præcipimus.

Actum Vitriaci publice anno incarnati Verbi MLIX. & regni Henrici regis XXIX.

S. HENRICI regis.

S. ANNÆ reginæ uxoris ejus.

S. PHILIPPI filii regis.

[a] S. HUGONIS Bardulfi. (a)

Ego Balduinus cancellarius relegendo subscripsi.

---

[b] HÆC EST RESCRIPTIO (b) SANCTI Ulrici episcopi, in qua papæ Nicolao de continentia clericorum non juste sed impie; non canonice sed indiscrete tractanti ita respondet.

Anno 1059. Ex ms. S Laurentii Leodiensis.

NICOLAO Domino & patri pervigili S. Romanæ ecclesiæ provisori V. solo nomine episcopus, amorem ut filius, timorem ut servus.

[c] Cum tua, ô pater & domine, decreta (c) super clericorum continentia nuper transmissa a discretione invenirem aliena, timor me perturbavit cum tristitia. Timor quidem propter hoc quod dicitur: Pastoris sententia sive justa sive injusta timenda est. Timebam enim infirmis scripturæ auditoribus, qui vel justæ vix obediunt sententiæ, ne injustam conculcantes libere, onerosa immo importabili pastoris prævaricatione præcepti se obligarent. Tristitia vero vel compassio ne qua ratione membra possent carere capite suo tam gravi morbo laborante. Quid enim gravius, quid totius ecclesiæ compassione dignius, quam te summæ sedis pontificem, ad quem totius ecclesiæ spectat examen, a sancta discretione vel minimum exorbitare? Non parum quippe ab hac deviasti, cum clericis quos ad abstinentiam conjugii monere debueras, ad hanc imperiosa violentia cogere volebas. Numquidnam merito communi omnium sapientium judicio hæc non est violentia, cum contra institutionem evangelicam, ac Sancti Spiritus dictationem ad privata aliquis decreta cogitur exequenda? Cum ergo plurima veteris testamenti suppetant exempla, sanctam, ut nosti, discretionem decentia, tuæ rogo ne grave sit paternitati, vel pauca ex multis huic paginæ interseri. Dominus quidem in veteri lege sacerdoti conjugium constituit; quod ei postmodum interdicere non legitur. Sed idem in evangelio loquitur: *Sunt eunuchi qui se castraverunt propter regnum calorum, sed non omnes hoc capiunt verbum. Qui potest capere capiat.* Quapropter Apostolus quoque ait: *De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do.* Qui juxta prædictum non omnes hoc consilium posse capere considerans, sed multos ejusdem consilii assentatores, hominibus non Deo pro falsa specie continentiæ placere volentes, graviora videns committere, patrum scilicet uxores subigitare, masculorum & pecudum amplexus non abhorrere, ne morbi hujus conspersione ad usque pestilentiam convalescentes, status labefactaretur ecclesiæ, nimirum propter fornicationem, dixit: *Unusquisque suam habeat uxorem.* Quod specialiter ad laicos pertinere idem mentiuntur hypocritæ, qui quamvis in quovis sanctissimo ordine sint constituti, alienis tamen uxoribus non dubitant abuti, & quod flendo dicimus, in supra dictis sæviunt sceleribus. Hi nimirum scripturam non recte intellexerunt, cujus mamillam quia durius presserunt, sanguinem pro lacte biberunt. Nam illud Apostolicum: *Unusquisque suam habeat uxorem*, nullum excipit, nisi professorem continentiæ, vel qui de continuanda virginitate Domino præfixit. Quod nihilominus tuam, pater venerande, condecet strenuitatem, ut omnem, qui tibi vel ore vel manu votum faciens continentiæ, postea voluerit apostatare, aut ad votum exequendum ex debito constringas, aut ab omni ordine canonica auctoritate deponas. Et ut hoc viriliter implere sufficias, me omnesque mei ordinis viros adjutores habebis non pigros. Verum ut voti hujus nescios omnino scias non esse cogendos, audi Apostolum dicentem ad Timotheum: *Oportet episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum.* Quam ne quis sententiam ad solam verterit ecclesiam, subjunxit: *Si quis autem domui suæ præesse nescit, quomodo ecclesiæ Dei diligentiam habebit? Similiter*, inquit, *diaconi sint unius uxoris viri, qui filiis suis bene præsint, & suis domibus.* Hanc autem uxorem a sacerdote benedicendam esse sancti Silvestri papæ decreto scio te sufficienter docuisse. His & hujusmodi sanctæ scripturæ sententiis regulæ canonicæ Scriptor concordans ait: *Clericus sit*

(a) Consanguinei Simonis de Monteforti, uti ex carta alia constat, quæ sic incipit: *Ego Simon de Monteforti me esse reum coram omnibus fateor, qui quod antecessores mei fratribus Columbensibus dederant, Hugo videlicet Bardulfus, atque ejus filii ecclesiam de Villemendis illis injuste abstuli.*

(b) Hæc epistola ex eodem fonte prodiisse potuit ac illa, quam in eumdem finem scriptam edidimus Thesauri nostri Anecdotorum. tom I. pag. 230. cujus auctorem credidimus Guenricum Trevirensem scholasticum, virum impudentissimum. Eam autem hic damus, ut quam corrupti fuerint illo ævo presbyterorum mores demonstremus, & quam bene de ecclesia meruerit Gregorius papa VII. qui presbyterorum matrimonia seu potius concubinatum incredibili pene labore abstulit.

(c) Decretum istud extat in Concilio Romano centum tredecim episcoporum sub Nicolao II pontifice celebrato anno 1059. cap. 3. renovatque simile statutum a Leone papa IX editum.

pudicus, aut certe unius matrimonii vinculo fœderetur, Ex quibus omnibus veraciter colligitur, quod episcopus & diaconus reprehensibiles notantur, si in mulieribus multis dividuntur. Et si unam sub obtentu religionis abjiciunt, utrumque scilicet episcopum & diaconum, sine graduum differentia, hæc canonica damnat sententia. Episcopus autem & presbyter uxorem propriam nequaquam sub obtentu religionis abjiciat. Si vero rejecerit, excommunicetur; si perseveraverit, dejiciatur. Sanctus quoque Augustinus sanctæ discretionis non nescius, nullum, inquit, facinus est, quin admittendum sit, ut devitetur pejus. Legimus præterea in secundo Tripartitæ ecclesiæ historiæ libro, quia cum synodus Nicæna hæc eadem vellet sancire decreta, ut videlicet episcopi, presbyteri, diaconi post consecrationem, a propriis quoque uxoribus vel omnino abstinerent, vel gradum deponerent: surgens Paphnutius in medio unus ex illis martyribus quos Maximinus imperator, oculis eorum dexteris evulsis, & sinistris suris incisis, damnavit, contradixit, honorabilesque confessus nuptias & castitatem, dicens esse concubitum cum propria uxore, persuasit Concilio ne talem ponerent legem, gravem asserens causam, quæ vel ipsis vel conjugibus eorum occasio fornicationis existeret. Et hæc quidem Paphnutius licet nuptiarum expers exposuit, synodusque laudavit sententiam ejus, & nihil ex hac parte sancivit, sed hæc in uniuscujusque voluntate non necessitate dimisit. Sunt vero aliqui qui S. Gregorium in suæ sectæ sumunt adjutorium, quorum quidem temeritatem rideo, ignorantiam doleo. Ignorant enim quod periculosum hujus hæresis decretum a sancto G. factum, postmodum condigno pœnitentiæ fructu ab eodem sit purgatum. Quippe cum vice quadam in vivarium suum pisces misisset, & ablata inde plusquam millia infantum capita videret, intima mox ductus pœnitentia ingemuit, & factum a se de abstinentia decretum tantæ cædis causam esse confessus, condigno illud, ut dixi, pœnitentiæ fructu purgavit, suoque prorsus decreto damnato, Apostolicum illud laudavit, *melius est nubere quam uri*. Addens ex sui parte, melius est nubere, quam occasionem mortis præbere. Hunc forsan rei eventum, si illi mecum legissent, non tam temere judicassent, dominicum saltem præceptum timentes, *nolite judicare &c.* Cesset ergo sanctitas tua cogere, quos tantum debet ammonere, ne privato, quod absit, præcepto tam veteri quam novo, contrarius inveniaris testamento. Nam ut ait sanctus Augustinus ad Donatum « solum est quod in tua justitia » pertimescimus, ne non lenitatis christianæ » consideratione, sed pro immanitate censeas coercendum, quod te per ipsum Christum ne facias obsecramus. Sic enim » peccata compescenda sunt, ut supersint » quos peccare pœniteat. Illud quoque Augustini volumus te recordari, quod ait: nihil nocendi fiat cupiditate, sed omnia » consulendi caritate, & nihil fiat immaniter, nihil inhumaniter. Item de eodem: In timore Christi, in nomine Christi exhortor, quicumque non habetis temporalia, habere ne cupiatis; quicumque habetis, in eis ne præsumatis. Dico autem non si ista habetis, damnamini; sed damnamini, si in eis præsumatis. Si propter ista vobis magni videamini, si generis humani communem conditionem propter excellentem vanitatem obliviscamini. » Quod nimirum poculum discretionis in illo fonte sumit apostolicæ prædicationis quo dicitur: *Solutus es ab uxore? noli quærere uxorem. Alligatus es uxori? noli quærere solutionem.* Ubi & subditur: *Qui habent uxores, tamquam non habentes sint, & qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur.* Item dicit de vidua: *Cui vult nubat, tantum in Domino.* Nubere autem in Deo est nihil in contrahendo connubio quod Dominus prohibeat, attentare. Jeremias quoque propheta: *Nolite*, ait, *confidere in verbis mendacii dicentes: templum Domini, templum Domini, templum Domini est.* Quod Hieronymus: Proprie, inquit, illud & » illis virginibus convenire dico, quæ jactant pudicitiam, & impudenti vultu proferunt castitatem, cum aliud habeat conscientia, & nesciant illam Apostoli diffinitionem virginalem, ut sit sancta corpore & spiritu, quid enim prodest pudicitia animo constuprato, si ceteras virtutes, quas propheticus sermo describit non habuerit? » Quas quidem quia aliquatenus te habere videmus, & quia discretionem licet hac in re neglectam, in aliis tamen vitæ tuæ institutionibus eam honeste conservatam non ignoramus, hujus pravitatis intentionem te cito correcturum non dubitamus, & ideo non quanta possumus gravitate, istam licet gravissimam negligentiam damnamus vel judicamus. Quamvis enim secundum vocabula quæ usus obtinuit, sit episcopus presbytero major, Augustinus tamen Hieronymo minor est, licet a minore quolibet non sit refugienda vel dedignanda correptio, præsertim cum ille qui corripitur, & contra veritatem & pro hominibus niti invenitur. Neque enim, ut ait S. Augustinus ad Bonifacium, quorumlibet disputationes quamvis Catholicorum & laudatorum virorum, vel scripturas canonicas habere debemus, ut non liceat nobis, salva honorificentia quæ illis debetur, aliquid in eorum scripturis improbare atque respuere, si forte invenerimus quod aliter senserint, quam veritas habeat, divino auxilio vel ab aliis

Fabula.

intellecta vel a nobis. Quid autem magis veritati contrarium potest inveniri, quam hoc, cum ipsa Veritas de continentia loquens, non unius hominis, sed omnium plane, excepto numero professorum continentiæ dicat: *Qui potest capere capiat?* Isti nescio unde instigati dicant: Qui non potest capere feriatur anathemate. Quid vero pro hominibus potest fieri stolidius? quid divinæ maledictioni obligatius, quam cum aliqui eorum, vel episcopi scilicet, vel archidiaconi ita præcipites sint ad libidinem, ut neque adulteria, neque incestus, neque masculorum, proh pudor! turpissimos amplexus sciant abhorrere, casta revera clericorum conjugia dicant fœtere, & ab eis non veræ justitiæ compassione, sed falsæ justitiæ dedignatione non ut servos rogent continere, sed ut servos jubeant abstinere? Ad cujus imperii, ne dicam consilii persuasionem tam fatuam addunt suggestionem, ut dicant honestius esse occulte implicari, quam aperte in hominum videlicet conscientia cum una ligari. Quod profecto non dicerent, si ex illo vel in illo essent, qui dicit per Prophetam: *Væ vobis Pharisæi qui omnia propter homines facitis.* Et per Psalmistam: *Qui hominibus placent confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos.* Præposteri homines qui nobis prius deberent persuadere, ut in conspectu ejus, cujus nuda omnia & aperta sunt conspectui, erubescamus peccatores esse, quam in conspectu hominum homines esse. Licet ergo merito pravitatis nullum mereantur consilium pietatis, nos tamen memores humanitatis divinæ, eis consilium auctoritatis numquam a pietate vacantis per viscera caritatis ministramus. Dicimus namque: Ejice primum hypocrita trabem de oculo tuo, & tunc prospicies ut educas festucam de oculo fratris tui. Illud quoque rogamus eos attendere, quod Dominus dicit de meretrice: *Qui sine peccato est vestrum, primus mittat in eam lapidem*, quasi diceret: Si lex jubet, si Moyses jubet, jubeo & ego. Sed competentes ministros eligo legis, & attenditis quia adducitis. Attendite, quæso, & quod estis, quia si te ipsum, ait scriptura, perspexeris, nulli umquam detraxeris. Significatum etiam nobis est, de quibusdam eorum quod tanta intumescant apud se elatione, ut gregem Domini pro quo boni pastores animas non dubitarent ponere, isti etiam verberibus absque ratione præsumant laniare, quorum sævitiam S. Gregorius nimium deplo-» rans, « QUID FIET, inquit, de ovibus, » quando pastores lupi fiunt? Sed quis vincitur? nonne qui sævit? quis persecutores judicabit, nisi qu dorsum suum ad flagella pariter ministrarit? Quid .... est autem. Audiant .... fructu tantum ecclesiæ scandalum inducatur, tantum clerus despectum vel ab ipsis episcopis, vel ab eorum infidelibus patiatur. Nec enim infideles dicere dubitaverim, de quibus apostolus Paulus dixit ad Timptheum; *quia in novissimis diebus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum in hypocrisi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium conscientiam, prohibentium nubere.* Hic autem est, si diligenter inspicitis, totius eorum manipulus zizaniæ, totiusque virentus zizaniæ, ut dum clerici licita unius uxoris consortia pharisaico devicti, quod absit, furore relinquere cogantur, fornicatores & adulteri, & aliarum pravitatum turpissimi ministri cum ipsis efficiantur, qui hanc in ecclesiam Dei hæresim, sicut cœci duces cœce machinantur, ut videlicet illud impleatur quod Psalmista eis, utpote eorum præscius erroris, taliter imprecatur: *Obscurentur oculi eorum, ne videant, & dorsum eorum semper incurva.* Quia ergo nemo ignorat, quod si per tui decreti sententiam tamquam futuram pestilentiam sollicitæ discretionis claritate perspexisses, numquam quorumlibet pravis suggestionibus consensisses. Debitæ tibi subjectionis fidelitate consulimus, ut vel nunc ad tanti scandali ab ecclesia propulsionem evigiles, & postquam nosti discretionis disciplinam, pharisaicam ab ecclesia extirpes doctrinam, ne scilicet unica Domini ..... adulterinis diutius abusa maritis, gentem sanctam, regale sacerdotium per irrecuperabile a sponso suo Christo videlicet avellatur divortium, dum nemo sine castimonia, non tantum in virginali flore, sed etiam in conjugali habitu conjunctione visurus sit Dominum nostrum regnantem per omnia sæcula sæculorum. Amen.

NOTITIA

De donatione ecclesiæ S. Martini de Noento facta monasterio S. Vincentii a Galterio de Monte-mirabili.

NOTUM esse volumus sanctæ Dei ecclesiæ fidelibus tam præsentibus quam futuris, quod GAUTERIUS de Monte-mirabili & uxor ejus RICHELDIS, annuentibus filiis suis, partim dono, partim pretio, contulerunt Deo & sancto Vincentio ecclesiam S. Martini de Noento, cum terra atrii & altaris, & cum tentura Drogonis. Hoc annuit domna MATHILDIS de Monte-mirabili & filius ejus WILHELMUS Sed postea domnus ROGERIUS de Monte-Gulmerico, & ejus uxor nomine AMABILIS miserunt calumniam in hoc donum. Quapropter dominus AVESGAUDUS S. Vincentii abbas adiit præsentiam eorum, Rogerii scilicet & uxoris ejus, & deprecatus est eos, ut pro redemtione animarum suarum ipsam calumniam prorsus dimittentes, donum istud, quod prædictus Gauterius cum uxore sua & filiis

Circa 1060 Ex cartario S. Vincentii Cen.

Deo & S. Vincentio fecerat, annuendo confirmarent. Victi tandem supra memorati abbatis precibus, illam calumniam omnino dimiserunt, & ipsum donum rite firmaverunt, partim pro remedio animarum suarum, partim pro deportatione forisfacti cujusdam prædæ, quam idem Rogerius super sanctum Vincentium fecerat. Hoc autem factum est in castello nomine * Luertione, annuente Rogerio suo parvulo filio, sub præsentia scilicet & testimonio horum virorum. Hugonis de Larriaco, & Wascelini filii Matfridi & aliorum multorum AVESGAUDI abbatis cum monachis suis.

* Luerzon.

Illud donum quod fecerunt Deo sanctoque Vincentio pro remedio animarum suarum, Gauterius scilicet de Monte-mirabili & uxor ejus Richeldis cum filiis suis de ecclesia S. Martini de Noento, cum omni decima & sepultura, aliisque expletis eidem ecclesiæ pertinentibus, & de tentura Drogonis, annuit, & autorizando firmavit, precatu AVESGAUDI abbatis, Rogerius de Monte-Gulmerico, & uxor ejus Amabilis, pariterque Rogerius ipsorum filius, pro suorum venia peccatorum, & pro rapina & emendatione cujusdam forisfacti, centum scilicet porcorum quos injuste super sanctum Vincentium ceperat. Hoc factum fuit in castro de Luertione, videntibus his viris Hugone de Larriaco, & Wascelino filio Mathfredi.

DONUM BERNARDI FILII Richardi vicecomitis Amiliani voventis vitam monasticam in monasterio sancti Victoris.

Anno 1061. Ex archivis S. Victoris eruit D. Furnerius. [a]

CONSTAT omnipotentem Deum, cum ineffabili providentia cuncta condiderit, humum homini tradidisse, & in ea vel ex ea subsisten..... Quapropter ego BERNARDUS (a) filius RICHARDI de *Amiliau* quondam vicecomitis, & uxoris ejus RIXENDIS, tactus divino spiritu malui militare Deo quam sæculo, & vovens voveo me monachum fieri Massiliensis cœnobii, quod est constructum in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ, Petri & Pauli, & omnium apostolorum, & S. Victoris martyris & sociorum, donans aliquid meæ hereditatis, quod mihi advenit a progenitoribus supradictis, quadraginta scilicet mansos, quos divisi cum fratribus meis*, ipsis volentibus, & voluntario animo consentientibus: quo hoc libentius vellent & assentirent, ut darem supradicto Massiliensi cœnobio & abbati DURANDO ejusque successoribus, & monachis eodem loco Deo servientibus, tam præsentibus quam futuris, dedi eis videlicet BERENGARIO, & UGONI, & RAYMUNDO, & RICHARDO omnem meam hereditatem, quæ ad me pertinebat in vicis & castellis & villis, tali tenore, ut si frater meus UGO sine legali herede mortuus fuerit, sexaginta mansi cum meliori censu revertantur ad supradictam meam donationem, & ad monasterium supra nominatum, de ipsa mea hereditate, quam ego sibi concessi pro supradicta ratione. Est autem hoc donum vel hereditas in comitatu Ruthenico in certis locis, videlicet in Solmegesio decem mansi, quorum hæc sunt nomina *Ingranzcamps* in illa BoatarIa I. mansus, in illa Becia III. mansi, in Teuleiras I. mansus.... tegias *maisuns* II. mansi, in illo Pogeto I. mansus, in Landora I. mansus, in illas Veirunas I. mansus, in Cambolasses, in *Caspiag* V. mansi, in illo Pojeto I. mansus, in *Veliag* I. mansus, in illa Garriga I. mansus, in illa Brugeria Adalgau I. mansus, in illas Mauras I. mansus, in Verneto III. mansi, in illo Pojeto I. mansus, in Espinactas I. mansus, in illa Vernia II. mansi, in illo Poio I. mansus, ultra Biarum in illo monte I. mansus, in vicaria Guitberti de S. Germano, in illas Cumbetas I. mansus, in illa vicaria Guitberti *Carseten* in monte I. mansus qui est super *Segur*, in Castrictas I. mansus, in Monte-plano II. mansi, in Bosceto II. mansi, in illo Poio I. mansus, in *Arcuolt* II. mansi, fiuntque omnes simul XL. Modus autem donationis talis est. Ego Bernardus dono & firmo hæc omnia quæ supradicta sunt Domino Deo & S. Mariæ & SS. Petro & Paulo, & omnibus apostolis ejus, & S. Victori martyri, & cœnobio Massiliensi ad proprium alodem & propriam hereditatem omnibus diebus. Facta donatio hæc anno Incarnationis dominicæ MLXI. indictione XIIII. sub die feria quarta, regnante Domino nostro JESU CHRISTO, cujus est regnum & imperium in sæcula sæculorum. Ut autem hoc præceptum perpetualiter imprevaricabile maneat, opponimus omnibus male contradicentibus gloriosum & inexpugnabile signum Domini nostri JESU CHRISTI. †

Signum BERNARDI qui hanc cartam scripsit & donationem fecit & manibus firmavit. Signum fratrum ejus BERENGARII & UGONIS, & RAIMUNDI & RICARDI. Signum Dagberti magistri mei videlicet B. qui hoc donum feci, signum Berengarii de Cambolas, signum Nihilforas, signum Bernardi de *Favars*, signum matris meæ RIXENDIS videlicet B. qui hoc donum feci.

(a) Hic Bernardus creatus fuit abbas Massiliensis anno 1065. indictione III. uti infra videbimus.

EPISTOLA D. ABBATIS S. Victoris R. Comiti.

Aliquos ex fratribus quos petierat ei mittit.

Circa 1061. Ex archivis S. Victoris eruit D. Furnerius. [a] FRATER D. (a) & tota S. Victoris Massiliensis monasterii sibi commissa congregatio, carissimo nobis & honoratissimo Domino R. comiti fidelissimas orationes.

Acceptis dulcissimis flagrantissimæ vestræ dilectionis apicibus, cujus nostrum omnium cor vestræ flamma caritatis accendit, nisi quod accendere non posse dicimus quod ardere jugiter comprobamus. In vestri tamen dilectione proficimus, quem ferventius amare non possumus. Cupientem itaque me pia desideria vestra perficere, noveritis febre fortissima laborare; fratrem quoque B. [b] (b) quem his diebus ad eligendum abbatem in abbatia Vabrensi dirigo non ad modicum occupatum & fratres quatuor aut quinque, quos secundum pias vestras preces nos mittimus, non incuria derelictum, quin potius tam sanctam veræ justitiæ sitim, si vita comes & incolumis fuerit, tu Deus annue, tuque S. Michael intercede per me ipsum præstolatum satiare. Ideoque, amabilissime, sustine, quoniam veniet Dominus & non tardabit; sed etsi tardaverit, expecta eum, quoniam veniet. Ego vero si convaluero, occurrens obeditioni vestræ Narbonæ x. calendas Octobris ero. Si vero non valuero, secundum voluntatem vestram ad Dei misericordiam & fidem vestram petitos fratres dirigam. Quocirca roboramini non deficientes, & causam vestram, prout potestis, accingite. Sancta enim desideria dilata crescunt, si autem dilatione deficiunt, desideria non fuerunt. Valete.

DONUM RAYNALDI ET Rodulfi fratrum vitam religiosam in Massiliensi S. Victoris monasterio amplectentium.

Anno 1062. Ex archivis S. Victoris eruit D. Furnerius. IN Dei omnipotentis auctoritate nos Rainaldus atque Radulfus fraterna ejus quæ in Christo est dilectione caritatis amici, sæcularem deinceps abnegantes militiam, & divinæ servituti omnimodis inhærere volentes, quo melius novimus Massiliensi monasterio, quod est S. Dei genitricis Mariæ, & SS. Petri & Pauli, & omnium apostolorum, sanctique Victoris gloriosi martyris ejusque sociorum, monachari delegimus, nosmet quidem perpetualiter divino cultui mancipantes, & nostri alodis quiddam quod est in comitatu Rutenico in parochia S. Laurentii pro redemtione nostrorum peccaminum, nobiscum Deo & sanctis ejus offerentes. Siquidem in villa quæ vocatur Valleta tres mansos & unam appendariam, in Maseto unum mansum, in *Buireciag* unum mansum, in Boseto I. mansum, in *Mezlag* I. mansum, & illius *Bosq* qui vocatur *Guntardese* medietatem, in Maiundas duas pecias de vinea, de I. medietatem vineæ, de altera quartum. Hæc omnia quæ supra scripta sunt damus & quieta firmamus Deo & S. genitrici Mariæ, sanctisque ejus apostolis Petro & Paulo, & S. Victori gloriosissimo martyri, & domno abbati DURANDO ejusque successoribus & fratribus omnibus in monasterio Massiliensi degentibus, tam præsentibus quam futuris, ut habeant & possideant, quidquid inde voluerint sine ullius contradictione faciant. Si quis autem contra hujus descriptionis donationem agere aut inquietare voluerit, hoc ei non liceat facere, sciatque se insuper cum diabolo & angelis ejus inextinguibilis ignis pœnas passurum, quas procul dubio sine fine merentur a nobis commissorum innumerabilium criminum moles, pro quibus remittendis hæccine dona quamvis pusilla, & nullius penitus intercessionis digna, tamen cum nullo communia, & ab omnibus libera & quieta, Deo & suprascriptis sanctis ejus in supra memorato cœnobio quasi perpetuam nobis de relictis omnibus hereditatem ad proprium alodem offerimus & donamus.

Nos Radulfus & Rainaldus hanc cartam scribere fecimus & testes firmare rogavimus. Facta carta anno MLXII. incarnationis Domini nostri Jesu Christi indictione XIV.

DONATIO ECCLESIÆ S. Segolenæ facta monasterio S. Victoris a Geraldo Amelii & Vidiano Ermengaudi.

NOTUM sit omnibus hominibus in Christo credentibus, quoniam percurrente synodali decreto, quod ab (c) UGONE domni NICOLAI apostolici legato atque episcopis & ecclesiasticis viris in concilio Tolosano (d) statutum est, concussa sunt audientium corda, audientes neminem posse laicum ingredi cælestem patriam, qui hic contra præcepta canonum male invasam possederit ecclesiam. Ideoque inspirante clementia Dei honorabiles viri Geraldus Amelii & Vidianus Ermengaudi, in quorum potestatem erant quædam ecclesiæ, quarum Anno 1062. En archivis S. Victoris. (c) [d]

(a) Durandus electus abbas S. Victoris anno 1060. defunctus vero anno 1064.

(b) Hunc esse suspicor Bernardum hujus nominis tertium abbatem Vabrensem, qui jam præerat anno I. regni Philippi regis.

(c) Is esse videtur Hugo sedis apostolicæ legatus simoniacorum maximus insectator, ac zelo disciplinæ ecclesiasticæ flagrantissimus, qui postea anno 1073. Diensis episcopus, tum 1098. Lugdunensis archiepiscopus creatus est.

(d) Concilium istud Tolosanum anno 1056. celebratum est, in cujus canone 8. prohibitum est ne laici res ecclesiasticas usurpent.

(a) una est, ubi corpus B. (a) Sigolenæ requiescit, altera quæ in honore B. Petri apostoli fuit dedicata, in qua prædicta beatissima Sigolena cum pluribus virginibus monasticam vitam duxit, quæ sunt fundatæ in comitatu Albiensi, in loco quem dicunt ad Grava, habito salubri consilio cum laicis supradictarum ecclesiarum, ceterisque religiosis hominibus, decreverunt prædictas ecclesias ad priorem statum reparare. Cumque complacuisset, ut monachis Deo militantibus traderentur, deliberatum est faciendam esse donationem de prædictis ecclesiis, & de omnibus rebus ad easdem ecclesias pertinentibus, monasterio Massiliensi, quod est fundatum in honore S. Dei genitricis Mariæ, & sanctorum apostolorum Petri & Pauli, & beatissimi Victoris martyris & sociorum ejus. Igitur in Dei nomine ego GERALDUS cum consilio fratrum & propinquorum meorum, nec non & VIDIANUS, qui vocor abbas hujus ecclesiæ & archidiaconatus Albii fruor nomine, consentientibus clericis & fidelibus populis, damus & concedimus jam dictis ecclesiis, videlicet S. Petri & S. Sigolenæ, quas hucusque injuste tenuimus, & res earum male possedimus, omnem decimam, quam ab eisdem ecclesiis usque modo recepimus, & in nostra potestate habuimus vel habemus, & quæ deinceps nobis reddiderint ex eorum potestate, qui a nobis acceperunt, & omne cimiterium & omnes oblationes, quas cuncti fideles pro vivorum & defunctorum remissionem ipsis ecclesiis contulerint, & illas condaminas quæ sunt juxta cimiterium beatissimæ Sigolenæ usque ad stratam publicam, & usque ad flumen Tarni, & in ipso flumine locum ubi molinus unus construatur. Et hoc totum facimus affirmante præposito ipsius ecclesiæ WILLELMO, qui & ipse similiter omnem potestatem ipsius ecclesiæ & decimam suæ præbosdiæ concedit & cameram adhærentem ecclesiæ, & unum lexalem, qui ei adhæret, in quo magna domus construatur, & in paxeria supradicti molini unam piscatoriam. Totum autem illum honorem, quem idem Guillelmus visus est per præbosdiam tenere & antecessores ejus & omnes canonicas ad easdem ecclesias pertinentes, si possessores earum in vita sua gratis vel pro munere dederint eas eisdem ecclesiis & monachis monasterii Massiliensis, nos idem GERALDUS & VIDIANUS omnem censum & subjectionem earum similiter damus. Si autem in vita sua hoc facere noluerint, post obitum eorum honores illorum, & omnem censum supradictis ecclesiis & jam dictis habitatoribus earum concedimus & affirmamus, totumque intervallum dexteræ parti ecclesiæ S. Sigolenæ adhærentem usque ad prædictas condaminas, sicut maceria ecclesiæ dividit. Similiter donamus ubi claustra & officinæ construantur. Hoc autem totum, videlicet supradictas ecclesias, & omnia ad easdem ecclesias pertinentia, quæ modo eis donamus, & quæ modo habent, & quæ antea qualicumque modo adquisierint, donamus & concedimus nos omnes præscripti Domino Deo & monasterio Massiliensi, quod est consecratum in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ, & beatorum apostolorum Petri & Pauli, & SS. martyrum Victoris & sociorum ejus, in manu domni abbatis DURANDI & cunctæ congregationis ipsius loci tam præsentis quam futuræ, ut habeant & possideant in perpetuum, & ibi suos monachos omni tempore mittant, qui servitium Dei faciant, & pro nobis omnibusque propinquis Deum semper exorent. Quod si nos aut aliquis aliquando homo hanc donationem infringere, quod absit, voluerit, non hoc valeamus aut valeant; sed compositis XL. libras auri, & nisi satisfecerit, omnium sanctorum subactus excommunicationi hæc donatio firma permaneat. Facta carta donationis III. nonas Aprilis anno ab Incarnatione Domini MLXII. indictione quarta decima, regnante Philippo rege Francorum. Nos Geraldus Amelii & Vidianus Ermengaudi, qui istam cartam donationis fieri jussimus & manibus nostris firmavimus & testes firmare rogamus.

S. † Geraldi Amelii.

S. † Vidiani Ermengaudi.

Majamfredus monachus qui istam cartam scripsit die & anno quo supra.

DONATIO ABBATIÆ SORICINII facta Massiliensi S. Victoris monasterio.

Anno 1062. Ex archivis S. Victoris.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, atque honore S. Dei genitricis & Virginis MARIÆ. Ego FROTERIUS Nemausensis episcopus & RAIMUNDUS nepos meus vicecomes, audientes excommunicationem sanctæ ecclesiæ Romanæ a domno NICOLAO papa secundum auctoritatem canonicam nostras ad partes destinatam, simoniacam hæresim terribiliter ferientem, paventesque nimium ne propter ecclesiasticos honores, & abbatias a nobis hactenus male possessas & venditas, idem anathematis incurramus periculum, pro animarum nostrarum, parentumque nostrorum redemtione, & æternæ vitæ retributione, monasterium nostræ ditionis in honore ejusdem sanctæ Dei genitricis Virginis MARIÆ, sanctique Benedicti, aliorumque sanctorum consecratum, quod vulgo vocatur (b) Sorizinum, gratia recuperationis atque studio regulari monastici ordinis con- [b]

(a) S. Segolenæ abbatissæ Troclarensis monasterii in pago Albiensi vitam habes in appendice ad bibliothecam novam Philippi Labbei.

(b) Soricinium ordinis S. Benedicti monasterium tempore Pipini regis fundatum, hactenus perstat in diœcesi Vaurensi sub congregatione S. Mauri.

cedimus DURANDO abbati S. Victoris monasterii Massiliensis & omnibus successoribus ejus ad dominationem & gubernationem atque tuitionem: ita ut ipse Durandus & omnes successores ejus mittat, & mittant in eodem monasterio Sorizino abbatem omni tempore suo judicio dignum, qui secundum institutionem & ordinem monasterii Massiliensis vivat, & monachos sibi subjectos vivere exigat. Quod si, quod absit, abbas ille Sorizinensis videlicet ab ordine & disciplina cœnobii Massiliensis deviaverit, & monachos sibi subditos ad justitiæ tramitem male viventes non emendaverit; veniat abbas Massiliensis in Sorizino, & corrigat & emendet eum. Si vero ille superbia elatus emendare se noluerit, alium loco ejus prudentiorem & digniorem abbas Massiliensis mittat, & negligentem & superbientem secum reducat. Hoc igitur ego supra nominatus FROTERIUS, sicut supra scriptum est, stabilio & semper firmum esse volo, malosque usus & venditiones quas simoniace de eodem monasterio faciebam, in perpetuum ad libertatem jam dicti monasterii, & ad stabilitatem sanctæ regulæ dimitto cum RAYMUNDO nepote meo, & omnibus propinquis meis in perpetuum interdico, & omnes honores & possessiones & prædia quæ modo videtur habere jam dictum monasterium, omnipotenti Deo sanctæque Mariæ semper Virgini reddimus, sine ullo malo ingenio dico, excepto hoc quod ego FROTERIUS modo videor habere vel possidere in mea propria dominicatura......... nos .... offerimus abbates videlicet, qui dicti fuimus ejusdem monasterii pro timore & amore omnipotentis Dei abbatiam ipsam quam male usurpavimus suprascripto abbati Massiliensi, libenter in manu relinquimus. Si vero nos, videlicet FROTERIUS & RAYMUNDUS aut aliqua in perpetuum persona utriusque sexus nostræ propinquitatis, aut nos WILLELMUS & STEPHANUS prædicti, sive aliquis homo vel femina hoc quod præscriptum est, disrumpere, commutare, aut inquietare voluerimus aut voluerit, non hoc valeamus aut valeat perficere; sed iræ Dei omniumque sanctorum patrum excommunicationi subjacere se, nisi resipuerit, sciat, hac ratione stabili semper manente. Facta carta nonas Novembris anno ab Incarnatione Domini MLXII. regnante Philippo rege, indictione.... die dominico. Acta publice in capitulo Sorizinensi in præsentia monachorum ipsius loci. Ego FROTERIUS episcopus & RAYMUNDUS nepos meus vicecomes & GUILLELMUS & STEPHANUS hanc cartam scribere fecimus & firmamus. Raimundus Arnaldi firmavit, Pontius *Armazangs* firmavit, Deusde Raimundi firmavit, Guillelmus Belfilius firmavit, Gaufredus Raimundi firmavit.

Bernardus monachus scripsit unam cartam, Raymundus Psalmodiensis scripsit alteram.

PRIVILEGIUM EVERHARDI Trevirensis archiepiscopi pro monasterio Prumiensi.

Restitutas ei plurium ecclesiarum decimas confirmat.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego EVERHARDUS (*a*) Dei gratia Teverorum archiepiscopus quibuslibet cupio innotescere fidelibus, & a præsenti notitia per continuam posteritatis memoriam protendi, quia domnus RUOPERTUS (*b*) sancti Prumiensis cœnobii venerabilis abbas, nostram adiit paternitatem, restitui primum ac deinde confirmari postulans a nobis eidem cœnobio decimas ecclesiarum quarumdarum in episcopio nostro, quæ neque ab episcopo quo debuerant consecratæ, nec parrochiis ut oportuerat solemniter determinatæ, synodali judicio in jus nostrum concesserant. Nos autem perpetuæ salutis consideratione, temporali in his renuntiantes commodo, simul etiam petentis caritati & obsequiis plurimorum debentes, voluntarium ejus petitioni præbuimus assensum. Itaque proficiscentes ad loca suprascripta videlicet *Melendorf*, *Seferna*, *Rumeresheim*, *Buodenesheim*, inventas ibi consecravimus ecclesias, singulisque parrochias & decimationum terminos tam in agris quam in silvis, tam in novalibus quam antiquitus cultis, eodem quo prius usurpati fuerant ambitu, legaliter & canonice assignavimus, hancque assignationem præsente locorum eorumdem advocato, absque qualibet contradictione banno nostro stabilivimus. Pergentes porro ad ipsum tandem cœnobium jam dicti abbatis ductu & rogatu, venimus; ubi parte monasterii, quam ipse veteri apponens a fundamento construxerat, dedicata, altare quod in medio situm a nobis pariter consecratum est, conditisque in eo reliquiis, supranominatas cum decimationibus suis ecclesias ea conditione tradidimus, quatinus ex tunc per continuam jam amplius successionem temporum, tres ibi quotidie pauperes nostro nomine pascantur, & perpetualiter in memoria nostri communis fratrum ejus loci perseveret oratio. Et hanc quoque traditionem absque ullius contradictione super jam dicto altari in manum WALLONIS advocati, astante Brunone corepiscopo regionis ip-

Anno 1063. *Ex cartario Prumiensi.* [*a*]

[*b*]

NOTA.

(*a*) Everhardus Heselini comitis Palatini filius anno 1047. ecclesiæ Trevirensi præesse cœpit, ut patet ex anno huic diplomati ascripto.

(*b*) In catalogo abbatum Prumiensium dicitur Rupertus de Aræcastro, præsul magni nominis, qui annis 42. rexisse memoratur.

ſuis, aliiſque quam pluribus tam clericorum quam laicorum idoneis perſonis, ſolemniter peregimus, bannoque noſtro canonice confirmavimus. Quæ ut rata omni temporum futurorum ſerie & inconvulſa permaneant, hanc fieri cartam, & imaginis noſtræ ſigillo inſigniri præcepimus, & contra obloquentium improbitatem eorum qui interfuerunt actioni noſtræ probabile teſtimonium nominatim hic inſerere curavimus.

Signum domni EVERHARDI archiepiſcopi, qui hanc chartam conſcribi juſſit.

(a) Signum BRUNONIS (a) chorepiſcopi.
Signum RORICI chorepiſcopi.
Signum Dietbaldi presbyteri.
Signum Ozonis presbyteri.
Signum Hazzonis presbyteri.
Signum Hildiberti presbyteri.
Signum Sigewini presbyteri.
Signum Udonis diaconi.
Signum Werinheri diaconi.
Signum Burchardi ſubdiaconi.
Signum Bopponis ſubdiaconi.
Signum Efridi ſubdiaconi.
Signum Luozonis diaconi.
Signum Walterii ſubdiaconi.
Signum WALDONIS advocati.
Signum EBERHARDI comitis.
Signum BERTOLDI comitis.
Signum Anſelmi. S. Adalberonis. S. Cuononis. S. Godefridi.

Actum feliciter Prumiæ in domo Salvatoris noſtri calendis Novembris anno Dominicæ incarnationis MLXII. indictione I. anno pontificatus dommi Everhardi XVII.

Data autem eſt hæc carta in decimo calendas Novembris, & recitata publice in totius ſacræ ſynodi conſpectu anno dominicæ incarnationis MLXV. indictione tertia, anno pontificatus domni Everhardi XIX.

DONATIO ABBATIÆ S. ANDREÆ Agathenſis facta S. Victori.

Anno 1064. Ex cartario S. Victoris eruit D. Furnerius.

IN nomine Domini noſtri JESU CHRISTI & individuæ ſanctæ Trinitatis. Ego RODGERIUS gratia Dei comes. Omnibus fidelibus noſtris immo circumſtantibus fidelibus notum eſſe nunc & in perpetuum volo, qualiter fideliſſimus nobis domnus GONTERIUS Agatenſis epiſcopus, & vir nobilis PONTIUS abbas, dictam noſtram expetierunt manſuetudinem, quatenus abbatiam S. Andreæ ſecus prædictæ urbis mœnia ſolitariam, derelictam, quam donatam ſibi a nobis poſſidere videntur, etſi non ad priſtinum gradum & ordinem, tamen utcumque monaſticum per noſtram largitionem debeant reſtaurare, præſertim cum non minimum ſit tremenda judicii divini diſtricta quandoque cenſura, eo quod ſacras tantorum oblationes fidelium; quas in eodem loco pro animabus ſuis omnipotenti Deo tam large contulerunt, ut trecentorum victui monachorum quotidie pro ſe precantium temporibus beati Severi (b) ejuſdem monaſterii abbatis, ſicut in geſtis ejus legitur, abunde ſufficerent; ita moderno tempore profanatas, direptaſque vidimus, ut non ibi ſuppediat victus uni ſolo monacho, qui pro eis Deo ſupplicet, niſi idem Deus aliunde multiplicet. Addideram quoque maximum de rei facultate profectum: ſiquidem domnum DURANDUM abbatem S. Victoris monaſterii Maſſilienſis & congregationem ejus, propter gratiam caritatis & familiaritatem noſtræ gentis diuturnam cum illis, ad rem ſuſcipiendam perficiendamque conduxerant. Qua de re plurimum delectatus, cum magno favore optimatum noſtrorum totiuſque populi, præcipue cum conſilio domnæ matris meæ RAINGARDÆ, ſive uxoris meæ SIBILLÆ cum liberam petentibus prædictis principibus licentiam præbuiſſem. Addidi factum, quam robuſtius poſſem, donationi noſtræ ſolidamento confirmare. Taliter legitur. Ego RODGERIUS comes pro redemtione animæ meæ, & omnium parentum meorum, & propter vitæ æternæ præmium, prædictam abbatiam S. Andreæ dono illam cum omnibus quæ ad eam pertinent omnipotenti Deo, & S. Dei genitrici Mariæ, ſanctoque Victori martyri in monaſterio Maſſilienſi, & domno abbati Durando ejuſque ſucceſſoribus & monachis omnibus ibi Deo ſervientibus præſentibus & futuris, ut honorifice habeant & poſſideant, & ſervitium Dei, & regularem ordinem juxta quod Dominus poſſibilitatem illi donaverit, abſque ullius inquietudine licenter cuſtodiat, dimiſit. Et ego GUNTERIUS epiſcopus facti hujus fideliſſimus exſecutor, ut omnipotens tribuat mihi veniam delictorum, & perducere dignetur ad regna cælorum omnibus clericis noſtris magna congratulatione id volentibus, bono animo libentiſſima voluntate eidem Domino Deo & ſanctæ genitrici ſemperque virgini Mariæ, ſanctoque Victori glorioſiſſimo martyri in monaſterio Maſſilienſi, & domno abbati DURANDO, & omnibus ſucceſſoribus ejus & monachis omnibus ibi Deo ſervientibus, præſentibus & futuris dono præſcriptam abbatiam S. Andreæ cum omnibus quæ ad eam pertinent, ſalva fidelitate ſancti Stephani, ut eam honorifice habeant ad ſervitium Dei & regularem ordinem, juxta quod eis donaverit abſque ullius inquietudine licenter cuſtodiant.

Facta donatio hæc anno ab incarnatione Domini MLXIV. indictione II. feria V. men-

(a) Hoc ex loco patet chorepiſcopos necdum extinctos fuiſſe cum datum fuit iſtud diploma, in quo duo ſubſcribunt chorepiſcopi.

(b) Hujus ſancti Severi nomen inſcriptum eſt in martyrologio Benedictino die 25. Auguſti, memoraturque in vita S. Maxentii abbatis, qui ipſius fuerat diſcipulus.

ſe

se Aprili luna x. PHILIPPO rege Francorum.

Ego RODGERIUS comes hanc donationem una cum GUNTERIO episcopo Agathensi feci & faciens firmavi.

Signum RODGERII comitis & matris ejus RAINGARDÆ & uxoris ejus SIBILLÆ, qui hanc cartam scribere jusserunt, & manu sua firmaverunt & firmare rogarunt.

S. PONTII abbatis, qui hanc cartam scribere jussit & manu sua firmavit & firmare rogavit.

S. Bermundi qui præsentem donationem firmavit.

GUNTHERIUS episcopus & omnes canonici, Guido, Pontius, Petrus, Bertrannus, Otto, Stephanus, Guinamannus, Rostagnus, Bernardus, Gregorius, Arnaldus, Berengarius, & Elisarius omnes firmaverunt.

ELECTIO BERNARDI ABBATIS S. Victoris Massiliensis.

Anno 1065. Ex archivis S. Victoris eruit D. Furnerius.

NORMA divinæ institutionis quid actum, cur, & quando, in S. Victoris Massiliensis urbis cœnobio, sermone licet pauperculo, sed non nimium prolixo vobis (C) intimare curabo, cum tanta unanimitas, tantaque concordia in novem angelorum ordinibus in cœlis sit, ut post perfidi apostatæque angeli ruinam, ibi nullus inveniatur, qui propter suam quæ nulla est superbiam creatori suppeditare suo jure cogatur, immo omnes pace summa, caritate perfecta ei cujus quanto magis vultum contemplantur, tanto magis contemplari appetunt, indesinenter, concorditerque famulatur: tamen dispensatione hoc actum est divina, ut alii aliis præemineant. Alii vero aliis secundum officia sibi disposita principalibus obsecundent. Hanc igitur concordem obedientiam & caritatem ferventissimam divina cernens sapientia, quo est gavisa, eo condoluit ovem periisse erroneam. Volens itaque eam diligenter humiliterque inquirere, non fastidivit nostræ carnis trabeam induens, in hanc convallem lacrymarum secundum tempus a patre constitutum descendere: ubi dum inter vepres hærens offuscata vulneratataque reperitur, extruditur, abluitur, & propter justorum ex quibus constat congregationem multorum ecclesia catholica nominatur, quoniam quam decreverat pius redemtor ad caulas, unde oberraverat, paradisi quandoque reducere, dignum duxit, eorum quibus postmodum resocianda erat, aliquantisper moribus informare. Docuit ergo eam ipse prius patri subjectus obediensque prælatis subesse & obedire. Præposuit quoque ei pastores secundum sibi pro patribus natos pastor ipse summus, qui eam a lupinis quantum valerent, custodirent morsibus, quibus diversis (A) ordinum gradibus ordinatis decorata, eadem præpollet in summis, vernat in mediocribus, floret in minoribus, de quorum numero, multorum annorum curriculo evoluto, nostro in tempore primo WIFREDUS, deinde vero ISARNUS, post quem PETRUS, cui successit DURANDUS, pastores in præfato monasterio extitere. Horum alter alterius informati & doctrinis & exemplis, gregem sibi commissum quamdiu vixerunt, decenter nutrientes custodierunt. Patre vero DURANDO ex hac luce subtracto, domnus RAIMBALDUS Arelatensis archiepiscopus, (B) & jam dicti monasterii monachus, in capitulo residens, fratribus inquirit, quem sibi patrem cum adjutorio Dei eligere vellent, qui ad Dominum oratione flebiliter præmissa, omnes uno ore simul patrem sibi præesse expetunt atque eligunt virum BERNARDUM nomine, quem sibi dudum priorem constituerant, qui in sæculo nobili ex sanguine ortus, sed benignissima gratia Dei de mundialis militiæ laqueis misericorditer erutus, in eodem monasterio regulariter sub prædicto patre DURANDO a sæculi actibus conversus, ab omnipotentissimo medico JESU CHRISTO Domino, ut credimus & confidimus, est sublatus pariter & sanatus. Dedit autem eis hunc eligendi ausum sacrum divinumque eloquium; David jussione divina a Samuele propheta puer in regem unctus fuisse, & Josias octo annorum eumdem populum Dei optime gubernasse. Samuel & Daniel pueri presbyteros judicasse, Johannes evangelista adolescens super pectus Salvatoris in cœna recubuisse. Plurimum etiam præsumentes de moribus viri, in quo est scientia litterarum, & humilitatis gratia, atque patientiæ & obedientiæ virtutes, necnon & modestiæ decus, quantum (D) mortalium oculis datur dignosci, in ipso juventutis flore prælucet. Hanc autem electionem laudavit & corroboravit domnus PONTIUS jam dictæ urbis Massiliæ episcopus, cum domno FULCONE suo avunculo & vicecomite, & cum fratribus suis, scilicet WILLELMO, GOSFREDO, & eorum conjugibus ac filiis, cum domna STEPHANA & PETRO ejus filio, cum cœtu sibi commisso clericorum, simulque laicorum annuens petitioni, voluntatique monachorum.

Rursus igitur laudatus & acclamatus ab (E) omnibus idem vir introducitur ecclesiam, & ante altare benedictione solemni consecratur, incathedratur, eique virga, grex dominicus, & omnia quæ infra extraque sunt monasterium ad idem pertinentia feliciter commendatur custodia, qui loci sibi, ut creditur, a Deo commissi curam pervigil gerens, sibi mercedem laboris optimi percipere a vero pastore cum sibi subditis mereatur. Anno ab Incarnatione dominica MLXV. indictione III. epacta XI. XIV. cal.

Junii luna VII. Hæc electio est facta cum consensu omnium supradictorum, domni scilicet PONTII episcopi, & domni RAIMBALDI Arelatensis archiepiscopi & prænominati monasterii monachi, ceterorumque omnium monachorum, canonicorum seu etiam fidelium laicorum eorumque conjugum, regnante Domino nostro JESU CHRISTO, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

CARTA BERTRANDI COMITIS Provinciæ pro Massiliensi S. Victoris monasterio.

Admissus in capitulo ad suffragiorum participationem, confirmat varias donationes S. Victori factas.

Post 1065. Ex archivis S. Victoris eruit D. Furnerius.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Notum esse volumus hominibus fidelibus & amicis monasterii Massiliensis, quod anno ab Incarnatione millesimo LX. (a) in solemnitate beatissimi Victoris apud cœnobium ejusdem gloriosissimi ac præcellentissimi martyris, B. comes Provinciæ in capitulum se introduci devote atque humiliter petiit, ut servorum Dei se orationibus commendaret: ubi cum officiosissime susceptus esset, circumsedente magno fratrum conventu, postulata societate, in fraternitatem receptus est, sicut parentes ejus antea fuerant, promisit se.... monasterio fidissimum semper affuturum, & amicum, & defensorem, & in omnibus adjutorem. Oblationes quoque sive eleemosynariæ donationes...... parentis sui vel certe multi alii nobiles viri retroactis temporibus donaverat, similiter & ipse omnia libenter donavit atque astipulationis suæ..... confirmavit: quatenus universa quæcumque in tota Provincia donatione, emtione, sive concambiatione usque ad diem illum.... prædicto monasterio S. Victoris conquisita sunt, in monasteriis, ecclesiis, cellis, castellis, villis, terris cultis & incultis, silvis, pascuis, pratis, arboribus, aquis, aquarumve decursibus, exiis & regressis, hortis, fredis, salinariis, piscationibus, venationibus, agris, atque agrariis, cum omnibus omnino rebus, in omnibus omnino locis ad præfatum locum pertinentibus in terra & in mari, & in insulis universa cum omni libertate & auctoritate monachi S. Victoris habeant & possideant semper. Hæc omnia sicut superius scriptum est, ego B. totius Provinciæ gratia Dei comes pro redemtione animæ meæ & parentum meorum donavi & firmavi, & hanc cartam inde fieri jussi. Si quis successorum meorum sive aliqua ecclesiastica aut sæcularis persona inquietare voluerit, non valeat, sed in duplum emendare cogatur, quicquid de hoc extorquere conatur. Datum in manu Bernardi abbatis & loco & tempore quo supra, ab omnibus qui ibi aderant confirmatum est. Post evolutum autem annum apud Arelatum in monasterio S. Genesii ab eodem comite in manu præfati abbatis, faventibus ejusdem urbis civibus, eadem reiterata donatio est, & a cunctis assistentibus confirmata.

DIPLOMA DEODWINI EPISCOPI Leodiensis pro collegiata B. Mariæ ecclesia Hoiensi.

Amplissimam ei facit donationem in ipsius dedicatione, eamque eligit pro sepulturæ loco.

Anno 1066. Ex ms. Cl. V. D. de Louvrex.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Bona vitæ præsentis omnibus qui eam diligunt avare, nullam salutem, sed mortem pariunt sempiternam. Qui autem per eadem bona operibus misericordiæ florere studuerint, serunt quidem temporalia centuplo fructu sine fine mansura. Proinde igitur ego DIETWINUS Leodiensis gratia Dei episcopus exemplo domni RICHARII, EVRACRI, NOTGERI, aliorumque diversorum hujus sedis, qui non solum extrinsecus adquisitis, sed multa etiam sibi & successoribus detrahentes, laborantibus inopia congregationibus pie & misericorditer subvenerunt, in salutem & redemtionem animæ meæ ecclesias in Hoio sanctæ Dei genitricis MARIÆ (b) sanctique Domitiani contuli ad usus fratrum hæc subter annotata. Ecclesiam de *Housle*, ecclesiam de Fredeis-villa, capellam de S. Petri-monte, theloneum de *Havelange*, prædium quod ibidem & terram quam in Heristallio acquisivi, octavam partem allodii in villa *Hisemale*, prædium quod acquisivi in loco Ungravi, partem comitis GODEFRIDI, quam habuit in villis *Langen*, *Lettafambre*, *Engelrode*, & in ecclesia quæ est in villa *Reymest*, in villa *Taolieres* mansos duos, curtem *Lustin* cum ecclesia & omnibus appenditiis suis, allodium quod habuit Hano in villa *Hirgeis*, dimidiam ecclesiam de *Vventerluche* cum omni familia, & tota dote ipsius. Quia vero ipsa domus sanctæ Mariæ multis impendiis opus habet, ecclesiam de Allecha ad custodiam delegavimus, & ad has necessitates a præbenda fratrum distinximus, itaque distinctam perpetuo manere volumus ab ecclesia sancti Stephani, usque ad pontem Mosæ in atrium dedicamus, in quo nisi do-

(a) Hic desideratur aliquis numerus incuria scriptoris omissus; nam Bernardus abbas cujus tempore hæc carta condita fuit, non nisi anno 1065. electus fuit.

(b) Ecclesiam Hoiensem beatæ Mariæ a Bosone archidiacono pro XV. canonicis fundatam, a Deodvvino episcopo Leodiensi restauratam, & a fundamentis erectam, additis etiam XV. canonicis, scribit Egidius de Aurea-valle.

mos fratrum & hospitale fieri sub anathemate interdiximus. Ubi etiam, quia locus erat aptus, cursum aquæ adjicientes, molendinum fratrum fieri decrevimus. Quoniam vero in eadem ecclesia requiem elegi in sæculum sæculi, eam cum appendicibus, ecclesiis, & omni clero ab omni subjectione archidiaconi, ipso annuente & tota Leodiensi ecclesia, absolvimus, & eorum omnium curam decano ejusdem delegavimus. Decrevimus etiam ut neque familia ad altare pertinens, neque possessio aliqua libere tradita sæcularem vel substitutum haberet advocatum, sed legitimus advocatus eis præesset ad defensionem, non ad exactionem. Hæc omnia vero peracta ipso die quo ecclesiam dedicavi, adjuvante LIETBERTO (a) Cameracensi episcopo, Gosbertus archidiaconus alta voce recitavit sine contradictione. [a] Ego autem & prædictus episcopus perpetuo anathemate obligavimus quisquis aliquid eorum violare præsumserit, ut æternos cruciatus cum diabolo & angelis ejus perferat, nisi de injuria satisfaciat. Visum est autem & advocatum & testes subter annotare archidiaconos; Herimannus præpositus, Godescalcus, Godescalcus, Godescalcus tertius, Boso, Dietwinus. Præterea Wolbertus decanus, Asculfus cantor, Franco scholasticus. Laici vero comes ADELBERTUS, comes HEINRICUS, comes CONO, Walcherus advocatus ecclesiæ, Godescalcus de Cennaco, Godefridus & Arnulfus de Florinis, Theodricus de Floreffia, & frater ejus Christinus. Herimannus *de Gers*, Stephanus *de Faule*. Facta sunt hæc anno episcopatus domni DIETWINI XVIII. regis vero HENRICI anno XI. Ego Franco scholasticus recognovi.

EPISTOLA R. MONACHI SANCTI Victoris ad B. abbatem suum.

Excusat se quod nondum redierit ex Italia, oratque ut studio legum operam dare sibi liceat.

Ex archivis S. Victoris eruit D. Furnerius.

B. (b) suo reverentissimo domino summæque laudis dignissimo monasterii Massiliensis divinæ largitatis munificentia dispensatori quam optimo, R. ejusdem servus omnium licet sibi famulantium humillimus, non in dilectione tamen minimus debitæ servitutis obsequium. [b]

Evangelista testante, liquet ab angelis fuisse declaratum, quod *in terra pax hominibus bonæ voluntatis*. Et alibi scriptum est: *Sufficit bona voluntas*. Jure igitur, sicut voluntas aliquod perficiendi bonum, etsi proficere nequeat, sufficiens esse perhibeatur, eadem quoque mihi quam erga vos semper habui, sufficere proculdubio credatur. Nam postquam vestræ magnitudinis fama, quæ jam diu meis intonuerant auribus; corporeis oculis videre promerui, vestræ, dilectionis immensitati, prout multis scire licuit, meæ parvitatis ingenium inseparabiliter adhibere studui, sed ut probatio dilectionis quæ infra pectoris septa æstuando latitabat, operis exhibitione quandoque redoleret, admodum optare solebam. Nec ideo quia Deus plebem suam visitavit, quoniam vos ad optimam, quam elegit sibi Maria, partem sublimavit, & monasterium Massiliense jam rectoris indigentia penitus obfuscatum vestrarum illustratione virtutum mirifice decoravit. Quantum constat me gaudere, si omnes artus in linguas verterentur, impossibile est cuiquam explicare. Si autem vestræ solitæ bonitati placeat, attende: ubi vos ad prædictum, Deo ducente, gradum provectum fuisse comperi, uti vestris obtemperarem jussibus, cur venire distuli, causam tamen etsi non sufficientem reddere sum paratus. Noscat itaque vestra, desiderantissime pater, clementia, me quondam prædicti cœnobii fratrum accepta licentia, pro quodam nobis imminenti & intolerabili negotio satis, ut credo, jam vobis notificato Romam ire cœpisse, ac usque Papiam sine collega proprio nimia paupertate dimisisse, Romam cum extraneis profectum fuisse: sed quia divinæ voluntati me cœptum iter complere non libuit, animal cujus vehiculo Romam usque tendere satagebam in itinere prius infirmatum prorsus ibidem mihi defuit. Quapropter ulterius incedere quia non valerem, infectoque negotio statim redire vehementer erubescerem, prius quidem titubare cœpi, postremo tamen litterarum studiis operam dare disposui, ibique paucis Dei gratia interpositis moris, hactenus animum exercendo moratus fui. Hæc est igitur causa, dulcissime domine, cur postquam illud quod anima mea diu optaverat, evenisse concepi, ad vos festinare distuli. Immo magis ac magis, ut melius vobis ammodo vita comite deservire valeam, studere proposui. Nunc autem quia per totam fere Italiam scholares & maxime Provinciales necnon ipsius ordinis, de quo sum, quia plures legibus catervatim studium adhibentes incessanter conspicio, & monasterium nostrum a clericis & a laicis sine intermissione placitando lacessiri, atque justarum possessionum detrimentum pati considero, aliquantulam hujusmodi scientiam habere desidero. Nam si quid in hoc opere, divina largiente gratia, prævalerem, nec sæcularibus placitis iniarem, sed solam nostri monasterii justitiam quantum possem, adjuvarem. Si vestræ igitur, summe pater, dig-

(a) Lietbertus anno 1049. Gerardo episcopo Cameracensi suffectus est, abbatiam S. Sepulcri ordinis S. Benedicti, in qua conditus jacet, fundavit; obiit meritis plenus anno 1076.

(b) Forte Bernardo, qui ab anno 1065. ad 1079. Massiliense S. Victoris monasterium rexit.

nitati placeat, ut in hoc opere studium pro A posse meo exerceam, quæso & suppliciter obsecro, quatenus super hoc negotio caritativam mihi licentiam impendatis, & Pisano priori vestris litteris, ut mihi subveniat, mandare disponatis. Si enim quod expecto apud vestram misericordiam impetravero, Pisas ad exercendum ibi studium, si Deus concesserit, adiero. Interim autem usque ad festivitatem sancti Michaëlis vestræ consolationis præceptum expectavero. Valete.

CARTA FUNDATIONIS prioratus SS. Cosmæ & Damiani prope Mellentum ab Hugone comite.

Anno 1067. Ex cartulario Columbensi.

NOTUM sit omnibus, quod ego HUGO comes Mellenti pro salute animæ meæ ac conjugis nomine ADELIDIS, seu pro anima genitoris mei comitis GALERANNI, atque ODÆ genitricis meæ, almæ Mariæ cœnobii Columbensis libens concedo ecclesiam quamdam in honore sanctorum Cosmæ & Damiani, in quamdam insulam constructam, quæ fere jungitur Mellenti castro. Eamdem denique insulam, in qua ipsa ecclesia sita est, sicut flumen Sequanæ circumluit, & vallis vadens ab uno brachio Sequanæ usque in alterum, ita per deprecationem GAUFRIDI C abbatis atque Roberti monachi, cujus pio studio grandiuscula facta est ipsa ecclesia, monachis ibidem degentibus concedo, ut ab hac die & deinceps perpetuo jure possideant, inhabitent & ædificent, sine refragatione cujuspiam. Pro hac, inquam, nostra donatione recompensationis vice cum his quos mecum in beneficio posui, a monachis mihi debentur, quamdiu mundi rota volvitur, duæ missæ, una quidem in cœnobio Columbensi, altera vero in ecclesia quam contuli, atque si aliquis nostrorum fidelium ex propriis rebus aliquid contulerit, annuo cor- D de toto. Et ut hæc cartula inconvulsa permaneat, corroboravi propria manu, nostrorumque fidelium manibus corroborandam tradidi, quorum subscripta sunt nomina.

Actum publice Columbis dum commune bellum ibidem ageretur a ROBERTO Carnotensi præsule, cum castro Novigente anno Verbi Incarnati MLXVII. indictione V. regnante PHILIPPO rege, anno regni ejus nono.

Signum GAUFRIDI abbatis.
Signum Roberti monachi.
Signum Gasthonis monachi.
Signum Petri monachi. E
Signum HUGONIS comitis.
Signum ROBERTI episcopi Carnotensis.
Signum Gaufridi Melfi.
Signum Hugonis filii Guasthonis.
Signum Richardi filii Herluini.

LITTERÆ ARNULFI COMITIS Chiniacensis.

De fundatione cellæ in villa Pyrorum sub Andaginensis monasterii sancti Huberti administratione.

Anno 1068. Ex archivis S. Huberti.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego ARNULFUS comes cum conjuge mea ADELAIS, filius LUDOVICI comitis, præsentibus & futuris sanctæ matris ecclesiæ filiis. Audiens in evangelio quia nihil prodest B homini, si lucretur universum mundum, animæ autem suæ patiatur detrimentum; audiatis & credatis firmissimum, quod patri meo & matri meæ & omnibus antecessoribus meis primum, & post animæ meæ & heredibus meis statui singulare remedium. In villa Pyrorum habebam paterno jure clericalem abbatiolam in honore S. Sulpitii fundatam, fideli quidem satis antecessorum meorum devotione, sed pauperiori quam oportebat redituum proventione. Hanc ampliatam pro posse rebus subter notandis, quia necdum ut volebam per se consistebat satis, communi consilio archiepiscopi Remorum, ad cujus diocesim pertinet abbatiola ipsa, subjectam feci eam seniori ecclesiæ S. Petri & S. Hugberti in Ardenna, ea conditione, ut abbas de sancto Hugberto ponat monachos, quibus ipse præsit in loco illo, nec error aliquis generetur super hujusmodi opere, loco ut antiquitus ad diocesim Remensem pertinente, mihi & heredibus meis reservata legali advocatione, & ad matrem ecclesiam S. Huberti subjectione perpetua remanente. In ipsa villa Pyrorum do totum allodium quod jacet super *Marbaiz* ex utraque parte. Ex una vero parte super ripam Mosæ usque ad Helmericum-montem, & exinde usque ad *Fainon*, dimidiam partem, cum pratis & silvis & piscatura, necnon & familiam, quæ ad eamdem pertinet villam. Medietatem ecclesiæ de *Stavelz*, de ecclesia Auræ medietatem, de ecclesia *Vilers* medietatem, medietatem decimæ *Dasaivinsart* & de Beurona. De quartario in *Orsau*, medietatem decimæ; in *Floheirmont* dimidium molendinum de indominicatu, in *Givel* totam nonam, de ecclesia in *Surei* quartam partem, decimam molendini in *Castilon*, septem mansos pertinentes ad S. Hilarium cum tota familia. Donum ex integro capellæ S. Johannis *in Vvarc*, sessuram molendini ad *Baiart*, decimam de S. Hilario & *de Vvarc*, de omni indominicatu, scilicet de terris indominicatis, de silvis indominicatis, de sexteragio, de furno, de cambis, de sotularibus & de cyrothecis. Signum ARNULPHI comitis & MANASSE fratris ejus, S. Reguini, S. Radbodi, S. Lantberti de Turre, S. Lamberti de Porta,

S. Johannis *de Vvarc*, S. Reguini, S. Theoderici filiorum ejus, S. Thietbaldi *de Tylah*, S. Rodulphi, S. Wlberti, S. Ingebrandi, S. Arnulphi, S. Lietberti, S. Wahonis, S. Warneri *de Cipley*.

NOTITIA
De confirmatione terræ de Sarciaco.

Circa 1068 *Ex cartario S. Vincentii Cenomanensis.*

NOTUM fieri volumus sanctæ ecclesiæ fidelibus tam * futuris quam futuris, quod postquam GERVASIUS archipræsul B excussit Herberto de Miletia terram de * Sarciaco, & reddidit eam sancto Vincentio, donavit & in perpetuo annuit sancto Vincentio quicquid consuetudinis ipse & pater suus antea in eadem terra juste aut injuste facere habuerat. Post mortem autem ipsius domni GERVASII (a) archiepiscopi, confirmavit & corroboravit omnino Gervasius ipsius nepos donum hoc, id est vicariatam prædictæ terræ de Sarciaco, & quicquid ad vicariatam pertinet, & venationem totius bosci sancti Vincentii, quam abbas & monachi S. Vincentii ibi capi facient, aut eorum homines per eorum jussionem. Hoc igitur donum ita dedit & rite confirmavit supra memoratus Gervasius, nepos videlicet domni Gervasii archipræsulis VI. idus Aprilis in Magitto, in receptaculo quod dicunt Rupi, annuente fratre suo ADAM, & testibus viris plurimis, quorum hic conscripta sunt nomina. Hilduinus videlicet Drudus, qui primi doni quod domnus GERVASIUS archipræsul prius sancto Vincentio fecerat testis fuit ibi. Hamelinus Espinardus, Drogo de *Semmur*, Mainardus de Sporciaco, Robertus de Acri-silva, Hamelinus Durusdens, Hugo *Lavarzint*, Hato filius Bosonis...... RAGINALDUS abbas atque sui monachi Augerius, Thescelinus, Richardus.

* l. præsentibus.
* l. Sarci.

EPISTOLA BERNARDI
comitis Bisuldunensis ad Bernardum abbatem Massiliensem.

Ad eliminandam ex Rivipullensi monasterio simoniam, orat ut illud per suos monachos regendum suscipiat.

Anno 1070. *Ex archivis S. Victoris eruit D. Furnerius.*

DOMNO B. Massiliensium venerabili abbati omnique sanctæ congregationi sub ejus custodia Christo militanti BERNARDUS comes Bisuldunensium fidelem in Domino .... & cæleste consequi bravium.

Quoniam quicquid a me mihique sæcularibus videlicet hominibus in hoc sæculo nequam digne devoteve agitur; spiritualium A virorum precibus impetratum non ambigo. Idcirco arbitratu meo illic existimo referendum, quibus intercessoribus jure creditur adeptum, quatinus illorum gratiarum actione ac providentissima cura obtineat rectitudinis statum, quod ab immeritis fuerit inchoatum. Quapropter noverit vestra pia sollicitudo, locum Dei genitricis Mariæ Rivipollentis (b) cœnobii, qui a tempore domni OLIVÆ (c) pontificis a simoniacis male possessus, turpibus succubuerat quæstibus, ejusdem Dei genitricis auxilio tamque vestro quam ceterorum, ut credo, fidelium optentu, me ab omni hæreticæ pravitatis contagio emundasse, illumque pseudo-abbatem MIRONEM, qui post interdictum sedis apostolicæ ejusdem regimen conatus est simoniace optinere, domni GUIFREDI archiepiscopi, necnon BERENGARII Gerundensis episcopi, ac GUILLELMI Ausonensis præsulis adjutorio, cum suis satellitibus universis a loco & regimine, sine ullo restitutionis respectu expulisse; quo depulso cum quærerem qualiter vel quo ordine ab illo sancto C loco omnem hæreticum ambitum de cetero præcavere possem, id mihi a meis magnatibus, & præcipue ab hoc archidiacono suisque sodalibus suggestum est, ut vestræ dominationi vestrisque institutis illum subjicere non refugerem, si a perversis machinationibus hæreticorum deinceps haberi vellem immunem. Quod ipsum cum Dei genitricis amore, tum vestri, mi domne abbas, venerandi nominis in me transfusa dignitate, nequaquam difficile visum est, quin statim justo eorum consilio annuerem, eosdemque ad vos confestim mitterem, quo D eisdem convocaremini nunciis, quibus ad id agendum visus sum consiliariis, & quod eorum linguis hoc idem meis testarer litteris. Unde volo vos nosse, si id vestræ non distulerit moræ, me præparatum esse illud de quo agitur cœnobium vestræ subdere ditioni, & serie scripturæ a vobis confectæ propria manu Deo sanctoque Victori firmare, ut numquam a reliquo sit abbas, nisi quem vobis, domne B. vestrisque successoribus ex consulta Massiliensis collegii regularitate eligere placuerit, hoc tantum ad præsens nobis concesso, ut domnus GIR- E BERTUS, cui omnia quæ juris sunt cœnobii jam dudum nota sunt, curam illius vestro jussu primum gerat, ne plebs universa fiat minus religiosa quam convenit, si non licuerit illi hunc habere quem quærit. Ut autem omnia quæ erga vos vestrumque locum a me agenda sunt, melius quam hic scribi possunt, velociter fiant, simul cum his nunciis vos, mi domne abbas, cum nonnullis

(a) Gervasius adhuc in vivis supererat anno 1067. quo abbatiam sancti Dionysii Remensis fundavit. sed anno 1068. sortitus erat successorem Manassem, hinc mortis ejus tempus facile dignosci potest.

(b) Rivipullense monasterium, Gallice *Ripouille*, insigne ordinis S. Benedicti in diœcesi Ausonensi anno 888 à Vvifrido comite Barcinonensi conditum est.

(c) Hic Oliva sive Oliba episcopus fuit Ausonensis & abbas Rivipullensis, atque etiam Coxanensis, frater Vvifredi comitis Ceritaniæ, obiit 1047.

vestri conventus, non sine domno Girberto A celeriter ad me usque .... & in omnibus, quæ ad stabilitatem hujus negotii pertinere possunt, requisitis & receptis. Demum hunc quem volumus.... studeat industria, sicque a vobis actum in vestros successores transeat per sæcula ventura. Ergo quia vicinorum adversatorem, cultoresque virtutum fama præcurrente vos esse didicimus, ideo hoc nobile cœnobium, quod ob reverentiam totius religionis, & scientiæ olim caput & specimen universæ esse meruit Esperiæ, Deo annuente, per vos in statum pristinum cupimus reparari, quo dum illud vestri instan- B tia resumserit habitam venerationem, coronam gloriæ a Filio ejusdem Virginis suscipiatis auctiorem. Quod si rem tam dignam nec Dei amore dignati fueritis suscipere, necesse erit nobis alibi inquirere, cum quibus & per quos acerbitatis nostræ virus possimus deponere. Scitis quid velimus, orate ut possimus. Igitur totum & amplius quam quod comes Barchinonensis de cœnobio [a] sanctæ Mariæ (a) Crassæ vobis fecit, ego dum libertatem Massiliensem de isto properat facere, excepto quod nec gladium C neque contum sinam vos illic formidare. Hæc in fine curavi addere, ut si hoc renueret accipere, quidquid omnipotens secus quam oportuerit, ibidem agi conspexerit, illud ab hinc vestræ & non meæ imputet culpæ, qui scit me hæc veraci corde proferre. Valeat sanctitas vestra in Domino.

DIPLOMA BERNARDI comitis Bisuldunensis.

Rivipullensem abbatiam monasterio Massiliensi S. Victoris subjicit. D

Circa 1070. Ex archivis S. Victoris eruit D. Furnerius.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego BERNARDUS gratia Dei comes Bisuldunensis donator sum omnipotenti Deo & S. Mariæ sanctoque Victori martyri de Massilia, ac BERNARDO abbati ipsius monasterii, & omnibus successoribus ejus per hanc meæ donationis scripturam. Dono eis monasterium S. Mariæ de Rivopullo, cum omnibns rebus quæ ad se pertinent & pertinere debent, sub eo tenore, ut ipse BERNARDUS & successores eligant semper & E mittant ibi abbates, qui servitium Dei in eodem monasterio faciant, & regulam S. Benedicti ibi teneant & tenere faciant, & obedientes sint semper in omnibus abbates, & omnis congregatio ipsius monasterii Massiliensi abbati præsenti & successoribus ejus, & hoc semper sit factum ad servitium Dei, & ad fidelitatem de me Bernardo & successorum meorum, & ut sedes sancti Petri de Ausona & episcopi orthodoxi ipsius loci habeant ibi quod juste habere debent. Et si, quod absit, abbas sive abbates ibi electi vel congregatio ejus regulam S. Benedicti non observaverit, & inobedientes extiterint, Massiliensis abbas ibi semper quando voluerit veniat, & eos ut corrigantur, admoneat, & de malo ad bonum convertat. Si autem rebelles fuerint, & ammonitionibus ejus credere noluerint, Massiliensis abbas semper potestatem habeat ejiciendi malos & mittendi bonos, & pro Dei amore & caritate divina Bisuldunensis comes & Ausonensis episcopus ad hoc faciendum sint illi adjutores. Et hoc tamdiu firmiter & immobiliter maneat, quamdiu monasterium S. Victoris regulariter steterit, & regulam S. Benedicti habitantes ibi tenuerint. Et non liceat mihi BERNARDO præfato comiti, nec ullo successorum meorum, hanc donationem disrumpere aut transmutare, vel aliquo modo minuere. Et hoc totum ideo est factum, quia locus ille propter simoniacos abbates pene absque religione & sine regula S. Benedicti manebat, & ideo quicumque adjutores & fautores ad hoc opus prædicto factum extiterint, & adjutorium regulariter ibi degentibus impenderint, in primis benedictionem a Deo accipiant, & omnibus orationibus ac bonis operibus, quæ in prælibato monasterio factæ fuerint, sive in monasterio Massiliensi & (b) Tomeriensi, [b] sanctæque Mariæ Crassæ, sanctique Cucuphatis (c) de Vallense & in Ausonensi [c] sede, sive in omnibus cellis supradictorum cœnobiorum partem & societatem habeant, & insuper æternam retributionem adquirant. Quicumque etiam huic nostræ institutioni contrarii fuerint, & disrumpere, instigante diabolo, per aliquam occasionem tentaverint, iram Dei incurrant, & omnibus sacrilegis & in inferno damnatis socii maneant, nisi resipuerint, & ad satisfactionem venerint. Quod est factum v. calendas Januarii anno MLXX. ab Incarnatione Christi anno, X. anno PHILIPPI regis. Sig † num BERNARDI comitis qui hanc largitionis scripturam scribere jussi in Rivopollentino capitulo coram omnibus solito signo manibus propriis firmavi. † WILLELMUS gratia Dei episcopus Ausonensis ecclesiæ firmavi. † ANDREAS (d) abbas S. Johannis firmavi. † [d]

(a) Cœnobium B. Mariæ de Crassa, olim de Orbione à proximo fluvio & etiam de Novaliis ab amoena valle dictum, in diœcesi Carcassonensi à Nebridio abbate, qui postea fuit archiepiscopus Narbonensis, conditum fuit, cujus fundationem ratam habuit Carolus Magnus anno regni sui undecimo id est 778.

(b) Tomeriense S. Pauli monasterium olim insigne ordinis S. Benedicti in diœcesi Narbonensi, in sedem episcopalem metropolis Narbonensis suffraganeam erectum fuit à Johanne XXII. perseverantibus nihilominus in eo monachis, qui anno dumtaxat 1615. sæculari toga à Paulo V. donati sunt.

(c) S. Cucuphatis monasterium in pago Vvallensi extruxerat Ludovicus Pius, quod à paganis eversum rex Lotharius restituit.

(d) Hic abbas Andreas subscripsit etiam anno 1056. conventionibus initis inter Raimundum Berengarii comitem Barcinonensem, & Ermesindem comitissam aviam ejus.

Bernardus levita & canonicus firmavi, Heribaldus sedis Ausonæ canonicus firmavi, Willelmus primiscrinius firmavi. Sig † num RAYMUNDI vicecomitis Cardonensis, sig † num Udalardi Bernardi, sig † num Petri Bernardi, sig † num Bernardi Wifredi de Porcella, sig † num Pontii Blidgarii, sig † num Arnaldi Arnaldi, sig † num Petri Adalberti, sig † num Udalardi Gaufredi, sig † num Guillelmi Bernardi archidiaconi de Guardia, sig † num Bernardi Raimundi fratris ejus, sig † num Bernardi Mironi. Bernardus monachus, qui hanc largitionis scripturam scripsit.

EPISTOLA E. AD B.

De felici obitu fratris Johannis Tolosani & aliorum, de statu monasterii.

Circa 1070. Ex archivis S. Victoris eruit D. Furnerius. [a]

DEsiderantissimo domino & patri (a) B. frater E. & Massiliensis conventus fidelium orationum munus.

Dum autem a vestra paternitate juxta conditum optatum præstolamur videre nuncium, diu distulimus vobis mittere nostrum. Longius autem noluimus expectare, non tamen impari desiderio vos quæ erga nos agantur, quam nos vestrum esse credimus nosse cupere. Noveritis ergo carissimum nostrum fratrem domnum Johannem Tolosanum immutabili vitæ suæ abdita ultima felici confessione migrasse a corpore. Post VIII. namque dies, quibus illa qua frequenter decumbebat capitis ægrotavit molestia, visitantes se fratres de regulari ordine, de servanda disciplina, de pia sollicitudine, de majorum institutis custodiendis ammonere non destitit. Priori autem & alteri fratri seorsum confessus, cum omnia indumenta quæ regulariter habere licet, paucis quibus vestiebatur retentis, eis reddidisset, nec cultellum passus est lecto suo suspendi, dehinc sicut petierat, oleo sacro perunctus, data pace omnibus fratribus, priusquam dominicam Eucharistiam sumeret, confessus est omnia Dei propriique abbatis præcepta transgressum esse, seque inobedientem & prævaricatorem & superbum existere, verumtamen de misericordia piissimi Domini, qui peccatores venit in hunc mundum salvos facere, numquam desperare; sed in illo totam spem veniæ habere, seque ab hac fidei firmitate numquam recedere. Tunc nostri omnium generali intercessione absolutus, sancta est communione munitus, abhinc nocte altera quæ vigiliarum festi S. archangeli Michaëlis habebatur, priusquam ad nocturnalem surgeremus officium, excitati ad repentinum tabulæ sonitum, accurrimus ad illum, quem in cilicio positum, cinere undique aspersum in supremo spiritu invenimus constitutum. Nosque flentibus & psallentibus ejusque animam Domino commendantibus, post paululum defunctus ad ecclesiam perlatus est, cujus spiritum per gratiam Dei a B. Michaële susceptum, & in Abrahæ patriarchæ gremio non diffidimus collocatum. Domnorum quoque aliorum fratrum vobis innotescere volumus decessum, illius scilicet ægri quem apud S. Petrum Paradisi post paternam consolationem solitus eratis deosculari: & Willelmi de Petris-geminis, quorum prior XI. calendas Septembris, alter VI. idus Septembris obiit. De carissimo autem fratre nostro B. non est nobis necesse quicquam dicere, de quo ante vos quam nos contigit nosse: sed cum spem vitæ futuræ habentes Apostoli præcepto de dormientibus in Domino prohibemur contristari, vosque sciamus sicut in nobis commissorum laudabili vita: ita immo magis bono fine finique connexa salubri confessione lætari, nequaquam tamen sine nimio cordis dolore possumus agi, vosque eodem paternis visceribus credimus propulsare, quoniam dum istos necesse est, Domino vocante, decedere, alios ad exteriora curanda vestro jussu discedere, fiunt numero pauci qui custodiæ fraternæ sciant invigilare, conventui gaudeant sedulo interesse, ordinem moresque nostros diligendo observare, & negligentes prout oportet noverint increpando corrigere. Accedit mœroris ad augmentum neglecta numerositas possessionum a me fratre E. lustratarum, quæ pereunt indigentia procuratorum. Unde paternitatem vestram obnixe deprecamur, quæ soliti estis justis nostris petitionibus semper accommodare aurem, & vobis subditi conventus ac si prælati pertimescere motum, ut de honestioribus personis in ordine voluntariis nobis domi forisque necessariis, quas per monasteria & loca quæ peragraturus estis, repereritis, ipsis caritatis gratia, qua illuc eas dispersceritis, tot iterum ad nos reducatis, ut & ordo sicut antiquitus legitime teneatur in claustris, & rerum cura, Deo annuente, diligentius disponatur foris. Quas licet melius nobis non ignoremus vos nosse ac propendere, aliquos tamen fategimus vobis nominatim exprimere, quos huc vellemus adesse, Berengarium videlicet Menerbensem, Pontium Godini, & Almeradum ac Raymundum Arnalli, quia valde nostrum desiderat videre conventum, nec non Ber. Amelii cum aliis quos huic necessitate utiles judicaveritis. Petimus ergo, etsi custos in vineis positus estis, tamen principaliter nobis designare non intermittatis custodiam vineæ, tempus dispergendi lapides & tempus congregandi. Recurrant pro

(a) B. ad quem scripta est epistola conjicio esse Bernardum abbatem Massiliensem extra monasterium pro publicis negotiis agentem, cui E. fortasse prior aut unus e præcipuis officiariis rationem reddit de statu conventus.

membra ad caput, ne ipso languescente, A omnia invalide fiant, vestrum esse & litteris & relatu firmo nobis si placet mandate. Paternitatem vestram Dominus incolumem custodiat, dulcissime pater. Amen.

EPISTOLA D. AD B.

Exponit ei quas patitur miserias.

Ex archivis S. Victoris Massiliensis eruit D. Furnerius.

DOMNO & patri amantissimo B. frater D. etsi qualescumque tamen fideles B orationes in Christo.

Satis apparet in turbido litterarum mearum rivulo, qui ad vestræ sapientiæ copiosum mare pervenit, de quam perturbato fonte procedit. In his autem diebus lamentationibus Jeremiæ dedicatis, lamentatio mihi jure & ordinate augetur, cum eum, quem cariorem ipsis etiam uterinis meis fratribus habeo, dehonestatum, & quasi pro vili habitum in his quæ ad me pertinent, audio. Sed de hoc quid modo agam, nescio, quia statim ad vos venire non possum, & a C vobis audire quid mihi juberetis esse agendum. Unum autem in aurem mœrens dico, quia etsi mihi ad insipientiam meam & negligentiam male est; vos tamen & domini mei Massilienses de hoc extranei non eritis, qui talem me qualis sum melius me noveratis, & taliter vos circa me agatis. Ecce enim undique tribulor, & a vobis nec plene possideor, nec funditus relinquor; quæcumque habui cum me ipso dominis meis tradidi, & illis relinquentibus & recedentibus, necessitate compulsus, inimicis Dei D & nostris commisi, qui Deo & nobis & vobis, quod mihi gravius, & inobedientes, quicquid in manibus eorum venerit dissipant & confundunt. Unde præter....... cum me ille domnus major ceteris amicis vestris afflictum nimium viderit, & causas afflictionis justas esse cognosceret, mihique in veritate promitteret, quod numquam secundum fidem suam me Deus multæ miserationis usquequaque desereret; & ego adhuc flens miseriam meam & misericordiam vestram, quam mihi plus omnibus hominibus impenditis, nec non & non curam seniorum E nostrorum exponerem, exardescens ejus caritas plus quam sperare poteram promisit, quod quantoscumque ex contrariis illi ducerem retineret. Et si vos & conventus vester licentiam illi dederitis, me secundum vires suas in omnibus juvaret. Scit etenim ille & vos quod ego, Deo juvante, integre vestri fidelis ero in æternum. Idcirco statim post sanctum phasem in ebdomada azymorum ad eum ire dispono, adjutorio Dei per vestras orationes fultus, ut dubrum dentium mutandorum, de quibus gravissimum dolorem patior, medicinam a tanto medico deposcam. Quapropter non potero ad eos deducendum, ut desiderabam, versus vos properare; sed spero me per misericordiam Dei, antequam vos in domo nostra veniatis, t... cum a fratre * Petri celeriter redire. Vos autem si vobis & his qui vobiscum sunt bonum videtur, ita facite secundum consilium meum, ut a comitis Bisuldunensis nunciis usque Narbonam vos deduci ab eodem comite obtineatis, & ibi B. Petri consobrinum meum a me rogatum, aut nuncios ejus invenietis, qui vos usque domum vestram & nostram deducant. Rogo autem ut pro nobis Deum & piam ejus matrem oretis. Domnum & amicum nostrum abbatem Rivipollensem & cunctos fratres vice nostra salutetis, & pro nobis orare rogetis, & obsequia nostræ servitutis illis spondeatis, & Raimundum Arnalli scriptorem novitium ad nos usque vobiscum adducatis. Ego enim dicam vobis in quod opus erit vobis multum necessarius. Valete & confortamini in Domino.

*f. B. Petri, ut infra.

EPISTOLA ALEXANDRI PAPÆ II. ad Udonem archiepiscopum Trevirensem.

De pœnitentia sacerdotis incestuosi perpetua.

Circa 1070. Ex ms. S. Vuilbrordi Epternac. [a]

ALEXANDER episcopus servus servorum Dei (a) UDONI carissimo fratri Trevirorum archipræsuli salutem & apostolicam benedictionem.

Litteris tuis, dilectissime frater, susceptis, quemdam sacerdotem matris & filiæ commixtione pollutum didicimus, eumdemque officio prohibito, susceptoque pœnitendi judicio, missarum officia usurpasse cognovimus, item, depositum psalmodiis quotidianis addictum, carnibus vetitis jejunio maceratum intelleximus. Propterea quod a te caute provisum sapienterque dispositum est, ex toto commutare indignum; sed ut in hac pœnitentia eum omnibus diebus vitæ suæ facias permanere, nobis scias per omnia complacere. Verumtamen quia per baculum principis apostolorum Petri quem per manus sancti Eucharii discipuli Domini suscepisti, præ omnibus Galliæ & Germaniæ suffultus, viciniori nimirum Romanæ sedis affinitate in Domino gloriaris; ne nostris, quod absit, temporibus, tantæ dignitatis privilegio aliquatenus destituaris, volumus ut in hujus clerici pœnitentia, & in omnibus a te dandis vel adimendis pœnitentiæ vinculis, liberiori quoque præ ceteris Galliæ & Germaniæ pia moderatione episcopis, propriæ discretionis arbitrio fungaris, quatenus & afflictioribus & spiritu contritioribus, frænum disciplinæ pia moderatione remittere sufficias, superbis vero jugumque disciplinæ Domini detrectantibus eadem ligamina

(a) Udo Trevirensis sedis thronum ascendit anno 1067. ex Chronico Alberici.

gamina justa severitate constringere pravaleas. Vale.

FUNDATIO PRIORATUS S. Petri de Soldiaco.

Anno 1070. Ex cartario S. Vincentii Cenomanensis.

I. PLERIQUE in hoc sæculo mundanarum tumultibus pressi causarum, & carnalium concupiscentiis dediti voluptatum, tanto magis quotidie deteriores fiunt, quanto sæcularibus intenti negotiis, nullo mentis desiderio ad æterna evolare contendunt. Hi nimirum idcirco à cælestis patriæ dulcedine separantur, quia misericordiæ visceribus carentes, & pietatis opera ignorantes, totam suæ actionis intentionem in infimis posuerunt. Quapropter ego ACHARDUS peccatorum meorum sarcinam considerans, ac damnationis æternæ pœnas perhorrescens, pro remedio animæ meæ, & uxoris meæ, parentumque meorum vivorum ad defunctorum, talem partem, & talem quam habeo calumniam in ecclesia sancti Petri de* Soldiaco, relinquo, annuo, & perpetualiter monachorum gregi S. Vincentii habendam confirmo & concedo. Hæc sunt autem quæ eis relinquo & annuo vindragium videlicet ecclesiæ, panem & candelam & sepulturam, & omnes ecclesias eidem ecclesiæ pertinentes. Præterea eis tribuo quoddam virgultum juxta caput ecclesiæ situm; & in eodem loco unum arpennum prati, & de altera parte ecclesiæ quamdam partem prati, & circa eamdem ecclesiam tres escas terræ, ubi seminantur duo modii frumenti & amplius. In alio autem loco illis tribuo quamdam mansionem terræ & unum bordagium, & in rivulo *Cotron* nominato unum molendinum, quod facient monachi, unde ego tertiam molturæ partem habebo, sed ipsi habebunt proprium molendinarium, & ipsius molendini totam piscationem, & in eodem rivulo unius piscatoris piscationem. Sed postquam molendinum erit factum, talem partem quam accipiam, talem ad facturas molendini mittam. Tribuo etiam illis in lucis meis ubicumque voluerint, pastionem tantorum porcorum, quantos monachus in eodem loco degens habebit, & pastionem porcorum sui presbyteri. De eisdem vero lucis meis ad omnia sua necessaria facienda quantum voluerint & quantum eis opus fuerit habebunt, & monachus & homines sui, excepto quod aliis non vendent. Quidquid etiam dono ex fevo meo adquirere poterunt monachi, ita tamen ut non perdam servitium meum ex hominibus meis, omne sine ulla pecunia annuo illis. Pro angustia vero paupertatis quæ me constringit, tertiam partem decimæ omnium annonarum in manu mea retinui; excepto quod monachi de omni terra sua omnia quæcumque exient, solide & quiete habebunt. Nullam consuetudinem, nullam calumniam seu contumeliam pro nullo forisfacto, quod mihi homines monachorum faciant, eis inferam, quousque monacho de illis clamorem faciam.

*Soudai.

Hæc omnia facta sunt in camera Wilhelmi *Goet* in castro quod nominatur Mons-mirabilis, videntibus & audientibus istis viris, Wilhelmo *Goez* & uxore ejus Eustachia, Radulpho filio Rotrochi, Wiscelino & Singenfrido filiis Huberti, WILHELMO GAUFRIDI vicecomitis filio, Wilhelmo de Coderia, Gisleberto portario, Samsone de Puteolo, Landrico vicario, Herberto de Quercu-rufa, Herberto de Arro, Wauterio de Curte-Genardi, Wilhelmo filio Martini, Hugone de Boeria, Herluino Grossino, Fulcaldo *de Brais*, Hermenario famulo, Fulcoio de Monesteriolo, Bovone Muschez, Odone de Meleriaco, Lealdo filio Hilderarii, Herveo forestario, Joslino, Achardo, & uxore ejus Gila; & duobus filiis eorum (a) Raherio & Achardo. Ipso die dederunt monachi sancti Vincentii supradicto Achardo unum equum & denariorum sexaginta solidos in caritate, quos ei dedit Wido monachus; & uxori ejus Gilæ unam tunicam de *Perset*. Hæc omnia annuit (b) Petrus filius Achardi, videntibus his viris, Wilhelmo & uxore ejus Eustachia, vicecomite GAUFRIDO, Fulcoio de Monte-forti, Hilgodo Brunello, Villelmo filio Astonis, Hugone de *Curt-Genart*, Theobaudo nepote Landrici vicarii, Samsone de Puteolo, Gaufrido de *Triel*, Helia mimo. Præterea dedit nobis terram Herberti presbyteri cum tribus pratorum arpennis, & decimam suæ venationis ad parochiam de Soldiaco pertinentis, annuente ejus uxore Gila & filiis & filiabus suis, Petro, Raherio, Achardo, Isabel filia, Crista & Agnete, & aliis, his viris Vvilhelmo *Goet*, Vvilhelmo filio Gaufridi vicecomitis, Radulpho fratre Widonis monachi, Vvilhelmo filio Astonis, Fulcoio filio Algerii, *Fatet* homine Gaufridi vicecomitis. Pro hac supradicta terra Herberti presbyteri, habuit Achardus a monachis S. Vincentii, unum equum valde bonum, unde testes fuerunt suprascripti homines.

ERECTIO CELLÆ TUFFIACI ab Hamelino Langiaci domino.

Anno 1070. Ex cartario S. Vincentii Cenomanensis.

QUisquis sanctorum consors & perpetuæ retributionis particeps fore desiderat, oportet ut de rebus caducis & tran

(a) Non multo post septem boves abstulit de obedientia illa Soldiaci, pro quibus diu excommunicatus, tamdem culpam recognoscens, misericordiam Dei & sancti Vincentii apud abbatem Ramnulfum requisivit, atque absolutus fuit in capitulo Tufiacensi, in die assumtionis sanctæ Mariæ, facta prius aliqua restitutione.

(b) Hic Petrus auferre conatus est vicariam Soldiacensis burgi. At monitus ab uxore sua Mathia-Rufa, dimissam eam in capitulo sancti Vincentii confirmavit.

sitoriis cælestia semperque manentia acquirere studeat. Proinde ego HAMELINUS de Langiaco pariterque uxor mea nomine HELVISA, filia Odonis Dublelli, peccaminum nostrorum sarcinam cum Dei timore considerantes, pro salute animarum nostrarum atque parentum nostrorum, insuper & pro remedio animæ Hugonis Dublelli junioris, filii scilicet Odonis Dublelli, cujus corpus in claustro S. Vincentii sepultum requiescit, una cum assensu & voluntate filii nostri Wauterii, & filiæ nostræ Hersendis, meique privigni nomine Ilberti, qui fuit filius pagani, adhibito etiam consilio & favore fidelium & amicorum nostrorum, hortatu quoque & diligenti precatu domni ERNALDI Cenomanensis episcopi, atque domni RAGINALDI abbatis, donavimus Deo & sancto martyri Vincentio, locum S. Mariæ vocabulo Tusiacum, jure perpetuo habendum, & in nomine cellæ semper possidendum, cum omnibus sibi appendiciis, terra scilicet culta & inculta, bosco, vineis, pratis, molendinis, furnilibus, equitumque beneficiis, tali videlicet conventionis tenore, ut in eodem Tusiacensi loco sanctæ Mariæ semper Deo assidue sex monachi deserviant, quorum tres sacerdotes sint, ita tamen si loci substantia adeo abundaverit, ut ibi vivere possint. Quicquid vero præter eorum victualia necessaria superérit, ad rectam abbatis S. Vincentii dispositionem, secundum Deum tractetur. Donamus præterea eidem Deo & S. Vincentio habendam perpetualiter atque possidendam ecclesiam S. Mariæ de Monte-Dublelli cum omnibus rebus ad illam pertinentibus, sicut eas melius canonici solide & quiete & integre eam tenuerunt antea, & quidquid ad eamdem ecclesiam beatæ Mariæ recte pertinuisse bonorum virorum testimonio approbari poterit. Concessimus etiam & ex tota voluntate annuimus, cum assensu & favore omnium supradictorum, ut quicumque hominum nostrorum volet, liberam habeat donandi seu vendendi licentiam abbati & monachis S. Vincentii aliquid sui beneficii, ita tamen ne nos servitium debitum seu castelli nostri amittamus custodiam. Ut autem dona supra memorata firma amodo permaneant, stabiliaque omni tempore, accepi ego Hamelinus a domno RAGINALDO S. Vincentii abbate, & a monachis ejus centum libras denariorum Cenomanensium, & uxor mea supranominata unam libram auri. Ad mandandam igitur posteris suprascriptorum donorum tenacem memoriam, jussimus inde scribi, sicut mos est, hanc testamenti cartam, scriptamque manibus propriis firmavimus, & a quibus oportuit rite fecimus corroborari, in qua etiam testium nomina cum signis sunt annotata. Signum HAMELINI. † Signum HELVISÆ. † Signum WAUTERII filii sui. † Signum HERSENDIS filiæ suæ. † S. ILBERTI privigni sui. S. MATTHÆI de * Monte-aureo. S. Drogonis fratris ejus. S. Fulcherii de * Monte-Dublello. S. Rainardi fratris ejus. S. Sevini de S. Carilepho. S. Willelmi de Rezena. S. Maugerii. S. Gauscelini Britonis. S. Goffridi filii ejus. S. Effredi *de Chinon*. S. Raherii *de Artin*. S. Gaufredi de Maceriis. S. Roberti Godechalli. S. Fulcherii de Burgulio.

* Montoire.
* Mont-Doubleau.

S. ARNALDI Cenomanensis episcopi. † S. Wandelberti canonici. S. Drogonis canonici. S. Ribaudi. S. Warnerii.

S. RAGINALDI abbatis. † S. Tescelini monachi. S. Hugonis monachi. S. Warini monachi. S. Ernulfi presbyteri. S. Lamberti clerici. S. Widonis Scoriatoris. S. Salefredi. S. Odonis †.

Acta autem fuit hæc autorizatio in urbe Cenomanica in capitulo beati Juliani XIV. cal. Aprilis, tempore PHILIPPI Francorum regis, eo videlicet anno quo Robertus Wilhelmi regis Anglorum filius comitatum Cenomanensem recuperavit. Et ego ERNALDUS Cenomanorum episcopus hoc etiam isti paginæ inseri præcepi, ut qui huic voluntati nostræ atque favori obvius esse voluerit; maledictionem illam incurrat, quam propheta in psalmo CVIII. Judæ cantavit, & præsens pagina maneat inconvulsa, quam pro rei hujus firmitate manu propria subscripsi & fratribus meis beati Juliani canonicis roborandum tradidi, quorum hic nomina conscripta sunt cum signis. Signum HOELLI decani. † S. Ingelberti præcentoris. S. Algodi. S. Sabini. S. Imberti. S. Aviani. S. Raginaldi. S. Hugonis. S. Waucerii Osterni. S. Wandelberti. S. Frogerii. S. Huberti. S. Witcherii. S. Godefredi. S. Warini. S. Johannis. II. Circa an. 1072.

S. RAGINALDI abbatis. S. Alberici monachi. S. Wilhelmi monachi. S. Petri * †.

* S. Petri de Cultura ut infra videbimus.

III. Sciendum est etiam quod Hugo Dublellus junior cum fine vitæ suæ confessionem peccatorum suorum faceret, annuit Deo & beato Vincentio, in cujus claustro sepultus est, locum Tusiacensem supra memoratum, sub præsentia & testimonio duorum sacerdotum Aviani atque Sabini, audiente quoque Herberto filio Hugonis & ejus uxore.

IV. Hoc quoque præceptum firmavit WILHELMUS Anglorum rex in capella sua, in loco qui nominatur Bona-villa, in die dominica mediæ quadragesimæ, sub præsenti testimonio horum virorum, scilicet ARNALDI Cenomanensis præsulis, HUGONIS Luxoviensis episcopi, & OSMUNDI cancellarii, Wandelberti clerici, RAGINALDI abbatis, Willelmi & Herberti monachorum S. Petri Culturæ, & Richardi monachi S. Vincentii. †

Firmavit etiam hoc præceptum ROBERTUS comes, filius videlicet WILLELMI An-

glorum regis, in capella sancti Michaëlis, quæ juncta est ecclesiæ beatissimi Juliani, & in vigilia apostolorum Petri & Pauli, videntibus & audientibus his viris, ARNALDO Cenomanensi episcopo, RAGINALDO abbate, Algerio & Goscelino sancti Vincentii monachis, Roberto de Bello-monte, Wilhelmo Wauterii filio, Richardo de Miriaco, Odone filio Toroldi, Roberto de Siccavilla, Giraudo capellano, Wauterio presbytero. †

Signum Hamelini. † Signum Helvisæ uxoris ejus. † Signum Wauterii filii sui. † S. Hersendis filiæ suæ. † S. Ilberti privigni sui. S. Gervasii † filii Roberti de Castello-Lid, qui hanc cartam firmavit sub Monte-cordis, præsentibus his testibus quorum signa hic scripta sunt:

Signum Hugonis de Gena. † S. Orrici de S. Karilepho. S. Alberici de Miletitia. S. Roberti de Arca-villa. S. Warini filii Amarii. S. Roberti vicarii. S. Tegui Britonis. S. Hervei bellatoris S. Petri-Culturæ. S. Helinandi de Cathedris. S. Helinandi filii Alardi. S. Amelini *Facmalum*. S. Simonis de Selgiaco. S. Teberti. S. Martini. S. Costardi. S. Lisoii. S. Matthæi de Monte-aureo. S. Drogonis fratris ejus. S. Fulcherii * *de Lavarzin*. S. Rainardi fratris ejus. S. Sevini de S. Karilefo. S. Wilhelmi de Rezena. S. Maugerii. S. Goscelini Britonis. S. Goffridi filii ejus. S. Effredi de *Chinon*. S. Raherii de *Arcin*. S. Goffredi de Maceriis. S. Roberti Godescalli. S. Fulcherii de Burgulio. †

* Superius dicitur Fulcherius de Monte-Dublello, fuit igitur idem dominus Lavarzini.

Signum RADULFI Turonensis archiepiscopi † qui hanc firmavit cartam in camera sua precatu Hamelini de Lengiaco, præsentibus istis: Gaufredo decano fratre Hamelini, Fulcherio subdecano, Odone clerico Ernaldi episcopi, RAGINALDO abbate, Alberico & Wilhelmo monachis suis.

Signum GERSENDIS comitissæ de cujus beneficio est locus supradictus. † Signum Huberti *Ribole*. S. Petiti. S. Nihardi Malamusca. S. Ingelberti vicarii. S. Fulcoii vicarii. S. Godefridi subvicarii. S. Landrici Wallonis. S. Sainfredi. S. Ansegisi macellarii, ejusque filii Jordanis. S. Gaufridi de Meduana, cujus precatu hæc carta firmata est in camera præfatæ comitissæ. †

Post aliquantum temporis Ilbertus cognomento Paganus filius prædictæ Helvisæ, quando Montem-Dublellum recuperavit, jam dictam conventionem calumniari cœpit. Pro quare dedit abbas RANNULFUS & monachi S. Vincentii XL. libras Cenomanensium denariorum, & unum equum valentem X. libras, & omnes supradictas conventiones annuit, donumque hujus favoris super altare S. Mariæ apud Montem-Dublellum posuit, & de ipsa eadem ecclesia Montis-Dublelli cum omnibus ad eam pertinentibus, videntibus & audientibus his testibus. Hilberto cognomento Pagano, Hugone, Salomone, Roberto de Monte-aureo, Wauterio de Avena, Drogone *Bucel*, Harduino de *Marson*, Raherio filio Achardi, Halgerio de Spaniaco, Huberto de Franche-villa, Hugone de *Curgenart*, Raginaldo Bellastella, Frederico *Machefer*, Roberto filio Hamelini, Wilhelmo filio Fulconis, Ermenaldo, Goscelino, Bernerio Fabro; Widone clerico, Ernulfo de Espelterias, Widone fratre suo, Gauterio de malis ingeniis; RANNULFO abbate, Harduino, Constantino, Wauterio monachis.

NOTITIA.

Quomodo Ernaldus episcopus Cenomanensis visitaturus limina apostolorum confirmat quæ Gervasius olim dederat S. Vincentio, adjiciens in sylva de *Monssor* usum &c.

Anno 1071. Circa 1070 Ex cartario S. Vincentii Cenomanensis.

HOc scriptum esse volumus ad monimentum præsentium atque futurorum, quod ERNALDUS Cenomanensis episcopus, quando Romam causa orationis perrexit, concessit S. Vincentio illa omnia quæ GERVASIUS episcopus dederat. Addidit etiam sancto de sylva quæ appellatur *Monssor*, quantum sufficeret habitatoribus ejus domus ad calefaciendum, & ad omne opus eorum necessarium. Ferrum quoque Widonis-Scoriati hoc quod jam dederat sancto Vincentio, & quicquid adhuc dare voluerit, ipso Widone deprecante, prædictus episcopus similiter concessit. Hoc factum fuit trans Pontem Leugæ, in via quæ ducit ad sanctum Karilephum, pridie nonas Martii, existentibus epactis decem & VII. concurrentibus V. indictionibus IX. (a) præsentibus his viris quorum vocabula cum signis hic notata sunt. [a] S. Wandelberti canonici. † S. Witerni canonici. S. Ebrardi canonici. S. Hoelli canonici.

S. RAGINALDI abbatis. † S. Tescelini monachi. S. Salefredi ac Arnulfi famulorum. S. Ritbaudi de *Ledun*. S. Gradulfi præpositi. S. Odonis clerici. S. Garnerii. S. Andreæ. S. Herberti filii Johannis de Wirchia. S. Widonis *Escorche-vilain*. S. Goscelini filii Alberti coqui. S. Harduini consiliarii. S. Hilduini mercatoris.

(a) Hoc est anno 1071. in quem solum sub pontificatu Ernaldi episcopi incidit indictio nona; quippe factus episcopus circa 1065. obiit 1084.

DIPLOMA ARNULFI III. Flandriæ comitis pro Andaginensi S. Huberti monasterio.

Quædam ei confert allodia pro remedio animæ Balduini patris sui, aliorumque parentum suorum.

Anno 1071. *Ex archivis S. Huberti.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Veritatis testimonio multiplicem habemus sententiam, fidelibus defunctis orationem & eleemosynam singularem præstare medicinam. Quod satis utile dolori meo inveniens consilium, ego [a] (a) ARNULPHUS comes Flandrensium, post mortem nobilissimi comitis patris mei BALDUINI, noverit omnis posteritas, quod ad remedium ejus sic operatus sum. Allodium quod vocatur *Summoulum*, in pago Ardennensi, & in comitatu Hoiensi situm, cum molendino, piscatura, silva, terris cultis & incultis, & cum tota familia ad ipsum pertinente. Item aliud allodium quod vocatur *Thavers*, in pago Hasbaniæ situm, cum ecclesia, molendino, camba, silva, & cum tota familia ad ipsum pertinente, cum matre mea RICHILDE, & cum fratre meo BALDUINO & sorore mea AGNETE, pro absolutione animæ patris mei BALDUINI, & comitis HERIMANNI, & pro remedio animarum nostrarum, ecclesiæ S. Petri & S. Huberti, quæ est in Ardenna, jure habendum tradidi conditione tali: si abbas aut episcopus aut quælibet persona ipsius loci in beneficio hæc allodia voluerit dare, & ecclesiæ aliquo malo consilio tollere, nostris heredibus sit libera potestas ea recipere, & quasi proprium sibi retinere. Interfuere huic traditioni ii testes. S. GODEFRIDI ducis parvi. Signum ARNULPHI comitis. S. BALDUINI fratris ejus. S. Johannis Atrabensis. S. Guiderici de Fageto. S. Fastradi de Tornaco. S. Bernardi *de Lens*. S. Hugonis *de Seiguin*. S. Anselmi *de Hosdene*. S. ALBERTI comitis de Namuco. S. Galteri de Cimaco. S. ARNULPHI comitis de Chisniaco. S. Gosuini de Monte. S. Gualteri *de Lens*.

EPISTOLA D. EPISCOPI ad I. episcopum.

Gratias agit de munere, exponitque ei triumphum S. Remacli de adversariis.

Anno 1071. *Ex ms. Abdinghoff annorum 600.*

DOMNO [b] (b) I. gratia Dei venerabili episcopo [c] (c) D. coepiscopus fidele servitium cum orationibus.

Sepositis interim, dulcissime mi domine, veteribus iisdemque celeberrimis vestræ in nos munificentiæ impendiis, novissima quæ palatio non incongrua & futurorum demonstrativa satis exquisite misistis, tanta cum exultatione amplexati sumus ac veneramur, quanto non tam dona quam, ut ita dicam, mysteria ex ipsa rei veritate per Dei gratiam facta, altiore intellectu profitemur. Misistis enim ursos cum melle, mellisque alumno, pretiosaque contexta, quibus quatuor insignibus & aliud quiddam innuit res gesta. Nam quid per ferocitatem ursinam nullius tam rei quam mellis avidam, nisi gens illa [d] (d) Hemaucensium, quæ semper exasperata est inter fluctus bellorum signatur? Quid vero per mellis alumnum, nisi regem dixerimus Dominum nostrum? Quam dum sanctæ Dei genitricis beatissimique ecclesiæ martyris [e] (e) mancipando substernit, quid aliud nisi indomitam rabiem in melleum saporem convertit? ac postmodum pace informata heredumque successione exclusa, pretiosis quasi involuta contextis requiescere novit secum. Sic sic xenia vestra, dulcis amice, non tam sunt dona, quam signa significata per caritatis affectum, sed potius edita per Spiritum sanctum; ac ne quid vobis de jocunditate nostri conventus subtraham; ea quæ gloriose facta sunt apud nos his diebus fideliter aperiam. Post multas corporis [f] (f) beatissimi Remacli repulsiones, exquisitione bonorum Malmundariensium etiam nunc apud nos receptare fuit consilium, ut quasi quod per se non poterat, pietas diuina per cooperatorem suppleret Lambertum. Ventum est ad nos cum ammirabili plebis multitudine simul ac devotione, feretrumque jactatum super mensam cum devotione, cum ne sic quidem cor regis, quod in manu Dei est, ad misericordiam devolveretur; sed potius ad iracundiam concitatus, exiliens de accubitu concelavique receptus secum stomacharetur; qua perturbatione grex antea devolutus, velut ex desperatione labitur in iram, & pro precibus solitis omnem verborum ingerunt contumeliam; vel nunc, inquiunt, ignavissime senex, luce clarius patet quid valeas, quando in adventu tuo nedum postulata consummet, etiam loco stare indignatur regia potestas. His atque similibus hymnis in eodem loco noctem circumsæviunt unam, cum mane vix extorqueri posset, ut referretur in ecclesiam, ubi consociatis præsulis utriusque

(a) Arnulphus hujus nominis III. qui Balduino Montensi successit anno 1070. & sequenti obiit, cæsus a Roberto Frisio comite.

(b) Imado procul dubio Paderbornensi, qui Rothoni subrogatus anno 1052. sedit ad annum usque 1076. *Dignissimus*, inquit, Nicolaus *Schaten* auctor Annalium Paderborn. *qui inter primos sanctissimosque Saxoniæ episcopos numeretur, quo prisca cleri disciplina, & vitæ sanctioris vigor servatus sit, quem suomet exemplo ipse prius omnibus impresserit*. Annal. Paderborn. lib. VI ad ann. 1076.

(c) Deoduinus, qui sedi Leodiensi præerat, cum S. Remacli corpus Leodium delatum est a Stabulensibus, ut justitiam adversus Malmundarienses, qui sese ab his separare gestiebant, impetrarent.

(d) Forte legendum, *gens illa Hannonensium*, hæc quippe, probante Cæsare, in ditionem venit Deoduini anno 1071. vide Fisenium ad hunc annum, Chapeavillam in Deoduino, atque alios Leodiensium Annalium sartores.

(e) Martyris S. Lamberti Leodiensis ecclesiæ patroni.

(f) Integram triumphi S. Remacli historiam habes apud Chapeavillam, ad calcem tomi secundi de Gestis episcoporum Leodiensium, de qua historia alias, si Deus dederit.

que meritis, tanta confestim subsecuta est gratia, ut manus ac pedes contracti solverentur, orbatæ mulieris oculi aperirentur, Elecelluti cujusdam pedes distorti relocarentur, in quo nulli dubium fuit Trinitatem sanctam fidelibus suis evidenter affuisse, ubi per merita sanctorum tres illi sani videbantur astare. Fit inenarrabilis populi commotio, cantat ecclesia, contremiscit aula, rex accurrit anhelus, bona quæ abstulerat sanctissimo corpori, utrisque repræsentat manibus. Unde, mi frater & domine, cui, JESUM testor, debeo quidquid boni deberi potest homini ab homine, in summo munere rogo, ut meis verbis divinam majestatem adorare velitis super hoc duplici negotio, quod in tempore nostri episcopatus tam mirabiliter operari in nobis dignatus est Dominus.

SIGILLUM PHILIPPI REGIS de sancto Germano.

ad augmentum fundationis cellæ S. Germani in Laia nova concedit prædia.

Anno 1072 *Ex cartario Columbensi.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris videlicet, & Filii, & Spiritus-sancti. Amen. Ego PHILIPPUS gratia Dei Francorum rex. Notificari volo tam præsentibus quam ætati posterorum, quatinus avus noster ROBERTUS rex in honore Dei & sancti Germani apud silvam quæ Leja vocatur, quoddam construxerunt monasterium, adhibitis necessariis ibidem servientium fratrum. Pater vero meus, videlicet rex HENRICUS, qui post eum Galliæ rexit imperium, concessis omnibus quæ ille dederat, plura tribuendo locum amplificavit. Ego igitur, ut essem particeps tanti beneficii, supradicto monasterio & monachis Columbensibus eodem in loco Deo famulantibus, dedi omnem decimam vini & annonæ meæ, quæ pertinent ad cellarium vel granarium Pissiaci, videlicet de *Trel*, & de *Charla vana*, & de ipso Pissiaco; decimam etiam *Alvers* vini & annonæ & leguminum, & avenæ undecumque sit. Similiter dedi omnem decimam annonæ meæ & avenæ, leguminum de Aquilina, & omnium crementorum meorum, quæ facta fuerunt in ea. Molendinum etiam Filioli-curtis dedi & terram *Gaudine*. Brancas etiam de Laia quantum necesse fuerit ad focum monachorum, necnon & mortuum lucum quantum sufficit ad usum monachorum, & hospitum suorum, & pasturam totam pecoribus monachorum, & etiam hospitum suorum. Dedi etiam vivum nemus quantum fuerit necessarium ad ædificia monachorum, vel nova facienda vel reparanda. Gauterium quoque quemdam (a) collibertum meum, & omnem ejus posteritatem, & apud Rivoldicurtem quinque hospites prædicto loco beati Germani contuli. Et ne memoria deleretur hujus beneficii, litteras inde fieri præcepi, quas ipse propria manu firmavi. Testes supradictæ dationis subtitulari præcepi. Considerans vero quod de die in diem in pluribus hominum refrigescit caritas & abundat iniquitas, hæc omnia in sigilli mei præsidio & tuitione subscribi feci; ut qui post nos venerint, sciant quæ pro animæ meæ, & antecessorum meorum redemtione monachis Columbensibus Deo & sancto Germano servientibus concessi vel dedi.

Actum publice Parisius XII. calendas Junii, regnante rege PHILIPPO, XIII. regni sui anno.

S. GOIFFREDI Parisiensis episcopi.
S. HUGONIS comitis Mellenti.
S. SIMONIS de Monteforti.
S. GUIDONIS de Monte-Leherii.
S. HUGONIS de Puteolo.
S. IVONIS comitis.
S. WILLELMI Albani.
S. Gauterii.
S. Garnerii.
S. Fromondi fratris ejus.
S. Goisfredi filii Nivardi.
S. Nivardi fratris ejus.
S. Hugonis filii Gauterii de Pissiaco.
S. Gauterii infantis fratris ejus.

CARTA FUNDATIONIS monasterii sancti Alexandri in Graffshap diœcesis Coloniensis ab Annone archiepiscopo.

Anno 1072 *Ex autographo.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Notum sit omnibus Christi fidelibus tam futuris quam præsentibus, quod ego ANNO Dei gratia Coloniensis archiepiscopus, quemdam locum in Saxonia Grafcaft vocatum, a quadam matrona nomine Chuniza & filio ejus Thiemone acquisivi. Post hæc cum licentia papæ ALEXANDRI & imperatoris HENRICI, anno autem dominicæ Incarnationis MLXXII. indictione X. cum totius familiæ consilio in eodem loco regulares monachos (b) Sigebergensis ordinis constitui, & omni pace & justitia qua ceteræ Colonienses abbatiæ utuntur, confirmando stabilivi, & omnibus archiepiscopis successoribus meis aliquod sæculare servitium ab abbate illo exigere sub anathematis vinculo constringens interdixi. Advocatum sibi abbas eligat, qui placitum bis tantum in anno habeat, & non plus quam XII. caballos afferat. In autumno & hyeme sit ejus servitium duo maldra panis, duæ victimæ porcinæ &

(a) Coliberti nec servi erant nec liberi, sed medium quemdam inter utrosque statum tenebant, ita tamen ut propius ad servos quam ad liberos accederent.

(b) Sigebergense *Sibourg* monasterium duabus horis a Bunna distans ab eodem Annone archiepiscopo fundatum hactenus perstat, in quo idem Anno humari voluit.

unus porcellus, quatuor pulli, & unus anser, quatuor casei & viginti ova, una ama cervisiæ & medonis quantum fit de quadra unius urnæ mellis. Pabulum caballorum tria maldra avenæ. In æstate & vere tres victimæ, & unus agnus, & pabulum quatuor equorum, &c. ut supra. Si in sequenti die rursum vult placitum habere, in abbatis sit arbitrio, si prandium sibi velit exhibere. Ut autem hæc dispositio stabilis & inconvulsa in æternum perseveret, sub invocatione sanctæ & individuæ Trinitatis, & sub auctoritate S. Petri apostoli, & sub judiciaria omnium sanctorum districtione & meo pontificali banno, & sub interminatione perpetui anathematis confirmavi, & mei sigilli impressione signavi.

Hæc sunt nomina ecclesiarum & locorum quæ ad victum & vestitum monachorum Deo & sancto Alexandro juste & legitime adquisita contradidi. *Vvorumbach*, *Attandarra*, *Luidolffescheide*, *Falebreht*, *Hertseido*, *Hellipho*, *Hademare*, *Hosterveldem*, *Felmedo*, *Buodevelden*, *Brunscapellum*, *Ruothino*. Istæ sunt curtes: *Nuzlare*, *Clintfelden*, *Hademare*: item *Hademare*, *Amelinchusun*, *Pretinholo*. Decem mansi quos dedit Heinricus, *Luidolfesseeinde*, *Attandarra*, *& Smerlecco*, *Alerenen*, *Holzhusun*, *Buodenveldum*, *Felmedo*, *Leno*, *Beigenchusun*, *Brunescapella*. Ad *Dietrinchegovan* mansus I. *Berendorff Fatena*, *Suropo*, *Lannichofon*, *Gledorf*, *Harbincdorf*, *Vverdincdorf*, *Vvedirichueldem*. De decimatione ad *Suefacen* libræ tres & dimidia, *Badelecche* octo libræ, de beneficio Luitbizonis decem solidi, de beneficio Arnoldi XXV. solidi *Genfingen*, *Allinchusun*, *Nescelestein*. Ad *Thietbach* vinea una, ad *Erpelle* vinea una, ad *Erbinchusun* una domus, *Haschenbruchum*, decimæ *Vvarsten*, *Badelicke*, *Mulnheim*, *Anlagen*; *Bergheim*, in *Hare*, *Vvlede*, *Usne*, *Hivenchusen*, *Thiedivardinhusen*, *Hiddinchusen*. Feliciter.

Locus sigilli.

NOTITIA
de confirmatione Tusiaci facta ab Hugone de Feritate.

Anno 1076 *Ex cartario S Vincentii Cenomanensis.*

AD notitiam veniat S. Dei ecclesiæ fidelium tam futurorum quam præsentium, quod HUGO de Firmitate filius Gosleni Normanni, annuit & auctorizando prorsus confirmavit illam convenientiam & donationem Tusiacensis loci, quam HAMELINUS de Lengiaco fecit, & uxor ejus HELVISA S. martyri Vincentio, & ipsius abbati RAGINALDO. Cui videlicet abbati ipse Hugo talem convenientiam habet, ut prædictam Tusiacensis loci donationem faciat itidem auctorizari, & in perpetuum confirmari a matre sua & a fratribus suis omnibus. Neque amodo aliquam eidem loco Tusiacensi inferat molestiam, seu immittat consuetudinem, neque ab ipsius loci incolis aliquid violenter exigat, nisi ipsi sua gratuita voluntate ei donaverint. Habet etiam idem Hugo abbati S. Vincentii supranominato talem conventionem, ut si quando inter ipsum Hugonem & supramemoratum Hamelinum de Lengiaco guerra fuerit exorta, nullum damnum proinde aut rapinam nullam de Tusiacensi loco accipiat. Talem præterea conventionem cum abbate Raginaldo idem Hugo init, ut si aliquo tempore in manum & in proprietatem ejus ipse locus Tusiacensis venerit, nullam ulterius pecuniam, aut aliquod aliud habere ab abbate sancti Vincentii seu a monachis pro eodem loco Tusiacensi requirat. Postremo promisit se daturum esse abbati S. Vincentii & monachis consilium & auxilium, fortitudinemque suam contra omnes quicumque eis disturbationem atque nocumentum inferre volent de loco Tusiacensi. Ut igitur ille Hugo hæc omnia suprascripta pacta veraciter attendat & recta fide custodiat, donavit ei REGINALDUS sancti Vincentii abbas, trecentos solidos denariorum, unumque palefridum super solidos centum. His itaque convenientiis testes adhibiti sunt nonnulli, quorum hic nomina conscripta sunt. Hugo filius Goscelini Normanni, Normannus præpositus, Framengerius de Firmitate, Odo filius Grossini, Wauterius *Godnac*, qui quinque fidejussores de ista convenientia, ut fideliter & sine dolo perpetuo attendatur, sancto martyri Vincentio & abbatibus monachis illius loci, * Brientius de Cantosceo, Suardus de Boeria, Warnerius dapifer, Lambertus dapifer, Raginaldus de Vacaria, Warinus de Vacaria, Hildricus presbyter, Rainerius filius Fulcredi, Robertus frater ejus, Robertus filius Arnaldi, Robertus *de Curguillan*, Goscelinus major, Herbertus vicarius, RAGINALDUS abbas, Algerius monachus, Wilhelmus & Warinus monachi, Witernus decanus, Fulcherius canonicus, Ebrardus canonicus, Wido *Esteorchevillain*.

* Supple *dati sunt.*

His igitur ita memoratis, &, ut credimus, bene fideliterque firmatis, longo tempore postea in medio quadragesimæ petivit BERNARDUS de Firmitate locum beatissimæ Mariæ Tusiacensis, ducens secum tres istos milites, Bovonem scilicet Muscatum, Framengerium, Vvilhelmum Galdicum, & ibi invenit RAGINALDUM abbatem, cujus precatu & intercessione omnes calumnias quas antea frater ejus Hugo annuerat, Deo & sancto martyri Vincentio de loco sanctæ Mariæ Tusiacensis, ipse quoque fideliter & sine malo ingenio annuit & rite confirmavit, & ipsius loci & sancti Vincentii loci beneficium societatemque a domno Raginaldo abbate accepit, promittens se deinceps fore verum & fidelem adjutorem monachis sancti Vin-

centii & sanctæ Mariæ contra omnes perfidos homines & malignos invasores. Sed ut hæc firma & perpetualiter manerent inconvulsa, RAGINALDUS sancti Vincentii abbas dedit illi centum solidos denariorum, quos accepit a Vvauterio monacho S. Vincentii Normannus præpositus, jussu ipsius Bernardi in castro de Firmitate, octava die posteaquam hæc facta sunt. Et pro istis centum solidis denariorum, annuit de sua parte idem Bernardus quidquid monachi sancti Vincentii dono aut emtione acquirere poterunt de suo fevo, tali videlicet ratione, ut non perdat suum servitium a suis hominibus. Pro his omnibus auctorizandis perrexerunt postea xv. cal. Maii ad castrum de Firmitate Albericus & Vvauterius monachi S. Vincentii, jubente RAGINALDO abbate & communi capitulo sancti Vincentii, & ibi petierunt a Bernardo, ut hujus rei hujusque favoris daret illis fidejussores. Quod ille libenter & alacri animo faciens, eosdem fidejussores dedit quos antea frater ejus Hugo dederat, & in ultra hos etiam adjunxit, Gaufridum de Vilarcelio, Girardum Farcinum, Rainarium filium Fulcredi, Goscelinum majorem. Hoc etiam factum fuit indictione XIIII. (a) existente & coram istis testibus, Normanno præposito, Framengerio, Gisleberto de Revelione, Vvauterio *Godnac*, Alberico venatore, Vvarino de Vacaria, Vvauterio filio Litgardis, Alberico & Beringerio Brenariis, Groffino de Curtrecione, Giroio, Vvidone furnario, Alberico & Vvauterio monachis.

NOTITIA
de annuitione ecclesiarum de Segonia.

Anno 1076 Ex cartario S. Vincentii Cen.

NOTUM sit præsentibus & futuris sanctæ Dei ecclesiæ fidelibus, quod ROGERIUS comes, & uxor ejus AMABILIS, & ROTROCHUS filiique ejus, Hugo videlicet Capellus & Vvarinus Brito annuerunt Deo sanctoque Vincentio ecclesias de * Segonia, & ecclesiam de Curia-laboriosa, & omnes terras quæ de Casamento GAUFRIDI vicecomitis erant, quas ipse Gaufridus de Bellimensi fevo tenebat. & antea S. Vincentio dederat ita honorifice, ut eas habebat; & quibus S. Vincentius ipso die revestitus erat. Annuerunt etiam hoc quod sanctus Vincentius de fevo Vvauterii alibi tenebat, & terram quam dederat Berladius juxta sanctum * Lenogisilum sitam. Hæc etiam omnia Ivo Sagiensis episcopus, Vvilhelmi videlicet domini de Bellissimo filius annuit, & dum in hac vita adhuc degeret, auctorizando prorsus firmavit. Post mortem vero ipsius IVONIS (b) dedit Normannus S. Vincentio ecclesiam & terram *de Vesoth* annuentibus duobus filiis ejus Roberto atque Odone. Hamelinus vero Livarius dedit ecclesiam & terram de Marcilliaco. Gradulphus quoque canonicus dedit terram quam de ipso tenebat Gaufridus de sancto Martino, & hæc omnia annuerunt Rogerius & uxor ejus Amabilis & Rotrochus, filiique ipsius Hugo Capellus & Vvarinus Brito. Igitur hæc omnia facta sunt in Bellimensi castro (c) VIII. cal. Septembris currente XIIII. indictione, & PHILIPPO rege Francorum regnante, ROBERTO Vvilhelmi regis Anglorum filio Cenomanicam urbem gubernante. Hæc sunt nomina eorum qui hæc viderunt & audierunt. Hugo de Castro-Novo, Olivarius Bastardus, Vvido de Jellia, Robertus de Polliaco, Vvilhelmus senescallus de *Livertion*, Robertus præpositus de Mauritania, Hubertus de *Curse-sout*, Henricus de Balgentiaco, Fulbertus filius Radulphi de Revelliolo, Robertus vicarius, Vvilhelmus presbyter, RAGINALDUS abbas atque Constantinus, Girardus & Fulcoius monachi S. Vincentii.

* Sonnes.

* S. Longis.

EPISTOLA WOLFFELMI ABBATIS Brunwillariensis ad Henricum imperatorem.

Conqueritur de ablato monasterio Brunvvillariensi Clotteno prædio à sancto Annone archiepiscopo Coloniensi.

Anno 1076 Ex Hist. ms. Brunvilrensi.

DOMINO HENRICO augustorum sanguini Dei gratia Romanorum regi (d) VVOLFFHELMUS cum omni Brunwylensium congregatione fidem cum intentissima precum devotione.

Misericordiæ vestræ genibus provoluti, quod conquesti sumus iterum conquerimur, quia pro justificatione quam nobis fieri præcepistis, frustra clamantes tædiis atterimur. Est autem querimonia nostra super quodam prædio, quod Clotteno dictum beato Nicolao, quando puer fuistis, imo quia fuistis, est (e) ablatum. Quod quia tunc vestra non prohibuit infirmitas puerilis, aspiret Dominus, ut modo corrigat auctoritas virilis, nullumque patiatur ecclesiasticam censuram infirmare, quamvis etiam dicatur miraculis coruscare. Nam cum sint duæ nativitates miraculis coruscantium, vetus Adam & novus, boni malique litem gerant inter se com-

(a) Indictio XIV. incidit in annum 1076.
(b) Contigit ipsius mors anno 1074.
(c) Anno 1076. in quem incidebat indictio 14.
(d) Ejus vitam miraculis coruscantem scriptis consignavit Conradus Brunvvillariensis monachus ejus discipulus, quæ extat apud Mabillonium sæculo VI. Bened. part. II. p. 675.
(e) Qua ratione prædium Clottenum Brunvvillariensi monasterio a Richesa Regina collatum, eidem non multo post fuerit ablatum, discimus ex Conrado in vita S. Vvolphelmi n. 12. nimirum cum S. Anno Coloniensis archiepiscopus in civitate metropolitana collegiatam B. Mariæ ad Gradus fundasset, ut eam ditaret, auctoritate propria, Clotenum eidem tradidit.

pugnantium, ac ex bono quidem eorum statuit nos Dominus Deus infirmari, malum vero vel in B. Petro, præsertim quod Christum negavit, non debemus imitari: cur enim egressus foras flevit amare, si non malum fuit Dominum suum negare? Ex his ergo bona sanctorum non mala nos imitari debere intelligitur, & mox ex eisdem miracula quæ faciunt, ob ea tantum quæ imitatione digna sunt fieri colligitur. Quod si miracula eorum nulla mala struunt, nec ecclesiasticam censuram, quod ceteris malis aliquanto gravius est, destruunt. Ergo ne miracula, quæ fieri dicuntur ad sepulchrum domni nostri archiepiscopi (a) ANNONIS, nostram querelam apud vestram clementiam videantur impedire, qualiter imperator augustus pater vester HENRICUS pro nobis agat, dignetur vestra serenitas audire. Nam in carta quam nobis fieri jussit de domno nostro archiepiscopo HERMANNO & suis sororibus ita loquens: *Nostram*, inquit, *adivere præsentiam, rogantes ut eam loco* BRUNWIYLRE *nominato libertatis statueremus gratiam, quatenus ab omni præsentium ac futurorum tam pontificum quam regum seu imperatorum liber dominatu, lætius tam pro nostra quam pro ipsorum salute vocaret.* *Et post pauca: *Hanc eorum petitionem justam ac piam cognoscentes, voluntati eorum præbuimus assensum, loco illi Brunvvylre nominato libertatem statuentes, atque ut rata & inconvulsa maneat in perpetuum, cartam hanc ei libertatis conscribi, manuque propria corroborantes, sigilli nostri impressione jussimus insigniri; quam si quis infringere tentaverit, ad primum iram Dei sanctique Petri simulque omnium sanctorum incurrat, sciatque se compositurum auri purissimi libras centum, nostræ cameræ medietatem, archiepiscopo alteram medietatem.* Ecce si munera desideratis vos & dominus noster archiepiscopus Coloniensis sine peccato, Cæsaris edictum utriusque cameram ponderibus onerat immensis; si tamen justificetur, unde nobis causa movetur. At vero cavete vobis & vestris, hanc tanti patris declinando maledictionem, cui dominus papa LEO, cum aliquot suis antecessoribus suam quoque jungit anathematizationem. Sed nec suam subtrahit dominus noster archiepiscopus ANNO, cum suis antecessoribus PILIGRINO & HERMANNO, in tantum, ut Clotteno expresse & diffinitive nominaret, eo quod nobis, timens carnales heredes, hoc ablatum iri formidaret. Superfunt adhuc, qui, quando novissime nostram ecclesiam dedicavit, præsentes fuerunt, & hanc diffinitam ejusdem nominis expressionem audierunt. Constat igitur ipsius bannum, ut de ceteris taceamus, a semetipso esse violatum, si prædium illud unde agitur, illis qui nunc retinent ab eo, sicut ipsi fatentur, postea fuerit datum. Unde ut ab ejus hostia maculam tollatis, largius a Domino vobis affluant viscera pietatis; quibus ita pensetur miraculorum ejus commendatio, ut ecclesiasticæ censuræ non fiat infirmatio, nostri quoque pusillanimitati consulatur, ne abundantiori tristitia absorbeatur.

(a) *f. vacaret.

EPISTOLA H. AD R. amicum.

Ex archivis S. Victoris eruit D. Furnerius.

R. amico patri religione venerabili, nihilominus ingenuitate commendabilis H. devotus amicus æquitatis virgam indemdinabiliter bajulare.

Cum olim indigentiæ onere gravarer, præsertim cum jam pecuniam a Domino mihi commissam exiguo in sudario ligare nolens, immo in multis proficue quærentibus impertire ..... multi faciam ..... hoc anno vero cum tædia .... unicum questum priori longe maximum, abbate (b) Tomeriensium pollicente, si in comitatu ejus non interaneus existerem, discipulis meis pecuniam meam conferre negavi. Non longo tempore post per Guillelmum Bernardi præ multis obnoxium sub voce abbatis præfati, mihi significatum est, ut ad iter Hiberium disponerer, & abbati velut pari & amico famularer, mulam instantius ab eo suscipiens ..... quidem huic legationi congratulante, & ejus voluntati satage (c) diligentes res meas angusta domi pro apparatu itineris sensit detrimentum diu incipiendi itineris ...... adventum me inscio abscedens Narbonam adivit. Quod præsentiscens fama volante priusquam inde abiret illo ...... fidelitati suæ deputato indecenter insultaverat. At ille excusationis quærens nodum, animal quod equitarem nullum reperisse asseruit, tegnas suas me latere arbitrans. Nolebat namque rerum acquirendarum penes regem Sancium me futurum participem; cum ego sæpe molestiam corpoream sentiens, ægrotando meam ecclesiæ suæ universam devovi facultatem. Ipso denique abbate causam excusationis dignam ..... mihi verba sua non magni pendenti Biterrim remeare placuit, plura ecclesiæ suæ verbo ..... quam esset apud Pampilonem ..... in qua unum ex suis monachis (d) spe deceptus intronizandum

(a) Anno Coloniensis archiepiscopus migravit a sæculo anno 1075. mense Decembri, ac proinde hæc epistola ante annum 1076. non fuit scripta.

(b) Is fuit Frotardus abbas Tomeriensis S. Pontii anno 1077. a Gregorio papa VII. missus in Hispaniam cum Amato Olorensi episcopo.

(c) Forte, *satagente diligenter, res meas &c.*

(d) Hic loquitur de legatione Richardi in Hispaniam, in qua, vacante sede Pampelonensi, voluit præfici unum e suis monachis, quod non potuit adipisci.

dum pontificaliter credidit .... mihi blandientibus ...... amicitiæ meæ adducere ejus instinctu quærentibus, quasi non revera eis acquietio, & gratius habens .... monachus in contubernio vestri, ut vestra industria promoveri verear, super hac re quod vobis gratum .... dicta de abbate Tomeriensium non cuilibet per vos aperiantur. Valete & prosperis successibus per cuncta valete.

EPISTOLA R. CARDINALIS ad S. regem.

Confirmat latam in Pampelonenses excommunicationis sententiam, vetatque ne ullam cum illis habeat communionem.

Ex archivis S. Victoris eruit D. Furnerius. [a]

R. (a) cardinalis, apostolicæ sedis legatus, S. regi venerabili, salutem....

A domino nostro papa in ecclesiis regni vestri, honorem & gloriam ejusdem sanctæ & universalis ecclesiæ, postposita alia nobis ...... multo sudore fideliter quærebamus, sed nec per vestros circumlocutionum anfractus decepti, a parte cognoscimus, quoniam plus hominum favorem, quam Dei timorem animarumque salutem in vestris operibus cupitis invenire. Nam salutem vestro consilio in populo commisso vos efflagitare credebamus: unde quia non ita apud vos est, colligentes si qua vobis pro vestra caritate, de qualibet specialiter persona promisimus, facturos nos deinceps proculdubio abnegamus; sed consulere aliter, si potuerimus, satagemus. Excommunicationis sententiam, quam in Pampilonensi episcopatu & hominibus ejusdem episcopii, quocumque loco fuerint, sive in expeditione contra hostes pugnaverint, sicuti in concilio episcoporum & abbatum apostolica auctoritate posuimus, iterum iterumque eadem auctoritate firmamus: vosque communionem cum Pampilonensibus excommunicatis usque ad festivitatem sancti Johannis, & hoc non in ecclesiastico officio, sanctorum apostolorum Petri & Pauli & nostra auctoritate, nullam deinceps habere præcipimus, donec habeant electum in eadem ecclesia apostolica auctoritate firmatum. Interdicimus hoc modo, ut a festivitate S. Johannis & deinceps mortui nullo modo sepeliantur, cum vivis scienter nullus christianam communionem habeat, nullumque divinum officium in ecclesiis fiat, præter puerorum baptismum, si mortis vel languoris illos agitaverit periculum. Hæc ideo facimus, quia conspirasse illos ad destructionem ecclesiæ cum alteris regni vestri principibus videmus, quos adhuc nominatim non exprimimus, qui gladium sancti Petri & virtutem Sancti Spiritus ad perpetuam infamiam & confusionem suam experientur. Ne confidatis in victoria, qui justitiam reliquistis; cum scriptum sit: *Primum quærite regnum Dei & justitiam ejus; & hæc omnia adjicientur vobis.* De quo confidere possetis, si plus crescere regnum Dei, quam vestram gloriam quæreretis. Quæritis enim quæ vestra sunt, non quæ JESU CHRISTI. Et quia irritum fecistis mandatum Dei & apostolicum præceptum propter seductionis & ..... hominum animarum pereuntium, sanguinem Deus a manu vestra requirat. Nos ergo exeuntes de civitate excutimus pulverem pedum nostrorum in testimonium super vos.

PRIVILEGIUM HENRICI episcopi Leodiensis pro monasterio S. Huberti.

Decima Vuaverelia & Verterina Henrici episcopi Leodiensis sententia asseritur monasterio S. Huberti.

Circa 1079. Anno 1079. Ex archivis S. Huberti.

IN nomine Patris & Filii & Spiritus-sancti. Ego HENRICUS gratia Dei Leodiensium episcopus, memor immo sollicitus dominici exempli, qui veniens in mundum pacem attulit hominibus bonæ voluntatis, quique recedens discipulis suis pacem reliquit: Notum volo fieri & posteris & præsentibus, quomodo probato coram me testimonio veritatis, terminata sit contentio, quæ surrexerat inter Leodiensem ecclesiam B. Petri, & Andaginensem beati Huberti. Apud *Burs* in pago Falmeniensi matrem constat esse ecclesiam propriam B. Huberti, cujus omnimodam decimam a tempore (b) VVALCANDI pontificis, sine ulla inquietudine & calumnia per annos fere ducentos septuaginta quatuor in omnibus finibus suis præfata ecclesia B. Huberti tenuit. [b] Tempore autem prædecessoris mei THEODUINI pontificis, quidam Godefridus ecclesiæ beati Petri Leodiensis præpositus, quorumdam perversorum consilio, ex quibus quidam extra atrium sepulti sunt & excommunicati; sed & nobilitatis suæ & parentum suorum confisus fortitudine & auxilio, apud Verterinam (c) & vauvereliam præfatæ ecclesiæ S. Huberti tentaverit tollere decimam [c] de quinque mansis & dimidio; de qua fortitudine & injustitia reclamante venerabili abbate (d) THEODERICO, convictus in ple- [d]

(a) Hæc epistola est Richardi cardinalis, qui postea fuit abbas Massiliensis S. Victoris, ab Alexandro II. creatus cardinalis, & a Gregorio VII. & Urbano II. missus legatus in Hispaniam. Scripta est autem ad Sancium V. Navarræ regem, quem quidam de crudelitate & injustitia insimulant.

(b) Hic est Vvalcandus episcopus Leodiensis, qui in sancti Huberti monasterio clericis monachos substituit ac illud possessionibus auxit.

(c) Ubinam sita sit Vertetina, incertum est hodie; si conjecturæ locus sit, ea est forte, quæ in loco Han dicto, ad Lessiam, appellatur adhuc, sed decurtato nomine, *la Cour de Trina.* Sic opinatur Romualdus *Hancart* S. Huberti asceta & historiographus.

(d) Ejus acta habes sæculo VI. Benedictino parte I.

na synodo, quod suum erat, ecclesiæ beati Huberti recognovit ei coram pontifice THEODUINO & Bosone archidiacono, cui cum in præpositura succederet Johannes frater CONONIS comitis, confisus & ipse de parentibus suis, præfatam injustitiam adversus ecclesiam beati Huberti repetere tentavit; sed in mea præsentia testimonio probatæ veritatis convictus, tandem conticuit & quievit, & quod suum erat ecclesiæ recognovit. Unde ego causa justitiæ & veritatis, precatu etiam domni THEODERICI abbatis, attestatione quoque Hugonis advocati, qui præfatam decimam de quinque B mansis & dimidio disrationaverat ecclesiæ beati Huberti, in testimonio quatuordecim liberorum interpositione jurisjurandi, per præsentis paginam privilegii, tam injustam contentionem terminare curavi, interposito anathemate sub terribili obtestatione divini nominis, nostræ quoque & successorum nostrorum auctoritatis. Quam contentionem si qua persona cujuscumque dignitatis aut ordinis amplius commovere tentaverit, a communione corporis Christi & sanctæ ecclesiæ separatus pereat, nisi resipiscens per justam pœnitentiam divinæ districtioni & C ecclesiæ beati Huberti satisfaciat. Actum publice anno dominicæ incarnationis MLXXIX. indictione secunda, episcopatus autem domni Henrici quinto.

Ego HENRICUS gratia Dei Leodiensium pontifex relegi & signavi & sigillo.......

S. THEODERICI abbatis. S. Bosonis. S. Johannis. S. Hugonis. S. Engonis. S. Thiobaldi. S. Godefridi.

Et erat subimpressum sigillum magnum in cera.

D

PRIVILEGIUM MANASSIS archiepiscopi Remensis pro Andaginensi S. Huberti monasterio.

Donat monachis altaria S. Hilarii de Guiliaco & de Noviant.

Anno 1079 Ex archivio Andaginensi.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego (*a*) MANASSES gratia Dei Remorum archiepiscopus. Cum constet generalis omnium fidelium justitia, ut gratis præventi [*a*] mereantur gratiam pro gratia, specialis tamen singulorum exigit utilitas, ut quanta E suppetit cuique possibilitatis qualitas, consequatur etiam in bono promta voluntatis æqualitas. Consequenter igitur apud nos judicavimus utile, ne & ipsi videamur ingrati ejusdem Dei gratiæ, ut qui nos ecclesiæ suæ filiis elegit præesse, cum venerit inveniat & prodesse. Unde notum sit omnibus tam posteris quam præsentibus, qualiter abbas THEODERICUS apud nos suis exegerit precibus, ut ei cui præerat ecclesiæ B. Petri & B. Huberti, quæ sita est in Arduenna, altare B. Hilarii, quod est in Guileis, & altare de *Novians* traderemus, & perpetuo utraque habenda firmaremus. Cujus petitioni libenter assensimus, clericorum & fidelium nostrorum, sanctæ scilicet Remensis ecclesiæ filiorum voluntario consensu, & determinata conditione, ut in exactione debitæ subjectionis, decem & octo denarios omni anno persolvant ecclesiæ Remensi, remissis & omnino interdictis omnibus oppressionibus & injustitiis, quæ vel pravo usu vel etiam injusto consensu exercentur in multis. Ejusdem quoque abbatis precatu, 2. de reditu hujus nostræ eleemosynæ, quinque solidos statuimus ad refectionem beati Huberti matris ecclesiæ fratribus dandos, videlicet in die nostræ benedictionis, quamdiu vixerimus, & post in anniversario nostro cum decesserimus. Ut igitur hujus nostræ sanctionis decretum stabile & inconvulsum permaneat, & processu temporis in oblivionem non vergat, hanc cartam conscribi, sigillique nostri impressione jussimus insigniri. Si quis autem, quod absit, huic nostræ institutioni reniti præsumserit, & quod pro bono, ut sese res habet, & pro salute animæ nostræ decrevimus fieri, aliquo modo obviare tentaverit, aut citius resipiscens, ab impossibilitate hujus suæ temeritatis quiescat, aut auctoritatem & ipse exauctoratus amittat, & perpetuo anathematizatus canonicæ excommunicationi subjaceat. † Signum MANASSE Remorum archiepiscopi. S. Arnulphi Remorum archidiaconi. S. Gilbuini Virdunensis archidiaconi. S. Walteri Remensis canonici. S. Haimonis Virdunensis canonici. S. GILBUINI Mosomensis abbatis. S. Roderici decani. S. Odonis prioris. S. Bernardi præpositi. S. Emmonis cantoris. S. HENRICI comitis. S. Guidonis *de Burg.* S. Guiteri. S. Alberici.

Acta Mosomi, anno dominicæ incarnationis MLXXVIIII. indictione II. jubente & pontificante domno MANASSE Remorum archiepiscopo, anno archiepiscopatus sui decimo, regnante PHILIPPO rege Francorum, anno regni ejus vigesimo. Godefridus cancellarius scripsit & subscripsit. (*b*) [*b*]

(*a*) Hic Manasses propter simoniam sequenti anno 1080. in concilio Lugdunensi fuit depositus ab Hugone Diensi episcopo, scriptaque apologia, quam habes apud Mabillonium Musei Italici tom. I. frustra se ab objectis criminibus purgare tentavit.

(*b*) Infra impressum in cera flavi coloris extat sigillum majus ecclesiæ Remensis sanum adhuc & integrum, in cujus concavo cernitur effigies S. Dei genitricis, filium in gremio gestantis.

PRIVILEGIUM HELINANDI episcopi Laudunensis pro cella Eberneicurtis.

Ad petitionem Theoderici abbatis S. Huberti plura altaria Cellæ Ebernei-curtis concedit.

Anno 1082. *Ex archivis S. Huberti.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Quia pastorali prærogativa in vinea Domini sabaoth præesse laboramus, quanta discretionis moderantia, quanta etiam sollicitudinis vigilantia, ut prodesse valeamus, adnitendum sit, liquido colligitur, si præcedentium patrum mores & vitam ante oculos revocare studeamus: quorum quidem erga Dei ecclesiam tanta fuisse comprobatur liberalitas, ut etiam diversis in locis ad augmentum reipublicæ diversa contulerint beneficia, & quæ minus suppetebant ex proprio jure supplere studuerint stipendia. Quorum exemplo aliquantisper informatus, ego HELINANDUS sanctæ Laudunensis ecclesiæ Dei gratia præsul, & ante tribunal superni judicis omnino vacuus, metuens apparere, vel manipulum ad aream dominicæ messis studui reportare. Vir namque strenuus abbas videlicet THEODERICUS intra fines Laudunensis diœceseos apud villam Eberneicurtim sanctæ Dei genitricis ecclesiam adorsus construere, & ex parvula, quod prius fuerat, multo ampliorem restituere, fratres etiam sub regulari disciplina militaturos affectans ordinare, expetiit apud humilitatis nostræ gratiam eidem ecclesiæ, quæ subjecta est & adjacens ecclesiæ B. Petri, sanctique Huberti Arduennensis cœnobii, quædam altaria dari, unde respublica ibi deservientium posset augmentari, non quod in redditibus essent adeo proficua, sed quia quadam affinitate videbantur esse contigua: super quo saluti animæ consulentes, & tanti patris devotionem benignissime attendentes, assensu & consilio clericorum ac fidelium nostrorum, ea ratione quod petebat concessimus, ut in præfata ecclesia, & in illa cui apud Arduennam pastor ille præerat, tam privatis quam publicis orationibus quotidie nostri nominis memoria habeatur. Post cursum vero vitæ annuatim ab utraque ecclesia animæ anniversarium celebretur. Ex his vero altaribus quæ ipsis donari decrevimus, unum est apud Gunicurtim in honore beati Petri apostoli, aliud apud Provasium in honore S. Victoris, cum capella de Provisiolo, tertium apud Jovini-curtim in honore S. Remigii cum capella sanctæ Protasiæ, quartum apud Ranlii-curtim in honore sanctæ Genovefæ. Ne igitur in aliquo nutaret talis nostra efficientia, hoc scriptum fieri decrevimus, manuque propria corroboratum & fidelium attestatione subnixum, ac sigillo assignatum reddidimus, ut ecclesia quod dedimus perpetuo teneat, salvoque in omnibus ecclesiastico jure in pace possideat. Si quis autem in postmodum huic nostræ traditioni, quod absit, renisus fuerit, aut aliquatenus pervertere tentaverit, divinæ ultionis sententiam incurrat, & præsumtionis vicem, quoad perseveraverit, a Domino recipiat; fiat, fiat.

Signum HELINANDI episcopi, qui hoc scriptum fieri jussit. Signum Fulcradi decani atque archidiaconi. S. ADALBERONIS (a) abbatis. Signum Guerimundi sacerdotis. Signum Ebali archidiaconi. Signum Guascelini sacerdotis. S. Johannis sacerdotis. S. Manasedis thesaurarii. S. Isembardi diaconi. S. Guarnerii cantoris. S. Odonis diaconi. S. Haimonis subdiaconi. S. Rothardi diaconi. S. Arnulfi subdiaconi. S. Hauwini subdiaconi. S. Odonis subdiaconi. S. Heriberti decani.

Actum Lauduni idus Octobris anno dominicæ Incarnationis millesimo octuagesimo secundo, indictione quarta, epacta XVIII, concurrente III. Ego Robertus S. Mariæ cancellarius subscripsi atque relegi.

EPISTOLA CONGREGATIONIS S. Victoris ad B. & D. in Crassensi monasterio commorantes.

Consolatur eos de malis quæ injuste perpessi sunt, suasque illis spondet orationes.

Circa 1080. *Ex archivis S. Victoris eruit D. Furnerius.*

DOMINIS ac venerabilibus patribus B. atque D. carissimis etiam fratribus in monasterio Crassæ pariter commorantibus cuncta beatissimi Victoris martyris cœnobii congregatio, fideles ac debitas orationes in Christo.

Quoniam sub omnipotentis Dei dispositione vivimus, movemur & sumus, nec nos quæcumque ubique nobis accidant terrarum, ab ipsius debemus avellere voluntate; cum sciamus nec folia arborum, nec unus passer sine ejus motu in ima decidere posse. Neque enim visibiliter aut sensibiliter aliquid in totius fit partibus mundi, quod non de ipsius invisibili atque intelligibili summi imperatoris aula aut jubeatur aut permittatur, secundum ineffabilem justitiam præmiorum atque pœnarum gravitatem vel retributionum. Valde ... si accidant adversa cunctis fidelibus est, cum sit notum a Dei judicio nihil cadere indiscussum, ne privatim se pati debeant arbitrari quidam, cum omnes integra veræ fidei compagine diversa membra connectant sub uno capi-

(a) S. Vincentii Laudunensis, qui ex Andaginensi S. Huberti monasterio ad regimen illius monasterii assumptus fuerat.

te Christo. Numquid enim si compatitur unum membrum, non simul compatiuntur omnia membra? Vere.... neque enim divisus est Christus. Quapropter, amantissimi seniores, certis fidei approbamur documentis, in rebus utrisque nos gloriari vobiscum, & spiritu semper perferri omnia accidentia simul. Hæc vero ideo diximus, quia a Deo donante vobis concessum est, pro ejus veritatis norma temporaliter plagas & opprobria pati, in quibus nos etsi non corporaliter, quod utinam nobis a Deo præstitum esset, tamen spiritualiter pati fideliter arbitramur. Nam sciatis nos secundum carnem infirmos in primis, ut ea quæ vobis evenerant audivimus, multum condoluisse, sed statim ut vestræ desiderantissimæ litteræ in capitulo recitatæ fuerunt, & vos ferventes, ac lætos de passione intelleximus, ita gavisi sumus, ut ultra tristitiam habiti doloris de vestræ constantiæ fortitudine gaudium in commune fieret plurimum, sicque pariter in jubilo cum lætitiæ fletibus omnipotentem eum laudavimus Deum, qui de nostro vestro sua gratuita bonitate usque ad illud quosdam perducere est dignatus, ut pro ejus veritate pati digni inveniantur: Scientes quoniam si sanctorum passionum socii fuerimus, erimus & consolationum, & nos vera profiteri credatis, testis est Deus, quia plures Dominus... professi sunt se vobiscum fore ac pati in illa hora pro hujus rei justitia valde desiderasse. Et ideo, dilectissimi fratres, mente integra, fide firma, & caritate perfecta parati sitis ad omnia æquanimiter perferre contraria, conservantes fortiter dominica præcepta, quæ in regula sancti patris nostri Benedicti conscripta inveniuntur, in omnibus & super omnia matrem sacrarum virtutum complectentes obedientiam, quoniam pro illa, Deo adjuvante, cuncta tolerare poteritis adversa, & ita perseverare usque in finem, ut secundum proprios labores a Christo Jesu Domino nostro debitas recipiatis mercedes. Psalmos vero quos nobis cum oratione pro communi tribulatione psallere mandastis, quotidie juxta modum vestrum imperii vestri, Domini clementiam exsolvimus supplicando. Quod autem nobis præcepistis, ut omnia quæ dominus G. secum attulit de monasterio sancti Michaëlis vobis mitteremus, quoniam placitum vos habiturum cum comite Ceritanensi, & sibi cuncta redditurum spopondistis, multum admiramur, quomodo sine præsentia..... senioris illud facere potuistis; maxime cum non sine præcipuis causis ea ipse secum detulisse approbetur. Tamen ne vobis inobedientes esse videamur, plurimum cum eodem seniore inde tractavimus, & omnia quæ nobiscum ejusdem deliberatione visum est vobis, remisimus, precantes vestram paternitatem, ne ea ullo modo reddatis, nisi prius omne debitum quod a prædicto seniore multis debetur, pro utilitate ipsius monasterii a comite cunctis debitoribus restituatis, quia ob hoc ea secum deduxisti, ne illi a quibus mutuo accepit decepti essent, & ipse in peccatum pro his incideret in periculum. Quare..... provide & strenue, de his considerate, ne, quod absit, inconsulte ea comiti reddatis, & quibus plurima de monasterio debentur, fraudem ex rebus sustineant, & vos in peccatum, & cœnobium vestrum in maximum pro his in postremum incurrat detrimentum. Si qua vero supersint quæ vobis non transmisimus, sciat paternitas vestra.... seniori, vel ita esse commissa vel adquisita, ut minime comiti pro hac ratione debeantur reddi, de quibus si sermo sit, a comite vobiscum exortum fuerit, cavete ne aliquid ex omnibus reddere promittatis, donec supradictus filius vester de his in vestra præsentia valeat ratiocinari, ut expedit, vobiscum. Super hæc.... fraternitas, ut in capite jejunii venire properetis, si ulla vobis est cura monasterii vestri, quia hoc necessitas exigit. Quod nisi feceritis, graviter nobis hæc moleste ferre omnino sciatis. Valete. (a)

DONATIO MONASTERII sancti Savini in valle Levitana facta Massiliensi sancti Victoris abbatiæ a Centullo comite Bigorritano.

Anno 1080. *Ex archivis S. Victoris eruit D. Furnerius.*

EGO CENTULLUS comes & uxor mea BEATRIX & mater ejus STEPHANIA, pro salute animarum nostrarum & parentum nostrorum, monasterium S. Savini abbatis & confessoris in valle Levitanensi situm, in episcopatu Tarbensi, in comitatu Bigorritano, a monastica religione jam pene lapsum, omnipotenti Deo & B. virgini MARIÆ, & sancto Victori Massiliensi martyri, & abbati RICARDO & successoribus ejus, monachis quoque Massiliensibus præsentibus & futuris donamus, concedimus atque relinquimus in perpetuum habendum, tali tenore, ut abbates Massilienses abbatem in prædicto monasterio constituant, benedicendum secundum regulam sancti Benedicti & consuetudinem monasterii Massiliensis, & monachos male viventes & inobedientes inde auferant, & bonos mittant, qui monasterium ordinent secundum consuetudinem Massiliensis monasterii. Quod si abbas sancti Savini contra regulam sancti Benedicti & consuetudines Massiliensis monasterii vixerit, & comes & episcopus hoc tertio abbati Massiliensi per fideles & certos nuncios notificaverint, & securitatem & potestatem

(a) Quo tempore scripta fuerit, non satis constat, suspicor tamen scriptam fuisse circa annum 1080. quo Gregorius VII. Grassensem B. Mariæ ecclesiam in diœcesi Narbonensi, & Arelatensem S. Petri Montis-majoris monachis Massiliensibus reformandas commisit.

corrigendi illum in tota terra sua dederint & abbatem ad obediendum constrinxerint, & ipse neglexerit, habeant potestatem comes & & episcopus Bigorritanensis corrigendi abbatem secundum regulam sancti Benedicti. Donamus igitur ab integro monasterio Massiliensi & ibi Deo servientibus quicquid in prædicto monasterio Bigorritanenses comites hactenus habuerunt, vel visi sunt habere, præter eam legem quæ de proclamationibus & seditionibus sæcularium hominum in monasterio sancti Licerii & aliis Bigorræ monasteriis habetur, salva tamen auctoritate Tarbensis ecclesiæ. Jussu ergo & consilio PONTII Tarbensis episcopi facta est hæc carta, sive hujus monasterii acquisitio anno ab incarnato Dei Filio millesimo octuagesimo Kal. Aprilis. (a) Ut hoc donum firmum & stabile in perpetuum maneat, ego comes CENTULLUS sine omni malo ingenio & retinimento hanc cartam manu mea firmo, & uxori meæ BEATRICI & matri ejus STEPHANIÆ & principibus meis firmare præcipio. Signum BERNARDI (b) episcopi, sig. ODONIS (c) abbatis. Sig. Sanctionis, Virgilii, Benedicti, Garciæ ejusdem loci monachorum. Sig OTGERII vicecomitis, Theobaldi, Stephani, Arsenii, sig. Dodonis Benaeensis, Guille Aramon de Ossu. Arnalt Guil. de Barbaza, Guille ez de Baregda, sig. Bernardi de Castello-Bajac, & Arnalt Guil. de Angulis.

DONATIO MONASTERII S. PETRI Bisuldunensis facta S. Victori Massiliensi a Bernardo Bisuldunensi comite.

Anno 1080 Ex archivis S. Victoris unde D. Furmetim

IN homine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego BERNARDUS Bisuldunensium comes videns quod monasterium S. Petri, quod est situm in castro Bisuldunensi, juxta aquam Fluviani, longe usque ad nostra tempora a religione & ordine monastico destitutum, Deo parvum vel nullum exhibeat servitium, Massiliensibus sanctæ Mariæ & sancti Victoris martyris monachis jam pridem tradidi restaurandum. Sed illis per Dei gratiam in prædicto cœnobio fideliter laborantibus, & ad justitiæ cultum fructumque pietatis eumdem locum sancti Petri perducentibus, iterum pro salute animæ meæ ab integro prædictum monasterium præsentibus & futuris sanctæ Mariæ & S. Victoris abbati & monachis placuit conferre & confirmare. Unde ego BERNARDUS comes, dono, trado, concedo, exhibeo, relinquo & dimitto pro salute mea & parentum meorum, Deo & S. Mariæ & S. Victori martyri, & tibi RICHARDE abbas Massiliensis, & omnibus successoribus tuis abbatibus Massiliensibus, monachisque præsentibus & futuris, ex toto omnino monasterium S. Petri apostoli Bisuldunensis, quod est in episcopatu Gerundensi, & in comitatu Bisuldunensi, ut habeatis & possideatis in perpetuum, & omnem ordinationem tam abbatum quam monachorum, secundum regulam sancti Benedicti & constitutiones Massiliensis monasterii ibi faciatis. Habeas ergo tu tuique successores, vel monachi Massilienses licentiam mittendi ibi quos volueritis monachos, & auferendi, & ordinandi prædictum monasterium, prout vobis visum fuerit, sine impedimento mei, vel successorum meorum comitum, vel alicujus personæ. Ita dono, concedo, & offero S. Mariæ sanctoque Victori martyri prædictum monasterium, & omnino quidquid hactenus ibi habui vel habere visus fui, absque ulla deceptione, & sine malo ingenio. Igitur si ego vel quælibet persona cujuscumque conditionis vel ordinis, hoc donum infringere aliquando vel mutare tentaverit, non valeat consequi quod appetit, sed insuper CCC. libras auri pro hoc ipso S. Victori componat, Deique omnipotentis, donec satisfaciat, locumque liberum derelinquat, iram incurrat.

Facta est autem hæc carta vel donum anno ab incarnato Dei Filio M L X X X. indict. III. epacta XXVI. mense Augusto VI. idus ejusdem mensis

† Sig. BERNARDI Bisuldunensium comitis.

Sig Arnall. Bernard.

S Pontius levita.

S. Pandulfus presbyter.

S. Guillelmus archilevita Gerundensis.

Data per manum Beraldi Massiliensis monachi regnante Domino nostro JESU-CHRISTO. (d)

(a) Septimo post anno, hoc est 1087. idem Centullus cum uxore sua Beatrice, jussu & consilio Dodonis episcopi Tarbiensis abbatiam S. Severi de Rustano eidem monasterio & abbati donavit, scripto diplomate IV. idus Maii ejusdem cum isto temporis: quod proinde infra non referemus.

(b) Hic Bernardus non alius nobis videtur a Bernardo illo qui ex monacho Benedictino Generensis monasterii factus episcopus Lascurensis, hanc sedem tunc occupabat.

(c) Is est Odo de Benaco filius Guillelmi *Auriol* de Benaco ex Maria filia Raymundi Garsiæ vicecomitis Levitaniæ, qui tunc temporis proximam sancti Petri Generensis abbatiam administrabat, factus postea episcopus Oleronensis.

(d) Extat in archivis S. Victoris facta ab eodem Bernardo comite Bisuldunensi donatio monasterii S. Stephani Balbeolensis eodem anno, eodem die, iisdemque verbis conscripta.

INCIPIT PRÆFATIO

[a] (a) Willerami Babembergensis scholastici Fuldensis monachi in Cantica canticorum.

Circa 1080 *Ex ms. codice S. Encbari, ante annos 600. exarato.*

CUm majorum studia intueor, quibus in divina pagina nobiliter floruere; cogor hujus temporis fæces deflere, cum jam fere omne litterale deficit studium, solumque avaritiæ, invidiæ & contentionis remansit exercitium. Nam &, si qui sunt qui sub scholari ferula grammaticæ & dialecticæ studiis imbuuntur, hæc sibi sufficere arbitrantes, divinæ paginæ omnino obliviscuntur, CUM OB HOC SOLUM Christianis liceat gentiles libros legere, ut ex his quanta distantia sit lucis & tenebrarum, veritatis & erroris possint discernere. Alii vero cum in divinis dogmatibus sint valentes, tamen creditum sibi talentum in terra abscondentes, ceteros qui in lectionibus & canticis peccant, derident, nec imbecillitati eorum vel instructione, vel librorum emendatione quicquam consulti [b] exhibent. Unum in Francia comperi (b) LANTFRIDUM nomine, antea maxime valentem in dialectica, nunc ad ecclesiastica se contulisse studia, & in epistolis Pauli & psalterio multorum sua subtilitate exacuisse ingenia; ad quem audiendum cum multi nostratum confluant, spero quod ejus exemplo etiam in nostris provinciis ad multorum utilitatem industriæ suæ fructum producant. Et quia sæpe contingit, ut impetu fortium equorum, etiam caballi ad cursum concitentur; quamvis segnitiem ingenioli mei non ignorem; Deum tamen bonæ voluntatis sperans adjutorem, decrevi etiam ex mea particula studioso lectori aliqua emolumenti præbere adminicula. Itaque CANTICA CANTICORUM, quæ sui magnitudinem ipso nomine testantur, statui, si Deus annuerit, & versibus & Teutonice planiora reddere, ut corpus in medio positum, his utrimque cingatur, & ita facilius intellectui occurrat quod investigatur. De meo nihil addidi; sed omnia de sanctorum patrum diversis expositionibus eruta, in unum compegi, & magis sensui quam verbis, tam in versibus quam in Teutonica operam dedi. Eisdem versibus interdum utor, quia quæ Spiritus-sanctus eisdem verbis sæpius repetivit, hæc etiam me eisdem versibus sæpius repetere non indecens visum fuit. Expositionis tenorem sponso & sponsæ, sicut in corpore, sic in versibus & Teutonica placuit ascribi, ut majoris auctoritatis videatur, & quivis legens personarum alterna locutione A delectabilius afficiatur. Nescio an me ludit amabilis error, aut certe qui Salomoni pluit, mihi etiam vel aliquantulum stillare dignatur; interdum mea legens, sic delectabiliter afficior, quasi hæc probatus aliquis composuerit auctor. Opusculum hoc quamdiu vixero, doctioribus emendandum offero, si quid peccavi illorum monitu, non erubesco; si quid illis placuerit, non pigritor addere.

Explicit præfatio.

VOX SYNAGOGÆ.

B Quem sitio votis nunc oscula porrigat oris,
Quem mihi venturum promiserunt organa vatum.
Nunc etiam per se præsens dignetur adesse,
Oscula præbendo, sua dulcia verba loquendo.

OSCULETUR ME OSCULO ORIS SUI.

Cusser mihonit cusse sines mundes. Dicco gunrizer nur sine cunst per proph.. micume her selbo unte cusse mihnut dero sueze sines evangelii.

Ubera nempe * tui præcellunt pocula C vini. * *Edit.* Namque
Suaviter unguentis fragrantia* sat pretiosis. * *Edit.* redolentia.
Mitificans veterem tua lenis gratia legem,
Gratis justificat quos lex punire jubebat.
Hosque tuis donis dum spiritualiter ungis,
Reddunt præclaram post turpia crimina formam. * * *Edit.* victam.

QUIA MELIORA SUNT UBERA TUA VINO, FRAGRANTIA UNGUENTIS OPTIMIS.

Vuanta bezzer, &c. (c) [c]

D PROOEMIUM PAULINI ad amœna pœnitentiæ nos invitantis.

Ex ms. Hiemerodensi ante annos 500. exarato.

JUstissimus ordo pœnitentiæ & rectissima forma hæc est, ut inchoent a lacrymis & desinant in lætitia, quatenus tali exemplo possit agnosci verum esse quod legitur: *Qui seminant in lacrymis, in gaudio metent.* Quod tunc fit, cum devotissima ad pœnitendum pœnitentis intentio suspirat, quia hoc continuis gemitibus ex affectu divinæ miserationis ingemiscens; in vulnere suo cordis resoluta duritia excitantur omnes sensus præcordiorum ejus, ut clament ad Dominum internæ vocis fortitudine. Conveniuntque E suspiria pectoris, & suspirium a suspirio excipitur, consonantque gemituum murmura in auribus Domini, si forte quandoquidem audire dignetur. Nec hoc solum agit pœnitens, sed insuper relaxatis oculorum habenis, largas emanans aquas, palpe-

(a) Hic Vvilleramus comparandæ scientiæ desiderio, Parisiensi in Universitate sacris studiis operam navavit, redux in patriam Babembergensis scholasticus, deinde monachus Fuldensis ac demum abbas Mersburgensis extitit, floruitque circa annum 1080. teste Trithemio in libro de scriptoribus eccles.

(b) Forte Lanfrancum, qui tum in Gallia velut sydus splendidissimum scientiæ suæ radios circumquaque emittebat.

(c) Opus illud edidit noster Antonius *Beaugendre* ex antiquo codice, ubi præfatio & interpretatio Teutonica desiderantur, Marbodoque Redonensi episcopo adscripsit, eo quod hujus auctoris carmina nonnulla contineat idem codex.

bræ ejus flumina lacrymarum profluunt; recurruntque sine defectu tramites venarum capitis ejus, donec & piacula cunctorum criminum abluantur, & omnis immunditia iniquitatis abstergatur; deinde repletur os ejus verissimæ confessionis sermonibus, quibus delectatur Dominus, & parcere clementer studet, & præstare veniam non moratur quodammodo dicens: *Homo, remittuntur tibi peccata tua.* Cui misericordissimæ consolationi, & tam benignissimo piissimoque peccaminum relaxatori, immo emundatori cor pœnitentis ineloquibili gaudio perfusus, talia ut ita dicam, ait: Deliqui, Domine, & miserabiliter peccavi, ultra modum scelera mea frequentavi, ob hanc caussam sicut cedrus tribulationes meæ dilatatæ sunt, tota die torquentes conscientiam meam. Non enim, Domine, minimæ sunt culpæ meæ, nec peccatorum parva congeries, ideo silere nequeo: idcirco multi gemitus mei, & mens mea magnæ perturbationis eversione mœstissima est. Sed consideratione magnarum & innumerabilium miserationum tuarum, Domine, recreatus munere tuo, a labe tanti discriminis, me miserum paulatim surgere perspicio. Fateor, ô Domine, quia erigit me ad spem indulgentiæ pietas tua, ut in fide nihil hæsitans, petam veniam & non moriar, sed vivam. Idcirco reversus ad habentem potestatem super plagas meas, te scilicet Dominum meum, curvo tibi genua mea, & sedula oratione cum confessione pœnitudinis deprecor te, dans gloriam nomini tuo in laude & benedictione frequentissima. Domine Deus meus in omnibus glorifico te, qui persistens erudisti insipientiam meam, & emollisti cor meum, donec vel invitus audirem voces tuas diutius clamitantes, & conversus sequerer te. Et ego, Domine, cognovi, & ego intellexi sonum clamoris tui, & reprehendens me conversus sum, & egi pœnitentiam coram te, sicut hæc dies probat. Idcirco in laudem tuam & consolationem meam prophetica verba tibi decantarem. Castigasti me, Domine; etenim eruditus sum quasi vermiculus indomitus: postquam enim convertisti me & egi pœnitentiam, & postquam ostendisti mihi, percussi femur meum, conversus sum & erubui. Recordatus sum te Dominum meum, quoniam in tua misericordia revixit anima mea, & resurrexit a mortuis. Ideo bonæ spei factus sum vir, quia expectasti me, & sustinui in præterito lascivientem, quod considerans compunctus sum, & egi pœnitentiam. Lætus jam deinde nunc tibi & semper innumeras gratias referam, te totis visceribus implorans, tibi me tota devotione commendans, quia ut invenirem te quæsisti me, ut redirem tu compulisti me, ut confiterer tu es operatus, & ut me recognoscens plangerem tu dedisti mihi, quoniam tu es Deus quem nemo amittit nisi deceptus; quem nemo quærit nisi admonitus, quem nemo invenit nisi purgatus, quoniam bonus es tu, quoniam in sæculum misericordia tua, quoniam tantum tu es Deus, & præter te non est Deus. Tu es Deus Israel, salvator Deus omnium sæculorum. Amen.

Iste est conveniens ordo pœnitentium; & hoc modo fit pœnitudo fructuosa, gaudium ex luctu parturiens, ex negligentia indulgentiam adferens, & ex labore requiem adducens, a lacrymis, ut ostensum est, inchoans, in gaudiis terminans unde supra. Anteposita itaque diligentiori ratione, omnis qui ad confitenda peccata vel ad suscipiendam pœnitentiam properat, fortasse non inconvenienter ita ab eo a quo docendus est vel instruendus est, interrogando seu examinando adgredi potest. Vis confiteri peccata tua? si respondet, volo, tunc addendum ita: Primum hac in re sciendum est, quia necesse erit tibi hoc simpliciter & puriter agere, nec in eo in quo ipsa peccata forsitan turpia aut pudenda ante humanos oculos vel aures, videntur aliquam simulationem prætendere, & ea peccata quasi fabricando honestare velis; magis autem oportet ut illa quæ accusatione vel detestatione propter enormitatem vel turpitudinem suam digna sunt, dolendo & erubescendo confiteantur, quam ut propter humanam verecundiam sileantur.

Incipiunt salutifera monita (a) Paulini de tractatibus sanctorum excerpta. [a]

PRÆFATIO HAIMONIS ad venerabilem patrem Willelmum in librum de Amore cælestis patriæ.

Circa 1080. Ex ms. Himerodensi.

REverentissimo in Christo patri WILLELMO (b) HAIMO sempiternam in Domino salutem. [b]

Cum sis unicum & sanctissimum veræ humilitatis & compunctionis exemplar, & huic mundo crucifixus, petisti crebro, domine reverentissime pater Willelme, ut... sanctarum scripturarum omni cum velocitate procurarem, & ex his flosculos perpetuos & ad animæ tuæ salutem proficuos, tam de amore cælestis patriæ, & quibus ad

(a) Totus hic Paulini liber constat ex variis SS. Patrum excerptis de pœnitentia, maxime SS. Augustini, Ambrosii, Hieronymi, Gregorii, Chrysostomi, Effrem, &c. nullumque juniorem citat S. Isidoro. Hinc colliges auctorem neque esse Nolanum neque Petracordiensem Paulinum, qui dicuntur scripsisse de pœnitentia; utpote qui ante plerosque quos citat auctores vixerint.

(b) Librum hunc de Amore cœlestis patriæ censemus esse attribuendum non Haymoni episcopo Halberstadiensi, qui & ipse multa opera edidit, sed Haymoni Hirsaugiensi monacho, Guillelmi abbatis sanctissimi discipulo, cujus vitam duobus libris conscripsit, ad cujus etiam petitionem libros de Amore cœlestis patriæ composuit. De eo vide si lubet Trithemium in Chronico Hirsaugiensi.

eam passibus bonorum operum perveniatur, A quam & de timore & qualitate supplicii perquirerem, quatenus mortificationem carnalium desideriorum fontesque lacrymarum, compunctionemque continuam, largiente bonorum operum omnium largitore, divinis excitatus admonitusque sententiis habere possis assidue. Scimus enim omnes, qui crucifixam vitam tuam non incognitam habemus, quia postquam a mundanis & palatinis vinculis absolutus es, terrena & peritura reliquisti, & ad paupertatem Christi feliciter advolasti, omnem vitam tuam huic mundo esse mortificatam, & a cunctis interius exteriusque vitiis expurgatam, necnon B & ab omnibus sæcularibus curis desideriisque carnalibus divino ab igne pleniter excoctam, & sine aliqua intermissione cum continuis gemitibus & lacrymis te ad patriam cursu velocissimo festinare perpetuam. Igitur beatissime Sancte, jussioni tuæ inobediens non ausus fui existere, nec volui omnino, nec debui, licet elinguis omnique ex parte vita & sermone ineruditus, tamen luculentissimæ sanctitati vestræ, prout auctor & fons luminis donare dignatus est, parere non distuli, sed in tres libellos nonnullas sententias ex sanctorum patrum opusculis excerptas distinxi. Primus namque continet C libellus de qualitate cælestis patriæ, secundus vero quibus sanctis hæc beata vita acquiratur operibus, tertius de qualitate supplicii.

Explicit præfatio.

INCIPIT PROLOGUS LIBRI SECUNDI.

Per arctam & angustam viam ad sacratissimum cælestis imperatoris summa cum velocitate festinas palatium, & nec umquam te novimus, postquam ad monasticam convolasti nobiliter vitam, amplos requirere ingressus, sed quotidie indefessus crucem D tuam sustollendo post ineffabilia Christi currere non cessas vestigia, & adhuc quasi novus tyrunculus arma invictissima requirit divinorum scilicet præceptorum, unde contra infestissimum humani generis hostem belligerare feliciter possis assidue. Sufficit vita tua, ô beatissime Willelme, omnibus nobis ad exemplum, quia tali indigemus. Provocant nos ad desiderium cælestis patriæ sanctissimi gemitus tui, & beatissimæ lacrymæ tuæ, omnesque splendidissimi actus tui. Ut enim vestræ paternitatis jussio mihi exiguo vestro imperavit famulo, pauca sanctorum E patrum testimonia ex eorum opusculis excerpta de sanctis virtutibus in hoc secundo libello secundum modicam intellectus mei capacitatem, vestris, Domino tribuente, meritis, etsi non ut debui, tamen ut potui aggregavi.

EPISTOLA BERNARDI scholastici ad Conradum episcopum Trajectensem.

Nuncupat ipsi suam in Theodulum expositionem.

Dilectissimo domino suo sacerdoti Trajectensis sedis episcopo CONRADO suorum minimus clericorum Bernardus, gregem sibi a Domino commissum sic pascere, ut a summo pastore Christo mereatur audire: Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa constitueris. Circa 1080 Ex ms. Hardenhousano.

Lecturus aliquando Theodulum pueris, quibus docendis doctorem doceri quam docere aptiorem præfecistis, primum quidem in his quæ extra quæri solent, dehinc in historiarum fabularumque mysteriis eos cœpi rudis rudes erudire, quæ cum vellemus nec valeremus, ego quidem satis dicere, illi vero retinere, cupientes ipsi doceri, docere cupientem me rogaverunt, ut quibus & de quibus colloquendo satisfacere non poteram, eis & de his scribendo satisfacerem. His ego cum multas, nec calvas, tum ex rei difficultate, tum ex ingenioli mei tarditate occasiones prætenderem, ut excusatus abirem, huic quæ vel sola, & si non potuit tamen sufficere debuit, potissimum innitebar, quod præsumtioni non rationi ascriberetur, si quæ summi doctores discutere vel non valuerant vel noluerant, ea ego omnium minimus attentarem. Illi nihilominus instare, & licet pueri, non pueriliter tamen causas causis opponere, meas quidem quoad poterant & audebant enervantes, suas autem quibus valebant rationibus roborantes. Asserebant enim levius mihi esse semel scribere, quam dicere; sibi vero utilius legere, quam audire, tum quia non valerent tot tantaque simul memoriæ mandare, tum quia non auderent me, si aliquid eos subterfugisset, percontando inquietare. Ad hoc illud addebant, quod dicta paucis & his præsentibus ad tempus, scripta vero multis absentibus & præsentibus, & semper prodesse poterant, eo quod voces prolatæ esse desisterent, litteræ vero non modo manerent, sed & voces fugitivas reducerent, caducas sustentarent. Hanc ad rem comprobandam mihi testem trahebant, meo me jugulantes gladio, qui de eodem idem eis dixeram duobus hisce versiculis.

Index est animus rerum vox, littera vocis,
Hæc docet, hæc dicit; hæc manet, illa perit.

His ergo animo tactus, nec tamen omnino subactus, cœpi mecum tacitus perquirere, perquirens attendere, attendens perpendere quis essem, qui essent, quid esset, qui

petebar, qui petebant, quid petebatur, & inveniebam quidem rem multum esse arduam, sed meæ professioni non indebitam: illos quoque digna se petere, sed me dare non posse. Rursus igitur cœpi negare, rursus illi rogando pulsare, ut si non propter justitiam, saltem propter eorum importunitatem surgeremus ad peragendum quod petebant. Quid multis moror? non prius cessaverunt, quam me fatuum infatuaverunt, si fatuum est infatuare volentem nec valentem benefacere ad melius provocare. Primum itaque quicquid in librorum principiis moderni & antiqui requirenda censent, proposui & exposui, deinde Theodoli eglogam ad litteram & allegorice & plerisque in locis moraliter explanavi. Novissime vero dictionum quoque naturam pueris pueriliter aperui; quod factum nonnullos pejorem in partem accepturos non dubito, qui utilibus aliorum laboribus inertiæ nomen imponunt, laudibusque bonorum livoris nebulam prætendunt, parati omnia destruere, non volentes immo nescientes quicquam componere. Vobis ergo, pater piissime, religionis assertor, & decus ecclesiæ, hunc librum devovi, devotum transmisi, quatenus vestro judicio examinatus, vestraque auctoritate suffultus,

Laudetur, vigeat, placeat, relegatur, ametur.

Vale.

BULLA GREGORII PAPÆ VII. ad Theodericum Andaginensis S. Huberti monasterii abbatem.

Andaginense monasterium sub sedis apostolicæ protectione accipit, eique cellas Ebernei-curtis & Pyrensem confirmat.

Circa 1080 *Ex ms. S. Huberti.*

GREGORIUS episcopus servus servorum Dei dilecto in Christo filio THEODERICO abbati monasterii S. Petri sanctique Huberti Andaginensis in Arduenna constituti, suisque successoribus regulariter ibidem intrantibus in perpetuum. Nulli fidelium est in dubio quin sedes apostolica, quæ universalis mater & omnium ecclesiarum princeps est, omnibus hoc jure ac debita sollicitudine præesse debeat, non ut eas tantum catholicæ religionis unitate concludat, sed generali circumspectione, etiam ab his quæ extrinsecus promoventur, pro sua auctoritate salvet & muniat. Inter quas tamen cum plures inveniantur, quæ speciali & propria commendatione in tutelam ejusdem sedis apostolicæ se contulerunt, ut speciali caritate & studio suæ matris amplexæ, usquequaque securiores & liberiores ab omni infestatione consisterent: quas, ut dignum erat, ita Romana suscepit ecclesia, tantaque protexit undique diligentia, ut omnibus munimenta præsidii, nonnullis quoque gratiam conferret augendi. Cujus rei plurima nobis exempla sanctissimi viri reliquerunt, qui ante nos in illa quam diximus apostolica sede fulgentes, pro honore ecclesiarum Dei & exaltatione earum, magis quam pro vita aut salute sua solliciti fuerunt, suscipientes monasteria & venerabilia loca in patrocinium apostolicæ defensionis, & confirmantes ea propriis privilegiis, quatenus ex quotidiana tranquillitate ardentius in devotione divinæ servitutis & in omni bono proficerent. Qua in re, quam pie, quam sancte fecerunt, & illorum nobis ostendit gloria, & ipsius rei tam fructuosa gratia. Nam cum oratoria in pace & tranquillitate consistunt, & ecclesiastica beneficia pauperes Christi nutriunt, tamen vero laus Deo digne promitur, & remedia peccatorum tam vivis quam defunctis impenditur. Unde nos in eadem apostolica sede, non nostris meritis, sed divina locati gratia, suscepti officii debitum considerantes, præfatum monasterium, cui tu, dilecte fili & prænominate abba, præesse dinosceris, tuo rogatu in tutelam apostolicæ sedis & nostram, successorumque nostrorum defensionem suscepimus, confirmantesque & corroborantes sibi per præsentis paginam privilegii * ecclesiam S. Mariæ super Auxonam sitam, * ecclesiam S. Sulpicii super Mosam, ceterasque possessiones tam in villis, quam castellis, ceterisque ecclesiis & terris cultis & incultis, seu & omnibus rebus mobilibus & immobilibus quas nunc jure possidet.

* Cella *Evernicourt.*
* Cella *Pyrenus.*

DONATIO MONASTERII dicti *la Romeu* diœcesis Aginnensis S. Victori facta ab Ottone vicecomite Leomaniæ & Adalaide comitissa.

Anno 1082. *Ex cartario S. Victoris eruit D. Furnerius.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego OTTO vicecomes Leomaniæ & uxor mea ADALAIDIS comitissa donatores sumus Domino Deo & S. Mariæ genitrici Dei sanctoque Victori martyri Massiliensis monasterii, & venerabili RICARDO cardinali abbati ejusdem monasterii, & domino Girberto priori, & omnibus monachis Massiliensibus tam præsentibus quam futuris ibidem Deo servientibus, aliquid de nostro honore pro remedio animarum nostrarum & parentum nostrorum, ut idem omnipotens Deus hanc paucissimam oblationem, ceu ceteris operibus bonis placatus, meritis & intercessionibus beatæ Mariæ semper Virginis genitricis Dei, & sanctissimi martyris Victoris, aliorumque sanctorum inibi quiescentium, orationibusque omnium monachorum ibidem omni tempore Deo famulantium, & defunctis parentibus nostris conferat requiem sempiternam, & nobis in præsenti sæculo pacem, & de inimicis victoriam, &

in futuro cum sanctis omnibus perpetuam attribuat gloriam. Est autem supradictus honor infra terminos Leomanniæ in territorio del Feumarco in quodam saltu, scilicet in loco quem vocant *la Romeu*, quem loco nos jam dederamus cuidam Dei servo nomine Arberto peregrino, qui dominicæ jussioni obediens, patriam parentesque pro ejus amore relinquens, ad nos ex Alamanniæ partibus venit, & sicut a divina voce sibi imperatum fuerat, a nobis prædictum locum expetiit, ibique separatus a cunctis mortalibus, libere Deo servire disposuit. Sed Dei ordinante misericordia, infra biennium ob meritum hominis, ad tantam propalationem idem locus devenit, ut jam fere centum mansiones continere videatur. Quod cernens Dei servus, divino tactus consilio, & nostro persuasus imperio, providens in futurum ut sibi & nobis melius posset esse consultum, obtulit semetipsum Deo & S. Victori ejusque monasterio Massiliensi in potestate RICHARDI cardinalis abbatis prædicti, & Girberti prioris ejusdem monasterii, & dedit totum jam dictum honorem, quem nos dederamus & tradideramus ei cum illis omnibus quæ ab Aynardo & Agasia, & ab aliis hominibus impetraverat, & insuper mobile & immobile, & quidquid ipse aut aliquis per eum acquisierat ibi. Quem videlicet honorem nos jam dicti donatores cum sua voluntate ad proprium alodem Deo & S. Victori & jam dicto monasterio & monachis simul donamus, concedimus, laudamus & confirmamus, & de nostra & nostrorum tam natorum quam nascendorum potestate, in eorum ditione transfundimus, ut in perpetuum ibi habeant monachi liberam potestatem ædificandi & faciendi quodcumque voluerint ad Dei servitium. Insuper etiam donamus eis partem de sylva nostra, in qua idem locus fundatus est, sicut vadit via de uno latere contra castrum de Mazola, & terminat contra occidentem in sylva de Asiu, & de Gasia de Gotbes, & de Aimili, de Paulac, & de alio latere contra meridiem venit per la Peirieram, discurrens usque ad vitem plantatam, & de alio latere contra septentrionem divertit in ipsam villam *de la Romeu*, & discurrit usque ad jam dictam viam ad castrum scilicet de Mazola ad orientem. Donamus etiam ad loco & eisdem monachis, & monasterio sæpe dicto mercatum totum, simul & teloneum, & mineganciam totam, & justitiam totam ab integro, sine aliquo retinimento vel alicujus hominis vel mulieris. Volumus præterea & laudamus, simulque donamus salvitatem seu salvationem huic villæ quæ vocatur *la Romeus* omnibus ibi manentibus, & ex quacumque parte advenientibus, necnon & ab eadem villa discedentibus, ut omnes salvi sint, & quicquid ibi habuerint vel adduxerint. Hæc autem omnia supradicta nos jam nominati Arbertus scilicet & OTTO vicecomes de Leomannia & ADALAIDIS comitissa, & omnes alii donatores, sic totum supradictum donamus honorem ab integro, quantum ibi habemus vel habere debemus, Deo & jam dicto monasterio, & monachis Massiliensibus tam præsentibus quam futuris, sine aliquo retinimento vel malo ingenio. Quod si nos donatores, vel aliqua magna parvaque persona, contra hanc cartam donationis nostræ venerit, vel infringere voluerit eam; non hoc valeat vindicare, sed componat in duplum cum omni sua melioratione; & insuper x. libras auri probatissimi, hac donatione manente firmiter modo & omni tempore. Facta carta hujus donationis v. cal. Junii anno MLXXXII. incarnationis Domini.

† Signum Alberti peregrini.

S. OTTONIS de Leomannia illustris vicecomitis.

S. ADLAIDIS comitissæ conjugis ejus, qui cartam donationis scribi fecimus & firmavimus, ac testes firmare rogavimus.

S. Ugonis de Laisla. Sig. Arnalt *Vivez*. S. Rotberti clerici. S. Geraldi. S. Maurini fratris ejus. S. P. *Gros*. S. Arnaldi qui hanc (a) donationem feci & firmavi. S. Bernardi de *Gotbes*. S. W. *de Lezes*. S. Bernardi de Castaneda. S. Servat. de Ligardas. S. Ballui Baudor de *Gotbes*. S. Assiu.

DIPLOMA HENRICI III. imperatoris pro S. Maximino.

Restituit S. Maximino prædium Gunterhusen.

Anno 1084. Ex cartario S. Maximini.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. HENRICUS divina favente clementia Romanorum imperator augustus. Notum sit omnibus Christi nostrisque fidelibus tam futuris quam præsentibus, qualiter nos pro remedio animæ nostræ, parentumque nostrorum, CONRADI avi nostri, HENRICI patris nostri imperatorum, GISELLÆ aviæ nostræ, AGNETIS matris nostræ imperatricum, quoddam prædium nomine *Guntershusen* situm in pago *Drechere*, in comitatu *Bern*, cum omnibus appendiciis, & aliis areis, villis, in quocumque comitatu jacentibus, ædificiis, terris cultis & incultis, viis & inviis, silvis, venationibus, aquis, aquarumve decursibus, molis, molendinis, piscationibus, exitibus & reditibus, quæsitis & inquirendis, ac cum omni utilitate, quæ vel scribi vel nominari poterit, sancto Maximino ad abbatiam quæ vocatur sancti Maximini, cui injuste ablatum est & injuste a.... Luitoldo pro beneficio possessum reddidimus, firmavimus, & in æternum sancto

(a) Id est, ut opinor, scripsi.

Maximino stabilivimus, ea videlicet ratione, ut HENRICUS ejusdem abbatiæ abbas, suique successores idem prædictum prædium ad usus fratrum ibidem Deo sanctoque Maximino servientium possideant, & nulli umquam ullo modo dare vel præstare vel vendere præsumant, ut fratres iidem inde consolati, pro nostra vita temporali & æterna, & animabus parentum nostrorum, & pro omnibus fidelibus vivis & defunctis, sicut promiserunt, Deo supplicare non cessent devoti. Cujus rei testem cartam hanc scribi & nostra manu, ut infra videtur, corroboratam sigilli nostri impressione jussimus insigniri.

Signum HENRICI III. Romanorum imperatoris augusti.

GEBEHARDUS episcopus cancellarius vice WEHELONIS archiepiscopi & archicancellarii recognovi.

Data IV. nonas Octobris indictione VII. anno dominicæ incarnationis MLXXXIV. anno autem domni Henrici tertii Romanorum imperatoris augusti regni XXX. imperii I.

Actum Moguntiæ in Christi nomine feliciter. Amen.

LITTERÆ HENRICI EPISCOPI Leodiensis pro monasterio S. Huberti.

Confert allodia de Braz & Grupont.

Ex cartario Andaginensi S. Huberti.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus-sancti. Ego HENRICUS gratia Dei Leodiensium episcopus, ex ipso debito pastoralis curæ sollicitus, pro augmentatione commissæ nobis ecclesiæ, tum etiam pro obtinendo remedio salutis animæ meæ, probata apud me honesta conversatione fratrum ecclesiæ B. Petri & beati Huberti in Arduenna sitæ, tractus tam ejusdem religionis amore, quam & ipsius loci solitudine, cœpi eis familiariter cohabitare. (NOTA.) Ordinata vero mensa prædictorum fratrum a THEODERICO religioso abbate pro ejusdem loci possibilitate, cum didicissem & indoluissem eis cœnam deesse, allodium *Braz* de meo proprio reditu emtum a Montensi comitissa RICHILDE, filii sui BALDUINI consensu & laude, destinavi eis legaliter delegandum, & perpetualiter habendum ad augmentum cœnæ. Igitur sub obtentu hujus meæ intentionis cum egissem ibidem solemnitatem Dominici natalis, primo die procedens ad majus altare ipsius ecclesiæ sancti Petri, in solemni præsentia clericorum & obtimatum meorum, pastoralem virgam eidem superposui, confirmans Deo & sancto Huberto per manus GODEFRIDI ducis & ejusdem ecclesiæ advocati, legalem donationem præfati allodii, cum familia & omnibus ejus utilitatibus & appenditiis, scilicet terris cultis & incultis, pratis, silvis, aquis, aquarumve decursibus, & piscatura, banno, latrone, foralibus & placitis absque venatione, quam solummodo usibus meis propriis retinui. Hoc dono facto & confirmato anno incarnati Verbi MLXXXII. ordinationis autem meæ (a) octavo, ea conditione ut dum adviverem memoria mei solemniter fieret, in duodecim mensium calendis, & post mortem meam tam pro me quam & pro cunctis fidelibus defunctis.

Procedente autem tempore anno itidem MLXXXVII. suggerente Spiritu-sancto, allodium de *Grupont* eidem ecclesiæ legaliter in perpetuum habendum tradidi, cum familia & omnibus utilitatibus, & appenditiis suis, terris cultis & incultis, pratis, silvis, aquis, piscaturis, & toto banno, latrone, & placitis absque venatione. Si quæ autem persona vel nostrorum successorum, vel qualiumcumque secularium potestatum huic nostræ eleemosynæ obviare voluerit, vel invadere, vel transmutare, vel minuere, vel novis consuetudinibus violenter eam infringere, vel ecclesiæ beati Petri & beati Huberti subtrahere præsumserit, ex auctoritate Dei omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, & ab ipso nobis concessæ ligandi atque solvendi potestatis excommunicatus æterno Dei judicio subjaceat, & nisi resipuerit, & prædictæ ecclesiæ digne satisfecerit, in extremo vitæ suæ a communione corporis & sanguinis Domini privatus cum diabolo & angelis ejus in æternum pereat. Ut autem hæc nostra publicâ donatio permaneat legaliter, præsentis privilegii paginam sub assignatis testibus sigilli nostri confirmamus impressione. Signum GODEFRIDI ducis S. ALBERTI comitis (b), S. HENRICI (c) fratris ejus. S. CUNONIS comitis, (d) Signum WIDONIS fratris ejus. (e) S. HUGONIS de Bullon. S. THIEBALDI advocati, S. Rodulphi filii ejus, S. Gilleberti, S. Godescalci, S. Lamberti *de Foron*, S. Albrici, S. Anselmi, S. Cunonis, S. Godefridi fratris ejus.

PACTUM MATRIMONII inter Herbertum & Godehildem.

Anno 1086. Ex cartario S. Vincentii Cenomanensis.

REDEMTOR humani generis, cujus majestas nec incipit nec desinit in sæculum, sciens præterita, præsentia, futurorum quoque non ignarus, multiformis rebus creatis verbo, propriis manibus hominem non est dedignatus plasmare e limo, cui

(a) Igitur ordinatus est anno 1075 quo Theoduinus ipsius decessor obiit 9. cal. Julii teste Ægidio Aureæ-vallis monacho.

(b) Tertii Namurcensis.

(c) Comitis de Durbuy.

(d) Montis-acuti.

(e) Hi duo ultimi erant filii Gozelonis comitis Bohaniæ.

nomen Adam imponens, junxit uxorem nomine Evam, ex propria costa sui lateris factam, ad procreandam humani generis sobolem. Quapropter homo relinquet patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una: & alibi Apostolus inquit: *Quod Deus conjunxit homo non separet.* De qua re in Dei nomine ego HERBERTUS duco uxorem nomine GODEHELDEM, & do ei in dotalitio duas mediatarias terræ, unam ad Juliacum, alteram ad Congei, & duo arpenna vinearum, & VI. modios vini de vineis Herberti Sigleni, & de Andreæ vinea, & ad Bellum-montem unum furnillum, & unum burgensem, scilicet *Amiot*, feodum quoque V. militum, feodum Haimerici de Piaceio, sicut habebat de Herberto domino suo, & feodum Warini Bugnun, Hamelinus filius Lamberti de Hunia dedit Godehildi sorori suæ, scilicet conjugi Herberti Framangerii feodum decem militum, & duas medietarias terræ ad Huniam. Hujus rei sunt testes quorum nomina hic conscripta sunt: Beringerius de Cortilliis, Hugo frater ejus, Odo de Piaceio, Robertus filius Bencelinæ, Robertus de Malo-gastellione, Warinus de Monte-Gohart, Ascelinus Martini filius, Rodulphus filius Drogonis, Hubertus serviens. Ex parte dominæ. Berardus de Siliaco, Warinus & Fulcoius frater ejus, Fulco de Buriis, Warinus de Thania, Normannus de Fraxino. Hanc cartam fecit Warinus de Gaudiaco, PHILIPPO rege Francorum regnante, anno XXVII. regni ejusdem regis, & primo anno quo Hoellus Cenomanensium episcopus factus fuerat. Et in illo eodem tempore HUBERTUS vicecomes de sancta Susanna fecit pacem & concordiam cum Anglico rege.

PRIVILEGIUM RAINOLDI archiepiscopi Remensis pro monasterio S. Huberti.

Ad petitionem Theoderici II. abbatis altaria ei concedit, confirmatque ea quæ a Manasse archiepiscopo deposito antea concessa fuerant.

Anno 1086. Ex archivis S. Huberti.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus-Sancti. Ego RAINOLDUS licet indignus gratia Dei Remorum archiepiscopus, ad posterorum memoriam pertrahere curavi domnum THEODERICUM secundum, sancti Huberti abbatem Remis præsentiam nostram expetiisse, & ut ejus ecclesiam aliqua nostræ caritatis portione donaremus. Itaque quoniam preces ejus aversari indignum inhumanumque duximus, evangelica præceptione instructi (ait enim: *quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*) altare de Bodillis pro adipiscenda salute animæ tam meæ quam antecessorum successorumque meorum, dominique mei regis, ecclesiæ sancti Huberti absque persona perpetualiter tenendum contradidimus. Præterea instanti nos prece adorsus est, ut altare de Noviannis & altare de S. Hilario, quæ utraque supradictæ ecclesiæ domnus MANASSES, qui postea a Remensi episcopatu depositus est, nostra roboraremus auctoritate, & donum quod ex ejus depositione juxta aliquid infirmari posse videbatur, auctoritatis nostræ firmamento diuturnius solidiusque fulciretur. Concessis igitur sibi his altaribus absque personis, hanc cum eo habuimus conditionem, ut quotiens Remensis synodus celebranda redibit, totiens loci illius abbas, vel in se, vel, si in se non licuerit, in suis Remensi archiepiscopo in synodo præsentiam suam exhibeat, & juxta ceterorum abbatum suorum consuetudinem synodales, si inciderent, causas, questionesque in commune dissolvat, conventusque illius leges & judicia, si quis quod de altaribus suis deliquerit, ei intendatur, & subeat & custodiat. Quæ nostræ largitionis auctoritas, ut in tempore rata inconvulsaque protendatur, eam subscriptione nostra & clarorum virorum testimoniis testamentali astipulatione firmavimus. Signum domni RAINOLDI archiepiscopi, signum domni HENRICI abbatis sancti Remigii. S. domni RICHERII S. Theoderici abbatis, S. domni Levini decani, S. domni Richerii cantoris, Odonis, Hugonis, Mainardi, Leudonis, Frederi, Alberti, Fulconis, Isembardi Godefridi, Odalrici. Actum Remis anno incarnati Verbi MLXXXVI. indictione X. regnante gloriosissimo Francorum rege Philippo, anno XXVI. archiepiscopatus autem domni Rainoldi anno III. Godefridus cancellarius scripsit.

EPISTOLA URBANI PAPÆ II. ad Salzburgensem aliosque episcopos.

Eos de sua in summum pontificem electione certos facit, hortaturque ut viriliter pro ecclesia certent.

URBANUS episcopus servus servorum Dei, venerabili Salzeburgensi archiepiscopo, ceterisque reverentissimis episcopis, Pataviensi, Wirceburgensi, Wormatiensi, Augustensi, Constantiensi, & venerandis abbatibus, & gloriosissimis WELPHONI B. & B. atque omnibus majoribus & minoribus beati Petri fidelibus, salutem & apostolicam benedictionem. Anno 1088. Ex ms. S. Germani a Pratis.

Nosse volumus beatitudinem vestram, quæ circa nos gesta sunt noviter: reverentissimi siquidem fratres nostri episcopi & cardinales, Saviensis videlicet, Tusculanensis, Albanensis, Signensis præterea & Portuensis legationem, & consensum, & petitionem

ferens omnium fidelium laicorum nostræ parti faventium clericorum Romæ eligentium, & religiosissimus abbas Cassinensis omnium diaconorum, & R. cardinalis tituli S. Clementis omnium cardinalium, necnon & B. præfectus omnium fidelium laicorum, una cum XX. & I. episcopis & quatuor abbatibus apud Terracinam coadunati, & triduano jejunio cum multis precibus communiter celebrato, dominico tandem die IV. idus Martii mihi omnium indignissimo contra omne votum & desiderium, Deus scit, & plurimum renitenti regimen sedis apostolicæ commisere, & omnium tam præsentium quam & absentium prædictorum fidelium consensu me eligentes, & auctoritatem atque imperium sanctæ memoriæ prædecessorum meorum Gregorii & Victoris habere se super hoc asserentes, longe impar viribus meis imposuerunt; sed quoniam, ut ante Deum loquar, nulla honoris ambitione, nulla omnino præsumtione, sed sola tot tantorumque religiosorum virorum non absque periculo contemnenda obedientia, confidens insuper de misericordia omnipotentis Dei, tantum onus in præsenti in tam periculoso tempore subire sum coactus. Rogamus & obsecramus in Domino Jesu, ut in ea quam cœpistis, & quam domino & prædecessori nostro beatæ memoriæ Gregorio semper ostendistis fidelitate & devotione, & benevolentia firmiter maneatis, sanctamque Romanam ecclesiam matrem vestram, omnibus quibus valeatis auxiliis & consiliis adjuvetis. De me porro ita in omnibus confidite, & credite sicut de beatissimo patre nostro papa Gregorio, cujus ex toto sequi vestigia cupiens, omnia quæ respuit respuo, quæ damnavit damno, quæ dilexit prorsus amplector, quæ vero rata & catholica duxerit confirmo & approbo, & ad postremum in utramque partem qualiter ipse sensit in omnibus omnino sentio atque consentio. Nunc ergo precor & amplector fraternitatem vestram, ut agatis viriliter atque constanter, & confortemini in potentia virtutis Dei ascendentes ex adverso & opponentes murum pro domo Israel, ut strenuissimi Domini bellatores stetis in prælio in die ipsius. Vos ergo qui spiritualiter estis, eos qui instructi non sunt verbis & exemplis instruite, & exhortamini sicut scitis & necessitas exigit hujus periculosi temporis. Cum enim apud vos eram, tales vos omnes inveni, ut voce ipsius Domini possem clamare: *Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel: qui autem perseveraverit in finem, hic salvus erit.* Insuper apud omnipotentis Dei misericordiam continuas preces effundite, quatenus & ecclesiam suam sanctam in gradum pristinum misericorditer restaurare dignetur. Ipse autem Deus pacis conterat satanam sub pedibus vestri velociter. Gratia Domini nostri Jesu Christi sit cum omnibus vobis, dilectissimi in Christo. Datum apud Terracinam III. idus (a) Martii. [a]

EPISTOLA JOHANNIS MONACHI ad Richardum cardinalem & abbatem sancti Victoris.

De excommunicatione Judicis, & ejus obduratione, apud quem ut se gerere debeat consilium quærit.

Domino hac reverentissimo R. cardinali S. Romanæ ecclesiæ atque cunctæ congregationis monasterii Massiliensis abbati, Johannes servus .... indignus monachus vester apud Galluri fideles horationes. *Ex archivis S. Victoris eruit D. Fumerius.*

Volo vobis notificare & indicare, domine pater, quod adversum nobis est in hac terra in qua sumus. Scitis vos, carissime pater, quod domnus papa anatematizavit Judicem Torquitorem (b) & cunctam regionem suam: ita ut nullus Christianus det ei consilium, neque osculum pacis & ave ei nullus Christianus dicere præsumat, & ipse superbus & profugus semper in errore suo perseverat, & ad gremium sanctæ ecclesiæ revertere nollet. Super omnia ista misit domnus papa legatum suum aput Sardiniæ, & jam archiepiscopum (c) Pisano viro prudentissimo venit aput Turris, vocavit archiepiscopos & episcopos Sardiniæ, ut venirent ad sanctum synodum. Venerunt omnes in hunc locum, & vocaverunt ex parte apostoliea istum ereticum, ut reverteretur ad gremium sanctæ matris ecclesiæ: sed iste maledictus & * impussimus tyrannus obduratus est, sicut lapis adamantinus, ut nullus ferre neque accedere in eum potest. Fecit itaque ut archiepiscopi & episcopi omnes contristati sunt valde, clamabant una voce omnes: anatematiza, anatematiza, & confirmavit legatus, & episcopi cum concilio, omnes principes Sardiniæ præcepta apostolica maledixerunt, & condemnaverunt eum, & traxerunt in potestate dæmoniorum. Modo magister & pater nos sumus in hac tribulatione, & nescimus quid faciamus. Rogamus & obsecra-

[b] [c] * simpurissimus.

(a) Creatus est summus pontifex Urbanus II. quarto idus Martii anno 1088. *Die altera*, id est III. idus Martii, inquit Bertoldus ad hunc annum, *missis litteris omnibus Catholicis, & suam ordinationem omnibus declaravit, & se in omnibus vestigia sui prædecessoris piæ memoriæ Gregorii papæ observaturum denuntiavit.* Has porro litteras a Baronio desideratas, eo lubentius evulgamus, quo plura de creatione Urbani II. continent, quæ aut leguntur nusquam, aut plane aliter referuntur.

(b) Hic Torquitor qui & Torkcitorius sive Torchytorius, tempore Alexandri papæ secundi ecclesias dedit sex monachis Cassinensibus *ad construendum monasterium, cum multis servis & substantiis plurimis*, uti legitur in Chronico Cassinensi lib 3. cap 24.

(c) Pisanam ecclesiam erexisse dicitur Urbanus II. in sedem archiepiscopalem; id si ita est, epistola hæc non fuit scripta ante annum 1089. Vide Baronium ad annum 1095. Ughellum in episcopis Pisanis.

mus, cariſſime domine, ut tale conſilium mittatis nobis ſicut paſtor bonus, qui fiat ſalva anima & corpora noſtra: quia nos magnam verecundiam habemus, quod oculos humanos digito demonſtrat nobis, ecce illos qui participant cum illo eretico, & nos ſumus in magna tribulatione & anguſtia, non tantum propter nos, ſed etiam propter infamiam malam noſtro monaſterio. Adhuc omnia ſuſtinemus pro veſtra obedientia, ſed unum pondus adverſum nobis eſt, quod non poſſumus ſuſtinere de iſto ſcommunicato, qui narrat nobis: ſi vultis fieri mecum in terra mea, ſciatis bene in veritate, quod ego volo ut omne divinum officium faciatis, ſet tantum non vultis facere, hoc exite de terra & cognatione mea, & de re veſtra nullum vobis dabo, niſi tantum veſtimenta, modo de iſtum volumus abere veſtrum conſilium, quomodo faciamus ad onorem Dei & de noſtro monaſterio & eccleſiæ Romanæ. Et de alia cauſa volo vos dicere modo de fratre Oberto, quem ego miſi anno præterito ad vos cum illa paupertate, quam Dominus mihi donare placuit, ſcilicet CCCL. ſol. De Lucenſis audivi de hoc quod triſtatum valde, quod monaſterius noſter non habuit niſi c. ſolidos; & facio de vos, pater, multum mirum de hoc quod feciſtis: quod ego mandavi fratrem Obertum juniorem, & vos miſiſtis illum mihi priorem ſine litteris veſtris & ſine aliquo teſtimonio, & ego non credo, quoniam amplius non vidi in Sardinia. Modo mandate mihi omnia citius, ita ut ego faciam per litteris noſtris cognitis. Vale.

FUNDATIO MONASTERII S. Georgii & S. Geneſii in Sardinia, ab Arzone rege & Conſtantino ejus filio.

Anno 1089 *Ex archivis S. Victoris eruit D. Furnerius.*

NOTUM ſit omnibus fidelibus Dei, quod ad honorem ſanctorum ARZO rex & judex Karalitanus cum uxore ſua domina VERA, & cum CONSTANTINO filio ſuo, voluntate Dei judice conſtituto, & cum aliis filiis ſuis .... pro peccatis ſuis & parentum ſuorum, & ſtabilitate regni mei eccleſiam S. Georgii de Decimo, & eccleſiam S. Geneſii .... conſentiente & laudante Karalitano JACOB, ut perpetuum eſſet monaſterium. Unde ego Conſtantinus una cum matre mea domina Vera, ne aliquis poſſit eleemoſynam patris mei diſquirendo deſtrui, laudante uxore mea & filio meo Marino, & fratribus & parentibus meis, prædictum monaſterium S. Georgii & S. Geneſii cum omnibus ad ſe pertinentibus, mobilibus & immobilibus Domino Deo & S. Mariæ & B. Victori & abbati RICARDO, & ſucceſſoribus ſuis dono & confirmo. Quando vero .... in manu ſua voluerit retinere, teneat. Poſt me autem vos quoque vel donatione monaſterii .... abbas Maſſilienſis, & monachis regere .... ſub regula S. Benedicti & conſuetudine & diſciplina monaſterii Maſſilienſi .... vivere voluerint. Quod ſi hoc facere noluerint, prædictus abbas mittat monachos, & ſtabilitatem regni mei continue Dominum rogent & deprecentur. Si quis vero hanc donationem voluerit infringere, & donationem patris mei & matris meæ & meam voluerit deſtruere vel minuere, non habeat poteſtatem faciendi, ſed c. libras auri inde componat, & niſi ab incept * reſipuerit .... carta donationis hac firma & ſtabili permanente. Abbas vero habeat licentiam clamorem ſuum ad apoſtolicam ſedem deferre & ibi reclamare .... Petri, ſuper illos qui hoc facere temptaverint, deferre quibus modis potuerit .... vendicare.

* inceptis

Facta eſt hæc carta donationis anno milleſimo (a) .... indictione duodecima, menſe Junio II. cal. Julii.

Ego CONSTANTINUS rex & judex qui dico Saluſius de Lacon hanc donationem firmo. †

† JORGIA regina firmavit.

Ego MARIANUS rex & judex filius ſupra ſcripti Conſtantini firm. †

ARTOQ frater ejus firm. †

Domicels Cerchis curator de Civita firmavit. †

Domicel Gonnar frater ejus firm. †

Petrus † Torbino † & Marian. † & Trocator frater eorum firmaverunt.

VIRGILIUS epiſcopus de Doila .... epiſcopus de Sulſis firmaverunt & corroboraverunt, & ne aliquo temerario auſu infringatur, ſub anathemate confirmaverunt.

FUNDATIO MONASTERII S. Saturnini in Sardinia a Conſtantino rege Caralitano.

Anno 1089 *Ex archivis S. Victoris eruit D. Furnerius.*

IN nomine Domini. Notum ſit omnibus fidelibus de gremio ſanctæ matris eccleſiæ. Ego CONSTANTINUS gratia Dei rex & judex Caralitanus ob remedium animæ meæ, & parentum meorum, & filiorum meorum, cum conſilio fratrum & omnium fidelium meorum, dono, concedo, Domino Deo & ſancto Victori martyri, & domno RICHARDO & monachis ejus in monaſterio Maſſilienſi tam præſentibus quam futuris, eccleſiam ſancti Saturnini cum ſuis appenditiis, in poteſtate & dominio, ut monaſterium ibi ſecundum Deum conſtruant, & habitantes ſecundum regulam ſancti Benedicti vivant & morentur, bonos ad honorem Dei congregent, malos vero diſperdant, & eradicent. Dono igitur prædicto monaſterio S.

(a) Anno 1089. in quem incidit indictio XII.

Saturnini ecclesiam sancti Antiochi, quæ est in insula de Sulsis, & ecclesiam sanctæ Mariæ quæ est in Palma, & ecclesiam S. Vincentii de Sigberre, & ecclesiam S. Evisi de Mira, & ecclesiam sancti Ambrosii de Itta, & ecclesiam sanctæ Mariæ de Ghippi, & ecclesiam sanctæ Mariæ de Arco, & ecclesiam sancti Eliæ de Monte, cum omnibus quas habere videntur, vel ad eas pertinent, mobilibus & immobilibus, terris tam cultis quam incultis, vineis, pratis, silvis, pascuis, servis & hancillis, cum omnibus animalibus ejus, jumentis, bobus, vaccis, ovibus, ircis, capris, porcils. Dono insuper medietatem decimæ meæ ex integro præfato monasterio sancti Saturnini. Hæc omnia quæ prædixi bono animo & ex bona voluntate mando & præcipio, ut inconvulsa in perpetuum firmaque permaneant, tali tenore, ut neque abbas vel successores ejus Massilienses alienandi vel transmutandi in alodium vel feodium alteri ecclesiæ vel alicui personæ habeat potestatem. Quod si ego vel aliquis successorum vel eredum meorum, seu aliqua persona hanc donationis cartam infringere aut annulare temptaverit, sive, quod absit, huic dono & præcepto meo obviare, sive contraire præsumpserit, nec hoc valeat vendicare, sed insuper iram Dei omnipotentis incurrat, atque anathematis vinculo obligatus, a liminibus sanctæ universalis ecclesiæ segregetur, nisi resipuerit. Ad hæc etiam mille libras argenti optimi se noscat compositurum, hac carta firma & stabili permanente.

Ego Wido notarius domini regis, ex jussione domni CONSTANTINI regis & judicis scripsi.

Anno ab Incarnatione Domini millesimo octuagesimo nono indictione * decima.

* l. duodecima.

† CONSTANTINUS rex & judex firmavi.

† JORGIA regina firmavi.

† MARIANUS judex & rex filius istius Constantini firmavit.

† ZERCHIS frater judici firmavi.

† UTBERTUS filio Rameri subscripsi, † Janbertus subscripsit, † Comita frater ejus firmavit, † Constantinus de Rouu firmavit.

Ego Ubaldinus interfui. Ego Rodulfus notarius interfui, † Fredericus interfuit, † Manfredus interfuit.

Ego LAMBERTUS archiepiscopus hujus rei inceptor & præceptor, ac secundum Dominum consiliator fui, atque canonice subscripsi, anathema firmavi.

Bernardus & Ugo monachi Massilienses domino abbate Ricardo vice sua, hujusmodi donationis cartam a superiori rege receperunt, & fideliter interfuerunt.

DIPLOMA CONSTANTINI REGIS & judicis Sardiniæ.

Dimittit omnes pravas consuetudines quas in ecclesiis exigebat, episcopatus etiam ecclesias & presbyteros libere ordinandos permittit.

Ex archivio S. Victoris Massiliensis eruit D. Furnerius.

EGo in Dei nomine CONSTANTINUS rex & judex Sardiniæ ob remedium animæ meæ & parentum meorum, omnes pessimas consuetudines antecessorum meorum & aliorum principum Sardiniæ, scilicet concubinarum, homicidii, consanguinitatis in manu Dei omnipotentis & beati Petri relinquo & refuto, ipsos etiam episcopatus & ecclesias, ac presbyteros in honorem Dei, & B. Petri canonice ordinandos relinquo. Decimas etiam ac primitias ab hac die in antea me fideliter redditurum promitto. Et hæc faciendi & attendendi omnibus infra regnum meum positis consilium & adjutorium in quantum potero dabo. Hæc omnia quæ prædixi fideliter promitto & fideliter attendam.

Cum (a) sigillo plumbeo & ejusdem figura ac bulla summorum pontificum, sed fronti primariæ insculptum est caracteribus græcis CONSTANTINI *nomen hoc fere modo* GOSTANTINE. *Fronti vero adversa.* ARKONTOC. [a]

DIPLOMA PETRI EPISCOPI Senecensis.

Confirmat sancto Victori omnes ecclesias quas in episcopatu Senecensi possidebat.

Anno 1089. Ex archivis S. Victoris Massiliensis eruit D. Furnerius.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego (b) PETRUS episcopus Senecensis confirmo, autoriso, corroboro, dono atque concedo præscripto sancto Victori Massiliensi atque RICHARDO abbati & successoribus suis, & monachis ibi manentibus in perpetuum illa omnia, quæ decessores mei dederunt prædicto monasterio aliquo modo scriptis vel verbis. Et hoc facio cum consilio clericorum meorum, quatenus beatus Victor sit nobis adjutor & protector apud Deum & nunc & in futuro. Amen. Et nominatim confirmo ipsam cellam de Petra Castellana simul cum ipsa ecclesia sanctæ Mariæ quæ ibi est, & cum suo claustro & domibus quæ ibi sunt intus vel extra, & cum decimis & primitiis [b]

(a) Ejusdem Constantini regis judicis, etiam Sardiniæ instrumentum se vidisse in Camaldulensium eremo Fontis-boni testatur Mabillonius tomo I. Musæi Italici pag 182. cujus sigillum huic fere simile est. Extat, inquit vir doctus, in multis una carta barbaro sermone de donatione ecclesiæ S. Nicolai in regno Sardiniæ, Guidoni priori & Camaldulensibus eremitis inscripta, consentiente *domno Constantino judice* seu rege, cognomine *de Laccon & donna Marcusa regina dicta nomine de Gunale* anno M. C. XIII. Sigillum ex plumbo appensum, ex una parte caput regis inconcinne præfert, ex alia GOSTANTINE REGE. Hæc Mabillonius.

(b) Hic episcopus desideratur in vulgatis indicibus episcoporum Senecensium, in quibus est ab anno 1060. ad 1123. magnus hiatus.

suis, cum oblationibus tam vivorum quam mortuorum ibi quiescentium, vel aliquid ibi dimittentium: ita ut non amplius modo teneatur ibi, neque in aliis cellis quas prædictum monasterium Massiliense in præsentiarum habet, vel adhuc habebit in episcopatu Senecensi seu diocesi sua, ille malus usus pontificum nostræ sedis, qui de ipsa oblatione defunctorum soliti erant auferre tertiam partem, contra præcepta sanctorum canonum & privilegium apostolicæ sedis. NOTA.

Item, confirmo ibi alias tres ecclesias quæ ibi sunt, videlicet sancti Johannis, sancti Petri apostoli, & sancti Laurentii, cum terminis & pertinentiis & condaminis, vineis, terris, arboribus & affrontationibus earum, sicut ipsa scriptura testatur, quam reddendo fecerunt eidem monasterio Eldebertus scilicet & uxor sua Emengarda, & AMELIUS episcopus (a) decessor meus, & frater jam dicti Eldeberti, Rostagnus & nepotes eorum Dodo, Apollonius & Pontius ..... & Isnardus. Et ego confirmo ibi in circuitu earum ecclesiarum cimiterium de LX. passibus ecclesiasticis, simul cum ipsis sacrariis quæ ibi sunt, &c.

Item, ibi confirmo cellam de ipsa Mura cum ipsa ecclesia sanctæ Mariæ & cum suo cimiterio ... decimis & primitiis, terminis, & pertinentiis, & affrontationibus suis omnibus.

Item, confirmo ibi ipsam cellam de Thoramena simul cum ipsa ecclesia sanctæ Mariæ cum suo cimiterio, &c.

Item, confirmo ibi ecclesiam S. Petri de Bagaris simul cum suo cimiterio de XXX. passibus ecclesiasticis & sacrariis quæ in circuitu sunt, &c.

Item, confirmo ibi ecclesiam S. Petri de Blevis cum suo cimiterio & terminis, &c.

Item, confirmo ibi ecclesiam S. Martini *de Alsons* cum suo cimiterio in circuitu ipsius ecclesiæ de XXX. passibus ecclesiasticis cum ipsis sacrariis & cum decimis, &c.

Dono etiam & confirmo eidem monasterio Massiliensi quicquid datum & confirmatum est per apostolicum privilegium & litteras apostolicæ sedis. Si quis vero hoc privilegium nostrum infringere voluerit, excommunicationi subjaceat usquequo resipiscat, unde condigne satisfaciat Deo & S. Victori & abbatibus & monachis suis, & post modum hoc privilegium firmum & stabile permaneat omni tempore. Factum est hoc privilegium anno dominicæ Incarnationis millesimo octuagesimo nono (b) indictione XIII. V. idus Februarii. Senecensis PETRUS episcopus. S. PONTIUS, S. Rotbertus Barjolensis præpositus, S. &c.

(a) Si Amelius immediatus extitit Petri decessor, & ipse locum vacuum habet in vulgatis indicibus; sin vero idem sit cum Amelio qui anno 1040. interfuit dedicationi ecclesiæ S. Victoris, maxime notandus hic locus de ejus fratribus & nepotibus.

DIPLOMA HUGONIS Karalitani archiepiscopi.

Multas S. Victori donat & confirmat ecclesias.

Anno 1090. *Ex archivis S. Victoris eruit D. Furnerius.*

IN nomine Dei omnipotentis Patris & Filii & Spiritus sancti. Notum esse volumus omnibus fidelibus intra gremium sanctæ universalis ecclesiæ constitutis, quod ego UGO Dei gratia Karalitanæ ecclesiæ archiepiscopus & servus, imperante summi æterni regis providentia, dono & concedo firmando atque corroborando ecclesiam S. Saturnini, quæ est sita in archiepiscopatu Karalitano, cum omnibus ad se pertinentibus, Domino Deo & beatæ Mariæ semper Virgini, & S. Victori martyri & monasterio Massiliensi, & domno RICARDO abbati & successoribus ejus, & monachis Massiliensibus, tam præsentibus quam futuris. Simili etiam modo dono atque concedo ecclesiam S. Æliæ, & S. Mariæ de Arelni, & S. Mariæ de Gippi, & S. Mariæ de Sabbollo, & S. Vincentii de *Siquerret*, & S. Eusi de Nora, & S. Ambrosii de Itta, & S. Antiochi de Sulsis, & S. Mariæ, & S. Barbaræ de Aqua-frigida; ita ut monachi Massilienses habeant, teneant & possideant ex integro in perpetuum. Dono etiam, firmo atque corroboro eo tenore quo & datæ sunt a a domina VERA & sanctimoniale, matre judicis Constantini, supradicto monasterio ecclesiam S. Georgii & ecclesiam S. Genesii cum omnibus jure ad se pertinentibus. Medietatem insuper decimæ Karalitanæ dioceseos. Hæc omnia quæ supradiximus, sicut CONSTANTINUS rex & judex Karalitanus præfato monasterio concessit, firma & inconvulsa esse sancimus, salva in omnibus reverentia & honore sanctæ matris ecclesiæ Karalitanæ. Quod si aliquis regum, judicum, vel successorum meorum, aut aliqua omnino persona hanc donationis & corroborationis cartam voluerit infringere, non hoc valeat vendicare, sed a liminibus sanctæ matris ecclesiæ sequestratus, atque anathematis vinculo obligatus, iram Dei omnipotentis incurrat, hac carta firma & stabili permanente. Data Karalis, anno ab incarnatione Domini millesimo XC. indict. XIII. mensis Aprilis die XXII. NOTA.

Ego UGO Karalitanæ ecclesiæ archiepiscopus manu propria firmo & in perpetuum firmum esse censeo.

Ego VIRGILIUS episcopus manu propria firmo.

Ego RAIMUNDUS episcopus manu propria firmo.

(b) Incipiendo annum in Paschate, nam si a prima Januarii anni ducas initium, anno 1089. indictio XII. convenit, non XIII.

CONSTAN-

CONSTANTINUS rex & judex Karalitanus firmavit.

VERA mater ejusdem judicis firmavit.

* ZEREBIS frater ejusdem judicis firmavit.

* Cherchis in alia carta.

COMITA frater ejusdem firmavit.

Ceteri fratres illius firmaverunt.

MARIANUS judex & filius Constantini firmavit.

Ego Berengarius Massiliensis monachus interfui.

Ego Dalmatius interfui. Ego Geraldus interfui. Ego Willelmus interfui. Ego Crescentius interfui. Ego Stephanus interfui. Ego Petrus interfui.

EPISTOLA URBANI PAPÆ II. ad Lanzonem & Rodulfum abbates & Adalberonem primicerium.

Confirmat electionem Metensis episcopi ab eis factam.

Ex ms. S. Laurentii Leodiensis.

URBANUS episcopus servus servorum Dei dilectis in Christo filiis (a) LANZONI, (b) RODULFO abbatibus, ADALBERONI primicherio, archidiaconis, & omni catholico Metensis ecclesiæ clero ac populo S. & A.B.

Gaudemus, filii in Christo carissimi, quia vos gaudetis in Domino, quia catholicæ fidei lucernam, quæ in (c) HERIMANNO sanctæ memoriæ permansit episcopo, necdum extincta est, quia prædecessori bono successorem (d) probabilem providistis. Et nos igitur bonis votis vestris robur præstantes auctoritatis apostolicæ, devotionem & electionem vestram litteris præsentibus approbamus. Vestris quoque postulationibus assensum conferimus, ut vestri intersit arbitrii, a quibus potissimum catholicis debeat episcopis (e) consecrari. Illud sane omni modo requirendum est, utrum per manum Trevirensis illius dicti archiepiscopi (f) simoniace fuerit in diaconem ordinatus. Quicquid enim ab eo extraordinarie indigneque suscepit, nos Sancti Spiritus judicio irritum esse censemus, ut eosdem ordines ab aliquo sortiatur episcopo catholico præsenti auctoritate præcipimus. Talis enim ordinator, cum nihil habuerit, dare nihil potuit. Vos itaque, filii in Christo carissimi, perseverate in his quæ a reverentissimo confratre nostro, nunc angelorum concivi, HERIMANNO episcopo didicistis. Agite quæ agitis, quia serpentis caput calcantibus æterna a Domino corona præbebitur. Ipse vos sua gratia fideliter certare tribuat, & æterni mercedem bravii dignetur. Data Beneventi calendis Februarii.

DIPLOMA HERMANNI III. Coloniensis archiepiscopi.

Controversiam quæ erat inter canonicos S. Mariæ ad Gradus & monachos Brunvvilarienses componit.

Anno 1090. Ex ms. hist. Brunvvilariensis monasterii.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Notum sit omnibus fidelibus in Christo tam futuris quam præsentibus, qualiter ego HERMANNUS tertius licet peccator Coloniensis archiepiscopus, desiderio desiderans pro humanæ fragilitatis possibilitate iniquitatum molimina, controversiarumque litigia, ex universis episcopatus nostri terminis procul eliminare, statuimus, decrevimus odibilem discordiam diutinamque concertationem, quæ inter duas ex nostro præsulatu congregationes, videlicet canonicos de monasterio S. Mariæ quod est in gradibus, & monachos de *Brunvvilre* diu abhominabiliterque duravit, pace sequestra, finire. Nam cum ob prædium quod RICHEZA regina in Clotteno habuerat, & ecclesiæ quæ in *Brunvvylre* in honore sancti Nicolai fundata est, tradiderat; sed dominus ac prædecessor noster ANNO archiepiscopus ad præfatam S. Mariæ basilicam postea contulerat, ex utrisque querimoniarum crebrius infestaremur molestiis, prudenti priorum & familiarum nostrorum consilio, nec non utriusque congregationis precatu devoto, & assensu voluntario deliberavimus, quatinus præfati monachi *Clotteno* absque injuria contradictionis retinerent, ac canonicis S. Mariæ bona quæ in *Vvichelebacht* habuerant, & Rigimacho dimidiam arpennam, & mansum quinque solidos persolventem, & in *Furendale* XVIII. solidos, *Emgrische* universa quæ prius habuerant, tam in agris, quam in areis, in vineis & mancipiis, omnibusque prorsus appenditiis, nec non in *Sigenels* quatuor arpennas redderent, unde auctoritate Patris & Filii & Spiritus-sancti, sub interpositione perpetui anathematis, & divinæ ultionis animadversione, præcipimus, asserimus, quatenus hæc pontificalis nostræ sententiæ decreta perenniter statuta inviolataque observentur tenaci memoria. Si quis ergo ausu temerario hujus nostri decreti instinctu dia-

(a) Abbati sancti Vincentii Metensis qui ab Henricianis plurima passus est.

(b) Abbati sancti Vitoni qui a schismaticis etiam mire vexatus est, ob constantem ejus ad legitimum pontificem adhæsionem.

(c) Herimannus Gregorio VII. semper adhæsit, ob idque bis ab Henrico cæsare in exilium pulsus. Obiit anno 1090.

(d) Nimirum Burchardum præpositum Trevirensem, qui Meurissio in sua Historia Metensi ignotus fuit.

(e) Consecratus fuit ab Hugone archiepiscopo Lugdunensi apostolicæ sedis legato, præsentibus Constantiensi, Lingonensi, Matisconensi & Tullensi episcopis, ac Jarentone abbate S. Benigni Divionensis, ut discimus ex S. Huberti Historia ab auctore coævo conscripta, inferius à nobis suo loco edenda.

(f) Egelberti proculdubio schismatici, de quo vide Broverum Annal. Trev. lib. 12. ad annum 1085. & seq.

bolico corruptor violentus existere molitus fuerit, aut præsumserit, perpetua anathematis execratione se exauctoratum intelligat, & æternæ damnationis incendia... nisi resipiscendo infesti sceleris machinamenta correxerit. Ut autem totius contradictionis & ambiguitatis plena stipulatione extirparemus offendicula, hanc paginam privilegii inde conscribi, propriique sigilli impressione insigniri mandavimus. Testes quoque procuravimus adhibere quorum hæc sunt nomina. JOHANNES Spirensis episcopus, Hermannus præpositus sancti Petri, Gerardus decanus sancti Petri, Arnoldus præpositus sancti Severini, Rupertus præpositus Johannes præpositus, Theodericus præpositus, Ezelmus præpositus.

[a] WOLPHELMUS abbas, (a) HERMANNUS abbas, (b) ISAAC abbas, (c) HARTMANNUS abbas.

Laici STEPHANUS comes, GERARDUS DE HOYSTEIDE, ARNOLDUS præfectus urbis, Albertus *Saffinberg*, Adolphus de Monte, Adalbero de.......

Ministeriales Everhardus, Ernestus, Sigibido, Rigenoldus, Otwinus, Arnoldus, Meginzo, Tecelyn, aliique complures.

Gesta sunt hæc in Colonia, anno dominicæ incarnationis MXC. indictione XIII.

NOTITIA DE ECCLESIÆ S. Floscelli in urbe Cenomannica donatione, facta Ramnulfo abbati S. Vincentii ab Huberto vicecomite.

Circa 1090. Ex cartario S. Vincentii Cenomanensis.

PRæcedentium patrum auctoritate sancitum est, ut quicquid a fidelibus sanctæ ecclesiæ confertur, litterarum apicibus annotetur, ne per succedentium temporum decursum a memoria posterorum labatur. Quapropter notum esse volumus præsentibus atque futuris, quod HUBERTUS vicecomes quamdam suam capellam in honore S. Floscelli martyris dicatam, in urbe Cenomanica sitam, pro redemtione sua & parentum suorum, nec non uxoris ERMENGARDIS, & filiorum suorum RADULFI, HUBERTI atque GUILLELMI, sancto Vincentio & abbati RAMNULFO, necnon & monachis in prædicto loco Deo servientibus perpetim possidendam tradidit; ita ut ibidem abbas suum capellanum habeat, qui eidem ecclesiæ debitum semper servitium persolvat, & ipsi vicecomiti & suis dum ibi fuerit; & in festivitate ipsius martyris abbas aliquos de suis monachis cum ornamentis sancti Vincentii mittat, qui solemnitatem sancti festive celebrent. Actum est hoc apud castellum Belli-montis in cubiculo Hugonis filii Gosberti, triduo antequam vicecomes in Anglicam terram proficisceretur. Quo etiam die Goffridus dapifer supradicti vicecomitis, se prædicto abbati commendavit pro medietate clausi vinearum de Vivonio. Cujus donationis vel commendationis testes fuerunt ipse vicecomes & uxor ejus Ermengardis & filii eorum Radulfus, Hubertus, atque Wilhelmus, Goffridus suus patruus & Goffridus dapifer, Lambertus præpositus cognomento Hardredus, Hugo filius Gosberti, Gradulfus, Fulcoius filius Guherii & quamplurimi alii. Post mortem vero patris in tempore quadragesimæ venit Radulfus cum matre Ermengarde & fratre Huberto Cenomannis, & in hospitio sancti Vincentii requisivit eum abbas Rannulfus, ut quod pater dederat annueret, quod benigne annuit, abbatemque inde revestivit, videntibus his Ermengarde matre, Huberto fratre. †

FUNDATIO CELLÆ S. MARIÆ de Villana sub S. Vincentii Cenomanensis cœnobio.

Circa 1090. Ex cartario S. Vincentii Cen.

QUamdiu in hac peregrinatione moramur, necesse nobis est, ut non in præsenti exilio post paululum transituro delectemur, nec in labentibus divitiis, monente rege & propheta David, cor apponamus; sed ad illam patriam quæ numquam finietur, toto desiderio anhelemus, ut paternam hereditatem quam prævaricatione primi parentis perdidimus, per obedientiæ humilitatisque bonum recuperare valeamus. Ea ergo quæ nobiscum ferre non possumus, necesse est ut ante nos mittamus, ut dum vacat, de mammona iniquitatis, Domino jubente, amicos qui nos in æterna tabernacula recipiant, faciamus. Talibus igitur monitis animatus, ego GUNHERIUS de Suliniaco, cupiens inferni tormenta vitare, & Elisii adipisci amœna, dono Deo & sanctis martyribus Vincentio atque Laurentio, monachisque eis servientibus, ecclesiam sanctæ Mariæ de * Villana, tam pro me, quam pro patre meo & matre, fratribus quoque & sororibus meis, antecessoribus etiam & heredibus meis, specialiterque pro fratre meo Johanne de Wirchia & filiis ejus Herberto atque Widone, accipiens ab abbate RAMNULFO, & a prædictis fratribus LX. solidos pro necessitate mea. Tali igitur pacto do jam dictam ecclesiam cum universis terris, & rebus ad eam pertinentibus, ut de expletis ecclesiæ in vita mea habeam medietatem; post obitum vero meum in usus veniant monachorum. Durandus quoque quidam homo meus, tenebat quamdam parti-

* Vilaine.

(a) Abbas sancti Pantaleonis, vir totius honestatis & religionis dictus in vita sancti Vuolphelmi.

(b) Abbas sancti Martini Majoris Coloniensis.

(c) Abbas Tuitiensis, qui per somnium vidisse dicitur S. Nicolaum cum S. Vuolphelmo Coloniam euntem, ob non restitutam Brunvillariensibus monachis villam Clotenum.

culam terræ ecclesiæ quam de sancto tenebit, sed tertiam partem monachis annuit, cum domo propria & viridario, & propter hoc societatem loci recepit. Quædam etiam mulier nomine Adelina, tenet quamdam partem decimæ tantum in vita sua, postea vero in jus monachorum revertetur. Hanc vero donationem feci consilio & consensu nepotum & heredum meorum, Herberti videlicet & Widonis, & cum ipsis donum super altare posui, sicut viderunt & audierunt isti, Gunherius, Herbertus de Wirchia, Blanchardus homo ejus, Serranus, Wilhelmus *de Serant*, Hamelinus de Monte *Buzos*, Letbertus de Wirchia, Oggerius Buccharius, Drogo de Torneria, Elinannus *de Poche*, Raginaldus de Rioleis, Hugo Curto-naso, Raginaldus *Tirel*, Radulfus. Isti fuerunt cum Widone de Essarto. Witernus de Cumbris, Winebaudus *Melert*, Herbertus *Garsenlim*, Johannes filius Drogonis, Hugo Curto-naso, Fromundus figulus, Giraudus de Bannoleis, Serranus, Dometa uxor Gunherii, *Naalent* uxor Johannis filii Drogonis, Landricus. Signum Gunherii. † Signum Herberti de Wirchia. † Signum Wilhelmi *Ribole*. † Signum Wiscelini de Vallibus. †

Confirmatio supradictæ donationis.

Confirmata est hæc carta VIII. cal. Aug. in die festivitatis S. Jacobi apostoli & S. Christophori martyris, in capitulo S. Vincentii, sicut viderunt & audierunt isti testes subscripti. Wilhelmus Ribola, Wiscelinus de Vallibus, Odo de Noento, Raginaldus de Noento, Mainardus de Miletia, Ebrardus Rufus, Hugo Curto-naso, Serranus & alii plurimi. In eodem capitulo calumniatus est filius prædicti Durandi, Robertus nomine clericellus, tertiam partem ecclesiæ, & omnes terras altaris in fevo, sed contradicentibus Gunherio & Herberto de Wirchia, & illos de suis capitibus in servitium collibertatis reclamantibus calumniam dimiserunt, & de hoc & de decima supradictæ Adelinæ, quam solummodo in vita sua habet, in manu abbatis jam dictus clericellus, quod injuste calumniabatur, per quamdam virgulam dimisit, & annuendo quicquid ante pater suus fecerat, beneficium loci petiit, & promittendo se fidelem loci esse impetravit. Deprecante autem Gunherio & Herberto, postquam presbyter ordinatus fuerit, tertiam partem ecclesiæ & terræ altaris sibi abbas ceterique fratres concesserunt, quamdiu legitime viveret & fratribus fidelis esset. In eodem quoque capitulo deprecatus est sæpedictus Durandus & filius suus Robertus abbatem, ut eis cartam suæ libertatis juberet fieri, promittentes se inde multo fideliores ipsi & fratribus existere, quod eo tenore abbas fecit, annuentibus Gunherio atque Herberto.

Item confirmatio prædictæ ecclesiæ.

Donum prædictæ ecclesiæ annuit pariterque confirmavit Adam de Mota in suo castello anno dominicæ incarnationis MXCVII. existentibus epactis XV. concurrentibus IV. & habuit proinde XX. solidos in caritate, & filius suus Hamelinus qui hoc idem annuit, XII. denarios, atque signo † hoc idem firmaverunt, sicut viderunt & audierunt isti, Barbota, Henricus presbyter, Viventius dapifer, &c. Cum abbate vero RAMNULFO fuerunt isti, Gaufridus cellerarius, Wauterius molendinarius, Arturus & Ingelbaudus famuli. Signum Adæ. † Signum Hamelini filii ejus. †

DIPLOMA HILDEBERTI Pagani.

De Capella S. Audoeni ad caput pontis Baladonis & de rebus quas dedit Cenomanensi S. Vincentii abbati.

Anno 1090. Ex cartario S. Vincentii Cenomanensis.

QUia Dominus noster JESUS CHRISTUS per Apostolum nos ammonet dicens: *Reddite omnibus debita, cui tributum tributum, cui amorem amorem, cui timorem timorem.* Ideo ego HILDEBERTUS cognomine Paganus, in quantum possum, amorem quem erga Herluinum consobrinum meum habebam, & servitium quod mihi exhibuerat, respondere cupiens, quin etiam pro me mortem non timuit pati; quia sibi vitam corporalem nequeo reddere, vitam sine fine mansuram illi cupio pro posse acquirere. Sed quia id per me, utpote curis sæcularibus præpeditus, non valeo agere; adii abbatem S. Vincentii RANNULFUM cunctamque sibi congregationem commissam, supplex efflagitans, ut ob mei amorem & defuncti redemtionem, in suo monasterio unum monachum mitterent, qui tempore vitæ suæ pro defuncti requie Domini misericordiam exoraret, promittens etiam de meis rebus largiturum. Quod illorum benevolentia consecutus, do eis aliquid de meis rebus, pro quibus & mei & defuncti memoria in perpetuum habeatur in eodem loco. Do igitur ipsi loco pastionem centum porcorum in duabus forestis meis, quarum una vocatur *Tyron*, & alia Pulchra-silva, necnon & decimam pastionis quæ accipitur in aliis porcis, & decimam venationis. De Pulchra-silva quoque, quæ propior est abbatiæ, do quantum necesse fuerit, omni tempore ad ecclesias, ad domos, & ad vineas, & ad cæteras necessitates. Annuo etiam eis ecclesiam S. * Audoeni ad caput pontis Baladonis positam, & quicquid de fevo meo adquirere potuerint, ita ut servitium meum non perdam. Et si ibi voluerint burgum facere, liberum habeant ab omni mea & heredum meorum exactione, cum theloneo & vicaria. Et de prædicta silva cognomine Pul-

S. Oüen des ponts de Balon.

chra do eidem loco quantum necesse fuerit. De *Tiron* quoque tribuo quantum necesse fuerit ad obedientiam de Matheriis. Dono etiam decimam molendini mei de Affis de annona & piscibus, & decimam fori mei de Baladone; & quia indumenta monacho de recto meo ad præsens largiri non possum, idcirco illis sine ulla offensione forestariorum & absque aliqua querela, quæ supradicta sunt in foreste mea, quæ Pulchra-silva nominatur, annuo, & ipsi monachi præbebunt monacho meo indumenta. Annuo eis domum Arnulfi Carpentarii infra castellum meum Baladonem, & consuetudines omnium propriarum rerum, quas ibi habuerint vel emerint vel vendiderint. Hæc autem omnia suprascripta uxori meæ & heredibus faciam annuere. Actum est hoc in capitulo S. Vincentii IV. nonas Martii, videntibus istis subscriptis testibus. HILDEBERTO cognomento Pagano Dublello, Gaufrido de Asciaco, Willelmo Gratino filio Hugonis, Ernulfo de Simbliciaco, fratre Herluini defuncti de quo nunc agitur, Hugone de Julliaco, Pagano de Rivellione, Fridilsende matre defuncti, Richardo Barbato, Ernulfo Coco, Radulfo Chotardo, Wauterio Naimaro, Ingelbaudo de Noento, Berengerio, Hilderico. Isti etiam fuerunt cum eodem Pagano Dublello in capitulo S. Vincentii IIII. nonas Martii. Harduinus de Fai, Wauterius Turmellus, Fulbertus de Rivellione, Robertus de Malmutione, Wilhelmus presbyter, Johannes Calvus, Hugo de Curia-Centaldi, Hugo de Curte-Aeni, Johannes filius Isembardi. Helvisis filia Pagani Dublelli hoc annuit in capella S. Georgii in crastina die festivitatis S. Gregorii papæ in Martio. Signum Pagani. † Signum Aiæ uxoris ejus. † S. Helvis filiæ ejus. † S. Odonis de Pireto. S. Widonis de Thessual. S. Hugonis Nigri. S. Fulcoii filii. S. Widonis de Curte-Alardi. S. Pagani de Malmutione. † Firmata est hæc carta apud Baladonem in crastina die festivitatis S. Martini de transitu.

EPISTOLA G. MOGUNTINENSIS præpositi ad Henricum Paderbrunnensem episcopum.

Ut præpositum depositum suæ dignitati restituat.

Circa 1090 *Ex ms. Hardenhusano.*

SANCTÆ Paderbrunnensis ecclesiæ episcopo domino H. G. præpositus, & cum eo totus Moguntinensis sedis clerus fidele servitium cum orationibus.

Præpositus, immo depositus vester venit ad nos, lacrymabiliter petens, & quasi ex debito exigens a nobis adjuvari apud vos, sperans & pro certo asseverans, nos eum locum in vestra gratia habere, ut quicquid

A velimus petere a benignitate vestra, possimus obtinere. Proinde, ut dignum est, gratias agimus & habemus sanctæ paternitati vestræ, quæ nos tanti habet, nullo præcedente merito servitutis nostræ, ut subditi vestri ad nos in necessitatibus suis confugiant, & nostra potissimum intercessione se vobis reconciliari posse confidant. Hanc ergo legem caritatis patres nostri ab antecessoribus suis traditam servaverunt, & nobis quasi hereditario jure servandam, posterisque transmittendam tradiderunt, ut in omnibus necessitatem patientibus, & a nobis consilium & auxilium petentibus succurrere

B non detrectemus, & præcipue fratres nostros ad sanctam sedem Moguntinam respicientes, & confugientes speciali dilectione suscipiamus, consolemur, & adjuvemus. Unde primo totus noster synodalis clericorum conventus humillima supplicatione prosternitur pedibus vestris, deinde unanimiter omnes canonicorum congregationes offerunt vobis preces suæ devotionis, orantes & obsecrantes per misericordiam Dei, ut præpositum vestrum gratiæ oculo respicere, & gremio pietatis dignemini recipere; quia non solum pro nullo, sed etiam pro magno peccato filii, parum supplicii debet sufficere

C patri: nunc autem cum parvum aut nullum ipsius peccatum sit, & hoc ipsum magna & longa depositionis, despoliationis, expulsionis, exulationis pœna purgaverit, non decet Christi sacerdotem diutius claudere viscera sua ab eo, ne forte per hoc probari possit, caritas Dei non esse in eo. Ergo si preces nostræ, adjuvante Deo, admittuntur intra sacrarium vestræ exauditionis, promti & devoti erimus quocumque loco & tempore necessarium vel opportunum fuerit, rependere vicem servitii nostri & orationis, quia preces & lacrymæ ipsius in-

D fixæ sunt cordibus nostris, & cum misericordiam peteret, stans in synodo nostra, commota sunt omnia viscera super fratre suo, & erumpebant lacrymæ; non enim se poterant continere. Relegat, si placet, sanctitas vestra evangelicas sententias ad clementiam nos provocantes. Non dico tibi, Petre, dimittendi septies, sed septuagies septies. *Estote misericordes, sicut & pater vester misericors est. Nolite judicare & non judicabimini: nolite condemnare & non condemnabimini. Dimittite & dimittetur vobis.*

E *Date & dabitur vobis. Eadem mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis.* Quisquis igitur his & aliis hujusmodi innumerabilibus sanctarum scripturarum exhortationibus non provocatur ad clementiam, ipse sine dubio dictat in se damnationis sententiam. Mollescat igitur tandem, quod salva reverentia diximus, nimis diu obstinata indignatio vestra, & excessum potentiæ frænet misericordia. Attendite & perpendite, non

quid libeat, sed quid liceat, & quid decreta pontificum, quid instituta canonum super hujusmodi præcipiant. Nemo enim non solum præpositorum, sed nec etiam subjectorum deponi debet sine judicio, si canonicæ auctoritatis servatur institutio. Sed heu! nostris temporibus quibusdam magis curæ sunt canes, quam canones, & diligentius attendunt quid velint equites, quam quid velit æquitas; & cum quidam sanctus & sapiens episcopus coepiscopo suo scripserit, utere clericorum consilio, laicorum servitio, nunc e contrario clerici deponuntur, & miserabiliter opprimuntur laicorum consilio vel potius imperio; sed cum in tot ærumnis ad Deum & Dominum suum clamet ecclesia dicens: *Exaltare qui judicas terram, redde retributionem superbis.* Quando implebitur quod divina miseratio pollicetur, dicens: *Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam?* Quousque obliviscetur misereri Deus? Quæ erit consolatio oppressorum? quis finis oppressionum? Certe utique qui recipiunt bona in vita sua, ibunt in supplicium æternum; & qui similiter mala in vitam æternam. Clemens estote clericis, quia de clerico in episcopum ascendistis.

NOTA.

DONATIO ABBATIÆ SANCTI Michaëlis de Coxano facta monasterio S. Victoris Massiliensis a Guillelmo comite Ceritano.

Anno 1091. Ex archivis S. Victoris eruit D. Fornesius.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego GUILLELMUS Cirritanus comes, videns monasterium sancti Mikaëlis arcangeli Choxanense, quod est situm in Helenensi episcopatu, in territorio Confluenti, peccatis meis vel parentum meorum & ipsius loci habitatorum, a regulari ordine penitus destitutum, & a nobilitate & gloria quam dudum habuit ex parte maxima minoratum; cogitavi qualiter ad religionem monasticam potuissem eum cum Dei adjutorio restaurare, & quod idipsum per me ipsum implere nequivi, imitatus patrem meum, qui abbates DURANDUM & BERNARDUM Massiliensem multoties rogaverat, laudantibus atque acclamantibus ejusdem monasterii monachis, RICHARDUM abbatem Massiliensem & congregationem ejus per caritatem Dei rogavi, ut in hoc mihi adjutores existerent, & laborem pro tantæ fructu religionis assumerent. Quod & facere cum Dei adjutorio promiserunt. Ideoque talem volo de hoc inter me & illos tandem constitutionem pro hac notitia confirmare, quam nemo possit vel debeat in tempore umquam futuro dissolvere, quatinus neque illi vel successores eorum suum laborem, neque ego meam perdere timeam, Deo adjuvante, mercedem. Igitur ego GUILLELMUS comes dono potestatem & ordinationem in prædicto monasterio Choxanensi, & in omnibus suis pertinentibus, interius & exterius, RICHARDO abbati, monasterio Massiliensi S. Victoris & omnibus successoribus ejus in perpetuum, & ut in eodem monasterio abbatem & abbates & monachos mittant, qui regularem ordinem secundum regulam sancti Benedicti & constitutiones Massiliensis monasterii teneant. Inthronisationem vero abbatis cum consilio meo, vel successorum meorum fiat, nisi ego aut successores mei aliqua cupiditate, inimicitia, ingenio vel pravitate voluero, vel voluerint illorum electionem impedire. Si autem, quod absit, aut ego aut successores mei impedimentum superius scriptum in electione abbatis vellemus opponere, liceat Massiliensi abbati cum Dei adjutorio & consilio religiosorum virorum in eodem monasterio abbatem constituere, qui secundum Deum vivat, & sibi & successoribus ejus cum omni congregatione sibi commissa obediens existat. Quod si abbates, vel abbas, & monachi eorum regulam S. Benedicti non observaverint, & inobedientes prædicto abbati Massiliensi non extiterint, & ab eo correcti emendare noluerint, Massiliensis abbas semper potestatem habeat ejiciendi eos, & mittendi bonos. Hanc autem ordinationem Massiliensis abbas semper habeat, quamdiu ordo & disciplina in monasterio Massiliensi observabitur. Quicumque & huic nostræ institutioni contrarii fuerint, & disrumpere atque annulare per aliquam occasionem tentaverint, iram Dei omnipotentis & vinculum perpetui anathematis incurrant, nisi resipuerint, & ad dignam satisfactionem venerint. Acta est hæc attributio & constitutio anno ab Incarnatione Domini millesimo XCI. indictione XIIII. Cal. Madii solemniter coram idoneis testibus in ipso loco de Choxano.

GUILLELMUS gratia Dei comes, qui hoc laudo, & testes firmare rogo, & propriis manibus evidenter confirmo signo crucis solito.

DALMATIUS gratia Dei Narbonensis archiepiscopus laudo & confirmo, & ne hæc constitutio disrumpatur omnibus modis interdico †.

PETRUS abba †.

Benedictus Balneolensis. †.

BERNARDUS abbas †.

Bernardus Johannis sacricustos & clericus †.

GUILLELMUS vicecomes †.

Guillelmus Udalgarii, Berengarius Petri, Gauzerandus Mironis, Bernardus Arnalli, Remondus Ermengaudi, & multi alii qui hoc simul viderunt & audierunt.

ARTALLUS Elenensis ecclesiæ episcopus confirmo † consilio clericorum meorum.

Guifridus sacerdos qui hoc scripsi & subs. die & anno quo supra.

CARTA BEATRICIS COMITISSÆ Bigorræ pro Massiliensi sancti Victoris monasterio.

Donum Centulli confirmat, & monasterium S. Severi de Rostagno S. Victori Massiliensi.

Anno 1091. *Ex cartario S. Victoris eruit D. Eurnerius.*

IN nomine Domini. Ego BEATRIX comitissa Bigorritana cupiens aliquid Deo acceptabile, servorumque ejus utilitati proficuum agere, simulque considerans saluti animæ meæ vel parentum meorum congruere, ut loca Dei servitio deputata ad pristinum statum & ad regularem studeam reformare vigorem, inter cetera quæ in comitatu Bigorritano videor habere, monasterium sancti Severi suæ religioni reformandum decrevi. Quapropter domnum abbatem Massiliensem & monachos multis precibus compellens, quatinus ordinationem ipsius loci susciperent, per præsentis cartæ cessionem eumdem locum sancti Severi eidem abbati Massiliensi & successoribus ejus donare curavi, ne videlicet labor eorum aliquando annularetur, & prævalentibus malignis religionis inimicis ad pristinam reductionem iterum devolveretur. Igitur ego BEATRIX comitissa Bigorritana jam dictum monasterium sancti Severi in valle Rostanensi, in loco Albiciaco situm, in episcopatu Tarbensi, in comitatu Bigorritano, quod & vir meus CENTULLUS, videns eum penitus destructum & religione omnimodis desolatum, sancto Victori & abbati Massiliensi jam dederat, per hanc meæ cessionis cartam dono, cedo, relinquo omnipotenti Deo, & beatæ virgini Mariæ, ac sancto Victori martyri Massiliensi, & abbati RICHARDO, & successoribus ejus, & monachis Massiliensibus præsentibus & futuris in perpetuum habendum, ut omnipotentis Dei bonitas remissionem peccatorum meorum mihi dare dignetur, & patrem meum BERNARDUM ex cujus jure hereditario mihi obvenit, ab omni culpa absolutum in requiem suscipiat sempiternam, filiumque meum BERNARDUM salvum & incolumem mihi & omnibus se diligentibus conservare dignetur. Si vero in eodem loco sancti Severi abbas constituendus fuerit, ordinet abbas Massiliensis quem elegerit cum consilio suorum monachorum, & obeunte illo, nullus eligatur, nisi quem Massiliensis abbas constituerit. Quod si abbas idem inobediens aut vitiosus erit, in judicio & potestate Massiliensis abbatis sit ipsum corrigere, vel si incorrigibilis fuerit, submoto illo, alium subrogare. Ipsum etiam monasterium cum omnibus quæ ad illum pertinent, prout sibi visum fuerit, secundum regulam sancti Benedicti & consuetudines Massiliensis monasterii ordinet tam ipse quam successores ejus, ut si ibi monachi fuerint, qui sibi videantur, transferat ut voluerit, & quos de suis placuerit ponat. Ego BEATRIX comitissa Bigorritana hujus donationis cartam volente & consentiente & consiliante domno DODONE Tarbensi episcopo, simul & archidiaconibus & clericis ejusdem sedis laudantibus & consentientibus, scribi faciens, manu propria firmavi, fidelibus meis hoc ipsum laudantibus & volentibus. Ego BERNARDUS supradictæ comitissæ filius hunc donum matris meæ dono & confirmo. Augerius de Barbaza laudator & testis, Rotbaldus de Lurda laudator & testis.

Ego DODO Tarbensis ecclesiæ præsul hunc donum vel cartam, salva reverentia Tarbensis ecclesiæ, cum clericis ejusdem sedis meæ laudo & confirmo sancto Victori Massiliensi & abbati RICHARDO & successoribus ejus. Bernardus archidiaconus laudat, Willelmus de Adurvilla archidiaconus, Sancius & alii clerici ejusdem sedis laudant. Facta carta hujus donationis anno ab Incarnatione Domini millesimo XCI. indictione XIIII.

CARTA FUNDATIONIS Flonensis monasterii.

Anno 1092. *Ex ms. Cl. V. D. de Louvrex.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Amen. HENRICUS Leodiensis episcopus omnibus tam hujus temporis, quam in perpetuum successuris fidelibus perpetua notitia comprehendendum & vivaci memoria tenendum. *Qui non renuntiat omnibus quæ possidet, ad me*, ait Dominus, *venire non potest.* Hac veritatis sententia magis intellecta quam credita, Christi fideles laici Folcuinus Lambertus, atque Rodulfus [a] instinctu divino præventi, temporalibus desideriis abnegatis, suis omnibus volentes abrenuntiare, cum Abraham viro sanctissimo de terra sua & de cognatione disponebant egredi, meo persuadente consilio, locum illum qui Flona vocatur elegerunt, solitaria mansione inhabitandum, quem eorum voluntati pro salute animæ suæ sub taxata ratione tradidi. Canonicis Amaniensis (b) [b] ecclesiæ, cui appendebat locus ille, quantum ex eo se colerent,

(a) Tametsi fundationis carta Flonensis monasterii data est anno tantum 1092. tamen si Bartholomæo Fisenio credimus, prima ipsius fundamenta jam anno 1080. posuerant Folcuinus Lambertus atque Rodulfus viri nobiles & consanguinei. Sic quippe ille ad hunc annum: *Conditum est templum Flonense cum Xenodochio, a viris nobilibus Rodulfo & Lamberto fratribus, eorumque consanguineo Fulcuino. Dicavit episcopus XI. cal. Octobris. Religiosa familia ex instituto S. Augustini præfuit Evrardus vir eximiæ virtutis, qui Prioris nomine contentus, successorem habuit Vvalterum primum abbatem.*

(b) Amanium canonicorum collegium in tractu Leodiensi, a sancta ODA sub initium octavi sæculi fundatum, ubi & felicis animæ exuvias reliquit. Vide Fisen. Hist. Leod. lib. V. ad ann. 711. 713.

possent in decimas provenire, dedit molendinum super Baviam pro hujus loci commutatione, quem ab eis acceptum, & per ministros meos certis limitibus disterminatum, tribus illis supranominatis, in quem volebant usum donavi, cum consensu & approbatione tam principum quam popularium, & cujuscumque conditionis fidelium, sine illius advocati districtione vel potestate, & sine omni controversia cunctorum. Annuens eis insuper ibidem ex meo jure, cum eadem traditione silvam, aquam, & pascua potestati Amanio primitus appendentia, sed eo post hæc nullo modo responsura. Hi ergo tres viri manuum suarum laboribus aspera loci vastitate perdomita, tamquam in proprio ædificato ibidem hospitali cum oratorio sub honore sancti Matthæi apostoli, constitutis quoque ibidem canonicis Domino regulariter servituris, prædia sua quæ habebant contradiderunt in ministerium vel in ecclesia Deo militantium, vel in hospitali repausantium. Prædia vero quæ vel de proprio tradiderunt, vel ex suo conquisierunt hæc sunt. Quarta pas de *Aincurt* cum omnibus usuariis & appendiciis tam villæ quam ecclesiæ, exceptis sex bon. quæ mater eorum S. Laurentio dederat. Quarta pars ecclesiæ de Peresneis cum VIII. bonariis. In *Villers* VI. bonaria, in *Geralmont* VI. bonaria; apud Jiairam quarta pars tam villæ quam ecclesiæ & familiæ cum omnibus usuariis, excepta nona parte, quam tenuit Rodulphus ante de *Bones*. Familia autem sic est tradita, ut si denarium unum solverit, ab omni alio respectu libera sit: sic tamen ut quicumque de illa copulandi conjugiis non jungantur nisi ecclesiasticis. Quod qui fecerit & obierit, dimidium bonorum ejus ecclesiæ erit. Si Hastoltus obierit, similiter bonum ejus ecclesiæ dimidietur, reliquum heredibus permittatur. Molendina quoque super Flonam iidem viri constituerunt, quibus cursum aquæ necessarium concessi sufficientem & liberum, firmiter decernens, ne ullus umquam impediat illum; sed & silvam in quemlibet usum molendinorum vel molentium necessariam nullus prohibeat. Ex his autem rebus prædictis septem libras & duos solidos cum octo modiis de siliginis & decem modiis avenæ placuit eis separari, in usum hospitalis destinare. Hæcque duo principaliter ab eisdem viris oblata pontificali nostræ potestati sic sunt supposita, sic nostra manu suscepta, ut libenti animo decernerem, pontificali auctoritate sancirem, ne eodem loco degentes sub religione, nec in prioris sui electione, nec in fratrum restitutione, ullius omnino potestatis necessitati subjacere, ita ut nec episcopo liceat aliquo modo quicquam de supradicto loco vel subtrahere, vel vendere, vel præter eorum arbitrium donare, vel aliquid commutare, nec archidiacono vel ejus decano quicquam ibi sui juris vindicare, sed cum summa libertate sub jugo Domini constituti, non violenter, sed paterne pontificali tantum gubernentur moderamine. Illud etiam episcopali auctoritate eidem loco concessi, ut sacri baptismi mysterium ibi celebretur tali conditione, ut pueri ejusdem loci, vel si qui aliunde pro dilectione in communi manentium illuc mittantur, ibi baptizentur, alii vero nequaquam suscipiantur. Olei quoque sacramentum ab ipsius episcopi manu statui congruis temporibus requirendum. Si quis autem temere in supradicto loco aliquid eorum quæ a dictis viris sunt constituta & nostra sanctione stabilita præsumserit violare, partem habeat cum Juda traditore, sitque anathema, maranatha. Hujus rei testes de clericis præpositis TYETWINUS abbas, Everardus, Heinricus, Tietwin, abbas LAMBERTUS, Avelinus, Richerus, Rado; de laicis dux GODEFRIDUS, ALBERTUS comes Namurcensis, HENRICUS comes Lovaniensis, CUONO comes & filii ejus, ARNULFUS comes de Los, comes ARNUSTUS de Kynei, Henricus & frater ejus, Warnerus de Greis, Godescalcus de Cennaco, Hugo de *Davelles*, Godefridus *de Ham* Everwinus *de Vvaldemont*, Rodulfus *de Bossut*, Godescalcus *de Face*, Walcherus *de Fosses*, Johannes *de Holenquils*, Dodo de Hoio. Acta sunt hæc Leodii anno dominicæ incarnationis MXCII. indictione XV. regnante HENRICO imperatore augusto.

FUNDATIO CELLÆ S. Karilephi de Curia-Dodæ.

Circa 1092. Ex cartario S Vincentii.

CONstitutum est ab antiquis, ut quotiescumque catholicæ ecclesiæ aliquid datur, scriptum per auctoritatem retineatur, ne per succedentium temporum longitudinem a memoria deleatur. Quare ego WILHELMUS filius Hervei, dono ecclesiæ huic in honorem pretiosorum martyrum Vincentii atque Laurentii ædificatæ, ecclesiam sancti * Karilephi de Curia-Dodæ, ita liberaliter, sicut a patre meo & antecessoribus meis illam accepi, cum omnibus rebus ad ipsam pertinentibus; ecclesiam videlicet cum decimis & cum presbyterio, cum sepultura & omnibus omnino exitibus, cum terra altari quoque delegata. Do insuper terram de Bunnione cum pratis, quam pater meus Fulcherio presbytero in vita sua tantum dederat, & totam terram Wilhelmi presbyteri, tam cultam quam incultam, & totum pratum juxta ecclesiam positum, cum olca terræ. Do denique eidem ecclesiæ pretiosorum martyrum unam capellam, quam construant ipsi monachi in castello meo, totam liberam & unam domum ita liberam, ut homines qui ibi manebunt, sancto Vin-

* S. Calais di Desert.

centio consuetudines suas omnino reddant A etiam in mercato. Et ceteri homines qui in terra sancti stabunt, ita sint liberi ab omni exitu ad me pertinente, excepto theloneo mercati mei, ut nulla ratione in meo servitio, nisi monitione monachi, eant qui ibi adfuerint. Do etiam decimam venationis meæ, & aquam ubicumque meam ad unum piscatorem, & sylvam meam ad omnes suas necessitates, & pasnagium ad omnes proprios porcos de eadem obedientia, & porcorum.... presbyteri qui fuerit ad cibum [a] (a) monachorum. Præterea do eidem ecclesiæ de ecclesia S. Mariæ de *Ham*, quicquid proprium habeo de pane, de candela, de B offerturis, & de sepultura, sicut in meos proprios usus habeo. Insuper dono decimam de furno meo tali conventione, ut super sepulchrum patris mei & matris & fratris mei Roberti & cognati mei Wilhelmi decenter lapides aptent. De his autem omnibus si aliqua calumnia eis acciderit, do fidejussores, ut in omnibus curiis ubi quiete ausus ire fuero, eis ratiocinando & defendendo hæc omnia quiete tenere faciam. Si vero aliquam de his rebus quietam facere non potuero, valenter eis commutationem reddam. Annuo insuper quicquid iidem monachi in eadem parochia quocumque modo acquirere potuerint, de his dumtaxat rebus quæ ad ecclesiam pertinent. Hi vero sunt fidejussores quos ei dedi die dominico, quod fuit VIIII. cal. Novembris, quos scilicet abbati RANNULFO & fratribus qui cum eo erant, Wauterio scilicet Bigoto, atque Gisleberto, ut prædictas res eis quietas tenere facerem dedi. Hugo de *Ham*, Gaufridus de Grata-oculum, Robertus de Fro, Petrus Fulcherius filius suus, Ansfredus de Curiabernul, Wauterius filius Algodi, Wauterius de Firmitate. Durandus hospes abbatis, Osbertus filius Boselini, Robertus filius Landrani. Actum est hoc ante ecclesiam sancti Karilephi, vidente & annuente tota parrochia, antequam prædictus abbas missam inchoaret. Hi vero fuerunt cum abbate & monachis. Arnulphus presbyter, Gaufridus de sancto Martino, Paganus filius suus, Walo de sancto Juvino, Artur Milo nepos Wauterii monachi. Si vero aliquis de meis parentibus vel heredibus in hac donatione calumniam vel diminutionem inferre præsumserit, cum Juda traditore Domini pœnas luat æternas. Ut autem donatio hæc in perpetuum firma permaneat, in hac carta, quam ego fieri jussi, eam confirmando & corroborando signum vivificæ crucis propria manu exprimo, & fidelibus ac amicis meis eodem signo corroborari præcipio, atque per eamdem cartam donum supradictæ rei super altare sancti Vincentii pono, videntibus subscriptis testibus quorum nomina cum signis subnotantur. Signum Wilhelmi Columbæ †. S. Radulphi Britonis, S. Odonis, S. Hugonis filii Widonis, S. Fulgogii filii Auxendis, S. Kalonis, S. Ralnaldi de Rioles, S. Hildrici, S. Gauslini, S. Herluini, S. Radulphi, S. Wilhelmi, S. Odonis de Colis, S. Girardi, S. Ernulphi †.

DIPLOMA HELIÆ COMITIS Cenomanensis pro Cenomanensi sancti Vincentii monasterio.

Pro damnis sancto Vincentio illatis in obsidione Montis-Barbati, dat eis vicariam seu plenam justitiam in burgo S. Vincentii.

QUISQUIS sanctorum consors & perpetuæ retributionis particeps fore desiderat, oportet ut de rebus caducis & transitoriis cælestia semperque manentia adquirere studeat, monente Domino ac dicente: *Date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis.* Et iterum: *Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum.* His aliisque ejusmodi animatus exhortationibus, ego HELIAS Dei, ut credo, miseratione in urbe Cenomannica comes constitutus (a) crebris petitionibus RAMNULFI abbatis pulsatus, ceterorumque monachorum sub eo in cœnobio sancti Vincentii degentium, quos diligo pro sui ordinis observatione, pro damnis & importunitatibus, quæ eis feci in Montis-barbati (b) obsidione, do Deo & [b] sanctis martyribus Vincentio & Laurentio monachisque ibidem in perpetuum Deo servientibus, ut securius & absque ulla inquietudine Deo serviant, & pro me ac meis antecessoribus, comitibus videlicet Cenomanensibus, necnon & successoribus Dei misericordiam exorent, quidquid aut juste aut injuste in eorum ecclesiis, domibus, & toto burgo eorum ad vicariam pertinens habebam, ita ut ipsi ibidem vicarium suum habeant, qui justitias & districtiones secundum præceptum abbatis & monachorum faciat. Si quis vero extraneus aut in latrocinio, aut in aliquo crimine ibi deprehensus fuerit, ablatis rebus omnibus, bene flagellatus corpus nudum, ad justitiam corporalem faciendam, quam monachi pro Deo & pro suo ordine facere nolunt, vicariis meis reddatur. De suis vero omnibus hominibus, omnino liberam potestatem habeant faciendi quod volunt. Si quis vero ex eorum hominibus alicui forisfecerit, aut is cui necesse fuerit apud abbatem querelam deponat, & ipse

Anno 1099. *Ex cartario S. Vincentii Cen.*

(a) Quippe olim omnes monachorum cibi adipe porcino condiebantur, etiamsi alias abstinerent à carnibus.

(b) Id contigit circa annum 1093. quando civitatem Cenomanensem ab Hugone Langobardo filio Azitonis marchionis plurima emit pecunia.

(c) Mons-barbatus erat castellum a Guillelmo Notho Normannorum duce constructum, ut Cenomanos sub sua contineret obedientia.

abbas

abbas aut sui justitiam faciant, ne sit necesse A ut vicarii comitis ibi manum mittant. Ita igitur sunt liberi jam dicti burgenses S. Vincentii, & omnes famuli de cibo monachorum, ut nullo modo a vicariis distringuantur, nec etiam in mercato, nisi prius clamor ad abbatem vel ad monachos, aut ad vicarium eorum venerit, & ipsi rectum facere noluerint, nisi forte in ipso mercato forisfactum fuerit perpetratum. Pro hac autem largitione debent prædicti monachi anniversarium patris mei & matris meæ, & meum, quando evenerit, solemniter agere.

Signum Heliæ comitis. † Signum Silvestri. † S. Willelmi. † S. Pagani. † S. Ingelbaudi Butarii. † S. Odonis Cuneardi. †

Anno 1094. Ex ms. Colbertino.

INSTITUTIO PONTII ABBATIS in monasterio B. Mariæ de Minorissa.

[a] CONVENIENTIA facta inter domnum BERENGARIUM archiepiscopum Terraconensem & PONTIUM RAYMUNDI clericum, qua archiepiscopus elegit Pontium ad habendam abbatiam S. Mariæ de (a) Minorissa, & donat ipsum fevum laicale S. Petri. Tali siquidem deliberatione, ut præfata ecclesia sanctæ Mariæ semper habeant & teneant clerici regulares, qui Deo ibi juxta S. Augustini regulam militaverint, & præfatus Pontius non destruat ipsam canonicam, nec ex his, sicut continetur in carta, quam RAYMUDUS AMATI, jubente & consentiente præfato domino B. præfato domino archiepiscopo, Bernardo priori & sociis ejus noscitur fecisse, ita videlicet, quod præfatus prior eumdem locum teneat, & cum sociis suis ad religionis perfectionem perpetim, concedente Domino, perducat. Prælibatus itaque Pontius convenit propter B. perscripto archiepiscopo, ut sit solidus clericus & canonicus S. Petri, & ipsius archiepiscopi, & serviat ei & successoribus ejus episcopis S. Petri ipsum honorem, sicut homo debet servire suo meliori seniori, & faciat ei hostes & cavalcatas, &c. & habeat optimum clericum statorem in ecclesia S. Petri sedis Vici, & ipsius episcopi & canonicorum ejus. Et quia juris S. Petri noscitur esse, clerici ipsius loci semper faciant S. Petro curtes, & synodalia obsequia, & quæcumque debent facere. Acta convenientia idus Januarii anno xxxv. regis Philippi. PONTIUS abbas, BERENGARIUS episcopus &c.

(a) Minoressæ B. Mariæ ecclesiam circa annum 937. consecravit Georgius Ausonensis episcopus, dotante eam Suniario Barchinonensi & Urgellensi comite qui præsens aderat. At Sarraceni, facta sub Raymundo comite irruptione, urbem ipsam atque adeo ecclesias omnes devastaverunt. Successu vero temporis canonicis sæcularibus regulares S. Augustini substituti sunt. Vide si lubet, Marcæ Hispanicæ appendicem pag 1031.

PRIMUM TESTAMENTUM Adephonsi regis Hispaniæ quo dat sancto Victori monasterium Toletanum sancti Servandi.

Ex archivis S. Victoris eruit D. Furnerius.

SUB imperio omnipotentis Dei, qui cuncta creavit verbo, & creata omnia recte ordinavit, atque utiliter in suo congaudet regno, qui cum Patre, & Filio, & Spiritusancto unus atque idem permanet per numquam finienda sæculorum sæcula. B Quia subitanea mors, quæ omnes homines procumbere facit ex improviso, mihi ne subito eveniat, & illud præmeditans in animo meo, quod evangelica quotidie recitat historia: *Date & dabitur vobis*. Et iterum: *Mensura qua mensi fueritis remetietur vobis*. Et alibi sicut Dominus noster dixit: *Si quis porrigerit uni de minimis istis qui in me credunt calicem aquæ frigidæ tantum in nomine meo, centuplum accipiet, & insuper vitam æternam possidebit.* Hæc omnia recogitans in animo meo, elegi facere quod audituri estis ad honorem omnipotentis Dei & S. Petri apostolorum principis, ut mihi fidelissimus adjutor C sit, & in cælis apud Dominum suum assiduus intercessor. Ego enim ADEPHONSUS gratia Dei imperator constitutus super omnes Spaniæ nationes, offero sacrosancto altari S. Petri Romæ pro remedio animæ meæ, & omnium parentum meorum, monasterium sancti Servandi. Est autem illud monasterium ad portam civitatis Toleto, super ripam fluminis illius nomine Tagi. Et ut hi qui in eadem ecclesia suprascripta permanserint, supplementum aliquod victui habere possint, offero illis villam unam nomine Hukeka, & unam almuniam, quam nos latine vocamus ortum, qui est prope illam ecclesiam S. Servandi, D fuitque unius Mauri nomine *Alfalif*, & unam aheniam in ripa illius fluminis supradicti, subtus illa alcantera, contra partem S. Servandi. Omnia hæc quæ superius memorantur, offero sacrosancto altario sancti Petri, sicut jam præfatum est, eo tenore, ut omni tempore abbas Massiliense congregationis obtineat suprascriptam ecclesiam sancti Servandi, cum omnibus quæ sibi pertinent, vel etiam adhuc acquisierit in sua potestate; & tribuat inde per unumquemque annum decem nummos aureos altario S. Petri Romæ. Hæc omnia libentissime offero, E atque confirmo, ut ipsi habeant inde in hoc sæculo temporale subsidium, & ego in cælis apud Deum cæleste præmium. Quod si ego aut aliquis generis mei seu extranei hoc donum quod ego grato animo altario S. Petri obtuli, auferre quæsiero vel quæsierit, & hujus scripturæ verba quæ ego scribere elegi, infringere pertentavero vel pertentaverit; quisquis fuerit propinquus aut extra-

neus, pariat centum libras auri altario sancti Petri, & insuper excommunicatus, damnatus, anathematizatus permaneat in æternum. Post mortem vero illius anima ejus cum Dathan & Abiron participetur in sæcula sæculorum, & hoc factum meum permaneat firmum ævo perhenni in sæcula cuncta. Facta cartula testamenti v. idus Martii, concurrente feria I. CXCVI.

Ego enim ADEFONSUS gratia Dei imperator hoc quod ego libenter facere elegi consilio atque voluntate domni RICARDI cardinalis Romæ scilicet, & abbatis Massiliensis ecclesiæ, grato animo confirmo.

Ego CONSTANTIA regina hoc donum quod dominus meus facere elegit, libenter confirmo.

BERNARDUS Toletanæ sedis archiepiscopus confirmo.

RAYMUNDUS Palentinæ sedis episcopus confirmo.

GOMES Auchensis episcopus confirmo.

PETRUS Legionensis episcopus confirmo.

ASMUNDUS Astorihensis episcopus confirmo.

ASIAS Ovetensis episcopus confirmo.

SISNANDUS Conibriensis consul confirmo.

GARCIA Ordonis comes confirmo.

PETRUS Ansuris comes confirmo.

MARTINUS ADEFONSUS comes confirmo.

FERNANDUS DIDAZ confirmo.

Albanus Garciaz armiger regis confirmo.

Rodericus Didaz confirmo.

Gundisalhus Nuniz confirmo.

Albarus Didaz confirmo.

Rodericus Ordonis confirmo.

Gudesteus Rodericus confirmo.

Didacus Gansalhis confirmo.

Petrus Johannes Majorinus de Castella confirmo.

Munius Velasquez confirmo.

P elagius Velutiz confirmo.

Froila Didaz confirmo.

Pelagius Domingiz Majorinus de Lectione confirmo.

Gutier Telliz confirmo.

Sunna Muniniz confirmo.

Nunus Muniniz confirmo.

Qui præsentes fuerunt.

Petrus testis.

Dominicus testis.

Froila testis.

Pelagius testis.

Citti testis.

[a] Sisnandus Astrariz qui interfuit. (a)

DIPLOMA ADEFONSI REGIS

Hispaniarum, quo monasterio sancti Servandi Toletanæ urbis unit aliud monasterium dictum *de Penna-fidel*.

IN nomine summi opificis rerum creatoris .... atque invisibilis Dei, Patris scilicet, & Filii, & Spiritus-sancti regnantis in æterna sæcula, cujus regnum sempiternum, quod non erit finis, neque.... & tempora mutantur temporibus, per quem cuncta subsequuntur elementa, cui famulantur universa, ceteraque pariter &..... ..... Ego ADEFONSUS FREDENANDI magni regis & SANCIÆ reginæ filius, concedo & offero Domino Deo, & S. Servandi, quorum basilica sita est in urbe Toleto, super Tagus flumen ad portam civitatis quæ dira.. .... barbaris & paganis, nunc autem, auxiliante Deo, conservata est ad ordine sæculari. Et ego audivi scripturæ divinæ oracula, & ad implendum quantulum cupiens, ut ab omnipotenti Domino æterna, pura * manens, defixa voluntate, dono & offero ad ipsum atrium jam meminitum, alterum monasterium de *Penna-fidel*, cum suas hereditates ab integrum, ubicumque invenire potuerint, & villa *Moraeel* qui est in *Alfoz* de Legio circa illo (b) camino de S. Jacobi non longe a monasterium S. Facundi, sic offero illum monasterium S. Salvatoris, & villa *Morael* ad S. Servandi, cum suas hereditates, terras, vineas, areas, ortos, ortalibus, pratis, pascuis, paludibus, montes & fontes, aquarum molendinis, aquas cursiles, exitum vel regressum, intrinsecus vel extrinsecus per suis antiquis terminis vel adjacentiis. Confirmo in hujus conclavi sancti propter remedium animæ meæ seu parentum meorum; taliter ut non........ in istas hereditates merino, neque saione, nec pro rosse, neque pro omecedio, nec pro...... audua neque fossadua, neque pro aliqua .... vel negotio. Quod si quispiam qualibet persona, homo vivens sæculo, an ex propago mea, vel extranea, ex hoc quæ ego prona voluntate, & sincera devotione, conexto per cupiditatem naufragaverit, aud quolibet contrarium, aud præsumtionis disrepere, aud alienare conaverit, imprimis a fronte ambobus careat lucernis, & pos discessum ejus non sepeliatur cum ceteris, nec spiritus ei societur cum electis. Sed in die illa tremenda judicii cum reprobis sit pars illius a sinistris, deinde cum diabulo in æterna damnatione accipiat pænas, & pro temporali ju-

Anno 1094. *Ex archivis S. Victoris eruit D. Furnerius.*

* f. mente

[b]

(a) Extat in archivis S. Victoris alterum Alphonsi regis testamentum, quod editum est apud Yepezium tom. 6. Chron. ord. S. Benedicti in appendice. Sed inter subscriptiones in edito desideratur *Urracha regis germana cum sobrina mea Urracha B. comitis uxore confirmo*, & in fine *Pelagius cognomento Boatan Palatini officii notarius, qui jussione regis scripsi confirmo*. Sed & quædam subscriptorum nomina paulo aliter leguntur in ms. quam in editis.

(b) Id est via tendente ad S. Jacobum.

dicio conferat ad partem hujus ecclesiæ c. libras auri, & ipsum monasterium, & ipsam villulam cum sua hereditate triplici duplata a parte ecclesiæ conferat meliorata. Sane & per .... hanc scripturæ vel seriem testamenti in omni robore hac perpetuis firmatas. Perfectum hunc series textum die notum II. calendas Madii era P. CXXXIII. regnante & imperante ego memedipso serenissimo principe ADEFONSO in Toleto & in .... Castella, & in Gallecia, & Austurias & Nagera.

Ego imperator ADEFONSUS hanc cartulam fieri elegi & relegendum cognovi, &, Deo auxilante, complevi, & manus proprias coram multis testibus roboravi.

Gloriosissima CONSTANTIA regina consentio.

..... major domus regis consentio.

* Albarus. * AL..... GARCIAS armiger regis consentio.

SANCIUS pincernarius regis confirmat.

DIACUS coquinarius regis confirmat.

GARCIANUS comes confirmat.

PEARUS comes confirmat.

* Martinus. * MARECUS comes confirmat.

FEIRANDUS comes confirmat.

NURUS comes confirmat.

.... atque Toletanus episcopus confirmat.

PETRUS Y.... episcopus confirmat.

RAYMUNDUS Pultaguæ sedis confirmat.

OSMUNDUS Aistoricensis episcopus confirmat.

PETRUS Legionensis episcopus confirmat.

GOMES Burgensis episcopus confirmat.

SENIOFREDUS Naquetensis episcopus confirmat.

ARIEZ Ovetensis episcopus confirmat.

Cid luc testis. Bellid luc testis. Anag luc testis. Sancius exaravit.

NOTITIA DE DONO quod fecit S. Victori Pontius episcopus Glandatensis cum monachum professus est in eodem monasterio.

Anno 1095 Ex archivis S. Victoris eruit D. Furnetius.

IN nomine Domini nostri JESU CHRISTI. Notum fieri volumus cunctis hominibus tam præsentibus quam futuris, quod PONTIUS (a) Glandensis episcopus recordatione divini judicii, & amore cælestis patriæ pro remedio peccatorum suorum reliquit sæculum...... conversus factus est monachus in monasterio S. Victoris martyris Massiliensis cœnobii, sub regimine venerabilis abbatis RICHARDI, & dedit prædicto monasterio atque monachis ibi degentibus, necnon etiam jam dicto abbati Richardo & successoribus ejus, de honore suo quem per alodium ex parte genitorum suorum possidebat, videlicet decenam in Castellana, & unum mansum in Rocha-rusa, & decenam in Alonsio, & decenam in Thoramina, cum tertia parte de menaria quam ibi habebat, & dominium quod ibi retinuerat in Bagarro, & partem suam in Castano, in territorio Taladoriæ, & decenam in Verresone. Postea vero domnus abbas Richardus dedit nepotibus jam dicti episcopi, Pontio scilicet.... fratribus suis, ne omnino essent sine hereditate avunculi sui, & decenam in Castellana cum manso de Rocha-rusa, præter illam partem quam Bonifacius accepit, per manum abbatis Richardi, cum decena de Vercione, unde illi & successoribus suis fidelitatem promisit & servitium. Pontius autem .... fratres sui acceperunt similiter per manum jam dicti abbatis, & promiserunt se omnem suam posteritatem accipere per manum abbatum successorum suorum ad fidelitatem & servitium; & ille qui accipere de manu abbatum & servire nollet, partem in hoc hereditate.... Factum est hoc in Castro-calliano, XVII. cal. Februarii, anno ab Incarnatione Domini millesimo nonagesimo quinto. Fulcho Dodo firm. Ugo Ferus firmavit. Willelmus firmavit. Gaufredus de Draguiniano firmavit. Fulco *de Meels* & fratres sui.

(a) Hoc de episcopo nihil hactenus, præter nudum nomen in serie episcoporum Glandatensium.

NOTITIA De jure advocatorum Epternacensis monasterii.

Anno 1095. Ex ms. Epternacensi.

NOTUM sit tam præsentibus quam futuris omnibus, quod HEINRICUS comes COENRADI piæ memoriæ comitis filius, Bertranni defensoris nostræ ecclesiæ circumventus & deceptus consiliis, muneribus & fraudibus, jus advocati in aratura & messione innumeris a divæ memoriæ abbate REGINBERTO servitiorum & donorum impendiis redemtum, & regali concessione traditum, nobis abstulit, & omni honore & jure quo usi sumus sub omnibus ejus & nostris antecessoribus nos privavit ac exuit. Sed propitio & miserante Deo, postea in se rediit, & optimatum suorum consilio ablata reddidit, & præsidente domno HEINRICO Palatino comite, cui a domino nostro gloriosissimo imperatore augusto H. in Italia exercitum ducante, imperii commissæ sunt habenæ, in integrum hoc ordine restituit. Jurare fecit honnestiores servitores nostros & scabinos, ut neque pro amore neque timore ullius dimitterent, quin secundum nudam & puram veritatem, quid advocatus, quid juris fiscus noster ex antiquitate juste retinuisset, liquido edicerent & secernerent. Igitur jurejurando obstricti, affirmaverunt, quod non liceret advocato constituere ullum subadvocatum, nisi ex fa- Nota.

milia ecclesiæ, & per electionem & consensum ejusdem familiæ, & quod quotidiani servitores qui ad coquinam, qui ad pistrinum, qui ad molendinum, qui ad lavatorium, qui ad custodiam monasterii, qui ad quodque quotidianum fratrum servitium pertinent, nihil illi jure debeant persolvere. Et decreverunt quod nullum legitimum placitum ulli advocato debeant, nisi qui bannum ab imperatore habeat, & si die constituta ille non adfuerit, & pridie legatum non miserit, qui eum vel in utilitate regni vel loci nostri occupatum esse certissima fide & veritate confirmet, placitum & servitium non restituant. Neque si die dominica vel celebri festo dies placiti eveniant. Confirmaverunt itidem quod in XXIIII. dominicatis casis quæ ad hortum & cellerarium attinent, & in his villulis Erinza scilicet & Luterbrunna, quarum altera ad lavatorium, altera ad coquinam fratrum servit, & in *Bullendorf* & *Stenireheim* & *Erle*, nullus advocatus debeat habere placitum & servitium, nisi pro monomachia, & sanguinea percussura, & scabiniis constituendis, nisi fuerit invitatus ab abbate vel præposito, vel ab aliquo qui justitiam obtinere non potuerit a præposito vel villico, & a quo invitatur, ab eo servitium accipiat. Item per fidem juramenti asseruerunt, quod advocatus nulli debeat equum suum per vim & potentiam tollere, & si in furti crimine aliquis ex familia ecclesiæ deprehensus & convictus fuerit, quicquid possederit fiscus obtineat, fur secundum judicum decreta legibus subjaceat, & quod advocatus nullum debeat percutere & male tractare absque judicio. Decreverunt item, ut quicquid in placitis deponitur secundum posse ejus qui deponit, misericorditer ab exactore vel villico, assidente advocato, vel ejus ministro, cum scabinorum consilio disponatur, & duæ partes fisco, tertia advocato solvatur. Item approbaverunt, ut si quis de familia ecclesiæ occisus fuerit, si pretium ejus quod wergeldum vulgari locutione vocant, abbas acquirere per se potuerit, totum habeat; si per auxilium advocati, ille sui juris tertiam partem obtineat; si quis infregerit bannum quod Theotonica lingua *Burgban* dicitur, pro quo sexaginta solidi solvuntur, duas partes fiscus, tertiam accipiat advocatus. In placitis vero de privato peculio & usufructu ecclesiæ neque intersit; neque quicquam inde accipiat. Affirmaverunt item nobiliores & majores natu ecclesiæ nihil amplius erga advocatum sui esse juris, nisi pro utilitate & defensione nostræ ecclesiæ per duorum dierum spatium cum suis stipendiis ire, & si comes aliquam in vicino urbem quæ contra regnum & locum nostrum sentiat, obsederit, pro ejus amore & honore per duos dies militare. Hæc acta sunt anno dominicæ incarnationis MXCV. indictione tertia, anno vero domni imperatoris augusti HEINRICI regni XL. imperii XII. annitente venerabilis domni abbatis REGINBERTI successore THIFRIDO. Testes autem hujus concessionis & confirmationis idonei & nobilissimi sunt isti, HEINRICUS Palatinus, (a) HERIMANNUS HERIMANNI comitis filius, & frater ejus THEODERICUS & Bezelinus de *Arlon*, & Adalbertus & Bezelinus de Engelinga, Anselmus de Edinga, Ruopertus filius ejus, Johannes, Bulso, Thibolt & filius ejus Gisilbertus, Hugo, Hesso. Et ut rata & inconvulsa sit hæc confirmationis pagina, ad majorem successorum fidem eam imperiali sigillo & auctoritate confirmari postulavimus, & divina amminiculante clementia impetravimus. [a]

DONATIO ECCLESIÆ sancti Gregorii Ruthenensis per Bernardum episcopum Lutevensem.

Anno 1095. Ex archivis S. Victoris eruit D. Furnerius. [b]

IN Dei nomine ego BERNARDUS (b) gratia Dei Lutevensis episcopus, notum atque manifestum esse volo cunctis hominibus, quod censu & ingenio atque labore meo redemi ecclesiam S. Gregorii, quæ est in episcopatu Ruthenensi, in territorio Valleoli, de manu laicorum consanguineorum meorum, Willelmi scilicet de *Prevencheires*, qui tertiam partem in ecclesia ipsa injuste & per invasionem tenebat, & dedi pro ipsa tertia parte.... millia solidorum Podiensium, ea intentione ut præfata ecclesia quæ male & inhoneste ordinata erat, ego bene & libere ad amorem Dei & ejus servitium ordine regulari perpetualiter ordinarem. Hanc igitur intentionem meam complere cupiens, consilio & laude fratris mei Austorgii dono, concedo ipsam ad præsens tertiam partem præscriptæ ecclesiæ, quam, ut prælibatum est, studio & substantia mea redemi, venerabili abbati Massiliensi RICHARDO, & per eum do B. Mariæ atque S. Victori martyri Massiliensi, necnon & successoribus & monachis prædicti abbatis, tam præsentibus quam futuris, ut habeant & possideant, & quidquid inde voluerint ad Dei servitium faciant. Debent autem præfatus abbas & monachi ejus semper scire, quod per nullum alium nisi per me, & pa-

(a) Qui hoc anno mortuus est. Henricus Palatinus comes, inquit Bertholdus ad annum 1095. *multum & ipse dives, sed apostolicæ sedi non adeo obediens, viam universæ terræ arripuit, divitiasque multas a multis sibi inutiliter diripiendas reliquit.*

(b) Is dictus est Bernardus de Provenqueriis, qui pro jurium ecclesiasticorum tuitione immensos sustinuit labores. Concilio Claromontano interfuit hoc anno, ibique Urbani secundi classico excitatus, sacræ militiæ nomen dedit; & triennio post captam civitatem sanctam hominem exuit. Porro ex hac carta innotescit ejus frater Austorgius, uti & Vvilelmus de Provenqueriis ejus consanguineus.

rentes meos donum hujus ecclesiæ, quod ego pro remedio peccatorum meorum & animabus parentum meorum illis facio, adepti sunt. Unde solliciti sint mihi & parentibus meis hoc donum semper recognoscere, & pro nostra salute ad Dominum exorare. Sane si quis contra hoc nostrum donum veniens infringere illud vel inquietare tentaverit, cujuscumque sit generis, conditionis, & ordinis, non valeat vindicare, sed iram Dei omnipotentis incurrat, & præterea hæc nostræ donationis carta firma in æternum stabilisque permaneat. Actum est hoc VI. nonas Octobris anno Domini millesimo XCV. Signum Bernardi qui hoc donum fecit & firmavit, & testes firmare rogavit. Signum Austorgii.

EPISTOLA URBANI II. ad Berengerum abbatem S. Laurentii Leodiensis.

Anno 1095. Ex ms. codice Cruciferorum Hoyensium. [a]

URBANUS episcopus servus servorum Dei dilecto in Christo fratri BERINGERO (a) abbati salutem & apostolicam benedictionem.

Gratias agimus Deo pro vobis in gratia Dei quæ data est vobis, qui in hoc malo tempore, cum omnis pene Gallia erroris caligine jacet immersa, oculos mentis vestræ ad cognitionem veritatis illuminavit, ut ad amorem justitiæ, & catholicæ fidei defensionem, igne sui spiritus cor vestrum accendat. Gratias illi qui vos præclaro calice gratiæ suæ inebriavit, & spiritum Domini in ratione vestra ferventem, ad tolerantiam multiplicis injuriæ paratum reddidit, & ad perferendos labores & pericula, pro defensione veritatis excitavit. Quod Dei munus speciale esse non dubitamus, qui provida dispensationis suæ gratia electos suos persecutionis tempore utiliter probat, & discutit; sed ne penitus aberrent, aut labefacti funditus dejiciantur, potentia virtutis suæ sustentat, ut ad omnia propter se sustinenda paratiores fiant, fortiores excitat. Ante hac, ut pro certo compertum habemus, aliis pro defensione veritatis & justitiæ laborantibus, cum omni officio caritatis subvenire solebatis, & cum magna cordis lætitia & vultus hilaritate, sanctorum necessitati supra vires vestras ministrare, symoniacos & Wibertistas, novos ecclesiæ hostes, validis verborum jaculis impetere, & nutantem rationis eorum murum, ariete fidei pulsare, & athletas Dei qui in acie christianæ religionis defecerant, confortare. Nunc ergo devotionem vestram pietas divina inspexit, & tandem majestas excelsa dignatur, ut pro eo patiamini, qui pro vestra gloria crucis ignominiam ferre non erubuit. Huic tanto cælestis gratiæ beneficio prudentia vestra debet respondere aliquid, & calice salutari gratanter accepto, gloriam & honorem æterni regis quærere, & in omni vitæ vestræ statu nomen ejus qui vobis tribuit intellectum, invocare, laudare, benedicere, & magnificare. Nec damna rerum temporalium vos debent movere, neque quod H. (b) homo christianæ pacis eversor, & ecclesiarum sacrilegus venditor, Romani imperii destructor, hæreticorum auctor & defensor, vos de ecclesia vestra per satellitem suum OBERTUM (c) episcopum expulit, curare. [b] Nam si patremfamilias Beelzebuch invocavit, quanto magis domesticos ejus? [c] Si Romanæ sanctæ, & apostolicæ ecclesiæ funestas manus intulit, mirum vobis videtur, si usque ad vos gladius insaniæ ejus pervenit. Si sacerdotem summum, cui omnipotens Dominus per Petrum singulari privilegio potestatem aperiendi & claudendi quibus voluerit januas cœlestis regni dono dedit, de cathedra pontificali tirannice exturbavit, & pro eo statuam auream in loco sancto erexit, & ad adorandum eos quos potest, cogit: turbamini quod vos violenter expulit, & in loco vestro fictile & conflatile idolum abhominationis collocari fecit. Immo potius gaudete, quia Deus laborum sanctorum suorum consortem vos vult esse. Si rapinam bonorum temporalium pro Christo ferre non vultis, quomodo mortis asperitatem pro christiana veritate sustinere gauderetis? Credo quod voluntas Dei est, immo divinæ propitiationis opus, ut aliqua vis humana fossam illam maledictionis & nequitiæ vos compellat exire, ne justus Loth pereat cum injustis, ne sanctitatis vestræ speculum admittat quicquam contagionis, ex cohabitatione malitiæ circumstantis. Quis enim murus staret inconcussus? quæ mens immobilis in sua firmitate permaneret, ubi crassi sues grunnirent assidue, ubi innocentiæ vestræ simplicitatem turba malignantium obsideret? OBERTUS antichristi signifer, sathanæ jumentum, perfidiæ Simonis manifestus sectator, apostolicorum judiciorum contemtor, ecclesiæ quantum in ipso est conculcator, ecclesiarum quas in suam perditionem temerarius emtor invasit, prædo & destructor, & prophanus venditor, nunc minis intonaret, nunc dia-

(a) Beringerus ex priore Andaginensis monasterii S. Huberti, factus primum prior S. Laurentii Leodiensis, deinde abbas creatus, in locum Vvolbodonis abbatis ab Henrico episcopo depositi, omnium fratrum suffragiis suffectus est anno 1075.

(b) Henricus IV. rex Romanorum, hujus nominis III. imperator, qui schisma in ecclesia suscitavit, in sedem sancti Petri sublimato Vviberto, & exturbato Gregorio VII. sanctissimo.

(c) Obertus Leodiensis S. Crucis præpositus defuncto anno 1091. Henrico episcopo, ad Henricum regem confugit, & magna pecunia episcopatum ab eo comparavit, qui statim Beringerum abbatem expulit & Vvolbodonem restituit, uti scribit Auctor coævus Historiæ S. Huberti.

bolicis blandimentis astutiæ caput vestri rigoris incurvare contenderet. Quem nos ex decreto concilii a nobis nuper acti damnatum auctoritate Dei & beati Petri, & sanctæ Romanæ ecclesiæ, cui auspice Deo deservio, jam excommunicavimus, & cum suo Wiberto bestia terribili & varia, quæ ascendit de mari, & facit bellum cum sanctis, quam adorant quorum non sunt nomina scripta in libro vitæ & Agni, portionem maledictionis ei dedimus, pro eo quod symoniacus est, & episcopatum data pecunia usurpavit, & quia vos injuste de loco vestro ex præcepto sui regis expulit, & eum qui propter contumaciam & inobedientiam publico judicio abjudicatus & condemnatus erat, accepta ab eo pecunia subposuit, & quia cuidam Luppo (a) & symoniaca heresi & aliis capitalibus culpis publice & juste damnato manus imposuit. Similiter & illum ecclesiæ prophanum pervasorem damnavimus & excommunicamus WOLBODONEM, quia symoniace ac tyrannica potestate per male acquisitam pecuniam abbatiam vestram, & locum unde per insolentiam suam, sicut diabolus de cœlo ceciderat, invasit, (b) & cum eo omnes malitiæ ejus adjutores & fautores. Omnes quoque quibus ipse oblationes fidelium res ecclesiæ & prædia divinis usibus tradita vel vendidit vel dedit, pariter cum illo a gremio sanctæ ecclesiæ apostolica auctoritate pellimus, anathematizamus, damnamus, & sacrilegos judicamus, usque dum sua ecclesiæ restituant. Vos autem, frater carissime, gaudete, quia rex Israël filium suum vult super flumina Babylonis sedere & flere, & ad reditum in terram promissionis libero cordis affectu suspirare, non in ipsis fluminibus & studiis sæcularibus implicitum interire. Summa nostræ voluntatis est, ut teneat prudentia vestra quod ratio persuadet, scriptura divina testatur, sanctæ religionis ordo requirit, martyrum sanguis insinuat, mater nostra, sancta scilicet ecclesia, præcipit & commendat. Veritas ipsa ut ad veritatem nos converteret, mori voluit, nihilque animas nostras, nisi sola veritas a potestate diaboli liberabit. Salutant vos in Christo & qui vobiscum sunt fratres vestros in præsenti nobiscum congregati episcopi, clerici, abbates & monachi, ut memoriam nostri in vestris sanctis orationibus habeatis, ut pro pace nostra & sanctæ ecclesiæ eum qui natus pacem terris attulit, quique suo sanguine eam sibi desponsavit, rogetis suppliciter exoramus. Carissimus filius noster Gerbertus harum litterarum gerulus, quando, ubi, quomodo, cum quibus ad nos sine impedimento sathanæ venire possitis, secreto indicabit vobis. Bene valete.

CONSECRATIO ET DONATIO S. Nicolai Tarasconensis facta, Massiliensi S. Victoris monasterio, & ab Urbano II. confirmata.

GIBELINUS Arelatensis archiepiscopus, dum regeret episcopatum Avenionensem, (c) dedit ad construendam ecclesiam campum apud Tarasconensem castrum, ubi sepeliebantur pauperes peregrini, monasterio Massiliensi S. Victoris martyris in manu Gaufridi de S. Cannato monachi, cum consilio Contaroni præpositi, id est Porci & Rainoardi canonicorum & Pontii Fulconis presbyteri, & Petri Isnardi militis. Postea papa URBANUS transiens per dictum campum, rogante STEPHANIA comitissa, & donante pro anima filii sui BERTRANNI comitis cum principibus suis, dedit prædictus papa & confirmavit locum S. Victori, præcipiens ibi auctoritate S. Petri ecclesiam fieri in honore S. Nicolai, & manu sua propria benedicens locum, & absolvens benefactores & adjutores, corroborans omnia aqua consecrata, signum dominicæ crucis, præsente populo & abbate RICHARDO, solemniter in eodem loco affigens erexit.

Anno 1096. Ex archivis S. Victoris eruit D. Furnerius. (c)

URBANUS episcopus servus servorum Dei, universis per Gotiam & Provinciam fidelibus, salutem & apostolicam benedictionem. Dilectionem vestram nosce volumus, STEPHANIAM comitissam cum nobilibus suæ terræ, pro animarum suarum remedio, prædiolum quemdam Massiliensi monasterio B. Victoris martyris apud Tarasconem per manum nostram concessisse, ad construendam ecclesiam B. Nicolai confessoris. Vos igitur *....... filii litteris præsentibus admonemus, ut ad ejusdem * construendam, & fratrum illic Deo servientium sustentationem, opem vestram & auxilium impendatis. Quicumque vero locum illum eleemosynis suis de suarum rerum jure amplificare, quicumque monachos ibi Deo servientes ope sua & consilio adjuvare curaverit, atque cimeterium quod juxta prædictam ecclesiam constitutum est, liberum illibatumque servaverit, suorum indulgentiam peccatorum a Domino consequatur, ipsiusque Dei gratia & apostolorum Petri & Pauli benedictione donetur.

* f. dilecti. * f. constructionem.

Ecclesiastica traditio & venerabilium le-

(a) Sive Luponi abbati Trudonensi, qui ab Henrico Leodiensi pulsus sua dignitate fuerat. Vide Chron. Trud. Spicileg. tom. 7.

(b) Hinc de eo antiquus auctor Historiæ S. Laurentii a nobis edendus: *Pecuniam*, inquit, *multam a mercatoribus hujus patria mutuo accepit, quam de ecclesia ista persolveret; Unde ipse rex trecentas marcas habuit. Obertus autem non parvam inde partem accepit.*

(c) Avenionensem episcopatum rexit Gibelinus ab anno circiter 1094. ad usque 1097. quo Arbertum successorem ipsius constat iniisse episcopatum. Vide tom. 1. Gall. Christ. novæ edit. in append. pag. 141. col. 2. c.

gum sanxit auctoritas, ut quod ad religio- A nis augmentum in sua ecclesia salubriter disponitur, per scripturæ monumentum ad futurorum memoriam sagaciter transmittatur. Quapropter cunctis fidelibus & præsentibus & futuris notum fieri volumus, quod venerabilis papa URBANUS II. anno incarnationis dominicæ millesimo XCVI. sui autem pontificatus VIII. indict. III. tertio idus Septembris per castrum Tarasconem transitum habuit, ibique prædiolum ad portas castri ejusdem, quod STEPHANIA comitissa cognomento DULCIS, pro anima filii sui B BERTRANNI comitis, & proceres atque incolæ jam dicti castri pro salute quisque animæ suæ, B. Victori martyri Massiliensis monasterii, necnon venerabili RICHARDO abbati & successoribus ejus, ad construendam ecclesiam & cimiterium in perpetuum jus possidendum contulerat, suæ auctoritatis largitione confirmavit, ibique ecclesiam, monasterium atque cimeterium in honore beati Nicolai fieri præcepit, & quibuscumque monasterio illi, sive de sua substantia, sive de suo honore nunc & in futurum benefacientibus suarum orationum partem suscipiens, indulgentiam peccatorum, & gratiam beati Petri, & suam donavit. Altera C vero die per locum illum transiens, precibus comitissæ & militum castri, terram in opus fabricandæ ecclesiæ & cimeterium manu propria benedixit. Locus iste a memoratis personis concessus & ab apostolico confirmatus, ante portas Tarasconenses ab oriente est situs, prope littus Rodani juxta ulmum, ubi quicumque benefecerint, & ad fabricandam ecclesiam locumque construendum adjuverint, sciant se procul dubio beneficia recepturos, atque per beati Nicolai preces & merita Dei gratiam & peccatorum suorum indulgentiam adepturos. Hæc largitio D & auctoritatis confirmatio facta est apud Tarasconem, prælibato venerabili RICHARDO abbati Massiliensi & monachis suis, successoribusque eorum in perpetuum, præsentibus episcopis,

DAIMBERTO Pisano,
JOHANNE Portuensi,
BRUNONE Signensi cardinalibus,
TUITIONE & ALBERTO. In præsentia WILLELMI abbatis Montis-Majoris & quorumdam suorum monachorum, prædictæ comitissæ, Laugerii de Bulbone.

NOTITIA DEFINITIONIS quæ facta est inter Richardum abbatem Massiliensem & ejus monachos, & Psalmodiensis cœnobii abbatem, videlicet Fulchonem ejusque monasterii monachos.

ANNO dominicæ Incarnationis MXCVI. Psalmodienses (a) monachi venerunt ante domni Urbani papæ præsentiam, & fecerunt ei querimoniam super Massiliensi abbate suisque monachis, eo quod contra apostolicam auctoritatem Psalmodiense monasterium sibi subdidissent. Quod audiens venerabilis papa, Massiliensem abbatem, RICHARDUM scilicet, qui tunc in his partibus legatus ejus fuerat, advocavit, præcipiens ei, ut hanc proclamationem BERTRANNI Narbonensis metropolitani & GIBELINI Arelatensium archiepiscopi, atque episcopi RAYMUNDI Nemausensis & GOTOFREDI Magalonensis judicio, qui tunc in præsentia ejus erant, ibi audirent & diffinirent. Quæ res non minimum Massilienses monachos, & etiam ipsum Richardum ad tantam iracundiam provocavit, ut non solum violenter Psalmodium retinerent, verum etiam monachos qui prædictam querelam domno papæ fecerant, de suo monasterio expellerent. Unde accidit quod Psalmodienses nimia coacti necessitate, Romam reclamantes, Massilienses de medio sui ejecerunt a minimo usque ad maximum, jurantes super quatuor evangelia cum Massiliensibus nullam participationem in prædicto monasterio habituros se amplius fore. Quo facto, prædictus RICHARDUS prænominatos archiepiscopos & episcopos adiit, eorumque justitiam ex parte domini papæ sibi fieri postulavit, qui consilio accepto convenientes in unum, prius Psalmodium Massiliensibus reddiderunt, Psalmodiensibus propter jusjurandum de monasterio egressis omnibus. Deinde diem & locum statuerunt, quo tantus clamor audiretur & diffiniretur.

Anno 1096. Ex archivis S. Victoris eruit D. Furnerius. [a]

Ad statutum denique diem Massilienses & Psalmodienses venerunt cum prædictis judicibus, in quorum judicio dominus papa definitionem prædictæ querimoniæ posuerat. Omnibus itaque ex utraque parte circumstantibus, GIBELINUS Arelatensis archie- E piscopus ita locutus est: Prima pars placita laudat ut Psalmodienses dicant unde de Massiliensibus conqueruntur. Ad hoc surrexerunt Stephanus Calcatellus, cui a ceteris commissum fuit, ut responderet pro se & pro aliis, & ait: Fratres Psalmodienses conque-

(a) Psalmodium insigne fuit ordinis sancti Benedicti in Septimania monasterium, haud procul ab Aquis-mortuis in insula Psalmodia situm, a Sarracenis destructum & Caroli-Magni tempore restauratum, ac tandem ad sæculares canonicos translatum, nunc Alesiensi episcopatui unitum est.

runtur Deo, & S. Petro & vobis archiepiscopis & episcopis, qui, jubente domino papa, nostram querelam diffinire debetis, de Massiliensibus, qui Psalmodiense monasterium per violentiam, per manum laicam, per sanguinis effusionem, per monachorum expulsionem, ad ultimum per pecuniæ concessionem sibi attraxerunt, & nobis abstulerunt, quamvis Psalmodium secundum privilegia apostolica, scilicet JOHANNIS & STEPHANI, per præcepta regalia, id est KAROLI, LUDOVICI, aliorumque regum quorum auctoritates hic nos habemus, liberum semper fuerit, & nemini debeat subjici nisi Romanæ ecclesiæ. Ad hæc conqueruntur fratres nostri Psalmodienses super Massiliensibus, quoniam postquam prædictam querimoniam domino papæ deposuerunt, &, eo jubente, res deberet perduci ad finem, dominus iste Richardus qui præsens est, monachos Psalmodienses, qui prædictam querimoniam fecerant, de monasterio expulit, atque in exteras nationes abire & mori fecit. Hæc est querimonia unde fratres nostri Psalmodienses conqueruntur super Massiliensibus, præter alia mala quæ Psalmodio intulerunt.

Ad hæc RICHARDUS abbas Massil. sedisque apostolicæ legatus cum suis Massiliensibus ita respondit: Nulli dubium est, fratres mei, Psalmodienses monachos sæculariter & extra regulam vixisse usque ad tempora prædecessoris nostri BERNARDI Massiliensis abbatis, qui volens eorum vitia corrigere, RAYMUNDO comite deprecante, suorumque procerum consilio, adeptus est jam dictum monasterium, & de irregulari fecit eum regulare, & ita tenuit usque ad diem obitus sui. Ex tunc ego qui in locum ejus successi, tenui eum usque in hodiernum diem sub regularibus disciplinis, monachis ejusdem loci accipientibus abbates & priores de nostro monasterio per bonas successiones: hanc contra eorum querimoniam responsionem facimus.

Cumque Massilienses & Psalmodienses hæc & alia multa inter se consererent, primati * judices dixerunt, ut si quid aliud auctoritatis Massilienses adversus Psalmodienses habebant, ostenderent; atque jusserunt sibi reddi privilegia & præcepta regalia, quibus dicebatur nulli alteri ecclesiæ Psalmodium debere submitti, nisi Romanæ: sicque consideratis utriusque partis rationibus & congruentiis, & Psalmodii auctoritatibus perspectis, BERTRANDUS & GIBELINUS archipiscopi, & GOTOFREDUS atque RAYMUNDUS episcopi, præfato Richardo in medio eorum existente, quia legatus erat, judicaverunt præfatam querimoniam, ita ut sequitur.

*f. prænominati.

NOTA.

Licet, domine Richarde, vices domini papæ in nostris partibus vos habeatis, tamen ex auctoritate ejus & vestro assensu nobis datum est, ut perpetuam pacem ponamus totam controversiam Psalmodiensium & Massiliensium. Judicium tale est. Secundum privilegia apostolicorum Johannis & Stephani, præcepta regalia Caroli, Ludovici aliorumque regum solius Romanæ ecclesiæ jus antiquissimum est Psalmodium, & nemini debet subjici, nisi soli domino papæ, ac pro causa ista Psalmodienses, ut causa eorum velocius definiretur, firmiter jurasse numquam amplius se habituros esse societatem in prædicto Psalmodio cum Massiliensibus, & ideo omnes de suo monasterio, postquam Massiliensibus per investituram restitutum est, egressi sunt justitiam quærentes. Vobis igitur, domne Richarde, non expedit jura beati Petri apostoli minorari, qui ejus vicarius estis, nec etiam defendere vel retinere quæ male commissa seu adquisita sunt ab antecessoribus vestris: sed potius convenit canonice corrigere & emendare. Et quia non sufficiunt Massiliensibus auctoritates, quibus Psalmodium per justitiam possint habere, decernimus ut Psalmodiensibus suum monasterium libere & absolute reddatur, nullamque dominationem Massilienses ibi habeant amplius. Præcipimus etiam, si vobis placet, ut hoc judicium scribatur, & domino papæ præsentetur, & si ipse laudaverit, teneatur, & in Psalmodio reservetur, ne deinceps inde aliqua inquietudo inter eos assurgat.

Ad hoc RICHARDUS habito consilio cum Massiliensibus, inquit: Judicium vestrum laudamus & suscipimus, atque Psalmodium cum omnibus sibi pertinentibus Deo & S. Petro & domino papæ ejusdemque monachis cum charta & sine charta in perpetuum solvimus.

Factum est publice apud Caislarum castrum, in loco qui dicitur Toirozella, regnante PHILIPPO rege Francorum, anno ab incarnatione Domini MXCVI. XVI. cal. Octobris die SS Lucii & Geminiani, *indict. IX. concurrente IV. epacta XV. clave XI. in præsentia supradictorum judicum & EBRARDI abbatis S. Tiberii, FULCONIS ejusdem monasterii Psalmodii abbatis, Stephani Calcatelli, Raymundi Stephani, Guillelmi, Archimberti, Guillelmi Bonafus, Guillelmi de Albanis, Raymundi, Iterii, Guillelmi, Bernardi, Stephani, Bernardi, Pontii de Noceto, Petri Bernardi monachorum.... Juliani, Gondrici, Gonterii presbyterorum, Laicorum Raimundi de Cani, Raynerii fratris ejus, Pontii Gaucelini, Gaucelini fratris ejus, Pontii, Bremundi de Somedrio, Bremundi fratris ejus, Pontii, Petri de S. Justo, Remundi de S. Juliano, Bremundi de Lestrencheriis, Bertrandi fratris ejus, Remundi Galterii, Remundi Eldrici, Raynonis Guillelmi Iterii.

* lege indict. IV.

Ego

Ego RICHARDUS Massiliensis abbas octava die supradictæ definitionis, VIII. cal. Octobris apud Montempessulanum laudo hanc definitionem cum hac charta monachis Psalmodiensibus & in perpetuum subst. Ego Pontius Stephani firmo. Ego Bernardus Petito firmo. Ego Guillelmus firmo. Ego Arnaldus firmo. Ego Pontius firmo. Ego Ebrardus firmo. Isti omnes monachi Massilienses fecerunt laudamentum hoc jussu prænominati Richardi in præsentia BERTRANNI archiepiscopi, GOTOFREDI Magalonensis episcopi, Augerii archidiaconi, Gaucelini de Lunello, Raymundi, Raynonis & multorum aliorum, Gotofredo episcopo dictante Pontius scripsit. (a)

CARTA WILLELMI Braitellensis.

De donatione ecclesiæ de Domniolo facta monasterio Cenomanensi S. Vincentii.

Anno 1096 *Ex cartario S. Vincentii Cenomanensis.*

EGo WILHELMUS Braitellensis filius GAUFRIDI vicecomitis do Deo & SS. martyribus Vincentio atque Laurentio, monachisque in eorum loco Cenomannis Deo servientibus, in quorum claustro pater meus humatus jacet, quamdam mei juris ecclesiam de villa quæ vocatur * Domniolum, cum omnibus omnino rebus quæ ad ipsam pertinent, altario videlicet, sepultura, & omnibus in cimiterio habitantibus, excepta unius militis domo, qui Herbertus filius Landrici vocatur, quam etiam si de monachis tenere voluerit, annuo, cum omnibus; nec non etiam decimis & presbyterio, nihil de omnibus quæ ad jam dictam ecclesiam pertinent in manu sua retentans. Annuo etiam ut si quis de meis militibus, qui de casamento ejusdem ecclesiæ tenent, dare aut vendere aliquid voluerit, secure monachi accipiant, ita tamen ut inde servitium meum non perdam. Hoc autem feci per manum HOELLI pontificis, in cujus manu, simulque in manu RANNULFI abbatis donum hujus ecclesiæ, ut prælibatum est, per baculum ipsius præsulis deauratum posui in cubiculo superiori. Quam donationem annuerunt fratres mei (b) HUGO atque GAUFRIDUS, sicut viderunt & audierunt testes subscripti, Hildebertus (c) archidiaconus, Haimericus de Fraterniaco, Fulcredus cantor & multi alii clerici, Jaquelinus de Campaniaco, Wido frater ejus, Hilgotus de Carcere, Hugo Lancelinus, Richardus filius Harengoti, Berardus de Silliaco. Isti fuerunt in capitulo S. Vincentii ubi firmata fuit conventio ista, Wilhelmus de Braitello, Hugo & Gaufridus fratres ejus, Odo Bastardus, Ernulfus de Campaniaco, Hunaldus de Campaniaco, Reginaldus *Tirel*, Nicolaus, Wido, Paganus, Robertus Bastardus, Elisabeth de Sartiaco, Ebrardus, Rogerius, Albericus, Artusus, Johannes, famuli S. Vincentii, Mansellus de Campaniaco. Factum est hoc anno dominicæ Incarnationis MXCVI. eo videlicet anno quo papa Urbanus occidentales partes præsentia sua illustravit.

* Dangeul.

Hoc idem annuit Radulfus Rotroci filius, & Godehilda uxor ejus, & Giroius ejus filius atque Gaufridus & Wilhelmus, atque Helvisa & Margarita filii & filiæ eorum annuerunt hoc, videntibus istis Roberto *de Rucurt*, atque Roberto nepote ejus, & Hamelino Ganbasario, & Hugone Tonello, & Wilhelmo de Banuleis. Signum Wilhelmi. † Signum Hugonis. † Signum Gaufridi. †

NOTITIA.

De calumnia ecclesiæ S. Vincentii de Laboratorio.

Anno 1096 *Ex cartario S. Vincentii Cen.*

ANNO dominicæ Incarnationis MXCVI. eo videlicet anno quo Urbanus papa fuit Cenomannis, calumniati sunt canonici sancti Zilinii monachis S. Vincentii ecclesiam de * Laboratorio, & inde ad placitum venerunt contra abbatem RAMNULFUM & monachos in curia episcopi HOELLI. Et quia monachi ostenderunt se quiete & absque calumnia tenuisse per XL. annos & amplius, judicatum est quod non deberent respondere. Isti vero fuerunt judices, Gaufridus decanus, Hildebertus & Gaufridus, Mulotus archidiaconus, & omnes canonici S. Juliani. Auditores autem fuerunt iisdem episcopus HOELLUS, EBRARDUS abbas S. Karilefi, GIRALDUS abbas S. Albini. GIRARDUS abbas S. Mauri, Wilhelmus Ribola, Gaufridus de Vesoz, Herbertus de Manlia, Berardus de Solliaco.

* Du Louroux.

(a) Hæc definitio missa fuit ad dominum Urbanum papam II. qui eam confirmavit bulla sua, data Romæ, apud S. Petrum, per manum Johannis diaconi cardinalis, cal. Maii, indictione XII. * anno MXCIX. pontificatus sui anno XII. quam habemus, inquit Furnerius.

* l. VII.

(b) Et tamen donationem illam Hugo Coctus frater Vilhelmi prædicti calumniatus est, decimasque vini abstulit, sed tandem post longam concertationem venit ad concordiam cum abbate Rannulfo, qui dedit ipsi unum equum valentem decem libras, uxori ejus Beatrici unam culcitram, & filiis ejus Herberto & Vuilhelmo, atque Basiliæ filiæ singulis IIII. denarios. Actum apud Baladonem in domo ipsius Hugonis: uti legitur in cartulario S. Vincentii.

(c) Hic est celeberrimus ille Hildebertus ab Hoello Cenomanensi episcopo scholarum magister & archidiaconus factus, & post decessum ipsius propter scientiæ & honestatis merita, communi cleri & populi assensu, in ejus loco substitutus. De quo plura vide, si lubet, in Actis episcop. Cenom. cap. 35. tom. 3. Analect.

DIPLOMA ROBERTI DE Juliaco.

De donatione ecclesiæ S. Paduini & cimiterii ecclesiæ de Acciaco facta Cenomanensi S. Vincentii monasterio.

Anno 1097. *Ex cartario S. Vincentii Cenomanensis.*

QUISQUIS sanctorum consors & perpetuæ retributionis particeps fore desiderat, oportet ut de rebus caducis & transitoriis cœlestia semperque manentia adquirere studeat. Quapropter ego ROBERTUS filius Witerni de Juliaco, peccaminum meorum mole perterritus, hortatuque jam dicti patris mei, qui jam erat monachus S. Vincentii, nec non ammonitione matris meæ AMELINÆ, pro animabus avi mei WAUTERI BORNI & aviæ meæ LISOIÆ, atque filii eorum GERVASII, nec non pro anima uxoris meæ VIGOLENT, pro anima quoque fratris mei HUBERTI qui jam monachus in prædicto loco obierat, ut particeps sim beneficii ipsius loci cum matre mea jam dicta Amelina & fratre meo HUGONE, do de rebus quas jure hereditario de patrimonio jam dicti avi mei Wauterii videor habere, Deo & sanctis martyribus Vincentio & Laurentio, & monachis sibi servientibus, quasdam res, presbyterium videlicet ecclesiæ de * Aciaco cum cimiterio & ecclesia S. Paduini. Jam enim olim dederam prædicto loco medietatem ipsius ecclesiæ, quam monachi S. Petri Culturæ in vadimonium habebant, pro decem libris quas habere debuerunt pro sepultura avunculi mei Gervasii Borni, quas jussu meo reddiderunt eis monachi S. Vincentii, & sibi iam dictam ecclesiam retinuerunt. Do etiam Deo & prædicto loco unam mansuram terræ in eadem villa, quæ sufficere possit ad quatuor boves cum pratis; necnon omnes decimas vini quas habeo apud Fraterniacum, & decimas omnes quas habeo in foreste mea de *Pal*. Similiter do Deo & sanctis martyribus Vincentio & Laurentio, & abbati RAMNULFO & fratribus, accipiens ab eis loco caritatis alias decem libras. Dederam siquidem eis quidquid in ecclesia S. Leonardi, & in cimiterio proprium habebam, & decimam molendini. Annuo etiam prædicto loco quicquid omnes mei homines de casamento meo dare vel vendere voluerint, ita tamen ut servitium meum non perdam. Do etiam pasnagium propriorum porcorum, quos habebunt monachi de S. Leonardo & de Aciaco in foreste mea quæ *Pal* vocatur. Annuo etiam & confirmo illam donationem & venditionem quam fecit Robertus vicarius & fratres ejus Potinus atque Herbertus, sancto Vincentio & abbati RAMNULFO de ecclesia * Montis-Betonis & de omnibus decimis & panis & vini quas habebant in parochia sanctæ Mariæ Aciaci, & de areis cimiterii ejusdem ecclesiæ. Ut autem hæc omnia quæ supra memorata sunt S. Vincentius & sibi servientes per omnia succedentia tempora firmiter & absque omnium heredum meorum vel quorumcumque hominum possideant calumnia, hanc cartam manu propria signo sanctæ crucis corroboro, fidelibusque meis eodem signo affirmare præcipio. Actum est hoc apud Fraterniacum, anno dominicæ incarnationis MXCVII. undecimo cal. Mart. existentibus epactis XV. concurrentibus tribus, præsente RAMNULFO abbate S. Vincentii, & Jona & Witerio patre prædicti Roberti monachis. Signum Roberti de Juliaco. † Signum Adeliz uxoris Roberti. † Signum Wauterii Borni. † Signum Wilhelmi. S. Hugonis. S. Drogonis de Lupi-saltu. Signum Herberti filii Drogonis. † Signum Pagani *Chanart*. Signum Gilonis filii Wauterii. S. Gausberti de molendinis. S. Theobaudi de molendinis. S. Harduini Bucchatii. S. Herberti vicarii. S. Warini Ruselli. S. Ingelbaudi de Luvrinio. S. Ewrardi Jerosolymitæ. S. Roberti de S. Dionysio. †

* Acey le Boesne.

* Le Beton.

Hæc omnia suprascripta iterum annuit prædictus Robertus post mortem presbyterorum Roberti & Potini, & signo crucis confirmavit, cum uxore sua ADELIZ & filiis, & aliis suprascriptis, & habuit inde XL. solidos, & uxor ejus VIII. solidos denariorum.

Ego quoque HUGO frater prædicti Roberti annuo illa omnia ecclesiæ de Piace, quæ eidem loco commutaverat Wilhelmus Ribula & soror mea Hildegardis pro tertia parte ecclesiæ de Juliaco, quam S. Vincentio dederat jam pater meus Witernus pro monachatu suo. Do etiam ipsi loco & fratribus ibidem Deo famulantibus pro anima fratris mei Huberti tertiam partem de Juliaco, quam mihi retinueram. Et post mortem Herberti medici, aut si forte in vita sua quocumque modo dare Deo & S. Vincentio voluerit, concedo quicquid ipse habet in ecclesia de Juliaco cum vinea quæ fuit Wilhelmi presbyteri, & terram ad duos boves, & unum piscatorem in Sarta. Annuo etiam quicquid eidem loco dedit frater meus Robertus. Addo etiam totam decimam panis & vini quam habeo apud Doce & in Monte Custodiæ, quam accepi cum uxore mea Juliana. Hoc autem ut firmum perpetuo permaneret, dedit mihi jam dictus abbas & monachi XL. solidos & unum palefridum liernum. Hoc autem factum est eodem anno in die ramis palmarum in capitulo S. Vincentii, præsente abbate Rannulfo & conventu. Ut autem hæc conventio stabilis permaneat, manu propria stigmate sanctæ Crucis eam confirmare studui, amicis

etiam & fidelibus meis qui mecum ibi erant, A eodem signo corroborare præcepi. Signum Hugonis de Juliaco. † Signum Addæ de Mota. S. Hugonis de Asineriis. S. Fatonis. S. Herberti Siccebutis. S. Wilhelmi de Insula.

Hæc omnia supradicta concessit nobis Hugo junior filius prædicti Hugonis, ipso anno quo Jerosolymam perrexit. Et habuit pro hac re xx. solidos Cenomannensium denariorum: Hoc viderunt & audierunt testes isti Silvester famulus, Rogerius dapifer, Ernulfus coquus, Theolinus sartor, Gunduinus famulus abbatis.

Denique post mortem patris sui Hugonis de Juliaco, concessit nobis Odo filius ejus junior omnia prænominata, videntibus istis, Roberto de Juliaco, Wilhelmo Ribula, Amico juniore, Radulfo de Piace, Ernaldo de Molendinis, Hugone de Piace, Haimerico Testardo.

NOTITIA.

De annuitione rerum quas dederat Robertus vicecomes.

Ex cartul. S. Vincentii Cenom.

POST mortem vero bonæ memoriæ HUBERTI vicecomitis, venit filius ipsius RADULFUS scilicet ad monasterium S. Vincentii anno Incarnat. Domini MXCV. indict. III. existentibus epactis XII. & concurrentibus VII. eo anno quo acceperat sororem Widonis de Valle in conjugium, & in die beatorum martyrum Donatiani & Rogatiani, locutus est in claustro post capitulum cum abbate RAMNULFO & fratribus, & accepit societatem loci hortatu Hugonis de Julliaco & Willelmi de Doscela, per textum auro & lapidibus paratum de manu jam dicti abbatis, & per eumdem textum annuit & super altare posuit quidquid pater suus annuerat. De sua quoque parte addidit, deprecantibus eisdem militibus, quidquid domnus Witernus pro suo monachatu eidem loco contulerat, & quidquid heredes sui dederant vel daturi erant. Jam enim dederant ecclesiam de Juliaco, ecclesiam de Piace, ecclesiam de S. Leonardo, ecclesiam quoque de Aceio cum una mansura terræ. Wilhelmus quoque de Doscela dederat ecclesiam de Ham, pro uxore sua. Hæc omnia & quæcumque & isti & omnes sui dabunt eatenus, libenti animo annuit, ita videlicet ut servitium suum non perdat, & insuper auxilium suum & defensionem promisit.

NOTITIA DE DONATIONE

ecclesiæ de Pilimilio facta Cenomanensi S. Vincentii cœnobio.

Anno 1097. Ex cartario S. Vincentii Cenomanensis.

POSTERITATIS memoriæ nobis monachis sancti Vincentii placuit tradere, quod Hugo de Malicornia domnum RADULPHUM Turonensem archiepiscopum & nostrum episcopum domnum ILDEBERTUM, (a) in eodem die qua idem Hildebertus a prædicto archipræsule in sede sua positus est, qui scilicet natalis Domini erat, B humili supplicatione deprecatus est, ut prædicationis suæ exhortatione discordiam, quæ diu inter eumdem Hugonem & Sangalum de Tilo fuerat propter fratrem hujus Sangali, quem ipse Hugo interfecerat, ambo prælati jam nominati sedare tentarent. Quod sedare videlicet discordiam ut levius fieret, præfatus Hugo ecclesiam de * Pilimilio se daturum, & mille missas se facturum cantare pro anima Radulfi fratris ipsius Sangali quem interfecerat, promisit. Quod ita totum post modum misericordia Dei factum est. Nam & Singalus amicus C ejusdem Hugonis postea extitit, & ipse Hugo ecclesiam Pilimilensem pro anima prædicti defuncti nobis donavit, promissasque missas cantare fecit. Deinde non magno tempore transacto, uxor sæpe memorati Hugonis, nomine Juliana, a sæculo migravit: Ad quam procurandam domnus RAMNULFUS abbas noster cum quibusdam monachis suis perrexit, eique christianæ religionis obsequium benigne exhibuit, ibique antedictus Hugo non solum prædictam ecclesiam, sed etiam presbyterium, cimiterium, & decimam ejusdem ecclesiæ, & quicquid ad eamdem pertinet, & quamdam mansuram terræ in D eadem parrochia pro beneficio supramemoratæ Julianæ, Agne matre sua volente & concedente, nobis habenda perpetualiter concessit. Super hæc medietatem terræ *Musarth*, & unum bordagium ex altera parte Sarthæ, omnesque costumas de burgo sancti Germani, & totam decimam parochiæ Noviomensis, omnemque redecimam totius propriæ annonæ ubicumque lucrata sit, necnon decimam omnium redditum suorum nobis adhibuit. Nos autem pro anima ipsius Julianæ, in primo obitus sui anno, E quinque trigintalia fecimus, & unusquisque nostrorum sacerdotum septem missas, sicut pro uno ex nostris monachis facimus, cantavit, nomenque suum in libro nostro ad hoc ut anniversarium ejus faciamus, scriptum habemus. Hæc omnia vidit & concessit

[a] ** Pilmil.*

(a) Hoellus Ildeberti decessor obiit IV. calendas Augusti anno 1097. duodecimo sui episcopatus anno, ex libro de Gestis pontificum Cenomanensium, cui communi omnium voto subrogatus est Hildebertus de Lavarsino eodem anno in natale Domini.

Gaudinus frater sæpememorati Hugonis, Albericus etiam, Goslinus filius Hugonis, & Lambertus de Manlia hujus rei testes exstiterunt.

DIPLOMA HUGONIS de Vallibus.

De dono ejusdem ecclesiæ de Pilimilio.

Circa 1097 *Ex cartario S. Vincentii Cenomanensis.*

QUONIAM saluti fidelium prodesse constat quicquid de rebus jure a se possessis cunctorum possessori Deo largiuntur; Ego WIDO de Vallibus cum favore & licentia domni HILDEBERTI episcopi & canonicorum ejus, dono Deo sanctisque martyribus Vincentio atque Laurentio, necnon monachis eisdem famulantibus ecclesiam de Pilimilio, & ejusdem ecclesiæ presbyterium, cum toto cimiterio, & cum universis decimis ecclesiæ pertinentibus. Hæc omnia pro remedio animæ meæ parentumque meorum ita quiete & integre eis perpetualiter habenda concessi, sicut ea possederam hactenus, accepto in eorum capitulo beneficio & societate ipsorum. Prætera vendidi eis quamdam mansuram terræ juxta Pilimilium sitam, & duos agripennos terræ ante ipsum castellum existentes, & intra castelli ambitum partem ejusdem castelli ad burgum faciendum, & omnes consuetudines ejusdem burgi, bannum scilicet & teloneum, & quicquid in eo habebam, ita ut libere & quiete ipsum burgum possideant, sicut ego hactenus possederam. Decimam quoque de furno meo in Pilimilio & pasnagium porcorum eorum & hominum ipsorum, omnesque boscos meos tam ad calefaciendum quam ad domos construendas, insuper etiam quidquid in fevo meo adquisierunt vel adquisituri sunt, dono aut emtione, ita tamen ut servitium hominum meorum non perdam, ipsis perpetualiter concessi. Pro his omnibus dederunt mihi jam dicti monachi decem libras Cenomanensium nummorum & quemdam optimum palefridum. Promiserunt denique mihi quod intra Pilimilium castellum meum, capellam ad præsens facerent; quando autem eis facultas adesset, lapideam construerent, ita tamen ut nulla vi aut a me aut ab heredibus meis ultra posse suum ad hoc agendum cogantur. Supra scripta omnia dederunt mecum & concesserunt memoratis monachis HUGO primogenitus filius meus, ODO & HERBERTUS filii mei, DIONYSIA & SUBTIVA filiæ meæ, AGNES uxor Hugonis filii mei, GAUFRIDUS & LISIARDUS filii ejus. De his omnibus mecum posuerunt donum super altare sancti Vincentii Hugo & Herbertus filii mei, videntibus his testibus, Roberto cantore sancti Petri, Fulcherio archidiacono, Radulpho canonico, Rogerio, Bernardo, Mainerio, Tolomeo de Taceio, Grossino, Arnulfo coquo, Pagano, Gunduino, Rogerio famulis monachorum, Pagano de Luciaco.

DIPLOMA ROBERTI principis Normanniæ pro monasterio S. Vincentii Cenomanensis.

Remittit ei consuetudines quas habebat in castello de Fraterniaco.

QUicumque facultatum suarum Deo sanctisque ecclesiis pro animæ suæ remedio partem aliquam largiri studuerit, noverit proculdubio æternæ hereditatis esse participem futurum, atque illius promissionis quam oculus non vidit, nec auris audivit, sed quam Deus diligentibus se præparavit, centenum immo ineffabile præmium perenniter percepturum. Ait enim sermo divinus: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Ut ergo in illis tabernaculis non hominum quidem manibus factis, verum pia devotione & bonorum operum exhibitione magistra caritate ædificatis, ego ROBERTUS Normanniæ princeps & Cenomannorum comes merear feliciter ascribi, Deo, sanctisque martyribus Vincentio atque Laurentio & abbati RANNULFO, necnon monachis inibi Deo regulariter famulaturis, tam præsentibus videlicet quam & futuris, per ammonitionem & consilium procerum meorum, dono & in perpetuum concedo decimam mearum consuetudinum vel exituum quæ me in castello * Fraterniaci contingunt, quatinus scilicet omnipotens remunerator per intercessionem præfatorum martyrum animæ meæ & animæ patris mei WILLELMI Anglorum regis, necnon animabus prædecessorum meorum comitum videlicet Normannorum sive Cenomannorum...

Circa 1097 *Ex cartario S. Vincentii.*

* *Fresne.*

EPISTOLA BOHEMUNDI, Raimundi comitis sancti Ægidii, Godefridi ducis, & Hugonis magni ad universos Christi fideles.

De pace inita cum imperatore Constantinopolitano, deque victoriis ab exercitu Christianorum reportatis in Turcas.

Anno 1098 *Ex ms. monasterii S. Theoderici.*

BOEMUNDUS filius Roberti, atque RAYMUNDUS comes S. Egidii, simulque GODEFRIDUS dux, atque HUGO Magnus, majoribus & minoribus totius orbis catholicæ fidei cultoribus vitam adipisci perpetuam.

Ut notum sit omnibus qualiter inter nos & imperatorem facta sit pax, & quomodo in terra Saracenorum nobis postquam illuc venimus evenit, dirigimus ad vos hunc nostrum legatum, qui omnia quæ apud nos fa-

cta sunt vobis per ordinem diligenter edisserat: Primum dicendum est quod imperator medio mense Maio dedit nobis fiducias atque securitatem cum juramento, dando etiam nobis obsides, scilicet nepotem atque generum suum, adjungensque in his quod nemini peregrinorum S. Sepulcri contumeliam amplius inferre conaretur. Postea misit proprium suum... per omnem terram suam, dirigens eum usque ad Duratium, jussit ut aliquem peregrinum tangere in malo nemo ausus esset. Quod si quis hoc infringeret, suspendii pœnam illico digne subiret. Quid plura? modo revertamur ad ea quibus maximo gaudio vestra repleri debent corda. In fine vero mensis Maii prælium cum Turcis fieri stabilivimus. Illos autem Deo gratias devicimus. Ex illis autem proculdubio in ipso prælio xxx. millia mortua sunt, ex nostris vero tria millia in pace defuncta sunt, qui sine dubitatione ulla vita gloriantur æterna. Ibi certe innumerabiliter copiam auri & argenti atque pretiosarum vestium, necnon & armorum omnes nos recuperavimus. Nichæam quoque ingentem civitatem virtute forti comprehendimus, & ultra eam castra & civitates, & per decem dietas adquisivimus. Postea apud Antiochiam bellum magnum fecimus quod multum viriliter devicimus, adeo quod ex eis sexaginta & novem millia occisa sunt, ex nostris vero decem millia in pace defuncta sunt. Quis tale gaudium vidit? Sive enim vivimus, sive morimur, Domini sumus. Ad hæc pro certo sciatis regem Persarum in festivitate omnium Sanctorum nobis prælium se peracturum mandasse, asserens quod si nos devicerit, nullatenus cum rege Babiloniæ & aliis pluribus regibus paganis super Christianos cessabit. Porro si perdiderit, se & omnes quos adjungere poterit, Christianos futuros spopondit. Unde vos valde precamur, ut inde jejunia, ac eleemosynas, missasque assidue cum devotione faciatis. Specialiter autem tertium diem ante festum qui est dies Veneris, in quo triumphante Christo prælium potenter commissuri sumus, devote cum eleemosynis & orationibus observetis.

[a] Ego Gratianopolitanus (a) episcopus has litteras mihi allatas Gratianopolim vobis sanctæ Turonensis ecclesiæ archiepiscopo & canonicis mitto, ut per vos omnibus qui ad festum convenerint innotescant, & per eos diversis partibus orbis ad quas redituri sunt, alii eorum justis petitionibus, orationibus & eleemosynis subveniant, alii vero cum armis accurrere festinent.

(a) Is erat S. Hugo, qui anno 1081. a Gregorio papa VII. consecratus, paucis post annis S. Brunonem ejusque socios excepit, atque eis Cartusiæ solitudinem ad novum vitæ genus instituendum ibidem commisit. Præerat vero tunc Turonensi ecclesiæ Radulphus II.

DIPLOMA AVESGAUDI Conedrarii domini pro Cenomanensi S. Vincentii monasterio.

Ecclesiam sancti Symphoriani de Conedrario & alia ei concedit.

Anno 1100. *Ex cartario S. Vincentii Cenomannensis.* * *Connarê.*

EGo AVESGAUDUS filius Fulcaudi quidquid in ecclesia sancti Symphoriani & beatæ Mariæ de *Conedrario habebam, medietatem scilicet primitiarum omnium ac decimarum, totumque cimiterium & presbyterium Deo & pretiosis martyribus Vincentio atque Laurentio, monachorum rectum quod in eisdem ecclesiis habebant recognoscens, solide & perpetualiter habendum donavi. In eodem autem cimiterio eisdem monachis licentiam faciendi burgum permisi, unde omnes redditus absque retinaculo libere habebunt, præter teloneum tantummodo, quod in vigilia festivitatis S. Symphoriani, & in die crastina in foro meo reddetur. Ipsius tamen telonei quod in præscriptis duobus diebus dabitur, quod parti meæ cedet, decimam monachi habebunt. Furnum quoque in ipso cimiterio si voluerint facere, faciant, de quo quidquid inde exierit habeant. Insuper etiam decimam cujusdam molendini mei & omnium illorum, quæ facturus sum vel heredes mei, nihilominus ipsis monachis tribui. Ad quod videlicet molendinum meum homines monachorum annonas suas ad molendum deferent, quousque monachi in fevo meo molendinum habeant. Præterea monachis præfatæ ecclesiæ pasnagium porcorum propriorum & porcorum presbyteri ipsorum ad condonandum vel ab ipso presbytero accipiendum in omnibus silvis meis annui, necnon forestem meam quæ Colna vocatur, ad omnia opera monachorum annui. Est etiam conventio inter me & abbatem & monachos, ut si aut ego, aut aliquis ex heredibus meis, qui honorem Conedrarii habeat, in monasterio sancti Vincentii monachus fieri voluerit, cum convenienti additamento recipiatur. Deinde quidquid monachi in toto fevo meo adquirere poterint dono vel emtione, nullum pretium ab eis accipiendo ipsis annui: ita tamen ut servitium meum non perdam. Hæc vero omnia ut supra scripta sunt, uxor mea Britta nomine, & Robertus de sancto Celerino gener meus, apud castrum meum Conedrarium libenter concesserunt. Filia vero mea Felicia ipsius Roberti uxor, apud sanctum Celerinum hæc eadem annuit. Proinde in ipsa die qua hanc pactionem feci, calendis scilicet Maii claves memoratarum ecclesiarum RAMNULFO abbati tradidi, & per baculum suum de ipsis ecclesiis eumdem revestivi, presbyterumque meum Oggerium nomine & omnes

successores suos sub jugo & potestate ipsius A & monachorum perenniter esse permisi. Postremo meipsum & generum meum, omnesque heredes meos futuros, & tres barones meos, Drogonem filium Nihardi, Gaufridum de Insula, & Gualterium Timonem, ipsi abbati & monachis suis dedi fidejussores hujus conventionis tenendæ, & contra omnes homines defendendæ. Pro quibus rebus supramemoratus abbas x. & VIII. libras denariorum loco caritatis & causa firmioris stabilitatis mihi impendit, & Brittæ uxori meæ xx. solidos. Ut ergo suprascripta conventio in perpetuum firma maneat, manu propria hanc cartam stigmate sanctæ crucis corroborando firmavi, mecumque uxor mea Britta, ac gener meus Robertus de S. Celerino, necnon & filia mea Felicia manibus propriis signantes confirmaverunt, & quidam meo jussu ex baronibus meis, imprecantes Dei clementiam, ut si quis hanc donationem quocumque modo vel machinamento calumniari, vel infringere voluerit, justi judicii Dei incurrat iram, & cum Juda traditore Domini & omnibus perditis damnationem æternam, nisi resipuerit, & digne perperam emendaverit, nostraque astipulatio inconvulsa perpetim permaneat. Actum apud castrum Conedrarium Kal. Maii anno MC. Dominicæ Incarnationis, regnante rege Francorum PHILIPPO, comitatum Cenomanicum tenente WILHELMO rege Anglorum, episcopatumque Cenomannicum regente HILDEBERTO episcopo, sicut viderunt & audierunt testes subscripti, Oggerius presbyter, Benedictus ejus filius, Bulchardus miles de Avertona, qui erat cum Roberto, & armigeri eorum, Hugo Normannus, & Robertus de Domigne, Hugo filius Avesgaudi, Wauterius de *Bruslon*, Hubertus de Insula, Framengerius de Cadurcis, Albertus, Floscellus, Fredericus & Nihardus, filii Fulcoii de sancto Michaële, Willelmus filius Widonis, Watterius & Gauslinus sutor cognatus ejus, Gaufridus *Musit*, Wilhelmus, Bischardus, Wido clericus, Odo & Gaufridus famuli, Petrus præpositus, Hugo-Herbaudus, Drogo de Mota, Sigifredus & Herbertus filii ejus & omnes habitatores illius villæ. RANNULFUS abbas; Wauterius Bigotus, Guarinus de Ferraria, Ambrosius, Gaufridus calvus, Gaufridus rufus, Gaufridus Mulotus, archidiaconus, Ungerius famulus, Rogerius pistor, Artur marescallus, Vitalis clericus, Acharias, Herveus-Blodus. Signum AVESGAUDI †. Signum * Birtæ †. S. FELICIÆ † S. Drogonis Malæ-muscæ †. S. Gaufridi de Insula, S. Huberti de Insula, S. Gauterii *Timun*, S. Gauterii de *Bruslun* †. Isti fuerunt apud S. Celerinum, ubi uxor jam dicti Roberti omnia quæ supra scripta sunt annuit in die inventionis sanctæ Crucis. Ipse Robertus, Burchardus dapifer ejus, Robertus de Julliaco, Paganus de Molendinis, Ernaldus frater ejus, Rainerius presbyter de Silgiaco. Robertus presbyter de Aciaco, Herbertus filius Johannis, Haimericus frater ejus, Crocus venator Roberti, Hugo Normannus armiger ejus, Raginaldus Boscharius, Andreas de *Folmution*, Gaufridus *Figgeprope*, Stephanus filius Alburgis.

* Brittæ.

EPISTOLA IMPERATORIS Constantinopolitani ad Robertum Flandriæ comitem.

B *Turcarum in Christianos opprobria & injurias exponit, petitque ab eo præsentissimum adversus eos auxilium.*

DOMINO & glorioso comiti Flandrensium ROBERTO & omnibus totius regni principibus, christianæ fidei amatoribus tam laicis quam clericis, imperator (a) Constantinopolitanus, salutem & pacem in eodem Domino nostro JESU CHRISTO, & Patre ejus, ac Spiritu-sancto.

Anno 1100. Ex ms. S. Jacobi Leodiensis. [a]

O inclytissime comes, & maxime Christianæ fidei consolator, notificare volo prudentiæ vestræ, quantum sanctissimum impe- C rium Christianorum Græcorum angustatur. Fortiter à Pincinnatis & Turcis quotidie & deprædatur, & adquiritur sine intermissione, & fiunt cædes diversæ, & inenarrabiles Christianorum interfectiones & derisiones. Sed quia sunt multa mala quæ agunt, &, ut diximus, inenarrabilia, de multis dicamus pauca, quæ tamen sunt auditu horribilia, & conturbant etiam ipsum aerem. Nam pueros & juvenes circumcidunt super baptisteria Christianorum, & circumcisionis sanguinem in despectu Christi fundunt in eisdem baptisteriis, & deinsuper eos min- D gere compellunt, & deinceps in circuitu ecclesiæ eos violenter deducunt, & nomen & fidem sanctæ Trinitatis blasphemare compellunt: illos vero nolentes ista facere diversis pœnis affligunt, & ad ultimum eos interficiunt. Nobiles vero matronas ac earum filias deprædatas invicem succedendo, ut animalia adulterando deludunt, alii vero corrumpendo turpiter virgines, statuunt ante facies earum matres, compellentes eas nefarias & luxuriosas decantare cantilenas, donec compleant ipsa sua nefaria. Sic enim E legimus actum & in Dei populo antiquitus, quibus impii Babilonii post diversa delubria deridendo dicebant: *Hymnum cantate nobis de canticis Sion.* Sic & in stupro filiarum matres compelluntur nunc cantare cantilenas nefarias, quarum voces non cantum, sed magis, ut credimus, plus resonant planctum, sicut scriptum est in morte Innocentium:

(a) Alexius ad quem anno 1100. Constantinopolim accessit, ut scribit Meirus in Annal. Fland. l. 4.

A *Vox in Rama audita est, ploratus & ululatus multus, Rachel plorans filios suos, & noluit consolari quia non sunt.* Sed licet matres Innocentum, quæ per Rachel figurantur, non valuerunt consolari in morte filiorum; valuerunt tamen consolari pro salute animarum, Istæ tamen nullatenus, quod pejus est, consolari valent, quia & in corporibus & in animabus pereunt. Sed quid ad hoc? veniamus ad deteriora. Totius ætatis & ordinis viros, id est pueros, adolescentes, juvenes, senes, nobiles, servos, & quod pejus & impudentius est, clericos & monachos, & heu proh dolor! quod ab initio B non dictum neque auditum est, episcopos sodomitico peccato deludunt, & etiam unum sub hoc nefario peccato jam crepuerunt. Loca vero sancta innumerabilibus modis contaminant, & destruunt, & pejora eis minantur. Et ad hæc quis non plangit? Quis non compatitur? Quis non horret? Quis non orat? Nam pene tota terra ab Jerusalem usque Græciam, & tota Græcia cum suis regionibus superioribus, quæ sunt Capadocia minor, alia major, Phrygia & Bithinia, & major Phrygia, id est Troja, C Pontum, Galathia, Lybia, Pamphilia, Isauria, Licia & insulæ principales Chio, & Militena, & multæ aliæ regiones & insulæ, quas non valemus modo enumerare, usque Tachias, ab eis jam invasa sunt, & fere jam nihil remansit nisi Constantinopolis, quam ipsi minantur citissime nobis auferre, nisi auxilium Dei & fidelium Christianorum Latinorum velociter subvenerit. Nam Perpontium qui & Amelus dicitur, & ex Ponto juxta eamdem Constantinopolim in mare magnum decurrit, cum ducentis navibus invaserunt, quas Græci ab eis prædati fabricaverunt, & remigiis velint nolint de- D ducunt, & minantur tam per terram quam per eamdem Perpontidem Constantinopolim, ut diximus, velociter capere. Hæc pauca de innumerabilibus malis quæ hæc impiissima gens agit, diximus & scripsimus tibi, comes Flandrensium Christianæ fidei amator, cetera vero ob fastidium legentium dimittimus. Igitur pro Dei amore, & pro omnium Græcorum pietate Christianorum rogamus, ut quoscumque fideles Christi bellatores, tam majores quam minores cum E mediocribus in terra tua acquirere poteris, ad auxilium mei & Græcorum Christianorum huc deducas, & sicut Galathiam & cetera Occidentalium regna anno præterito a jugo paganorum aliquantulum liberaverunt, ita & ob salutem animarum suarum regnum Græcorum liberare tentent. Quoniam ego, quamvis imperator, nullum tamen mihi remedium neque idoneum consilium scio invenire; sed semper a facie Turcorum & Pincinatorum fugio, & tamdiu in singula civitate maneo, donec adventum eorum prope sentio, & melius subjectus vestris Latinis cupio, quam paganorum delubris. Ergo antequam capiatur ab eis Constantinopolis certare totis viribus maxime debetis, ut gloriosam & ineffabilem mercedem in cælo gaudentes recipiatis. Nam melius est ut vos habeatis Constantinopolim, quam pagani, quia in ea habentur pretiosissimæ reliquiæ Domini, id est statua ad quam fuit ligatus, flagellum a quo fuit flagellatus, clamys coccinea qua fuit indutus, corona spinea qua fuit coronatus, arundo quam vice sceptri in manibus tulit, vestimenta quibus ante crucem fuit exspoliatus, pars maxima ligni crucis in qua crucifixus fuit, clavi quibus affixus fuit, linteamina post resurrectionem ejus inventa in sepulchro, duodecim cophini fragmentorum ex quinque panibus & duobus piscibus, caput cum capillis integrum, & barba Johannis-Baptistæ, reliquiæ vel corpora multorum Innocentium, quorumdam prophetarum & & apostolorum, martyrum & maxime sancti Stephani protomartyris, & confessorum ac virginum, quæ ob nimium incrementum singulariter scribere intermisimus. Quæ tamen omnia prædicta Christiani magis quam pagani habere debent, & munimen magnum erit omnibus Christianis, si hæc omnia habuerint, detrimentum vero & judicium si perdiderint. Quod si ob hoc certare noluerint, & aurum magis amaverint, in ea plus invenient quam in toto mundo. Nam soli thesauri ecclesiarum Constantinopolis in argento, auro, gemmis & lapidibus pretiosis, & pannis sericis, id est palliis, sufficere possunt omnibus ecclesiis. Quos tamen omnes thesauros inestimabilis thesaurus ecclesiæ sanctæ Sophiæ, id est Dei sapientiæ superat, & absque dubio thesauris templi Salomonis coæquari potest. Quid iterum de infinito nobilium thesauro dicam, cum thesaurum negociatorum rusticorum nemo æstimare possit? Quid invenitur in præteritorum imperatorum thesauris? Pro certo dico, non erit lingua quæ illum recitare valeat, quoniam non solum Constantinopolitanorum imperatorum ibi thesaurus habetur, sed omnium antiquorum imperatorum ibi est thesaurus translatus & in palatiis absconditus. Quid amplius dicam? Quod certe patet oculis hominum. Nihil est quantum ad illud absconditum. Currite ergo cum tota gente vestra & omnibus viribus vestris certate, ne talis thesaurus in manus Turcorum & Pincinatorum cadat, quia dum sunt infinita, adhuc LX. millia expectantur quotidie, & timeo ne per illum thesaurum paulatim nostros seducant milites, quemadmodum Julius Cæsar fecit, qui regnum Francorum cupiditate invasit, & quomodo anti-Christus capere totum mundum in fine mundi est acturus. Agite ergo

dum tempus habetis, ne Christianorum regnum, &, quod majus est, Domini perdatis sepulchrum, & inde non judicium, sed mercedem habeatis in cælum. Amen.

INCIPIT PROLOGUS in libro Levitici editus a quodam dominicæ crucis servo.

Circa 1100 *Ex ms. Vedastino Attrebatensi.*

UNus ex accolis domus filiorum Israël ANSELMO Cantuariensis ecclesiæ archiepiscopo, hostiam vivam, sanctam, rationabilem offerre summo pontifici.

Quoniam quidem in te diversa dona Sancti Spiritus non ambigo vigere, amantissime & inter membra Christi plurimum venerande, tum quia positus inter sollicitudines rerum ecclesiasticarum, non solum quotidianis, verum etiam furtivis horis noctium operam sapientiæ perscrutandæ vigilanter impendis; tum etiam quia quæ sentis in lege Domini, luculento sermone, suppeditante quidem facundia, potis es proferre. Item, quia turbam imperitorum atque discolarum mirabiliter muro tuæ patientiæ compescis, & eorum importunis assultibus immobilis permanes. Quia ergo tantam prærogativam virtutum insitam tibi considero, explanationem in librum Levitici experientiæ tuæ committere decrevi. Ne id quidem volo, ut aliquis arbitretur me in tuis laudibus efferendis declamasse, & tuum caput oleo peccatoris oblinisse: quo te tutorem ac defensorem mearum ineptiarum, uti quibusdam videtur, citius quam alio lucro ascisceremi; quod si verbis meis non credunt, vel operibus credant. Porro si verus es amator sapientiæ divinæ, nescies parcere cuiquam quem comperis dilaceratorem illius esse: quæ quidam res tanto mihi fit odibilis, quanto magis deludo delectabiles amplexus ejusdem experiri. Ceterum vehementer reverens os loquentium iniqua, qui potius dispendia vitæ dormitando certatim unusquisque amplectuntur, quam circa mysteria sacrarum scripturarum explananda compendium gratissimi laboris prosequi moliantur, quæso vos, domine mi, ut istud opus animo vigilanti transcurratis, & totum quod sanum intellectum offendit, cultro catholicæ fidei amputetis, & sic ubi minus fuerit quam decet, prout vobis placuerit, quæso iterum ut suppleatis; ut postmodum sibilus quorumdam reprimatur, & dens lividus atque corrosorius retundatur, & vestra auctoritate, diligenti quoque examine, liber iste commendatus, auribus plurimorum tutius divulgetur. Quod si quando quilibet me præsumtorem & opus vires ingenii mei transcendens aggredientem æstimaverit, unum quidem prorsus abnegans diluo, alterum vero mihi inesse profiteor. Quia vero vitium præsumtionis me incidisse quamplures autumant, dum textum Levitici conatus sum explanare, & stylo scatenti prolixum opus assignare; tandem fatiscat virosa lingua, & potius tela super incudem livoris fabricata retorqueat in quemdam archipræsulem, & in multitudinem personarum religiosarum, quas munus gratiæ divinæ filiis supernæ Jerusalem præesse voluit. Illorum namque præceptis parui. Stilo currenti atque commentatorio totum opus in decem & septem libris consummavi. Testimonia vero scripturarum quibus ea quæ dictando scribebam, cingere frequenter procuraveram, more quidem meo, prout simplex turba fidelium flagitabat, tamquam verba libri exponere studui. Itaque dextram committens dextræ excelsi, qui suscitat de terra inopem, & de stercore elevat pauperem, quod ipse mihi subministravit, totum quidem diutinum laborem prona mente suscipiens, poscentibus libens porrexit. Noverint trutinatores alienorum operum, quia Dominus per infirma vasa suis filiis pleraque bona nonnumquam ministrare soleat, maxime cum quispiam pauper & amator sapientiæ floribus illius incubat, & pectore gemebundo, crebris quoque suspiriis, item rivulo lacrymarum interdum subsequente aures ejusdem pulsat. Quis, quæso, mortalium adeo tenax volaticarum rerum posset tolerare importunitatem cuiuslibet indigentis, & ante portam illius alimoniam crebro clamore postulantis biennio seu triennio, quin vel micas a mensa decidentes transmitteret. Profiteor me jacuisse ante portam summæ sapientiæ viginti & quinque annos nocte ac die, quibus poteram desideriis implorans, ut me sitientem in cellam vinariam intromitteret, & vino incomparabilis lætitiæ meam inopiam relevaret. Et quoniam frequenter, sicut Veritas protestatur, dicens: *Pulsate & aperietur vobis*, mihi quoque suum ostium divina clementia pulsanti reseravit; & pro meo affectu plurima propinavit, quæ aliis propinare procuravi. Omnis qui indiget sapientia, postulet a Deo & dabitur illi. Certe nonnumquam viderim pauperem ceteris in postulando stipem corporis necessariam paulisper importuniorem, & ideo persæpe vi clamoris continue id quod desiderabat obtinuisse, & idipsum quod extorserat collegis suis torpescentibus distribuisse. Hunc itaque ritum imitando perhibeor esse importunus Domino meo JESU CHRISTO, qui si non dat mihi, eo quod amicus ejus sim, surget tamen propter improbitatem, & dabit mihi panes quotquot habeo necessarios.

NOTITIA

A

NOTITIA

De his quæ Hamelinus de Baladone dedit in Anglia Cenomanensi S. Vincentii monasterio.

Circa 1000 Ex cartario S. Vincentii Cenomanensis.

NOtitiæ præsentium atque futurorum indagare decrevimus, quod vir quidam nobilis ac prudentissimus HAMELINUS de castello Baladone natus, atque propter suam industriam a rege Anglorum WILHELMO filio opinatissimi regis WILHELMI, amplissimis muneribus atque honoribus sublimatus, ecclesiam beatorum martyrum Vincentii atque Laurentii adiit, beneficiumque loci expetiit, petens quoque ut pro ejus amore quemdam suum militem nomine Hubertum in monasterio reciperemus. Cujus devotis precibus annuentes, & militem in nostro ordine recepimus ob ipsius amorem, & ipsum cum uxore sua & filiis, & cum suo quodam milite, qui tunc cum ipso erat, nomine Odone *de Tirun*, totius nostri beneficii annuimus esse participem. Ipse quoque aut a nobis aut ab aliis forte audiens præceptum apostoli Pauli dicentis: Si vobis spiritualia seminavimus, dignum est ut carnalia vestra metamus, dedit Deo ac beatissimis martyribus suprascriptis, capellam sui castelli, quod sibi supradictus gloriosus rex jam dederat, quod lingua Britannica *Berguenis* nominant. Et quidquid ad ecclesiam de ipso & in ipso castello pertinebat vel pertinere temporibus futuris debebat. Et terram ad faciendam ecclesiam principalem, in qua monachi Deo servirent. Et terram ubi domos proprias, & hortos, & pomaria, & vineas & quæque necessaria. Burgum etiam & furnum proprium, necnon & aquam ad faciendum molendinum, & piscaturam in sua aqua ad nostros proprios piscatores ubicumque sui piscari vellent. Dedit insuper unam ecclesiam alibi cum omnibus quæ ad ecclesiam pertinent, & terram quæ ad decem carrucas, omnesque decimas carrucarum, quas tunc jam in dominio habebat, & quas habiturus erat. Hæc omnia ita libere & quiete jam dictis beatis martyribus & eis servientibus dedit, & donum super ipsum altare posuit, sicut de rege habebat. Spopondit etiam quod hæc regem faceret annuere, cartamque firmare, & quod in auxilium nobis esset, ut sui milites decimas suas simili modo sanctis martyribus annuerent. Actum............tii III. id.......sancti Tiburtii..........istis Odone de * Ti.. ......de fredo filio Gaudrici Hugone famulo, Gautero filio Haimonis, Andrea fratre ejus.

* Tirun.

DIPLOMA HAMELINI

de Baladone de rebus sancti Vincentii apud Anglicam terram.

Circa 1100 Ex cartario S Vincentii Cenomanensi.

QUISQUIS æternæ retributionis participes fore desiderat, oportet ut de suis transitoriis rebus, Deo ac sanctis ejus & illis servientibus impertiri studeat, quatinus ab ipso Domino bonorum omnium remuneratore, cælestis vitæ gaudia, quæ numquam finem accipiunt, mereatur accipere, ipso monente: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis.* Et iterum: *Date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis.* Itemque: *Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum.* His aliisque exhortationibus ego HAMELINUS DE BALADONE animatus, de illis rebus quas de beneficiis dominorum meorum regum Anglorum WILLELMI videlicet atque HENRICI, in Anglica terra, atque Gualensi patria possideo, aliquas res ecclesiæ beatorum martyrum Vincentii & Laurentii juxta muros Cenomannicæ urbis sitæ, monachisque ibidem famulantibus do, scilicet omnes decimas de toto *Vveneiscoit*, tam de meo proprio, quam de omnibus terris quascumque dedi vel daturus sum. Ad castrum quoque meum quod vocatur Bergevenis, do ecclesiam & capellam de castro, & terram ad burgum faciendum, cum omnibus consuetudinibus, excepto teloneo de die mercati, terram quoque unius aratri.......... terram ex....... uscæ & inter in........ sam aquam ad pisca..... Helenæ ecclesiam & partem silvæ. Do etiam decimam totius mellis mei, & decimam coriorum de venatione mea, & decimam pasnagii porcorum. In Anglica vero terra do ecclesiam de Capreolo cum terra presbyteri, & omnibus decimis ad ipsam ecclesiam pertinentibus, & decimam caseorum & omnium primitiarum. Ecclesiam quoque de Sutona do post mortem presbyteri, cum terra presbyteri, & omnibus decimis & primitiis ad ecclesiam pertinentibus.

Ego quoque WINEBAUDUS frater prædicti Hamelini do eidem sancto martyri ecclesiam de Torteoda, & ecclesiam de Augusta cum omnibus decimis, & decimam de Godritona, & decimam de Pedicoina, & omnes decimas meas de Gualensi patria, pro animabus patris mei & matris meæ, & omnium antecessorum meorum, quatenus ab æternis gehennæ incendiis liberentur, & in regno cælorum collocentur auxiliante.... .... sæculorum. Amen.

Ego HENRICUS gratia Dei rex Anglorum donationes has annuo, & signo sanctæ crucis confirmo, reginæque meæ MATHILDI, & quibusdam fidelibus meis corrobora-

re præcipio, pro animabus videlicet WILLELMI regis patris mei, & MATHILDIS reginæ matris meæ, & WILHELMI regis fratris mei, & omnium antecessorum meorum. Signum Henrici regis †. Sig. MATHILDIS reginæ †. Sig. Gaudrici cancellarii, S. Rogerii episcopi, S. Wilelmi Piperelli, S. Roberti Peccati, S. HERLUINI abbatis Glastingeberii, S. Unfredi Aureis-testiculis, S. Gaudrici filii Rogerii de Curcella, S. Winebaudi, S. Elisabeth uxoris Winebaudi, S. HAMELINI DE BALADONE, S. AGNETIS uxoris ejus, S. WILHELMI filii Hamelini, S. MATHEI filii ejusdem Hamelini.

INSTRUMENTUM de concordia facta inter Cenomanenses canonicos sancti Juliani & monachos sancti Vincentii.

Circa 1100. Ex cartario S. Vincentii Cen.

SICUT totius ecclesiæ status pacifico caritatis vinculo solidatur, ita nihilominus sanctæ societatis unitas pestifero dissensionis scandalo dissipatur. Quicumque igitur ad æternæ pacis visionem cupiunt pervenire, necesse est ut omni vigilantia cum hominibus, si fieri potest, & maxime cum fratribus pacem studeant custodire. Quapropter nos sanctæ Cenomanensis ecclesiæ canonici pacem & concordiam diligentes, & de medio nostri malum discordiæ penitus abjicere cupientes, de quadam calumnia atque discordia quam adversum monachos S. Vincentii longo tempore habuimus, talem finem atque concordiam ab eis, mediante caritate, recipimus, ut decimam de Monte Rainaldi, quam post multum tempus super calumniam nostram tenuerant, necnon & sepulturam, & ceteros reditus qui ad ecclesiam pertinere videntur, nobis pacifice & quiete absque ullo retinaculo dimitterent, atque ibidem ecclesiam secundum beneplacitum nostrum nobis facere, atque perpetuo possidere concederent, vineas etiam Raginaldi cantoris, quas aliquo tempore super calumniam nostram tenuerant, dimiserunt, & obsequium XXX. dierum pro singulis defunctis canonicis nostris se facturos promiserunt, & cimiterium quod antecessores nostri contra morem canonicum cum laicis haberant * ex altera parte monasterii sui in competentiori loco & honestiori, juxta videlicet monachorum cimiterium transtulerunt. Hoc itaque pacto stabilem cum eis fraternitatis amicitiam firmavimus, & cetera quæ inter nos & ipsos discordiæ causa extiterant, id est venditiones domorum, quæ in vinea de fonte S. Domnosi sunt, & VI. denarios de censu cujusdam domus quæ est in Ruha Haraldi, & forisfactum de coliberto nostræ ecclesiæ, Frogerio scilicet Beloto, quem super nostrum interdictum monachum fecerant, omnino eis remisimus, & quicquid Cenomanensis ecclesiæ episcopi eorum loco contulerant, eis simpliciter & absque dolo concessimus. Si quid de cetero eidem loco conferre voluerint, gratis & absque ulla datione pecuniæ, salva ecclesiæ nostræ fidelitate, nos concessuros esse spopondimus. Promisimus quoque illis pro defuncto illorum abbate unum trigesimalem & pro singulis defunctis monachis VII. missas & VII. vigilias nos esse facturos, eisque in suis negotiis ut amicis & fratribus consilium & auxilium nostrum, pro ut res tempusque permiserit, fideliter exhibituros. Ut autem hæc pacis caritatisque concordia in perpetuum stabilis permaneat, hunc cyrographum firmavimus in die festivitatis beatissimi Juliani de transitu, præsente & annuente domno Ildeberto episcopo. Sig. domni ILDEBERTI episcopi †. S. Gaufridi decani †. S. Fulcradi præcentoris †. S. Gaufridi Muloti archidiaconi. S. Pagani archidiaconi. S. Gradulfi archidiaconi. S. Orrici, S. Haimerici, S. Ingelbaudi, S. Hilgoti, S. Ernaldi, S. Wilelmi secretarii, S. Gosberti filii cantoris, S. Gervasii, S. Orrici, S. RADULFI episcopi, S. Wilelmi de Marciaco, S. Wilelmi de Belismo, S. Guidonis de Stampiis, S. Raginaldi Rufi magistri, S. Ingelerii, S. Fulcoii filii Gaudrici, S. Warnerii de Meduana, S. Wilelmi fratris sui, S. Godefridi filii Angerii, S. Unfredi capellani, S. Guidonis nepotis Ernaldi, S. Ingelbaudi filii Mariæ, S. Hunaldi, S. Frogerii, S. Theobaudi de Lavarzio, S. Salomonis, S. Roberti de Orta, S. Fulcherii Vindocinensis, S. Gaufridi Gandelberti, S. Gaufridi Ermenerii, S. Hamelini de Asinariis, S. Wilelmi vitrarii, S. GIRARDI abbatis S. Albini (a) [a] S. ODONIS abbatis S. Petri (b) [b], S. RADULFI abbatis Longiledi (c) [c], S. RADULFI abbatis S. Mariæ Ebronis.

* l. habebant.

ADZENARII ABBATIS sancti Remigii decretum in gratiam pauperum.

Circa 1100. Ex ms. S. Remigii. [d]

ADZENARIUS (a) Domini favente clementia abbas, dilectis in Christo fratribus æternæ fructus beatitudinis.

Quoniam universa caro corruptioni subjacet, semperque in incertum humana versatur conditio, in tantum ut si dixerimus quia peccatum non habemus, veritas in nobis non sit, tam pro vestris quam pro nostris excessibus operæpretium duxi, patronos eos quærere, quos districtus judex loco suo nobis reliquit, unde & in examine dicturus

(a) Andegavensis. (b) Cenomanensis, vulgo de Cultura. (c) Vulgo de Lonlaio, gallice *Lonlai*.

(d) Hunc generis claritudine & affinitate Guidonis de Trimolio fuisse scribit Marlotus.

est, quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis; tanta & territus & lætatus sententia, ad usus pauperum quædam ex his quæ meo labore & tempore provenerunt ecclesiæ, seu jam provenerant, sed hactenus indefinita remanebant, ex quanto ratio temporum possibilitati meæ suggerit, pro remedio animarum vestrarum & meæ, donare perpetuo jure sub providentia eleemosynarii remanenda decrevi. Itaque decimam villæ quæ Veraudus dicitur, cum adjacente eidem villæ pascua, fisci de potestate Condati sub testimonio æterni judicii confirmo, ut pro decima quidem multo & gravi labore adquisita, anniversario ordinationis meæ die dum advixero, transitus cum transiero, æterna stabilitate refectio fratribus præbeatur, residuum pauperum sit. Pro pascua vero XII. denarii ministro Condati annuatim persolvantur xv. solidi de XL. solidis, qui ad opus mandati fratrum v. feria Parasceve de Curte-Ausorum exsolvuntur, demebantur. Hi definite cum minuto teloneo suburbii, & hæc quæ comes RAINALDUS pro salute animæ suæ in monte Herimari, dedit, stabili firmitate usibus pauperum deserviant. Tertiam etiam partem molendini Hugonis, & quicquid Walterus clericus in molendinis ante portam monasterii possidebat, portariumque portæ in ingressu portæ castelli cum adjacente terra quam Adam Gipuinus filius in feodo tenebat, & quam ab Hugone ejus hereditario redemi, his ipsis usibus attribuo, instituens ut ex his pridie omnium sanctorum solemnitatem pauperibus centum panis & vini refectio ministretur, ita dumtaxat ut vinum in cellario fratrum accipiatur. Hujus meæ constitutionis Deum testem voco, ut si quis eam violaverit, sub districto judice, & præsentis ecclesiæ & futuri judicii reus sit.

EPISTOLA ABBATIS (a) Abdiaghoffensis.

De recuperatis ab eo quibusdam prædiis quæ a fratrum prabenda alienaverat.

Ex ms. Abdinghoff.

QUONIAM quidem peccatis meis exigentibus, & necessitatibus magnis urgentibus in eam incidi miseriam, ut præbendam fratrum meorum contra jus ecclesiasticum cogerer dare in beneficium, rediens ad cor pœnitui, & Deo & fratribus meis sicut in subsequentibus audietis, satisfeci. Dominus G. bona quæ sunt in *Hafton* a me accepit non libere, sed per conditionem, eam scilicet, ut si quando haberem locum redimendi, redimerem. Hæc opportunitas nuper se mihi obtulit in beneficio quodam, quod sine hærede, sine ulla contradictione in jus meum rediit. Misi igitur ad dominum G. qui acceptis a me bonis in quantum sibi placuit, præbendam fratrum, quam contra salutem meam & suam detinuit, legitime mihi reddidit. Nihil autem horum in occulto factum est, sed in manifesto & coram testibus, quia episcopus Osenbrugensis, abbas Werdinensis, dominus Frithericus, dominus Bertholdus præsentes erant, cum multis aliis nobilibus. Bona quæ sunt in *Redinghen* in veritate numquam alicui præstiti, sed tamen illi, qui ecclesiæ Dei vim fecit & mihi, non violenter, sed per inducias, per vocationes quasi beneficium militum meorum judicio abstuli. Hæc ex mea persona tibi placuit scribere, ne alicujus versutia per sententias a veritate alienas te possit decipere. Quod enim nunc in hac re est definitum, testificor coram Deo, quia numquam per me erit irritum. Memento igitur regiæ, quæ te instituit, dignitatis, memento commissi fratrum & abbatis, quia cum legitime accesseris, non sine magno animi periculo transibit, si neglexeris. Age ergo causam Christi pauperum, semina bonum semen in eis, quod quandocumque cum gaudio recipies in cœlis, nam secundum Apostolum, quæ seminaverit homo, hæc & metet, & qui defecerit in semine, non gaudebit in messe. Vale.

DIPLOMA HUGONIS archiepiscopi Caralitani pro Massiliensi S. Victoris monasterio.

Monachos Massilienses inducit in possessionem prioratus S. Saturnini.

Circa 1100 Ex archivis S. Victoris eruit D. Furnerius.

UNIVERSIS præsentes litteras inspecturis, HUGO Dei gratia Karalitanus archiepiscopus etiam indignus æternam in Domino salutem.

Cum bonæ memoriæ dominus URBANUS olim summus pontifex, mihi HUGONI Dei gratia Karalitano archiepiscopo, pro abbate & conventu S. Victoris Massiliensis scripserit in hunc modum: URBANUS episcopus servus servorum Dei &c. Sicut per litteras ipsius domini Urbani ejus bulla bullatas manifeste apparet: & ego præfatus archiepiscopus jam dicti summi pontificis mandatum exequi cupiens, ut tenebar, ad ecclesiam seu prioratum S. Saturnini Caralitanæ diœcesis, jam dicto domino Urbano adhuc superstite personaliter accessissem, ut procuratorem prædictorum abbatis & conventus ipsorum nomine in possessionem jam

(a) Abdinghoff celebre monasterium ordinis S. Benedicti, a B. Meinvverco episcopo Paderbornensi ineunte sæculo XI. fundatum. adductis eo è Cluniacensi familia ascetis, hactenus floret sub congregatione Bursfeldensi. Hæc vero epistola videtur esse Gumberti abbatis, qui sub Imado, Popone, & Henrico episcopis Paderbornensibus floruit, cujus tempore monasterium & civitatis pars maxima incendio consumuntur, uti ex Annalibus abbatum mss. nobiscum communicatis colligi potest. Legimus ibidem Gumbertum varia monasterio suo bona comparasse, humilitatisque fuisse imprimis sectatorem.]

dicti prioratus S. Saturnini inducerem, sicut mihi per prædictas summi pontificis litteras mandabatur. Bonancontus & Clericus laici, presbyter Gratia & Tanceredus, qui dicebantur conversi novi hospitalis de Pisis, quod dicitur papæ ALEXANDRI, qui jam dudum prioratum pro rectore, seu magistro præfati novi hospitalis de Pisis, occupatum tenebant; armatorum multitudine congregata, me archiepiscopum ac procuratorem præfatos in ecclesiam seu prioratum jam dictum non solum prohibuerunt intrare; verum etiam a confinibus prioratus prædicti armatorum ipsorum auxilio & favore fulti, cum gladiis & fustibus atque lapidibus turpiter expulerunt. Propter quod mandatum apostolicum non potuit tunc ad effectum perduci. Postmodum vero, quod inconveniens videbatur & injustum, ut propter malitiam prædictorum detentorum mandatum apostolicum remaneret taliter imperfectum, & ne detentores prædicti de malitia sua commodum reportarent, cupiens ego jam dictus archiepiscopus mandatum apostolicum exequi, & ad effectum perducere, sicut possum & teneor, fratrem Petrum de Barjaco procuratorem prædictorum abbatis & conventus monasterii S. Victoris Massiliensis procuratorio nomine pro eis in possessionem prioratus S. Saturnini prædicti secundum formam apostolici mandati misi & induxi, contradicentes & rebelles ac detentores prioratus prædicti, & fautores eorum excommunicationis vinculo innodavi, hoc modo videlicet, cum ad ipsum prioratum absque gravi periculo accedere non possem, propter dominorum secularium illius terræ potentiam, qui jam dictis detentoribus in prædictis omne quod poterant, postulabant auxilium, consilium & favorem: ad quemdam locum ipsi prioratui vicinum accessi, & inde ostenso ipsi procuratori prioratu prædicto, dixi eidem: Ego te induco in possessionem prioratus S. Saturnini, quem tibi vicinum ostendo, sicut a domino papa in mandatis accepi, & ipsius mandati auctoritate contradictores & rebelles & detentores etiam prioratus prædicti, & fautores eorum excommunico. Acta sunt hæc omnia in præsentia Dominici capellani familiaris mei, domni Tancredi canonici S. Mariæ de Cluso, Johannis quondam Bonafidei, & aliorum multorum ad hæc specialiter vocatorum. In quorum omnium testimonium præsentes meas litteras sigillo meo pendenti sigillari mandavimus.

EPISTOLA TIOFRIDI ABBATIS Epternacensis ad Henricum III. imperatorem.

Rogat ut ablatas monasterio in Hollant ecclesias restitui faciat.

GLoriosissimo domino suo imperatori augusto H. gratia Dei id quod est (*a*) T. intimum & devotissimum orationis obsequium, & quicquid in cœlo & in terra est, optimum. Anno 1101. *Ex ms. cod. S. Vuilbrordi Epternac.* [*a*]

Nulla omnino, domine mi, possum exprimere facundia, quanta cor meum exhilarastis lætitia, cum nuper (*b*) Leodio per [*b*] proprias manus regias meæ exiguitati vestram dignatus estis commendare animam. Pro summis & maximis regiæ munificentiæ muneribus tantæ dignationis vestræ pignus meis retuli fratribus, & vestri memoriam in imis eorum recondidi visceribus; sed,

O & præsidium, & dulce decus meum, Horat. cœptam in nos perficite gratiam, & quia videtis quod Christus Dominus in vobis christo suo complet sua per Isaiam promissa: *Ego ante te ibo, & gloriosos terræ humiliabo, portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam*; in nobis ultimis illius servis, ejus honorate magnificentiam, per tyrannidem ablatas in Hollant ecclesias, quas æternæ memoriæ genitor vester H. sancto Wilbrordo, Moguntiæ papa assidente nono LEONE, * reddidit, nostræ facite ecclesiæ, & hoc regio munere nostræ paupertati consulite. Vale. * f. dedit, reddi nostræ &c.

DIPLOMA BERENGARII episcopi Barchinonensis pro sancto Victore.

Monasterio S. Victoris Massiliensis ecclesiam S. Pauli de Subirads *concedit.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Notum sit omnibus hominibus tam futuris quam præsentibus, quod ego BERENGARIUS gratia Dei Barchinonensis ecclesiæ episcopus, dono cum consilio atque voluntate clericorum meorum, omnipotenti Deo & ejus genitrici beatæ Mariæ & beato Victori Massiliensi martyri, & beato Sebastiano, & RICHARDO venerabili abbati Massiliensis monasterii, & ejusdem monasterii monachis præsentibus & futuris, ecclesiam S. Pauli quæ sita est in territorio *de Subirads*, cum omnibus suis pertinentiis, scilicet cum hereditatibus suis, cum omnibus decimis, culturæ primitiis & oblationibus suis, & Anno 1101. *Ex archivis S. Victoris eruit D. Furnerius.*

(*a*) Tiofridus qui annis 28. ab incarnationis scilicet anno 1083. ad 1110 Epternacense laudabiliter rexit monasterium, ex brevi chronico abbatum.

(*b*) Hinc colliges hanc epistolam scriptam fuisse anno 1101. quo Henricus imperator Pascha Leodii celebravit, & Henricum Limburgensem sibi adversantem debellavit, expugnatis ejus castellis.

cum omnibus ab integro quæ sui juris sunt, & in antea erunt, ut habeant, & in perpetuum possideant ipsi Massilienses monachi, qui erunt in S. Sebastiano per imperium & obedientiam abbatis Massiliensis monasterii, salva in omnibus reverentia & obedientia Barchinonensis ecclesiæ. Quod si hanc meam donationem, quod absit, in crastinum qualibet persona laicalis sive clericalis inquietare vel perturbare qualicumque vexatione voluerit & tentaverit, non prævaleat; sed maledictionis vinculo ligatus iram omnipotentis Dei incurrat, & alienus a christiana communione persistat, donec quod male tentaverit dimittat, & satisfaciens ad emendationem veniat, & mea donatio præsenti carta firmata, stabilis in æternum maneat.

Facta est autem hæc carta in Gerunda civitate, celebrante RICHARDO cardinali & abbate Massiliensis cœnobii in eadem civitate conventum episcoporum & abbatum, comitum atque multorum principum, anno ab Incarnatione Domini MCI. æra millesima centesima XXXIIII. VIII. idus Februarii, feria IIII. indict. VIII. anno XLI. Philippi regis.

BERENGARIUS Barchinonensis episcopus.

CARTA HENRICI IMPERATORIS III. pro monasterio Prumiensi.

De prædii Prumisfeld ab Henrico de Limburgo monasterio Prumiensi ablati restitutione.

Anno MCI. *Ex cartario Prumiensi.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. HENRICUS divina favente clementia tertius Romanorum imperator augustus, omnibus Christi nostrisque fidelibus, tam futuris, quam præsentibus, notum esse volumus, quod de quodam prædio fecimus, videlicet *Prumisfeld*, qualiter Prumiensi ecclesiæ sancti Salvatoris à justis possessoribus idem prædium traditum, ab invasore raptum, eidem ecclesiæ recuperavimus. Illud idem, videlicet prædium nomine *Prumisfeld*, quidam comes BRUNO de *Hengebach* cum omnibus appenditiis suis, id est utriusque sexus mancipiis, terris cultis & incultis, viis & inviis, pratis, campis, silvis, venationibus, aquis, aquarumve decursibus, molis, molendinis, piscationibus, exitibus & reditibus, quæsitis & inquirendis, ac cum omni utilitate, quæ scribi vel nominari poterit, S. Salvatoris ecclesiæ Prumiensi in proprietatem tradendo firmavit, firmando tradidit, ea conditione, ut quatuor mansi cum duobus servientibus Odilone & Stephano statim ad manum ecclesia in suos usus reciperet; cetera ipse cum uxore sua, Mathilde videlicet, quousque viverent, ad suos usus retinerent, & si ipsa maritum supervixisset, ante mortem suam ad eamdem ecclesiam Prumiensem veniret, & sicut ab omnibus laudatum est, eidem ecclesiæ idem prædium, sicut maritus ejus firmaverat, ipsa quoque firmando traderet, tradendo firmaret, quod & ipsa ita perfecit. Nam post mortem mariti sui, eidem ecclesiæ idipsum prædium adhuc vivens firmavit, & ipsa defuncta ibidem in monasterio sancti Salvatoris est sepulta. Illud ergo prædium ab ejusdem ecclesiæ abbatibus absque ulla contradictione diu possessum, diu retentum, quidam comes HENRICUS DE LIMBURC invasit, rapuit, & quod suum non erat quasi proprium possedit. Quam injuriam domnus WOLFRANNUS abbas Prumiensis cum fratribus suis tam diu est conquestus nobis, donec misericordia moti, zelo Dei accensi, judicio principum super eumdem comitem H. cum exercitu venimus, castella ejus destruximus, eumque ut huic Dei ecclesiæ aliisque quas devastavit, justitiam faceret, compulimus. Primum igitur Coloniæ in nostra præsentia & filii nostri HENRICI regis judicio principum convictus, præfatum prædium *Prumisfelt*, quod S. Salvatori rapuit in manum nostram & præfati abbatis WOLFRANNI & advocati BERTOLFI juste reddidit. Aderant hi principes nostri EGILBERTUS Treviriensis archiepiscopus, BURCHARDUS Monasteriensis, VVIDO Osenburgensis, HENRICUS Padebrunnensis, ADILBERO Mettensis, CUONO Vvormacensis episcopi, dux FRIDERICUS, marchio BURCHARDUS, GERART DE VVASSENBERCH, GERART DE GULICHE, VERNERUS DE GRONINCHE, ADOLF DE MONTE comites, & alii multi principes nostri.

Deinde cum de Colonia ad insulam Werdæ venissemus curtim nostram, idem comes HENRICUS prædium quod Coloniæ reddidit, se reddidisse Werdæ negavit, ubi principes convenire fecimus, & eumdem HENRICUM in præsentia nostra judicio & testimonio principum, quod abbati prædium, quod negaverat, reddidit, convicimus: quod ut numquam ulterius negare posset, idem prædium in manum nostram & in manum abbatis VVOLFRANNI & ejus advocati BERCHDOLFI eum reddere fecimus, præsente filio nostro HENRICO rege, astantibus principibus BURCHARDO Monasteriensi, VVIDONE Oscenbrucensi, CUONONE Vvormacensi, HECELONE Veronensi episcopis, magno duce OTTONE DE SUTPHENI, GERARDO DE VVASSEMBERCH, THEODERICO DE TONEBURCH, ADOLFO DE MONTE, GERARDO DE GULICHE, VVERINHERO DE GRUONINGUE, HENRICO DE DIEDISSO comitibus, & BERCDOLFO filio Bercdolfi comitis, & suprascripti advocati, & aliis compluribus nostris fidelibus.

Quod totum fieri, Deo auxiliante, laboravimus, tum pro justitia, tum pro remedio animæ nostræ & parentum nostrorum, CONRADI avi nostri, & HENRICI patris nostri imperatoris, GISELÆ avæ nostræ, AGNETIS

genitricis nostræ, BERCHDÆ conjugis nostræ imperatricum, & pro stabilitate imperii nostri, & regni filii nostri HENRICI regis. Pro hoc labore ac studio nostro promisit nobis, & in hac carta scribi rogavit idem abbas VVOLFRAMNUS, ut deinceps pro debito quotidianas orationes cum fratribus suis ipse suique successores pro nobis faciant quamdiu vivimus, & specialiter in die ordinationis nostræ in regnum, id est XVI. cal. Augusti, missas, orationes, & refectionem fratribus, quinquaginta pauperes pascant. Similiter in die ordinationis nostræ in imperium, id est II. Cal. Aprilis, missas, orationes, & refectionem fratribus faciant, quinquagiuta pauperes pascant. Similiter in die ordinationis filii nostri HENRICI in regnum, id est in epiphania Domini, missas, orationes & refectionem fratribus faciant, L. pauperes pascant. Postquam vero de hac vita migraverimus, ego videlicet & filius noster HENRICUS rex, in omni anniversario depositionis meæ, missas, orationes & refectionem fratribus pro anima mea faciant, CCC. pauperes pascant, XXX. pauperes vestiant. In omni autem anniversario depositionis filii nostri regis HENRICI missas, orationes & refectionem fratribus pro ejus anima faciant, L. pauperes pascant, XII. pauperes vestiant. Hoc quoque firmiter statuimus, ut nulla persona, sive imperator, seu rex, vel abbas idem prædium alicui præstare, aut aliquo modo ecclesiæ Prumiensi fratribus abalienare præsumat. Et si præsumserit, odium Dei & omnium sanctorum suorum incurrat. Quod ut firmum & inconvulsum sempiterno ævo permaneat, hanc cartam inde conscriptam, & , ut infra videtur, propria manu corroboratam, sigilli nostri impressione jussimus insigniri.

Signum domni HENRICI tertii Romanorum imperatoris.

Data III. nonas Augusti anno Dominicæ Incarnationis MCI. indictione IX. anno autem domni HENRICI tertii Romanorum imperatoris augusti, ordinat. quidem XLVIII. regni autem XLVI. imperii vero XVIII.

Actum feliciter Vverdæ in Dei nomine feliciter. Amen.

EPISTOLA [a] SIGEBERTI MONACHI ad Leodienses.

Leodiensium calamitatem deflet, quorum in exitium Paschalis papa excitabat Robertum Flandriæ comitem.

Anno 1102. Ex ms. Stabulensi.

OMNIBUS bonæ voluntatis hominibus, Leodiensis ecclesiæ veritatem fidei & catholicam unitatem inconcusse tenentis filius.

Stupendo & gemendo exclamo cum Isaia, qui onus deserti maris exaggerans exclamat: *Sicut turbines ab Affrico veniunt, & de deserto venit, de terra horribili visio dura annuntiata mihi: qui incredulus est, infideliter agit, & qui depopulator est, vastat.* Qui hactenus non intelligebat videndo quod per desertum mare significetur non solum Babylonia, sed etiam mundus & ecclesia: quamvis enim ut mare undis, sic mundus & ecclesia affluant populis, tamen jure vocantur desertum mare, quia mundus videtur esse desertus a sapientium principum gubernaculo, ecclesia se gemit desertam a sano præsulum consilio; quæ enim major olim confusio fuit in Babylonia, quam hodie est in ecclesia? In Babylone confusæ sunt linguæ gentium, in ecclesia dividuntur linguæ & mentes credentium. Ait Petrus in epistola sua: *Salutat vos ecclesia quæ est in Babylone collecta.* Hactenus interpretabar ideo voluisse Petrum per Babylonem signare Romam, quia tunc temporis Roma confusa erat idolatria & omni spurcitia; at nunc dolor meus mihi interpretatur, quod Petrus prophetico spiritu dicens ecclesiam in Babylone esse collectam, præviderit confusionem dissentionis, qua hodie discinditur ecclesia. Nam quamvis ecclesia in Babylone sit mundi, debet tamen esse collecta per fraternam unanimitatem. Qui sint turbines ab Affrico discimus patiendo magis quam legendo; de terra horribili, a Romana scilicet ecclesia visio dura nuntiata est mihi; inde turbo, ut tempestas venit ab Affrico; Romanus enim præsul pater omnium ecclesiarum litteras contra nos misit RUBERTO Flandrensium comiti, quarum exemplar tale est.

PASCALIS episcopus servus servorum Dei dilecto filio R. Flandrensium comiti, salutem & apostolicam benedictionem. Paschalis papæ II. epist. ad Robertum comitem Flandriæ.

Benedictus Dominus Deus Israël, qui in te virtutis suæ efficaciam operatur, quoniam reversus (b) ab Jerusalem Syriæ, in (b)

(a) Hanc epistolam etsi jam vulgatam in Coloniensi conciliorum editione hic recudimus, tum ut eam genuino restitueremus auctori, Sigiberto scilicet, qui Paschalis litteris se respondisse diserte asserit; tum ut eum a schismatis vitio purgaremus; nam etsi Henrico adhæserit imperatori, quem a papa deponi non posse existimabat, Paschalem tamen semper agnovit veneratusque est legitimum Pontificem, tum ut refutaremus sententiam Johannis Roberti in Sancta Legia asserentis, hanc epistolam in nulla conciliorum editione reperiri, sed a Centuriatoribus confictam esse, cum in Stabulensi reperiatur codice aliquot ante Centuriatores sæculis scripto, licet imperfecta.

(b) Ex bello sacro reversus est anno 1101. Robertus Flandriæ comes, ut scribit Johannes Iperius in Chronico, cap. 40. part. 4.

cœlorum Jerusalem justæ militiæ operibus ire contendis, hoc est legitimi militis, ut sui regis hostes instantius persequatur. Gratias ergo prudentiæ tuæ agimus, quod præceptum nostrum in (a) Cameracensi parrochia executus es. Idipsum de Leodicensibus excommunicatis pseudo-clericis præcipimus. Justum est enim, ut qui semetipsos a catholica ecclesia segregaverunt, per catholicos ab ecclesiæ beneficiis segregentur; nec in hac parte tantum, sed ubicumque poteris, HEINRICUM hæreticorum caput & ejus fautores pro viribus persequaris. Nullum profecto gratius Deo sacrificium offerre poteris, quam si eum impugnes, qui se contra Deum erexit, qui ecclesiæ Dei regnum auferre conatur, qui in loco sancto Simonis idolum statuit, qui a principibus Dei sanctis apostolis eorumque vicariis, de ecclesiæ domo Sancti-Spiritus judicio expulsus est. Hoc tibi ac militibus tuis in peccatorum remissionem & apostolicæ sedis familiaritatem præcipimus, ut his laboribus & triumphis ad cœlestem Jerusalem, Domino præstante, pervenias. Data Albani XII. kal. Februarii.

Super his litteris, cujus lumbi non repleantur dolore? super his me obstupefecerunt tenebræ, nec tantum pro horrore periculi, quantum pro horrenda novitate rei, quod tam lacrymabiles litteræ potuerunt scribi a matre contra filias suas, quamvis peccantes. In judicio Salomonis expressa est magnitudo pietatis maternæ, quando, judicante Salomone ut infans gladio divideretur, maluit mater filium suum sub aliena muliere vivere, quam gladio judicis dividi. Dixit Isaias: *Babylon dilecta mea versa est mihi in miraculum*: at ego dico, Roma dilecta mea *&* *mater* versa est mihi in miraculum. Quid enim tam mirabile, immo quid tam miserabile? Vidit olim David Angelum Domini stantem extento gladio super ecclesiam, David orabat ne populus occideretur: Angelus noster porrigens RUBERTO gladium, orat ut occidamur. Unde iste gladius nostro Angelo? jubente JESU discipulis, ut vendita tunica emant sibi gladium, dicunt discipuli: *Domine, ecce duo gladii hic*; & JESUS: *Satis est*. Ut ex patrum dictis colligimus, est unus gladius spiritus, quod est verbum Dei, de quo dicit JESUS: *Non veni pacem mittere, sed gladium*; & Propheta: *Maledictus qui prohibet gladium suum a sanguine*. Hunc gladium distringit JESUS magis contra carnales affectus, quam mundi assultus. Est & alter gladius spiritualis, quo mortificatis vitiis carnis emitur corona martyrii. Cum ergo duos tantum gladios a Domino habeant apostoli; unde iste tertius apostolico gladius quem in nos porrigit R. Comiti? Forte recurret apostolicus ad Jezechielem prophetam, ut de manu ejus tertium arripiens gladium, vadat ad dextram sive sinistram, cædendo bonos & malos. Dicit enim Deus Jesechieli Prophetæ, ut duplicetur & triplicetur gladius interfectorum. Puto, non dabit propheta gladium tertium apostolico; Propheta nempe duos evangelii gladios ostendens, per duos unius gladii usus, gladium apostolico dandum duplicat dicens: *gladius, gladius exacutus est & limatus*: exacutus, ut cædat victimas; limatus, ut splendeat. Exacutus est, quia, ut ait Hieronymus, qui malos percutit « in eo quod mali sunt, & habet gladium « interfectionis ut occidat pessimos, mini- « ster est Domini: limatus, ut sincere prædicetur verbum suum; triplicato gladio armat propheta interfectores; quia, ut ait Paulus, non sine causa judex gladium portat. Hic est gladius interfectionis magnæ, qui me cum Jesechiele obstupescere facit; quem enim non facit corde tabescere, quod apostolicus ad vivificandum unctus, accingitur in nos tertio gladio interfectorum? O utinam placatus Deus dicat etiam nunc angelo percutienti: *Sufficit, nunc contine manum tuam*: nihil dico in christum Domini, sed vicem nostram doleo; sed nisi christus Domini veniens ad caulas ovium intrasset in speluncam purgare ventrem, non præcidisset David oram clamydis ejus. Si quis est David inveniens hunc christum Domini dormientem, omnesque cum eo milites ejus dormientes, non mittat manum in christum Domini, sed tollat tantum hastam ejus, & sciphum aquæ, qui est ad caput ejus. Hanc hastam ejus quam contra nos erexit, ostendendo cunctis, hunc sciphum aquæ qui est ad caput ejus dormientis porrigo cunctis ad gustandum, ut sapiant omnes quam gravis est auctoritas legis ejus, * quas * distinxit gladios laicorum in cervices clericorum. Si liceret dicere, salva apostolicæ dignitatis reverentia, ipse nobis videtur dormisse, dormierunt cum eo omnes consiliarii ejus, quando conduxit sibi vastatorem ecclesiarum Dei. Præcipitur ut verbum episcopi sit sanum & irreprehensibile. Nos ergo non infirmamus aut reprehendimus verbum episcoporum episcopi, sed quia apostolicus non debet deviare ab Apostolo, quærimus humiliter per singula utrum hæc apostolici verba sint per omnia gravitati apostolicæ auctoritatis sana & irreprehensibilia. Ecce ut pater filio dilecto salutem mittit, & apostolicam benedictio-

* f. qua scilicet.
* f. distrinxit.

(a) Reversus statim irruit super eum Henricus imperator. Robertus vero anno sequenti 1102. Cameracum, aspera licet hyeme, obsidere cœpit, agrumque circumjectum depopulatus est, teste Mejero. Verum sequenti anno cum Henrico Leodii pacem iniit, ut legitur in brevi Chronico Elnonensi, tom. 3. Anecdot. Hinc colliges epistolam hanc anno 1102. scriptam fuisse ante pacis hujus pactum.

nem promittit; sed ut multis videtur, non ea illi opera indicit, quibus salutem a Domino mereri possit. Benedicit Deum qui in eo eam efficaciam suæ virtutis operatur, quod ecclesiam Dei debellat & depopulatur, ac per hoc cœlestis Jerusalem aditum ei pollicetur. Num recta via dilectum suum dirigat, ipse pater nobiscum videat, ut utamur verbis Augustini summatim collectis; Deus qui dixit, ego sum faciens pacem, & creans malum, sicut cetera suaviter disponit, ita etiam hoc disponit, ut bonum pacis per bonos faciat; malum vero belli per malos creet: utens enim Deus animis hominum pro voluntatibus, & meritis eorum, dignis digna opera imponit, ut dignis digna præmia rependat, bonis bona pro bonis, malis mala pro malis. Quis umquam populum Dei impune persecutus est? Quotiens peccabant filii Israël, suscitabat Deus hostes qui contererent peccantes; castigabat Deus quos amabat, & damnabat qui vitio suo tales erant, ut per eos mala inferret. Deus dicit per prophetam: ***Vocabo ab Aquilone servum meum Nabuchodonosor qui faciat voluntatem meam.*** Quam voluntatem? nisi ut peccantes disperdat; hunc servum suum Deus pro merito talis servitutis in bovem convertit. Peccanti David ait Deus: ***Ecce ego inducam malum super te de domo tua.*** Hoc malum executus Absalon, fugato patre suo, invasit Jerusalem. Per Isaïam Dominus dicit: ***Væ Assur, virga & baculus furoris mei, ipse in manu ejus indignatio mea, ad gentem fallacem mittam illum, & ad populum furoris mei, mandabo illi ut auferat prædam, & diripiat spolia &c.*** Cur Deus intentat, ***Væ Assur***, qui mala quæ fecit, eo mandante fecit? ***Væ mundo ab scandalis***, dicit Deus, ***necesse est ut veniant scandala, væ tamen illi per quem scandalum venit.*** Hoc Jeronymus sic exponit: Cum necesse quidem ut veniant scandala, væ tamen homini illi, qui quod necesse est, ut in mundo fiat, facit suo vitio ut per se fiat. Quid multis opus? ecce opera justæ militiæ quibus pater filium, papa cœlestis regis militem imbuit, per quem possit contendere ad cœlestem Jerusalem, impugnando scilicet ecclesiam Dei. Gratias, inquit, prudentiæ vestræ agimus, quod præceptum nostrum in Cameracensi parrochia executus es. Quæ vel & quanta sit vastitas Cameracensis ecclesiæ quis recolat sine dolore? Ego

A Leodium quidem, filia Romanæ ecclesiæ condolebam Cameracensibus, pro affectu germanitatis; nunc vero audiens hæc mala inferri eis præcepto apostolicæ auctoritatis, jam amplius doleo, quia matri meæ, ne in eam redundet illud quod dicit Deus per os Isaïæ: ***Væ qui condunt leges iniquas, & scribentes injustitiam scripserunt, ut opprimerent in judicio pauperes, & vim facerent causæ humilium populi mei, ut essent viduæ præda eorum, & pupillos diriperent &c.*** Tantam ecclesiæ desolationem, tantam pauperum vel viduarum oppressionem, tantam & rapinarum immanitatem, & quod his gra-
B vius est, promiscuam malorum & bonorum occisionem. Hæc & pejora his præcepto apostolici facta esse quis crederet, nisi ipse suo ore se prodidisset? Taceo (*a*) Cameracensem episcopatum in duos esse divisum judicio Romanæ ecclesiæ. Taceo GUACHERUM, qui apostolici assensu approbatus & prior ordinatus fuit, subito (*b*) exordinatum, excommunicatum, & alium ei superordinatum. Hæc juste necne gesta sint, in Dei pendet sententia; non invehimur in Christum Domini, ad quem pertinet solli-
C citudo omnium ecclesiarum: sed quia apostolicus hæc mala sibi ascribit, & ecclesiæ vastatori per gratiarum actionem applaudit, super his mirandum, an magis sit dolendum nescio. Cui hoc sit magis periculosum jubenti an obedienti, cui sit hoc magis damnandum facienti an patienti, quis homo discernet? Nos attoniti hac novitate rerum, quærimus unde sit hoc novum exemplum, ut prædicator pacis suo ore & alterius manu inferat ecclesiæ bellum? contra barbarorum & inimicorum Dei assultus concedunt canones etiam clericis arma ad defensionem urbis & ecclesiæ: bella vero indici
D ecclesiæ per auctoritatem canonicam nusquam scripturarum legimus. Quæro quod nescio, dico quod scio. Pacem JESUS, pacem apostoli, pacem apostolici viri prædicant: peccantes arguunt, obsecrant, increpant in omni patientia & doctrina. Inobedientes jubet Paulus dure increpari, quomodo dure increpentur inobedientes docet JESUS. Si peccaverit in te frater tuus, corripe illum, videlicet primo solus solum, secundo cum duobus testibus aut tribus, tertio cum ecclesia; si ecclesiam Dei non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Hinc ait Augustinus, illud quod ait JESUS:

(*a*) De hac divisione episcopatus Cameracensis paucis agit Johannes Iperius in Chronico S. Bertini c. 40. part. 1. quod scilicet Attrebatenses canonici ægre ferentes Cameracensium subjectionem, proprium ab Urbano II. petierunt sibi restitui episcopum; *papa vero, quia imperator Henricus rebellis erat contra ecclesiam, & propter hoc excommunicatus a Gregorio VII. contra quem antipapam statuerat, a quo se fecerat coronari, videns Cameracenses imperatori favere; Attrebatenses ab obedientia Cameracensis absolvit, & eis proprium episcopum ordinavit Lambertum archidiaconum Morinensem.* Porro acta omnia restitutionis Attrebatensis episcopatus edita habes apud Baluzium Miscellan. tom. 5.

(*b*) Guacherus, quem Gualterium vulgo nominant, vix anno uno episcopatu potitus est; nam anno 1094. ordinatus, sequenti 1095. dejectus, successorem habuit Manassem archidiaconum Remensem. De eo ita Albericus in Chronico ad an. 1094. *Gerardus episcopus Cameracensis obiit, cui Gualterus succedit, sed ipso postea ab episcopatu pulso, Manasses ordinatur episcopus.* Depositus nimirum in concilio Claromontano, ubi causa ipsius examinata est, uti videre est in Urbani papæ rescripto ad clerum & populum Cameracensem apud Baluz. Miscell. tom. 6. p. 325.

Si

» *Si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus*, est gravius quam si » gladio feriretur, si flammis absumeretur, si feris subjiceretur. Nam ibi JESUS quoque subjunxit: *Amen dico vobis, quæ ligaveritis in terra, ligata erunt in cælo*, ut intelligeretur quam gravius sit » punitus quilibet relictus est impunitus. Sic sententia veritatis exposita ab Augustino, quis divinæ vindictæ humanam vindictam superponat? Qui illum prosequatur quem Deus percussit, & super dolorem vulnerum Dei addit? Videat quid imprecetur illi Deus? Qui iniquitates & dolores nostros in persona dominici hominis portavit: *Appone iniquitatem super iniquitatem eorum, &c.* Si quis pro apostolico dicat, merito esse depopulandam ecclesiam, cui incubat excommunicatus episcopus, audiat exemplum in quo causa causæ & persona personæ respondet. Tempore primi GREGORII papæ, defuncto Salonitanæ urbis episcopo, cum decrevisset Gregorius, ut pro eo episcopus ordinaretur Honoratus, a Salonitanis electus; Maximus quidam auxilio militaris manus invadens episcopatum Salonitanum, & ab episcopis excommunicatis consecratus, a Gregorio excommunicatus est, & tamen missas celebrare præsumebat. Hunc Gregorius non aliis quam sacerdotalibus armis debellans, non super ordinavit ei Honoratum, non immisit ecclesiæ vastatorem; sed tamdiu peccantem arguit, donec septimo excommunicationis suæ anno tandem ad veniam petendam attraheret, eumque resipiscentem non exordinavit, non reordinavit; sed ei in gratiam suam recepto, quod deerat dato archiepiscopali pallio supplevit. Cum ergo Salonitanæ causæ similis sit causa Cameracensis, cur censura Romanæ ecclesiæ in simili causa utitur dissimili sententia? MARTINUS Turonensis posset apostolico sufficere ad exemplum, ut desistat ab oppressione innocentum. Priscillianum episcopum a Damaso papa pro hæresi damnatum Maximus imperator accusante Itachio episcopo occidit, & ut omnes sequaces ejus ubique occiderentur edixit. Martinus ergo aliique episcopi Itachium communione ecclesiæ privaverunt, criminantes eum quod ejus accusatione qualiscumque homo occisus sit. Maximus agebat cum Martino, ut Itachio communicaret. Martinus agebat cum Maximo, ut sequaces Priscilliani non occiderentur, ne etiam Catholici cum eis perirent. Quod petebat Martinus nullo modo impetrabat, nisi ad tempus Itachio communicasset. Sic quoddam anathema factus pro fratribus suis, retraxit a cervicibus eorum gladium imperatoris. Qui damnavit accusare Itachium pro morte hæretici, is si adjuvaret non laudaret etiam istum cujus præcepto tot occiduntur pro causa Cameracensium, qui etiam cum periculo animæ suæ liberavit a morte, quia graviter ferret innocentes pro aliena culpa opprimi. Nos res rebus conferimus, causas causis opponimus, at Cameracenses afflicti malis clamant ad domnum papam PASCALEM, sicut filii Israël afflicti malis clamabant ad Moysen: *Videat Deus & judicet, quoniam fœtere fecisti odorem nostrum coram Pharaone, & præbuisti ei gladium ut occideret nos.* Idipsum de Leodiensibus *excommunicatis pseudoclericis præcipimus, justum est enim ut qui semetipsos a Catholica ecclesia segregaverunt, per Catholicos ab ecclesiæ beneficiis segregentur.* Hic me vero invasit angustia quasi parturientis, & inde exclamare compellor, quia omnes parturientis dolores hic meus dolor vincit. Filios enim genui, hosque lacte alui fidei, hos pane veritatis confirmavi, & in virile robur provexi. Ipsa me beatificabam, quia eis in regis curia & in Dei ecclesia florentibus nihil deesse credebam; quod vel ad corporis decorem, vel ad animæ pertinet valorem. Sed quid est ab omni parte beatum? Ecce mater mea sancta Romana ecclesia vult immittere ejus pœnam excommunicationis, & insuper exerit super gladium occisionis. Super his ego quidem materno dolore torqueor, sed ipsi ætatem habent, pro se loquantur. *Idipsum*, inquit, *de Leodicensibus excommunicatis pseudoclericis præcipimus*. Statera dolosa non est bona, ait Sapientia. Quis conferet causam nostram causæ Cameracensium, ut & nos patiamur quæ patiuntur Cameracenses? Nos quidem Cameracensibus compatimur, nobis nihil tale verebamur. Cameracenses quia causæ causam, personæ personam superposuerunt, gladium sibi bicipitem superposuerunt. Nos vero Leodicenses, quare excommunicati dicimur, quare gladius nobis superponitur? quid dignum morte aut excommunicatione contra canonicam ecclesiæ regulam fecimus? In uno Spiritu nos omnes in unum corpus baptizati sumus, nos unius moris Deus in domo sua habitare fecit. Obsecrat nos Paulus per nomen Dei ut non sint in nobis schismata, quando significatum est Romanæ ecclesiæ quod contentiones fuerint inter nos? idipsum in Christo sapimus, idipsum dicimus; non dicimus: ego sum Pauli, ego sum Cephæ, ego autem Christi. Numquid pro hac unitate excommunicati dicimur? ut præcipit Paulus, obedimus & subjacemus præpositis nostris, qui vigilant pro animabus nostris. Nobis legem Dei tenentibus objiciunt, quod transgrediamur eorum traditiones: at illis dicit JESUS: *Quare vos transgredimini mandatum Dei propter traditiones vestras?* Jubet Deus ut quæ sunt cæsaris reddamus cæsari, & quæ sunt Dei, Deo. In hanc sententiam Petrus & Paulus eunt: Deum timete, regem honorate.

JUDICIUM HENRICI III. imperatoris adversus Prumiensis monasterii advocatos, in quo omnia eorum jura & privilegia designantur.

Circa 1102 *Ex cartario Prumiensi.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. HENRICUS divina favente clementia tertius Romanorum imperator augustus. Omnibus Christi nostrisque fidelibus tam futuris quam præsentibus notum esse volumus, quod WOLFRANNUS abbas Prumiensis & congregatio S. Salvatoris, dolens abbatiam injusta advocatorum & subadvocatorum, maxime autem BERTOLDI DE HAM & filiorum ejus insolentia vexari, sæpe clementiam nostram & principum nostrorum idipsum lacrymabiliter proclamans adiit, donec timore & amore Dei & ipsa justitia compulsi, filium nostrum HENRICUM regem, & episcopum Trejectensem CONRADUM, & HENRICUM comitem Palatinum, aliosque quam plurimos principes nostros convenire ad Novum monasterium ipsius abbatis, præcepimus pro justitia inter eos examinanda, & injustitia prohibenda. Ventum est ad diem. Abbas iterum & fratres sui eamdem proclamationem faciunt, quam huic cartæ jussimus annotari, quatenus ex injustitiæ consideratione, clarius eluceat decretum justitiæ.

Prumiensium proclamatio adversus advocatos.

Deo & vobis, domni & principes, proclamamus, quod advocatorum & subadvocatorum, maxime vero BERTOLDI DE HAM & filiorum ejus tanta super familiam & res ecclesiæ sancti Salvatoris excrevit insolentia, ut ipse BERTOLDUS publice exactores suos super loca & villas nostras ponat, & servitium suum per totum annum, ubi neque censum, neque ullam omnino, excepta advocatia, proprietatem habet vel habuit, prout sibi videtur constituat, & quasi debitum exigat. Unde coacti exactores sui loca nostra prædonum vice circumeuntes, placitis justis & injustis, petitionibus, minis, postremo invasionibus, ad ultimam homines nostros pauperiem redegerunt, & exire de patria & hereditate sua mendicandi coegerunt causa. Super hæc vero omnia ipse hospitia in curtibus nostris & in domibus familiarum singulis quotiens vult accipit. Post filii ejus, servi, deinde subadvocati & venatores, de rebus nostris & familiæ quantum sibi & suis libet singula accipientes, ex toto abbatiam devastantes.

Bertoldi advocati responsio.

Proclamatione facta, filio nostro & regni principibus causæ abbatis compatientibus, & in dignatione & clamore Bertoldi & filiorum ejus crudelissimam injustitiam quasi uno ore increpantibus, lectis etiam & expositis in audientia cunctorum omnibus testamentis signatis a PIPPINI regis tempore, ipsius ecclesiæ conditoris, quæ prædictæ ecclesiæ & advocatorum officium & jura continebant. Ipse adhuc in pertinacia obfirmatus, & irridens testamenta, dicens quod penna cujuslibet quælibet notare posset, non ideo suum jus amittere deberet. Tandem ad suæ defensionis arma confugiens, jus voluntarium solus hoc modo sibi constituit, ut servientes sæpefatæ ecclesiæ, quos ipse eligeret & nominaret, jus illud quod ipsi dicerent & sacramento firmarent, illud ipse probaret & sequeretur.

Huic conditioni abbas primum fortiter repugnavit; videbatur enim esse periculosum, ut relictis sacramentis sequeretur sacramentum eorum, qui datis manibus illi, vel ab eo suscepto beneficio, propter timorem sui vel rerum suarum illi adhærebant. Victus tamen ejus importunitate & amicorum, vix suscepto consilio, hac conditione concessit, ut eorum qui juraturi erant, dimidiam partem ipse abbas, dimidiam partem Bertoldus nominaret. Qui rursum nisi solus ipse cunctos nominaret propositum reprobavit. Abbate denique satisfaciente importunitati ejus, consensu suo quos Bertoldus nominavit processerunt, & sicut umquam rectius a majoribus suis acceperant, vel ad memoriam verius revocare poterant, advocatorum jura per singulas villas diligenter prædixerunt, & prædicta reverenter sacramento sanxerunt. Hæc sunt quæ prædixerunt & juraverunt.

Advocatorum & subadvocatorum jura & leges.

I. Nullus subadvocatus sive alia persona super res & familiam sancti Salvatoris audeat placita, petitiones facere, hospitia quærere.

II. Ipse advocatus qui bannum ab imperatore sive a rege accepit, tria solum placita in anno statutis in locis habeat, ubi quicquid vadimoniorum constituitur, dispositis ad arbitrium abbatis sive procuratoris ipsius vadimoniis, duæ partes abbati, tertia advocato persolvatur.

III. Super officiales ministros & beneficia servientium & omnia jura & curtilia abbatis nullam prorsus constituendi destituendive potestatem habeat, nisi aliqua rebellio ibi fiat. Et de occiso intus vel foris sancti Salvatoris homine, si per se abbas Weregeldum (a) acquirit, nil advocatus acquirat inde. Si vero advocatus acquisierit, duas partes abbas, tertiam advocatus accipiat. [a]

IV. Nullum verberare vel tondere sine abbatis vel fidelium suorum præsentia & sociorum suorum judicio præsumat, & si se culpabilis redimit, pretium dividant.

V. Si abbas in dominicatu suo silvam, ubi advocatus bannum super bestias non habet, ad novalia dederit, nihil advocatus inde habebit.

(a) Vveregeldum est capitis æstimatio, seu pretium impositum pro alicujus criminis mulcta.

VI. Nullus servientium abbatis pro culpa aliqua in domum advocati vel usquam pro gratia sua acquirenda sive ratione reddenda veniat, sive rationem reddat, nisi in præsentia abbatis in placito publico; sed neque mansionarius aliquis nisi in curte ad quam pertinet. Nulli hominum ecclesiæ parefredum sive bovem, aut vaccam, vel porcum, ovem, seu vestimentum, vel aliquid in domo sua, aut in agro, seu in prato, vel vinea potestative auferat. Quisquis hujusmodi juris est, ut ad bubulcum jure possit constringi, & qui censum de capite suo persolvit, hic si extra potestatem fugerit, vel tali loco ubi magister ejus justitiam ab eo habere non potest, constiterit, advocatus aut missus ejus cum legato abbatis illuc eat, & fugitivum atque rebellem ad curtim propriam constringat.

VII. Ubicumque res ecclesiæ, agri videlicet ac vineæ, sive decimationes, terra culta & inculta, infra advocatiam suam invasæ fuerint, aut juri ecclesiæ retineat, aut de suo restituat.

VIII. Ad tria placita quæ prædiximus unum servitium, quæ post Pasca debentur ab abbate accipiat. Duo quæ familia sibi debet taliter exhibeat.

IX. Unusquisque de familia obolum unum in epiphania Domini, alium in festo S. Johannis-Baptistæ ad servitium advocati persolvat. Curtes etiam determinatæ quæ advocato integrum servitium debent scripto mandatæ & sacramento firmatæ.

Hæ sunt videlicet *Mettendorf*, *Rumaresheim*, Prumia inferior, *Cunninbretch*, *Birgesbura*, *Vvalmeresheim*, *Sephirno*, *Merniche*, *Sueche*. Istæ autem dimidium persolvunt servitium, scilicet, *Ulmizo*, *Suevirdisheim*, *Buodenisheim*, *Morlebach*, *Deinisburo*, *Herisbesbancfeth*, *Luch*, *Mersche*, *Huttingon*, *Nanzeinheim*, *Badenheim*, *Eddelendorf*. Integrum quoque servitium erit modius unus tritici, situlæ vini duæ, porcus unus, XII. denarii, porcellus unus, gallinæ duæ, modii avenæ tres.

Dimidium vero servitium erit modius dimidius tritici, situla vini una, porcus unus, sex denarii, gallina una, avenæ modius & dimidius.

X. Super bannum & licentiam de vineis colligendis & super piscationes fratrum nullam potestatem advocatus habebit.

XI. Placitum cum servientibus, id est scarariis sancti Salvatoris semper post natale S. Remigii octavo die in *Merniche* placitabit. Eadem die ex parte abbatis jam dictum servitium integrum si venerit, accipiat; si autem non venerit, servientes de placito absoluti erunt, & villicus de servitio per totum illum annum. In quocumque autem loco jure placitum habere debet, eadem die villicus abbatis servitium advocato tribuat, & nusquam alibi, quia communiter debent frui, ibique constituta antiquitus die familia, si ei ante tres vel duos dies renuntiatum non fuerit, in curte expectet placitum. Quod si ab advocato neglectum fuerit, villicus de servitio & familia absoluta erit de placito.

XII. Unusquisque de familia diem unum in anno operetur advocato ad Prumiam, sive ad Ham, & nusquam alibi.

Hæc sunt advocatorum jura & officia; & hæc conditio inter prædictum abbatem WOLFRAMMUM Prumiæ, & ipsius loci advocatum BERTHOLDUM DE HAM, & filios ejus, & omnes post eos advocatos; a filio quidem nostro & principibus nostris constituta & laudata; a servientibus autem ecclesiæ jurata. Quæ omnia ab ipso filiisque suis bene sunt laudata; sed in multis postea male servata. Post mortem enim patris junior filius in beneficio ejus successit, qui rursum projecto jure, per vias patris passim incessit. Quod iterum abbas sæpius proclamans, & quasi inconsolabiliter dolens, cum aliud non poterat, donum beneficii fratri ejus B. videlicet, usque ad audientiam nostram nostrorumque principum protraxit, ubi pertinacia tanti mali patris & fratris ab omnibus qui aderant intellecta, cum jure legali negare ei posset, consilio tamen nostro rogatuque non modico, ibi in præsentia nostra recepit; sed tali conditione ipso laudante & vix impetrante, ut si quicquam de his quæ laudata a patre & a servientibus ecclesiæ fuerant jurata, ipse vel quisquam post eum infringeret, non aliud judicium quam proscriptionem totius beneficii quod ab ecclesia teneret, & expectaret.

Isti autem sunt qui advocatorum jura prædixerunt & sacramento confirmaverunt. Roricus de *Titendorf*, Walterus de *Herlingesdorf*, Adelgerus & Ruogerus *de Liezingun*, Adilgerus & Engilrich, & Wizo de *Buodenesheim*, Adilhart de *Hecilesrode*, Rorich de *Herminesdorf*, Ernost de *Badenheim*, Walteri de *Vvetlindorf*, Albwin de *Suievirdesheim*.

Hæc sententia coram me principibusque nostris sic tandem est diffinita, nostraque auctoritate firmata.

Hi autem testes sunt qui huic conditioni aderant.

HENRICUS rex filius noster. BRUNO archiepiscopus Treverensis, FRIDERICUS archiepiscopus Coloniensis, JOHANNES episcopus Spirensis, BURCHARDUS episcopus Monasteriensis, OTTO episcopus Babembergensis, EMEHART episcopus Wircemburgensis; OTBERTUS episcopus Leodiensis, & alii quam plures episcopi. FRIDERICUS dux, ADELBERTUS, GERARDUS, THEODERICUS comites. Item GERARDUS frater abbatis, Gerlach, Meginherius, Ri-

chwn, Cuono, Folcmar, Hereman, Henrich, Gundekar, Erkenbolt, & alii plures.

DIPLOMA BALDUINI episcopi Noviomensis.

Altare de Snellenghen *monasterio S. Quintini de monte concedit.*

Anno 1102. *Ex autographo.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Nulli pene fidelium incognitum esse constat, sanctæ Dei ecclesiæ cultores, apostolos videlicet & eorum successores domus Dei decorem dilexisse, & ecclesiastici ordinis honorem ampliasse. Quapropter ego BALDRICUS Tornacensium atque Noviomensium episcopus, HENRICI abbatis de Monte S. Quintini monachorumque suorum precibus exoratus, ut altare de villa *Snellenghen* dicta in Flandrensi pago sita eis concederem, consilio & assensu Lamberti archidiaconi nostrorumque clericorum, perpetuo tenendum eis concessi & donavi, tali videlicet conditione, quod presbyter in eodem loco Deo serviens, curam animarum eidem altari pertinentium gerat; & unoquoque anno in festivitate sanctorum apostolorum Simonis & Judæ episcopo seu ejus ministris sonniatam, XII. scilicet denarios solvat, atque synodalia jura, ceterasque consuetudines, ut mos est in vicinis ecclesiis faciat & solvat, sicque liberum ab omni munerum exactione maneat. Quod ne quis violare præsumat sub anathemate interdixi, & sigilli mei impressione corroboravi. S. domni BALDRICI episcopi. S. Lamberti archidiaconi. S. Berneri. S. Desiderii. S. Radulfi. S. Manechmi. S. Bernardi. S. Desiderii decani. S. Dudini de Ostrerca. S. Petri decani. S. Gunteri præpositi. S. Balduini cantoris. S. Guarmundi scholastici. S. Letberti. S. Geldulfi.

Actum anno dominicæ Incarnationis MCII. indictione X. regnante rege PHILIPPO, episcopante domno BALDRICO.

Ego Guido cancellarius conscripsi.

NOTITIA

De concordia inter monachos Cenomanenses & Gosbertum Boschetum de ecclesia Campaniaco.

Anno 1103. *Ex cartario S. Vincentii Cenomanensis.*

PRæsentium atque futurorum memoriæ commendamus cujusdam contentionis causam finalemque concordiam, quæ inter nos & Gosbertum Boschetum, nepotemque ejus Herbertum aliquantulum temporis injuste prævaluit. Gosbertus itaque & nepos ejus Herbertus in presbyterio ecclesiæ de Campaniaco contra jus calumniam facientes, præsumebant dicere ex hereditario jure illud eis accidere. Hinc igitur factum est ut RAMNULFUS abbas eorum instigatione presbyterum, qui tunc temporis præfatæ præsidebat ecclesiæ, expelleret, ejusque loco Fulcoium monachum dicti fratrem Gosberti satis indiscrete subrogaret. Cum autem Dei misericordia alium abbatem domnum WILLELMUM videlicet Majoris monasterii monachum nobis præstitisset, & ille rem istam inordinate factam cognovisset, protinus justa commotus ira, detestari cœpit, atque clamore nefandum istud calumniari. Unde factum est ut sæpedictum Gosbertum nepotemque ejus Herbertum cum coadjutoribus suis in curiam domni ILDEBERTI episcopi ad placitum venire cogeret, ibique quietam & solutam presbyterii calumniam, ut justum erat, in perpetuum dimiserunt. Ita tamen res finem habuit, ut jam dictus Fulcoius frater Gosberti totiens repetiti, ecclesiæ præfatæ sacerdos in vita tantummodo sua præsideret, nec eam deinceps jure hereditario sui generis aliquis possideret; sicque determinatum est, ut sæpedictus Fulcoius medietatem oblationis & decimarum habeat, excepta illa decima quam dederat Harduinus de Campaniaco monachilem habitum a nobis accipiens. Hujus rei sunt testes isti, Gaufridus decanus, Fulcherius cantor, Hugo de *Ciron*, Elinandus *Boschet*, Succherius presbyter de Ibreio, Paganus presbyter de Chala, Richardus Barbatus.

DIPLOMA RAIMUNDI comitis S. Ægidii.

De donatione medietatis villæ Gibellet facta S. Victori Massiliensi.

Anno 1103. *Ex archivis S. Victoris Massiliensis eruit D. Furnerius.* [a]

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego (a) RAIMUNDUS gratia Dei S. Ægidii comes & Provinciæ marchio, princeps autem, Deo auxiliante, militiæ christianæ in Hierosolimitano itinere, considerans peccatorum meorum immanitatem, atque parvissimæ quæ mecum est christianitatis, pro diversis excessibus imbecillitatem, instante etiam omnibusque modis inquirente, laboresque suos & sollicitudinem in meo servitio expendente domno RICHARDO S. R. E. cardinali & Massiliensi abbate, dono & concedo unigenito Dei Filio, ejusque venerabili matri S. Mariæ, necnon pretiosis martyribus Victori & sociis ejus, aliisque quorum reliquiæ apud honorabile monasterium Massiliense in Christo requiescunt, medietatem civitatis quæ vocatur *Gibellet*, quæ etiam in littore maris magni, altis muris, firmisque turribus munita inter Tripolim & Beritum, & omnium ad eam mari & terra

(a) Hanc cartam edidit Baluzius in suis ad Historiam domus Arvernicæ probationibus, sed adeo truncatam & interpolatam, ut necessario fuerit recudenda.

pertinentium, videlicet in ecclesiis, villis, castellis, casalibus, terris cultis & incultis, in portu, ac naufragiis, sive in cunctis ubique pertinentiis. Ista omnia ego R. Dei gratia comes immutabili donatione confirmo & corroboro Domino Deo prædictisque sanctis ac monasterio, præsenti quoque ejusdem loci abbati R. vel illius monachis etiam præsentibus & futuris ibidem Deo servientibus, sine fraude & dolo omnique malo ingenio, ut in perpetuum honorifice possideant, potestative teneant, feliciter honesteque habeant. Hoc autem feci venerabilibus commilitonibus meis consulentibus, immo cohortantibus WILHELMO scilicet Arvernensi comite, Biterrensi vero vicecomite B. denique (a) AICARDO Massiliensi, BERENGARIOque Narbonensi, quatinus omnipotens Deus per dictorum sanctorum congregationis intercessionibus & meis propitiari dignetur iniquitatibus, & suæ paucissimæ christianitatis, quæ me sibi post ipsum in caput & principem elegit, se opponat aversitatibus. Cartam vero donationis hujus ita firmam & ratam inviolabilemque tam ego quam præscripti nostri exercitus proceres esse volumus, & volendo sancimus, sanciendo ex auctoritate superni judicis, beatique Petri apostolorum principis, cujus obedientia ac fidelitate præsentia arma gestamus, omniumque sanctorum, & nostra, contradicimus quod nullus rex, nullus princeps, nulli denique cujuscumque dignitatis ordinisve, sive clericus sive laicalis potestas, ei aliquam violentiam inrumpendo inferre præsumat. Si autem, quod absit, post nostrum excessum, quia mortis legibus subjacemus, aut ante, quoniam judicia Dei abyssus multa, aliquis hujus nostri laboris, Deo permittente, potestate præditus, cupiditatis suæ tyrannidem super elemosynam aut donationem nostram exercere, eam infringendo tentaverit, divinæ ultioni in futuro pœnis plectendus subjiciatur, & in præsenti quemadmodum Achab pro agro Naboth Jesrahelitæ, quem male possidere concupivit, dehonestetur, ac judicio publico condemnetur, omni honore privetur, nisi quod injuste præsumserit, digna satisfactione emendare curaverit, in pristinam dignitatem honorem restituens, & pro damno quod intulerit, monasterio auri optimi libras mille componens, carta ista & donatione stabili immutabilique permanente in perpetuum.

Facta est autem carta donationis hujus anno ab Incarnatione Domini MCIII. mense Januario, sub die XVI. calend. Februarium, luna v. indict. XI. in castello quod appellatur Mons-Peregrinus, & est ante portam Tripolensem constitutum, regnante etiam in Francia rege Philippo, epacta XI. concurrente.

† RAYMUNDUS comes firmat.

† Signum Arvernensis WILLELMUS comes firm.

† Signum BERNARDUS vicecomes firm.

† Signum AICARDUS firm.

† Signum BERENGARIUS Narbonensis firm.

Signum WILLELMUS Ugonis firm.

† Signum PETRUS (b) episcopus Glandensis firmat.

† Signum ARBERTUS S. Evrardi abbas firmat.

Signum Pontius Grillonensis firmat.

Signum Willelmus Petri firmat.

Signum Berengarius Willelmus firmat.

Signum Aicfredus firm.

Videntibus Durando & Raimundo, qui hanc cartam fecit monachis & Bernardo, & Stephano clericis.

LITTERÆ HENRICI Paderbornensis episcopi.

Rogatu Erckemberti Corbeiensis abbatis decimas Huxarienses aliasque iis confines confirmat.

Anno 1104. *Ex ms. Corbeiæ novæ.*

NOTUM esse volumus tam præsentis quam futuri ævi fidelibus, quod ego HENRICUS Dei gratia ecclesiæ Paderbornensis episcopus, rogatu venerabilis ERCKEMBERTI Corbeiensis abbatis & fratrum ejus, tradidi ipsis in utilitatem specialiter fratrum decimas de novalibus quæ fuerunt super villam Huxariam in *Bilenberg*, in *Rougesberg*, in *Fritebugil*, in omnibus quæ vel modo extirpata sunt, vel posthac extirpari poterunt, pro remedio animæ meæ ceterorumque episcoporum, quas in Paderbornensi episcopatu possidere noscuntur, ne quis futurorum terminos antiquos, quos statuerunt patres nostri transgredi moliatur. Et ut hanc traditionem nostram & confirmationem nemo convellat, sed in æternum eis rata permaneat, has litteras ipsis conscribi fecimus, quas etiam impressione sigilli nostri in testimonium roborari præcepimus. Actum Corbeiæ anno domi-

(a) Baluzius scripsit *Aicardo reverendissimo Massiliensi*, atque inde occasionem sumsit in Indice ad tom. 2 Aicardum faciendi Massiliensem episcopum, quasi *reverendissimi* titulus nulli alii quam episcopo convenire posset. Verum præterquam quod ille *reverendissimi* titulus in hujus cartæ Autographo peregrinus est, avertere debuisset eum ab hac opinione *Commilitonis* nomen, quod hic ei tribuitur; nam vel ipsa hujus loci lectio demonstrat omnes hic commemoratos esse illustres milites cruce signatos. Baluzii opinio in errorem traxit auctorem novæ Galliæ Christianæ, qui ut Aicardo pseudo-episcopo Massiliensi locum daret in serie antistitum Massiliensium, Remundum qui tunc sedem illam occupabat, diuque post supervixit, bipartitus est, ut Aicardum duos inter Raimundos collocaret.

(b) Hic episcopus hactenus ignotus desideratur in vulgatis Indicibus præsulum Glandatensium, ubi collocandus est inter Pontium & Imbertum.

[a] nicæ Incarnationis MCIV. (a) imperatore Romanis HENRICO IV. præsidente Corbeiensibus abbate ERCKENBERTO.

Data decimo sexto cal. Martii.

CARTA LUDOVICI REGIS Franciæ filii de libertate villæ de Angicourt.

Circa 1104. Ex cartario Vedastino. [b]

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego LUDOVICUS PHILIPPI regis filius in regem Francorum designatus. (b) Notum & manifestum fieri volo præsenti nationi & succedentium posteritati, quod Nogordus apud Angicurtem pravas & inusitatas super terram S. Vedasti consuetudines extulerat, quas Petrus de Plexiaco Alberici filius, Hoiordi successor filiam ejus habens, & terram ipsius in custodia tenens, tenere ut antea invenerat, volebat, & monachis S. Vedasti pro justitia reclamantibus, ipsoque præfato Petro, quoniam ita consuetudines invenerat, contra renitente, Compendii de præfatis consuetudinibus ante nos convenerunt in judicium, qui videlicet Petrus in causam de supradictis ausus intrare non fuit, sed ut justum erat, præfatas consuetudines, justitia nostra cogente, liberas esse permisit. Ceterum notum facio quod præfata terra S. Vedasti his consuetudinibus ante nos est attributa, uti temporibus fuit Marci Stamparum, qui terram dudum sub tutela sua habuit. Consuetudines autem tales sunt, quibus est dedita de conductu plaustrorum per singulos annos triginta solidos & quadraginta anguillas & pastum duorum clientium solvit terra; & mansuræ hospitum S. Vedasti, si pastus debent, sex denarios singulæ solvunt, & tessaram numquam dabunt hospites, nec corveias facient. Deinde si hospites S. Vedasti delinquerint super ipsam terram, justitiam totius forisfacturæ faciet abbas, & habebit forisfactum. Domus autem monachorum & curia cum tota villa ita liberrima est, ut neque rex, neque comes ibi ullam potestatem exerceat. Et ut istud firmum & ratum sit ad memoriam posterorum, sigillo meo corroborari præcepi. Huic autem affirmationi & concessioni interfuerunt ex parte LUDOVICI, domni Guido Silvanectensis, Frogerus de *Caalons*, Odo Penetrans-utrem, Radulphus de Martreio, Ivo de Civereris, Willelmus de Bistiaco. Ex parte autem S. Vedasti Reinardus de Bernulio, Odo Major, Bauduinus S. Vedasti famulus, Rogerus Ansoldi filius, Werno filius Odelinæ, Werno filius Celsæ, Symon capellanus domini LUDOVICI propria manu subscripsit temporibus HENRICI abbatis atque Walteri monachi.

EPISTOLA ROTHARDI archiepiscopi Moguntini ad clerum ecclesiæ Halberstatensis.

Hortatur clerum Halberstadensem, ut sui exemplo ad gremium ecclesiæ redeant.

Anno 1105. Ex ms. sancti Germani a Pratis. (c)

ROTHARDUS (c) Dei gratia Moguntinæ ecclesiæ archiepiscopus, omnibus in clero Halberstadensi unitatem sanctæ ecclesiæ amplectentibus fraternam dilectionem.

Qui veræ dilectionis dona a Deo pacis consequi merentur, excellentius ceteris cognoscunt, quantum pondus sollicitudinis sustineat vigilantia ordinatæ dilectionis. Hoc tamen ex quo debui semper pro vobis vigilanter debita devotione portavi. Neque enim si ad horam intermissa fuit nostræ paternitatis commonitio, minus pro vobis vigilavit devotæ sollicitudinis intentio. Proinde nunc quoque vos apostolica exhortatione contestor, obsecrans in Christo, reconciliamini Deo. Nulla vobis erit confusio, immo gloria & honor redire ad viam justitiæ, à qua vos deduxit tortuosa semita sinistri. Scimus equidem spiritualis intelligentiæ vestræ oculos nequaquam effugisse, quod Dominus ipse, qui æterno illo providentiæ ictu omnia simul complectitur, pro meritorum qualitate sententiam suam legitur mutasse, simulque cum voluntate voluntatis actionem præcidisse, cum eum aut oratio suorum impotentem reddidit, aut ira ejus miserorum gemitu victa succubuit. Ipse princeps apostolorum a minimo collegii illius consorte correptus, correctus est, nec veritus est cedere admonitioni junioris, cujus zelum vidit in studio divini amoris, hoc cælesti oraculo nos quoque admoniti, nobis ipsis renunciavimus (d), & priorem nostram vitam, si tamen vita est ad mortem ducens, jam pridem condemnantes, in ecclesiæ unitate renati, novam vitam in Christo ducimus, ob maledicta & detractiones in ecclesia Dei lepra perfusi extra castra seorsum a populo mansimus, nunc autem hysopo humilitatis & sanctificante pœnitentiæ aqua, per manum magni Sacerdotis mundati, in castris Domini militamus, immundis spiritibus expositi, & immunditia [d]

(a) Possunt hoc instrumento emendari Corbeiensium Fasti, qui Marquardi abbatis mortem ad annum 1106. referunt, nisi quis dixerit ipsi adhuc vivo subrogatum fuisse Erckembertum, quod nusquam legitur.

(b) In regem designatus est Ludovicus, ac cum Patre Philippo regnare cœpit anno 1103.

(c) Rothardus, sive, ut aiunt, Ruthardus ex abbate Herefordiensi electus archiepiscopus Moguntinus anno 1089. obiit 1109.

(d) Ex his patet Rothardum Henricianis aliquando adhæsisse; a quibus aversus & ad legitimum pontificem conversus, mirum quanta passus sit à schismaticis, per octo minimum annos actus in exilium.

hæreticæ fornicationis profanati, jam cum Maria JESUM videmus, videndo appropinquamus, appropinquando pedibus ejus non sine officio inhæremus. Nemo nobis insultet de sepultura quatriduani. Ecce miseratio Altissimi, qui fœtebat in monumento resurrexit, vivificante Domino, ac soluta per apostolos mortis fascia, absque sepulturæ indicio exultans de salute discumbit in convivio Dominico. Fuit, fuit aliquando persecutor & blasphemus impugnans viam Domini, qui postea factus est dux Verbi, qui mox apostolus pro se agens dixit: Sed hæc olim fuimus, sed abluti, sed sanctificati sumus. Certe si magnus ille apostolus non mutasset sententiam negationis, non paulo post consecutus esset culmen apostolicæ dignitatis, sed nec evasisset pœnam æternæ damnationis. Non est enim remissa aut inefficax divina miseratio, ut cum culpas gravissimas remittit ex superabundanti gratia largissima, etiamsi conferat pietatis munera. Ipsa illa columba licet sero, vesperi licet ad arcam sit reversa, signum pacis, signum dilectionis ex ore ferens, per ostium introgressa est. Præses enim arcæ antiquus ostio aperto manum extendit, & per diversitatem donorum spiritualium receptam in superioribus arcæ collocavit. Fel & acetum Dominus bibit, quia in Maria & latrone peccatores diversos sibi incorporavit. Spineam coronam portavit, quia regnum nobilissimum in gentilitate vitiorum aculeis asperrima sibi præparavit. *A diebus*, inquit, *Johannis regnum cælorum vim patitur, & violenti diripiunt illud.* Si meretrices & publicani nos in regnum Dei præcesserunt; quæ jam diffidentia nobis erit de salute? Ostium in cælo apertum est, cœna diu instructa, tauri & altilia Dei jam dudum occisa, vocamur debiles, cæci & claudi, immo tot præconum clamoribus ad cæleste convivium compellimur. Quapropter, in Christo fratres carissimi, non erubesco me immutatum, sed gratias ago dextræ Altissimi, cujus hæc est mutatio. Fateor, fateor, & gratanter fateor, me cum omni mentis integritate in gremio sanctæ matris ecclesiæ familiariter consedisse, sæpius illud revolvendo: *Unam petii a Domino hanc requiram.* Et item: *Lavabo inter innocentes manus meas & circumdabo altare tuum, Domine.* Hæc est enim illa dilecta, speciosa & decora non habens schismatis, nec maculam falsitatis. Tota enim pulcra est, cujus speciem concupivit rex: quam qui noluerit habere matrem, Deum non poterit habere patrem. Hæc sententia Spiritus-sancti auctoritate & antiquorum patrum sanguine conscripta & confirmata, cælo & terra permanentior in sæculum durabit. Verum quia non filii patribus, sed patres filiis thesaurizant, hanc plenariam ecclesiæ matris gratiam non mihi soli, sed vobis filiis charissimis gaudeo collatam, & nunc omnes spiritales merces ac dominicum talentum, & perversam pacis margaritam, quam negotiando lucratus sum, vobis filiis expono, ut vos quoque divites sitis in omni verbo & in omni scientia. Opto autem omnes vos esse sicut me, exceptis privatis peccatorum meorum vinculis. De cetero precamur & obsecramus, ut de collegio vestro quos nostis idoneos in calendis Decembris dirigere velitis, qui possint interesse (a) conventui ecclesiæ, qui se in villa nostra ad honorem ecclesiæ colligere decrevit. Illic namque matris ecclesiæ facie exhilarati, colloquio informati, consilio roborati, plenissime cognoscetis, qualiter unius moris & cum consensu habitare possitis in domo Domini. Obsecramus vos in Domino JESU, ut idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata, memores quia vindex gladius idolatras prostravit, scismaticos vero hiatus terræ absorbuit. Deus pacis & dilectionis conservet vos in unitate spiritus, & vinculo pacis, dilectissimi filii. Amen.

DIPLOMA ILDEBERTI Cenomanensis episcopi, pro Cenomanensi S. Victoris monasterio.

Confirmat monachis concessas à laicis ecclesias.

Anno 1106. *Ex cartario S. Vincentii Cenomanensis.*

QUANTIS quibusve studiis monasteriorum quietem tueri habeat religiosorum devotio pontificum, veneranda nobis patrum sanctorum tradidit antiquitas. Eorum exemplis indignus ego Cenomanensis ecclesiæ sacerdos ILDEBERTUS, & provocatus & accensus, fratribus qui in monasterio sancti Vincentii Domino Deo deserviunt, adversus quorumdam improbitates tranquillitatem decrevi providendam. Ne qua igitur impudenter calumniantium molestia in præfatum quicquam moliatur monasterium, quarumdam ecclesiarum beneficia, quæ ei fideles contulerant laici in perpetuum possidenda, & concedimus & in præsenti pagina firmamus. His tamen quæ episcopum & archidiaconum seu etiam archipresbyterum contingunt, ex integro retentis, videlicet synodis, circadis, & si qua alia in forisfactis, aut in ceteris redditibus, sive etiam in tuitione presbyterorum ad præfatas videntur pertinere personas. Quæ vero illæ sint ecclesiæ subsequens ha-

(a) De hoc conventu ita Albericus in Chr[illegible]o ad annum 1105. *Habito in villa regia Northusen epis[illegible]orum conventu, præsidente Rothardo Moguntino archiepiscopo, qui a sede propria jam per multum temporis ab imperatore pulsus fuerat, simoniam aliaque ecclesia Romana contraria condemnavit Henricus imperatoris filius.* De eodem conventu Otto Frisingensis lib. 7. c. 8. Chronica Urspergense, Hildesheimense, Hirsaugiense Trithemii &c.

bet inscriptio. Ecclesiæ de Tusi, ecclesia de A Campaniaco, ecclesia de *Ver*, ecclesia de Avenis, ecclesia de Curte-lucro, ecclesia de Segona, ecclesia de Luertione, ecclesia de Basilgeriis, ecclesiæ de Aceio, capella S. Audoeni de Baladone, ecclesia S. Leonardi, ecclesia de Curia-dodæ, ecclesia de Monasteriolo, ecclesia de Curtis-monte, ecclesia de Ham. Facta est autem hujus assertio concessionis anno ab Jncarnatione Domini MCVI. episcopatus vero prædicti episcopi x. indict. XIV. PHILIPPO rege, HELIA comite. Quod quisquis violare præsumpserit, anathemati subjectus maledictionem Dei incurrat. B

EPISTOLA ROTHARDI archiepiscopi Moguntini, ad Gebehardum Constantiensem episcopum.

Invitat eum ad futuram electi Halberstatensis ordinationem, Moguntiæ III. *calendas Aprilis celebrandam.*

Anno 1106. Ex ms. S. Germani à Pratis.

ROTHARDUS Moguntinus archiepiscopus sanctissimo & carissimo fratri Constantiensi episcopo GEBEHARDO confortari in Domino, & in potentia virtutis ejus. C

Misericordiæ Dei altissimi gratias agere oportet, quia populus qui diu sedebat in [a] tenebris lucem magnam vidit. (*a*) Sanctitati vestræ non incognitum est, quanto tempore terra Saxonum penuria catholicorum episcoporum graviter laboraverit, & quantas persecutiones Moguntina ecclesia ab invasoribus passa sit. Ad hoc malum extirpandum Halberstadensis ecclesia consensu domini nostri regis, consilio archiepiscoporum & episcoporum & voluntate aliorum principum, electione quoque cleri & populi D fratrem nostrum Moguntinensis ecclesiæ [b] canonicum suscepit episcopum. (*b*) Ad hujus ordinationem & cetera ecclesiastica officia vestro auxilio & consilio finienda caritate qua debeo, III. calendas Aprilis Moguntiam fraternitatem vestram voco. Omnes suffraganeos Moguntinæ ecclesiæ ad eamdem diem litteris & nuntiis evocavi, & quomodo cum ipsis agere possim & debeam in vestra maxima erit deliberatione. Speramus & oramus, & quomodo debemus monemus, ut omni postposita excusatione, præ- E dicta die Moguntiam veniatis, & si aliquo modo, quod absit, sanctitas vestra præpediatur, epistola vestra consensum & consilium nobis vestrum mittat.

EPISTOLA RAINHARDI electi Halberstadensis, ad Gebehardum episcopum Constantiensem.

Invitat eum ad suam consecrationem Moguntiæ faciendam.

Anno 1106. Ex ms. S. Germani à Pratis.

VENERANDO & diligendo in CHRISTO JESU Constantiensi episcopo GEBEHARDO, RAINHARDUS Halberstadensis ecclesiæ electus episcopus se & omnia sua.

Scio quod zelus domus Dei & quotidiana sollicitudo omnium ecclesiarum quæ in vobis fuit & est, Halberstadensi ecclesiæ propitium vos faciat, unde & multum sperans de tanti patris benivolentia, quia vos secundum apostolum Paulum omnibus impenditis & superimpenditis, ad consecrationem meam II. idus Aprilis Moguntiæ pro dilectione Dei, & liberatione ecclesiæ, & respectu servitii mei, vos posco venire, quia omnes filii ecclesiæ in negotiis ecclesiæ vestrum auxilium & consilium judicant postulandum esse. Certum est quia Spiritussanctus qui habitat in vobis, perficiet in vobis opus bonum quod incœpi. Nam lumen Veritatis ut verbum justitiæ, quod barbara gens nostra per vos meruit cognoscere, per vos discit diligere. Ante omnia vos scire volo, quod ad onus durissimæ provinciæ imperio domini mei regis, violentia principum, nolens & reclamans raptus sum. Iterum lachrymis & clamoribus quibus absens possum, ut principem ecclesiæ vos voco, ut vestro consilio & auxilio in me inutili trunco, quod utile & honestum sit ecclesiæ plantetur. Si vero, quod absit, vestra præsentia carere contingat, ut in epistola consensum vestrum domno archiepiscopo mittatis humiliter rogo.

EPISTOLA GEBEHARDI episcopi Constantiensis, ad Rothardum archiepiscopum Moguntinum.

Excusat se quod non possit interesse Moguntiæ ordinationi Rainardi electi Halberstadensis.

Anno 1106. Ex ms. S. Germani à Pratis.

DOMINO semper & ubique venerando ROTHARDO archiepiscopo GEBEHARDUS Constantiensis non merito, sed nomine episcopus, fidele servitium & orationes.

Primum debitas patri luminum gratias ago, qui ut vestris ex parte verbis utar, diu lippientibus Saxonum oculis & amorem intuendæ veræ lucis contulit & virtutem. Specialiter autem congaudeo profectui Halber-

(*a*) Hoc ex loco ac multis aliis patet Sanctitatis titulum, qui hodie soli Romano pontifici tribuitur, aliis omnibus episcopis olim fuisse attributum.

(*b*) R[illegible]dum de cujus familia extat opusculum tom. I. Script. Brunsvic. pag. 703.

stadensis

stadensis ecclesiæ, cui cum archiepiscoporum & episcoporum consilio cum cleri simul & populi electione novus pontifex dicitur advenisse. Quid enim aliud de persona domni REINARDI sentiam, nisi quod vere tanto ministerio aptus & nullatenus a sacris canonibus sit respuendus? Igitur sicut vestra testatur auctoritas, tam plenaria eorum quorum interest consensione probatur electus, vel potius ut in litteris suis dicit, (a) raptus. Quod autem humilitatis meæ præsentiam ad cooperandum in ejus ordinatione postulatis, & ecclesiæ nostræ nimis in tali tempore periculosum, & mihi tam laboribus quam ætate confecto difficillimum, & vobis Dei gratia minus necessarium. Quapropter istas tamquam præsentiæ meæ vicarias & vestræ paternitati & illius dilectioni litteras dirigo, quas ut mei loco dignanter suscipi jubeatis, obsecro. Omnipotens Deus sanctitatem vestram ad perfectum finem perducat. Amen.

VERSUS HEINRICI IMPERATORIS ad filium suum.

Anno 1106. Ex ms. Stabulensi.

SUm quoniam pauper, non est me vilior alter.
Heu mihi! quid faciam? quo me vertam? cui credam?
Suevulus & Saxo concedunt nunc tibi falso,
Perfida gens vere, per quam multi periere.
Quod si depellor, & tu pelleris, & error
Pejor erit primo. Mi fili, dulce caveto.

DONATIO ECCLESIÆ sancti Johannis de Fontibus diœcesis Gerundensis, facta sancto Victori Massiliensi ad construendum monasterium.

Anno 1106. Ex autographo S. Victoris Massiliensis eruit D. Furnerius.

SIT notum cunctis præsentibus atque futuris, quoniam reverendæ memoriæ RAYMUNDUS vicecomes, & ERMENSENDIS uxor sua vicecomitissa ob amorem omnipotentis Dei & suorum peccatorum remissionem, assensu & voluntate domni BERENGARII sanctæ Gerundensis ecclesiæ præsulis, necnon & suorum canonicorum, cedeunt & gratuito animo concesserunt ecclesiam S. Johannis de Fontibus inferioribus, S. Victori martyri Massiliensi ad construendum ibi cœnobium monachorum, sub manu domni RICHARDI Romanæ ecclesiæ cardinalis & Massiliensis abbatis. His piis votis & collationibus ego BERNARDUS divino nutu sanctæ Gerundensis ecclesiæ episcopus, canonicorum nostrorum auctoritate fultus, exultantibus animis favens, & annuens decessoris mei assensui & voluntati; favore perpetuo decerno, ut in perpetuum sit ibi monachorum cœnobium sub regula B. Benedicti militantium; & sit semper alodium & dominium transfusum in jus sancti Victoris Massiliensis, & præsentis abbatis domni Richardi & omnium successorum suorum. Insuper huic eccesiæ S. Johannis confero & concedo ecclesiam S. Mariæ de *Castellar*, & ecclesiam S. Petri *Logorzano*; & ecclesiam S. Christophori de Fontibus superioribus, & ecclesiam S. Eulaliæ de Bacgudano cum omnibus decimis & primitiis & obsequiis universis ad omnes præfatas ecclesias pertinentibus, eo tenore ut ab hodierno die & deinceps pralibatæ ecclesiæ sint alodium prænotatæ ecclesiæ S. Johannis, & sæpedicta S. Johannis ecclesia cum omnibus adquisitis & deinceps adquirendis sit proprium alodem S. Victoris Massiliensis: salva tamen in omnibus episcopali reverentia S. Gerundensis ecclesiæ, excepta hereditate Raimundi sacristæ & Petri fratrum.

Acta scripta anno dominicæ Incarnationis centesimo sexto post millesimum & quadragesimo octavo regni Regis PHILIPPI die nonarum Julii.

BERENGARIUS Dei gratia Girundensis ecclesiæ episcopus.

† BERNARDUS gratia Dei Gerundensis episcopus.

RAIMUNDUS Gerundensis archidiaconus & S. (b) Felicis abbas.

† (c) ATO S. Romanæ ecclesiæ diaconus cardinalis.

SIRINUS nutu Dei Amfriensis abbas.

Bes.........

† Petrus Guillelmus......

Raimundus levita.......

Gaufredus du..........

Je........ canonicus.

Sig†num Berengarii Guannalgaudi.

Nos omnes Gerundensis ecclesiæ canonici, laudamus & confirmamus quæ superius sunt scripta & data.

† Hoc Berengarius signum post scripta notavit.

Ego Guillelmus sacerdos & monachus... manu propria, die & anno quo supra.

(a) De ejus electione & consecratione ita Chronicon Saxonicum ad annum 1107. *Reinhardus Halberstadensis electus imperio Heinrici regis, consilio quoque principum, & violentia, quamvis invitus assumitur, & Moguntiæ a Rothardo archiepiscopo 11. calendas Aprilis consecratur.* Et Chronicon Ilsinenburgense: [*Heinricus rex Reinhardum Halberstadiensi ecclesiæ episcopum præfecit.*

(b) Forte monasterii S. Felicis Guixalensis in diœcesi Gerundensi, quod aliquandiu Crassensi monasterio fuit subjectum.

(c) Nota subscriptionem diaconi cardinalis post episcopos, & etiam post sacerdotes.

NOTITIA

De relevamento altaris ecclesiæ Soldiaci dato ab Hugone de Lupi-saltu.

Circa 1106. Ex cartario S. Vincentii Cenomanensis.

NOtum sit tam præsentibus quam futuris Hugonem de Lupi-saltu & uxorem suam Mariam nomine, dedisse monachis S. Vincentii in eleemosyna, relevamentum altaris ecclesiæ de Soldiaco. Idem namque Hugo excommunicatus erat & tota familia sua pro præda monachorum de Soldiaco, quam pro eodem relevamento rapuerat. Sed tandem prædicta uxore sua gravi ægritudine oppressa, qua & mortua fuit, de cujus hereditate relevamentum erat, supradictus Hugo & mater ejus uxoris, nomine Mathildis, & eadem uxor sua supradictum relevamentum dederunt & concesserunt monachis S. Vincentii, & absolutionem excommunicationis jussu domni HILDEBERTI episcopi acceperunt; monachi quoque prædictam prædam, quæ decem pene libras valebat, præfato Hugoni quietam dimiserunt. Porro abbas WILHELMUS, qui fuerat Majoris-monasterii monachus, & Wilhelmus de Boeria, qui tunc prior S. Vincentii erat, ad sanctum Karilephum perrexerunt, & de hac re in capitulo S. Karilephi coram GOSBERTO abbate & toto conventu & sub testimonio plurimorum, qui subscripti sunt, concessionem habuerunt. Idem vero abbas WILHELMUS hujus rei causa obsequium sepulturæ uxoris memorati Hugonis satis decenter implevit. Pro qua concessione dederunt monachi Pagano clerico fratri Hugonis quemdam missalem, de quo postea idem Paganus XXXII. solidos habuit. Hoc donum concesserunt etiam & firmaverunt filii Hugonis de Lupi-saltu. Isti autem fuerunt in capitulo S. Karilephi, ubi hæc omnia a præfatis personis concessa sunt. Silvester de sancto Karilepho, Poolinus, Wauterius de Vilereys, Drogo de Villenis, Wilhelmus de Mengeio, Theobaudus de Venthaio, Sevinus filius Poolini, Wilhelmus Godelini, Reginaldus *Piche*.

DIPLOMA HENRICI V. regis pro S. Maximino.

Plura monasterio S. Maximini ablata prædia restituit.

Anno 1107. Ex cartario Trevirensi S. Maximini.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. HEINRICUS divina favente clementia V. Romanorum rex. Justitiam cuique facere cum omnium sit generaliter, nostri solummodo est principaliter, quia ad hoc in regali dignitate ceteris præminemus mortalibus, ut judicium & justitiam faciamus omnibus injuriam patientibus. Quapropter no-

A tum sit omnibus Christi nostrique fidelibus tam futuris quam præsentibus, qualiter BERENGOZUS abbas & fratres ex monasterio S. Johannis Evangelistæ sanctique Maximini pretiosissimi confessoris Christi, nostram regalem adiere clementiam, flagitantes ut pro timore Dei & amore justitiæ, quasdam curtes & possessiones, agros & vineas, a præbenda illorum injuste ablatas restitueremus, & restitutas nostro regali præcepto confirmaremus. Quorum petitionem cum propter amorem Dei, tum ob reverentiam B S. Johannis Evangelistæ & S. Maximini, & ob interventum fidelium nostrorum RUOTHARDI videlicet Mogunciacensis, BRUNONIS Trevirensis, FRIDERICI Coloniensis, CUONRADI Salzburgensis venerabilium archiepiscoporum, GEBEHARDI Constantiensis, BURCHARDI Monasteriensis, UDONIS Hildinesheimensis, OTTONIS Babembergensis, ARLONGI Wirziburgensis venerabilium episcoporum, BERTOLFI ducis, BERENGERI, SIGEFRIDI, WICPARDI, GODEFRIDI, HERIMANNI comitis, aliorumque fidelium nostrorum, has duas curtes unam vocabulo *Mannendal* in pago *Nahgovve* C sitam, quam Cuono quidam de Suevia injuste detinuit, aliamque curtem *Gunteresbusen* vocatam, quam Adelbertus quidam de Leia per aliquot annos injuste possedit. Bona etiam sua quæ in villa *Vvilere* juxta Metensem civitatem, & in suburbio ipsius, & in ipsa urbe in vineis & areolis quidam Heisso de Ruticho hactenus violenter habuit, sive quod HEINRICUS dux in villa *Leznich* per aliquod tempus fratribus abstulit. Insuper etiam duodecim mansos ultra Rhenum in villa *Aschabah*, quos Gerhardus quidam de *Diedisse* a WILLIHELMO comite injuste detinuit, septem vero D mansos in villa Luttestarra dicta, quos Ruodolphus quidam de *Marciche* a præbenda fratrum injuste subtraxit. Has igitur curtes sive possessiones præfato abbati ac fratribus reddimus, firmamus, & in æternum S. Johanni, sanctoque Maximino stabilimus, ea videlicet ratione, ut nec aliquis successorum nostrorum regum & imperatorum, nec prædictus abbas, nec aliquis successorum suorum quicquam de eisdem rebus alicui umquam dare, præstare vel vendere præsumant, sed fratres iidem inde consolati, pro nostra vita temporali & æterna obnixius Deo supplicare prævaleant. Et ut hoc præ- E sens regalitatis nostræ præceptum firmum inde & stabile permaneat, manu propria subterfirmavimus, & sigilli nostri impressione insigniri jussimus.

Signum domni HEINRICI V. Romanorum regis invictissimi.

ADELBERTUS cancellarius ad vicem domni RUOTHARDI archicancellarii recognovi.

Data VI. nonas Maii, anno dominicæ In-

carnationis MCVII. indictione XV. anno regni domni Heinrici V. regis IX.

Actum Moguntiæ in Dei nomine feliciter. Amen.

PRIVILEGIUM HENRICI V. regis pro monasterio sancti Maximini.

Quædam vi ablata prædia restituit.

Anno 1107. Ex cartario S. Maximini Trevirensis.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. HEINRICUS divina favente clementia V. Romanorum rex. Si locis divino cultui mancipatis, quibus beneficia non conferimus, saltem ab aliis Christi fidelibus quondam tradita, & postmodum per violentiam malignorum hominum injuste subtracta restituerimus, divinitus nos procul dubio remunerari confidimus. Quapropter fidelium nostrorum, tam præsentium scilicet quam futurorum magnitudo comperiat, qualiter nos ob amorem Dei & ob interventum fidelium nostrorum, domni videlicet BRUNONIS Trevirensis archiepiscopi, & BURCHARDI Monasteriensis, ADALBERONIS Metensis, OTTONIS Babembergensis, EBERARDI Eibstatensis, BRUNONIS Spirensis venerabilium episcoporum, WILLIHELMI comitis, BERHDOLFI ducis, GODEFRIDI, HERIMANNI, WIGBERTI, FRIDERICI comitum, aliorumque fidelium nostrorum, & ob crebram & importunam BERENGOZI abbatis querimoniam reddidimus cœnobitis S. Johannis evangelistæ, sanctique Maximini, qui in suburbio Trevirorum corporaliter quiescit, quicquid in civitate Metensi vel circumcirca infra vel extra, sive in curte quæ vocatur *Vvilere* in domibus & areolis, agris & vineis, sive in ecclesia quæ vocatur Luzelenkircha, quæ quidam Hessi & Adalbertus serviens Metensis episcopi hactenus injuste possederant, necnon quod Willihelmus quidam de Scura in Liutardesdarra jam per duos annos injuste sibi adunaverat, sive quod ultra Rhenum fluvium in loco qui vocatur *Ascabah*, GERHARDUS quidam frater HEINRICI comitis diu jam injuste sibi usurpaverat. Hæc igitur omnia præfato abbati suisque fratribus, propter amorem Dei tali modo & ea conditione reddimus, firmamus, & in æternum Deo auctore stabilimus, ut nullus successorum nostrorum regum vel imperatorum, nullus abbas, nullus comes, nulla persona parva vel magna de præfatis rebus alicui cuiquam beneficiare præsumat, sed liceat jam dicto abbati suisque successoribus inde ulterius agere, quod ad utilitatem ipsius monasterii ac fratrum utilius videatur. Et ut hæc nostræ auctoritatis præceptio pleniorem in Dei nomine habeat firmitatem, cartam hanc inde conscribi, & ut infra apparet, sigilli nostri impressione jussimus insigniri.

Signum domni HENRICI V. Romanorum regis invictissimi.

ADALBERTUS cancellarius vice RUOTHARDI archicancellarii recognovi.

Data VIII. cal. Junii anno Incarnationis Domini MCVII. indictione XV. anno regni domni Henrici V. regis VIIII.

Actum in Mettis civitate in Dei nomine feliciter. Amen.

DONATIO MONASTERII XII. apostolorum diœcesis Pisanæ, facta S. Victori Massiliæ per Petrum Pisanum episcopum.

Anno 1107. Ex archivis S. Victoris eruit D. Furnerius.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. PETRUS peccator divinæ concessionis dono Pisanorum episcopus RICHARDO sanctæ congregationis Massiliensis venerabili abbati ejusque successoribus in perpetuum æternam in Christo salutem. Cum divinitatis occulta dispensatio dignata sit nos ad hoc in pastoralem Pisanæ ecclesiæ speculam sublimare, ut saluti omnium nobis commissorum generaliter invigilemus: quieti tamen & utilitati venerabilium locorum in nostro episcopatu consistentium specialiter prospicere, & in eis viros honestate ac religione præclaros aggregare debemus. Quapropter præfatæ sanctæ congregationis reverentissimo abbati placuit nobis & universis fratribus nostris canonicis supponere atque committere vobis vestrisque successoribus, & sanctæ vestræ congregationi in perpetuum, quoddam nostræ ecclesiæ juris monasterium antiquitus constructum, in honore XII. apostolorum consecratum: quatenus illud habeatis, & teneatis, & disponatis, & ordinetis, in eo sanctæ vestræ congregationis fratres ad Dei servitium ponatis & constituatis. Confisi enim de vestra sanctitate hoc libentissime facimus, & ecclesiæ S. Victoris illud subjicimus & commendamus, atque ut taliter semper permaneat firmamus & corroboramus. Proinde jam dictum monasterium cum omnibus bonis quæ ad præsens habere videtur, aut deinceps quocumque modo divinis & humanis legibus cognito potuerit acquirere: omnem insuper ejusdem monasterii ordinationem vel dispositionem per hujus nostri privilegii pagina in vobis vestrisque successoribus concedimus & confirmamus, atque in perpetuum corroboramus. Hoc namque ideo facere curam habuimus, quoniam per Dei gratiam, & per sanctæ vestræ conversationis studium locus in sanctitate & religione quotidie conservabitur, & de bono in melius proficiet. Unde eorum animæ qui monasterium construxerunt, nostrorumque

fratrum coepiscoporum qui ex hoc sæculo transierunt, nostræ etiam animæ qui huic negotio operam dedimus, nostrorum quoque successorum, ibidem fratribus commorantibus subvenientium, paradisi amœnitate, & sanctorum consocietate sine fine fruentur. Sunt vero quædam quæ pro matris ecclesiæ, cujus juris est, debito honore & reverentia, ac ejusdem loci salvatione nobis retinemus. Ecclesiæ scilicet monachorum consecrationem, expensas quoque in unoquoque anno pro refectione, si quæ erunt, xx. solidos Lucensis monetæ valentes. Justum enim & rationabile, & sanctorum constitutionibus nullo modo contrarium est, pro habenda in posterum memoria, si quæritur aliquantulum hujus concessionis dono, obedientiæ persolvi. Si autem non quæruntur, nullum inde damnum vel tunc vel in posterum monasterium patiatur. Disponimus etiam & confirmamus pro vestræ sanctæ congregationis reverentia, ut si aliquo tempore, quod absit, quilibet abbas vel prior, aut ejusdem loci monachus, vel omnis congregatio, quæ ad præsens aderit, prædictum monasterium a vestro potestatis jure alienare præsumserit, vel a vestræ congregationis societate se sequestrare temptaverit, cognitumque hoc nobis fuerit, eam nobis emendandi & corripiendi ex caritate & consilio vestrorum fratrum in obedientia vestra apud nos commorantium licentia sit. Quod facere si noluerit, & propter contumaciam irrevocabilis extiterit, si fratres voluerint vel petierint, eadem sit nobis expellendi eum licentia, sin autem, nullatenus sit; abbatis vero vel prioris qui in loco abbatis monasterium custodierit, electionem ad nostram...... devenire notitiam, non ut aliquam inferamus contrarietatem, sed puræ fideliss. laudatione. Facta vero electio laudetur a nobis; ceterum contraire nulla nobis licentia reservetur. Hoc iterum siquidem firmamus & corroboramus, ut nulla sit nobis vel successoribus nostris præfati monasterii bona invadere, vel diripere, seu minuere, aut deteriorare, vel commutare, sive alienare licentia; nec ibi aliqua potestate vel violentia, sine fratrum illic Deo deservientium voluntate hospitari aliquo tempore. Pacem propterea & quietem atque in religione permanendi securitatem eidem monasterio providentes, omnipotentis Dei nihilominus & nostra auctoritate sancimus, ut nulla magna vel parva cujuscumque ordinis seu conditionis persona præsumat jam dictum monasterium a bonis suis disvestire aut inquietare vel molestare. Si quis igitur, quod non optamus, hujus nostræ constitutionis privilegium temerario fastu vel nefario ausu infringere præsumserit, nisi resipiscens satisfecerit, sciat se excommunicandum, & perpetui anathematis vinculo innodandum. Quicumque etiam nostrorum successorum hæc quæ supra diximus aliter causare vel molestare præsumserit; sciat se pro temporali pœna, ecclesiæ vestræ centum purissimi libras auri persolvendum. Quod ut verius credatur & certius habeatur, hoc nostræ constitutionis privilegium Carolum sacerdotem nostræque ecclesiæ canonicum, nostræ etiam cameræ notarium scribere præcepimus, litteris vero nostra manu conscriptis consignavimus. Hæc itaque acta sunt dominicæ Incarnationis anno MCVIII. (a) v. idus Julii, indict. xv. apud episcopium nostrum juxta ecclesiam S. Georgii martyris. Hoc insuper volumus & firmamus, ut nullo tempore liceat vobis vel alicui vestræ congregationis ex jam dicto monasterio a rege vel a papa, vel ab aliqua potestate aliquam securitatem per privilegium, vel per quamcumque scripturam quærere vel habere contra nostræ ecclesiæ honorem, atque in obligationem a vobis fieri censemus & quærimus.

† Ego PETRUS Pisanæ ecclesiæ indignus episcopus hoc scriptum fieri feci & manu mea firmavi.

Ego Ugo archipresbyter Pisanæ ecclesiæ in hoc privilegio subscripsi.

† Ego presbyter Senioretus ss.

Ego Gratianus subdiaconus & vicedominus interfui.

† Ego presbyter Senioretus ss. Ego presbyter Martinus ss. Ego Albertus diaconus ss. Ego Ildebrandus diaconus. Ego Bernardus Pisanæ ecclesiæ infimus diaconus ss.

Carolus sacerdos licet indignus, & Pisanæ ecclesiæ canonicus, atque Petri ejusdem ecclesiæ venerabilis episcopi notarius, hoc constitutionis privilegium ex ejus præcepto scripsi, & omnibus suprascriptis interfui.

EPISTOLA PASCHALIS papæ II. ad Rothardum archiepiscopum Moguntinum.

Arguit eum de quibusdam excessibus ab eo commissis, atque in posterum ex ignorantia non erret, mittit ei quædam ex sacris canonibus excerpta, atque ad preces quorumdam prælatorum ipsi benigne indulget.

PASCHALIS episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri ROTHARDO Moguntino archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem. Anno 1107. Ex ms. S. Germani a Pratis.

Quanto magis erga Romanam ecclesiam te hactenus obedientem fuisse, & pro ea multa asseris sustinuisse, tanto in eam nunc gravius deliquisse comprobaris. Postquam enim sancta Romana ecclesia materna super

(a) L. MCVII. quem in annum incidit indictio xv.

te viscera laxavit, & in suo te gremio misericorditer suscepit; vocatus ad concilium nec venisti, nec canonicas excusationes prætendisti. Hildinisheimensem (a) publice criminosum post synodicam prohibitionem officio restituisti, in quibus magis homines quam Deum offendere metuisti; cum & apostolorum canones, & plurimorum SS. præcepta contemnens, ad inobedientiam te transtulisti, quæ primum hominem de paradiso expulit, & Saülem irrecuperabiliter regno privavit. Ne igitur in impositione manuum ulterius locum excusandi per ignorantiam habere possis, ... & illud Apostoli dicentis: *Nemini cito manus imposueris*, ne communices peccatis alienis; ex multis SS. patrum constitutionibus quædam tibi scribere necessarium duximus.

Ex Canonibus Apostolorum.

Si quis episcopus sæcularibus potestatibus usus, ecclesiam per ipsas obtineat, deponatur & segregetur, omnesque qui illi communicant.

Item ex Concilio Antiocheno

Si quis presbyter vel diaconus per sæcularem dignitatem ecclesiam Domini obtinuerit, & ipse & ordinator ejus a communione modis omnibus segregentur, & sub anathemate sint, sicut Simon Magus de Petro apostolo.

Item Stephanus martyr pontifex.

Laicis quamvis religiosis nulla de ecclesiasticis facultatibus aliquid disponendi legitur usquam attributa facultas.

Item Symmachus

Provida sententia enervari convenit, & in irritum deduci, ne in exemplum remaneat præsumendi, ne quibuslibet laicis quamvis religiosis vel potentibus, in quacumque civitate quolibet modo liceat aliquid decernere de ecclesiasticis facultatibus, quas solis sacerdotibus disponendi a Deo cura commissa docetur.

Nos quoque sanctorum canonum constitutiones sequentes cum fratribus nostris in Trecensi concilio statuimus, ut quicumque clericorum de hac hora investituram ecclesiæ vel ecclesiasticæ dignitatis de manu laici acceperit, & qui ei manum imposuerit, gradus sui periculo subjaceat, & communione privetur. Tu vero, frater venerande, licet nunc usque horum præceptorum transgressor exstiteris, tamen venerabilium fratrum nostrorum Trevirensis, Constantiensis, Babembergensis episcoporum, Hirsaugiensis abbatis precibus inclinati, misericorditer personæ meæ officia agenda indulgemus, si præterita corrigens horum præceptorum custos & observator extiteris. Alioquin nec in officiis tibi participabimus, nec precibus pro te fusis aurem accommodamus.

EPISTOLA REINHARDI episcopi Halberstadensis ad Paschalem papam II.

Petit a papa confirmationem decimarum ecclesiæ suæ legitime concessarum; rogatque edoceri quid faciendum sit de ordinatis a Friderico sedi suæ superposito & a sede apostolica exauctorato.

PASCHALI summo pontifici REINHARDUS Dei gratia & sua Halberstadensis episcopus, orationes & servitium, & tam voluntariam quam debitam in omnibus obedientiam. *Anno 1107 Ex ms. S. Germani a Pratis.*

Quamvis misericordiæ vestræ beneficiis, per quæ indignum & immeritum me exaltastis, dignum respondere non possim, tamen id quod a vobis accepi per vos patrem & dominum meum semper obtinere sperabo. Igitur quia multum de vobis confido, ut servus de domino, & filius de patre, sanctitatem vestram humiliter expostulo, ut terminos & decimas ecclesiæ nostræ, quas a decessoribus vestris Romanis pontificibus & catholicis imperatoribus in initio fundationis & dedicationis suæ acceperat, privilegiis vestræ auctoritatis confirmetis, ut adversariis Dei & ecclesiæ, qui nos quotidie impugnant, gladio vestræ auctoritatis resistere possimus. Miseram ecclesiam miser ego coactus accepi, & nisi per vos defendatur miserrima erit. Quid vero de ordinatis clericis & ecclesiis dedicatis a FRIDERICO superposito & a vobis legitime deposito faciendum sit, vestram expecto sententiam. De his & de omnibus quæ mihi rescribere dignamini, sicut debeo, pro scire & posse meo, semper vobis obediens ero. Quod epistola minus habet de supplicationibus meis, nuncius fideliter prosequetur. Sanctitatis vestræ benedictionem pro maximo munere accipiam.

EPISTOLA PASCHALIS papæ II. ad Reinhardum episcopum Halberstadensem.

Arguit eum quod investituram a manu laica acceperit, & petita ab eo interim negat.

PASCHALIS episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri REIN- *Anno 1107 Ex ms. S. Germani à Pratis.*

(a) Huc videtur respicere Chronicon Hildesheimense tom. 3. Hist. Franc. apud Chesnium. *Papa ex Synodi Trecensis sententia Rothardum Moguntinum episcopum ab officio suspendit, eo quod Udonem Hildenesheimensem sine consensu ecclesiæ restituit, & quia Rainhardum, contra jura Canonum Halberstadensi ecclesiæ ordinavit.* Verum a suspensione hac epistola eum papa absolvit.

HARDO Halberstadensi episcopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Ad hoc in ecclesia Domini constituti sumus, ut ecclesiæ ordinem, & patrum debeamus præcepta servare: tu vero ecclesiæ ordinem adeo excessisti, ut ecclesiæ regimen per investituram manus laicæ contra patrum decreta susceperis. Quæ causa est cur nos petitioni vestræ satisfacere nequiverimus. Unde nos caritatem tuam monemus, ut tam grave delictum emendare festines. Statutum est in Trecensi concilio, ut si quis ex manu laica ecclesiæ investituram acceperit, tam ipse quam ordinator ejus deponatur, & a communione removeatur. Nos si quidem te ut fratrem habere volumus atque desideramus.

EPISTOLA REINHARDI episcopi Halberstadensis, ad Paschalem papam II.

Suspensus ab officio absolutionem a summo pontifice humiliter petit, eo quod ipsius ignorans decretum, a laico investituram illicite acceperit, excusatque se quod propter temporum improbitatem ad eum nequeat accedere.

Anno 1107 Ex ms. S. Germani a Pratis.

PASCHALI Dei gratia papæ REINHARDUS episcopus Halberstadensis ecclesiæ quidquid est, tam voluntariam quam debitam in omnibus obedientiam.

Sanctitatis vestræ litteras nobis directas cum gratia & benedictione suscipientes, non modicum gavisi sumus, quod me non meis meritis fratrem & familiarem vestrum vocare voluistis, in quibus etiam superabundantiorem erga me vestræ paternitatis affectum cognovi, quod ignorantiæ meæ delictum me scire fecistis, & quod injustitias meas non abscondistis. Boni enim patris est corripere filium quem diligit, & flagellare omnem quem recipit. Huic tantæ lætitiæ nostræ serenitati nebula tristitiæ per quosdam obducta est, dicentes a vestra mihi beatitudine prohibitas esse clericorum ordinationes, pro quibus verbis cum ad desiderabilem vestri præsentiam fratres dirigeremus, & in reditu ipsorum me non destitutum audissem, obedientiæ manus dedi, quia melior est obedientia quam victima, & quia pastoris sententia gregi timenda est: ita me pedibus vestris subjicio, quasi vocatus ad concilium non venerim, & ideo suspensus ab officio sim, cum nec, ut vestræ litteræ testantur, evocatus fuerim, & quando vel ubi suspensus fuerim, penitus ignoraverim. Ordinationem vero nostram, teste & postulante eadem quæ præsens erat ecclesia nostra, a metropolitano in sede sua factam manifestum est, sed innocentia plerumque non liberat, cum sententiam judicis ignorantia vel dilatio, vel aliqua suggestio errare coëgerit. Porro de investitura quam ante decreti vestri sententiam ignorans & illicite suscepi, quia secundo jam veniam petii & non accepi; quæsivi & non inveni; tertio nunc pulsabo, ut quod necesse habeo saltem improbitate mea obtineam. Certus sum enim quod numquam obliviscetur misereri qui in B. Petro discit qualiter aliis ignoscere debeat. Nusquam enim, ut ait beatus Augustinus, ita vigere debent viscera misericordiæ, quam in catholica ecclesia, ut tamquam vera mater, nec peccantibus filiis superbe insultet, nec difficile correctis ignoscat, cum ipsum beatum Petrum post negationem & pravam simulationem correptum materno sinu receperit. Quod autem modo sicut voluimus & disposuimus, aspectui vestro præsentari non possumus, causa est instantis nequitiæ & perturbatio temporis, quæ maxime nostris grassatur in partibus.

EPISTOLA PASCHALIS papæ II. ad Adelgotum Magedaburgensem archiepiscopum.

Citat eum ad sedem apostolicam de excessu commisso rationem redditurum.

PASCHALIS episcopus, servus servorum Dei, ADELGOTO (a) Magedaburgensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem. Anno 1107 Ex ms. S. Germani a Pratis. [a]

Quanto te amplius diligimus, tanto de tuo excessu vehementius miramur, quod post synodalis mandati celebrationem, primus prævaricationem incurrisse conspiceris, cujus prævaricationis correptio alias non posse fieri credimus, nisi per te ipsum ad præsentiam apostolicæ sedis accesseris. Tuam ergo dilectionem litteris præsentibus præmonemus, ut opportuno quod tibi visum fuerit tempore nostro te statuas conspectui præsentare, quatenus quod in te vulneratum est, per omnipotentis Dei misericordiam apostolicæ sedis sanetur antidoto.

PASCHALIS PAPÆ II. EPISTOLA ad Brunonem Trevirensem archiepiscopum.

Committit ei absolutionem ab excommunicatione episcopi Leodiensis.

P. episcopus servus servorum Dei, venerabili confratri B. Trevirorum archiepiscopo, salus & apostolica benedictio. Circa 1107 Ex ms. dicto S. Vuilbrordi Epternac.

(a) Hunc genere comitem de Loe tradunt Annales Paderbornenses, virum magna in pauperes liberalitate, & in Deum religione, decus Saxoniæ, ob constantiam erga sedem apostolicam; mortem obiit anno 1119.

[a] Frater noster Leodiensis (a) episcopus, missa ad nos legatione, suppliciter consortium nostræ communionis expetiit. Nos scientes Domini voluntatem, qui omnes homines vult salvos fieri & neminem perire, nostras in hoc tibi vices committimus, ut scripto professionis accepto, quod in subditis habetur, ipsum & Leodicensem clerum sive populum a vinculo excommunicationis absolvas, & catholicæ ecclesiæ reconcilies. Quod enim frater noster Magdeburgensis episcopus super hujusmodi reconciliationibus passim facere dicitur, tamquam sine Romanæ ecclesiæ præcepto factum, ratum habere non possumus. *Ego N. anathematizo omnem hæresim, & illam præcipue quæ conturbat statum præsentis ecclesiæ, quæ docet & astruit anathema contemnendum, & ligamenta ecclesiæ spernenda esse. Hanc cum suis fautoribus & auctoribus damno & anathematizo. Promitto autem obedientiam Romanæ sedis præsuli P. ejusque successoribus sub testimonio Christi & ecclesiæ; affirmans quod affirmat, damnans quod damnat sancta & universalis ecclesia. Quod si ab hac mea professione in aliquo deviare tentavero, ipse in me sententiam damnationis protulisse judico.*

Datum III. idus Novembris.

DIPLOMA HENRICI cognomento Stephani comitis Blesensis pro Ivone episcopo Carnotensi.

Liberam facit domum episcopalem, atque exactionem in obitu episcopi ab hominibus ipsius solvi solitam tollit, &c.

Ex ms. Colbertino.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Amen. Ego HENRICUS comes Blesensis cognomine STEPHANUS & ADELA uxor mea cum filiis nostris, notum fieri volumus omnibus sanctæ Dei ecclesiæ fidelibus, tam clericis quam laicis, præsentibus & futuris, quod Ivo humilis Dei servus venerabilis ecclesiæ Carnotensis episcopus præsentiam nostram adiit, & a nobis obnixe postulavit, quatenus domum pontificalem, domum scilicet quam ex lignea lapideam, ex vili reddidit speciosam, ab illa prava consuetudine quam prædecessores nostri & nos habemus in ea, hucusque liberam esse concederemus, ne scilicet episcopis ab hac vita migrantibus, vel aliqua occasione decedentibus, præfata domus dissiparetur, ne quid ferri, vel plumbi, vel vitri, vel ligni, vel lapidis asportaretur vel obrueretur, nec a qualibet sua suppellectili spoliaretur. Annona quoque, vinum, fœnum, oves, boves, & cetera animalia, omniaque mobilia, quæ sive in urbe, sive extra urbem congregata vel collecta fuerint ante obitum vel discessum episcoporum a nobis & nostris intacta dimitterentur, vel profutura quibus episcopis reservare vel donare sive per se sive per yconomem suum decreverint, vel majores personæ ecclesiæ, si id episcopo aliqua occasione prævento facere non licuerit. Addidit etiam petitioni suæ, ut exactio, quam talliam vocant, quæ defunctis episcopis vel decedentibus fieri solet in servientes episcopi vel rusticos, simili ratione condonaretur. Nos igitur tanti viri petitionem dignam frustrari indignum esse judicantes, & ecclesiasticas res potius augmentari quam deteri debere cogitantes, ob remedium animæ patris mei & matris meæ, & uxoris meæ filiorumque meorum; rem prætexatam a prava consuetudine liberam reddidimus, domum scilicet, & domus ejusdem ferrum, plumbum, vitrum, lignum, lapides, ceteramque suppellectilem, scilicet tabulas, scamna, scabella, vasa vinaria, lectos, necnon & coquinas, & horrea, & granaria, cellaria, torcularia, furnos, furnorumque domos, sive in urbe sive extra urbem, silvas ut non vendantur, nec scindantur, nec dentur; annonam quoque, vinum, fœnum, oves, & boves & cetera animalia, omniaque reliqua mobilia quæ congregata vel collecta fuerint sive in urbe, sive extra urbem ante obitum vel discessum episcopi cujuslibet. Hæc intacta a nobis & a nostris dimittimus, & nos & filii nostri illis profutura quibus episcopus reservare vel donare, seu per se, seu per yconomum suum decreverint, vel majores personæ ecclesiæ, si id episcopo aliqua occasione prævento facere non licuerit. Concedimus etiam ut prætaxata exactio, quæ decedentibus episcopis vel defunctis fieri solet in servientibus episcopi vel rusticos, numquam fiat de cetero. Et quia tam benigne id concessimus, concesserunt mihi & ADELÆ uxori meæ episcopus & tota congregatio canonicorum beatæ Mariæ, ut per singulos annos anniversaria nostra celebrarentur temporibus suis in ecclesia B. Mariæ. Si quis autem prætaxatam conventionem adnullare vel debilitare conabitur, concedimus quantum in nobis est, ut tam in urbe quam in suburbanis divinum officium interdicatur, & tanti sacrilegii patratores ammoniti, si non resipuerint usque ad satisfactionem, anathematis gladio severissime puniantur. Si qui autem futurorum episcoporum in domo supradicta turrim vel propugnacula ædificaverint, turris & propugnacula tantum destruantur, domus autem cum appenditiis suis inconcussa manebit. Ut autem hoc firmum & inconcussum per succedentia tempora permaneat, pla-

(a) Is erat Otbertus, qui per ambitionem & simoniam episcopalem sedem occupaverat, atque Henrico imperatori apostolicæ sedis inimico semper adhæserat, ut constat ex ms. historia Andaginensis S. Huberti monasterii, infra tom. 4. danda.

cuit scripto mandari, & optimatum tam clericorum quam laicorum adstipulatione roborari, & sigillorum nostrorum communiri.

STATUTUM DE DEFUNCTIS Leodiensis ecclesiæ S. Martini canonicis.

Anno 1108 Ex ms. Cl. V. domini de Louvrex.

SI canonicus in sua professione sine testamento obierit, consilio præpositi & decani fratres præbendam, domum, & reliquum mobile recolligant & custodiant. Primum ut necesse fuerit prosequantur exequias. Secundo septimum diem & trigesimum, & anniversarium disponant cum missa & candela. Tertio si præbendæ fratrum vel ecclesiæ debitor fuerit, vel de ejus convictu servientes sibi obligati fuerint, fideliter persolvant. Quarto clericis & laicis qui ei famulati sunt, prout esse potest, retribuant. Quinto æternam memoriam constituant. Hæc quinque supradicta fiant, si substantia quæ remansit pati potuerit, quoniam fides, Deo inspirante, non fallit. Si autem canonicus qui sine testamento obiit, proximiorem consanguineum in congregatione habuerit, qui domum claustralem non habeat, illi lenius offeratur, & si ille noluerit vel non potuerit, quanto carius potest vendatur, & claustralis lex pia & justa consuetudine impleatur. Lex ista claustralis cum esset ex antiquo, causa interveniente, judicatum & confirmatum est, quod in domibus claustralibus nulla est hereditas ex consanguinitate, sed canonicus qui domum suam per annum & diem absque legitima contradictione tenuit, laboravitque in construendo & retinendo, habeat vivus fructum & mortuus, quia plures clerici non habent alia allodia. Anno ab incarnatione Domini MCVIII. indictione I. VIII. calendas Martii, renovatum est, confirmatum est in capitulo sancti Lamberti sub OTBERTO episcopo, Friderico præposito & archidiacono, Henrico decano & archidiacono, Thiederico, Andrea, Henrico, Alexandro, Almanno archidiaconis, confirmantibus reliquis fratribus de capitulo S. Lamberti, & collaudantibus præpositis, decanis, scholasticis, cantoribus, custodibus, & reliquis totius civitatis fratribus.

DIPLOMA LUDOVICI VI. Francorum regis pro monasterio sancti Quintini de Monte.

Concessam ab Adalide domina Peronensi villam Alaniam confirmat.

Anno 1109. Ex cartario S. Quintini de Monte.

IN nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti. Divina virtute roboratus, ego LUDOVICUS Francorum rex. In exordio nostri

A principatus quam proxime nostri interesse officii primum quærere regnum Dei & justitiam ejus considerans, ad incrementum nostræ salutis tam corporis quam animæ credimus proficere, si ecclesiis sanctorum & monasteriis studuerimus, non solum de nostris possessionibus largiri, ut ibidem Deo servientes valeant liberius orationibus vacare, sed etiam si qua a nostris proceribus & nobis subditis, de his quæ a nobis tenent, fuerint eis erogata, fructuosum decernimus concedere. Unde volumus & præsentes &

B futuros certum habere, quod ADELIS Peronensis domina, quæ uxor fuerat ROBERTI, dum Peronam venimus, nostram e vestigio postulavit celsitudinem, quatinus villam Alaniæ & terram cum omnibus suis appenditiis suis & justitiam, exceptis duobus molendinis & decima culturarum dominicarum, & feodis militum; quam villam & terram & justitiam ipsa cum viro suo Roberto dederat sancto Quintino de Monte, in usus monachorum ibi Deo famulantium, sicut ipsi integre dederant, & comitissa Ver-

C mandensis, annuentibus filiis suis RADULFO & HENRICO, testimonio suæ confirmationis concesserat. Si etiam nos huic martyri omnia hæc supradicta concederemus, & regiæ majestatis auctoritate testamenti corroboratione muniremus, ecclesiastica libertate tenenda & jure perpetuo possidenda. Commendavit etiam quamplurimum apud nostram serenitatem tantam tamque votivam nobilis feminæ petitionem carissimi patruelis nostri RADULFI Vermandorum futuri comitis non respuenda neque excludenda interventio, nechon ejusdem præveniens

D in ipsius dominæ dono grata suffragatio, qui novus hæres & dominus Peronensium accedebat peculiari dominio. Nos igitur honestæ eorum rogationi assensum ex bona gratia præbentes, præfato martyri & monachis ejus sub abbate (a) HENRICO hanc postulationem effectui donamus, & signi nostri attestatione, beneficio huic participare cupientes, paginam sui testamenti pia prosecutione confirmamus. Et quidquid circa hæc loca, & quaqua versum adquirere poterint, sub ejusdem confirmationis au-

E ctoritate adsignamus sub nostrorum procerum testimonio, & eorum assensibus. Adjicimus etiam, ut si quis præceptionis nostræ assertionem regiæ soliditati derogans hanc infringere attentaverit, nullatenus obtineat, & centum libras auri regio exauctori pro tanta præsumptione persolvat, & regiæ majestatis reus, proprio honore privatus exilii pænas luat. Et ut hæc largitionis caritas firma & inconvulsa permaneat, nostri nominis caractere, & sigilli signari & corro-

(a) Hic a restauratione monasterii quintus abbas, Henrici nobilissimi viri & Gerberti filius, disciplinam regularem accurate servari curavit.

borari

borari præcepimus, astantibus de palatio quorum nomina subtitulata sunt & signa. Signum ANSELLI DE GUARLANDA tunc temporis dapiferi nostri. Signum HUGONIS tunc temporis constabularii nostri. Signum WIDONIS buticularii nostri. Signum WIDONIS camerarii nostri. Signum RADULFI comitis futuri Vermandorum, cujus prece & favore hæc firmamus consanguinei nostri.

Actum publice Peronam in palatio, anno dominicæ incarnationis MCIX. indictione II. anno vero consecrationis nostræ primo.

Ego STEPHANUS cancellarius relegendo subscripsi.

EPISTOLA ADELGORII archiepiscopi Magdeburgensis &c. ad episcopos Saxoniæ, Franciæ, Lotharingiæ.

Petunt ab eis auxilium adversus paganos, qui Christianos crudelissime cædebant.

* Adalgotus. Circa 1110 Ex ms codice Gaffchatensi.

* ADELGORIUS Dei gratia Magadaburgensis archiepiscopus, ALBUINUS Merseburgensis, WALERANNUS Nuenburgensis, HEREWIGUS Misnensis, HECIL Habelbergensis, HARTBRATH Brandeburgensis, OTTO comes; LUDOWICUS & universi orientalis Saxoniæ majores & minores, REGINHARDO venerabili episcopo Halberstetensi, ERKAMBERTO Corbeiensi abbati, HEINRICO Paderbrunnensi, N. Mindensi; FRIDERICO archiepiscopo Coloniensi, N. Aquensi, O. Leodiensi, G. Lutaringorum duci; RUOTBERTO gloriosissimo Flandringensium comiti, LAMBERTO archidiacono; BURICHOLDO circumspectissimo præposito, & TANCHRADO insigni philosopho, & omnibus Christi fidelibus, episcopis, abbatibus, monachis, eremitis, reclusis, præpositis, canonicis; clericis, principibus, militibus, ministerialibus, clientibus, omnibusque majoribus & minoribus, dilectionem, orationem, & in idipsum salutem.

Multimodis paganorum oppressionibus & calamitatibus diutissime oppressi, ad vestram suspiramus misericordiam, quatenus ecclesiæ matris vestræ nobiscum sublevetis ruinam. Insurrexerunt in nos, & prævaluerunt crudelissimi gentiles, viri absque misericordia, & de inhumanitatis suæ gloriantes malitia, ecclesias Christi idololatria prophanaverunt, altaria demoliti sunt; & quod humana mens refugit audire, ipsi non abhorrent in nos perpetrare. In nostram regionem sæpissime efferantur, nullique parcentes, rapiunt, cædunt, fundunt, & exquisitis tormentis affligunt, quosdam decollant, & capita dæmoniis suis immolant. De quibusdam visceribus extractis manus abscissas & pedes alligant, ubi est, inquiunt, Deus eorum? Quosdam in patibulo sublatos permittunt ad majores cruciatus omni morte miserabiliorem vitam pertrahere, cum vivi aspiciant se per abscissionem singulorum membrorum mortificari, & ad ultimum cæso ventre miserabiliter eviscerari. Quamplures vivos excoriant, & cute capitis abstracta, hoc modo larvati in Christianorum fines erumpunt, & se Christianos mentientes, prædas impune abigunt. Phanatici autem illorum quotiens comessationibus vacare libet, ferus in dictis, capita, inquiunt, vult noster Pripegala. Hujusmodi fieri oportet sacrificia. Pripegala, ut aiunt, Priapus est & Beelphegor impudicus. Tunc decollatis ante prophanationis suæ aras Christianis, & horrendis vocibus ululantes, agamus, inquiunt, dies lætitiæ, victus est Christus, vicit Pripegala victoriosissimus. Hujusmodi afflictiones sine intermissione vel toleramus vel formidamus, quoniam eos semper progredi, & in omnibus ingemiscimus bene prosperari. Itaque, fratres charissimi, totius Saxoniæ, Franciæ, Lutaringiæ, Flandriæ episcopi, clerici & monachi, de bonis sumite exemplum, & Gallorum imitatores in hoc etiam estote: clamate hoc in ecclesiis: Sanctificate jejunium, vocate cœtum, congregate populum, annunciate hoc, & auditum facite in omnibus terminis prælationis vestræ. Sanctificate bellum, suscitate robustos. Surgite principes contra inimicos Christi, arripite clypeos, accingimini filii potentes, & venite omnes viri bellatores. Infirmus dicat, quia fortis sum ego, quoniam Dominus fortitudo plebis suæ, & protector salvationum Christi sui est. Erumpite & venite omnes amatores Christi & ecclesiæ, & sicut Galli ad liberationem Jerusalem vos præparate. Hierusalem nostra ab initio libera, gentilium crudelitate facta est ancilla. Hujus muri propter peccata nostra corruerunt. Sed ruina hæc sub manu vestra, quatenus lapides pretiosi omnes muri ejus & turres Jerusalem gemmis ædificentur. Plateæ ejus sternantur auro mundo, & præ horrendo sonitu gentilium in conspectu Pripegalæ cantetur in ea canticum lætitiæ, & pro immolatione de Christiani sanguinis effusione, carnem & sanguinem edant pauperes & saturentur, ut laudetis Dominum qui requiritis eum, vivantque in sæculum sæculi corda vestra; ut non deficiat de ore vestro alleluia, alleluia. Ad hoc bellum devotas offert manus cum populo suo rex Dacorum & alii principes per circuitum. Ipse etiam rex noster hujus belli auctor, cum omnibus quos poterit adducere promptissimus erit adjutor. Sabbato in hebdomada rogationum erit conventus noster *Merseburch*, & ubicumque in orientali Saxonia opportuna habemus loca. Sanctissimi patres, mo-

nachi, eremitæ, atque reclusi, optimam partem cum Maria elegistis: sed quia nunc tempus ita exigit, de contemplationis quiete cum Martha surgendum est vobis, quoniam fratribus vestris plurimum turbatis, cum Martha admodum necessaria est Maria. Vobis loquimur, immo in nobis Christus loquitur vobis. Surge, propera amica, columba mea, & veni. Flores bonæ operationis apparuerunt in terra principum nostrorum, tempus putationis advenit idololatriæ, vox turturis audita est, quoniam casta mater ecclesia ingemiscit de idololatriæ spurcitiis. Nemo accendit lucernam & ponit sub modio, sed super candelabrum, ut qui ingrediuntur lumen videant. Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona. Surge itaque sponsa Christi & veni. Sonet vox tua in auribus Christi fidelium, quatenus omnes ad Christi festinent bellum, Christi militibus veniant in adjutorium. Gentiles isti pessimi sunt, sed terra eorum optima, carne, melle, farina avibus, & si excolatur, omnium de terra ubertate proventuum, ita ut nulla ei possit comparari. Sic aiunt illi quibus nota est. Quopropter, ô Saxones, Franci, Lotharingi, Flandrigenæ famosissimi & domitores mundi, hic poteritis & animas vestras salvifacere, & si ita placet, optimam terram ad inhabitandum acquirere. Qui Gallos ab extremo Occidente progressos in brachio virtutis suæ contra inimicos suos in remotissimo triumphavit Oriente, ipse tribuat vobis voluntatem & potentiam, hos affines & inhumanissimos gentiles subjugare, & in omnibus bene prosperari.

EPISTOLA BRUNONIS EPISCOPI Signiensis & abbatis Casinensis ad Petrum Portuensem episcopum.

Eos vere censendos esse hæreticos qui hæreses defendunt.

Anno 1111. *Ex ms. Casinensi eruit Mabillonius.*

P. venerabili Portuensi episcopo B. peccator episcopus, beati Benedicti servus, salutem.

Audivimus quod quidam de fratribus nostris non solum non damnant ea quæ modo contra sanctam ecclesiam facta sunt, verum etiam satis impudenter defendere conantur. (a) Omnis autem qui hæresim defendit, hæreticus est. Nemo autem hanc non esse hæresim dicere potest, quam sancta & apostolica ecclesia in multis conciliis hæresim nominavit, & simul cum suis auctoribus damnavit & excommunicavit. Et illæ qui- A dem specialiter dicuntur esse hæreses, quæ in conciliis judicatæ & damnatæ sunt. Unde & GUILBERTUS non immerito hæresiarcha dictus est, simulque cum suis sequacibus damnatus & excommunicatus. Quicumque igitur catholicam ecclesiam relinquentes, ad partem Guilberti transierunt, & qui impiam hæresim defendunt & tenent, eos hæreticos, excommunicatos, & apostolicis vinculis ligatos esse non dubium est. Qui vero excommunicati & ligati sunt, neque seipsos, neque alios vel ligare, vel solvere possunt.

B Has litteras misi ego Portuensi episcopo (b) in quibus nullum alium hæreticum esse dixi, nisi eos tantum qui hæresim defendunt & tenent: & eos quidem fugiendos esse judicavi, etiamsi affectu parentum & oculorum & manuum eos diligamus. Dictum namque fuerat nobis, quod illi qui impii regis proditione capti fuerant, omnes præter paucissimos, una & consona voce dicebant, quod prædicavimus prædicamus, & quod damnavimus damnamus. Eos autem qui hoc dicunt, quis dubitet esse catholicos?

C DIPLOMA MARIANI JUDICIS seu regis Caralitani, pro Massiliensi S. Victoris monasterio.

Dona patris sui Constantini & matris confirmat sancto Victori.

Anno 1112. *Ex archivis S. Victoris eruit D. Furnerius.*

. . . . ego MARIANUS (c) judex Karalitanus supranominati patris mei matrisque meæ, atque fratrum meorum . . . . vestigia sequens . . . . meæ domna Pretiosa, filiusque noster dominus CONSTANTINUS, omnia quæ supradicta sunt concedimus atque firmamus, D & domino COMITA, & domino GONNARI, & domino DORBINI, & domino PETRO avunculis meis & fratribus meis germanis YTTOCHOR & TERBEIS, & cum universis fratribus meis cuncta testificamus, & stabilem atque in convulsam esse sancimus. Quod si aliquis regum aut judicum, vel successorum meorum, aut aliqua omnino persona hanc donationis & offertionis cartam scienter & voluntarie imminuere aut destruere tentaverit, non hoc valeat vendicare, sed a liminibus sanctæ ecclesiæ sequestratus, atque anathematis E vinculo obligatus, iram Dei omnipotentis incurrat. Hac carta firma & stabili permanente. Ubi interfuere domnus Petrus ejusdem monasterii prior, & domnus Petrus sa-

(a) Fœdus nimirum illud a Paschali secundo cum imperatore anno initum MCXI. *fœdus fœdum*, ut ipsa Brunonis verba usurpem, *violentum & cum proditione factum*. Vide Chronic. Casinense libro quarto capite quadragesimo secundo.

(b) Scripsit etiam Paschali Bruno litteras alias in Chronico Casinensi editas loco citato.

(c) Isti judices regis etiam titulum sibi assumebant, ut constat ex cartis Constantini regis & judicis supra relatis. Maximi vero momenti est istud diploma, ex quo quatuor avunculi & duo germani, filiusque Mariani regis Constantinus, innotescunt.

cristanus, & alius domnus Petrus, & domnus Guillelmus, & domnus Arnaldus, & domnus Petrus, & domnus Ubertus, & domnus Andreas.

[a] Ego ARNALDUS suprascripti monasterii monachus & nunc Sulcitanæ (a) ecclesiæ episcopus interfui.

Ego JOHANNES Barbariæ ecclesiæ episcopus interfui.

* f. episcopus ecclesiæ. [b] Ego BENEDICTUS *..... Doliæ, (b) nunc autem suprascripti monasterii monachus interfui, & manu mea hanc cartam conscripsi atque complevi & dedi.

Data Karalis anno ab Incarnatione Domini MCXII. indictione V. VI. nonas Madii. Pandulfus & Guido gg. testes, Atho & Bonone gg. testes, Mutus & Veclo gg. testes, Sicherius filius Grimæ testis, Ugicione filius Ugicioni testis, Gegaietanus testis, Heritus filius Heriti testis, Marinianus quod Ildebrandus, quod Sibillæ & plurimi alii.

GUALFREDUS.

Ego Karalitanus licet peccator archiepiscopus, ut hæc scripta firmiter maneant propria manu subscripsi & confirmavi. Amen.

DIPLOMA BENEDICTI Doliensis episcopi pro Massiliensi S. Victoris monasterio.

Ecclesiam B. Mariæ de Archo Massiliensi sancti Victoris monasterio donat.

Anno 1112. Ex archivis S. Victoris eruit D. Varnerius.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego BENEDICTUS gratia Dei Doliensis ecclesiæ episcopus pro amore omnipotentis Dei, & pro redemptione omnium peccatorum meorum, primum eidem Deo offero me, eidem ecclesiæ dono atque committo, & beato Victori martyri, monasterio Massiliensi, omnibusque sanctis ibidem Deo consecratis, venerabilique [c] (c) ODDO abbati ejusdem monasterii, cunctæque ejus congregationi. Deinde offero, dono, concedo ac trado supradicto monasterio S. Victoris Massiliensi, dominoque meo ODDO abbati suprascripto ejusque fratribus, successoribusque ejus, cunctisque monachis jam dicto monasterio pertinentibus, tam præsentibus quam futuris, id est ecclesiam S. Dei genitricis & Virginis Mariæ de Archo, cum omnibus scilicet pertinentiis, tam in servis quam & in ancillis, vineis, ortis, pratis, pascuis, cultis rebus vel incultis, atque duciis, mobilibus sive immobilibus, quæ nunc habet, vel quod in antea, Deo auxiliante, cum absolutione mea successorumque meorum acquirere debet, ut monachi Massiliensis monasterii habeant & possideant ex integro in perpetuum, sicut hactenus beatæ memoriæ antecessor meus VIRGILIUS episcopus, & ego similiter omnia nunc ex integro concessi, ut supra descripsimus, salva scilicet reverentia atque obedientia & honore sanctæ matris ecclesiæ, beati Pantaleonis martyris, caput episcopatus Doliensis.

Ego itaque MARIANUS judex Karalitanus, omnia quæ a supranominatis episcopis Deo & S. Victori Massiliensi & B. Saturnino martyri oblata & concessa sunt, & quæ prius a matre mea & patre meo domino C. judice eidem S. Saturnino similiter concessa sunt; ita & ego cum domino P. & cum domino C. filio nostro, omnia in omnibus laudo & confirmo, atque cum domino COMITA & domino GONNARI, & domino PETRO, & domino DORBINI avunculis meis, & cum fratribus meis germanis YTTOCHOR & THERKIS, & cum omnibus fratribus meis hæc omnia testifico, & ut perpetualiter ita permaneant, pleniter censeo.

Quod si aliquis regum, sive judicum, vel successorum meorum, aut aliqua persona hanc donationis atque offertionis cartam infringere atque imminuere voluerit, non hoc valeat vindicare, sed a liminibus sanctæ ecclesiæ sequestratus, atque anathematis vinculo obligatus, iram Dei omnipotentis incurrat, hac carta firma & stabili permanente.

GUALFREDUS gratia Dei Karalitanæ ecclesiæ archiepiscopus concessit & firmavit.

JOHANNES Barbariæ ecclesiæ episcopus firmavit.

ARNALDUS Sulciensis ecclesiæ episcopus firmavit.

Ubi interfuerunt dominus Petrus prior ejus ecclesiæ S. Saturnini, & domnus P. sacristanus, & domnus Guillelmus, & domnus P. & domnus P. & domnus Arnaldus, & domnus P. & domnus V. & domnus A. Data Karal. anno ab Incarnatione Domini MCXII. indictione V. sexto nonas Martii.

GUALFREDUS.

Ego Karalitan. licet peccator archiepiscopus subscripsi & confirmavi.

Ego BENEDICTUS episcopus gratia Dei Doliensis ecclesiæ hanc offertionis cartam a me factam, manu mea propria eam conscripsi, & complevi & dedi.

Pandulfus & Guido gg. testes, Atho & Bonone gg. testes, Mutus & Veclo gg. testes, Sicherius quod Grimæ testis, Ugicione quod Ugicioni testis, Gerardus quod

(a) Sulci seu Solci civitas portum habet in insula Sardiniæ, cujus episcopatus in vicinam urbem Villam-ecclesiæ translatus fuit anno 1504. nec multo post anno scilicet 1513. unita metropoli Calaritanæ.

(b) Et etiam hujus episcopatus Calaritano unitus fuit.

(c) Ex hac carta constat Ottonem jam anno 1112. præfuisse Massiliensi sancti Victoris cœnobio, licet Richardus ejus decessor anno 1107. electus archiepiscopus Narbonensis, qui abbatiam retinuisse cum archiepiscopatu dicitur, in vivis adhuc superesset.

Massariæ testis, & alii quamplures, Ugo filius Ugoni vicecomitis, Gerardus Gajetanus, Heritus quod Eriti, Marianus quod Ildebrandus filius Sibillæ.

DIPLOMA RICHARDI COMITIS Ruthenensis pro S. Victore Massiliensi.

Confirmat monachis S. Victoris monasterium S. Petri & S. Leontii.

Anno 1112. *Ex archivis S. Victoris eruit D. Furnerius.*

AD pietatis celebrandum cultum, & ad omnipotentis Dei dignissimum servitutis obsequium, optimum est fidelium imitari exempla & opera parentum. Ideo ego RICHARDUS Ruthenensium comes, cognoscens quam fideliter & devote pater meus BERENGARIUS & frater ejus BERNARDUS scilicet Massiliensium venerabilis abbas, & UGO & RAIMUNDUS vicecomites, ardentissimi & karissimi in amore & fide S. Mariæ monasterii Massiliensis, & S. Victoris martyris, dederunt & tradiderunt solemniter eidem jam dicto monasterio in Ruthenico pago monasterium S. Petri & S. Leontii jure perpetuo possidendum, ad impetrandam salutem animarum suarum, laudo & dono, usus consilio principum meorum, donum præscripti monasterii S. Petri & S. Leontii, sine omni malo ingenio, eo tenore ut perpetuo jure possideat, teneat & regat monasterium S. Victoris cœnobium S. Petri & S. Leontii, & abbates & monachi Massilienses præsentes & futuri dominentur & possideant tantum, & numquam alii, quod absit, quieti, & securi monasterium S. Petri & S. Leontii, & portiones omnes tam in ecclesiis quam in mansis & villis & vineis, & campis, & silvis, & quæcumque hodie monasterium habet vel adquirere poterit. Si qua vero persona cujuslibet ordinis vel dignitatis huic dono vel laudi quolibet modo obviare temptaverit, quod expetit assequi non valeat, sed donec resipiscat, Dei omnipotentis iram incurrat. Filio itaque meo in vita mea & post mortem meam hoc donum quod facio, cunctis male obviantibus, filio meo huic HUGONI & omni posteritati meæ obviare obviantibus, & contraire contradicentibus, præcipio & manu mitto. Ego prædictus RICHARDUS Ruthenensium comes pro redemtione peccatorum meorum hanc cartam, sicut scriptum est, Ottoni abbati & fratribus sub eo degentibus Massiliensibus præsentibus & futuris abbatibus & monachis, præsente Rodulfo priore S. Leontii, laudo, dono & confirmo cum filio meo Ugone, & militibus meis firmare præcipio, id est Raymundo de Levenone, Jordani de *Crexel*, & filio ejus Gaufredo, Deusde *de Vidin* & filio ejus, Virgilio & Willelmo, Nicetio & Aimerico de la Bruidiura.

Factum est hoc donum anno ab incarnato Dei verbo millesimo CXII. regnante Lodovico Francorum rege.

PRIVILEGIUM HENRICI IV. imperatoris pro S. Maximino.

Ablata ab Emichone comite & Berlacho ejus filio restituit.

Anno 1113. *Ex cartario Treviren si S. Maximini.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. HEINRICUS divina favente clementia IV. Romanorum imperator augustus. Justitiam cuique facere cum omnium sit generaliter, nostrum est sine dubio principaliter, quia ad hoc imperialis dignitatis culmine ceteris videmur præeminere mortalibus, ut judicium & justitiam faciamus omnibus injuriam patientibus. Quapropter fidelium nostrorum tam præsentium quam futurorum magnitudini notum esse volumus, qualiter fidelis noster BERINGOZUS videlicet abbas ex monasterio S. Maximini, quod in suburbio Trevirorum situm est, nostram per hos septem annos imperialem sive regalem sæpius interpellavit clementiam, quatinus bona S. Maximini, quæ EMICHO comes & BERLACH filius ejus hactenus injuste possederant, ei restitueremus, & restituta nostro imperiali præcepto confirmaremus. Cui petitioni propter amorem Dei & ob interventum fidelium nostrorum, BRUNONIS videlicet reverendi Trevirorum archiepiscopi, necnon venerabilium episcoporum ARLONGI Wirziburgensis. RUODOLFI Basileensis, KUONONIS Argentinensis, BRUNONIS Spirensis, BURCHARDI Monasteriensis, ODALRICI Constantiensis, EBBONIS Novariensis, GEROLDI Risensis; ADALBERONIS Metensis; necnon ODALRICI Augiensis, ERLOLFI Morbacensis venerandorum abbatum, FRIDERICI etiam ducis, HERIMANNI marchionis, GODEFRIDI & MANEGOLDI Palatinorum comitum, aliorumque fidelium nostrorum, assensum præbere complacuit, ea videlicet conditione, ut parentum nostrorum & nostri congruis missarum celebrationibus assidua commemoratio sit. Et idcirco hoc nostræ auctoritatis privilegium inde conscribi jussimus, per quod præcipimus atque jubemus, ut eadem bona, id est has ecclesias *Albucho*, *Vveildistein*, *Gozolvesheim*, nec non XII. talenta censuum in Apula, sive villam quamdam vocabulo *Folemaresbach*, quæ ad vestituram fratrum, & ad luminaria monasterii, ceterosque usus pertinentia, integerrime ulterius rehabeant atque possideant, ea videlicet conditione, ut nec præfatus abbas, nec aliquis successorum suorum, vel nostrorum regum vel imperatorum, quicquam de eisdem bonis alicui beneficiare, sive vadimoniare præsumat,

sed ad vestituram aliosque usus fratrum absque omni semper inquietudine permaneant. Si quis autem, quod absit, hujus præcepti nostri in aliquo violator extiterit, nostram nostrorumque successorum offensionem incurrat, & omnium episcoporum qui in præsentiarum sunt excommunicationi subjaceat. Insuper etiam ad partes regias sex libras auri integre persolvat, & tamen id quod fecerit, irritum & supervacaneum omnibus modis existat. Et ut hoc firmum semper & stabile permaneat, præceptum hoc inde conscribi & sigilli nostri impressione insigniri jussimus.

Signum domni HEINRICI imperatoris augusti.

BRUNO cancellarius recognovit.

Data VIII. idus Aprilis, anno Domini MCXIII. indictione VI. regnante domno HEINRICO anno XIII. imperante vero II.

Actum Wormatiæ in ipso die Paschæ in Domino. Amen.

PRIVILEGIUM LUDOVICI regis VI. Willelmo abbati Carnotensi S. Petri concessum.

De libertate ecclesiæ S. Paterni Aurelianis.

Anno 1115. Ex archivis S. Petri Carnotensis.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. LUDOVICUS Dei gratia Francorum rex. Notum fieri volumus omnibus sanctæ christianæ religionis curam gerentibus, quia venerabilis WILLELMUS Carnotensis cœnobii abbas serenitatem nostram adiit, satis rationabiliter nos admonens, quatenus pro animabus antecessorum nostrorum, pro nobis etiam ipsis, ecclesiæ B. Petri aliquid accresceremus; cujus rationabili petitioni aurem præbentes, donum quod de ecclesia S. Paterni, quæ est extra muros Aurelianensis civitatis, prædictæ ecclesiæ S. Petri factum erat, concessimus & concedimus, firmavimus & firmamus; insuper addentes & donantes terræ eidem ecclesiæ S. Paterni adhærentis arpenn. VIII. totam vicariam, immo totam omnino justitiam, ita scilicet, ut inter prædictos VIII. arpennos, nullus regiæ potestatis minister aliquam justitiam clamare præsumat, non furem, non incendium, non raptum, non sanguinem, non rotagium, non foragium, non bannum, non talliam in hospitibus, qui ibi hospitabuntur, non corveiam, non ire in nostram caballationem, neque in hostem, non herbergamentum, non sasimentum, immo nihil ex toto, quod ad nostram pertinet vicariam sive justitiam; omnia hæc concedentes & donantes jam dictæ ecclesiæ, & quorum ejusdem ecclesiæ abbas voluerit ditioni. Damus quoque licentiam ibi hospitandi quoscumque voluerint, præter homines Aurelianensis civitatis, qui sine nostra permissione & præcepto, neque inibi hospitabuntur, neque res eorum recipientur. Quod ut inviolatum & firmum permaneat, sigilli nostri auctoritate firmari præcipimus. Actum publice in palatio Aurelianensi, anno incarnati Verbi MCXV. regni vero nostri VII. ADELAIDIS (a) reginæ primo astantibus in palatio nostro quorum nomina subtitulata sunt & signa. Signum ANSELMI dapiferi. Signum WIDONIS camerarii. Signum HUGONIS constabularii. Signum GISLEBERTI buticularii. Data per manum STEPHANI cancellarii.

EPISTOLA ATTONIS archiepiscopi Arelatensis ad G. Ademarium.

Arguit eum quod Arausicanam ecclesiam vexaverit, hortaturque ut ablata restituat.

Circa 1115. Communicavit domnus Furnerius S. Victoris monachus.

A. sanctæ Arelatensis ecclesiæ servus G. Ademario dilecto in Christo filio salutem.

Sicut in adversitate tua quamvis multorum precibus sollicitaremur, adversarii tamen tuæ partis fieri noluimus: ita consecutæ victoriæ successu super adversariis tuis te prosperari minime nobis displicet; verumtamen intolerabilis Aurasicensis ecclesiæ destructio, atque miserabilis innocentium clericorum desolatio, gladio quolibet gravius pectora nostra transfigit. Quis enim tantam Christianorum sævitiam intuens, quis tanti sacrilegii abominationem perpendens, æquo animo tolerare poterit? Certe paganorum barbariem jam multas invasisse ecclesias audivimus: numquam tamen tantam in eas exercuisse insaniam nostris temporibus comperimus. Homines enim tui omnes ecclesias fere civitatis invaserunt, aras exspoliaverunt, cruces, thuribula, libros, vestes, vasa sacra, omnia denique in eis reperta rapuerunt, victualia innocentibus clericis abstulerunt, domos illorum destruxerunt, & quicquid habebant eis abstulerunt, inter quos sacrilegos particeps, immo caput, & princeps extitisti. Insuper etiam possessiunculas quæ eis remanserant, postea usurpasti, & sicut nobis relatum est, tuorum latronum usibus eas intulisti. (b) Paterna itaque affectione, carissime fili, tuam dilectionem admoneo, admonendo deprecor, quatenus usque XIII. calendas Februarii prædictam ecclesiam restituas, &

(a) In diplomatibus Ludovici VI. regis Francorum hoc singulare occurrit, quod Adelaidis reginæ annos in eis apponi curaverit, & subscriptorum numerum ad quatuor primores curiæ regiæ ministros redigi sub eo inceptum sit, uti asseverat Mabillonius in lib. 2. & 5. de Re diplomatica.

(b) Aberat procul dubio Berengarius Arausicanus episcopus, anno quippe 1115. missus est legatus a summo pontifice ad partes Syriæ, uti fusius narrat Tyrius lib. 11.

ei & suis clericis omnia quæ tu & tui abstulerunt, restaures, possessionesque quas tempore invasionis habebant, liberas eis reddas. A

EPISTOLA WALERAMNI episcopi de vita S. Leonardi confessoris.

Anno 1115. Ex ms. Abdinghoffensi.

VVALERAMNUS Dei gratia Huenburgensis episcopus serenissimæ matronæ domnæ GERTRUDI (a) devotum servitium, [a] instantiam orationum, ac semetipsum omnino in omnibus deditissimum. B

Mirabilis Deus in sanctis suis, & cujus mens divinitus est inflammata, sæpius divina prædicanda sunt miracula. Optimam partem dicitur Maria elegisse, quia sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius; pro multiplici amministratione corporeæ refectionis Martha notatur nimium sollicitari, & erga plurima turbari. Porro, inquit, unum est necessarium, quod in partes scinditur, ad finem tendit; unum vero summum bonum est vera æternitas & beatitudo in idipsum. Rapientur insipientes circa viles hujus sæculi vanitates; tibi vero C juxta Salvatoris ammonitionem, unum videatur necessarium, ut inhabites in domo Domini omnibus diebus vitæ tuæ, & videas voluntatem Domini, & visites templum ejus. Filiæ Babilonis quibus ignorant congregant divitias: tu vero thesaurizando in cœlo supergressa es universas. Age igitur quod agis, operare quod operaris, domum Christo, sacrarium Spiritui-sancto, ut cum terrestris hujus habitationis domus solvatur, domum non manu factam invenias in cœlis, urbem fortitudinis nostræ Sion salvatorem, Jerusalem cœlestem, cujus participatio ejus in idipsum. D Beata quæ credis, quia quod oculis vidisti, operibus exequeris. Sic S. Leonardus in honorem S. Mariæ parvulam primo fundavit ecclesiam, ubi omnibus diebus vitæ suæ inhabitans, tandem de hac valle translatus est ad montem virtutum, ubi sicut lætantium habitatio est omnium. Benedictus Deus, quia & tu quasi turtur, invenisti nidum altare Domini virtutum, ubi utinam per intercessionem S. Leonardi in salutem totius patriæ virtutes fiant, sicut ubique in oratoriis S. Leonardi aspicimus, nisi incredulitas omnium obstet E virtutibus. Hæreticorum perversitas adversus Christianos maxime temporibus sancti Leonardi incanduerat, ideoque sicut viva voce fratrum percepimus, eorum malitia mirifica sancti Leonardi in hac vita, & opera penitus sunt abolita, vel sinistra interpretatione, sicut in ipso salvatore nostro, infamata. Post transitum vero ejus eorumdem invidia scelus addidit sceleri, & ut memoria ejus penitus auferretur de terra, vita ejus ubicumque inveniri potuit, est concremata. Quam magna, quam inusitata, quam denique incredibilia cottidie per eum fiunt mirabilia, nulla prorsus antiquitatis, ut opinor, pandit historia. S. Leonardus, sicut ipse veraciter perpendi, ad invocationem desolatorum semper est adjutor, clementissimus in oportunitatibus, in tribulatione, descendens de cœlo vultu instar solis rutilo, oculis stellantibus, habitu candidissimo, ad tactum ejus quilibet ferri rigor velut cera a facie ignis mollitur, sicque captivi a vinculis absoluti, inter fugiendum fluminibus obstantibus divinitus transvectantur. Plurima id genus ejus sunt mirabilia fidem excedentia, sed nulli prorsus fidelium inficienda, sicut per S. Leonardum BOAMUNDUS de paganorum captivitate, & rex Anglicus de fratris sui tyrannide integre suam recuperarunt potestatem, ita per eumdem mirificum sanctum dilatet etiam Dominus te ad orientem & ad occidentem, septentrionem & meridiem, crescatque vestra probitas in mille millia. Possideat semen vestrum portas inimicorum suorum & benedicantur in te omnes tribus Germaniæ. Fideliter credas & nullatenus dubites, quia quod de reliquiis ipsius mirifici sancti tecum partitus sum, auditu ipsius vocis sum adeptus, sive in corpore, sive extra corpus, nescio, Deus scit. Et ne falsarium redarguant increduli, confido in ejus bonitate, quomodo pro tua devotione tibi idem continget experiri, præsertim cum multorum testimonio comprobatum sit clementissimum sanctum cum desolatis, quasi aliquem cum amico suo sermocinari.

EPISTOLA PASCHALIS papæ II. ad Raimundum Barchinonensem marchionem.

Gratulatur ei de victoria in hostes reportata, eumque ac suos sub sua suscipit protectione.

PASCHALIS episcopus servus servorum Dei dilecto filio RAYMUNDO Barchinonensium marchioni, Bisuldunensi, & Provinciæ comiti S. & A. B. Anno 1116. Ex ms. Colbertino.

Devotioni tuæ, carissime fili, congratulamur, quod inter curas bellicas, beati potissimum Petri optas munimine confoveri. Hujus devotionis petitionem libenter admittimus, quia te in Dei servitio efficaciter laborare cognoscimus; non parum enim

(a) Ipsa est, ut conjicimus, Gertrudis Ecberti marchionis Saxoniæ filia, relicta Henrici comitis de Nordheim, nobilis Ottonis Rixæ uxoris Lotharii imperatoris, & Gertrudis Palatinæ comitissæ mater, quæ allatas Treviris beati Auctoris reliquias, in monasterio Brunsvvici a se erecto recondidit anno Christi 1115. *Et post curriculum duorum annorum* uti in historia translationis a Godefrido Libnitio edita legitur, *viam universæ carnis v. idus Decembris feliciter est ingressa.*

tuæ nobilitati meritum labor ille concilia-vit, quo per anni longitudinem in Balearibus insulis desudasti; cui tuo tuorumque consortium glorioso procinctui omnipotens Deus gloriosam de hostibus victoriam conferre dignatus est. Super hoc ad expugnandos Mauros ac Moabitas in Hispaniæ partibus, & Tortosam eorum præsidium obsidendam animi nobilis industriam paras. Ea propter dulcedinis tuæ petitionibus ampliori benignitate accommodamus assensum. Personam siquidem tuam & uxoris tuæ, ac filiorum vestrorum, & honorem vestrum, quæ aut in præsenti nova indictione tenetis, aut in futurum præstante Deo habebitis, per decretum præsentis paginæ, sub triginta morabatinorum censu annuo in beati Petri & ejus sedis apostolicæ tutelam suscipimus, præcipientes & stabiliter statuentes, ne cuiquam omnino personæ liceat læsionem vobis vel honori vestro, vel injuriam arrogare præsumat. Si quis autem, quod absit, aut vobis, aut honori vestro læsionem vel injuriam inferre tentaverit, apostolicæ sedis patrocinium vobis efficaciter præbeatur, & vobis debite exerceatur. Datam apud Transtyberim per manum Johannis S. R. E. cardinalis aut bibliothecarii x. calendas Junii, (a) indictione IX. incarnationis dominicæ anno MCXVI. pontificatus autem domini Paschalis II. papæ anno XVII. [a]

EPISTOLA PASCHALIS PAPÆ ad Reinhardum episcopum Halberstadensem.

Laudat eum quod quædam monialium monasteria reformaverit.

Ex ms. sancti Germani à Pratis.

P. episcopus servus servorum Dei venerabili fratri REINHARDO Halberstadensi episcopo S. & A. B.

Quædam monasteria monialium audivimus per vestram industriam correcta, ut remotis sæcularibus pompæ vanitatibus, regulari debeant disciplinæ operam dare. Hanc profecto sollicitudinem tuam laude dignam ducimus, & assertionis nostræ robore confirmamus. Statuimus ergo ut in locis ipsis monastica semper religio conservetur, nec cuiquam liceat regularem disciplinam ab eisdem monasteriis removere, ut correctionis tuæ gratia, perpetuis illic temporibus conservetur. Data Lateran. XIII. cal. April.

CHARTA ROSTAGNI Vasionensis episcopi multas ecclesias monasterio sancti Victoris Massiliensis largientis.

Anno 1117. Ex cartario S. Victoris eruit D. Furnerius.

AUctoritas jubet ecclesiastica & lex præcepit Romana, ut quicumque rem suam in aliquam potestatem transfundere voluerit, per paginam testamenti eam infundat, ut prolixis temporibus secura permaneat. Quapropter ego ROSTAGNUS Vasionensis episcopus dono Deo & S. Victori, scilicet cœnobio quod vulgo dicitur monasterium Massiliense, ecclesias de castro Malaucinæ, videlicet S. Michaëlis, S. Petri, S. Mariæ de Valle, S. Martini & S. Sebastiani, excepto manso qui est circa ecclesiam S. Sebastiani, quem canonici nostræ ecclesiæ possident, & ecclesias de Corno & de *Albaras*, & ecclesiam S. Mariæ de *Velz* cum omnibus sibi pertinentibus, excepto medietate decimarum ecclesiarum supradictarum, quas in præsenti habent, vel in antea adquisierint interdictum vel pecunia ipsius episcopi seu monachorum. Si quis vero nostrorum, ego vel monachi pro decimis recuperandis pecuniam dederint, medietatem ab altero recupero, & excepto quartam partem totius mortalitatis, & synodales censuras, & quæstus, & hospitia, & III. libras ceræ quas unoquoque anno ad synodum Octobris monasterium S. Mariæ de *Grausel* sacristæ nostro persolvere debet. Hæc omnia nobis & posteris nostris in perpetuum reservo. Facta carta IIII. cal Julii anno ab incarnatione Domini MCXVII. (b) Hoc donum facio ego episcopus Rostagnus atque confirmo communi consilio canonicorum meorum. Ego Petrus Theotelmus confirmo. Ego Gaucerannus sacrista &c. omnes videlicet canonici confirmamus & laudamus. [b]

PRIVILEGIUM RAIMUNDI comitis Barchinonensis pro Barchinonensibus suis.

Quintum quod percipere solebat de omnibus navibus ex speciali gratia eis remittit.

Anno 1117. Ex ms. Clbertino.

HÆc est carta donationis quam fecit Raymundus comes Barchinonensis. Manifestum est enim, quod ego RAYMUN-

(a) Hic error in indictione, quæ anno incarnationis 1116. & 17. pontificatus Paschalis papæ secundi, debet esse XIV.

(b) In assignato hujus diplomatis anno mendi suspicio ingeritur in nova Gallia Christiana, quia Berengarius Rostagni in sede Vasionensi successor anno 1113. interfuit pactis initis inter Remundum Arelatensem antistitem & Petrum de Lambesco. Verum non in Rostagni diplomate, sed in prædictis pactis potius error irrepsisse asserendus est. Et certe ignotus fuit hactenus ille Remundus archiepiscopus, qui anno 1113. sedisse dicitur in Arelatensi ecclesia, quæ duos tantum sæculo XII. agnoscit Remundos, Remundum de Monte Rotundo, qui præfuit ab anno 1142. ad 1155. & Remundum à Bolena, qui anno 1163. sedebat, quique in veteri carta compositionis inter Petrum Massiliensem episcopum & vicecomites Massiliæ anno 1165. peracta dicitur Remundus II. qui plane tertius dicendus foret, si anno 1113. extitisset iste Remundus I. Vero similius itaque Sammartani initium pontificatus Berengarii Vasionensis episcopi consignant ad 1151. & pro 1113 in pactis citatis legendum existimamus 1153. quo tempore & Arelate Raimundus de Monte-Rotundo & Vasione Berengarius sedebant, aut 1163. quo anno Remundus II. Arelatensem regebat episcopatum & Berengarius adhuc Vasionensem.

DUS comes Barchinonensis pro commovendo exercitu ad liberandam Hispaniarum ecclesiam cum omnibus meis de Barchinona, per mare navigio Januam & Pisas adivi. In reditu vero in Provincia in obsidione Fossicastri, quod a justitia mea deviabat, illos mecum detinui. Quocirca ego RAYMUNDUS comes Barchinonensis & DULCIA comitissa uxor mea dimittimus, condonamus, evacuamus, pacificamus eis novum usagium quod ego comes posui in Barchinona, videlicet quintum de omnibus galeis, quod accipere soliti eramus, pro tot & tantis servitiis & laboribus, quos pro me terra & mari perpessi sunt. Hoc autem nos prædicti facimus vobis prædictis hominibus Barchinonensibus per fidem sine enganno, ut ab hac die & deinceps neque nos, neque successores nostri, neque aliqua persona per nos vel per eos quintum de galeis, quæ ad Barchinonam venient, ut ibi maneant, & urbem Barchinonæ tunc commorantibus, ac deinceps commoraturis quærere præsumant. Si vero nos vel aliqua persona huic cartæ contraire & eam infringere voluerint, non valeamus, neque valeant, sed componamus & componant mille libras auri puri, & insuper hæc carta stabilis & firma maneat.

Actum est hoc quarto nonas Julii, anno nono Ludovici regis.

Sig†num RAYMUNDI comitis, qui hanc cartam donationis feci & firmavi & testes firmare rogavi.

Signum DULCIÆ comitissæ, Signum Raymundi dapiferi, Signum Raymundi Bernardi, Signum Geraldi Alemanni, Signum Berengarii, Signum Raymundi.

DIPLOMA LUDOVICI VI. regis pro monasterio Aroasiensi.

Viginti vini modios ipsi annuatim concedit.

Anno 1117. Ex cartar. Aroasiensi.

IN Christi nomine, ego LUDOVICUS Dei gratia Francorum rex notum fieri tam futuris quam & instantibus volumus, quoniam pro animarum patris mei & matris meæ prædecessorum nostrorum remedio, maximeque pro anima nostra & uxore nostra AL. regina, ecclesiæ S. Trinitatis & beatissimi Christi confessoris Nicholai in (a) Aridagamantia sitæ xx. vini modios annuatim donavimus; & hoc jure perpetuo ejusdem loci canonicis habendos concessimus. Præcipimus quoque, ut apud Vorgiam & Joviam eos unoquoque anno suscipiant. Verum ut hoc ratum & firmum permaneat in sempiternum, præsentem cartam nostri auctoritate sigilli firmatam & corroboratam fieri disposuimus, quæ & hoc donum nostrum omnibus patenter exponat, & in munimentum stabilitatis perpetuo existat. Actum Parisius anno MCXVII. regni nostri IX. ADELIDIS reginæ tertio, astantibus in palatio nostro quorum nomina subtitulata sunt & signa. Signum ANSELLI dapiferi. Signum HUGONIS constabularii. Signum GILLEBERTI buticularii. Signum GUIDONIS camerarii.

Datum per manum STEPHANI cancellarii.

(a) Arid gamantia locus est in diœcesi Atrebatensi, in quo sita est abbatia Aroasiensis canonicorum regularium ordinis S. Augustini, caput celeberrimæ olim congregationis.

EPISTOLA FRIDERICI archiepiscopi Coloniensis ad Mediolanenses.

Anno 1117. Ex ms. S. Germani a Pratis.

Hortatur ad resistendum ecclesiæ inimicis.

CONsulibus, capitaneis, omni militiæ, universoque Mediolanensi populo, Fridericus Dei gratia Coloniensis ecclesiæ humilis minister, viriliter agere & confortari in Domino & in potentia virtutis ejus.

Magnus Dominus & laudabilis nimis in hac Dei quæ condecoratur gloriosa libertate, ideoque in exultatione universæ terræ fundatur, dum quibuslibet injustis potestatibus prosterni dedignatur. Hæc itaque gloriosa cum per universum orbem de te sint dicta, civitas Dei inclyta, conserva libertatem, ut pariter retineas nominis hujus dignitatem, quia quamdiu potestatibus ecclesiæ inimicis resistere niteris, veræ libertatis auctore Christo Domino adjutore perfrueris. Firmet ergo vestram constantiam, carissimi, prædicanda æquitas & a patribus vestris usque ad nos deducta nominis dignitas, insuper nostra omniumque honorum applaudens unanimitas. Quicumque enim sumus Lotharingiæ, Saxoniæ, Thuringiæ, immo totius Galliæ principes ad dilectionem vestram sumus unanimes: quia sicut in uno regni corpore sociamur, ita in eadem justitia, eadem legum libertate, una vobiscum vivere parati semper inveniemur. Porro si auxilio vel consilio nostro egueritis, qualiter id velitis fieri, discretionis vestræ ordinet prudentia, ad quod exequendum promtissima invenietur nostra diligentia. Ergo quicquid vobis in commune placuerit, nobis desideramus rescribi, non quidem vobis diffidentes, sed in responsis vestris jocundari volentes, ut quod corporali hoc tempore fieri nequit præsentia, saltem tuo beneficio nobis exhibeat epistola, cujus est officium absentes quasi præsentes efficere, & inter amicos tam dulcia quam secreta colloquia miscere. Valete. Ceteras civitates quæ vobiscum sunt, confortate in Domino.

EPIS-

EPISTOLA FRIDERICI Coloniensis archiepiscopi ad archiepiscopos & episcopos &c.

Suum de morte summi pontificis dolorem intimat, hortatur ut ecclesiæ catholicæ semper adhæreant, optatque significari sibi aliquid de papa successore.

Anno 1118. Ex ms. S. Germani à Pratis.

VEnerabilibus dominis archiepiscopis & episcopis, omnibusque catholicis in hoc cœtu ad Dei honorem & ecclesiæ salutem congregatis, FRIDERICUS Dei gratia Coloniensis ecclesiæ humilis minister, devotas orationes, pium in Christo obsequium, & intimæ dilectionis affectum.

Patri misericordiarum & Deo totius consolationis immensas gratiarum actiones referimus, qui in omni tribulatione nostra multiplici consolatione nos crebrius visitans, aperit etiam nobis in vestræ sanctitatis conventu sinum fraternæ compassionis, promittens nobis in spe auxilii & consilii vestri ubera piæ consolationis. Longis enim & gravibus afflicti persecutionum tempestatibus, a perversis & infidelibus sanctæ matris ecclesiæ impugnatoribus nihil tristius in hac calamitate pertulimus, quam quod desolati sumus a sanctissimi patris nostri apostolici catholica consolatione: quia ipse erat qui vestiebat nos coccino in deliciis, qui præbebat ornamenta cultui nostro patientiæ & caritatis, seipsum proponens nobis exemplum, & sanæ doctrinæ catholicum inculcans argumentum. Sed quomodo consummato cursu, fide servata, vocatus est ad justitiæ coronam apud Deum repositam, vos serenissimi patres, sanctam ne deseratis ecclesiam, sed ejus imitantes vestigia, omnes qui vestram libertatem imminuere damnate sententia, quatenus Mediolanensis ecclesia contra principes superbe agentes eamdem obtineat constantiam, quam exercuit contra Theodosium felicis memoriæ imperatorem, adducendo eum ad pœnitentiam. Nos autem sicut unum corpus sumus in Christo, ita catholici conatus vestri fautores & adjutores inveniemur in ipso, non desistentes a vestra omniumque bonorum unitate, & sanctæ matris nostræ recuperanda libertate. Postremo qui viciniores estis sedi Romanæ, quid de ea nobis sentiendum sit, fideliter insinuare curate, ut si patri nostro successor legitimus Dei ordinatione est substitutus, qui ejus per omnia & sanctorum patrum sectetur vestigia, omnium nostrum perfruatur obedientia. Sin autem non Dei, sed hominis terreni & excommunicatorum, quod absit, se forefactis probet antistitem, nullam seductionis suæ vel damnationis nostræ in nobis inveniat subjectionem. Valete.

EPISTOLA G. EPISCOPI ad F. archiepiscopum Coloniensem.

Adversus invasorem ecclesiæ Leodiensis.

Anno 1118. Ex ms. S. Jacobi Leodiensis. [a]

DOMNO & patri suo (a) F. Coloniensium archiepiscopo G. Dei gratia id quod est, viriliter & confortari in Domino.

De Leodiensis ecclesiæ sororis nostræ nefaria invasione, & execrabili oppressione, fama quidem prius, sed nuper litteris vestris certius cognovimus, ad cujus consolationem, sicut monuistis, quia præsentiam nostram tam celeriter exhibere nequivimus, sententiæ nostræ litteras sanctitati vestræ destinavimus. Videtur nobis hoc facinus quidem omnibus ecclesiis dolendum, maxime autem matri nostræ, cunctisque filiabus ipsius lamentandum, tum quia in filia incestus hic contigit, tum quia in provincia hac malum hoc accidit, ubi primum & maxime hoc tempore pro vindicanda ecclesiæ libertate decertatum est, & jam bonæ spei fructus sperari potuit. Sed ô invidiosa antiqui hostis circumventio! instanti certaminis agone jam circa boni cursus consummationem repentino casu totius ecclesiæ faciem nequissimus hostis tanta ignominia offudit, ut sororem nostram intrusus hostis macularet, immo quod sceleratius est, filius matrem opprimeret. Meministis historiæ veteris, quomodo filii Jacob pro Dina sorore sua oppressa Sichem filium Emor Evei habitatoresque illius, licet in legem illorum transire volentes, & jam circumcisos tamen sævientes, ob stuprum sororis necaverunt, eo quod fœdam rem operatus est in Israël, & violata filia Jacob rem illicitam perpetrasset. Simili quoque forma pro sororis nostræ oppressione, justo animadversionis zelo succensi... *Reliqua invidit manus temeraria quæ ipsa abrasit.*

DIPLOMA HENRICI IV. imperatoris pro S. Maximino.

Anselmum militem cum beneficio suo ei restituit.

Anno 1115. Ex cartario Trevirensi S. Maximini.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, HENRICUS divina favente clementia IV. Romanorum imperator augustus. Si fidelibus nostris non solum de nostro conferimus, sed etiam ab aliis tradita confirmaverimus,

(a) Frederico, qui ab anno 1099. ad 1131. Coloniensem rexit ecclesiam. Porro hæc epistola scripta esse videtur occasione Alexandri archidiaconi & sacristæ, qui mortuo Otberto præsule, Leodiensem episcopatum numerata pecunia ab Henrico V. cæsare emit, sed non obtinuit. Nam eo expulso, ordinatus est Fridericus vir sanctissimus. Vide si lubet epistolam Coloniensis archiepiscopi ad Leodiensem ecclesiam, ne taliter intrusum admittant tom. 1. Thesauri Anecdotorum pag. 376.

divinitus nos inde remunerari non diffidimus. Quapropter fidelibus nostris tam præsentibus quam futuris notum esse volumus, qualiter fidelis noster BERENGOZUS abbas S. Maximini serenitati nostræ conquestus est sæpius, qualiter homo suus Anshelmus de *Mollesberch* a domno ADELBERTO tunc quidem cancellario, nunc autem Moguntinæ sedis archiepiscopo, cum beneficio suo, quod est Brichina & Seltris, aliquot annis jam injuste sibi fuerit ablatus, rogans ut respectu mercedis æternæ eumdem militem suum cum præfato beneficio suo B. Maximino integre restitueremus, & restitutum imperiali nostra auctoritate confirmaremus. Cujus rationabili petitioni ob amorem Dei, & reverentiam B. Maximini, per interventum fidelium nostrorum FRIDERICI Coloniensis & BRUNONIS Trevirensis archiepiscoporum; sed & OTTONIS Babergensis, HERIMANNI Augustensis, RODOLFI Basileensis & BRUNONIS Spirensis venerabilium episcoporum, necnon FRIDERICI ducis & THIETPALDI marchionis, GODEFRIDI etiam & BERINGERI, sed & LUDEWICI & MIGBERTI comitum aliorumque fidelium nostrorum assensum præbentes, præfatum Anshelmum cum prædicto beneficio suo, Brichina scilicet & Seltris, quod Anshelmus avus illius a (a) POPPONE abbate per precariam sibi suisque acquisivit heredibus, B. Maximino ac prædicto abbati suisque successoribus ea ratione recognoscendo reddimus, & reddendo confirmamus, ut sæpedictus Anshelmus & filius ejus Heinricus beneficium idem ab ejusdem loci abbatibus amodo pacifice & quiete possideant, & beneficiario eis jure deserviant. Si autem ipsi sine heredibus defuncti fuerint, tunc eadem bona B. Maximino libere & integerrime redeant, & ad utilitatem monasterii & ad usus monachorum deinceps rata & inconvulsa permaneant, sed quia nos devoto ejusdem fidelis nostri Anselmi servitio carere nolumus; idcirco fidelium nostrorum tam præsentium quam futurorum solertiæ notum esse cupimus, qualiter curtem nostram *Buttendorff* a cognato nostro HERMANNO Palatino comite ad nos hereditario jure transfusam, cum omnibus ad eam juste ac legaliter pertinentibus, prædicto fideli nostro Anshelmo in beneficium condonamus, & condonando firmamus, ut ipse & filius ejus pro his parvis eo studiosius nobis servire studeant, quo adhuc majora de nobis se percepturos esse non desperant. Et ut hæc utraque largitio tam sibi quam abbati suisque successoribus stabilis semper & inconvulsa permaneat, cartam hanc inde conscribi fecimus, quam propria manu subterfirmatam sigilli nostri impressione insigniri jussimus.

Signum domni HEINRICI IV. Romanorum imperatoris invictissimi.

BRUNO cancellarius ad vicem domni ADELBERTI archicancellarii recognovi.

Data IV. nonas Januarii, anno dominicæ incarnationis MCXVIII. indictione XI. anno regni domni Henrici XVIII. imperii vero VII.

Actum Spiræ, in Dei nomine feliciter. Amen.

EPISTOLA PETRI EPISCOPI Portuensis ad cardinales qui cum Gelasio obeunte fuerunt.

Laudat eorum in providendo ecclesiæ necessitatibus prudentiam.

Dilectis in Christo fratribus episcopis, cardinalibus & ceteris clericis sive laicis qui cum papa GEL. fuerunt, P. Portuensis salutem in Domino. Anno 1119. Ex ms. S. Laurentii Leodiensis.

Scriptum est: *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit.* Proinde benedictus Deus, qui simplicitatem cordis vestri tanta prudentia illustravit, ut magnis ecclesiæ necessitatibus salubri & maturo consilio provideretis. Licet enim me obitus domini nostri papæ (b) GELASII contristaverit, (c) petitioni tamen vestræ prompto & alacri animo diligentiam dedi, atque ut ceteri fratres vobiscum in unum saperent sollicitius laboravi. Quod honeste satis per Dei gratiam factum est, sicut per nuncios nostros, qui, auxiliante Deo, in proximo ad vos venturi sunt, plenius cognoscetis.

EPISTOLA CRESCENTII Sabinensis & Vitalis Albanensis episcoporum ad cardinales.

Electioni summi pontificis per eos factæ assensum præbent, rogantque concilium à papa celebrari pro bono pacis.

Carissimis in Christo fratribus episcopis cardinalibus, episcopi qui Romæ sunt C. Sabinensis, V. Albanus, in Domino salutem. Anno 1119. Ex ms. S. Laurentii Leodiensis.

Litteras a vestra fraternitate communes & proprias lætanter suscepimus, & petitioni vestræ cum devotione assensum præbuimus, sicut venerabilis frater noster O. archipresbyter Salvatoris cum socio suo vobis

(a) Hic est S. Poppo multorum reformator monasteriorum, quibus & præfuit. In Stabulensi imperiali abbatia quiescit.

(b) Obiit Gelasius papa II. in monasterio Cluniacensi 29. Januarii 1119. quo ibidem sepulto, cardinales ibi existentes, statim in unum congregati Guidonem archiepiscopum Viennensem in papam elegerunt.

(c) *Portuensis episcopus*, inquit Auctor Chronici Beneventani, *litteris acceptis super apostolici obitu, lacrymis manantibus, valde se contristatum ostendit, & illico capitolium ascendit, & litteras ostendit Romanis &c.*

narrare poterit, quos ad dominum papam A & ad vos direximus cum litteris confirmationis & nostris suscriptionibus. Ipsi enim viderunt & audierunt quomodo nos in calendis Martii omnes pariter congregati sumus episcopi, cardinales presbyteri, diaconi, subdiaconi cum reliqua multitudine Romanæ urbis, cleri & populi, & electionem pontificis a vobis factam singuli ore proprio laudavimus & confirmavimus. Restat igitur ut sicut petitioni vestræ festinum præbuimus assensum, ita & vos necessitatibus nostris, largiente Domino, præbere festinetis au- B xilium. Ex consilio autem nostro, si vobis placet, domino papæ suggerite concilium celebrare, de pace si fieri potest & ecclesiæ liberatione tractare.

EPISTOLA CARDINALIUM
Romæ existentium ad cardinales qui ultra Montes erant.

Approbant electionem papæ per eos factam.

Anno 1119. Ex mſ. S. Laurentii Leodienſis.

CArdinales Romæ degentes BONEFACIUS tituli sancti Marci, JOHANNES tituli sanctæ Ceciliæ, ANASTASIUS S. Clementis, BENEDICTUS tituli Eudoxiæ, DIVISO tituli sancti Equitii: TIBALDUS tituli Pammachii, REINERIUS tituli SS. Marcellini & Petri, DESIDERIUS tituli S. Praxedis, GREGORIUS S. Lucinæ tituli, HUGO tituli apostolorum, Karissimis fratribus & cardinalibus qui ultra Montes sunt, salutem.

Dilectionem vestram latere non credimus, quod ex Romanæ ecclesiæ filiis, presbyteris & diaconibus, & infra urbem, si possibile fuerit, vel extra in locis finitimis post de- D cessum summi pontificis, persona ad papale officium idonea decretis sanctorum pontificu mtestibus, ad culmen apostolicum debeat exaltari. Sane quidem nostris exigenti bus meritis, quia nos sumus in quos fines sæculorum devenerunt, cum ex Romano more electionem facere impediamur, electionem quam vos de domino Gu. * olim archiepiscopo Viennensi, nunc vero domino nostro fecistis, caritate debita consentimus, & consentiendo nos, Spiritu divino afflante, laudamus, unanimitate vinciente corrobo- E ramus.

* Guidone.

EPISTOLA CARDINALIUM
Romæ existentium ad cardinales qui ultra Montes erant.

Ejusdem argumenti.

Anno 1119. Ex mſ. S. Laurentii Leodienſis.

VEnerabilibus in domino fratribus diaconibus cardinalibus qui ultra Montes sunt, diacones cardinales qui Romæ sunt, salutem.

Quemadmodum, carissimi nobis, scripsistis, in dilectione nostra tum pro eodem ordine, tum pro ejusdem officii æqualitate plene confidere potestis. Quocirca dilectioni vestræ notum sit, eodem nos vobiscum caritatis vinculo connexos, ad totius ecclesiæ utilitatem ac statum de tanti viri electione idem sentire, laudare, confirmare, ac per omnia unanimiter tenere. Quidquid igitur prosperi vobis divina gratia favente provenerit, nobis fratribus vestris significare curate.

EPISTOLA CARDINALIUM
Romæ existentium ad episcopos Galliæ.

Confirmata Calixti papæ electione, orant pro eo obedientiam & orationes.

Anno 1119. Ex mſ. S. Laurentii Leodienſis.

EPiscopi cardinales qui Romæ sunt, dilectis fratribus in Christo universis Galliarum & aliarum partium episcopis, abbatibus, & ceteris Christi fidelibus, salutem.

Fraternæ dilectioni vestræ notum esse vo- C lumus, quia nos qui communi voto & desiderio electionem a fratribus nostris, qui ultra Montes sunt, factam de domino Gu. Viennensi archiepiscopo in Romanæ ecclesiæ pontificem CALIXTUM, omnes pariter laudavimus & confirmavimus. Vestram itaque fraternitatem rogamus, obsecramus in Domino in idipsum nobiscum sentire, laudare & tenere, eique vice beati Petri sicut Romano pontifici obedire. Precibus etiam assiduis pro eo Dominum exorare, quatenus ei virtutis suæ præbeat incrementa, eumque cum grege sibi credito perducat ad gaudia sempiterna.

EPISTOLA CARDINALIUM
qui sunt Romæ ad cardinales ultra Montes existentes.

Mittunt ad eos nuncios.

Anno 1119. Ex mſ. S. Laurentii Leodienſis.

FRatribus in Christo carissimis episcopis & cardinalibus, & reliquis B. Petri fidelibus, qui ultra Montes sunt, fratres qui Romæ sunt salutem dicunt.

Aliis jam litteris vobis significavimus, quia quod a vobis de pontificis electione factum est... cum magna cleri & populi multitudine laudatum est & confirmatum. Et quia terreni itineris securitatem non habemus, nuncios cum litteris & subscriptionibus nostris per mare ad vos, Deo auxiliante, mittemus. Dominum papam CALIXTUM tota ecclesia prædicat, nomen ejus in missarum celebrationibus celebratur, & a scriniariis, sicut consuetudo est, in cartis quas faciunt ponitur. Vos itaque constanter & viriliter agite, & nobis laborantibus

fratribus, modis quibus potestis succurrite, quia & nos pro viribus operamur, ut dominum papam & vos cum gaudio & honore suscipiamus.

CONFIRMATIO ELECTIONIS Calixti papæ II. cardinalium Romæ existentium subscriptionibus roborata.

Anno 1119. Ex ms. S. Laurentii Leodiensis.

Venerabilibus episcopis & cardinalibus & clericis, ac laicis, qui cum domino GELASIO fuerunt, episcopi & cardinales & ceteri clerici sive laici fideles B. Petri salutem in Domino.

De obitu domini nostri beatæ memoriæ papæ GELASII tanto amplius contristamur, quanto majora per eum subsidia sperabamus. Verum quia sic placuit ei, qui nutu suo regit & disponit omnia, sit nomen ejus benedictum in sæcula. Post ipsius autem obitum non dubitamus eam vobis incubuisse necessitudinem, ut esset vobis opus & saluti vestræ providere, & de statu ecclesiæ ac pontificis electione tractare, atque ideo quod vobis summa, sicut ipsi novimus, necessitate cogente fecistis, nos quoque ratum habemus & stabile, & fratribus nostris qui alibi sunt, idipsum nobiscum sentire mandamus. Acceptis siquidem litteris quas misistis, in altero die apud ecclesiam sancti Johannis de insula congregati sumus, episcopi, cardinales, presbyteri, diaconi & subdiaconi, ac reliqui clerici, judices quoque & scriniarii, ac ceteri palatii ordines, & plures Romani nobiles: Præfectus etiam per nuncios suos & cum multa frequentia cleri & populi electionem a vobis factam secundum Romanam consuetudinem laudavimus & confirmavimus, & clerici quidem post confirmationem *Te Deum laudamus* cantabant. Laici vero, ut moris est, magnis vocibus acclamabant, CALIXTUM papam sanctus Petrus elegit. Multi etiam qui tunc nobiscum adesse potuerunt, audito quod a nobis confirmatum fuerat, laudaverunt. Ut autem de unanimitatis nostræ concordia vos certiores efficiamus, nomina eorum, non tamen omnium qui huic confirmationi interfuerunt, ad vos scripta dereximus.

Electionem per Dei gratiam a fratribus nostris episcopis & cardinalibus factam de domino GUIDONE Viennensi episcopo ego CRESCENTIUS Sabinensis episcopus laudo & confirmo.

Ego PETRUS Portuensis episcopus laudo & confirmo.

Ego VITALIS Albanus episcopus laudo & confirmo.

Ego BONEFACIUS tituli S. Marci laudo & confirmo.

Ego MANFREDUS Tiburtinus episcopus laudo & confirmo.

Ego COMES diaconus cardinalis S. Mariæ in Aquiro laudo & confirmo.

Ego NICOLAUS primicerius scolæ cantorum laudo & confirmo.

Ego RAINERIUS prior subdiaconus scolæ basilicæ laudo & confirmo.

Ego GREGORIUS scolæ basilicæ subdiaconus, laudo & confirmo.

Ego Vincentius exorcista laudo & confirmo.

Ego Johannes exorcista laudo & confirmo.

Ego Paulus lector laudo & confirmo.

Ego Nicolaus ostiarius laudo & confirmo.

Ego Benedictus presbyter prior S. Mariæ Majoris cum omnibus clericis catholicis ejusdem ecclesiæ laudo & confirmo.

Ego Johannes archiepresbyter sancti Petri apostoli cum omnibus catholicis ejusdem ecclesiæ laudo & confirmo.

Ego Alexis ostiarius laudo & confirmo.

Ego Nicolaus archipresbyter S. Anastasiæ cum tota parochia nostra laudo & confirmo.

Ego Dodo archipresbyter S. Mariæ in Aquiro cum omnibus clericis ejusdem laudo & confirmo.

Ego Johannes archipresbyter sancti Laurentii in Lucina cum omnibus clericis ejusdem ecclesiæ laudo & confirmo.

Ego Senebaldus archipresbyter S. Mariæ secundi cerei laudo & confirmo.

Clerici in Insula laudamus & confirmamus.

Clerici S. Adelberti omnes laudamus & confirmamus.

Ego Petrus presbyter S. Mariæ de Maxima laudo & confirmo.

Ego R. archipresbyter ecclesiæ B. Mariæ trans Tyberim de titulo Calixti, cum omnibus canonicis, & capellanis ejusdem ecclesiæ laudo & confirmo.

Ego Benedictus archipresbyter S. Mariæ in Monticello cum clericis nostris laudo & confirmo.

Ego ANASTASIUS sancti Pauli abbas cum omni congregatione nostra laudo & confirmo.

Ego PETRUS abbas sancti Silvestri cum fratribus nostris omnibus laudo & confirmo.

Ego ROBERTUS abbas sancti Andreæ de Clivo Scauri cum omni congregatione nostra laudo & confirmo.

Ego RAINERUS sancti Basilii laudo & confirmo.

Ego PETRUS prior & rector monasterii sanctorum Cosmæ & Damiani cum tota congregatione nostra laudo & confirmo.

Ego HEINRICUS abbas sancti Laurentii Pariparnæ cum omnibus fratribus nostris laudo & confirmo.

Ego Otto archipresbyter sancti Salvatoris quæ vocatur Aquila-felix, laudo & confirmo.

Ego Gregorius archipresbyter S. Gregorii cum clericis nostris laudo & confirmo.

Ego Gratianus archipresbyter sancti Stephani in Cœlio monte laudo & confirmo.

Ego Centius presbyter ecclesiæ sancti Symeonis laudo & confirmo.

Ego Johannes yconomus sancti Johannis ante Portam latinam laudo & confirmo.

Ego Azo archipresbyter in Via-lata sanctæ Mariæ cum omnibus clericis ejusdem ecclesiæ laudo & confirmo.

Ego Johannes archipresbyter sanctæ Mariæ in Minerva cum clericis nostris laudo & confirmo.

Ego Nicolaus archipresbyter sancti Sixti cum clericis nostris laudo & confirmo.

LITTERÆ HÆRETICORUM ad Calixtum II. papam.

Ipsius electioni assensum prabent.

Anno 1119. Ex ms. S. Laurentii Leodiensis.

CALIXTO Dei gratia universali pontifici, R. S. Eusebii cardinalis, & G. SS. apostolorum, & M. S. Pancratii abbas obedientiam in Domino.

Etsi litteræ electionis vestræ ad nos non pervenerint, ea tamen nobis manifestata, gavisi sumus, orantes Deum, ut si quid minus in ea est, gratia ipsius benigna vobis & nobis impleat. Nos quod jam per septennium plurimum fatigati pro catholicæ veritatis confessione vix jam valentes sufficere, postulamus per Dei misericordiam respirare. Verum quia id in vobis obtinere posse Deum credimus, electionem vestram quam neque lepra Symonis, neque tumor ambitionis infecit, tamquam a Deo datam amplexi sumus. Intelleximus enim a vobis completum fuisse capitulum electionis, quam Apostolus in epistola ad Hebræos interserit: *Nec quisquam*, inquit, *sibi sumit honorem*, *sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron*. Pontificatu igitur vestro a Deo vocato, nullam maculam secundum conscientiam nostram in probando electionem vestram secundum votum quod semper habuimus collaudantes amplectimur, sperantes omnem maculam hæresis per sanctum studium vestrum ab ecclesia Romana propelli. Unde nostra suscitata diligentia electioni vestræ, eam confirmantes, subscribimus, tanto quidem devotius, quanto puriorem esse per Dei gratiam confidimus.

Similiter presbyter Bonus-homo, presbyter Berardus, presbyter Angelus S. Andreæ, presbyter Angelus, Johannes archipresbyter S. Mariæ Rotundæ, Dodo presbyter S. Mariæ in Aquiro, Desiderius archipresbyter sanctorum apostolorum cum omnibus clericis ejusdem ecclesiæ, presbyter Benedictus S. Stephani, presbyter Johannes S. Nicolai, Angelus sanctæ Mariæ in Via, Beraldus sancti Basilii, Astaldus & JOHANNES abbas sancti Apollinaris, presbyter Mannus S. Petri ad vincula, presbyter Leo, & Nicolaus S. Laurentii in Lucino cum pluribus aliis.

EPISTOLA CALIXTI PAPÆ II. ad universos reges, comites & principes.

Hortatur ut afflictæ Hispaniarum ecclesiæ succurrant, concessis adjuvantibus indulgentiis, commendatque eis Odelgarium archiepiscopum Tarraconensem.

Anno 1119. Ex ms sancti Laurentii Leodiensis.

CALIXTUS episcopus, servus servorum Dei, omnibus episcopis, regibus, comitibus, principibus, ceterisque Dei fidelibus, salutem & apostolicam benedictionem.

Pastoralis officii nobis a Deo commissi sollicitudo deposcit, ut omni diligentia & circumspectione gregem dominicum & custodiamus & pascamus. Hispaniarum siquidem ecclesiæ, quot calamitatibus, quot filiorum Dei mortibus per paganorum oppressionem assidue conteratur, neminem vestrum latere credimus. Ea propter dilectionem vestram, tamquam Deo, cujus legatione fungimur, exhortante per nos, ammonemus, & tamquam carissimos filios precibus quibus possumus incitamus, quatenus ad fratrum defensionem, & ecclesiarum liberationem, nullatenus insudare desistatis. Omnibus enim in hac expeditione constanter militantibus, eamdem peccatorum remissionem, quam Orientalis ecclesiæ defensoribus fecimus apostolica auctoritate, & concessa nobis divinitus potestate, benigne concedimus. Illos autem qui signum crucis suis vestibus hac de causa imposuerunt, si ab hoc paschate usque ad aliud votum suum persolvere non satagerint, a gremio deinceps sanctæ ecclesiæ, donec satisfaciant, summovemus. Verum quia exercitum vestrum per nos, ut desideraremus, visitare nequimus, carissimum fratrem nostrum (a) OLDEGARIUM Tarraconensem archiepiscopum ad ipsum ex latere nostro delegare curavimus, nostras ei vices in hoc specialiter committentes, ut ipsius consilio & dispositione corrigenda corrigantur, & confirmanda, cooperante Domino, confirmentur. Si quæ vero dubia in exercitu eodem emerserint, ipsius experientia terminentur. Ipsum itaque dilectioni vestræ attentius commendamus, rogantes, ut illam in vobis inveniat caritatem, quæ nos ad eum

(a) Ex abbate sancti Rufi factus est archiepiscopus, cujus memoriam tamquam Sancti recolit ecclesia Tarraconensis.

committendum compellit. Omnipotens Dominus beatorum suorum Petri & Pauli sua vos miseratione custodiat, & ad gloriosam de inimicis Christianorum victoriam & felicem consummationem pervenire concedat. Datum Lateranis IV. nonas Aprilis.

EPISTOLA CALIXTI PAPÆ II. ad Fridericum archiepiscopum Coloniensem.

Significat ei concilium in autumno Remis celebrandum pro felici ecclesiæ statu.

Anno 1119. Ex ms. Colbertino.

CALIXTUS episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri F. Coloniensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Quamdiu mundi hujus pelagum navigamus, necesse est ut tempestates & collisiones fluctuum patiamur. Unde magnam nos oportet habere custodiam, ut commissi nobis navigii cursum sic, præstante Domino, dirigamus, quo ad quietis portum cum navis & . . . . . integritate pertingere valeamus. Esto igitur providens, frater carissime; atque sollicite, sicut cœpisti, circumspice, quoniam præsto est Dominus Deus noster, qui ventis & mari potenter imperat, & subito tranquillum facit. Novimus quidem Domini & ecclesiæ inimicos adversus ecclesiam posse latratus emittere. Illud autem omnino nec divinis, nec humanis legibus reperitur, ut ab aliquo sedes apostolica judicetur, nedum ab illis qui ecclesiæ judicio condemnati sunt. Verumtamen ne populus Domini alicujus blanditiis, persuasionibus, fallaciis seducatur, si quis adversus ecclesiam Dei se habere confidit, ad (a) concilium quod in proximo autumno circa Remos per Dei gratiam celebraturi sumus accedat. Ibi enim magistri ecclesiæ viri religiosi & sapientes intererunt, ibi de statu ecclesiæ tractatus habebitur, ibi ecclesiæ status, cooperante Domino, consurget, & hostilis incursio destruetur, & ibi, præstante Domino, sufficiens dabitur cum patrum auctoritate responsio. Constanter igitur age, strenue miles Christi, atque in propositi stadii certamine donec ad bravium pervenias, currere non desistas. Penitus etiam caveas ne pessima investitorum a tyranno illo putredine tua sinceritas contingatur. Pugnator enim fortis Dominus tecum est, neque nostrum tibi consilium & auxilium deerit, quod nobis misericordia divina contulerit. Datum Anicii XVI. celendas Maii.

(a) Illud concilium celebratum fuit XIII. Calendas Novembris MCXIX. in quo Henricus ecclesiarum investituris renuntiavit.

SIGILLUM REGIS LUDOVICI pro Columbensi monasterio.

Terram sancti Liphardi excolendam & ecclesiam ei restaurandam concedit.

Anno 1119. Ex cartario Columbensi.

EGO LUDOVICUS gratia Dei Francorum rex. Notum fieri volo cunctis fidelibus, tam præsentibus quam futuris, quia ROGERIUS abbas beatæ Mariæ Columbensis ecclesiæ, ceterique fratres in eadem ecclesia Domino deservientes, majestatem nostram adierunt, humiliter postulantes, ut terram S. Liphardi Magdunensis, in territorio Carnotensi supra fluvium qui vocatur Augura sitam, cum suis possessionibus, cum ecclesiis, cum silvis, cum aquis & pascuis, sicuti decanus & canonici sancti Liphardi per mediam concesserant terram illam, & molendinos per tertiam partem, cum omni familia etiam utriusque sexus ad excolendum & reædificandum concederemus. Quod nos pro remedio animæ patris nostri & animæ nostræ eis concessimus, orante & exhortante JOHANNE Aurelianensi episcopo, & Johanne S. Liphardi decano, & canonicis ejusdem ecclesiæ. Supradicta enim terra infestatione malorum hominum & malarum consuetudinum captione, quæ a servientibus terræ illi superpositæ erant, pene in solitudine redacta fuerat, & canonicis amplius nulla spes reædificandi supererat: quas omnes malas consuetudines & ipsam vicariam nos removentes, brennagium tantummodo retinentes, præcipimus ne deinceps illæ malæ consuetudines & vicaria capiantur. Addidimus & huic nostro beneficio terram *Merreville*, quam canonici S. Stephani Drocacensis ecclesiæ eisdem monachis per medium communicaverant, eis concedentes, ut jure perpetuo supradictam terram obtineant. Ut autem hoc præceptum nostrum firmius permaneat, astipulatione sigilli nostri firmare decrevimus. Data Aurelianis publice, anno incarnati Verbi MCXIX. regni autem nostri XI. præsentibus & laudantibus GISLEBERTO Turonensi archiepiscopo, & GAUFRIDO Carnotensi episcopo, & JOHANNE Aurelianensi episcopo, GIRBERTO Parisiacensi & LISIARDO Suessionensi, de curia nostra STEPHANO cancellario & WILLELMO dapifero nostro & GISLEBERTO buticulario.



EPISTOLA FRIDERICI episcopi Leodiensis ad ecclesiam Machliniensem.

Excusat præpositum Machliniensem, quod dimissus e carcere, contra juramentum non redierit, probatque coactum juramentum non obligare.

Anno 1119. Ex mſ. codice Vallis S. Lamberti nunc cl. v. Buchellii serenissimi principis electoris Palatini bibliothecarii.

FREDERICUS gratia Dei humilis ecclesiæ Leodiensis minister, ecclesiæ Maglinensi, non semper cum turbis, remanere in B planitie, sed & aliquando post JESUM cum provectioribus montana conscendere.

De fratris & familiaris nostri vestrique præpositi R. calamitosa satis, immo gloriosa injuria, quia pro Deo & nobis, quia pro fidelitate & honore ecclesiæ pertulit, vobis referre, carissimi, necessarium non duximus, utpote qui, ut credimus, tristes eam & vidistis & audistis. Ceterum quoniam forsan sunt, qui ad infamiam ejus pertinere arbitrantur, quod ad tempus ille dimissus, sicut juraverat, in captionem non rediit, breviter nunc vobis intimare volumus, quod C id non suo, sed nostro, seu totius ecclesiæ nostræ Leodiensis consilio dimiserit. Immo quia vim ne sic posset a nobis pertulit. Instabat dies qua reddere se in captionem frater hic debebat, cum ecce ubi eramus litteræ nobis ab ecclesia nostra venerunt, petentes & consulentes, quatinus sub testimonio ecclesiæ, ne in captionem ille se redderet per obedientiam eum moneremus, auctoritate episcopali a juramento quod coactus tyranno fecerat, eum absolveremus; & si vel sic remanere nollet, necessitatem ei inferremus, in vinculis eum conD jiceremus. Ex petitione igitur & consilio ecclesiæ cuncta perfecimus. Obstinatius reniti & reluctari ille non potuit, jurans & contestans omnem se malle incurrere inobedientiam, quam tantam, tam gravem, tam turpem perjurii contrahere notam & infamiam. Fossis eramus in capitolio, cum hæc tractabantur; erat hic videre miseriam, statum in eo rationis dolor turbaverat, immo quidam quasi ex dolore furor occupaverat, ut si crebram in terram ejus volutationem cerneres, furiosum eum aliquem crederes: si lacrymosam vociferationem audires, mente alienatum, & vere insanum diceres. Fu-E gimus e conspectu, cum miseram hanc illius afflictionem temperare nec sedare potuimus; flebant omnes qui aderant, nec erat qui continere se posset, dum & nos a consilio ecclesiæ dimoveri, & illum ad se revocari non posse cernerent. Missam celebraturi ad altare processimus, populum salutare habuimus, cum ecce iterum hic nobis ad pedes procidit, tanto per Deum, & per sacra omnia se petens relaxari instantius, A quanto vel in altari id sibi negari videretur inhumanius. Obtinuisset utique, nisi quod contra petitionem & consilium conabatur ecclesiæ. Vix eum submovimus, & missa completa, iterum iterumque ante mensam videlicet, & post mensam importunitatem ejus inexorabiliter sustinuimus: mox ille dolore quidem cæcatus, injunctam sibi non attendens obedientiam, equum ascenderat, de villa exierat, in captionem repedebat, eum ecce qui missi erant a nobis, quasi ex insidiis surrexerunt, & eum e via rapientes, B & ad aliud quoddam municipium pertrahentes, in vinculis & compedibus conjecerunt. Hic fere per octo dies jacuit; postea eum ad nos revocantes, ne ulterius quo redire disponebat, rediret, sacramenti eum & obedientiæ vinculis, ecclesia teste, illigavimus. Rei veritatem & ordinem fratres audistis; jam nunc qua ratione infamiam ex hoc evaserit, audire poteritis. Nec putetis cum rationem dicimus, quod ratiocinationem aliquam sophisticam, ut ajunt, in ejus defensionem afferamus. Simplici & trita gradiemur via: usu ecclesiastico, sed & auctoC ritate apostolica defendemus quod factum est. Non audivimus ab aliis, oculis nostris perspeximus quod dicimus. Stephanus quidam apud nos erat presbyter & canonicus ecclesiæ S. Petri. Hunc temporibus prædecessoris nostri OBERTI episcopi, miles quidam EVERELMUS nomine, in werra ducis GODEFRIDI cepit, summam quam & quantam sibi videbatur ab eo quæsivit, tormentis exegit, nec super hoc ei nisi fidei sacramentique interpositione credidit. Sic frater ille dimissus, Leodium rediit, rem totam ad episcopum & ecclesiam retulit, quid facere deberet, omnes in commune consuluit. D Placuit sancto conventui ne rediret, ne pactam pecuniam solveret, & ut eum a juramento quod coactus violento illi juraverat, episcopus absolveret, quod ita factum est. Simile quid iterum in episcopatu nostro de Menzone quodam Fossensi canonico contigit. De episcopo autem HEINRICO quod referimus ipsi non vidimus, verum ab his qui viderunt & interfuerunt audivimus: Romam ire disponebat, ut dives homo, magno comitatu, magno apparatu. Audivit hoc ARNULFUS comes de *Chinei*, & positis insidiis, in ipsum episcopum manus injicere E præsumsit, res ejus rapuit, omnesque qui eum ipso erant, tenuit. Quid vultis? non potuit inde exire episcopus, donec exfestucaret quicquid ei violenta illa manus abstulit, & juraret illatam sibi non amplius se repetiturum injuriam. Sic infecto itinere, Leodium rediit, Romam misit, Gregorium qui tunc sedi apostolicæ præsidebat, consuluit. Hujus ad hæc rescripta, sicut & in nostra & in Virdunensi adhuc habentur ecclesia, huic epistolæ nostræ inseruissemus,

sed prolixitatem vitantes, ipsa hic solummodo verba, quibus prædictum episcopum a sacramento quod tyranno illi fecerat absolvit, posuimus. « De juramenti, inquit, » injustissima obligatione dilectioni tuæ, » Heinrice, respondemus, non debere æstimari cum ullis juramenti vinculis posse » teneri, qui tam nefandissima coacte juraverit; unde & apostolica te auctoritate » absolvimus, ut non tuæ vel alicujus conscientiæ ob hoc videaris innexus aut debitor esse. » Ad Leodicensem episcopum HEINRICUM ita scripsit. Ad Virdunensem vero Theodericum de eodem negotio sic. » Nolumus prudentiam tuam, frater, ignorare, nos sæpedictum episcopum HEINRICUM ab illius malitiose coacti juramenti conditione absolvisse. » Quid etiam nostris temporibus de Paschali apostolico contigerit nobiscum, ut credimus, recognoscitis, quomodo videlicet & a quo captus sit, quid non solum ipse, sed & tota fere ecclesia Romana juraverit, quale privilegium sub juramenti assignatione HEINRICO imperatori dederit, quomodo etiam postea in generali concilio Capuæ habito illud solverit, nec jam privilegium, sed pravilegium id vocari decreverit; quodque ne moremur in singulis quicquid necessitate nefandissimæ illius captionis juravit, totum ibi judicio ecclesiæ cassaverit. Et ne forte exempla hæc vobis non sufficiant, quod quasi nostrorum temporum nimiumque domestica sunt, ex gestis etiam antiquorum Romanorum pontificum, quod omnino irrefragabile sit, addimus. Temporibus VII.* Johannis, qui Adriano secundo successit, LODUWICUS imperator ab ADALGISO Beneventano duce constrictus, timore vitæ jurejurando firmavit, numquam se Beneventi fines ultra intraturum, neque ex periculo injuriæ tunc sibi illatæ vindictam aliquando exacturum. Ab hoc autem juramento postmodum prædictus papa JOHANNES Romæ absolvit eum auctoritate Dei & S. Petri, affirmans nihil sibi obesse, quod ob mortis periculum evadendum coactus tyranno juraverat, nec sacramentum hoc esse dicendum, quamvis cum multis execrationibus fuerit prolatum. Quod si etiam legalibus, secularibusque institutionibus, quæ posita hic sunt, astrui confirmarique non judicatis incongruum; incongruum quippe id illicitumque non est, dicit enim Clemens papa cum ex divinis scripturis firmam regulam veritatis susceperit, absurdum non esse, si quis ex eruditione communi, & si ex liberalibus studiis, quæ forte in pueritia attigit, ad assertionem veri dogmatis conferat. Cum ergo id incongruum illicitumque non sit, audite quid etiam super his summus ille orator Tullius in libro tertio de officiis dixerit. « Quod, inquit,

* l. VIII.

A ita juratum est, ut mens conceperit fieri « oportere, id servandum est; quod aliter « id si non feceris, nullum perjurium est; « ut si prædonibus pactum pro capite pre- « tium non attuleris, nulla fraus est, ne si « juratus quidem id non feceris. » Orator tamen hic egregius quamquam sic diceret, paulo infra conditiones pactionesque bellicas & hostiles cum justo quidem & legitimo hoste perjurio non perturbandas censebat, distinguens videlicet quid inter sit inter justum legitimumque bellum & tyrannicum latrocinium. Quod ut latius adhuc pateat; Pirata, inquit Cicero, communis est ho- « B stis omnium, cum hoc nec fides debet, « nec jusjurandum esse commune; non e- « nim falsum jurare, perjurare est, sed « quod ex animi tui sententia juraris, sicut « verbis concipitur, more nostro id non « facere perjurium est. Et quod dicebat « quasi majorum auctoritate corroborans, aiebat. Sic enim Euripides: Juravi lingua, « mentem injuratam gero. » Cur igitur & nos quod sic juratum est perjurii non denotemus nomine, non modo Ciceronianis his contractibus, verum etiam usu ecclesiastico, exemplis nihilominus apostolicis, præ- C cipueque præfati VII. Johannis papæ assertionibus paulo superius mecum, carissimi, didicisse potuistis, quibus dicebat tale juramentum sacramentum non esse dicendum, quamvis cum multis execrationibus sit prolatum. Quapropter ut in capite epistolæ diximus, nolite, carissimi, semper cum turbis minusque intelligentibus contemplari & sectari humilia: verum quicquid iners deliret populus de præposito vestro, ea quæ ecclesiæ, ea quæ nostra, vestra quoque sententia sit, omnem videlicet ex hoc illum evasisse infamiam, ut plane intra ecclesiam D recipiatur, quæ quidem lacte lota, nullam prorsus recipit rugam aut maculam. Rogamus autem ut cum apud vos hæc lecta fuerit epistola, circumquaque ceteris quoque eam legendam transmitatis ecclesiis, ut sciant & habeant qualiter possint in faciem resistere; si quis in populo non dicimus, sed si quis in clero est, qui velit & tentet quod sic factum est, carpere: præsertim cum pactam pro se pecuniam prorsus hic exsolverit, ubi primum expeditus & relaxatus suæ E libertatis suique compos extitit. Audistis enim ne redire in captionem potuerit, ex consulto ecclesiæ, quæ a nobis ei necessitas illata sit, ut cum voluntatis ac necessitatis eadem non sit ratio, nequaquam jam ad crimen seu infamiam ejus pertineat, quod coactus, non quidem justo ac hosti legitimo, sed prædoni ac latroni tyranno non redditurus juraverat.

PRIVI-

PRIVILEGIUM MONASTERIO S. Saturnini concessum ab archiepiscopo Caralitano, ipso consecrationis die.

Anno 1119. Ex magno cartario S. Victoris eruit D. Furnerius.

ÆQUUM & rationabile dignumque probatur, ut quemadmodum nostra volumus, ita & antecessorum nostrorum statuta servare debemus; unde quia hoc certissimum firmumque tenetur, ea propter notitiæ præsentium futurorumque mandare curamus, quod ego WILLELMUS gratia Dei Karalitanus archiepiscopus, inspirante summi & æterni regis providentia, post innumera variaque certamina, tandem sopitis omnibus litibus, omnique suppresso molimine, ut Deus omnipotens misereri dignetur, & ut in die suprema meritis beatorum Victoris & Saturnini illæsus existam ab omni impetu malo, instante & agente domno PETRO apostolicæ sedis cardinali atque legato, tertia die post Pascha, videlicet kalendis Aprilis, precibus etiam Berengarii prioris, cujus fides & devotio erga nos multa fuisse ab omnibus verissime scitur, omniumque fratrum sub eo degentium, quorum manui societatique corpus meum, animamque commisi, rogatu etiam judicis MARIANI, atque omnium fratrum ipsius, consecraverim ecclesiam S. Saturnini, in qua videlicet ecclesia, ut in futuro firmum testimonium fiat, altare majus ipsius ecclesiæ in honore beatorum apostolorum Petri & Pauli sanctique Victoris martyris monasterii Massiliensis propria manu consecravi, & ut omnis deinceps quæstio, omnisque controversia penitus aboleatur, ipso die consecrationis pro amore omnipotentis Dei, & pro salute animæ meæ supradictam ecclesiam, domino cardinali astante, omnique conventu majoralium totius istius terræ, cunctorumque clericorum, ipsis consentientibus, laudantibus atque firmantibus, Domino Deo omnipotenti, & beatæ Mariæ semper Virgini, sanctoque Victori martyri, & abbati RODULFO, & omni sancto conventui monasterii Massiliensis, donavi, firmavi, atque corroboravi, & sicut decreta sanctorum patrum sanxerunt, privilegia olim indulta monasteriis scripto præsentis paginæ hujus concessi, statuens ut amodo & semper firmiter permaneat sanctum & liberum absque omni inquietudine & exactione. Eas vero ecclesias, quæ ab antecessoribus meis collatæ sunt, eodem tenore quo ab eis datæ sunt, mea concessione atque auctoritate ipsius cardinalis, & testantibus duobus episcopis de Guisarchio * & de S. Justa, * eis trado, atque concedo, cum consensu & confirmatione clericorum meorum, quorum hæc sunt nomina: Ecclesia videlicet S. Euvisii de *Nuras*, & S. Petri de *Piscadur*, & ecclesiam S. Luciferi de *Pau*, & S. Mariæ ad vineas, & S. Mariæ *de Sebol*, & S. Petri de Serra, & S. Andreæ, & S. Ananiæ de Portu, & S. Mariæ de Portu-salis, & ecclesiam S. Helliæ *de Mont*, & S. Victoriæ de Nuraxi de Urtima, & S. Mariæ de Arcu, & S. Mariæ de Gippi, & S. Ambrosii de Uta, & S. Barbaræ de Aqua-frigida, & S. Mariæ de Margarnigi, & S. Petri de Ruina, & S. Salvatoris, & S. Luciæ de Civita, & S. Petri *de Pont*, & S. Euvisii *de Quart*, & S. Luxurii de Maara, & medietatem decimæ judicis.

*Bisarchio. * Santa Justa.*

Si quis vero hanc donationem meam infringere voluerit, anathematis gladio feriatur, & sicut Judas traditor in inferni pœna dampnetur. Actum est hoc anno dominicæ Incarnationis millesimo CXVIIII. indict. XII.

Ego GUILLELMUS Karalitanus archiepiscopus subscripsi. Ego Petrus canonicus subscripsi. Ego Nicholaus canonicus subscripsi. Ego Constantinus plebanus S. Petri de Nuramine. Ego presbyter Sergius de Severano subscripsi. Ego sacerdos Marce subscripsi.

Ego PETRUS Romanæ ecclesiæ cardinalis & legatus consensi & subscripsi.

Ego episcopus AUGUSTINUS ecclesiæ S. Justæ consensi & subscripsi.

Ego PETRUS episcopus de Guisarco subscripsi.

Ego Baro sacri Palatii subdiaconus consensi, & subscripsi.

Ego Sergius de Furcillas. (a) [a]

(a) Anno 1121. Calixtus papa II. confirmavit omnes possessiones monasterii S. Saturnini Caralitani Philippo ejusdem loci priori. *Datum Pisis per manum Grisogoni S. R. E. C. ac bibliothecarii* IIII. *idus Maii indict.* XIII. *incarnat. dominica anno* MCXXI. *pontificatus autem domini Calixti papæ II. anno* II.

Anno 1141. CONSTANTINUS Caralitanæ ecclesiæ archiepiscopus Petro abbati Massiliensi confirmavit *ecclesiam S. Saturnini cum omnibus jure ad eam pertinentibus. Data Karalis anno ab Incarnatione* MCXLI. *ubi interfuerunt Bernardus ejusdem monasterii S. Saturnini prior &c.*

Villanus Pisanus archiepiscopus & Sardiniæ primas ab Adriano IV. & Alexandro III. delegatus, anno 1163. litem composuit inter Bonitum Caralitanum præsulem, qui possessiones nonnullas sancti Saturnini injuste nimis tenebat; & monachos ejusdem loci, qui Boniti imperia contumacius detrectabant, assertæque sunt monachis possessiones usurpatæ, dum tamen essent in posterum antistitis sui observantiores. Subscripsere huic concordiæ VVILLANUS Pisanorum & BONITUS Caralitanus archiepiscopi, AIMO Sulcensis, PETRUS Barbariensis, RODULFUS Doliensis episcopi; CONSTANTINUS judex Caralitanus, UGO comes Pisanæ ecclesiæ subdiaconus. Quæ ideo annotamus, quia paulo aliter concordia hæc in editione nova Galliæ Christianæ recensetur. Sic enim ibi legitur in Fredolo abbate Massil. *Ab archiepiscopo Pisano primate ac legato in Sardinia simul & a Constantino antistite Caralitano S. Saturnini cessionem obtinuit Fredolus.* Eo certe anno quo Massiliensis abbas creatus est Fredolus, Constantino antistiti Caralitano successerat jam Bonitus, qui ipse eodem anno cessionem hanc seu potius concordiam fecit. Utrum vero steterit diu, incertum valde est, tametsi confirmata fuit ab Alexandro III. RICCUS enim Boniti successor transegit denuo cum Austorgio Massil. abbate, anno 1183.

A

BULLA CALIXTI PAPÆ II. ad Abrincensem & Cenomanensem episcopos &c.

Commendat eis monasterium Savigniense.

Anno 1119. Communicavit R. P. Chamillard s. J.

CALIXTUS episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Abrincensi & Cenomanensi episcopis, & Moritoniensi comiti, & dominis castellorum Filgeriarum & Meduanæ & sancti Hilarii, salutem & apostolicam benedictionem. Notificamus dilectioni vestræ nos dilectum filium nostrum VITALEM, virum sapientem ac religiosum abbatem sanctæ Trinitatis de Savigneio & monasterium ejus, in beati Petri tutelam & patrocinium suscepisse. Et locus etiam idem, uti accepimus, venerabilis est, & monasticæ in eo religionis observantia per Dei gratiam custoditur. Rogamus itaque caritatem vestram, monemus atque præcipimus, ut pro beati Petri reverentia & dilectione nostra, idem cœnobium cum omnibus ad ipsum pertinentibus, & fratres in eo Domino servientes diligere amplius deinceps, & adjuvare curetis, atque secundum datam vobis a Domino facultatem viriliter defendatis. Sane si qua forte persona, quod absit, sæpefati monasterii bona minuere, auferre vel inquietare præsumpserit, donec satisfecerit, excommunicationis sententia feriatur. Porro quicumque locum eumdem juvare ac suis bonis honorare curaverit, omnipotentis Dei & apostolorum ejus benedictionem & gratiam, & peccatorum suorum indulgentiam consequatur. Datum Andegavis v. idus Septembris.

JURAMENTUM ROKKERI Magdeburgensis electi.

Anno 1119. Ex ms. S. Germani a Pratis. [a]

EGo ROKKERUS (a) Magdeburgensis ecclesiæ electus, anathematizo omnem hæresim, & præcipue Burdiniam & Henricianam cum suis complicibus, promittens obedientiam sanctæ Romanæ ecclesiæ, & universali papæ CALIXTO, ejusque successoribus catholicis sub obtentu officii mei, affirmans quod affirmat, damnans quod damnat. Promitto etiam quod ab hac die inantea fidelis ero in ejusdem sedis legatis honeste recipiendis ac remittendis, adjuvans secundum Dei ecclesiam in omnibus prout possum viribus & scientia, sine dolo & simulatione. Ita me Deus adjuvet, & hoc sanctum evangelium.

(a) Qui & Rutgerus e nobili Veltheimorum familia Adelgoto subrogatus electione cleri, anno Christi 1119. *pari constantia præsul, qui neglecto imperatore institutionem à legato apostolico adeptus est*, ut ait Chron. Magdeburg.

EPISTOLA ANONYMI ad anonymum.

Arguit eum quod A. abbatissæ intrusæ communicet.

Ex ms. S. Germani a Pratis.

QUomodo salutis auctorem qui factus est obediens patri usque ad mortem, per inobedientiam vestram tam contumeliose quam arroganter repulistis, pacis nuncia, quæ fidelibus & obedientibus debentur, vobis dirigere nec debemus nec volumus. Nimirum dominicæ resurrectionis summam communemque cunctis fidelibus lætitiam cum Judæis blasphemantibus respuistis, statuam Nabuchodonosor quam Dominus oris sui spiritu glorianter dejecerat, similes ethnicis superstitiose erexistis. A. olim dictam abbatissam per apostolicæ sedis legatum, cooperantibus archiepiscopis, episcopis, diversi ordinis clericis, sanctimonialibus, laicisque catholicis, sacrorum judicio canonum, qui spiritu divino conditi sunt, sicut intrusam, sic contumacem, ita juste sicut publice depositam & excommunicatam, ac denuo domino Moguntinæ sedis archiepiscopo cunctisque spiritualibus & sæcularibus principibus, qui ad colloquium in purificatione S. Mariæ hic habitum convenerant, collaudantibus. Vobis quoque, cum nos ab excommunicatione quam ex illa contraxeratis, vos Deo auctore absolveremus, idipsum approbantibus, in jam dicta damnatione confirmatam, more schismaticorum superbe recepistis. Quia igitur nulla pars fideli cum infidele, nulla societas luci ac tenebris, nulla conventio Christi ad Belial, vobis omnibus scilicet prænominatæ mulieri tamquam abbatissæ adhærentibus, ac reinvasioni ejus cooperantibus & consentientibus clericis, & sanctimonialibus, & laicis divini participationem officii, quam per inobedientiam & externam communionem, quantum in vobis ceu profanastis, judicio Dei patris & Filii Domini nostri JESU CHRISTI & Spiritus-sancti, ex auctoritate beatis apostolis apostolorumque successoribus concessa, usque ad condignam satisfactionem interdicimus.

EPISTOLA CALIXTI PAPÆ II. ad Brunonem archiepiscopum Trevirensem.

Absolvit eum ab omni potestate legati, nisi à papa latere dirigatur.

Anno 1120. Ex ms. regina Suecia eruit Mabillonius.

CALIXTUS episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri BRUNONI Trevirensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Consuetudo sedis apostolicæ persuadet

& ipse rationis ordo exposcit, ut sapientes religiosasque personas & Romanæ ecclesiæ obedientiæ devotas existentes honorare amplius ac diligere debeamus. Proinde, frater dulcissime, postulationi tuæ clementer annuimus, & personam tuam dilectionis brachiis amplectimur, & eam a cujuslibet legati potestate absolvimus, nisi forte a nostro latere dirigatur. Confidimus enim in Domino, quia de sapientia ac religione tua & Deo ac ecclesiæ honor magnus utilitasque proveniat. Data Cluniaci III. nonas Januarii. (a)

DIPLOMA FRIDERICI Coloniensis archiepiscopi pro Corbeia nova.

Confirmat ei decimas de mansis dominicatis in suo episcopatu, olim in solemni concilio tempore Arnolfi imperatoris concessas.

Anno 1120. Ex ms. Corbeia nova.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Notum fieri volumus tam præsentis quam futuri ævi fidelibus, quod venerabilis abbas Corbeiensis ERCKENBERTUS pro infestatione quorumdam contra se & monasterium suum noviter exorta, patrocinium nostrum adiit, orans, ut privilegium ei pro confirmandis decimis, quæ monasterio ipsius de dominicatis mansis in episcopatu nostro ab antiquis temporibus solvuntur, concederemus juxta consensum & subscriptionem WILLIBERTI archiepiscopi Coloniensis ad * decem & novem episcoporum, quiin synodo (b) tempore ARNOLPHI imperatoris convenerant & juxta concessionem omnium successorum ejus, cujus rationabili petitioni ego FRIDERICUS Dei gratia Coloniensis archiepiscopus, tam pium quam justum consensum exhibens, hoc ei auctoritatis nostræ chyrographum, tam ad innovanda quam roboranda priorum auctoritatum instituta fieri præcepi; in quo non solum subscriptionem prænominati archiepiscopi ceterorumque archiepiscoporum in synodo prædicta congregatorum, sed etiam omnium antecessorum meorum concessionem ratam esse decrevi, recognoscendo & permittendo ecclesiæ ipsius decimas quas in episcopatu Coloniensi ante tempora possedit, præcipue quas *Lachem* dominicali suo vel in Rheno vel in aliis dominicatis mansis tenuisse dignoscitur, de quibus injustam & insolitam contradictionem adversum se moveri querebatur. Cui auctoritatis nostræ decreto ut amplior fides & reverentia exhibeatur, & ipsorum quibus traditur defensioni magis astipuletur, tam sigilli nostri impressione, quam banni nostri tremenda animadversione, irrefragabile robur addidimus. Sancimus etiam & decernimus in virtute & in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, ut ex auctoritate beatissimi Petri apostolorum principis, ut præsens testamentum omnibus sæculis immutabile & inconvulsum permaneat, violatores ejus anathematis & æternæ maledictionis districtione, nisi resipuerint, ferientes, conservatoribus vero & defensoribus ejus perpetuæ remunerationis spem certam promittentes. Actum est hoc & in celebri curia & conventu Goslariæ confirmatum, anno singularis nativitatis millesimo centesimo vigesimo, indictione septima, imperante HEINRICO quinto Romanorum imperatore augusto, præsidente sedi apostolicæ domino CALIXTO, anno nostri episcopatus nono decimo, Corbeiensis ecclesiæ currum aurigante ERCKENBERTO reverendissimo abbate feliciter.

* f. ac.

ANONYMI VERSUS de præconio urbis Laudunensis.

Ex ms. regina Suecia eruit Mabillonius.

MAcrobius prætor Bibrax tua mænia jecit,
Brachia sunt quia bina tibi res nomina fecit.
Quod te Laudunum dici voluere sequentes,
Hoc quoque res habuit, quia mons laudabilis esses.
Cæsaris ille liber qui narrat Gallica bella,
Cæsaris ipsius memorat quia viceris arma:
Hac igitur causa conjurans Gallia tota
Improvisa tuos circumdedit undique muros;
Sed tibi sic clausæ succurrunt cæsaris alæ,
Et dant terga fugæ quæ te cinxere catenæ.
Attila rex sævis qui servis præfuit Hunis,
Urbibus eversis habuit quas Gallicus orbis,
Laudunum solam sibi comperit esse rebellem,
Indigenæ genti quæ confugiunt fugienti,
Vicinos & se rabido defendit ab hoste.
Hinc & Normannos post multos pertulit annos.

(a) Edita est hæc epistola a Brovero Annal. Trev. l. XIII. ad annum 1120. sed deflexis ad puriorem stilum verbis. Porro contra Adalbertum Moguntinum apostolicæ sedis legatum, qui Brunonem volebat in ordinem cogere, impetrata est.

(b) Moguntinâ nationali anni 888. quâ scilicet cautum est: *Ne ecclesia antiquitus constituta, decimis aut aliis possessionibus priventur, & novis oratoriis attribuantur.* Ea in synodo confirmata Corbeiensium & Herivordensium privilegia solemni decreto, cui subscripsere cum VVILLIBERTO Coloniensi episcopi novemdecim. Horum nomina quia nec a Labbeo & Cossartio in conciliis generalibus, nec a Sirmundo, Sertario & aliis reperta sunt, ex ipso decreto in Annalibus Paderbornensibus edito hic producimus. FULCO Rhemensis, VVILLIBERTUS Agrippinensis, THIADMARUS Salzburgensis, REDBODO Trevirensis. JOHANNES Rothomagensis archiepiscopi, HILDEGRIMUS Halberstadiensis episcopus, ADALGARIUS Hamaburgensis archiepiscopus, ARN. Virtzburgensis, LIAVVARDUS Vercellensis, RODBERTUS Metensis, ADALHELMUS Vvurmacensis, GODETHANEUS Spirensis, VVICBERTUS Hildinesheimensis, DETH. Virdunensis, DODILO Cameracensis, HONORATUS Belvacensis, HERDILO Noviomagensis, BALTHRAMNUS Stratzburgensis, VVALDO Frisingensis, THIADULPHUS Curacensis episcopi.

Nec tamen his cessit, quoniam confusa recessit,
Gens inimica Dei voto frustrata trophæi.
Normannos istos de Danis novimus ortos,
Quos Deus in Francos iratus fecit acerbos,
Illorum terram dans illis depopulandam,
Tempore qui Calvi Caroli trans æquora vecti,
Gallica regna sibi conquirunt lege tributi.
Discalius partes Danos conduxit ad istas,
Garmundum dici quem postera maluit ætas.
Nunc a Normannis retinens Normannia nomen,
Hæc eadem dici consuevit Neustria pridem,
Normannis illam Carolus concessit habendam,
Et jam perpetuo cessit quasi jure tenendam.
Corpora sunt illa sanctorum multa sub ara
Laudunum translata forent ne tradita prædæ.
Quorum pars illic digno requiescit honore.

BULLA CALLIXTI PAPÆ II. ad R. Massiliensem abbatem.

Permittit ei & fratribus suis divinum officium celebrare in Tarasconensi S. Nicolai ecclesia, eamque consecrari facere.

Anno 1120 Ex archivis S. Victoris Massiliensis eruit D. Furnerius.

CALIXTUS episcopus servus servorum Dei dilectis filiis (a) R. Massiliensi abbati & ejus fratribus S. & A. B.

[a] Dominus prædecessor noster sanctæ memoriæ URBANUS papa, uti ex ejus & domini papæ GELASII litteris intelleximus, RICHARDO Narbonensi archiepiscopo, tunc Massiliensi abbati, auctoritatis suæ favorem dedit, ut apud Tarasconem, in loco videlicet donationis comitissæ STEPHANIÆ, ad honorem Dei ecclesiam ædificaret. Ipsemet etiam pontifex in eodem loco crucem fixit, & aquam benedictam sparsit. Et nos itaque monasterio vestro suam volentes justitiam conservari, licentiam vobis damus, ut in loco ipso fratres vestri divina officia celebrent, & postquam ecclesia perfecta fuerit, si Avenionensis episcopus eam consecrare aut noluerit, aut propter clericorum contradictionem nequiverit, a quo malueritis catholico [b] consecrari episcopo faciatis. Datum (b) Biterris kal. Julii.

(a) Rodulfo abbati S. Victoris electo anno 1117.
(b) Hinc colliges bullam istam datam esse, cum Calixtus celebrato Remis concilio iter suum versus Italiam dirigeret, proxime e Gallia egressurus, quod contigit anno 1120.

EPISTOLA CONONIS episcopi Prænestini ad Fridericum archiepiscopum Coloniensem.

Scribit ei posse regem ab eo excommunicari.

Anno 1120 Ex ms. S. Germani a Pratis.

CONO Prænestinus Dei gratia episcopus & apostolicæ sedis vicarius venerabili fratri FRIDERICO Coloniensi archiepiscopo animæ suæ dimidio gaudium & lætitiam in Spiritu-sancto.

Denuntiamus vobis in nomine Domini, ut non cito moveamini a vestro sensu tam dictis pseudofratrum nostrorum, quam aliorum dicentium non pertinere ad vos excommunicare regem: quia nec rex nobis commissus, nec de parrochia nostra esse videtur, quibus ex ore domni papæ efficaciter respondemus, quia etsi nobis parrochiali jure commissus non fuerit, auctoritate tamen Spiritus-sancti & sanctorum patrum pro tanto scelere merito excommunicare debuimus: attendentes quod B. Ambrosius Theodosium imperatorem Romanum non sibi commissum, licet non papa, non patriarcha, non ecclesiæ Romanæ legatus, excommunicavit pro scelere, quod non in parrochia sua, sed Thessalonice commiserat. Quidam falsi fratres mandaverunt nobis, quod pax esset inter vos & regem, sed domnus papa nec nos credere voluimus quousque vos videremus.

EPISTOLA CALIXTI papæ II. ad Wulgrinum archiepiscopum Bituricensem.

De expulsione monialium a Carentonio Parthenone.

Anno 1120. Ex cartario archiepiscopi Bituricensis.

CALLIXTUS episcopus servus servorum Dei venerabili fratri W. Bituricensi archiepiscopo & canonicis S. Stephani S. & A. B.

Prædecessorem tuum LEODEGARIUM archiepiscopum apud ecclesiam S. Mariæ de Carentonio regulares instituisse canonicos domini prædecessoris nostri sanctæ memoriæ PASCHALIS privilegium manifestat, sanctimonialibus quæ ibi fuerant, propter minus honestam earum conversationem, expulsis, atque in aliis religiosis monasteriis collocatis. Ceterum post ipsius obitum, quidam fratrum vestrorum canonicorum S. Stephani cum laïcorum favore, regulares illos canonicos expulerunt, & sanctimoniales illas ad eamdem ecclesiam introduxerunt. In quo profecto & religiosa prædecessoris tui constitutio, & reverenda prædecessoris nostri confirmatio annulata est. Mandamus itaque dilectioni tuæ, atque præcipimus, ut sanctimonialibus illis edu-

ctis, prædictos canonicos ad ecclesiam reducatis, & quiete ac pacifice in canonici disciplina ordinis permanere faciatis. Quod si forte aut sanctimoniales egredi, aut vos canonicos reducere nolueritis, nos & illis & illarum fautoribus ecclesiarum introitum interdicimus, atque locum ipsum divinis carere officiis præcipimus, donec mandati nostri sententia impleatur. Datum apud S. Germanum III. nonas Decembris.

EPISTOLA PETRI CANONICI Noviomensis ad Eustachium abbatem S. Eligii Noviomensis.

De inventione sanctorum corporum patris ac matris B. Eligii episcopi Noviomensis.

Circa 1120. *Ex ms. Cl. V. domini de Chauvigniere.* [a]

EUSTACHIO (a) domino suo, abbati cœnobii B. Eligii Noviomensium episcopi, & omnibus ejusdem ecclesiæ fratribus sanctæ religionis cultoribus, & monachali professione in Christi servitio mancipatis, PETRUS Noviomicæ congregationis canonicorum minimus, sic in hac vita militari, ut in æterna retributione gemina stola vesteque nuptiali induti, sponsi sponsorum dexteræ assideant, ipso magno convivio cum eo gustaturi.

Quoniam pro sæculi & dierum prætereuntium antiquitate, nequeunt cuncta memoria hominum retineri, quæ cunctipotens operatur in mirabilibus suis, ea quæ de patre B. Eligii Lemovis oculis meis vidi, litterarum subscriptione vobis notificare dignum duxi. Contigit ecclesiam B. Martini *de la Basiocce* extra portam *de Mairebοz*, inter castrum sancti Martialis & ipsam civitatem antiquitus a B. Eligio constitutam, in qua patrem a parte australi, matrem vero in septentrionali collocaverat, ex parte quæ tumulo matris adhærebat, dissolvi, & sine aliquo detrimento monachorum tunc temporis in choro psallentium, funditus subrui. Beatus namque Eligius viginti monachos pro remedio patris ac matris animarum collocaverat in eadem ecclesia, eisque ad plenum necessaria sua bona prædicatione & conversatione adquisiverat; quam eversionem cum præfati monachi restaurare voluissent, communi accepto consilio, a restauratione cessantes, totum caput ecclesiæ prostraverunt, ut majori & ampliori ambitu & monachis in ecclesia degentibus, necessario reintegraretur. Cui destructioni ego Petrus sæpius interfui; multotiens namque mihi a compluribus tam clericis, quam monachis, & etiam laicis dictum fuerat, in illa ecclesia patris ac matris beati Eligii ab ipso corpora tumulata fore. Monachi ergo per se totum acervum lapidum non valentes a loco illo removere, in festivis diebus per præcones populum civitatis & castri convocabant, quatenus lapidibus ab eo remotis, & in loco remotiori asportatis, fundamenta veteris parietis liberius effoderentur. Qui cum ita effoderentur, sub quodam altari in dextra parte collocato, tumulum patris B. Eligii de repente invenerunt; quod vidi & audivi, quia interfui, & succedendo ipsis destructoribus, ipsum majorem & eminentiorem lapidem, tabulam scilicet altaris, a suo loco remotiori asportavimus; quo invento dubii dubio pendebant animo, gaudentes quia erat, dolentes quia erat defossus. Quid agerent? capitulum consulitur, & ex consulto capituli per plateas & vicos civitatis & castri tubicines tubicinando deambulare fecerunt, cujuscumque conditionis populum convocantes, quatenus inventioni patris B. Eligii, qui in partibus illis multum est agnitus, & in maxima reverentia habitus, interessent, & in quo loco competenti & idoneo reconderetur, eligerent. Talis namque consuetudo est in partibus illis, processiones, rogationes, infirmorum visitationes, mortuorum usitationes, ceterosque conventus per plateas & quadruvia hujusmodi homines declamare. Illis autem ita clamantibus, quod in tali re solet fieri, homines invidi, bilingues, corrosores, totius boni detractores, mussitando dicere cœperunt, hanc convocationem zelo cupiditatis & coacervandæ pecuniæ gratia esse factam. Convenientibus itaque undique populis, murmuratio talis aures perculit (b) abbatis. Abbas siquidem hujusmodi cognito murmure, mente diversus agitabatur, & in parte populi detractiones evitare volens, & in parte sarcofagum esse defossum graviter dolens. Desistens igitur a suo tali proposito, a præclara videlicet remotione, circa scrinium lapideum, quo ossa beati corporis adhuc jacebant, magnum acervum lapidum coacervare fecit, & ita dimisit; multis tamen, quibus mens sanior erat, conclamantibus, ne pro paucis perfidis veneno perfidiæ imbutis, a priore consilio, quod a monachis suis & a religiosis tam viris quam mulieribus habuerat, pro tam levi aura & a tam venenoso ore excogitata, se removeret, potius B. corporis intenti remotionem in loco idoneo & competenti cum debita veneratione, prout mente inceperat, opere expleret. Sed quoniam in animo dubio plerumque pravum prævalet consilium, & cogitatio humana de diversis occupata, haud facile verum prævi- [b]

(a) Eustachius abbas, cui inscripta est hæc epistola, anno 1120. Noviomensi S. Eligii monasterio præfuisse dicitur in Gallia Christiana. Hinc colliges inventionem corporum patris & matris S. Eligii, cui interfuit epistolæ scriptor, contigisse ineunte sæculo XII.

(b) Is esse videtur Geraldus hujus nominis primus, cujus tempore monachi S. Martini maximam penuriam passi referuntur.

det, abbas timens notam cupiditatis, sciensque cupiditatem non solum a divinis, verum etiam ab antedivinis esse detestatam, & omnium malorum radicem esse nuncupatam, cohortationi eorum non acquievit. Altera autem die altare in parte sinistra antiquitus collocatum destruentes, sepulcrum matris similiter invenerunt, quo invento, similique coopertura cooperto dimiserunt. Nocte igitur insecuta cum totus fere populus se sopori dedisset, tanta & tam maxima inundatio pluviæ non solum circa civitatem, verum etiam per totam illam regionem extitit, ut in ipsa nocte tota fere sata regionis illius prosternerentur. Ingruente siquidem vi ventorum & imbrium, a prima hebdomada post resurrectionem Domini, in qua corpora illa defossa fuerunt, usque ad proximam ante festivitatem S. Johannis, assidue & continuatim nocte ac die ita pluere cœpit, ut fossæ ac fossata stagnarentur, rivuli fontium quasi torrentes more diluvii agentes, vehementerque inundantes, molendina, domos ligneas, pontes lapideos sternerent, prata camposque sibi adjacentes veluti paludes emollirent: qua tempestate grassante, omne vulgus acolarum regionis illius tali & tam repentina intemperie stupefacti ac solliciti, diffidentes in omnibus quæ foris possidebant, videlicet vineis, satis, pratis, & herbis, ad alterutrum sciscitabantur, quæ causa foret, cur tam repentina tamque assidua inundatio pluviarum illis in partibus crebresceret? Unde cum diversi diversa sentientes, diversas opinabantur opiniones. Sed quia longum est, nec ad rem attinet tantas & tam diversas opiniones seriatim digerendo enumerare; ad illam quæ non opinio, sed veritate potius nixa existimatio vocanda est, veniamus. Dicebant etenim tam immoderatam aëris intemperiem pro defossione corporum patris ac matris B. Eligii illis in partibus contigisse, in hujusmodi verba tale & verisimile argumentum alter alteri proponentes fratres: si pater alicujus hominis cujuscumque conditionis esset, seu clericus, seu miles, seu etiam quilibet tyrannus in aliquo cimiterio sepultus fuisset, & quolibet modo contingeret illum esse defossum, etiam pro reædificatione ecclesiæ, quanto dolore creditis eum moveri? magna utique pietate & animi anxietate moveretur. Igitur quid de B. Eligio censes, si esset fas dicere quemquam de sanctis in cælesti gloria sublimatis aliqua titillatione moveri? Hæc & alia hujuscemodi mutuatim inter se proferentes, ad abbatem S. Martini confluebant, supplicantes ne tamdiu illa beatissima corpora esse denudata sustineret. Abbas columbino affatu ut erat, eis benignissime respondebat, se quorumdam corrosorum detractionem evitare, & ideo ea removeri a loco priori non audere. Dum hæc agerentur, monachi ecclesiæ B. Martialis asserendo populo promiserunt, se habere in quodam feretro quemdam socium S. Martialis, sanctum videlicet Hostriclinium, cujus talis erat consuetudo, quod si aliquando pro aliqua aëris intemperie foras portaretur, meritis & intercessionibus ejus cessare intemperiem. Communi itaque accepto consilio, die condicta, indicto jejunio, in ipsa prædicta hebdomada, quæ est proxima ante festum B. Johannis, secunda feria clerus & populus totius civitatis & castri prænominati sancti corpus ad quamdam ecclesiam B. Mariæ extra castrum in loco qui dicitur ad Arenas collocatum, una cum ceroferariis ac luminaribus & ornamentis ecclesiasticis plurimis roboantes, signa omnium ecclesiarum, & hymnis & canticis spiritalibus psallentes, & cantantes cantica divina vocibus excelsis & cordibus perfectis Dominum laudantes, & orantes, quatenus talis intemperies aëris cessaret, suaque piissima pietate fructus terræ ad sustentationem suæ ecclesiæ confirmaret. Deus autem qui communi judicio cunctorum ratione degentium æternus, & incommutabiliter cuncta, prout vult, disponens ac providens asseritur, sua incommutabili dispositione cuncta patefaciens, noluit per S. Hostriclinium facere, quod in revelatione patris ac matris B. Eligii fieri reservabat. Appropinquantes autem monachi, reliquus populus ad præfatam ecclesiam, & pene introeuntes cum feretro & cum ceteris supraenumeratis a quatuor partibus cœli, & in circuitu totius orizontis, tanta tempestas & tam maxima pluvia magnorum adinstar montium cœpit insurgere, & non multo post cum maximo tonitru cadere, quanta diebus retro continuatim pluviosis non ceciderat; & quia ecclesia parvissima erat, & circa illam non erant aliquæ domus, excepta una sola, quæ dissipata fere, omnes qui ibi convenerant, dimisso feretro monachis, aufugerunt, aliquantulum autem cessante pluvia, monachi cum feretro reversi sunt. Sequenti igitur feria sanctimoniales civitatis videntes per sanctum Hostriclinium pluviam non cessasse, similiter asserentes se reliquias supradictæ potestati assignatas habere, iterum per præcones & tubicines indicto jejunio, plebe adscita, suam iteratæ sunt processionem. Sed, ut breviter dicam, fere utrisque similis evenit exitus. Itaque non cessante, sed potius ingruente intemperie, & continuatim usque ad vigiliam B. Petri apostolorum principis perseverante, ipsa vigilia abbas B. Martini cum monachis suis; divino, ut credo, spiritu inspiratis, & angelica forsitan ammonitione præmonitis, sine aliqua divulgata vocatione, aliquantulis tamen convenientibus, me au-

diente, me vidente, qui videre sollicitus ibi cum aliis veneram, ossa ipsorum beatorum corporum collegerunt, & cum omni devotione, candidis albis dealbati, cum crucibus ac thuribulis ac luminaribus in eadem ecclesia detulerunt. Mirandis plus miranda succedunt, non dico post remotionem, non dico in ipsa remotione, sed dico in ipsius remotionis apparatione, quando sacculos & thecas & cetera necessaria præparare cœperunt, tota eis aëris obfuscatio, totaque imbrium obnubilatio continuo cœpit evacuari, & maxima serenitas in superiori emisperio circumquaque quasi de repente oriri. Hoc ultimo modo humanarum conditor ac reformator rerum Deus, Lemovicensium petitioni acquiescens, permisit assequi quo tetenderant votum. Post non multum vero tempus totius regionis fluctuum propagatio ad pristinam renovata est ubertatem, ad detestabilem præteritæ intemperiei prætergressa est illuviem. Tot ac tantis evidentibus indiciis approbatum est, tantam intemperiem pro defossione patris & matris B. Eligii illis in partibus accidisse, & ita fama illarum ubique gentium percrebuit. Quare summo creatori ac omnium gubernatori gratias supplici voce retulerunt, qui per B. Eligii patris matrisque suæ merita, illos lætificaverat, fructusque terrarum de quibus plurimum diffidebant veluti summus conservator conservaverat.

BULLA CALIXTI PAPÆ II. de erectione seu restitutione episcopatus apud Tres tabernas.

Anno 1121. Ex schedis Slusianis, nunc clar. domini baronis de Crassier.

CALIXTUS episcopus, servus servorum Dei, venerabili viro fratri JOHANNI Trium tabernarum episcopo, nostris per Dei gratiam manibus consecrato, ejusque successoribus canonice substituendis in perpetuum.

Et synodalium decretorum auctoritas, & pontificalium gestorum series manifestat, sæpe sedi apostolicæ licuisse disjuncta conjungere, & sedes & ecclesias pro ratione temporum commutare. Olim Trium tabernarum ecclesia & sedes propria proprium cognoscitur episcopum (a) habuisse, sed quia propter Sarracenorum violentiam episcopalem sedem conservare non potuit, ad Romanam ecclesiam pro habendo episcopo confugit. Unde universarum per orbem ecclesiarum Romana mater ecclesia Squillacensi eam ecclesiæ conjunxit. Sane temporibus nostris divinæ placuit majestati locum illum misericorditer visitare, & cleri & populi multitudine reparata, in statum pristinum restituere. Nos itaque divinæ cooperatores existere gratiæ cupientes, habito fratrum nostrorum consilio, per carissimum fratrem nostrum cardinalem DESIDERIUM presbyterum, quem ad partes illas direximus, totius rei opportunitate diligenter inspecta, & populi petitione, & cleri electione, & comitis ceterorumque honoratorum consensu, cardinalem in ea episcopum nostris per Dei gratiam manibus consecravimus. Apostolica igitur auctoritate præcipimus, ut prædicta Trium tabernarum ecclesia proprium deinceps episcopum habeat, cujus dispositione ac providentia, juxta sanctorum patrum instituta, per omnipotentis Dei gratiam gubernetur. Porro tibi tuisque successoribus, carissime frater & coepiscope JOHANNES, eamdem parochiam confirmamus cum oppidis, villis & pertinentiis suis, videlicet Taberna, Catanzario, Rocca, Tiriolo, & Sellia, confirmamus & tibi domum gloriosi comitis GOFFREDI, scilicet villanos centum cum terris & vineis apud Cantarazium, & molendinum unum, & possessiones omnes & villanos & molendinum, quas, quos, & quod Guilielmus Carbonellus in prædicti cardinalis manu ecclesiæ reddidit. Item ex dono Johannis Caprioli villanos triginta cum ducentis modiis terræ & quinque millibus pedum vinearum, quæcumque præterea ecclesia vestra liberalitate principum, oblatione fidelium, vel aliis justis modis in præsenti possidet, aut in futurum, largiente Domino, poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus, & illibata permaneant. Decernimus ergo, ut nulli hominum facultas sit, hanc nostram episcopalis dignitatis restitutionem mutare, vel sæpedictam ecclesiam temere perturbare, possessiones ejus auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare, sed omnia integra serventur tam tuis, quam clericorum & pauperum usibus profutura. Si quis igitur in futurum ecclesiastica vel seculari præeminentia hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam tentaverit, si non satisfactione congrua emendaverit; potestatis, honorisque sui dignitate careat, reumque se divino judicio de perpetrata iniquitate cognoscat; qui vero præmissis paruerit, fructum hic bonæ actionis accipiat, & apud districtum judicem particeps æternæ pacis inveniatur. Amen.

Datum Laterani per manum Grisogoni sanctæ Romanæ ecclesiæ diaconi cardinalis ac bibliothecarii XVIIII. Kal. Februarii, indictione XIV. Incarnationis Dominicæ anno millesimo C. XXI. pontificatus autem domini Calixti papæ secundi anno secundo.

(a) De hoc episcopatus titulo & antiquitate Trium tabernarum vide auctorem vitæ sancti Vitaliani & fratrem Hieronymum a Pulistina in descriptione Calabriæ lib. 2. cap. 21. fol. 347. vide & librum Chronicorum antiquissima manu descriptum per Rogerium Magistri Guillelmi canonicum Catanzarii, qui totam historiam complectitur.

Ego CALIXTUS catholicæ ecclesiæ pontifex.

Ego CRESCENTIUS Sabinensis episcopus.

Ego PETRUS Portuensis episcopus.

Ego VITALIS Albanensis episcopus.

Ego BONIFACIUS presbyter ecclesiæ tituli sancti Marci.

Ego BENEDICTUS presbyter cardinalis tituli sanctæ Mariæ.

Ego JOHANNES presbyter cardinalis tituli S. Ceciliæ.

Ego THEOBALDUS presbyter cardinalis tituli S. Pammachii.

Ego RAINERIUS presbyter cardinalis tituli S. Praxedis.

Ego PETRUS sanctæ Romanæ ecclesiæ presbyter cardinalis tituli sanctæ Susannæ.

Ego DEUSDEDIT presbyter cardinalis tituli S. Laurentii in Damaso.

Ego GREGORIUS presbyter cardinalis tituli S. Luciæ

Ego JOHANNES presbyter cardinalis tituli S. Grisogoni.

Ego AMELIUS presbyter cardinalis tituli sanctæ Crucis in Hierusalem.

Ego PETRUS presbyter cardinalis tituli S. Marcelli.

Ego SIGIZO presbyter cardinalis tituli S. Eusebii.

Ego ROBERTUS presbyter cardinalis tituli S. Sabinæ.

Ego FORMOALDUS diaconus cardinalis tituli SS. Sergii & Bacchi.

Ego ROMANUS diaconus cardinalis sanctæ Mariæ in Porticu.

Ego JONATAS diaconus cardinalis SS. Cosmæ & Damiani.

Ego GUALTERIUS diaconus cardinalis S. Theodori.

EPISTOLA ADALBERTI archiepiscopi Moguntini ad Calixtum papam secundum.

Anno 1121. Ex ms. S. Germani a Pratis.

CALIXTO beatissimo domino suo & patri, universalis ecclesiæ pontifici A. Dei gratia & sui misericordia quidquid est, debitam cum omni devotione obedientiam.

In multis & magnis persecutionibus & angustiis hactenus positi, quotiens de persona domni imperatoris scripserimus vestræ majestati quid vobis placeret, quid principes nostri sentirent, in quo demum sententia convenissent, non dubitamus recordari vestræ discretionis beatitudinem, & in his omnibus per litteras & nuntios vestros cognovimus circa hæc maxime semper versari vestræ pietatis desiderium, ut apostolica dispensatione vestris potissimum diebus pax & concordia descenderent in universum mundum, si tamen ita eam pacem imperator & daret & susciperet, quod honorem Dei & matris ecclesiæ non obfuscaret, acceptaque dominis ac patribus nostris cardinalibus, qui in idipsum (*a*) de latere vestro ad nos missi sunt, totius consilii & ingenii nostri vires in hoc contraximus, ut tam generale bonum ad communem ecclesiæ & regni utilitatem non differretur ulterius. Sed quia tam imperium quam imperator tamquam hereditario quodam jure baculum & annulum possidere volebant, pro quibus universa laicorum multitudo imperii nos destructores inclamabat; nullomodo potuimus his imperatorem exuere, donec communi quique consilio, cum his qui aderant fratribus & dominis cardinalibus huic periculo nostro compatientibus, inde ecclesiæ censuram verentibus, & ob hoc vix nobis assentientibus in ecclesiæ censuram vertentibus, omnes pariter sustinuimus, quod in ipsius præsentia ecclesia debeat electionem facere, nihil in hoc statuentes, nec per hoc in aliquo, quod absit, apostolicis institutis, & canonicis traditionibus præjudicantes, sed totum vestræ præsentiæ & vestræ deliberationi reservantes, immobilia enim per omnem modum & fixa esse præcepta non dubitamus, quæ ad tuendam & corroborandam libertatem & ecclesiæ æterna lege sancita..... ipse tamen imperator parum attendens quanti periculi laqueum per vestram misericordiam evaserit, & quod utcumque concessa sibi potestas adhuc impediat. Igitur judicia vestræ discussionis in legatorum vestrorum præsentia, quantum ea abusus sit ex eis expeditius cognoscere poteritis. Quocirca si per hujus eamdem sive graviorem ecclesia Dei debet sustinere, seu virtutem solum hoc restat, ut pro palma victoriæ de cetero subjecta sit ad despectiones ignominiæ. Hæc non ideo dixerimus, quod per nos vestra excellentia circumspecta in omnibus præmuniri possit. Sed quia sine sub vestra auctoritate libertatem ecclesiæ desideramus. Itaque majestatis vestræ genibus provoluti, tam suppliciter quam juste deposcimus, ut in fratre episcopo ROKKERO opus ecclesiæ agnoscere dignemini, & quam ipsa libere & canonice ad hunc apicem promovit, misericordia vestra confirmet & prohibeat expulsione ita suffocatur libertas ecclesiæ quod laicus quidam

(*a*) Observat Urspergensis abbas ad annum 1121. legationem decrevisse Calixtum secundum Adalberto Moguntino antistiti, *quem*, inquit, *sciebat esse imperatori adversarium, & in Saxenia populum contra eum commoturum.* Verum constat ex hoc loco de pace imprimis tractasse, summi pontificis nuncios; quam denique, comitiis Vvirtzburgi habitis, eodem anno consecuti sunt. Et pacis conditiones epistolæ huic subjicimus.

quidam adhuc occupat ipsius sedem, & dissipando episcopatum persequitur & destruit, qui fideles qui ultimus omnium anulo & baculo investire non abhorruit, sub ipso articulo exterminandæ excommunicationis. Propterea memorem esse decet clementiam vestram

in servitio & fidelitate sanctæ Romanæ ecclesiæ patrimoniis & beneficiis suis adhuc proscribuntur omni cartulæ perferenda commisimus & alia complurima desiderantur in hoc sancto concilio quæ ad vos ipsi pertulissemus nisi ægritudine, ut noverunt cardinales, præpediremus, & nisi Alpium asperitas & tot locorum angustiæ ante periculum his præcipue diebus malis nobis incussissent. Desiderio enim faciem vestram videre desideramus antequam ab alterutrum viam universæ carnis ingrediamur.

FORMULA PACIS INTER papam & imperatorem.

Anno 1121. Ex ms. S. Germani a Pratis.

HOc est consilium in quod convenerunt principes de controversia inter domnum imperatorem & regnum. Domnus imperator apostolicæ sedi obediat, & de calumnia quam adversus eum habet ecclesia, ex auxilio & consilio principum inter ipsum & domnum papam componatur, & sit firma & stabilis pax, ita quod domnus imperator quæ sua & quæ regni sunt habeat, ecclesiæ & unusquisque sua quiete & pacifice possideant. Episcopi quoque in ecclesia canonice electi & consecrati pacifice sedeant usque ad collaudatam in præsentia domni papæ audientiam. Spirensis episcopus ecclesiam suam libere habeat. Wormatiensis similiter præter ipsam civitatem usque ad præsentiam domni papæ. Captivi & obsides ex utraque parte solvantur. De hereditate Palatini comitis SIGEFRIDI sicuti Metis inter ipsum & domnum imperatorem definitum fuit, ita permaneat, sed etiam quod ecclesia adversus imperatorem & regnum de investituris causatur, principes sine dolo & sine dissimulatione elaborare intendunt, ut in hoc regnum honorem suum retineat. Interim donec id fiat, episcopi & omnes catholici sine ulla injuria & periculo communionem suam custodiant. Et si in posterum domnus imperator consilio sive suggestione alicujus ullam in quemque vindictam pro hac inimicitia exsuscitaverit, consensu & licentia ipsius, hoc inter se principes confirment, ut ipsi insimul permaneant, & cum omni caritate & reverentia, ne aliquid horum facere velit eum commoneant. Si autem domnus imperator hoc consilium præterierit, principes sicut ad invicem fidem dederunt, ita eam observent.

EPISTOLA FRIDERICI archiepiscopi Coloniensis ad clerum Leodiensem.

Increpat eos, quod præcipiti electione, admissis etiam in suo conventu excommunicatis, in Alexandrum vota sua contulerint, eosque ad suum citat tribunal ad Jndam monasterium.

F. gratia Dei sanctæ Coloniensis ecclesiæ humilis minister toti clero qui Leodii est scrutari testimonia Domini ut in toto corde exquirant eum. — Anno 1121. Ex ms. S. Laurentii Leodiensis.

Litteras vestras ad nos per fratrem Nicolaum directas paterno affectu recepimus, qui in his & nostram desiderare videmini præsentiam, & tamquam filii obedientiæ nostro corrigendum obtulistis consilio, si quid vestro excessistis arbitrio. Unum vobis notum fieri volumus, quia ad vos descendere & debita pietate vobis consulere parati fuissemus, si excessus vestros tam manifestos, tam contrarios decretis sanctorum canonum nostræque auctoritati & vestræ saluti non perspexissemus. Defuncto enim beatæ memoriæ domno FREDERICO episcopo vestro, litteras consolatorias vobis direximus, desolationem vestram paternis lacrymis deplorantes, & ut in Domini consolatione spem vestram defigeretis affectuose vos exhortantes. Sed quia tunc temporis occupati tenebamur magnis ecclesiæ & imperii negotiis, ut vestram ad nostrum consilium & reditum differretis electionem debita auctoritate monuimus, quia vestræ pusillanimitati & temporali pace & nihilominus canonica electione consultum esse voluimus. Vos autem interim divinæ institutioni, & nostræ ammonitioni non acquiescentes, in conventum vestrum multitudinem eorum qui vestra petitione a domno papa, a nobis, a vestro etiam episcopo excommunicati habebantur, admisistis, ibique nostræ auctoritati præjudicantes, communicato cum excommunicatis consilio, ea quæ destruxeratis reædificando, quod sine gravi dolore loqui non possumus, vos ipsos prævaricatores, excommunicatorum consortio contaminatos constituistis. Habemus quidem hujus miserabilis culpæ evidens argumentum, litteras vestras tam Coloniensi ecclesiæ quam venera .... filio vestro (a) Andreæ missas, in quibus (b) ALEXANDRUM dominum & episcopum vestrum vos rece-

(a) Majori præposito, qui postea Trajecti fuit episcopus.

(b) Hic Alexander, ut supra vidimus, mortuo Otberto pecunia episcopatum obtinere voluerat, quem, extincto veneno S. Friderico, iterum ambivit, sed Deus qui superbis resistit, humilibus autem dat gratiam, non Alexandrum ambitiosum, sed Alberonem humilem, Metensem primicerium, Godefridi ducis Lovaniensis fratrem, in sede Leodiensi sublimavit.

pisse satis inconsiderate significastis, & ad cumulum inexcusabilitatis vestræ conspirativa confœderatione subjungendo affirmastis, nullum vos velle vel posse contra eum recipere consilium. Quod si in hoc conspirastis, ut quid quæritur descensionis ad vos vel consilii nostri præsentia? Ut quid ore & scriptis vestris frequens & assidua nobis demandatur obedientia, quam destruit conspirationis hujus, ut asseritis, fixa cordibus vestris insolentia? Miramur & non parum miramur, quomodo vos scribendo appellatis totam Leodiensem ecclesiam. Nam, ut taceamus de archiepiscopi dignitate, qua membrum excellentius debemus esse Leodiensis ecclesiæ, fraternitatis nostræ dilectio, quæ hactenus particeps & socia fuit tribulationum vestrarum, contemtuose videtur repudiata. Si iterum ecclesia, quorsum excluditis eam quam tantum cognoscimus & fatemur Leodiensem ecclesiam? Præpositum Andream, & archidiaconos (a) Henricum & Stepponem, magistrum Stephanum & religiosos abbates, (b) aliosque qui licet locorum diversitatibus disjuncti, tamen in unitate spiritus vobiscum sunt fratres. Hos proculdubio Leodiensem ecclesiam testatur bonæ simplicitatis obedientia, & persecutio quam passi sunt, & quotidie patiuntur pro justitia. Sed & hoc reticere non possumus, quod contra sanctorum canonum statuta, neglecto immo contemto chrismate anni præsentis & oleo, de veteri plures annos reservato, per quorumdam vestrum archidiaconatus adhuc fiunt unctiones a sacerdotibus, contra canones & nostram auctoritatem, per inobedientiam cum excommunicatis divina celebrare præsumentibus. Longum est enumerare quot & quantis excessibus Domini provocastis longanimitatem, & in nostram præsumtuose egistis auctoritatem; quia non solum ab ecclesia Dei vos alienastis, sed & eos qui sincere nobiscum usque nunc permanserant, in prævaricationis vestræ consortium pertraxistis. Quia ergo his excessibus tam manifestis & Deo odibilibus non debetur paternæ consolationis visitatio, sed magis infligenda est condignæ severitatis increpatio; ad sedem Coloniensem, cui tam grave intulistis præjudicium, vos invitamus, ut si excessus vestros, sicut scripsistis, nostro corrigere volueritis consilio, exemplo patris evangelici, prolem quæ perierat gratanter recipiamus, sub utriusque, Coloniensis videlicet & Leodiensis ecclesiæ quæ nobiscum est, testimonio. Veruntamen ex superabundanti, si vestra hæc efflagitat humilitas, apud sanctum Cornelium (c) Inde cum filiis prædictarum ecclesiarum vobis occurremus IV. nonas Septembris, parati misericorditer recipere in spiritu lenitatis & correctos instruere. Et quoniam Alexander per Godescalcum Trajectensem clericum obedientiam & subjectionem nobis præsente ecclesia demandavit, & se velle de omnibus suis excessibus nostro adquiescere consilio per eumdem nobis insinuavit, III. nonas Septembris nos in prædicto commoraturos cœnobio eidem remandavimus, ut si forte velit aliquid rationabiliter defferre, ad aures ecclesiæ, audiatur. Si quis autem inter vos habet zelum Domini, eumdem ammonere, arguere, increpare, obsecrare, orare non dissimulet, ut sibi ipsi propitius parcat Christi ecclesiæ, ne incipiat infamis haberi, totiens per domnum apostolicum, per nos per suum episcopum ejectus a sanctæ matris ecclesiæ liminibus. Plures enim repulsæ personam ejus infamem sicque reddunt ecclesiæ notabilem, ut non solum id quod male nititur non apprehendat; sed & honoris & ordinis periculum subeat, quod adhuc retinere ex affectu maternæ pietatis ecclesiæ mansuetudo tolerat. Hæc vobis, fratres charissimi, scribimus in spiritu caritatis, non ut vos confundamus, sed sicut per priores litteras præmisimus, ut tam spirituali quam temporali pace consolandos ad sinum unitatis ecclesiæ reducamus.

EPISTOLA ADALBERTI archiepiscopi Moguntini ad Calixtum papam secundum.

Monet eum de his quæ Cono episcopus Argentinensis ecclesiæ reconciliatus ab imperatore passus fuerit.

Anno 1121. Ex ms. S. Germani a Pratis.

CALIXTO beatissimo domino suo & patri universalis ecclesiæ, A. Dei & sui gratia quicquid est, debitam cum omni devotione obedientiam.

Debitæ humilitatis & devotionis obedientia singula quæ circa nos aguntur ad majestatis vestræ audientiam perferenda putavimus, quatenus & a nobis negligentiæ culpam removeamus, & quantum nostræ parvitatis est, in his quæ nobis notiora sunt, serenitatem vestram præmuniamus. Frater noster CONO Argentinensis episcopus statim post (d) Remense concilium misericordiam postulavit, & a cardinali sanctæ Romanæ ecclesiæ absolutionem recepit. Qui cum

(a) Hic corrigendus Brusthemius qui inter perfidos fautores Alexandri Henricum archidiaconum numerat & Repponem sive Stepponem. Hujus loco legendum forte Emmonem, qui ibidem inter Fredericianos collocatur.

(b) Rodulphum S. Trudonis & Heribrandum S. Laurentii Leodiensis.

(c) Monasterium ordnis S. Benedicti duabus horis ab urbe Aquisgrano distans, fundatum a Benedicto abbate Anianensi Ludovici Pii imperatoris confessore, in quo S. Cornelii papæ caput asservari creditur.

(d) Istud concilium Remense anno 1119. celebratum fuit 13. cal. Novembris, cui interfuere cum papa archiepiscopi quindecim? episcopi plusquam ducenti, abbatum vero & aliorum innumera multitudo.

prius in obsequio regis assidue fuisset, sæpe eum monuimus, ut ecclesiæ Dei obediret, & ut hac via magis proficeremus; canonicis ut ab ejus errore recederent, & ad unitatem pacis Christi redirent, multotiens scripsimus. Illi vero non tantum inobedientes permanserunt, sed vestræ auctoritatis litteras, quas novissime in idipsum eis transmisimus, aperire & legere contemserunt. Postquam autem absolutus fuit episcopus, corde & corpore ab imperatore se subtraxit, & in servitio ac fidelitate ecclesiæ utcumque injustus & peccator, fidelis tamen & utilis veritatis assertor permansit. Omnimodis eum persecutus & cum judicio fratrum nostrorum canonicam, & vocem & audientiam amiserint, omnibus quibus possunt insidiis eum circumveniunt. Hac occasione accepta, imperator tam gravi eum odio prosecutus est, ut omnibus rebus suis eum abraserit, & de civitate expulerit. Quod totum assecutus est imperator. Compositione hujus pacis, quia ante adversus episcopum prævalere non potuit, ex quo ab eo recedens episcopus, ad ecclesiam rediit. Nam priusquam ad ecclesiam rediret, inter primos amicos imperatoris habebatur. Hæc non ideo dicimus, ut injustitiam episcopi studeamus defendere vel approbare. Sed ideo coram Deo loquimur, quia si tam absoluta potestas imperatori conceditur sæviendi in qualemcumque istum episcopum, reliquis fidelibus, qui cum ecclesia Dei permanserunt, scandalum & intolerabilis persecutio generabitur. Propter quod si vestræ discretioni placeret, vestræ humilitatis consilium, seu potius devotissima supplicatio hæc esset, ut ad præsens severior disciplina ejus correptionem dissimularet, quia sic dispensatio vestra grassantis hominis impetum in ceteros fideles inhibere poterit, & suo loco & tempore de præfato episcopo plenam justitiam ecclesia Dei obtinebit.

DECRETUM BRUNONIS archiepiscopi Trevirensis adversus invasores bonorum ecclesiæ suæ.

Anno 1122. Ex ms. codice S. Vuilbrordi Epternac. [a]

HOc decretum (a) sanxit BRUNO archiepiscopus XXI. archiepiscopatus sui anno. Propter continuas oppressiones quas ecclesia nostra patitur, decernimus, & Spiritus-sancti judicio & auctoritate nobis concessa firmamus, ut quicumque sive in rapinis rerum ecclesiasticarum, sive in combustione alicujus ecclesiæ, sive in captione alicujus clerici, vel in quacumque indebita exactione, sive in generalis vel specialis pacis violatione hactenus nos conturbavit, ad satisfactionem canonice vocetur, passurus secundum sententiam obediens judicium cum misericordia, rebellis judicium sine misericordia. Ab hac autem die id est IIII. idus Decembris ulterius quicumque supradictorum violator inventus fuerit, id est MCXXII. Dominico hodierna excommunicatione prædamnamus, & præcipimus ut ab omnibus ut sacrilegus devitetur, suspenso ejus nomine in ecclesia ad indicium excommunicationis jam super eo factæ & singulis dominicis diebus repetendæ, ita ut quicumque ei communicaverit, si laicus eodem anathemate ferietur; si clericus, ab ordine deponatur. Spolia quoque emens vel dono accipiens, ei cui & spoliator damnationi subjaceat. Congregationibus etiam licentiam damus, ut quicumque eos in bonis stipendiorum suorum læserit, eum quotidiana excommunicatione persequantur.

(a) Istud decretum integrum quidem refert Brovverus, sed adeo immutatum, & ad leges purioris sermonis accommodatum, ut plane sit autographo dissimile. Purum hic & sincerum damus.

NOTITIA de constructione castri & de ecclesiis & decimis Carolivanæ.

Anno 1122. Ex cartario Columbensi.

ANNO ab Incarnat. Domini MCXXII. LUDOVICUS gloriosus rex, superatis undique hostibus, & optata pace, Deo se adjuvante, & prospera sibi tribuente, apud Parisius cum principibus disponens jura regni, & prævidens in futurum, consilium accepit castrum ædificandi in loco qui vocatur Karoli-vana, quod pagum Parisiensem ab inimicis custodiret. Sed quia idem locus a ROBERTO rege S. Germano antiquitus jam fuerat in eleemosyna datus, Robertus monachus regem adiit, humiliter ei suggerens donum ejusdem attavi sui. Quod audiens rex, respondit benignissime eleemosynas prædecessorum suorum nullo modo a se velle diminutionem accipere, sed potius meliorationem. Quid plura? Tradidit monacho donum ecclesiarum & omnium decimarum ad ipsum pertinentium, & omnium reddituum suorum. Præcepitque monacho, ut hoc donum super altare sancti Germani ex sua parte, necnon & reginæ ADELAIDIS filiique sui PHILIPPI mitteret. Quod monachus accipiens, procidit ad pedes ejus, osculans ejus manum. Testes qui hoc viderunt sunt isti: Stephanus archidiaconus, Gislebertus frater ejus, Milo de *Malrepast*, Frogerius *de Chaalons*, Bartholomeus *de Fulcois*, Hugo filius Garnerii. Ex parte monachorum Robertus de Castello, Girelmus de Marleio, Garnerius præpositus.

A

EPISTOLA R. REMENSIS archiepiscopi ad J. Morinensem episcopum.

Scribit ei in gratiam Clarembaldi clerici & libertatis ecclesiasticæ.

[a] Ex ms. ecclesiæ Atrebatensis.

R. (a) Dei gratia Remorum archiepiscopus. J. eadem gratia Morinensium episcopo, salutem cum zelo fortitudinis & justitiæ.

Lator præsentium C. Robertum, quem ad nostram audientiam incitaverat, die constituta expectavit. Sed quia ille nec venit, B nec absentiam suam canonice excusavit, vobis mandamus, & mandando præcipimus, quatenus nisi Robertus a vobis submonitus, ad satisfaciendum nobis absque dilatione venerit, tamquam contumax & contemtor ecclesiastici juris districtione anathematis feriatur. Illud vero quod Clarembaldo in causa sua opposuit, tamquam falsum & detestabile repudiamus, quia libertati clericorum omnino præjudicat & ecclesiasticæ consuetudini periculose obviat. Clerici enim qui sorte vocationis & dignitate ordinis laicos præcellunt, nullo modo sub ancillatione advocationis redigi debent vel possunt. Ideoque vestræ sollicitudinis vigilantiæ summopere laborandum est, ne vestris temporibus talis abusio insolescat, quæ detrimentum cleri & opprobrium ecclesiasticæ dignitati inferat. Præterea si quis laicorum super prædictum Clarembaldum vel quempiam alium clero subrogatum hanc temeritatem advocationis usurpare attentaverit, tamquam sacrilegus & ecclesiasticæ dignitatis pervasor, ab omni ecclesiastica communione gladio fortitudinis & justitiæ sequestretur. Insuper fraternitatis vestræ dilectionem rogamus, ut prætaxatum Clarembaldum domum cum mansura, quam Robertus requirit, quiete possidere faciatis. Si autem post prædictam appellationem aliquid incommodi adversarii ejus erga Clarembaldum intulerint, prout justitia dictaverit, emendari viriliter faciatis. Valete.

EPISTOLA ADALBERTI Moguntinensis archiepiscopi ad clerum ecclesiæ Halberstadensis.

Dolet de morte Raynardi eorum episcopi, arguitque quod eo inconsulto processerint ad electionem, & ex alia ecclesia assumserint sibi pastorem.

ADALBERTUS sanctæ Moguntinensis ecclesiæ humilis minister & apostolicæ sedis legatus, dilectis in Christo qui sunt Halberstadensis ecclesiæ fratribus, abbatibus, præpositis, ceterisque tam majoribus, quam minoribus, spiritum cogitandi quæ recta sunt. — Anno 1123. Ex ms. S. Germani à Pratis.

De morte carissimi & venerabilis fratris nostri patris vestri REINHARDI (b) episcopi quantum doleamus & siluerimus omnipotens Deus novit, & ipse qui est Veritas, testis est nobis, quam gravi nos mœrore affecerit, quod tam subito sublatus est nobis, & cum personis & ecclesiis nostris unum corpus fuerit & anima una, jam diu expectantes expectavimus, ut aliquem nuntium C vestrum reciperemus super tanta desolatione vestra, qui & de vestra voluntate certiores nos redderet, & nostræ fraternitatis assensum super ordinanda ecclesia vestra non despiceret. Siquidem parva nos locorum distantia separabat, & suus canonicæ institutionis ordo, sic fieri postulabat. Vos autem antiquæ discretionis & prudentiæ vestræ immemores, & ut de persona nostra taceamus, quid matri vestræ, scilicet Moguntinæ ecclesiæ deberetis, parum attendentes, extra morem ecclesiasticæ consuetudinis, in omni causa vestra processistis, quia & de alia ecclesia personam elegistis (c) & eamD dem quadam nova usurpatione anulo & baculo tamquam investire non abhorruistis. Quod tamen de tam instructa hactenus ecclesia & tot laboribus & persecutionibus pro obtinenda canonica investitura attrita satis mirari non possumus. Solius enim consecratoris est dare anulum & baculum. Ut autem his omnibus ad præsens supersedeamus. Hoc tantummodo fraternitati vestræ rescribimus, quod ad fratres nostros Moguntiam tendimus, communicatoque cum eis & quos communicare poterimus consilio, quidquid ad honorem Dei & justitiam ipsius poterimus, libenter plenius vobis respondebimus. Valete.

(a) Scriptoris hujus epistolæ nomen ex prima dumtaxat littera dignoscimus, quem aut Radulfum Viridem, qui Remensem rexit ecclesiam ab anno 1108. ad 1124. aut Rainaldum eo anno a sede Andegavensi ad Remensem sedem translatum existimamus, sub quibus Morinensem ecclesiam administrabat Johannes *de Comines* episcopus, cui haud dubium, scripta fuit hæc epistola.

(b) Mortuus est Reinhardus VI. nonas Martii anno Christi 1122. ordinationis suæ XV. uti legitur in Chronico Halberstadiensi. Unde corrigendum est Chronicon Stederburgense, ubi obitus ejus ad annum 1124. consignatur. Filius erat Popponis comitis de *Blankenburg*, fratresque habuit duos, Conradum & Sigifredum, e quorum alterutro natus est Poppo secundus, comes de *Blankenburg* vir crudelis & Corbeiæ-novæ infensissimus.

(c) Odonem præpositum S. Sebastiani de *Magdeburg*, de quo fusius in citato Chronico Halberstadiensi.

EPISTOLA ROKKERI archiepiscopi Magedaburgensis ad Ottonem Bavembergensem episcopum.

Ipsius orat favorem in Odonem electum Halberstadensem.

Anno 1123 Ex mss. sancti Germani à Pratis.

VEnerabili in Christo scilicet Bavembergensis ecclesiæ antistiti OTTONI (a) [a] ROKKERUS Magedaburgensium divina gratia quidquid est, cum duce LOTHARIO & comite WICBERTO, & cum omni Halberstadensi ecclesia, orationum & servitii promtam exhibitionem.

In vestræ caritatis bonitate plurimum confidentes, obnixe rogamus, ut ad confirmandam in Christo electionem nostram (b) [b] in domno ODDONE vestro intimo divina ordinatione, tam apud imperatorem, quam apud domnum Moguntinum archiepiscopum, vestra nobiscum in Domino studere dignetur sapientia. Porro ipse Moguntinus nostram pro eo legationem & præsentiam, ipsius etiam personam clementer suscepit, & ductis secum ad domnum imperatorem legatis nostris, consilium suum & favorem benignum nobis, Domino prosperante, promisit. Ceterum a curia reverso, nos sibi Sclikenvelde pro intelligendo nostræ petitionis fine, v. calendas Junii obviam venire præcepit, quo vestram legationem cum litteris & idoneis nunciis in auxilium nostrum dirigi cum intima devotione & nostri respectu rogamus servitii.

DIPLOMA FRIDERICI Coloniensis archiepiscopi pro mona- Groffschatensi.

Circa 1124 Ex autographo.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. FRIDERICUS divina favente clementia sanctæ Coloniensis ecclesiæ archiepiscopus. Sacrarum scripturarum commonemur auctoritate, & prædecessorum nostrorum hujus sanctæ sedis Coloniensis archiepiscorum erudimur exemplis, loca sanctorum & cœnobia fratrum manu charitatis visitare, ut pio prædecessorum nostrorum fundamento aliquid superædificantes, apud summum pastorem præmii ipsorum inveniamur consortes. Hoc studio cœnobium Graffcaph a domno Annone felicis memoriæ archiepiscopo fundatum visitantes, quædam de nostris possessionibus ad usus fratrum prædi- A ctæ ecclesiæ contulimus, sperantes cum ipso ejusdem loci fundatore portionem in terra viventium obtinere. Unde cum infra terminum curiæ nostræ *Badelich* quidam *Jalen* nomine, allodium suum abbati WICHBERTO prædicti cœnobii vendidisset, nos idem allodium S. (c) [c] Alexandro confirmavimus, adjicientes ecclesiæ quicquid ex jure nostro prædictus *Jelen* habuit in communione omnium utamini, quibus sub nostra potestate degentes habent perfrui. Præterea cum tres libras & dimidium decimationis Sosatii obtineret ex dono venerabilis nostri B prædecessoris domni ANNONIS sæpedicta ecclesia, & locationem ejusdem decimationis usurpasset sibi villicorum injusta violentia, locationem ei resignavimus, & ne amplius ea privetur, debita auctoritate confirmavimus. Sed & decimam de vinea *Thielbach*, quam prædecessor noster domnus SIGEWINUS in dotem ecclesiæ Grafchapsensi in die consecrationis ejus contulerat, ab ipsa ecclesia per villicos de *Bacharach* alienatum restituimus, & ut vinea seu decimaC tio perpetua libertate fratribus conservetur, pari auctoritate stabilivimus. Et ut hæc præscripta sine omni inquietudine possideat præscripta Grafchaphensis ecclesia, seu & illa quæ contulit eidem sæpius recolendæ memoriæ domni ANNONIS munificentia, B. Petro collata potestate, & banni nostri confirmavimus auctoritate. Conservatoribus quæ nec oculus vidit, nec auris audivit pollicentes gaudia, & injustis calumniatoribus seu invasoribus comminantes gehennæ supplicia, ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. Et ut hæc noD stræ traditionis confirmatio ad posterorum transeat inconvulsa notitiam, præsentis privilegii astipulatione & sigilli nostri impressione corroboramus, subscribentes etiam jura & possessiones quas piæ memoriæ domnus ANNO contulit eidem ecclesiæ, quas itidem confirmamus eadem quam præfati sumus auctoritate. Hæc autem nostra confirmatio Coloniæ est acta præsentibus & assensum præbentibus multis B. Petri fidelibus & honestis personis, quorum nomina in hujus confirmationis testimonium annotari dignum duximus. Præpositi HENRICUS de (d) [d] E Domo S. Petri, EKKEBERTUS decanus ejusdem loci, GODEFRIDUS de S. Severino, HENRICUS de SS. Apostolis, THEODERICUS de S. Maria in Gradibus. Abbates (e) [e] GERHARDUS de S. Pantaleone, ALBANUS de S. Martino, RUPERTUS, Tuitiensis &

(a) Qui a Bodeslao Poloniæ duce invitatus ad apostolicum munus, Pomeraniam ad Christi fidem adduxit. Vitam ejus Andreas Bambergensis abbas libris quatuor conscripsit, quæ extat apud Surium

(b) Mirum non est Rokkerum Magdeburgensem episcopum, Halberstadiensis electionis fuisse participem. Tanta quippe inter utramque ecclesiam fraternitatis societas intercedebat, ut superstes episcopus mortuum fratrem sepelire teneretur.

(c) Id est monasterio Graffchatensi, quod in honorem S. Alexandri conditum est.

(d) Id est de ecclesia cathedrali S. Petro dicata, quæ hactenus Domus gallice *le Dome* vocatur.

(e) Hinc emendabis Bucelinum in Germania sacra, qui administrationis Gerardi abbatis S. Pantaleonis initium consignat anno 1138. Nam cum Fridericus archiepiscopus hujus diplomatis conditor obierit anno 1131. prævertendum est necessario initium abbatialis dignitatis Gerardi.

Cuno Sigebergensis. Liberi Hermannus ejusdem ecclesiæ advocatus, & filius ejus Gerhardus, & Thietmarus, Gerhardus comes Juliacensis, Engelbertus de Kent. Ministeriales sancti Petri Herimannus sancti Petri advocatus, Almarus, Henricus de *Aldentorph* & multi alii.

Hæc autem sunt possessiones Grafschafensi cœnobio collatæ a munifico fundatore suo domno Annone, ecclesiæ *Vvorumbach*, &c.

NOTITIA

De concordia inter Cenomanenses monachos S. Vincentii & Walterium de Clincampo de ecclesia de Contiliaco.

Circa 1124. *Ex cartario S. Vincentii Cenomanensis.*

Sciant tam præsentes quam futuri, quod Wauterius de Clincampo calumniam quam monachis S. Vincentii de ecclesia de Contiliaco faciebat, omnino dimisit, & pro hoc accepit ab eis centum solidos Cenomanensium denariorum. Hoc factum fuit Cenomanis, in die qua levatum fuit corpus sancti Domnoli episcopi, ante domnum Hildebertum episcopum, & coram Fulcone juniore comite Andegavensi; qui tunc erant apud S. Vincentium, videntibus testibus his, Fulcoio de Longo-reti, Willelmo fratre ejus. In capitulo autem quando accepit sibi beneficium loci & eamdem calumniam penitus solutam & quietam dimisit; promisit quod si Henricus Vindocinensis, de cujus fevo prædicta ecclesia erat, monachis exinde aliquam molestiam, quod cum eodem Wauterio concordiam fecerant, inferret, ipse eumdem Henricum monachis concordaret, & inde pleges dedit. Hoc etiam annuere fecit filiis suis, ut post mortem suam eamdem ecclesiam monachis S. Vincentii contra omnes homines defenderent. Hujus rei sunt testes isti, Andreas de Capella, Radulfus Monnarius, qui erant cum Wauterio, Rainaldus de *Montusse*, Drogo *Guichet*, Fulcoius Senescallus, Paganus de *Belmes*, * Herveus de sancto Lenogisilo, Paganus de sancto Langiso, Silvester, Henricus clericus de Contiliaco, Gaudinus famulus prædicti Wauterii.

* f. *Bellismo.*

SIGILLUM LUDOVICI regis VI. de S. Germano.

Cellæ S. Germani in Laia factas a patre Philippo donationes confirmat.

Anno 1124. *Ex cartario Columbensi.*

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Ludovicus Dei gratia Francorum rex universis Dei ecclesiæ cultoribus, tam posteris quam instantibus, & præcipue successoribus nostris Francorum regibus, certum haberi, firmum teneri volumus, quod universa beneficia quæ antecessores nostri Francorum reges ecclesiæ beati Vincentii & S. Germani de Leia, videlicet Robertus rex, qui ecclesiam ipsam a fundamento fundavit, & Heinricus rex filius ipsius, & Philippus pater noster contulerunt, vel in posterum quilibet concessuri vel donaturi sunt, & nos bona voluntate & utili concedimus & firmamus. In primis totam villam prædictæ ecclesiæ adjacentem, omnino liberam & quietam cum sanguine & latrone, & B omnibus forisfactis in corpore villæ factis, sive omnibus consuetudinibus de corpore villæ moventibus, omnem quoque decimam vini & annonæ meæ & avenæ, quæ attinent ad cellarium vel granarium Pissiaci, id est *de Treel* & de Charlavana, & de ipso Pissiaco, & decimam *Alvers* & annonæ & leguminum & avenæ undecumque sit. Similiter & decimam annonæ meæ & avenæ & leguminum de Aquilina, & omnium crescentiarum mearum, si quæ in ea fuerint factæ. Molendinum quoque Filioli-curtis, & unum modium annonæ habendum perpetuo unoquoque anno de molendino, quem C pacto tali Columbenses monachi concesserunt fieri super stagnum sancti Germani de Leia Bartholomæo de Fulcoio. Terram etiam *Gaudine*, similiter & brancas de Leia quantum necesse fuerit ad focum monachorum, necnon & mortuum lucum, quantum sufficit ad usum monachorum & hospitum suorum, & pasturam totam pecoribus monachorum, & etiam hospitum suorum, & ut monachi centum porcos habeant libere discurrentes per totam Leiam tempore glandium; vivum etiam nemus quantum fuerit D necessarium ad ædificia monachorum, vel nova facienda, vel vetera reparanda. Galterium quoque Colibertum & omnem ejus posteritatem, & quinque hospites apud Ruoldi curtem. Hæc omnia benigne concedimus monachis Columbensibus Deo sanctoque Germano servientibus. Quæ ne in posterum alicujus malevoli possint invidia infirmari, vel vetustate deleri, nostri nominis caractere & sigillo signari & corroborari præcipimus.

E Actum publice apud S. Germanum, præsentibus episcopis nostris, Carnotensi (*a*) videlicet, & Manasse Meldensi cum clericis suis, abbate scilicet Stephano (*b*) de Valeia, & Hugone de Leugis præposito, & Galterio de Bona-Valle archidiacono & aliis multis. [a] [b]

Data per manum... anno Verbi Incarnati MCXXIIII. regni vero nostri XVII.

(*a*) Is erat Gaufridus de Leugis sedis apostolicæ in Gallia legatus, in vita S. Bernardi & apud Robertum de Monte ut vir insignis & vitæ merito commendatus.

(*b*) Id est S. Johannis de Valle ordinis S. Augustini in ipsa urbe Carnotensi, cui tunc præerat Stephanus abbas, cujus meminit S. Bernardus in epist. 82.

ADELAUDIS reginæ decimo, astantibus in A palatio nostro quorum nomina substituta sunt & signa.

S. STEPHANI dapiferi.
S. GISLEBERTI buticularii.
S. HUGONIS constabularii.

CHARTA LUDOVICI regis VI. pro monasterio Columbensi.

Confirmat ei quædam prædia & domum apud Meduntam.

Anno 1125. *Ex cartario Columbensi.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego LUDOVICUS Dei gratia rex Francorum notum fieri volo cunctis fidelibus, tam futuris quam instantibus, quod ego fideli nostro ROGERIO venerabili beatissimæ Mariæ Columbensis ecclesiæ abbati, & monachis ibi Deo servientibus, nemus de Teleio, & nemus de Carmeia, & terram de Faverolis, & omnia quæ illis de feodo nostro data sunt, unde ipsi saisiti sunt, jure perpetuo habenda & obtinenda concedimus: ita quod in eorum dominium quod ipsi possident, nulla umquam quælibet persona manum mittat. Concedimus etiam eis, C ut domum quam apud Meduntam habent, quietam prorsus ab omnibus consuetudinibus, & ab omni exactione Meduntensis commune in perpetuum teneant: ita siquidem quod res hominum nostrorum non recipiant. Præcipimus insuper & concedimus, ut de domo sua quam apud Drocas habent, numquam alicui homini nisi nobis respondeant, sed eam ita prorsus quietam in perpetuum teneant, quod numquam pro aliquo inde amplius placitent. Quod ne valeat oblivione deleri, scripto commendavimus, & ne possit a posteris infirmari, sigilli nostri auctoritate & nominis caractere subterfir- D mavimus.

Actum apud S. Leodegarium publice, anno Incarnati Verbi MCXXV. regni nostri XXIII. astantibus in palatio nostro quorum nomina subtitulata sunt & signa. S. STEPHANI dapiferi. S. GISLEBERTI cubicularii. S. HUGONIS constabularii. S. ALBERICI camerarii. Data per manum STEPHANI cancellarii.

DIPLOMA HENRICI IV. imperatoris pro S. Maximino.

Restituit ei plura prædia pluresque ecclesias sibi a comite Godefrido ablatas.

Anno 1125. *Ex cartario S. Maximini.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. HEINRICUS divina favente clementia quartus Romanorum imperator augustus. Quoniam in imperiali dignitate ad hoc ceteris videmur præeminere mortalibus, ut judicium & justitiam faciamus omnibus injuriam patientibus. Idcirco fidelibus nostris tam præsentibus quam futuris notum esse volumus, qualiter fidelis noster BERENGOZUS abbas S. Maximini, de quodam fidele nostro, GODEFRIDO scilicet Palatino comite, per hos VIII. annos nobis conquestus est sæpius, eo quod quasdam curtes & ecclesias, quibus per tres menses victualia debent procurari fratribus, violenter sibi auferens, suis non veritus est beneficiare militibus. Cujus querimoniam ac petitionem pro amore Dei, & reverentia B. Maxi- B mini, & per interventum dilectissimæ conjugis nostræ MATHILDIS reginæ, necnon BERINGERI comitis de *Sulzbach*, & Ottonis de Salmena, sed & Conradi & Godefridi de *Norinberg*, & Stephani Oyensis, aliorumque fidelium nostrorum clementer suscipientes, villas has, id est *Guntershusen* & *Rosbach*, *Mannendal* & *Narheim*, *Holzhusen*, & *Ukinisheim*, *Sueppenhusen* etiam, *Folmarsbach* ac *Basinheim*, necnon & has ecclesias *Vveldestein*, Albucha, *Gozolesheim*, *Huzem* & *Vveinheim* cum omnibus ad se juste & legaliter pertinentibus B. Maximino & fratribus sibi famulantibus, ea ratione reddimus atque firmamus, ut nullus successorum nostrorum regum vel imperatorum, nullus etiam dux aut comes de eisdem rebus quicquam imminuere præsumat; sed abbas & fratres ad præbendam suam & ad utilitatem monasterii ea libere & secure possideant, sed & hoc fideles nostros præsentes scilicet & futuros ignorare nolumus, quod sicut fidelem nostrum Anshelmum de *Mollesbergh*, qui a dominio prædicti abbatis aliquandiu injuste fuerat ablatus, ante IX. annos privilegii nostri auctoritate prænominato abbati recognovimus ac reddidimus, ita & nunc B. Maximino & eidem abbati suisque successoribus cum beneficio suo, quod est Brichina & Saltria, denuo eum recognoscimus, etiam recognoscendo firmamus, ea scilicet ratione, ut ipse & filius ejus Heinricus idem beneficium quod Anselmus avus eorum ab eodem loco per precariam adquisierat, pacifice semper & quiete detineant. Si autem sine herede defuncti fuerint, tunc abbas & fratres ad utilitatem monasterii eadem bona & possessiones libere recipiant, & secure possideant. Præterea vero curtem quamdam & ecclesiam in villa *Suaucheim*, quam genitor no- E ster apud Spiram divina correptione terribiliter commonitus de Heinrico ministeriali suo aliis bonis redemit, & B. Maximino privilegii sui auctoritate restituit. Hanc itaque curtem cum omnibus in *Everneshseim*, aut *Bricenheim* ad eam juste & legaliter pertinentibus de manu Wolfgeri ministerialis nostri, qui contra præceptum nostrum hoc inanno violenter invasit, sub obtentu gratiæ nostræ imperialiter interdicimus, ac

præfato confessori Christi Maximino & fratribus sibi famulantibus per hanc privilegii nostri auctoritatem confirmando reddidimus, & reddendo confirmamus; quatinus iidem fratres in vigiliis & missarum celebrationibus cum memoria genitoris nostri, memoriam etiam nostram habere dignentur in omnibus, & quia tanta infirmitate (a) opprimi videmur, ut de præsentis vitæ securitate interdum dubitare cogamur, idcirco non solum præfatæ ecclesiæ judicium & justitiam ad præsens facere decrevimus, sed etiam omnibus ecclesiis quæ in regno & imperio nostro a nobis aut nostris suis privatæ sunt rebus, ab ista die & deinceps, vita comite, bona sua coram Deo integre nos reddituros esse promittimus. Si autem divina vocatione de hac luce tam repente migraverimus, ut per nos ipsos, quod absit, hæc omnia implere nequeamus, tunc non solum apostolico & episcopis, in quorum diœcesi bona ecclesiarum invasa sunt, raptores earum spiritali gladio feriendos derelinquimus, (b) sed etiam successori nostro, cunctisque regni principibus, pro salute animarum suarum ac nostra, causam hanc in Christo determinandam committimus. Harum quippe rerum omnium testem cartam hanc fecimus conscribi, & propria manu eam subterfirmantes, sigilli nostri impressione jussimus insigniri.

Signum HEINRICI IV. Romanorum imperatoris invictissimi.

PHILIPPUS cancellarius recognovi vice ADALBERTI Moguntini archicancellarii.

Data apud Tuisburc, anno dominicæ incarnationis MCXXV. indictione III. nonas Maii, in Christi nomine feliciter. Amen.

EPISTOLA PETRI LEONIS presbyteri & Gregorii S. Angeli diaconi cardinalium ad Angelrannum episcopum Ambianensem.

Ut curet S. Vedasto Attrebatensi restitui altare de Campaniolis.

Anno 1125. Ex ms. Vedastino Attrebatensi.

P. Leonis presbyter & G. S. Angeli diaconus sedis apostolicæ cardinales & legati venerabili fratri A. Ambianensium episcopo salutem.

Carissimus frater noster abbas sancti Vedasti plurimum nobis conquestus est, quod WIDO miles quoddam altare de Campaniolis de jure sancti Vedasti in potestatem Mosteriolensis monasterii transtulerit, quod omnino rationi & auctoritati sanctorum repugnat; propterea fraternitati tuæ mandamus atque præcipimus, ut idem altare in prædicti S. Vedasti monasterii jus & potestatem restitui facias.

DIPLOMA HENRICI EPISCOPI Paderbornensis pro Paderbornensi S. Petri monasterio.

Eximit illud a decimis novalium.

Anno 1117. Ex ms. Abdinghoffensi.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Notum esse volumus fidelibus Christi tam præsentibus quam futuris, quod ego HEINRICUS Dei gratia Patherbrunnensis sedis episcopus, pro remedio animæ meæ, concessi fratri nostro (c) HAMUKONI abbati monasterii SS. apostolorum Petri & Pauli (d) in suburbio nostræ sedis constructi, ut novale quod juxta nos in Sundera suæ proprietatis elaborare potuerit, vel quicquid a vicinis possessoribus lignorum ad novale faciendum acquisierit, hoc totum indecimatum tam ipse, quam omnes successores sui ad utilitatem suæ ecclesiæ perpetuo sine ulla contradictione possideant. Quapropter & hanc cartam de hac largitione fieri jussi, & sigilli nostri impressione roborata prædicto abbati tradidi, ut sit illi & ecclesiæ suæ per cuncta succedentium temporum curricula stabilimentum & munimentum hujus nostræ concessionis, nostra pontificali auctoritate & banno illud confirmantes, & sancientes, ut si quis contra hanc nostræ ecclesiæ concessionem & traditionem præfato abbati seu successoribus ejus quod libet dispendium sive injuriam irrogare tentaverit, omnipotentis Dei sanctorumque ejus iram atque offensam incurrat, & in die judicii, si non emendaverit, illi divino maledicto subjaceat: *Ite maledicti in ignem æternum, qui præparatus est diabolo & angelis ejus.* Hujus rei testes sunt canonici Wino præpositus, Bernhardus decanus, Godescalcus, Reimbertus, Conradus præpositus, Esicus, Rantwigus, monachi vero Bernardus, Reinfridus, Becelinus, Fridericus, Adelgerus, Werinherus, Gerlagus, & ceteri fratres tam monachi quam canonici; ministeriales autem Heinrich, Uffo, Hugo, Eilbrath, Gerlag, Becelin, & alii multi. Data VIII. idus Julii in sede nostra Patherbornensi, anno ab Incarnatione Domini MCXXVII. (e) indictione V. regnante glorioso rege LOTHARIO anno secundo regni ejus, episcopatus autem mei XLIII.

(a) Dracunculi morbo, qui a teneris annis illi adhæserat, nimis conflictabatur, & paucis post diebus X. calendas Junii aggravata valetudine, mortuus est, nulla virili stirpe relicta.

(b) Litteras jam scripserat, paschalibus Leodii peractis, ad Godefridum Trevirensem præsulem à Browero relatas, quibus eum *graviter* & *serio* monebat, ut prædones in episcopatu ejus grassantes incendiis, aut in villas prædiaque violenter irrumpentes coerceret. Sic imperator ille, qui nec pace nec bello, neque rebus pro ecclesia gestis clarus fuit, hoc saltem debet commendari, quod vitam finierit honeste & pie.

(c) Gumberto successit circa annum 1118.

(d) Vulgo *Abdinghoff* dicitur, id est Abbatia horti, haud dubium quia in hortis antiquis constructa fuit. Certe opinio est imperiales Caroli magni ædes viciniores huic loco fuisse.

(e) Hoc ipso anno defunctus est Henricus pridie idus Octobris.

NOTITIA

NOTITIA

De restitutione prædii *Northburgnon* facta Paderbornensi S. Petri monasterio.

Ex ms. monasterii Abdinghoffensis.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Noverit omnium fidelium Christi tam præsentium quam futurorum universitas, qualiter bona in *Northburgnon* cum longo tempore in beneficio possessa fuissent, præbendæ fratrum unde ablata fuerant, restituta sunt. Mulier quædam religiosa *Ethelind* nomine, defuncto viro suo Siberto, in viduitate permanens, & de die in diem ad meliora tendens, & in amore Domini proficiens, perpetuæ beatitudinis spe provocata, pro redemtione animæ tam suæ quam viri sui abrenunciare sæculo volens, & arctioris propositi viam ingredi, venit cum multis honestis personis, & prædium in *Northburgnon*, quod cum viro suo acceperat in beneficium, fratribus in præsentia domni HAMUKONIS abbatis sine aliqua commutationis vicissitudine & sine aliquo redemtionis pretio restituit: ea videlicet intentione & conditione, ut prædictum prædium cum omnibus suis appendiciis, omnibusque utensilibus quæsitis & inferendis, vel quoquolibet modo dici vel nominari possunt, sicut & ipsa habebat usibus fratrum unde ablatum erat, deserviret, & ut numquam alicui parvæ vel magnæ personæ in beneficium concederetur, multa precum instantia a domno abbate impetravit sponsionem. Hujus rei testes sunt canonici Wino præpositus, Reimbertus decanus, Godescalcus; monachi vero Werinherus, Frithericus, Adalgerus, Wibernus, & ceteri fratres, tam monachi quam canonici. Ministeriales autem Uffo, Altman, Adelbrath, Albern, Walgot, Volcuvin, Frethemarus, Welceco, Godefridus, Wolebrath, Sibertus, Gerlagus, Warmund, Eilbrath.

CARTA BERENGARII

episcopi Gerundensis pro Massiliensi S. Victoris monasterio.

Confirmat donationem ecclesiæ S. Johannis de Fontibus factam per episcopum Gerundensem prædecessorem suum.

Anno 1127. Ex archivis S. Victoris eruit D. Furnerius. [a]

NOtum sit omnibus hominibus præsentibus & futuris, quoniam ego BERENGARIUS (a) Dei gratia Gerundensis ecclesiæ episcopus, pro remissione peccatorum meorum seu parentum meorum, una cum consensu clericorum meorum, laudo & affirmo Deo & S. Victori & domno BERNARDO abbati monasterii Massiliensis ac monachis ejusdem cœnobii; & successoribus eorum in perpetuum, oblationem quam prædicto cœnobio fecerunt UZALARDUS, (b) quondam vicecomes & uxor ejus ERMENSENDIS de ecclesia S. Stephani seu S. Johannis de Fontibus subterioribus; sicut resonat in scriptura quæ ab eis quondam de hoc eodem est facta. Insuper etiam laudo & confirmo donum quod prædecessor (c) meus BERNARDUS UMBERTI cum suis canonicis fecit de eadem ecclesia prædicto S. Victori Massiliensis cœnobii, ut habeat & teneat illum jure perenni, eo tenore, quo ab eo illi est concessa & tradita, salva tamen in omnibus canonica obedientia & reverentia Gerundensis ecclesiæ. Qui autem hoc violaverit, anathema sit. Actum est hoc x. cal. Octobris anno XVIIII. regni Ludovici regis. [b] [c]

BERENGARIUS Dei gratia Gerundensis ecclesiæ episcopus.

Durandus Bostolensis subscripsit Levita.

Gillelmus Gausberti.

Johannes Levita vel monachus qui hoc scripsi die & anno quo supra.

Ego Arnaldus qui hanc redditionem accepi & feci hoc signum.

CARTA LUDOVICI VI. REGIS

Francorum, majoris & juratorum de Kala confœderationes & bonas consuetudines approbantis.

Anno 1128. Ex cartario Calensi.

IN Christi nomine, ego LUDOVICUS Dei gratia rex Francorum. Notum fieri volo cunctis fidelibus tam futuris quam instantibus, quod sacramenta & confœderationes, quibus homines Kalæ inter se invicem confœderati sunt & ligati, salva fidelitate nostra & uxoris nostræ & filiorum nostrorum, & salvis omnibus justis consuetudinibus ecclesiæ sanctæ Bathildis, & volumus, & approbamus, & auctoritate regia confirmamus. Omnes præterea consuetudines bonas, quas prædicti homines & prædecessores sui in tempore venerabilis patris nostri PHILIPPI habuerunt & tenuerunt, in perpetuum illis concedimus, illas videlicet, quas, si necesse fuerit, ipsi per quatuor antiquos viros & legitimos in villa Kalæ permanentes, monstrare poterunt & probare, & si forte quilibet consuetudines illas infirmare & contradicere oportebit: quod si ita eas non poterit infirmare, statuimus & præcipimus illas ratas & stabiles in perpetuum permanere. Statuimus etiam quod

(a) In actis concordiæ anno 1128. initæ inter Pontium comitem Emporitanum & ecclesiam Gerundensem, vocatur Berengarius Dalmatii.

(b) Ipse est forte Vuillelmus Uzalgarii vicecomes castrinovi, qui una cum uxore sua Ermesendi & filiis suis Uzalgario archidiacono, Roberto & Artalco decimas concessit ecclesiæ sancti Stephani de Pontiliano diœcesis Elenensis anno Christi 1115. uti legitur in Marca Hispanica.

(c) Non immediatus, Bernardo enim successit Raimundus circa annum 1112.

numquam in prædicta villa aliquis, nisi ratione & judicio capiatur; quod ne valeat oblivioni deseri, scripto commendavimus, & ne possit a posteris infirmari, sigilli nostri auctoritate & nominis nostri caractere subterfirmavimus. Actum Parisius publice, anno Incarnati verbi MCXXVIII. regni nostri vicesimo, astantibus in palatio nostro quorum nomina subtitulata sunt & signa. Signum RAD. comitis. S. LUDOVICI buticularii. S. HUGONIS constabularii. S. ALBERICI camerarii. Datum per manus SIMONIS cancellarii.

EPISTOLA G. ABBATIS ad A. priorem S. Victoris Massiliensis.

Arguit Massilienses fratres quod mortuum extumulaverint, queriturque quod debitam sibi non impendant reverentiam.

Anno 1129. Ex archivis S. Victoris eruit D. Furnetius.

A. suo præcordiali amico Massiliensi priori & omni sancto conventui peccator G. (a) recta sapere, intelligere, & opere complere. [a]

Scripsit mihi tua dulcis fraternitas, se sincero mentis affectu parvitatis meæ dilectioni quondam inhæsisse, quodque verum esse fateor, multimodas pietati tuæ gratias refero, adjiciens me tibi ejusdem caritatis spontaneam reddidisse vicissitudinem, quod reali argumento facile probari potest, quod numquam voluntati tuæ contrarius esse volui: immo forsitan contra quorumdam persuasiones te semper ad meliora informare atque provehere studui. Quod vero scripsisti me te & alios carissimos fratres nostros quasi despectissimos servos dimisisse, salva pace tua dico, quod hoc modestius dici posset: quoniam nullatenus vos deserens contemsi, immo semper corde & animo vobiscum sum. Verum cogente necessitatis articulo, corpore tantum non longe secessi a vobis, & negotio vobis noto locum præbere volens, quod corpore præsens facere nequirem. Conquesta est tua dilectio, quod non transmisi tibi speciales litteras: quod non fuit, carissime frater, caritatis oblivio, sed rei familiaris assidua occupatio, & præcipue quod laboriosum est mihi scribere, cum visus oculorum meorum aliquantulum ex ægritudine capitis obtenebretur. Propterea quod querimoniæ tuæ, carissime frater, rationabiliter respondere curavi, nec, si placet, verbis meis tuæ benignitatis aures accommodare non renuas, sed sicut pro te & pro aliis conquæstus es, ita pro te & pro aliis, ut universaliter respondeas, justa ratio poposcit. Quæro igitur a te, carissime

A frater, quo peccato merui contra sanctorum decreta pontificum, & contra omnem ecclesiasticam institutionem, tam crudeli a vestra paternitate feriri sententia, ut ad omnipotentis Dei contemtum & beatæ Virginis Mariæ, deinde ad nostrum dedecus, corpus cujusdam miseri paralitici defuncti in cimiterio hujus speluncæ a vobis sepeliri prohibetur, & post sepulturam multo sudore fabricatam? Quis vestrum, si alicui injuriæ hic imputari posset, infra capitulum vestrum vel extra me appellavit? vel cujus audientiam vel judicium, sive & regularem correctionem subterfugere tentavi? Quis

B vestrum potest me notare, ut postquam ad hanc veni speluncam, cupiditatis vitio vinctus aliquid exigerem vel acciperem a defunctis? quo igitur commisso tanta mulctari merui contumelia, ut sepultura vacua hiatu suo ridiculum transeuntibus præbeat? Certe, carissime frater, aut vos quorum præcepto, ut sanctissimus frater noster dominus Guido testatur, neminem vestrum excipiens, hoc factum est manifeste..... mihi canonicam auctoritatem, cujus fulti præsidio hæc fieri præcepistis, aut ego, antequam sopiatur tam contumeliosa injuria, coram metropolitano circumstantibus suf-

C fraganeis episcopis, sanctorum auctoritate canonum probabo vos ordinis vestri incurrisse periculum, adjiciendo tunc.... supersedeo. Præterea dic mihi, carissime frater, quis vestrum postquam in hac spelunca pauperrime inclusus sum, excepto W. Biterrensi, proprio compellente negotio, spontaneæ visitationis gratia....... sive lætificare sua præsentia voluit? Nescis tu, carissime frater, quod nuper nulla ratione, nullis precibus potui a vestra paternitate impetrare, ut transmitteretur mihi Berengarius sacrista citissime reversurus? Breve

D colloquium valde necessarium fuerat. Et ne ..... a vestra beatitudine mihi caritatis janua clauderetur, scit vestra sanctitas, quod nullo modo a vobis peccatis meis exigentibus impetrare merui, ut in tam sancto B. Johannis festo mitteretur mihi aliquis ex fratribus ad concelebrandum tantæ solemnitatis officium: sed vix transmissa est mihi cappa curta, vetus & disrupta, sub maxima comminatione, ut in crastinum solemnitatis reportaretur, & quod aliquantula, falsa tamen reverentia obstante, per vos ipsos

E me adhuc ex toto dehonestare erubescitis. Elegistis ex vobis qui mihi frequentes inferendo contumelias, desiderio vestro satisfaciat, domnum videlicet Guidonem virum illustrissimum, huncque virtutum flore decoratum, cujus vita gloriosa & admirabilis religio non solum nos peccatores circum-

(a) Is est haud dubium Gausselmus abbas, qui unico dumtaxat anno præfuisse dicitur in brevi Chronico Massiliensi apud Labbeum, quique statim studio perfectionis ad sanctam Balmam se reclusit, contemplationis exercitiis vacaturus, quod miror hactenus a scriptoribus prætermissum.

stantes, verum etiam omne Massiliense monasterium illustrat. Ipsi a vestra laudabili prudentia, ut proprio perhibet ore, injunctum est, ut irritando me ad iram saltim defunctorum corpora..... tumulari prohibeat; quia ut vir clarissimus ac veræ obedientiæ amator, quod vere præceptum est, nullatenus facere negligit; sed ad obedientiæ cumulum adjicit plurima derisoria ac contumeliosa verba. Quid enim, carissime frater, ista mihi innuunt, nisi ut dicam cum propheta, *filios enutrivi & exaltavi, ipsi autem spreverunt me?* Et alibi: Isti labiis me honorant, cor autem eorum longe est a me. Et in evangelio: Ecce quomodo amabant B eum. Sed hæc ad præsens omittenda censeo, quod ad referanda cordis mei arcana tempus meum nondum advenit, tempus autem vestrum ad me flocci pendendum, ad me vituperandum, semper est paratum. Verumtamen nisi vestra sanctitas circa me caute egerit, ego sanctitatis vestræ servus, qui hactenus contemtus tacui, læsus filui, quandoque sicut parturiens loquar, proindeque fraternitatis tuæ laudabilis dulcedo in proximo B. Victoris festo jubet me venire ad se; non recuso venire, si quis honeste me deducere voluerit, paratus ex toto corde, C puraque mentis devotione ad honorem Dei & B. Virginis MARIÆ & præfati gloriosi martyris, necnon & sanctæ matris nostræ Massiliensis utilitatem, remoto omnino totius amaritudinis zelo, corroborare & confirmare quod melior pars, præeunte Spiritus-sancti gratia, elegerit, secundum B. patris nostri Benedicti præceptum & animarum nostrarum desiderabilem salutem. Si vero, quod absit, aliqui sinistræ partis contra B. Benedicti normam, sive contra consilium domnorum & fratrum nostrorum Dominum timentium, pravitates suas fovere cupientes aliquid religioni adversum agere D voluerint, scito quod ego qualiscumque peccator monachus quondam a vobis catholice electus, & adhuc a nemine depositus, nulli tradam pastoralis officii virgam, immo fortissimus præliator ascendam ex adverso, opponens me murum pro domo Israël, & stabo in prælio in die Domini, clamans cum Legislatore, *Si quis Domini est, jungatur mihi.* Postremo quod laudabilis amicitia tua, sicut quondam fidelis mihi fuit & jocunda, & humiliter obediens, ita in eodem se semper perseveraturam asserit; debitas tibi grates persolvo, & si in aliquo tibi necessarius fuero, necessitudini tuæ ultroneum me offero. Denique reddens vi- E cem tuæ dilectioni, licet tibi specialiter scripserim litteras, tamen si in conspectu omnium fratrum eas legere volueris, satis mihi placet, hoc tantummodo tuæ discretioni committens, ut simpliciter intelligas & intelligendo prudenter discernas, quo-

A rum respectu superius scripta querimonia a me sit promulgata, & sicut in prima fronte epistolæ ita & in fine omnes domnos nostros & carissimos fratres per te iterum salvari optamus. Vale, valeant & ipsi, & ut pro me servo tuo omnipotentem Dominum exorare dignentur, flexis genibus humiliter imploro.

EPISTOLA PRIORIS S. VICTORIS ad archiepiscopum Arelatensem.

Conqueritur de episcopi Massiliensis violentia.

DOMNO hac venerabili Arelatensium archiepiscopo, S. R. E. legato, P. prior Massiliensis cœnobii omnisque conventus omnimodam subjectionem. *Circa 1119. Ex archivis S. Victoris eruit D. Furnerius.*

Qualiter quibusve modis cura totius nostri monasterii vobis fuerit commissa, tu * Dei electione, & domni etiam papæ provida institutione, denique domni abbatis sagaci speculatione, ut credimus, vestra solertia non est oblita: ideoque si quibuslibet nostris exigentibus meritis affligimur, vestram flagitantes speculationem, ad vos veluti ad tutissimum portum post Domini certum pulsi anxietatis remige festinamus. Notificamus igitur vestræ dignitati, quoniam Massiliensis episcopus inter ceteras frequentes ab eo nobis molestias illatas, non absque injuria totius ecclesiæ, neque passus ullam juris repulsam, nunc quoque violentius solito damnum intulerit. Et quidem, quod apud sæculares honesta religione nefas est audiri, pravi documenti sæcularibus exemplum tribuens, omnes boves monasterii rapaciter auferre non dubitavit. Nos itaque tanta injuria & damno promoti, eum adeuntes, conquesti sumus, sæpius replicantes injuriam domni apostolici de invasione bolarum, pacis & trevæ Dei violatione; pollicentes etiam, si quid deliquimus, firmaturos in ejus manu jus quod de judicio vestro finiretur, spretis nobis & nostris pollicitationibus discessimus, id etiam temperantes per submissas sæpius personas, neque quicquam valuit, qui tamen accensi contumelia, adhibita violentia boves nobis reddiderunt; ad vestram igitur confugientes clementiam, motus nostro damno, sive vestra injuria, domni apostolici etiam læsa reverentia, nos patrocinantes, justitiam*, ut ceteri metum habeant, ut faciatis, oramus. Valete.

* f. &

CARTA FUNDATIONIS Cuissiacensis monasterii.

IN nomine &c. Ego RADULFUS Viromandiæ comes, præsentibus futura, transitoriis comparare desiderans bona semper manentia, abbati & fratribus ecclesiæ B. Ma- *Ex ms. Colbertino.*

riæ Cuissiacensis concedimus & donamus terram arabilem de Bonolio, quæ ad dominatum nostrum pertinet, Terragium quoque quod habebamus eo tenore, quod si rustici eam colere desistant, ad proprietatem fratrum libera revertatur. Pascuam quoque & terram incultam & cursum aquæ ad faciendum molendinum concedimus, mansis & censibus nobis nostræque successioni retentis. Hoc autem eo pacto fieri volumus, ut in ea quam instauramus ecclesia, abbatia canonicorum regularium constituatur. Sed quoniam hæc omnia respectu permansuræ beatitudinis pauca sunt & minima, addimus quatinus usui prædictorum canonicorum cedat, non solum ad focum faciendum nunc & in posterum; sed quidquid in nemoribus nostri juris eis fuerit necessarium. Hujus igitur tam salutiferæ donationis ego P. Silvanectensis testis subscribor. Signum H. abbatis de Longo-Ponte &c. Ego Robertus cancellarius scripsi & subscripsi.

PLACITUM

inter monachos Gemeticenses & monachos S. Vincentii.

Anno 1129. Ex cartario S. Vincentii Cenomanensis.

MEmoriæ posterorum commendandum decrevimus, quod monachi Gemeticensis ecclesiæ calumniabantur monachis S. Vincentii ecclesiam de Curtgazeni & ecclesiam de Sagona. Unde factum est, illis facientibus clamorem ad episcopum, ut ipse domnus Wido episcopus Cenomannensis & Gemeticensibus monachis & monachis S. Vincentii diem ad placitandum constitueret, designaret & locum & horam. Diem, ut aliis relictis quibusque negotiis, utrique ad placitandum in die determinata paratiores haberentur. Locum, ut quo convenire deberent, non ignorarent. Parum enim profuisset diem placiti denominasse, nisi designaretur & locus. Horam, ne in aliquo aliqua dubietas permaneret. Dies igitur fuit in qua placitare utrique monachi debuerunt, octavæ omnium sanctorum. Locus curia episcopi in urbe Cenomannica. Appropinquante itaque termino placiti, monachi Gemeticensis ecclesiæ cum abbate suo nomine. . . . . . ad urbem Cenomanicam pridie quam placitum fieri deberet convenerunt. Nocte vero eadem circa mediam partem noctis ipsi monachi Gemeticenses cum suo abbate recedentes, non expectaverunt placitum, quod de prædictis calumniis cum monachis sancti Vincentii facere debebant. Quid vero causæ extiterit ut taliter recederent, nos nescimus. Hoc vero solum scimus, quia monachi sancti Vincentii in die prænominata, in octavis omnium sanctorum, & loco, in curia domni WIDONIS episcopi, & hora competenti præsentes fuerunt, respondere parati prædictis monachis de supramemoratis calumniis. Sed, sicut superius diximus, quia ipsi monachi Gemeticenses recesserant, nullus inventus est, qui cum monachis S. Vincentii de prædictis calumniis placitaret. Hoc viderunt & audierunt isti, domnus WIDO episcopus, domnus DANIEL abbas Ebronensis, domnus JOHANNES abbas S. Nicolai Andegavis, domnus WILHELMUS DE BOERIA abbas S. Vincentii: viderunt etiam & hoc Paganus decanus, Hugo de Lavardino, Gradulphus, Wilhelmus, Burellus, archidiaconi, Willelmus *Muschet* archipresbyter, Ansgerius cantor S. Juliani, Paganus Aldricus canonicus ejusdem ecclesiæ, Robertus Calamus cantor S. Petri de Curia, Paganus de Chalis, Wilhelmus de Ambteriis, Paganus filius Ildeberti, & Wicherius clerici. Cum domno WILHELMO DE BOERIA abbate S. Vincentii, qui totam hujus calumniæ sustinuit oppressionem, fuerunt isti de suis monachis, Rodulfus prior, Albertus, Ambrosius, Wilelmus Rufus. Affuerunt etiam & alii tam clerici quam milites, quorum nomina longum duximus enarrare. Hoc factum est VI. idus Novembris WIDONE Cenomannorum episcopo, ULGERIO Andegavorum episcopo, GAUFRIDO comite Turonorum, Andegavorum & Cenomanorum, patre suo FULCONE rege Jerosolymorum. Anno ab incarnatione Domini MCXXIX.

CARTA BURCHARDI MELDENSIS episcopi de moneta Meldensi.

Circa 1130. Ex cartario Meldensi.

IN nomine Domini. Ego BURCHARDUS Dei gratia Meldensis episcopus notum facio omnibus tam præsentibus quam futuris, quod Meldensem monetam, quæ episcopalis juris est, quam sicut plerique testati sunt, prædecessores nostri aliis atque aliis qui non erant de genere Brimodi, pro commodo suo ad beneplacitum suum dederant, filii ejusdem Grimoldi * Hugo videlicet & Odo, hereditario jure habere volebant. Nos vero utilitati ejusdem ecclesiæ providentes, pro parte ejusdem monetæ quam sibi usurpare quærebant, diem placitandi eis constituimus. Qua profecto die secundum dicta & responsa nostræ & eorum partis judicium a nobis oblatum audire recusaverunt, præsentibus GOSLENO Suessionensi & STEPHANO Parisiensi venerabilibus episcopis. Quia vero post recusatum judicium rem ecclesiæ in sacrilegio capiebant, in eos excommunicationis sententiam promulgavimus. Sed tandem, mediante THEBAUDO illustri Blesensium comite, cujus homines erant, in nostram venientes præsentiam, totum illud quod in moneta requirebant, nobis & ecclesiæ quietum clamaverunt in perpetuum, hac

*Ita legitur in cartul.

tamen conditione, ut quamdiu ipsi duo vi- A verent, partem illam quam tenuerant, haberent. Quod si alterum eorum mori contigerit, superstes partem mortui cum sua tota vita teneret; duobus vero defunctis, sine ulla reclamatione ad episcopum totum rediret, sicque absolvimus eos. Hoc autem totum factum est præsentibus istis testibus.

EPISTOLA P. ABBATIS Rivipullensis ad Petrum abbatem S. Victoris.

Orat ut G. de Cambolads & alios fratres ei remittat.

Circa 1130. Ex archivis S. Victoris eruit D. Ruinerius. [a] * Petrus monachus Massiliensis.

VEnerabili domino abbati sancti Massiliensis cœnobii P. & sancto conventui, P. * indignus (a) Rivipullensium servus, & qui cum eo sunt fratres salutem.

Miramus super vestra dilectione paterna & summa prudentia, quæ causa vel ratio fuit, quod nobis in tanto discrimine positis, ut novit gloriosum acumen pectoris vestri, sine nostra conscientia, sine nostro consilio, in fide recuperandi delegatum retinuistis G. de *Cambolads*, de quo noveritis erga vos grande murmur esse inter nos & inter amicos S. Mariæ. Unde precamur omnimoda prece, ut eum nobis remittatis, & non solum eum, sed etiam alios utiles ecclesiæ Dei concedatis. Seniorem Eliam quem jussistis dirigi nobis, ut esset ad profectionem itineris vestri delegare non possumus, quoniam officium præpositurae majoris totius domus illi commisimus, propter discursus & labores quos patimur, ut videtis, & tam ipse quam nos precamur, ne erga eum ægre feratis. Valete.

EPISTOLA PETRI LEONIS presbyteri & Gregorii sancti Angeli diaconi cardinalium ad A. Aquicinctensem abbatem.

De hospitibus a relicta Balduini ecclesiæ beatæ Mariæ concessis.

Circa 1130. Ex ms. sancti Vedasti.

P. Leonis presbyter & G. sancti Angeli diaconus, sedis apostolicæ cardinales & legati, venerabili fratri A. Aquiungensi abbati, salutem & dilectionem.

Actionem negotii inter beatæ Mariæ canonicos & abbatem sancti Vedasti, quod nobis tua significavit fraternitas, perlegimus; & secundum ipsius scripti quem ad nos misisti tenorem, hoc nobis videtur. Si abbas sancti Vedasti probare potuerit, quod priusquam relicta Balduini hospites illos ecclesiæ (b) beatæ Mariæ dederit, per judicium scabinorum civitatis eidem mulieri & filiis ejus prædicti hospites sint abjudicati, & beato Vedasto cum quiete possidendi fuerint adjudicati, donatio illi nihil valebit. Item si potuerit ostendere quod prior donatio beati Vedasti monasterio non conditionaliter, sed absolute facta fuerit, secunda virium nihil habebit. Item si fundus terræ in qua hospites manent, beati Vedasti est, non poterunt iidem hospites sine assensu abbatis in alteram transferri ecclesiam. [b]

B

EPISTOLA (a) ANACLETI anti-papæ ad quemdam episcopum. [a]

Significat se hominium a Romanis excepisse, ac de abbate Farfensi tamquam de adversario queritur.

Circa 1130. Ex codice Casinensi eruit Mabillonius.

IN promotionis nostræ principiis universitati vestræ litteras misimus, in quibus super his quæ tunc de nobis Romana ecclesia fecerat, plenius vobis intimare curavimus; C sed post consecrationem nostram, quæ per Dei gratiam ad altare beati Petri est solemniter celebrata, multa nobis prospera, multa commoda successere, dignum duximus iteratis vos litteris visitare, & de his quæ circa nos sunt fraternitatem tuam reddere certiorem. Nos siquidem, largiente Domino, sani & prosperi sumus, & catholicæ ecclesiæ hostibus dignis redargutionibus confutatis, quæ ad nostrum videntur officium pertinere, ubique in Urbe, intus & extra, efficaciter operamur. Fratres nostri cardinales & clerus Romanus individua sunt nobis caritate conjuncti. Leo Frajapane cum filio & Centius frater ejus viri clarissimi, præ- D fectus & omnes nobiles, & cuncta plebs hominium nobis fidelitatemque fecerunt. Proinde si quæ ad vos schismaticorum deliramenta pervenerint, si eorum aniles fabulæ & mendacia fraudulenta quorumlibet assertione illuserint, instanti solertia confutate, non respicientes in vanitates & insanias falsas, & nolite communicare juxta Apostolum operibus infructuosis, magis autem redarguite. Quæ enim in occulto aguntur, turpe est & dicere. Hi sunt, qui, sicut E propheta testatur, in mercede aliena quasi divinabant, & nostri * miserint in hæc ora eorum, quippiam sanctificant super eos bellum. Sane altare contra altare in Dei ecclesia canonica sunt romphæa desecati. Hoc idem & de abbate Farfensi noveritis factum, qui post mortem beatæ memoriæ pa-

* Hic oratio est mutila.

(a) Rivipullense vulgo *Ripouille*, monasterium ordinis S. Benedicti diœcesis Ausonensis in Catalonia, a Vuiffredo comite Barcinonensi fundatum anno 888. donatum subjectumque est monasterio S. Victoris Massiliensi anno 1070. a Bernardo comite Bisuldunensi, uti vidimus supra pag. 473. & deinceps ex eodem monasterio Massiliensi sumti sunt abbates Rivipulli usque ad annum 1168. uti observat Balusius Marcæ Hispanicæ lib. 4.

(b) Hoc est ecclesiæ cathedrali quæ beatæ Mariæ est sacra.

(c) Petri scilicet Leonis, qui de papatu cum Innocentio II. contendebat, cujus alias ad diversos epistolas ex codice Casinensi erutas edidit Baronius.

pæ Honorii, contemto juramento, quod A Romanæ ecclesiæ fecerat, beati Petri regalia impudenti temeritate invasit, & nunc Dei ecclesiam persequi, & in quibus potest juvatus furia infestare non cessat. Retrusus tamen, & ecclesiæ funda percussus, & excommunicationis sententia condemnatus, iniquitatis suæ complices jam habere non potest. Mandamus itaque fraternitati vestræ, & in Domino commonemus, ut in beati Petri fidelitate & nostra constantissime persistentes, prædictum Farfensem abbatem anti-Christi plantam, ut cruentam B bestiam omnimodis insequi sollicitius procuretis, & cornua quibus Romanam ecclesiam ventilat, in bipenni & ascia succidatis. Datum Romæ apud sanctum Petrum idibus Maii.

EPISTOLA II. ANACLETI anti-papæ ad quosdam amicos.

De sua promotione.

Circa 1130. Ex ms. Casinensi eruit Mabillonius.

AB ipso promotionis nostræ principio ex debito Romani pontificatus officio C litteras nostras ad vos tamquam ad spiritales fratres & beati Petri filios mittere disposuimus. Ceterum nobis erga plurima occupatis, vos apostolicæ benedictionis litteris visitare disposuimus. Sane opportunitate habita per harum litterarum portitorem, dilectionis nostræ litteras ad vos dirigere curavimus, in quibus promotionem nostram & Romanæ ecclesiæ statum plenius cognoscere valeatis. Obeunte siquidem papa Honorio bonæ memoriæ prædecessore nostro, Romanæ ecclesiæ fratres nostri cardinales presbyteri & diaconi, suffraganei episcopi cum primicerio & omnibus palatii ordinibus, cum abbatibus, archipresbyteris, D & cuncto Urbis clero & populo, sub totius ecclesiæ obedientia, ad altare beati Petri gravissimum summi sacerdotii onus, mihi, licet indigno, imposuerunt. Omnipotenti autem Deo gratias agimus, quia ex tunc ubique intus & extra Urbem ecclesiæ servitium plena exequimur libertate.

EPISTOLA III. ANACLETI anti-papæ ad quemdam amicum.

Miratur quod nec litteras nec nuncium ei miserit, hortaturque ut se per litteras visitet.

Circa 1130. Ex ms. Casinensi eruit Mabillonius.

AB ipsis fere pueritiæ nostræ primordiis E dilectionem tuam, qua nos impensius dilexisti, id quod sumus evidenter experti, & nos, si bene memineris, non pigra sumus te caritate complexi. Quapropter non parum miramur, quod nos, post promotionem nostram a fraternitate tua nec litteris nec nunciis meruimus visitari. Quidquid autem illud fuerit, nos tamen de affectione tua spem firmissimam possidemus, & ideo fraternitatem tuam litteris præsentibus visitantes, rogamus ut amoris tui fervorem mutuis nos facias epistolis experiri. Muta enim caritas repræsentat caritatem non amantis, & odiorum simulacrum est non aperire quod diligas. Sapienti credimus ista sufficere.

EPISTOLA IV. ANACLETI anti-papæ ad quemdam affinem.

Conqueritur quod ad se non accesserit & de sua promotione alios pavere fecerit.

Circa 1130. Ex ms. Casinensi eruit Mabillonius.

DE dilectione tua, fili carissime, longe aliter quam nobis evenerit, sperabamus, cum in te evidenter appareat, quod pro frumento oriatur nobis tribulus, pro ordeo spinæ. Cum enim de promotione nostra, quam tibi gratissimam sperabamus fore, certis assertionibus comperisses, tum pro affinitate nostra, tum pro communi ecclesiæ debito, tuam nobis festinanter deberes præsentiam exhibere, non solum ipse ad nos non venisti, verum etiam dissuasionibus tuis aliorum fecisti corda pavere. Mandamus itaque dilectioni tuæ, quia te videre optamus, ut ad nos quantocius venire festines.

EPISTOLA V. ANACLETI anti-papæ ad quemdam episcopum sibi adhærentem.

Gratas habet ejus litteras & magna de eo sperat.

Circa 1130. Ex ms. Casinensi eruit Mabillonius.

DIlectionis tuæ litteras, frater in Christo carissime, pleno caritatis affectu suscepimus, in quibus devotionem quam erga matrem tuam Romanam ecclesiam & honorem nostrum hactenus habuisse cognosceris, ferventius atque familiarius redundare in præsenti conspicimus. Nos siquidem in minoris officii administratione positi, personam tuam speciali semper affectione ab ineunte ætate dileximus: nunc autem in apostolicæ sedis regimine, divina disponente clementia, licet indigni, totius cleri & populi Romani voto ac desiderio constituti, tanto magis te caritatis brachiis cupimus amplexari, quanto de consilio & auxilio tuo Romanam ecclesiam plurimum indigere cognoscimus.

EPISTOLA VI. ANACLETI anti-papæ ad episcopum Aquilegiensem.

Gratulatur ei de Aquilegiensis ecclesiæ cura ipsi commissa, magnosque ei promittit honores.

Circa 1130 Ex ms. Casinensi eruit Mabillonius.

QUOD tuæ providentiæ & tutelæ Aquilegiensis ecclesia commissa est, nos multum gaudemus, certi siquidem quod tuo studio & labore, nec in his quæ foris sunt damnum, nec in his quæ intra sunt detrimentum patiatur. Ea propter dilectionem tuam per præsentia scripta monemus, ut ecclesiæ libertati & honori prudentissime, quantum in te est, consulere non differas. Præterea ad B. Petri servitium & nostrum te præcipue invitamus. Inter ceteros enim principes ecclesiæ Romanæ fideles & filios te honorare volumus. Datum Romæ apud S. Petrum.

EPISTOLA VII. ANACLETI anti-papæ ad quemdam episcopum.

Commendat ei Marcuardum presbyterum, cui permisit missam celebrare.

Circa 1130. Ex ms. Casinensi eruit Mabillonius.

VEniens ad nos presbyter Marcualdus de illata sibi & ecclesiæ vestræ injuria, vultu magis quam voce querelam exposuit, & ut ei missam celebrare de nostra auctoritate liceret humiliter deprecatus est. Nos igitur de illato sibi opprobrio condolentes, & Nicæni concilii auctoritatem sequentes, missarum solemnia celebrare fratrum nostrorum episcoporum & cardinalium consilio canonica censura præcepimus. Et quia pro eo vestra rogavit fraternitas, vobis eumdem commendamus in Domino. Datum Romæ apud S. Petrum.

EPISTOLA VIII. ANACLETI anti-papæ ad amicum.

Ut sibi adhærere perseveret.

Circa 1130. Ex ms. Casinensi eruit Mabillonius.

PErantiqua religionis tuæ memoria, & officiosa probitatis tuæ solertia nos faciunt de te valde confidere, ut schismaticorum & oblatrantium vaniloquia non attendas; sed in beati Petri servitio & amore nostro solita fidei constantia perseveres.

EPISTOLA IX. ANACLETI antipapæ ad quemdam episcopum.

Laudat eum quod suum impugnaverit adversarium, suamque ei promittit protectionem.

Circa 1130. Ex ms. Casinensi eruit Mabillonius.

AB ipso nostræ ordinationis primordio fraternitatem tuam comperimus circa A nos devotam existere, & oblatrantium vaniloquas falsitates solerti prudentia confectare. Propter quod tanto nunc liberiores grates rependimus, quanto efficacius in B. servitio & amore nostro persistis, & hostis nostri superbiam viriliter jam impugnare cœpisti, tantaque cupimus deinceps te benevolentia confovere, ut sive pacem sive aliud pro temporis ingruentia faciamus, tuis & ecclesiæ commodis tamquam nostris & Romanæ ecclesiæ profectibus intendamus.

B EPISTOLA X. ANACLETI antipapæ ad quemdam episcopum.

Sacerdotes ab uxoribus juxta canones abstinere debere.

Circa 1130. Ex ms. Casinensi eruit Mabillonius.

SAcerdotali sollicitudini tuæ, venerabilis frater, plurimum congaudemus, quia sicut in litteris, quas beatæ recordationis papæ HONORII prædecessoris nostri per latores præsentium transmisisti, manifesta relatione cognovimus, de populo tibi commisso & sacerdotum ministerio, quam videris vigilantiam curamque gestare. Quæsisti C enim una cum dilectissimo filio nostro duce UBALDO, quid tibi super parrochiæ tuæ presbyteris esset agendum, qui libere uxorum legibus servientes, sanctis volunt altaribus deservire. Atque ut tibi breviter respondisse noscamur, si sacrorum volumus regulis patrum consentire, uxorem simul & sacra in hujusmodi sacerdotibus ministeria esse non possunt. Si enim juxta beati Gregorii institutum nullus est subdiaconus ordinandus, nisi qui se caste vivere canonica assertione promiserit; quanto id amplius est D in Dei sacerdotibus attendendum, qui sacrum Christi corpus proprio ore conficiunt, & ejus sacras carnes fidelium populis propriis manibus partiuntur. Et si laicis juxta præcipuum ecclesiæ magistrum beatum Paulum, ad tempus abstinendum est ab uxore ut vacent orationi, quid putas Christi est sacerdotibus faciendum? quibus juxta divinæ legis oraculum mandatum est esse semper sanctos, & semper pro Dei populo exorare paratos. In Heli mortuo vetus sacerdotium legitur immutatum, & in Samuele divina E transmutatione innovatum. Nos tamen, Domino largiente, ad vos virum providum & honestum legatum pro his & aliis ecclesiæ negotiis decrevimus destinare.

EPISTOLA XI. ANACLETI antipapæ.

Circa 1130. Ex ms. Casinensi eruit Mabillonius.

MAndata cælestia efficacius gerimus, si nostra cum fratribus onera partiamur, & sic dilectio nobis spiritualium aderit filiorum. Proinde omnibus necessitatem

patientibus pro commisso nobis officio benignitatis A nostræ manum large impertiri debemus, ut & ipsi large remedia sperata suscipiant, & nos in eis quod officii nostri est plenius valeamus exequi...

EPISTOLA GUILLELMI episcopi Pictaviensis ad H. abbatem sancti Germani a Pratis.

De causa quæ ipsum inter & monachos sancti Cypriani vertebatur.

Circa 1130. *Ex ms. S. Germani à Pratis.* [a]

B G. Dei gratia Pictavorum episcopus, domno H. (a) venerabili S. Germani abbati æternam salutem.

Notum vobis fieri volumus, quia domini L. regis Francorum litteras accepimus super querela, quam habent adversum vos monachi (b) S. Cypriani de ecclesia Nantriaci, [b] in quibus nos deprecatur, ut eosdem monachos ab ipsa querela desistere faceremus, vel ammonitionem nobis factam in tempus opportunum differremus. Unde dilectioni vestræ mandamus, quod causam istam domi- C ni regis amore usque dominicam diem quadragesimæ qua cantatur *Isti sunt dies* differimus. Vos itaque monemus, ut eo termino placiturus ad nos veniatis.

ALIA EJUSDEM AD EUMDEM.

GUILLELMUS Dei gratia Pictavorum episcopus, reverendo abbati S. Ger- D mani de Prato salutem.

Pluribus impeditus negotiis præsenti die dominica placito vestro minime possumus interesse. Ea propter vobis mando ut usque ad proximam diem Martis propter hoc placitum nos expectetis. Quod si nolueritis, coram clericis nostris placitum illud teneatis.

EPISTOLA GREGORII filii Gregorii Romanorum consulis ad Petrum diaconum Casinensem monachum nepotem suum.

E *Ejecto e Casino offert monasterium quod est in Villano situm.*

Anno 1131. *Ex Casinensi codice eruit Mabillonius.* [c]

GREGORIUS Gregorii Romanorum consulis filius, Petro nepoti suo salutem.

Tuas accepimus litteras, quo te ejectum a Casino (c) narrabas : gaudio lætatus sum non modico. Nam pater meus me fratremque meum Ptolomeum derelinquens, comitibus mendicis adhæsit, unde ipse egens pene & inops effectus, ut tu de Casino ejectus es. Quapropter suadeo patri tuo, ut ad nos revertatur. Tibi autem monasterium meum quod in Villano situm est tradam.

DIPLOMA LOTHARII II. imperatoris pro Leodiensi S. Johannis ecclesia collegiata.

Judicio principum suæ curiæ restituit ei & confirmat teloneum Visati.

Anno 1131. *Ex schedis cl. v. baronis de Crassier.* [d]

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, LOTHARIUS tertius (d) divina favente clementia Romanorum rex. Notum sit tam futuris quam præsentibus, quod ecclesia beati Johannis quæ est in Insula Leodii, anniversarium teloneum de foro Visati, per regiam traditionem OTTONIS videlicet imperatoris augusti felicis memoriæ, usque ad nostra tempora sine omni calumnia totum & ad integrum tenuerat : cujus traditionis privilegium signo prædicti imperatoris munitum coram me, cum Leodii tunc essem, & coram regni principibus archiepiscopis & episcopis quam pluribus, ceterisque primatibus publice est recitatum. Sed erat super quo gravem satis apud nos ejusdem sancti Johannis ecclesiæ fratres querelam deponerent : aiebant enim nondum tunc transacto anno, Hoienses judicio tantum scabinorum Leodiensium jurasse, de pellibus silvestrium animalium se nullum in foro isto debere teloneum : sicque & istorum gravatos præjudicio, & illorum se affectos querebantur spolio. Hanc querelam satis clementer, ut dignum erat, suscipientes, tam præsumtivam audaciam referire dignum duximus, & regni primates qui in præsentiarum aderant, & privilegium jam dicti imperatoris super hac traditione nobiscum audierant, ut secundum testimonium privilegii & tam diuturnam ecclesiæ possessionem super hac re judicium mihi darent, commonuimus. Communicato illi inter se consilio, scabinorum illorum abjudicaverunt judicium, addentes per hujusmodi regiæ traditionis tam indignum quam injustum posse infirmari privilegium. Nos autem regiæ potestatis utentes censura, prædictis fratribus jam dicti mercati teloneum judicio primatum nostroque edicto & banno totum restituimus, & ad integrum quicquid videlicet ex coemtione animalium vel ex omni genere tam vestium quam ferri & metallorum, vel ex reditu navium vel ex omnium commercio vectigalium, vel

(a) Hugoni hujus nominis III. qui ex monacho sancti Dionysii factus abbas, ab anno 1116. ad 1145. præfuisse dicitur & ecclesiæ suæ libertatem restituisse.

(b) Sancti Cypriani monasterium haud ignobile ordinis S. Benedicti in suburbio urbis Pictavensis hactenus perstat sub congregatione S. Mauri.

(c) Hinc colliges hanc epistolam scriptam fuisse anno 1131. quo sponte cedente Oderisio abbate, Petrus, æmulorum invidia faciente, in exilium pulsus est.

(d) Nota quod cum imperatoris titulum sumit, secundus tantum nominatur ; cum vero regis, tertius appellatur, ut in quampluribus cartis animadvertimus. Idem observandum de Henricis tertio & quarto.

ex jure forali, vel ex districto judiciali possit provenire, privilegio quod recitatum fuerat sic attestante. Et ut hæc ecclesiasticæ possessionis per nos facta reformatio per curricula annorum inviolabilem atque inconvulsam obtineat firmitatem, manu propria subterfirmavimus, & sigilli nostri impressione signari jussimus. Nomina autem eorum qui interfuerunt & judicaverunt subnotari fecimus.

ALBERTUS Moguntinus archiepiscopus fere cum omnibus suis comprovincialibus.
FREDERICUS Coloniensis cum suis.
NORBERTUS Madeburgensis cum suis.
CUNRADUS Salzeburgensis cum suis.
ALEXANDER Leodiensis episcopus.
Dux Lotharingiæ WALERANNUS.
Dux Alsatiæ SIMON.
Comes WITHIKINUS.
Comes Namucensis GODEFRIDUS.
REINALDUS de Monceon.
ARNULFUS DE LOS.
GOZUINUS DE FALCONMONT.
WILLELMUS advocatus ipsius villæ Visati.

Actum est Leodii, anno incarnati Domini MCXXXI. indict. VIIII. feliciter.

RAYMUNDI COMITIS Barchinonensis & Provinciæ votum, quo se consecrat militiæ Templi in manu Hugonis Rigaldi.

Anno 1131. Ex ms. Colbertino.

IN Dei nomine æterni regis, ego RAIMUNDUS BERENGARII Dei dispositione hactenus Barchinonensis & Provinciæ comes & marchio offero meipsum omnipotenti Deo Redemtori nostro, & S. Mariæ Templi Salomonis, & trado me ipsis fratribus ibidem ad defensionem christianitatis militantibus, & in manu domini HUGONIS RIGALDI confratris societatis eorum. Ego quippe trado meipsum ad illos, ut de cetero sub obedientia eorum sine proprio militem Deo, ubicumque ipsi advenerint, quamdiu mihi erit vita comes. Dono etiam & trado ipsis fratribus militiæ, cum assensu & affirmatione RAIMUNDI filii mei, & cum laudamento baronum meorum, in manu ejusdem HUGONIS, quoddam munitissimum castrum nomine Granena, in mea Marcha contra Sarracenos, cum militibus qui ipsum castrum per me habent, & cum populo inibi habitante ineunt, fidelitatibus & sacramentis quæ ibi fuere, debent ipsi milites & ceteri homines, & cum omnibus ad eumdem castrum pertinentibus, cum terminis & possessionibus suis, & totam dominationem, & servitiis & usaticis suis, sicut melius ista ibi habet, & habere debet, & libere & sine diminutione & sine blandimento ullius hominis, & præfatos confratres & successores eorum habeant hæc omnia cum augmentationibus quas ibi Deus dederit, & disponam in perpetuum ad defensionem christianitatis, secundum institutiones ordinis militiæ suæ. Hæc quippe omnia facio, ut misericors Deus, qui cum dives esset, in omnibus pro me pauper factus est, peccata & offensiones meas dimittat, & me pro ipso pauperem factum divitias gloriæ suæ intromittere dignetur. Confratres autem mei, si me interim mori contingeret, satagant pro me facere & apud Deum & apud homines quod pro singulis fratribus suis faciunt. * Hoc itaque voti mei oblationem, si qua in crastinum cujuscumque dignitatis auctoritate mediocritatis persona violare tentaverit, nec cito se correxerit, deleatur nomen ejus de libro vitæ, & cum Anania & Saphira fraudatoribus voti sui damnationem incurrat. Actum est hoc II. idus Julii anno dominicæ Incarnationis centesimo trigesimo (a) post millesimum. Sig†num RAIMUNDI comes, Sig†num C. Castri-veteuli, Sig†num AIMERICI Narbonensis, Signum comes * RAYMUNDI dapiferi. Sig†num B. de Bello-loco, Sig†num F. P. Bern. fratris societatis Templi Salomonis.

* Hanc.

[a]

* l. Guilelmi Raimundi.

G. QUONDAM EPISCOPI Arausicani epistola ad B. archiepiscopum Arelatensem.

Significat ei se episcopatum abdicasse, ut privatam ageret vitam.

Circa 1131. Ex archivis S. Victoris eruit D. Furnerius. [b]

DUlcissimo Domino suo & amantissimo patri (b) B. Arelatensi archiepiscopo, sanctæ & apostolicæ sedis legato G. peccator teterrimus, habitu monachus, gustare quam suavis sit Dominus.

Beatitudinis vestræ litteræ, quæ per præsentium latores parvitati nostræ oblatæ sunt, honorifica nos contumelia affecerunt. Secretum enim locum apud vos quo me flagellis cederem, vel cilicia quibus carnem domarem, & cetera talia invenire non posse intonuisti; ad quæ pro competenti respondere non est nostri ordinis nec officii. Sane ut coram Deo & vobis fatear, hæc mihi ab initio conversionis meæ voluntas fuit, ut pompis pereuntis mundi abrenuntians, vitam meam in eremo quiete finirem: domini vero & prædecessoris mei benignæ recordationis B. episcopi tunc dehortatus precibus, licentia accepta, cum possem in Arausicensi ecclesia cum confratribus nostris sub

(a) Appositus est in margine annus 1131. qui certe videtur magis convenire cum testamento ejusdem comitis, quod paucis ante diebus conditum est *Leovici regis* Francorum *anno* XXIII.

(b) Hujus epistolæ auctorem & eum ad quem scripta est ex primis dumtaxat nominis elementis agnoscimus, illum fuisse Gerardum Berengarii successorem nulli dubium esse debet. Hunc vero ad quem scripsit esse Bernardum Arelatensem archipræsulem & apostolicæ sedis legatum non minus certum videtur.

[a] regula B. patris (a) Augustini & ordine militare, studui ad destinatum, sicut quidam nostrum noverunt, sæpe ascendere cupiens. Ipso autem ad Dominum evocato, contra voluntatem & propositum meum ab eisdem fratribus in episcopum electus, eorum, Deus scit, potius compassione, quam illius dignitatis flexus ambitione, pontificale onus corpore hactenus non mente gestavi, mecum tacite semper pertractans & opportunitatem quærens liberari qualiter possem. Modo itaque per illius gratiam, qui omnes homines vult ad agnitionem veritatis venire, condescensione sancti patris nostri [b] papæ (b) I. importabile mihi pondus exposui, & annulo sibi reddito, vere ad consortes [c] filiorum Dei ejus consilio accessi. (c) magnitudinis itaque vestræ clementiam gemens imploro, quatenus ecclesiæ vestræ providere, & personam quæ populo Dei præesse valeat & prodesse, quoniam perrarum nimis est, clericorum præeunte consilio, & electionem ordinare studeatis.... alia manu: *humiliabam in jejunio animam meam, & factum est in opprobrium mihi, & posui vestimentum meum cilicium, & factus sum illis in parabolam. Adversum me loquebantur qui sedebant in porta, & in me psallebant qui bibebant vinum. Ego vero oratio mea ad te Domine, & quoniam genua mea infirmata sunt a jejunio, & caro mea immutata est propter oleum, opprobrium factus sum illis.* Audierunt de me, & moverunt capita sua, & ideo *adjuva me, Domine Deus meus, salvum me fac propter misericordiam tuam, & sciant quoniam manus tua hac: tu Domine, fecisti eam. Maledicant illi, sed tu benedices.* Sanctitatem vestram ecclesiæ suæ sanctæ diu conservet incolumem omnipotens & misericors Dominus, nostri semper memor. Amen.

CARTA REVERENDISSIMI Alexandri Leodicensis episcopi, quomodo comes GODEFRIDUS Namurci confessus est se nullam de jure habere exactionem vel respectionem seu advocationem in fundis S. Gerardi.

Anno 1131 Ex ms. Cruciferorum Leodiensium.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Amen. (d) Omnibus sanctæ matris ecclesiæ filiis & benevolis pax perennis. Amen.

[d] Accenso in terris super candelabrum caritatis igniculo, multi renunciarunt & suis & sæculo, quorum de numero Deus sanctissimi & venerabilis patris nostri GERARDI nobis argumento multiplici declaravit gratiam. Cujus ego ALEXANDER Dei gratia Leodiensis episcopus licet indignus, divina revelatione & præceptis salutaribus monitus, necnon & mandatis domini papæ INNOCENTII, qui & GREGORIUS fuit, delegatus hac die recolo sacrosancti (e) corporis [e] attolentiam. Notum sit igitur omnibus tam futuris quam præsentibus, quod cum super hoc affuissemus Bronii, plures ibi nobiliores affuerunt, inter quos maxime (f) GODEFRIDUS Namurci comes illustris, ad [f] honorem Dei sanctique sui militis GERARDI festinus accessit, catervatimque affinibus & remotis plebibus, nobisque tantæ solemnitati reverenter, ut decebat, assistentibus, rite celebratis omnibus, venerabilis GODEFRIDUS memoratus comes, devotione ductus & monitu divinitus, in mea præsentia & assistentium sancto Dei confessori Gerardo suisque cultoribus hanc professus est devotus venerationis expositionem, & pro se suisque posteris, ne ultra transgrederentur fide-jussoriam, & sacramenti dignioris obligavit cautionem. Cognovit igitur & professus est liberam & absolutam fundi & fundatoris possessionem, in qua nullam de jure habet vel umquam habuit exactionem, nulliusque hominii de tenore sive prædio aut rei familiaris respectionem, nec in abbatia jam fata de fundo aliquam affectat advocationem, sed ex mandato regali, si vocatus fuerit ab abbate, pro solo suæ interventionis ad Deum commercio sibi debere defensionem. Præterea fugitivum ecclesiæ servum aut ancillam contumacem & contradicentem nulla libertate Villæ-comitis poterit retinere, sed captivo suo fugienti ad ecclesiam regressum prosperum & quietem debet indulgere, ab ecclesia sibique pertinentibus nihil debet violenter extorquere, nec aliquam exactionem exigere, nec in placito aut in judicio villarum & locorum ecclesiæ, qualecumque sit commissum debet residere. Quod si vocatus fuerit ab abbate, nullam sui consilii sive defensoriæ potestatis retributionem debet habere. De servis nihilominus & ancillis ecclesiæ commorantibus a remotis in hominium & feodum quempiam non poterit investire, nec a sua manu & defensione quam debet eis ex mandato imperatoris in secundam manum possunt transire, sed servos & ancillas & bona

(a) Hinc colliges canonicos regulares tunc in Arausicana, ut in plerisque aliis cathedralibus ecclesiis fuisse.

(b) Innocentii II.

(c) Cum hæc epistola in Massiliensis S. Victoris monasterii archivis reperiatur, conjicio Gerardum, abjecta pontificali dignitate, illuc convolasse, ubi tunc vigor disciplinæ & regulæ observatio vigebant.

(d) Hujus diplomatis quædam fragmenta edidit Fisenius libro decimo Historiæ Leodiensis e tabulario Broniensi, nos integrum hic damus.

(e) Igitur hac die facta est corporis S. Gerardi solemnis e terra elevatio, idque de mandato summi pontificis, hoc est ipsius canonizatio, quæ olim fiebat per corporis e tumulo elevationem. Concinit Molanus in suo Agiologio, ubi sanctum abbatem anno 1131. elevatum e terra fuisse docet.

(f) Godefridus hic comes Namurcensis piissimus Floreffiensem abbatiam ordinis Præmonstratensis etiam fundavit, in qua tandem, abdicato sæculo, factus est frater conversus. Jacet ibidem ante altare una cum filio suo Henrico comite item Namurcensi.

ecclesiæ in statu digniori debet pacifice A custodire.

Decretum est etiam a nobis & a comite, quatenus omnis servus & ancilla capitagiarii per annum & diem Bronium & S. Laurentium commorantes, ab anteriore domini sui exactione & mortimanu, sicut ceteri ejusdem comitis burgenses in Namurco penitus absolvantur, & tam in matrimoniis, quam in quibuslibet occasionibus, nonnisi ab abbate Broniensi amplius coërceantur. Verumetiam si quis in potestate abbatis alicui debitum debere sub testibus, majori B & scabinis publice cognoverit, & persolvere rennuit, abbas debitoris in domo vel ubicumque de suis catallis invenerit, pignus accipere poterit, & creditori deliberare: quod si debitor adeo contumax invaluerit, quod pignus suum violenter retinuerit, aut surripuerit. Si comes ab abbate vocatus fuerit, debet cohibere rebellionem.

Annectit & annuit idem comes in nemore suo Malingniæ, extra nemus quod est ecclesiæ & sanctissimi patris Gerardi extitit, super rivum de Laudonia, quinque focos C quotidie sine aliqua exactione & tributaria emptione, & singulis annis tres fagos in eodem nemore quas elegerint inhabitantes ecclesiam ad suos usus reparandos; homines de ditione ecclesiæ comes in expeditionem & stationem suam sive girationem, sine abbatis licentia nullo modo poterit exercere, & quot & quos voluerit, si sibi placuerit, ab hujusmodi poterit abbas removere & retinere.

Placuit insuper & visum est comiti memorato in præsentia nostra ecclesiæ Broniensi hanc indulgentiam & auctoritatem D liberius erogare, ut servos & ancillas comitis, eodem inconsulto, ad conversionem cum sua facultate, tam ad vitam quam ad mortem possit suscipere, necnon & feodatos comitis & nobiles quoslibet, & etiam de familia & familiari licet in ecclesia cum feodis suis Deo militare. Item quod duæ partes ad obsequium comitis cedunt; aut si minime convertuntur, licet eis similiter ibidem & allodia integra quælibet Deo in eleemosynam resignare.

Venatores suos, seu canes eorum, ancipitres suos, & quoslibet officiales, clientes, E forestarios, ab impetratione messis, pannum gallinarum & quarumlibet exactionum, quas numquam in antea Bronium solvit, & S. Laurentius, placuit ei omnimode excludere, & ab exigentia tributi venditionis & emptionis ab omni terra sua plenius absolvere infra tenorem ecclesiæ, in villis, agris, silvis, pascuis, pratis, aquis, aquarumve decursibus, non turres, non propugnacula, domos defensorias, aut alterius compositionis, vites, stagna, molendina, & cetera quælibet quæ possunt fabrefieri & excogitari absque concessione & respectu ecclesiæ sibi non vindicabit, nec in villis ecclesiæ violenter aliquando se locabit, nec in ecclesia, nec in rebus ecclesiæ sibi aliquid usurpabit, cum nihil in his de jure habeat sine concessione & assensu ecclesiæ, sed pro solo & reverendo imperatoris imperio & orationum ecclesiæ privilegio defensor & coadjutor stabit.

Nos vero non sine ipsius comitis consilio dignum duximus ecclesiæ libertatem, & sui tenoris potestatem subnotare, in qua nullus sibi participium vindicabit, & tam nostro quam comitis sigillo, ne aliqua deinceps adversi suscitetur calumnia, confirmare.

Hæc sunt igitur quæ legitime & integerrime possidet ecclesia, in quibus abbas ejusdem & executores sui omnia jura sua judiciariasque potestates in villa Broniensi, & in sancto Laurentio, & in parte quam habet in Libinas, in Laniis, in Montinis, in Sen deserta, in Soseys, in *Vvasin*, in *Merinderech*, in parte quam habet in *Hermenton*, in *Bohordes*, in *Bohoreles*, in Mansionile, in Halleias, in Romereias, in Mansisia libere & potestative exerceant.

In his locis & vicis præscriptis possidet ecclesia bannum & justitiam, impetum & burinam, ictus & sanguinem, rupturam & pirgum regium, fora, telonea, vicecomitatum, præter in Sen deserta, qui tenetur ab abbate dumtaxat in eadem villa in feodo, nagaria, rectum & non rectum, vectigalia & quicquid pertinet ad judicatum, integritatem reipublicæ, & incolumitatem, campestria & silvestria sua, si vellet incidere, vendere, in villas statuere, aut in agriculturam, pasnagia, & quascumque proventiones contractas a nemoribus accipere sine comparticipio advocationis licebit, & mortimanus suas & ob matrimonia infra terminos suos integra & extra terminos, & cambas bannales & molendina suis mansionariis bannalia, foragia, & ceteras quascumque proventiones, quæ possunt obvenire in exactione, & jure sæculari tam libere possidet, sicut fundator ipsius loci nobili prosapia exortus beatus GERARDUS, cujus corpus hodie in mausoleum recondimus, ante conversionem suam possederat, a solo Deo & prædecessoribus; nec sit qui præsumat injicere manus in servos & ancillas, & facultates ecclesiæ, vel in homines cohabitantes in omni ipsius possessione; vicecomitatum & ceteras obsecutrices dignitates abbas cum voluerit, erogare poterit, nec est de omnibus mansionariis ecclesiæ qui possit refutare.

Ad memoriam hujus observationis & majorem posterorum comitis circa ecclesias & homines ejusdem diligentiam, tenet comes advocationem de Romereis & de unoquoque quartario terræ, quæ extra manum ec-

clesiæ tenetur a mansionariis incolis, in A Bronio, & in S. Laurentio, in *Maysons*, in Libinas, in Laniis, in Montignio, in *Vvaslin*, in Soseiis, in *Merenderech*, in *Hermenton*, dozinum unum avenæ.

Si quis autem hujus stationis contemtor exstiterit, ab abbate primum coërceatur; quæ si neglexerit, a comite juri pariturus in abbatis curiam adducatur, & de banno & lege judicata per scabinos tertia pars comiti concedatur. Etiam lex & judicium omnibus ad querimoniam abbatis adductis per comitem reservatur. Licet igitur soli ecclesiæ tractare pacifice de omnibus prædictis negotiis absque calumnia alicujus sævi ty- B ranni.

Nec sit qui contradicat huic nostræ celebri consultationi, alioquin si quis posterorum huic obviaverit nostræ liberæ confirmationi, & vim intulerit liberæ traditioni, in extremo examine, cum Christus judex assederit, incurrat sententiam perpetuæ damnationis, nisi revertatur ad exhibitionem condignæ satisfactionis.

Considerata denique comitis devotione, & sancita traditione, quod nostrum est bonis assentire, & operari bonum ad omnes, maxime autem ad domesticum Dei, decre- C vimus libertatem ecclesiæ sub nostro munimine suscitare.

Contra cujus authenticum sit ei a nobis in solemni processione sua contumaces & invasores quoscumque, tam nobiles quam ignobiles, suæ rei familiaris & publicæ anathemati plenius innodare, & maledictos, si pœniteant, nostra freti auctoritate in perpetuum Christo & sibi reconciliare.

Præterea facultates ecclesiæ, homines & pecora, nemora & cetera hujusmodi sub nostra protectione & tuitione, quasi nostra propria & S. Lamberti suscipimus obser- D vanda.

Insuper ubicumque facultates ecclesiæ minus rationabiliter moleste detinentur, absque alterius successoris nostri requisitione, liceat locum ei interdicere, & post restitutionem invasoris similiter debannire; & quempiam excommunicatum non in suo & proprio capite simili modo, & cujuspiam advocationis homines de casa Dei cum sua substantia & portione integra ad conversionem suscipere & inhumare; pro com- E misso comitis ad generale interdictum ecclesiam Broniensem non censemus cessare, utpote quæ ad comitem tenetur nihilominus spectare.

Ut hæc igitur quæ prælibavimus, authentica vigeant & valeant in æternum, tam nostra quam comitis GODEFRIDI Namurcensis impressione sigilli fecimus confirmari & chartam incarnationis dominicæ compoto cum subscriptione nobilium virorum clericorum & laicorum, qui rei celebratæ testes affuerunt, approbari.

Johannes archidiaconus & S. Crucis præpositus.

Dodo archidiaconus & S. Bartholomæi præpositus.

Hermannus archidiaconus & Nivellensis præpositus.

ARNULFUS comes Lossensis.

Ebalus de Florinis.

Galterus de Bair.

De familia S. Lamberti.

Theodericus de Ponte.

Widericus de Prato.

Lambertus & Arnulfus de Huyo.

Albericus de *Vileir*, & alii multi.

Comitis ex parte.

HENRICUS filius ejus cognovit & probavit.

Ingobrandus de *Ham* & Ingobrandus filius ejus.

Rigoldus de *Vvanghe*.

Adelo de *Namur*.

Theodericus *de Fen*, & Theodericus & Galterus filii ejus.

Libertus de *Bossiere*.

Manasses adolescens *de Hirge*, & alii quamplures.

Actum Bronii feliciter, anno dominicæ Incarnationis millesimo centesimo trigesimo primo, indictione nona, concurrente III. epacta XX. imperante Lothario, anno regni ejus sexto, episcopatus nostri III. Duret in sæculorum sæcula. Amen.

EPISTOLA JOHANNIS monachi ad Adalberonem Trevirensem archiepiscopum.

De tribus missis in nativitate Domini celebrandis, deque festis infra ipsius octavam recolendis.

ARchiepiscopo Trevirorum & apostolicæ sedis legato (a) ADALBERONI, JOHANNES æternam salutem & gloriam. *Circa 1132. Ex ms. Epternacensi.* [a]

Quoniam ante hos annos edidi ad quosdam amicos libellum de missali officio Dominici adventus, non est cordi repetere ea quæ dixi; ea potius explanabo quæ ab inde sequuntur, & quæ necdum tetigi. Primum scilicet de missali officio Dominicæ nativitatis. Ubi primum quæstio agitur, cur in ipsa die tria officia missarum celebrentur, una scilicet missa in galli cantu, altera in summo diluculo, tertia jam plena die. Cur enim tunc fit, quod per totum annum nusquam agitur, ut ecclesia duas generaliter missas

(a) Trevirenses archiepiscopi Adalberonis nomine extitere duo; unus, qui anno 1005. sedem Trevirensem invasit, alter anno 1132. ex primicerio Metensi assumtus, vir pius, Himerodensis monasterii fundator, ad quem potius quam ad primum scriptam fuisse epistolam hanc existimamus.

in nocte una solemniset, quod numquam in alia nocte consuevit. Sunt qui ita solvunt, quod istæ tres missæ tria tempora significent, unum ante legem & gratiam, & ideo totum in tenebris; secundum sub lege, quæ obscura per ænigmata, demum in lucem gratiæ finivit, unde & in tenebris jam tamen inclinatis inchoatur, sed in luce jam aspirante finitur; tertium vero in plenitudine diei, quod nunc præsens tempus est splendentis gratiæ. Sed hac eadem ratione & eodem ordine tres missæ similiter debuerant celebrari in Pascha maxime, quæ est solemnitas solemnitatum, vel in omni festo Domini, vel etiam singulis diebus. Alia alii dicunt, & unusquisque in suo sensu habundat. At nos salvo sensu omnium aliorum, dicimus omne officium trium missarum agere de ipsa Domini nativitate. Et quod duæ missæ in nocte peraguntur, significari duas nativitates JESU CHRISTI, unam sempiternam de Patre, aliam temporalem de matre, utramque nobis incomprehensibilem, & oculos nostræ infirmitatis quasi sub quibusdam tenebris latentem. Nam si ad divinam generationem de Patre respiciamus, quis posset ad plenum sentire vel exprimere quid sit Filium hominis de patre Deo gigni, ut ait propheta: *generationem ejus quis enarrabit*? ut subintelligas, nullus. Dicit enim B. Ambrosius, quod hæc nativitas super scientiam sit angelorum & archangelorum, principatuum & dominationum, & omnium cælestium virtutum, & eorum qui inhabitant in domos luteas & terrenum habent fundamentum. Merito igitur prima missa hanc nativitatem Christi plenam intuens, tota agitur in tenebris, quia cum supernis spiritibus omnia scientibus incomprehensibilis sit, maxime nos terrenis tenebris involutos per omnia pene latet, nisi quantum luminaria scripturarum in medio radiantia cum oculis nostris revelant, quæ luminaria a toto ipsius missæ officio procedentia, nostris cordibus insplendent, ut sempiterna Verbi Dei nativitas sicut ipso noctis tempore, ut diximus, innuitur, ita & testimoniis ipsius missæ officialibus declaretur. Nam ut breviter singula ventilemus, introitus qui est *Dominus dixit ad me Filius meus es tu, ego genui te*, nonne luce manifestius modum tantæ generationis ex ore ipsius nati de Patre Filii protestatur? Quid enim dicit aliud *Dominus dixit ad me*, nisi, Deus Pater me Verbum bonum eructavit de suo corde? Et quid aliud *Filius meus es tu*, quam *in principio erat Verbum*; Deus Filius apud Deum Patrem de ipso Patre genitus. *Ego hodie genui te*, quid sibi vult, nisi quod illa generatio inenarrabilis, nec principium, nec finem habet, & semper perfectissima est. Nam *hodie* quod est præsentis temporis, declarat in illa summa generatione nihil præteritum aut futurum esse, cui omne suum semper in præsentiarum adest. Et *genui* quod est perfecti temporis insinuat illam semper esse sui plenissimam, cujus perfectioni in omnibus integerrimæ nihil majus aut minus umquam possit accidere semper idem permanenti. Graduale quoque quod est, *Tecum principium, in die virtutis*, &c. vox est Patris ad eumdem Filium de ipsa sui generatione testantis, quod Filius sit semper consempiternus sibi Patri pari virtute divinitatis, & ad perfectum æternæ beatitudinis omnium sanctorum processerit, genitus ex substantia Patris, ante omnem angelorum seu mundi creaturam. *Alleluia, Dominus dixit* unde in introitu diximus. Evangelium quamvis humanati Verbi generationem contexat, tamen uno verbo, & divinam maxime complectitur, dum dicit de beata Virgine: *Et peperit filium suum primogenitum*. Bene primogenitum, ut prudens lector intelligat, quia quem Virgo peperit, jam primogenitus a Patre. Offertorium & versus ejus, omnibus esse lætandum & cantandum prædicant, quia Dominus in mundum venerit, qui est annunciandus dies de die, id est Filius de Patre, & salutare Dei Patris. Communio est *In splendoribus*, sed superius expositum est. Ita hæc missa primam Christi nativitatem & ipso tempore, & ipsius sui officii omnibus membris denuntiat. Missam secundam & diei require in Ammalario. Nunc ad officium missale trium subsequentium dierum articulum divertamus. Nam ibi quoque quæstio est, quæ expositione indiget, cur scilicet natalitia S. Stephani protomartyris, itemque sancti Johannis evangelistæ, & demum sanctorum Innocentium in suis singulis diebus præferantur natalitiis Christi Salvatoris, cum per quatuor dies natalitiis dominicis nulla servorum natalitia, cujuslibet dignitatis sint, debeant præferri. Verbi gratia si infra Paschæ & Pentecostes quatuor primos dies occurrat natale alicujus sancti, cujuscumque meriti sit, intermittitur, aut in alium diem transfertur, & celebritas Domini in omnibus præfertur. Eadem lege natalitia istorum sanctorum non præferri, sed supponi Dominico natali debuerant, nisi certa ratio mysterii in eis lateret. Præterea assumtio sancti Johannis apud Ephesum, ubi jacet, VII. calendas (a) Julii celebratur, & facta traditur. Protomartyr est quoque Stephanus, & sanctos Innocentes in ipsis diebus fuisse passos nulla certitudine historiarum probatur. Sed ut proposita quæstio solvatur, dicimus mysterium inesse in his solemnita-

(a) In pervetusto calendario Epternacensi ante annos mille exarato consignatur VIII. cal. Julii. *Receptio S. Johannis apostoli ad Ephesum*. Similiter in veteri martyrologio sancti Hieronymi Spicilegii tomo 4. VIII. cal. Julii. *In Epheso S. Johannis apostoli & evangelista*. Et in veteri Gellonensi: *Festum dormitionis S. Johannis apostoli*.

tum ordinibus. Est autem hoc mysterium, A quod in Christi nativitate nobis datum est, ut Christus & ecclesia in Christo renata sint unum corpus & unus spiritus,& sint duo in carne una. Ecclesia igitur Christo incarnato est renata & concorporata, celebrat pariter nativitatem Christi propter se factam, & suam in Christo, id est capitis & membrorum suorum. Primo die celebratur natale Christi, qui est caput ecclesiæ, cujus tres ordines sunt, martyrum unus, alter doctorum, tertius omnium fidelium & subjectarum plebium. Sed ne aliqua fieret ex innumera multitudine indiscreta confusio, ideo B innumeri martyres honorantur omnes sub celebrato nomine unius protomartyris Stephani, qui primus calicem passionis, quam Salvator Christus pro omnibus gustaverat, reddidit eidem Salvatori, & cujus exemplum sequuntur omnes alii. Similiter innumerabilis ordo omnium doctorum glorificatur sub nomine unius dilecti Christo Johannis, qui apostolus evangelista primus & præcipuus doctor est ecclesiarum. Innumera quoque multitudo omnium subjectorum fidelium commemorantur sub nomine Infantium & lactentium, qui sua innocentia jam C præimaginabant simplicem fidem justorum. Quia igitur sancta Dei ecclesia, sicut jam in Adam portaverat imaginem terreni; ita & nunc in Christo portat imaginem cælestis; & quæ in primo Adam, qui erat de terra terrenus, sordebat terrena, nunc in secundo Adam qui de cælo cælestis venit, cælestis facta est; merito in natali capitis sui felicia cælestia omnium membrorum suorum natalitia concelebrat, ut totius ecclesiastici corporis nativitas ad æternam vitam simul solemnizetur. Nam etiam hanc hujusmodi nativitatem totius ecclesiastici corporis divina lex Moysi sub figura innuit, quæ omnia D ecclesiæ sacramenta continens, dum trium solemnitatum, quæ præcipuæ in anno celebrantur, id est Paschæ, Pentecostes atque Tabernaculorum ritus & ceremonias per singula describeret, demum festi Tabernaculorum cultum tradens, ita inter cætera ait: *Assumetisque vobis die primo fructum arboris pulcherrimæ, spatulasque palmarum, & ramos ligni densarum frondium, & salices de torrente, & lætabimini coram Domino.* Luce quidem manifestius est, quod illud in lege Pascha & Pentecosten jam prætendebant sub E figura nostrum Pascha & Pentecosten in evangelii gratia. Solemnitas quoque Tabernaculorum præimaginabant natale Christi, quando in sole posuit tabernaculum suum, dum visibilis mundo apparuit sub tegmine carnis, & nos omnes in se credentes sub ipsis incarnationis sive tentoriis per fidem introductos ab insidiis spiritualis nequitiæ semper protexit ac protegit. Unde & in ipsa lege ita ammonet dicens: *Discant posteri vestri, quod in tabernaculis habitaverunt filii Israël*, ut omnes fideles pro certo teneant, quod sub fide incarnati Verbi, cui per aquam renati concorporamur, protegimur a facie maligni hostis, qui circuit quærens quem devoret. Ad hæc igitur tabernacula construenda, primo die sumitur fructus arboris pulcherrimæ, id est primo die celebratur Incarnatio Christi, qui carne & sanguine suo, qui sunt fructus vitæ nostræ, nos pascit. Ipse enim est arbor nostræ salutis, quæ in primo psalmo & in apocalypsi describitur super fluenta aquarum. Post assumtionem arboris pulcherrimæ assumuntur ad constructionem tabernaculorum & spatulæ palmarum, hoc est post celebrationem nati Salvatoris ad consummationem ecclesiasticorum ordinum celebrantur & coronæ victoriosorum martyrum, quod innuitur in commemoratione protomartyris ipsorum. Deinde assumuntur rami ligni densarum frondium, id est doctores qui de ipso Christo, qui est lignum vitæ cum multiplici doctrina veritatis, quasi rami cum densis frondibus progrediuntur, quod imaginatur in solemnio beati Johannis summi doctoris. Sequuntur salices de torrente, quæ quamvis infructuosæ sint, frondent tamen & virent, quæ sunt vulgares plebiculæ, quæ licet in mundo positæ, vix ullum justitiæ fructum ferant, tamen vivunt & salvantur in fide, quæ designatur in celebritate Innocentum, qui nec loqui nec cooperari adhuc noverant. His finitis rationem dominicæ diei, quæ infra dies dominici natalis occurrit, breviter in calce scripti attingamus, ut de missali officio hujus festi nihil prætermittamus. Hæc missa incerto die occurrit & agitur, & significat fidem synagogæ in fine, incertum est quando, in Christum credituræ, ut cum reliquo corpore ecclesiæ & futura assumtio Synagogæ jam celebratur in Christi natale. Introitus *Dum medium silentium*, vox est ipsius Synagogæ testantis quod cæcata sit infidelitate quando Christus natus est. Graduale *Speciosus forma* & *Eructavit* vox Patris est, quasi ipsis Judæis testantis, quod Christus Deus & Filius ejus est, quod illi modo non credunt. Evangelium & communio sumta de evangelio dum puerum JESUM narrant de Ægypto relatum, Judæam innuunt fidem Christi in fine mundi ab ipsis gentibus fore ad Judæos reversuram extincta infidelitate eorum.

CARTA OLDEGARII
Tarraconensis episcopi, per quam dat pauperibus lectos & pannos clericorum defunctorum.

Anno 1132. Ex ms. Colbertino. [a]

NOtitiæ fidelium pateat, quod ego OLDEGARIUS (a) Dei gratiâ Tarraconensis archiepiscopus & Barchinonensis episcopus cum omni conventu ejusdem sedis, dono Deo & ospitali pauperum, quod est juxtà sedem, omnes lectos cum pannis clericorum mortuorum, quicumque sint; exceptis sericis pannis, qui ibi fuerint, tali modo, ut deinceps nec ego, nec aliqua persona, hoc ullo modo requirere audeat. Si quis hoc nostræ munificentiæ donum disrumpere tentaverit, tamquam necator pauperum excommunicetur. Actum est hoc VI. cal. Aprilis anno XXV. regis LUDOVICI.

EPISTOLA L. IMPERATORIS
ad Arelatensem archiepiscopum.

Mandat ut sibi cum militia apud Placentiam occurrat.

Anno 1132. Ex archivis S. Victoris Massiliensis eruit D. Furnerius.

L. Dei gratia Romanorum imperator augustus, Arelatensi archiepiscopo gratiam suam & omne bonum.

Sæpenumero scripsimus vobis, requirentes fidelitatis & subjectionis tuæ debitum, quod quia non mancipatur effectui, vis quantum in te est, potestatem imperii nostri in partibus tuis satis indiscrete contemnere: quod quantum divinis & humanis legibus contrarium sit, si rectè adverteris, ipse nosti. Nos itaque Dei annuente clementia, & principii nostri suppeditante industria..... Romani imperii, quæ apud vos tam adtenuata est & oblivioni proxima, prout oportet, reparare curabimus, àdeo ut fideles nostros debitis honeremus beneficiis, & eos qui rebellare conantur juribus nostris affligamus. Ea propter tibi tàmquam fideli & principi nostro mandando præcipimus, quatenus in festo sancti Michaëlis in (b) Placentia cum militia tua nobis occurras animatus tam ecclesiæ quàm imperio debitum consilium & auxilium ..... exercendis in consilio principum, ac dilectum capellanum nostrum tibi direximus, quem si a latere nostro delegatum in omnibus audias, & ei fidem adhibeas, sciens pro certo ..... nostro conspectui non præsentaveris, & subventioni ecclesiæ Romanæ debitis, quam imperii obsequiis nisi adfueris, offensam nostram graviter incurristi, & nos de ejusdem ecclesiæ consilio & principum nostrorum in te animadvertemus.

EPISTOLA BERNARDI
archiepiscopi Arelatensis ad Innocentium papam II.

De causa quæ vertebatur inter Antipolitanum episcopum & abbatem Lerinensem.

Circa 1132. Ex archivis S. Victoris eruit D. Furnerius. [c]

SAnctissimo patri ac domino Innocentio S. R. E. summo pontifici debitæ subjectionis obsequium.

Causam (c) Antipolitani episcopi, quam nobis tractandam vestra gratia delegavit, convocatis suffraganeis ecclesiæ Arelatensis, necnon Aquensi & Ebredunensi archiepiscopis, aliisque nostræ legationis, & etiam Magalonensis ecclesiæ aliarumque ecclesiarum religiosis personis adhibitis, die statuto, sicut nobis præcepistis, diligenter tractare curavimus. Nobis itaque utriusque partis allegationes audire paratis, abbas Lirinensis, qui episcopum impetebat, subreptione testium & accusatorum metu, etiam comitis illius terræ, causam suam impeditam esse proposuit. Et quia super hoc adversus episcopum conquerebatur, nobis etiam visum fuit, quod occasiones quæreret & quasi fabricatum esset quod de impedimento causæ dicebat. Omnem puritatem sub juramento àb eo quæsivimus, & de Antipolitano quod justitia dictaret canonica auctoritate faceremus, nisi abbas quod de testibus in episcopum dixerat, se ratum non habere concederet. Super hoc igitur vestræ sublimitati scribimus, quia sicut suffraganeis nostris & aliis sapientibus viris visum est, nonnisi dilationem quærebat, & quia causam suam probare non poterat, cum nos parati essemus de causa cognoscere, & eam quantum vestra benignitas nobis permiserat, canonice terminare; oblata ei omni securitate ex parte comitis, magis ex voluntate, quam ex ratione appellavimus.

(a) Anno 1114. creatus est ex abbate S. Rufi prope Avenionem episcopus Barcinonensis, deinde Tarraconensis archipræsul. Excessit e vita anno 1137. die sexta Martii, cum magna opinione sanctitatis.

(b) Hinc colliges hanc epistolam scriptam fuisse, cum sese Lotharius ad iter Italicum accingeret, coronam imperii ab Innocentio papa II. recepturus, id quod contigit anno 1133.

(c) Antipolis urbs est maritima in Provincia, cujus sedes episcopalis ob frequentes prædonum incursus in Grassam civitatem quinque leucis distantem translata est. Antipolitanum autem episcopatum tunc administrabat Manfredus, qui Lerinensibus monachis a Saracenis jam vexatis aliquas ecclesias violenter abstulisse dicitur, de quarum restitutione vide, si lubet, Barralem in Chronologia Lerinensi in vita Garini abbatis.

EPISTOLA INNOCENTII papæ II. ad G. S. Maximini Trevirensis abbatem.

Arguit ipsum de simonia & monasterii dilapidatione.

Anno 1133. [a] INNOCENTIUS episcopus servus servorum Dei (a) G. abbati S. Maximini salutem & apostolicam benedictionem.

Sicut nos ea quæ de filiis audivimus bene acta lætificant, ita nihilominus sinistra contristant. Latores siquidem præsentium Henricus presbyter & Egelolfus ad nostram præsentiam venientes, personam tuam de simoniaca hæresi accusarunt, adjicientes etiam quod monasterium B. Maximini in temporalibus opulentum thesauris & ornamentis suis, postposito Dei timore & reverentia, spoliaveris & ad nihilum pene redegeris; quæ omnia quoniam indiscussa seu etiam impunita præterire non possumus, nec debemus, præsentium auctoritate mandamus tibi atque præcipimus, quatinus proxima dominica qua cantatur *Misericordia Domini*, omni occasione seu tergiversatione summota, nostro te conspectui repræsentes, super his omnibus aut etiam aliis quæ tibi objicientur sufficienter respondere paratus. Prohibemus autem & omnimodis interdicimus, ne interim bona monasterii distrahas aut impignores, vel supradictis personis aut eorum sociis ullam contrarietatem vel molestiam inferas. Data Pisis (b) III. calendas Novembris.

EPISTOLA INNOCENTII papæ II. ad monachos Marchianenses.

Censuras A. episcopi Atrebatensis nullas declarat, præcipitque ut ad abbatis electionem procedant.

Ex ms. Marchianensi. INNOCENTIUS episcopus servus servorum Dei dilectissimis filiis monachis Marcianensibus S. & A. B.

Super injuriis & oppressionibus quas ex litteris vestris & fratrum vestrorum relatione, JOHANNIS videlicet & ANDREÆ, qui nostro se conspectui præsentarunt, a fratre nostro A. (c) Atrebatensi episcopo vobis illatas esse accepimus, debita affectione compatimur, & vobis tamquam dilectis filiis nostris, in quibus secundum Deum possumus, opem & auxilium libenter impendimus. Quia ergo præfatus frater noster electionem vestram secundum B. Benedicti regulam & prædecessoris nostri papæ CALIXTI bonæ memoriæ & nostri etiam privilegii tenorem, a vobis communiter celebratam omnimodis impedivit, & ad majorem suæ malitiæ evidentiam, post appellationem ad sedem apostolicam factam, vestrum monasterium a divinis interdicere præsumsit officiis, nos idem interdictum irritum esse censuimus, & vobis divina celebrare officia apostolica auctoritate præcipimus. Si vero mutationem aliquam vel constitutionem in eodem monasterio vel locis sibi pertinentibus post appellationem ad sedem apostolicam fecisse cognoscitur, totum evacuamus, & omnia in eo statu, in quo tempore appellationis fuisse noscuntur, revocari præcipimus. Vobis autem præcipiendo mandamus, quatenus secundum B. Benedicti regulam & sedis apostolicæ privilegia religiosam & idoneam personam vobis in abbatem communi vel sanioris partis assensu eligatis, per cujus nimirum prudentiam & religionem idem monasterium tam temporaliter quam spiritaliter, auxiliante Domino, proficere valeat. Datum Lateranis calendis Novembris.

EPISTOLA INNOCENTII papæ II. ad A. episcopum Atrebatensem.

Arguit eum quod Marchianenses monachos vexaverit.

INNOCENTIUS episcopus servus servorum Dei venerabili fratri A. Atrebatensi episcopo S. & A. B. Ex ms. Marchianensi.

Miramur & dolemus super injuriis & oppressionibus & damnis & aliis multis gravaminibus, quæ monasterio & fratribus Marcianensibus a fraternitate tua illata esse accepimus. Hæc namque ordini & religioni tuæ sunt valde contraria, & his quæ a B. Gregorio de monasteriis & religiosis locis statuta sunt, probantur adversa. Cum enim eorum abbas, sicut asserunt, tuis gravaminibus monasterium ipsum relinquere compulsus sit, & ipsi secundum B. Benedicti regulam & prædecessorum nostrorum & nostrum etiam privilegium, abbatem videlicet religiosum & honestam personam elegerint, tu contemtis apostolicæ sedis decretis, eos super hoc omnimodis infestasti, & ad majorem tuæ malitiæ cumulum, contra appellationem ad sedem apostolicam factam, præfatum monasterium a divinis officiis interdicere præsumsisti. Quæ præsumtio quanta severitate puniri debeat, B. Gregorii sen-

(a) Gerardo qui ab anno 1128. ad 1140. præfuisse videtur.

(b) Hinc colliges hanc epistolam scriptam fuisse anno 1133. quo Innocentius papa II. Pisis versabatur, ubi & anno sequenti concilium celebravit. Hinc & corrigas Brouverum, qui cum hanc & alias ejusdem argumenti litteras vidisset, eas ad annum 1138. & sequentem transtulit, quo tempore exauctoratum fuisse Gerardum asserit.

(c) Alviso qui ex abbate Aquicinctensi electus est episcopus Attrebatensis anno 1131. ad quem extat S. Bernardi epistola 327.

tentia demonstratur, ait enim: Nihil prius A de eo quod ad sinum sanctæ Romanæ confugit ecclesiæ, ejusque implorat auxilium, decernatur, quam ab ejusdem ecclesiæ fuerit præceptum auctoritate, quæ vices suas ita aliis impertivit ecclesiis, ut in partem sint vocatæ sollicitudinis, & in plenitudinem potestatis. Si autem, quod non arbitramur, a quoquam secus præsumtum fuerit, ab officio cleri summotus, apostolicæ auctoritatis reus ab omnibus judicetur. Et quoniam B. Petri & sanctæ Romanæ ecclesiæ contemtum inultum præterire non possumus, per præsentia tibi scripta mandamus atque præcipimus, quatenus præfatum monasterium & fratres in pace omnino dimittas, & in nullo eis per te vel per alios impedire præsumas. De contemtu vero sanctæ Romanæ ecclesiæ & nostro & multis aliis, quæ nostris auribus sinistro rumore de persona tua sunt nuntiata, proxima dominica qua legitur *Ego sum pastor bonus*, ad nostram præsentiam venias responsurus.

CARTA BERTÆ COMITISSÆ de medietate Castelli de Monte Summano vendita Uberto episcopo Lucensi.

Anno 1130. *Ex archivis ecclesiæ Lucensis eruit Mabillonius.*

IN nomine Domini nostri JESU CHRISTI Dei æterni, anno ab Incarnatione ejus MCXXX. calendis Decembris, indictione IX. Manifesta sum ego BERTA mulier ILDEBRANDI comitis Q. ALBERTI marchionis, quia mihi consentiente prædicto viro meo, ubi interesse videtur, notitiæ Gregorii judicis domni imperatoris, a quo secundum legem habet, rogata quod nullam passa D sum violentiam, sed mea bona voluntate secundum edicti paginam per hanc cartulam vendo & trado tibi UBERTO Dei gratia Lucensis sedis episcopo ad partem ecclesiæ, [a] & episcopatus (a) S. Martini, id est medietatem integra de mea portione, quæ est medietas de Castello & Pogio, qui vocatur Monte Summano, & de ejus curte, quæ medietas mihi pertinet per cartula medietatis, quam prædictus vir meus mihi fecit de omnibus rebus suis, & medietatem medietatis de Comaniditis & placitis perti- E nentibus prædictæ curtis, & medietatem de mea portione, quæ est medietas de tota Campie de valle quæ dicitur Nebule, & medietatem medietatis de omnibus rebus cultis & incultis, aquatis, rivis, & paludibus, piscariis, molendinis, pratis, pascuis, & prædicta medietas de mea portione integre de supradicta re, sicut superius legitur, una cum inferioribus & superioribus suis, tibi eam vendo qui supra UBERTO episcopo, vel tuis successoribus, & mihi, vel ad meis hæredibus fultum vel contentum fuerit, tu vel tui successores sine me vel heredibus meis recuperare non habebitis nisi per me, vel per meos heredes, siquidem recepi merito auro a Tedaldino Q. Rinbaldini per solidos mille per te supradicto UBERTO episcopo in præfinito. Unde repromitto ego qui supra BERTA, mihi consentiente supradicto viro meo una cum meis heredibus, tibi qui supra Uberto episcopo, vel tuis successoribus, aut eidem homini, cui vos supradicta mea venditione dederitis; & si nobis aliquando tempore in aliquo B exinde intentione venerimus, aut retolli quæsierimus, tunc spondeo vobis componere a pars prædicta ecclesia S. Martini duplum. Richomo notarius domni imperatoris scribere rogavi. Actum Castello qui Baromcelli.

† Signum manus supradictæ BERTÆ, quæ hanc cartulam fieri rogavit, & supra ILDEBRANDO comes ejusdem BERTÆ conjugis suæ consensit.

† Gregorius judex domni Imperatoris.

C † Signum manus Guidi qui Borgognone vocatur, filio supradicti Ildebrandi comitis Ugi. S. Ugi, Garneri, S. Lanfridi, Bellondini, S. Rannui rogati testes.

† Signum M. Armannini. S. Ildebrandini, Lupicini, S. Rodulfi, S. Pagani rogati testes ss.

Richomo notarius domni imperatoris post tradita complevi & dedi.

EPISTOLA INNOCENTII papæ II. ad Alberonem Trevirensem archiepiscopum.

Contra abbatem S. Maximini, quem si vera sint ei objecta, deponendum judicat.

INNOCENTIUS episcopus servus servorum Dei venerabili A. Trevirensi archiepiscopo S. & A. B. Anno 1134.

Fraternitatem tuam ignorare non credimus, quod G. abbas S. Maximini nuper apud nos de simonia & dilapidatione bonorum ecclesiasticorum est per quosdam fratres sui monasterii diffamatus; quamobrem ipsum ad nostram præsentiam invitavimus, præcipientes, ut proxima dominica qua cantatur: *Misericordia Domini*, ad nos veniret super eisdem capitulis respondere ac satisfacere præparatus. Ipse vero superbiæ spiritu debacchatus, non solum scripta nostra contemsit, sed etiam eos qui de fratribus suis pro eadem re ad nostram præsentiam venerant, officio suo destitui, & alios variis injuriis & læsionibus affici, propriisque beneficiis, prout accepimus, pro sua fecit voluntate privari. Quod si verum est, ipsum ab abbatiæ regimine summovemus, & tam latorem præsentium, quam alios quos desti-

(a) Id est ecclesiæ Cathedralis Lucensis, quæ S. Martino sacra est.

tuisse dicitur officio & beneficio in integrum A reconciliari restituique præcipimus. Quam sententiam firmiter observandam & effectui mancipandam fraternitati tuæ injungimus, quousque ipse ad nostram præsentiam veniat, atque de contemtu & objectis capitulis satisfaciat. Data Pisis XIII. calendas Februarii.

EPISTOLA INNOCENTII papæ II. ad Alberonem archiepiscopum Trevirensem.

Dilatam abbatis S. Maximini causam ei terminandam committit.

Anno 1134. INNOCENTIUS episcopus servus servorum Dei venerabili fratri A. Trevirensi archiepiscopo S. & A. B.

Prout tua novit fraternitas, G. abbas S. Maximini de simonia & distractione bonorum ecclesiasticorum dudum in nostra est præsentia accusatus. Unde etiam præterita dominica, qua cantatur *Misericordia Domini*, ipsum ad nostram præsentiam invitavimus de objectis sibi capitulis responsurum. Verum imperialibus precibus postea intercedentibus, idem negotium usque ad tempus expeditionis duximus differendum. Præfixo tamen termino adversa pars nihilominus nostro se conspectui præsentavit, ea quæ præfato abbati objecerat, canonice probare parata. Nos itaque eorum laboribus & expensis paterna provisione parcentes, eamdem causam fraternitati tuæ commisimus terminandam. Mandamus igitur discretioni tuæ, quatenus usque ad tempus expeditionis ejusdem præfatum negotium canonico D fine decidas. Quod si hoc interim fieri non poterit, eadem causa nostro terminanda judicio reservetur. Verumtamen primo omnium, tepeditate atque dilatione summota, Godefridum, Henricum, Giselbertum, Eilolfum, Ludeuvicum, Fridericum, Hugonem integre officiis præbendisque restituas, & qualiter ipsi pacem & quietem in monasterio B. Maximini habeant, diligenter efficias, ad recuperationem quoque bonorum ecclesiasticorum quæque distracta sunt, summo studio elabores. Data Pisis IV. idus Aprilis.

B EPISTOLA ALMERICI cardinalis ad Alberonem archiepiscopum Trevirensem.

Ut quosdam S. Maximini monachos suis præbendis restituat.

CArissimo patri & amico A. Trevirensi archiepiscopo A. sanctæ Romanæ ecclesiæ diaconus cardinalis & cancellarius salutem & dilectionem. Anno 1134.

Quanta affectione vos diligam, in vestris C negotiis certis jam dudum experimentis cognoscere potuistis, ideoque dilectionem vestram præsentibus litteris obnixius deprecamur, quatenus latores præsentium, monachos videlicet S. Maximini in suis præbendis & beneficiis juxta mandatum Domini papæ restitui faciatis, & ut pacem & quietem habeant, diligenter efficere studeatis. Ut igitur gratiam sedis apostolicæ semper retinere firmius valeatis, omnibus oppressis B. Petri auxilium implorantibus, opem & consilium exhibere, & eos manutenere curetis. Valete.

EPISTOLÆ NOVÆ
SANCTI BERNARDI
ABBATIS CLAREVALLENSIS
HACTENUS INEDITÆ.

MONITUM.

Sequentes sancti Bernardi abbatis Clarevallensis epistolas hactenus ineditas descripsimus fere omnes ex optimæ notæ codice insignis monasterii sancti Vedasti Atrebatensis; quas licet diversis temporibus scriptas, uno tenore referimus, amicorum secuti consilium. His subjungimus breves aliquas notas, quas obiter in alias sancti Bernardi epistolas ex variis manuscriptis fecimus, quæ sua, uti speramus, utilitate non carebunt. Ultimo ejusdem sancti hymnum de sancto Malachia addemus, quem si quis cum ipsius hymnis de sancto Victore conferet, idem utrobique genium facile deprehendet.

A

EPISTOLA I. S. BERNARDI abbatis ad Mar. & uxorem ejus.

Hortatur eos ad eleemosynam & pia opera.

Ex mss. Vedastino.

BERNARDUS abbas Clarevallis, dilectis suis Mar. & uxori ejus sic se invicem diligere, ut mutuo norint Christi amorem præponere.

Quicquid super terram possidetis, certum est vos quandoque amittere, nisi quod in cælum & per manus pauperum curaveritis præmittere. Eia, charissimi, thesaurisate vobis thesauros in cælo, ubi tinea non demoliatur, ubi fures non effodiant, nec furentur; ubi denique dux ipse nobis nihil vobis possit auferre. Si de nuntio soliciti estis, habetis quotidie ad ostium vestrum non unum, sed plures, qui fideliter deportabunt quæcumque illo transmittere volueritis. Ad hoc enim tempore præsenti Deus illorum ærumnas multiplicavit, ut occasionem habeatis thesaurisandi in loco tantæ felicitatis & securitatis. Idipsum de vestra parte intimare curetis T. fratri nostro & bono nepoti vestro & W. qui habet neptem vestram, & si quos alios scitis qui nostrum de hac re tam salubre consilium non contemnant, & eos maxime qui in domo Dei sunt sentire volo vestræ in proximo visitationis benedictionem.

EPISTOLA II. S. BERNARDI ad quemdam abbatem.

Excusat se de epistolæ brevitate, remittitque illi quemdam adolescentem, quem admittere cum suis minime poterat.

Ex mss. Vedastino.

QUicquid sibi. Non ignoro quidem quod in nostris litteris ad vos missis & brevitas & siccitas soleat esse molesta. Sed brevem me facit multa occupatio, & modica devotio siccum. Indulgete mihi, & nunc urgente diei malitia, probare compellor. Ad idquod necesse est, huic adolescenti de vestris partibus illis causa suæ salutis ad nos venienti; vobis nescio qua causa prætermissis quia nos, sicut scitis, eum recipere non possumus, ad vos reverti persuasimus, vobis, nisi fallor, non inutilem futurum, si recipere volueritis, quod & multum precor ut faciatis.

B

EPISTOLA III. S. BERNARDI ad quemdam episcopum.

Commendat ei causam monasterii S. Martini.

Ex mss. Vedastino.

SEmper facere quod Deus vult.

Placet vobis quod pauper ecclesia S. Martini collatum sibi a Deo paupertatis levamen magis fortassis amicorum quam ju-

C

ſtitiæ inopia perdit? Alioquin ſi juſtam creditur non habere cauſam, & hoc ei expedit, ut cito ab injuſta quieſcat querimonia. Volumus itaque vos non gravari diligenter inquirere cauſam, & operam dare qualiter aut juſte terminent aut pacifice, id eſt aut judicio aut concordia. Valete mei memor, dulciſſime pater.

EPISTOLA IV. S. BERNARDI ad quemdam amicum.

Excuſat ſe quod cum eo ad legatum ire non queat.

Ex mſ. Vedaſtino.

QUod ad vos, ut mandaſtis, ipſe non veni, cauſa eſt & tam gravis, cujus vos, etſi interim non conſcium, neceſſe ſit miſereri. Supplicare vos pro illa omnipotenti Deo * ſimplex rogo. Quod ergo cum legato utrique pariter acturi fueramus, ſolus ut poteſtis implete.

*ſ. ſupplex.

EPISTOLA V. S. BERNARDI ad quemdam judicem.

Commendat ei cauſam abbatiæ Fontaneti.

Ex mſ. Vedaſtino.

SIc de vobis uſque modo confiſus ſum, ut circa ea quæ ad nos pertinent, ubicumque vos ſcirem, me non neceſſe eſſe putaverim. Miror ergo quomodo erga abbatiam (a) Fontaneti, quam in veſtra poſt Deum cuſtodia reliquimus, pro qua & ſæpe vos præſentem præſentes rogavimus, ita intepuiſtis. Audivimus quod in placitis quæ pro eadem eccleſia ſuper vos accepiſtis, ſicut definiſtis, necdum finem poſuiſtis. Sciatis autem quamdiu hæc facere tardabitis, quamdiu aliter fratres ipſos quam ſoletis conſolari & viſitare non curabitis; ſemper noſtras pro ipſis querimonias audietis.

EPISTOLA VI. S. BERNARDI ad quemdam amicum.

Commendat ei latorem præſentium

Ex mſ. Vedaſtino.

UBicumque & per omnia placere Deo. Commendo veſtræ caritati ſatis mihi pro ſua religioſitate carum hominem, harum videlicet latorem, veſtro apud comitem indigentem patrocinio. Sentiat, quæſo, pro ſua cauſa, quam ipſe vobis referet, quantum apud vos humilitas noſtra, quantum veſtra apud comitem reverentia poſſit.

A

EPISTOLA VII. S. BERNARDI ad epiſcopum Trecenſem.

Improbat quod archidiaconatum puerulo dederit.

Ex mſ. Vedaſtino. (b)

VEnerabili domino (b) H. patri, Dei gratia Tricaſſino epiſcopo, frater B. ſeipſum quantum poteſt.

Benigna veſtra dignatio fecit, ut de vobis, cum neceſſe eſt, indubitanter præſumamus. Pro venerabili filio veſtro G. B precem apud vos facere, immo conſilium vobis propter vos ipſum dare ſuſcepimus. Miramur vos, qui bonam famam veſtram diligimus, qua ratione, cujuſve conſilio, quod bene feceratis, de archidiaconatu videlicet, quem prædicto filio veſtro G. qui illum optime adminiſtrare poteſt, quam puerulo (c) qui ſeipſum regere non poteſt, committere maluiſtis, tam male, ut nobis videtur, in irritum ducere cogitaſtis. Nam ſi quid ædificaveratis, iterum, quod abſit, deſtruitis. Sed ſat dictum eſt capienti. Si homines timetis, evangelium docet quem magis timere debetis. Si hominibus placere vultis, C melius tamen eſt obedire Deo, ſi quid Cæſari debetis, & Deo.

EPISTOLA VIII. S. BERNARDI ad quemdam abbatem.

Laudat eum & hortatur ad emendationem ſui monaſterii & præcipue hoſpitalis.

Ex mſ. Vedaſtino.

PUdicitiæ & gratiæ titulum.

Fratres iſti pro conſilio animarum ſuarum parvitatem noſtram adeuntes, de veſtro bono ſtudio, quod in emendando loco, cui Dei gratia præeſtis, habere vos perhibent, D non parum nos lætificaverunt. Monemus autem & obſecramus devotionem veſtram, quod ſicut in reficiendis domibus, ita renovandis moribus operam detis. Non ſolum autem de monaſterio, ſed etiam de hoſpitali domo Dei, cui ſub manu veſtra prædicti fratres deſerviunt, intentiſſime neceſſe eſt curam geratis, quatenus videlicet ex omni exactione & infeſtatione miniſtrorum ſeu clientum veſtrorum ſecuram ac liberam cuſtodiatis, quodque illorum pravo, ut audi- E vimus, conſilio eidem domui ab aliis ante vos abbatibus collatum abſtuliſtis, precamur ut reſtituatis. Sicut enim ad veſtram ſollicitudinem pertinet aliorum malefacta

(a) Fontanetum inſigne monaſterium ordinis Ciſtercienſis in diœceſi Æduenſi, haud procul a Monte-Barri, a ſancti Bernardi conſanguineis fundatum circa annum 1118. filia ſecunda Clarevallis, cujus primus abbas Godefridus.

(b) Hatto, ad quem extant ejuſdem S. Bernardi epiſtolæ 23. & 203. plures vero Petri Venerabilis abbatis Cluniacenſis.

(c) Eccleſiaſticas dignitates pueris tribui ſemper ægre tulit S. Doctor. Id patet tum ex epiſtola 271. in qua redarguit Theobaldum comitem, quod Vuillelmo filio ſuo impuberi eas procurare vellet; tum ex tractatu de officio epiſcoporum cap. 7. ubi hæc habet, *Scholares pueri & impuberes adoleſcentuli ob ſanguinis dignitatem promoventur ad eccleſiaſticas dignitates, & de ſub ferula transferuntur ad principandum presbyteris, lætiores interim quod virgas evaſerint, quam quod meruerint principatum.* Vide ejuſdem librum tertium de Conſid. cap. 5.

destruere aut corrigere, sic illorum, si qua A bona egerunt, non solum firma & inconvulsa tenere, sed etiam augmentare & multiplicare debetis. Presbyterum quoque, qui in ipsa domo habitans, suam adhuc foris rem habere videtur, aut proprium deserere, aut de domo exire cogatis. Valete & propter bonum quod de vobis audivimus, de nobis si quid valemus familiariter confidite.

EPISTOLA IX. S. BERNARDI ad quemdam amicum.

B

Gratias agit Deo de rebus prospere gestis.

Ex. ms. Vedastino.

VElle scire vos scio, quod scire vos facio. Gratias illi, qui omnia opera nostra operatus est nobis. Grande opus, & iter grave læte prospereque peregimus, fratres lætos & in pace dimisimus, rebus & amicis abundantes, Deo & hominibus satis, ut æstimo, placentes. Fratrem G. vix sine tam episcopi, quam fratrum offensione reducere potuimus. Post messium tempus, quod nunc in manibus est, si opus illo habueri- C tis, immo quia habebitis, habere poteritis.

EPISTOLA X. S. BERNARDI ad quemdam amicum.

Quod beneficia ecclesiastica non de laicali manu, sed de episcopi accipienda sunt.

Ex ms. Vedastino.

CUm laici ecclesias sive ecclesiastica beneficia quæ illicite tenent, relinquere volunt, unum bonum est. Cum vero ea in usus servorum Dei transire volunt, duplicatur bonum; sed cum hoc fieri non potest ni- D si per manum episcopi, gemini se episcopus aut mali reum, aut boni probabit auctorem, juxta quod suum negabit aut dabit assensum. Quod autem miles vos rogat, hæc a vobis rogari ipse debuerat. Quid enim? meliusne esse judicatis ab homine militari hereditate possideri sanctuarium Dei, quam a sanctis Dei? Mirum si non mirantur omnes qui audiunt. Nolite, quæso, nolite, ne forte audiant filii incircumcisorum & lætentur. Esto potestis captivam ecclesiam eripere de manu potentis, & juri proprio vendicare, quod minime arbitramur. Quemnam, quæ- E so, de illa libentius eligitis vobis heredem successorem? qui inde deserviat exercitibus regis, an intercessorem pro peccatis vestris? Facite ergo quod justum, quod vobis dignum est, quod Deo & hominibus bonis jucundum, quod denique, etsi aliquid non esset, amore nostri confidenter fieri postularem.

EPISTOLA XI. S. BERNARDI ad Innocentium papam secundum.

Delegatus a summo pontifice judex ad dirimendam litem inter duos contendentes de archiepiscopatu Turonensi, declarat Philippi electionem esse nullam.

Ex ms. Vedastino.

AD decidendum Turonensis litem, pater venerande, convenimus, & convenimus Blesis, quod is locus actoris foret & vicinitate congruus & securitate. Ibi ergo (a) PHILIPPI electionem qui ex adverso [a] erant cum in multis accusassent, quæ brevitatis studio præterimus; duo hæc demum præcipua capitula ei opposuerunt, quod infra annos videlicet esset, & quod nequaquam electus a quibus oportuit, sed neque a quantis. Aberant siquidem eo temporis majores personæ ecclesiæ nimirum, & ab ecclesia pulsæ & propriis domibus, archidiaconi scilicet omnes, decanus & cantor, cum universis illius ecclesiæ presbyteris, ac multitudine aliorum diversi ordinis clericorum, unde & suam quam fecerant de HUGONE electionem sanam atque canonicam esse dicebant, quod ii in ea consentirent, quorum prævaleret in eligendo auctoritas, non autem obesse quod extra ecclesiam vel civitatem præter morem celebrata fuisset, cum ad hoc persecutionis urgeret necessitas, sed neque impedire, quod pars altera non interfuit, cum præmonita a fratribus, & vocata adesse renuerit. Nam dicit eis assignasse locum, & illum locum quem pari consensu utraque pars ad eligendum elegerant; porro autem illos anticipasse diem, præripuisse electionem, PHILIPPUM furtiva temeritate, se omnino ignorantibus, elegisse. Nam nec de suffraganeis episcopis quempiam expectatum: suæ vero eos magis favere electioni & assensum præbuisse. Ad hæc Philippi pars: Possumus, inquiunt, ad objecta facile & sufficienter respondere, si modo dies alius nobis conveniens nominetur, non quod hodiernum negemus fuisse datum, sed electus noster non fuit submonitus. Debuit enim vocari & nomine, ad quem proprie causa

(a) Hic Philippus fuit Gisleberti ante Hildebertum archiepiscopi nepos, &, ut ait sanctus Bernardus epistola 150. ipsius *ambitionis heres*, ad quem tamquam invasorem sedis Turonensis extat ejusdem sancti Bernardi epistola 151. De eo liber de Gestis episcoporum Cenomanensium sic habet: Hildeberto *defuncto, canonici ejusdem ecclesiæ diu violentia Gosfridi comitis propriis sedibus sunt expulsi Cum vero pontificem canonice deberent eligere, in partes divisi sunt. Quidam enim illorum contra sanctorum scita canonum quemdam Philippum, aliis reclamantibus, elegerunt. Philippus quidem non intrans per ostium ovile ovium, sed ascendens aliunde, Petrum suum, Petrum Leonis primogenitum satanæ adiit, & ab eo pro honore opprobrium, pro benedictione maledictionem pro sacramento suscepit sacrilegium, unde festinanter rediens, sedem Turonensem occupavit. Interim Hugo, vir prudens & nobilis a saniori parte eorumdem clericorum canonice eligitur. Hic vero in Cenomanensi ecclesia a Guidone & comprovincialibus episcopis consecratur. Quo Philippus cognito, secum ornamenta ecclesiæ deferens, furtim aufugit.* Porro cum Hildebertus 18. Decembris 1136. obierit, hæc non nisi anno sequenti contingere potuerunt. Hinc corriges Horstii Chronologiam, quæ Philippi intrusionem ad annum 1133. consignat.

spectare cognoscitur. Tunc qui ex adverso A erant, absit, inquiunt, non inter electos de cathedra, sed inter electores de electionibus contentio est. Litigantium igitur est causa, ipsi ad causam vocari debuerunt, quod si & electum de litigantibus esse contenditis, id quidem grave & indecens. Sufficit autem generaliter vocatum fuisse cum ceteris. Nemo quippe a litteris submonitoriis exclusus est qui in parte fuisset, quamquam negare non potestis, quin vobis manifeste denunciatum fuerit eum quærere. Abierat, & non inveniebatur, ne forte inhærentem die statuto non adesse contingeret. Nihil B igitur lucraturum de absentia, quam quidem etsi non veniret, nihilominus eo absente causa terminaretur. Si ejus, ut dicitis, causa est, & opus erat hominem pro se loqui, certe quod submonitionem non habuit, culpa est, aut ejus qui disparuit, aut vestra, qui ei insinuare neglexistis. Quid eorum interest qui in civitatem vestram & in ecclesiam communia vocationis scripta miserunt, si ad eum qui se absentavit, qui se non solum ab urbe, sed & a patria, & a regno, C & qua intentione, ipse viderit? Adhuc quid sibi deest ex omnibus quod suum requirit negotium, si de justitia non diffidit? Cernimus hominem vallatum multitudine sapientum & peritorum in causis, stipatum etiam numero armatorum, si opus est & ipsis. Habet secum & episcopos, habet optimum procultorem. Itane venerat imparatus? aut quid sibi vult tantus iste comitatus necessariorum suorum, si acturus non erat? quid si sui sibi necdum sufficiunt? judex offert quotquot habet necessarios. Et hæc diceremus, si vere constaret PHILIPPUM D nescisse diem constitutum negotio; nunc autem quando queat negare de die & loco sibi significatum fuisse, ab abbate utique Claravallensi, qui ante decem ferme & octo dies in episcopatu Cameracensi forte transiens latitantem offendit; patet vos manifeste non pacem quærere, sed dilationem? His itaque a partibus allegatis, justum nobis & his qui nobiscum erant, religiosis & sapientibus personis, episcopis & abbatibus & clericis visum est diuturnæ jam fatigationi ecclesiæ ponere finem, & nequaquam ultra sustinere moras & dilatio- E nes quærentium quæ sua sunt, & sub hac occasione pessumdantium ecclesiam Dei. Data ergo sententia a nobis, quod justitia exigeret ingredi causam, nec esset canonica excusatio quam afferrent, ipsi more suo tergiversantes tamquam qui causæ suæ parum fiderent, appellaverunt. Tunc vero prolatis scriptis apostolicis, in quibus & nobis causam inexcusabiliter terminare, & ipsis sententiæ nostræ irrefragabiliter obedire præcipitur, illi audire contemnentes abierunt: vocati sunt nec venerunt, vocati secundo, & iterum renuerunt; nos autem conversi ad partem alteram ordine nihilominus judiciario juxta mandatum vestrum processimus, & suscepta probatione canonica super duobus memoratis capitulis, post examinatos testes, post peracta sacrificia, PHILIPPI electionem apostolica freti auctoritate quassavimus. Porro de HUGONE quia infra sacros ordines eum constat fuisse electum, vestræ, ut dignum est, misericordiæ reservavimus.

EPISTOLA XII. S. BERNARDI ad dominum papam.

In gratiam episcopi Trecensis.

PEtimus dominum Trecensem (a) exaudiri de justitia sua: vellemus autem ut inter ipsum & clericos suos talis concordia studio vestræ benignitatis reformaretur, ut ultra clerici non apponerent injuste vexare hominem senem, qui nec juste de pontifice in aliquo conqueri possunt. Est quidam inter eos contemtibilis adolescentiæ, contemtricis insolentiæ, cujus satius judicamus castigatum iri præsumtionem, quam ab ipso conculcari pontificem; quis ille sit, lator præsentium vobis dicet. Sic igitur & de isto & de aliis vestra discretio providere dignetur, ut & episcopus qui vestrum honorem diligit, honoretur, & numquam de sua justitia gravetur. Videndum autem ne odium cujusquam personæ ei noceat, quem sua defendit innocentia. *Ex ms. Vedastino.* [a]

EPISTOLA XIII. S. BERNARDI

Scribit in gratiam episcopi Trecensis.

IN causa domini Trecensis & clericorum illa quæsumus cautela servetur, ut episcopus, sicut dignum est, honoretur, & clerici sua justitia non priventur. Reformetur pax inter eos, & frænum imponatur malevolis, ut de cetero in jam senem pastorem insurgere umquam non possint. *Ex ms. Vedastino.*

EPISTOLA XIV. S. BERNARDI ad eumdem.

Ejusdem argumenti.

OPortet vos esse amicum amicorum nostrorum, & fratri N. assistere in causa quam portat, cum ea tamen discretione, ut clerici proprio pastori, si fieri potest, subdantur, & quod ipsi in sua justitia non graventur, & de cetero inter eos pax sit. *Ex ms. Vedastino.*

(a) Cujus, ut ait idem S. Bernardus ad Innocentium papam, tota culpa fuit quod redarguisset clericos.

EPISTOLA XV. S. BERNARDI ad eumdem.

Commendat ei litterarum latorem.

Ex mſ. Vedaſtino.

FRigeſcente caritate, pauci hodie inveniuntur fideles, & quia omne carum pretioſum, fidelitas & amor domini N. qui fideliſſime veſtra negotia apud nos geſſit, arctioribus vinculis gratiæ & benevolentiæ debet aſtringi. Proſit autem ei, quoniam nos ipſum tamquam promtum litterarum & fidelem virum ſpiritali caritate diligimus.

EPISTOLA XVI. S. BERNARDI ad eumdem.

Commendat ei quemdam amicum.

Ex mſ. Vedaſtino.

IN flamma negotiorum quæ aſſidue Romæ geruntur, fere aduſtus, ex deſiderabili & jocunda inſpectione ſcriptorum veſtrorum, utinam refrigerari merear. Sed, proh dolor! ad opus ſervi veſtri in tota Claravalle ſcriptores non poſſunt reperiri: ſatis dictum eſt a filio patri. Amicum noſtrum & perſonæ noſtræ & ordinis glorificum amatorem dominum N. qui etiam fideliter negotia gerit ſuorum, dulcedo veſtræ benevolentiæ pro ſe & nobis habeat carum.

EPISTOLA XVII. S. BERNARDI ad eumdem.

In gratiam Trecenſis epiſcopi.

Ex mſ. Vedaſtino.

AD notum miſericordiæ fontem, de quo mihi & amicis meis totiens hauſi, domini Trecenſis epiſcopi reverendi ſenis & amici noſtri neceſſitas compellit recurrere. Hoc eſt ergo quod haurire deſidero, quatenus apoſtolica pietas hominem, cujus jam cani merentur quietem, non ſinat injuſte vexari, & petitiones ejus, quas per nuntium ſuum facit, dignetur effectui mancipare.

EPISTOLA XVIII. S. BERNARDI ad eumdem.

In gratiam Trecenſis epiſcopi.

Ex mſ. Vedaſtino.

AUgetis mihi gratiam & gloriam multiplicatis, cum gratia mei, amici mei gratiam inveniunt in oculis veſtris, quam multis jam de caro feciſtis cariorem. Ego tamen gloriam ab homine non quæro, ſed regnum Dei & juſtitiam ejus, quam puto eſſe cum domino Trecenſi. Secure vobis utrumque cupio eſſe commendatum, & juſtum ſcilicet & amicum; non ſolum autem, ſed & miſſum ab eo bonæ indolis juvenem, carum nobis latorem præſentium, æque veſtræ commendo caritati.

EPISTOLA XIX. S. BERNARDI ad eumdem.

In gratiam Trecenſis epiſcopi.

Ex mſ. Vedaſtino.

CAuſa Domini Trecenſis, cum nuntio dilecto noſtro qui eam portat, ſit vobis commendata, manu tenere eam, quoniam ni fallor, juſta eſt. Homo ipſe amici veſtri amicus eſt: vide ne quemquam audias adverſus dominum Trecenſem, ſed potius juva cauſam & nuntium ejus in quantum potes.

EPISTOLA XX. S. BERNARDI ad anonymum.

Hortatur ut animæ curam præferens corporis ſollicitudini, ſæculo renuntiet.

Ex mſ. Vedaſtino.

MAgnum, fateor, bonum fecit nobis dominus (a) Aviaficenſis, qui poſt indultam ſui ſatis optatam gratamque notitiam, etiam tuæ dilectioni ſubintulit mentionem, de tua nos certificans ac lætificans incolumitate. Verumtamen id ego de anima tua libentius accepiſſem, nam de corpore epiſcopus aiebat: Amo quidem & corpus tuum, ſed animam amplius: nam & meum corpus ego non diligo, niſi propter animam, ut noveris juxta illam a me diligi regulam; *Diliges proximum tuum ſicut teipſum*; & ſicut meam meo, ſic tuo tuam corpori præfero animam: tolle quippe animam, quid erit corpus, niſi quod ad omnium humanorum corporum partem dictum eſt: Terra es, & in terram ibis? Ceterum animæ præſtatur cum corpore ſolvitur, ſi non tamen tantis fuerit aggravata peccatis, ut revertens in terram, quod de terra ſumtum eſt, non prævaleat, ſicut ſcriptum eſt, redire ſpiritus ad Dominum qui fecit illum. Non eſt æquum profecto æque diligi quod movetur & quod movet, quod regitur & quod regit, quod vivificatur & quod vivificat, quod denique de terra & terra eſt, & quod deſurſum venit naturæ ſuperioris inſignitum imagine. Quanto tamen, proh dolor! hoc fœnum, & hujus fœni male olentem florem, hoc eſt carnem, & bona carnis non æque ſaltem, & inſuper pluris habent, quam æternæ beatitudinis & beatæ æternitatis capacem rationem quidem prædictam creaturam? Verum tu qui aliter ſapis, novi enim, ſed doleo nondum te vivere ut ſapis; tu ergo miſerere animæ tuæ placens Deo; quid adhuc jungis vitam cum quibus ſententiam non

(a) Avia Orthelio eſt duplex, una ſcilicet ex Ptolemæo Vacceorum urbs in Hiſpania Tarraconenſi, altera Veſtinorum urbs in Italia; modo exciſa; cujus epiſcopatus Aquilam tranſlatus eſt.

concordas? aut muta vitam, aut dissimula sententiam. Ceterum hoc melius est, ut quod jam ratione cœpisti, & corde concepisti, opere non dissimules. Sapiens Sapientiæ consilium non contemnit: *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, anima vero sua detrimentum patiatur?* Quid te juvat mente tenere veritatem, cum adhuc vanitatem teneas in conversione? abi, quæso, recede de medio filiorum alienorum, quorum os loquitur vanitatem, & dextera eorum dextera iniquitatis. Beatum hii dicant populum cui hæc sunt, tu cum propheta non tam verbo clama, quam experimento proba, quia beatus populus cujus Dominus Deus ejus. Delectet eos in mundo, cum sint ruituri cum mundo, tu delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui, tibi adhærere bonum sit, ut & tu cum Jeremia dicas: *Bonus est Dominus quærenti illum*: quod si quærenti, quanto magis invenienti?

EPISTOLA XXI. S. BERNARDI ad priorem, ut credo, Clarevallis.

Mittit ei adolescentem, qui se in ordine recipi postulabat.

Ex ms. Vedastino.

DEvotas orationes.

Hunc adolescentem qui vobis has litteras portavit, expectantem me Catalaunis inveni, qui, ut me vidit, simpliciter satis & verecunde rogavit se in nostro ordine recipi, & monachum fieri, narrans mihi, quia cum THOMAS DE MARLA, cujus armiger fuit, vellet eum militem facere militiæ sæculi, militiam Christi præposuit, & ob hanc causam ad nos confugit. Super his aliquos de fratribus consulite, & si laudaverint, vobisque ita visum fuerit, recipite eum & probate. Notum facio vobis extorsisse me, non meis, sed dominæ (a) Beatricis precibus, ab episcopo licentiam hyemandi juxta vos, non tamen in Claravalle, sed in Dementini prato. Interim vigilate, pigros excitate, nimios reprimite, pusillanimes consolamini, omnibus omnia facti omnium virtutes vestras facite.

EPISTOLA S. BERNARDI ad quemdam ordinis S. Benedicti abbatem.

Mittit ei duos adolescentes ad ordinem Cisterciensem viribus impares, sed sibi non forte inutiles.

Ex ms. Vedastino.

PAcem & caritatem diligere.

Istos duos adolescentes, bonam quidem voluntatem habentes, sed viribus corporis ad nostrum ordinem nequaquam sufficientes, idcirco vobis transmittere curavimus: quia si tales perseverant, quales eos probavimus, non inutiles vobis confidimus: denique suscipite eos & probate vos ipsi, an verum sit quod testamur, nec eorum acceleretur suscipienda professio, ut prius ipsorum utilitas dinoscatur.

EPISTOLA XXII. S. BERNARDI ad quemdam amicum.

De quodam adolescente, cujus pravos mores narrat, qui nobilium matrimonium ambiebat.

Ex ms. Vedastino.

FEci quod voluistis, quod ad me omnino non pertinebat, nisi quia voluistis. Quid enim ad nos pertinet de vestris terris, de vestris placitis, de vestris conjugiis? Deinde etiam hominem illum, pro quo me precantes ducissam precari compulistis, ita semper cognovimus a juventute sua malis fuisse intentum, & ab omni bono elongatum, quatenus hæc ei mala non tam illa vel cupiditate ducissæ, quam justo Dei judicio credamus contingere; numquam ejus ad aliquem sanctorum peregrinationem, cum peccator sit, vidimus; numquam ejus eleemosynas, cum dives sit, audivimus; numquam ejus patrocinium quod pupillo vel viduæ ferret, cum diu præpositus exstiterit, agnovimus. Et nunc insuper non cessat se supra se extendere ultra etiam mensuram suam. Scitote vos qui amici ejus estis, quia aut vix aut numquam poterit ei ad aliquod proficuum societas nobilium venire, quibus in matrimonium, suam non atendens mediocritatem, tanto appetit studio filios & filias suas conjungere: volo tamen & multum desidero, ut illud quod propter vos faciliter rogare suscepi, in bonum ei proveniat.

EPISTOLA XXIII. S. BERNARDI ad quemdam abbatem.

De quodam monacho, qui ad alium ordinem transire volebat, quod fieri improbat.

Ex ms. Vedastino.

UNus frater dum nostram simplicitatem consulere venit, tale a nobis consilium, immo judicium reportavit. Cum nullam idoneam causam attulerit, cur locum & ordinem suum deserere velit, nulla visa est ratio permittere, quod ad alium transire debeat; nam votum illud quod se prius fecisse dicit, de quo & maxime sibi scrupuli occasionem sumsit, cum sola cogitatione, aut ut plus etiam verbo, sed soli factum fuisse constet, nequaquam huic præponendum putamus, cui utique posterius licet,

(a) Extat ejusdem sancti Bernardi epistola 118. ad Beatricem nobilem & religiosam matronam, in qua officiosam ejus caritatem & sollicitudinem commendat.

liceт, tamen & verbo & deliberatione, & habitu & professione sese adstrinxisse videtur; præsertim cum illud quod voverat, nec districtius esse videatur isto, nec rectius. Quapropter nec vobis, qui pro ejus anima Christo reddere rationem habetis, tutum esse credimus in hoc ei credere, in hoc ei vestram indulgere licentiam, cum scriptum sit: *Declinantes autem in obligationes adducet Dominus cum operantibus iniquitatem.* Suscipite ergo eum dulciter, ut filium; sollicite custodite, ut vobis commissum, vestris, nisi fallor, ex hoc jam obsecuturum præceptis, & consiliis obtemperaturum.

EPISTOLA XXIV. S. BERNARDI ad quemdam abbatem.

Commendat ei L. fugitivum revertentem, quem benigne suscipi rogat.

Ex mſ. Vedaſtino.

OBsecro vos per misericordiam Dei & per nostram invicem dilectionem, quatenus fratrem L. erroris sui pœnitentem, cum desiderio revertentem, emendationem promittentem benigne suscipiatis, sed & in ipsa susceptione atque reconciliatione clementius mitiusque cum eo agatur, quam cum ceteris solet fugitivis, sentiatque sibi valere, quod per nos se apud vos commendare nostrisque precibus munire curaverit.

EPISTOLA XXV. S. BERNARDI ad anonymum.

Scribit se ex morbo gravi convaluisse, & mortis januas evasisse.

Ex mſ. Vedaſtino.

QUicquid sibi.

Super ipsa vestra sollicitudine, qua vos anxiari per litteras vestras insinuastis, diu extiti & ego sollicitus. Neque enim ignorare poteram quod pateremini, cum cogitarem, qualem me relinqueretis; sed nuntii usque modo defuit opportunitas, per quem, cum corpore cœpi, Deo miserante, meliorari, vos quoque esse facerem animo meliori. Jam ergo bono animo estote, quia *castigans castigavit me Dominus, & morti non tradidit me.* Prima dominica adventus Domini primum ad altare per memetipsum, & sine amminiculo alterius accessi ad accipiendam sacram commupionem, istas litteras ipse dictavi, quibus duobus signis perpendere potestis, quantum divina benignitate & corpore & animo convaluerim. Libenter vos viderem, si opportune & sine disturbatione fieri posset.

EPISTOLA XXVI. EJUSDEM ad Amedum Altecumbæ abbatem.

Rogat ut nuntios mittat Montempessulanum, quo ascendere debebant regis Siciliæ naves, ut apud regem eum excusent, quod fratres in Siciliam non miserit.

Ex mſ. Vedaſtino.

DIlecto fratri in Domino abbati Altæcumbæ AMEDEO frater BERNARDUS Clarevallis vocatus abbas salutem & dilectionem.

Rogamus ut patrem vestrum vel aliquem alium nuntium rationabilem & discretum mittatis pro nobis apud Montem-pessulanum, ita ut ibi sit in octavis assumtionis B. Mariæ. In ipsa enim die & in ipso loco debent esse nuntii regis (a) Siciliæ, qui descendunt mare in navibus, ut portent filiam comitis THEOBALDI filio domini sui; si forte ad opus fratrum nostrorum naves adduxerint, & requisierint abbatiam quam missuri eramus, nuntius vester habeat nos excusatos (b) in hæc verba: Fratres quidem parati erant, & abbatia ordinata, sed dominus ALFANUS nuntius domini regis Siciliæ dixit, quia rex non requirebat nisi duos fratres, qui præcederent alios ad videndum locum; cum autem placuerit domino regi, significabit nobis voluntatem suam de tota abbatia simul mittenda: nam periculum est religionis & ordinis, sicut vestra providentia novit, fratres sine disciplina, sine custodia vel abbatis vel aliorum fratrum suorum versari in terra aliena.

EPISTOLA XXVII. S. BERNARDI ad anonymum.

Commendat ei abbatem Farfensem S. R. E. cardinalem.

Ex mſ. Vedaſtino [c]

VIrum nobilem & genere & moribus abbatem (c) Farfensem apostolicæ sedis cardinalem vobis commendamus, ut eum honorifice & amicabiliter suscipiatis, descendit a latere domini papæ ad curiam regis ab ipso vocatus, habens ad ipsum verba secreta de communi negotio regni & ecclesiæ. Suscipite honeste hominem & hominem bonæ voluntatis, & in eo excellentiores principes mundi, eum videlicet a quo venit, & eum ad quem venit, papam & im-

(a) Rogerii primi Siciliæ regis, ad quem extant S. Bernardi epistolæ 207. 208. 209.

(b) Misit postea S. Bernardus fratres ad fundandam in Sicilia abbatiam, quibus præfecit *magistrum Brunonem olim sibi per dies multos individuum comitem, tunc autem patrem multarum animarum latantium in Christo*, ex epist. 209. quæ scripta dicitur anno 1139. ac proinde hæc aut eodem aut præcedenti anno scripta videtur.

(c) Hunc statim suspicatus fui esse Gerardum cardinalem diaconum ab Innocentio II. creatum, factum postea monachum Clarevallensem & in claustro Clarevallis sepultum. Verum cum in eo desideretur abbatialis dignitas, satius est ut credamus esse Adinulfum abbatem B. Mariæ Farfensis ordinis S. Benedicti ab Innocentio II. anno 1130. S. R. E. presbyterum cardinalem creatum.

peratorem pariter honorate. Temeritatis quidem est, quod ego tantillus talem virum vobis audeo commendare, sed humilitas ipsius hoc petentis excludit pudorem, & si factus sum insipiens, ipsa me coëgit.

EPISTOLA XXVIII. S. BERNARDI ad regem Francorum.

Excusat se a suscipienda dignitate ad quam electus erat.

Ex ms. Vedastino.

REgi Francorum frater B,

Placet, fateor, quod in his quæ Dei sunt, tanta sinceritate versamini. Nam ut alia taceam, nequaquam promotionem (a) miseri hominis tantopere curaretis, si non esset in causa Deus: quo enim alio emolumento id ita placeret, cum sim pauper & inops? Nec sufficit assentire, insuper & rogatis. Exhibetis favorem, largum gratiæ sinum expanditis, & ne onera pusillanimis reformidem, auxilium de regia protectione promittitis. Quænam hæc in rege dignatio, in adolescente maturitas? Verum ego, optime rex, nullatenus acquiesco mittere manum ad fortia, corde pusillus, fractus corpore, & cui solum pene superest sepulcrum, non audeo prorsus ad sancta indignus & insufficiens: hoc considerare debuerant auctores electionis; si dissimularunt, ego non queo, quod lego: *Miserere animæ tuæ placens Deo.* Aut si idoneum crediderunt ob habitum religionis quo induor, in habitu species est sanctitatis, non sanctitas. Nemo mihi me notior, nemini ego quam mihi; non plane me credo contra testimonium conscientiæ meæ videntibus tantum in facie & secundum faciem judicantibus. Ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi Deus, orantes hic sumus, quamvis peccatores pro regno vestro & vestra persona: si separatis ab invicem, id quidem difficile & crudele, non ad orandum, sed plorandum provocatis. Hactenus pro me, jam pro ecclesia quid parturiat animus, dignemini obsecro paucis attendere. Sedet in tristitia domina ecclesiarum, & lacrymæ ejus in maxillis ejus: mutatus est color optimus, defloruit antiqua venustas, pretiosissimus ille ornatus datus est in conculcationem, nobilitas in contemtum, & in servitutem libertas: crucior in hac flamma, nec consilium refrigerii, donec veniat qui consoletur eam. Tangat proinde cor vestrum reverentia sponsi ejus, cujus sanguine redemta, cujus similitudine adornata, cujus hereditate dotata est, & perseveret propositum vestrum, ne tam dilecta unici Domini nostri sponsa tali vel nunc ad cumulum malorum committatur, qui displiceat oculis ejus. Dico vobis, & dico ut vere fidelis, quia omnino non expedit vobis. Sic vobis regnum contingat administrare Francorum, ut inde acquiratis regna cœlorum, optime & illustrissime rex.

EPISTOLA XXIX. S. BERNARDI ad amicum.

Scribit se tandem convalescere & a mortis faucibus ereptum.

Ex ms. Vedastino.

IDem quod sibi.

Opus utile, & quantum mihi videtur, catholicum elaborastis: habeo tamen semel adhuc, si vita duraverit, vobis illud præsente perlegere & vobiscum singula proferre: & tunc si quid forte repertum fuerit quod merito moveat, aut omnino amovebitur, aut ita emendabitur, ut ultra jam non movere valeat, nec moveri debeat. De cetero congratulamini mihi, quia castigans castigavit me Dominus & morti non tradidit me. Cum enim securis ad radicem infructuosæ arboris posita jamjam succidi metuerem, precibus amicorum redditus sum, qui videlicet fimo carissimo lacrymarum suarum sterilitatem meam se fœcundaturos pollicentes, inducias aliquanti temporis a pio Patrefamilias impetrarunt.

EPISTOLA XXX. S. BERNARDI ad fratres * * *

Hortatur ad eleemosynas famis tempore faciendas.

NOn ignoratis, fratres, qui dixerit: *Beati misericordes, quoniam misericordiam consequentur.* Et illud: *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem.* Et rursum: *Si videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris.* Et apud S. Job: *Visitabis speciem tuam & non peccabis.* Ut hæc vobis pauca de multis in hunc modum ex scripturis retexerem, illud est occasio, quod egenos vagosque sub hoc famis (b) tempore plus solito constat egere. Unde si qua in vobis pietatis viscera, si qua in vobis miserationis compassio, dignum est ut seipsum experiantur: quantumlibet enim miseri & despicabiles, os vestrum & caro vestra sunt, quod vos non aliter de illis sentire, justum est ut sentiant: sentiant dico, &, si

(a) Hæc epistola scripta fuisse videtur occasione electionis factæ de S. Bernardo in archiepiscopum Remensem, cum post defunctum Rainaldum archipræsulem, omnium electorum vota in Clarevallensem abbatem se contulerunt: quam ille dignitatem ut & multas alias recusavit. Tunc post duorum annorum sedis pontificalis vacationem Samson electus est anno 1140.

(b) Anno 1146. ex brevi Chronico Catalaunensi apud Labbeum, *fames valida ubique terrarum, qualis umquam ante non fuit.* Hæc fames, si Chronico Lobiensi a nobis tomo tertio Anecdotorum edito credimus, anno 1143. incœpit ac fuit *valida septem* annis. Ejusdem meminere Chronica Monalteriense, Mortui-maris & Senonense tom. 3. Anecdot, Remense apud Labbeum, & Britannicum apud Lobinotium tom. 2. Hist. Brit. p. 30.

non rerum vestrarum, saltim verborum beneficio, ut videlicet capellano præcipiatis, quatenus omni studio curet excitare & exhortari populum quam publice quam privatim ad benefaciendum eis.

EPISTOLA XXXI. S. BERNARDI ad quemdam abbatem.

Hortatur ut benigne fugitivum recipiat, nec prælati dignitatem abjiciat.

Ex mss. Vedastino.

QUo illi quod suo.

Nemo cum has legerit, si norit unde salutationis formulam sumserim, succensere, ut arbitror, debebit mihi, quod me in capite meliori præferre præsumserim, & quod tamquam aliquid inferius meum esse dixerim, cujus ego merito totus sum & quo ex toto inferior: quamquam non solum inferiora nostra, sed etiam plerumque quibus interiores nos esse scimus, nostra non improprie appellare solemus, ut est illud: *Portio mea, Domine, in terra viventium.* Et hæc quidem de vobis sed non vobis. Jam ad vestras litteras breviter pro tempore respondendum est, quæ cum mihi in manus venerunt, natalis animæ Dominæ nostræ dies festus illuxerat, cujus me totum jure sibi vindicans devotio, nihil aliud cogitare sinebat; sed & nuntius repedare festinans, vix usque in crastinum, ut hæc jam festo exoccupatus utcumque rescriberem expectavit. Fugitivum itaque fratrem dure a me, ut pote durum corde increpatum, nihil melius interim potui quam ad locum remittere unde fugerat: quippe quem juxta nostras consuetudines domi absque abbatis sui consensu retinere non debui. Oportet autem a vobis eum similiter aspere increpari, & ad humilem provocare satisfactionem, deinde nostris confortari litteris pro eo directis ad abbatem. De infirmitate nostra nihil certius modo sollicito indicare potui, nisi quod infirmus & fui & sum, nec minus solito, nec magis multum. Quod vero non misi quam missurus eram, causa est plus me animarum timuisse scandalum, quam unius corporis periculum. Jam ne quid horum quæ mandatis omnino prætermittam, quin & aliquatenus ad singula respondeam, venio etiam ad vos. Velle vos audire scripsistis; quid ego vos, qui utique omnia vestra norim, facere velim. Sed hæc, nisi fallor, si modo dicerem nec vos possetis, nec ego consulerem. Volo enim & ipse quod vos velle de vobis jam olim non latet me. Ceterum mea atque vestra æque, ut æquum est, voluntate postposita, magis quod velle Deum de vobis puto & mihi ut vobis suadeam tantum duco, & vobis si persuadeam non incommodum. Tenete itaque meo consilio quod tenetis, manete in quo estis, & studete prodesse quibus præestis, nec præesse refugite dum prodesse potestis: quia væ siquidem si præestis & non prodestis, sed væ gravius, quia præesse metuitis & prodesse refugitis.

EPISTOLA XXXII. S. BERNARDI ad anonymum.

Laudat ejus prudentiam & humilitatem.

Ex ms. Vedastino.

QUicquid sibi cupit gratiæ spiritalis.

Laudo prudentiam qua monachum propter novitium contristari timuistis, sed magis approbo humilitatem, qua factam vobis injuriam & tam grandem injuriam pertulistis. Incomparabiliter autem præfero caritatem, qua calamum quassatum non patiendo conteri, nostrum expetere consilium ei suadere curastis. O prudens humilitas, humilisque caritas, sic parcens monacho injuriam, ut non deesset novitio fluctuanti! Quantum ergo potui confirmatum, & omnia, quantum reor, de quibus notatus est, emendare paratum, ad vos eum remitto tam probatæ vestræ benignitati consulens, & si necesse est, supplicans ut recipiatur, ut tamen prædictus frater, cui & litteras proinde precatorias misi, a sua prius si fieri posset sententia flectatur.

EPISTOLA XXXIII. S. BERNARDI ad anonymum.

Stephano si perseveraverit promittit dignos pœnitentiæ fructus.

Ex ms. Vedastino.

QUis satis mirari possit vestræ caritatis ardorem. Sed quoniam dignum non est, ipsam unde sollicitam esse cognovimus, diutius manere sollicitam, Stephanus vester qui & noster, si digno suæ conversationis initia fine compleverit, si æqua cum capite devotione etiam caudam hostiæ offerre sategerit, testimonium ei perhibemus, quia dignos faciet pœnitentiæ fructus.

EPISTOLA (a) XXXIV. S. BERNARDI ad materteram imperatoris Hispaniarum.

Fratrum ei suffragia concedit, oratque ut controversia quæ inter suos & fratres de Careda erat per episcopos terminetur.

Ex ms. Aquicinctensi.

ILlustri dominæ G. reginæ & materteræ imperatoris Hispaniarum, BERNARDUS Clarævallis vocatus abbas, salutem & orationes.

(a) Hæc epistola scripta fuisse videtur occasione fundationis monasterii de Spina in diœcesi Palentina, quod condidit Sancia Alphonsi regis soror, cujus se fundationi opponebant monachi de Careda, seu ut legitur in epist. 301 S. Bernardi Carraccetenses, sive Carraccenses, quæ scripta dicitur circa annum 1149.

Devotionem vestram ex relatione fratris A [a] nostri (a) NIVARDI audientes, gratias agimus Deo, & oramus ut secundum fidem & fiduciam quam habetis in nobis, vobis retribuere pro sua pietate dignetur. Fraternitatem domus nostræ & orationum nostrarum, sicut desiderastis, gratanter vobis annuimus, & ut tantumdem pro vobis fiat, quantum pro uno quolibet nostrum tam in vita quam in morte. De cetero necesse habuimus suggerere præstantiæ vestræ de fratribus de [b] (b) Careda, quia per neptem vestram & per seipsos calumniam nobis struunt. De monasterio. . . . .

Oportet ergo nos providere bona non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus, B omnimodisque cupimus sic procedere in hoc negotio, ut non vituperetur bonum nostrum, nec homines illi occasionem habeant detrahendi. Proinde remisimus ad vos negotium, ut scandalum istud compescere studeatis. Et si aliter noluerint illi desistere, judicio, ut dignum est, domini Zemorenensis* episcopi & domini Asturicensis velitis & faciatis hanc controversiam terminari. Ubi enim vel eorum confessione, vel episcoporum judicio innotuerit non habere eos C unde adversum nos super hoc possint vel debeant reclamare, parati sumus, juvante Deo, sic ordinare locum, ut & vestra devotio gratuletur, & Deus glorificetur in opere vestro.

* Zamorensis.

EPISTOLA XXXV. S. BERNARDI abbatis super evangelio Lucæ: *Homo quidam erat dives qui habebat villicum*, &c.

Anno 1135. *Ex ms. Verdinensi.* [c]

REverentissimo domino suo (c) MATTHEO venerabili Dei gratia Albanensi episcopo frater BERNARDUS utique suus D quicquid servus domino & filius patri.

Quod a Roma per dominum SERVULUM carissimum nostrum Velvacensem abbatem supereminentia magnitudinis vestræ parvitati meæ mandaverat, videlicet ut eaquæ super evangelium de villico iniquitatis Deus mihi dixisse donaverat, vobis transcriberem, etsi sero nunc tandem non minimum pavidus, ne quid ibi insulsum vos offendat, transmitto. Super hoc igitur quæso vos in me pietatis & caritatis abundare visceribus, quatenus & ignoscatis mihi quod distuli, & emendetis vobis incorrectum quod obtuli. Auc- E toritati namque prudentiæ vestræ reservavi id ad corrigendum, & suppliciter offero, & cultellum qui vulgo *Quinivers* nuncupatur, habens de ebore manubrium, cum cartula mitto, quatenus imposturam quam avulsione dignam adjudicaveritis, meo gladio succidatis. De cetero autem precor vestræ pietatis abundantiam, ne in orationibus vestris obliviscamini mei, quia sine oblivione quotidie vestri memor, ubi propensius postulo misericordiam Dei. Valete. Explicit epistola.

Lectio S. evangelii.

In illo tempore dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc, &c.

OBSERVATIONES in quasdam epistolas S. Bernardi.

EPistola LXVI. quæ inscribitur *Gaufrido abbati sancti Medardi* in mss. codicibus Vedastino, Camberonensi, S. Jacobi Leodiensis & Aureæ-vallis inscribitur *Gaufrido abbati sancti Theoderici.* Quam lectionem communiter reperiri in mss. codicibus & in editis observavit Mabillonius, qui tamen lectionem prætulit codicis Corbeiensis habentis inscriptionem *S. Medardi abbati*, quia licet Gaufridus fuerit etiam abbas S. Theoderici, præerat tamen abbatiæ sancti Medardi anno 1131. quo hæc epistola scripta fuit.

Epistola LXXV. ad Artaldum abbatem Prulliacensem in codice Camberonensi & in Aquicinctino inscribitur: *Artaldo abbati Pultariensi.* Est autem Pultaria monasterium ordinis sancti Benedicti in diœcesi Lingonensi a Clara valle non multum distans. Codex autem Vedastinus, sancti Jacobi Leodiensis & alii legunt Prulliacensem, quam lectionem præfert Mabillonius.

Epistola LXXVI. quæ in antiquis editionibus inscribitur *Ad eumdem*, id est abbatem Prulliacensem in editione Mabillonii directa legitur *ad abbatem canonicorum sancti Petri de Monte*, quam restitutionem confirmat Leodiensis codex S. Jacobi, qui eumdem habet titulum.

Epistola LXXXI. ad Gerardum abbatem Pultariensem in codice Aquicinctensi hunc habet titulum: *ad Artaldum abbatem Pultariensem.*

Epistola CXXXVI. quæ in editis inscribitur ad Innocentium papam, in codice Vedastino, hanc præfert inscriptionem: *Ad eumdem*, id est Petrum Papiensem episcopum, quam lectionem reprobat Mabillonius.

Epistola CXLVIII. in codice Leodiensi S.

(a) Fratris S. Bernardi natu minimi, qui primus Spinensis monasterii abbas fuisse perhibetur.

(b) Seu de Carracceda ordinis S. Benedicti in diœcesi Asturicensi, quod monasterium circa annum 990. a Bermundo rege fundatum Cisterciensibus donavit Alphonsus VII. rex Hispan.

(c) Epistolam hanc descripsimus ex ms. codice Verdinensi, ubi extat post vitam & miracula S. Bernardi abbatis Clarevallensis. Matthæus Albanensis episcopus, cui inscribitur, ex monacho Cluniacensi factus prior S. Martini a Campis, inde creatus est cardinalis & episcopus Albanensis, apostolicæ sedis in Gallia legatus, ad quem extat S. Bernardi epist. 21. Servulus seu Serlo Belvacensis S. Luciani monasterii abbas erat, quæ omnia ætati S. Bernardi conveniunt. Hanc tamen epistolam suspectam & pro adulterina habemus, verum non fuit ideo prætermittenda.

Jacobi inscribitur : *Ad eumdem pro Valentino electo*. De quo tamen nihil in epistolæ contextu.

Epistola CLXXXVI. in Aquicinctino codice inscribitur : *Ad Simonem d'Oisi*, quam lectionem approbat Mabillonius.

Epistolam CXCII. observat Mabillonius in tribus codicibus Colbertinis inscriptionem hanc habere : *Ad magistrum Guidonem de Castello, qui Petri discipulus fuerat, & de quo potissimum præsumebat, qui postea papa Cælestinus fuit.* Qui quidem titulus æque in Vedastino occurrit codice.

Epistola CCIV. in codice Vedastino *ad abbatem sancti Albani* inscribitur ; pro quo Mabillonius legit : *Ad abbatem sancti Albini.*

Epistolæ CCXXIII. inscriptio in codice Aquicinctensi ita legitur : *Ad Joslenum episcopum Suessionensem durissima ei respondentem, ita ut hæc fuerit salus* : Salutem in Domino & non spiritum blasphemiæ.

Epistola CCXLVII. in codice Leodiensi S. Jacobi inscribitur : *Ad eumdem pro episcopo Sagiensi.*

Epistola CCLXXIV. quæ in editis hunc præfert titulum : *Ad Guidonem abbatem Trium-fontium quando erat Romæ.* In Leodiensi codice & in altero Aureæ-vallis ita inscribitur : *Ad Hugonem episcopum de præposito Autissiodorensi.*

Epistola CCLXXX. in vetusto codice monasterii Camberonensis hac inscriptione insignitur : *Ad dominum papam Eugenium pro electione Nivernensi.* E contrario in editis *pro negotio Autissiodorensi*, quam lectionem præferre malim : nam hac in epistola agitur de electione episcopi, cujus in diœcesi extat Regniacense cœnobium, quod in Autissiodorensi situm est.

Epistola CCCXXXV. quæ in editis *ad quemdam presbyterum cardinalem* inscribitur, in codice Vedastino nominatim *ad Petrum cardinalem* dirigitur.

In epistola CCCLVIII. editionis Mabillonii, quæ est ad Celestinum papam, post hæc verba : *Amicus sponsi non contristabit eam*, in codice Vedastino additur : *Fratrem N. vestræ majestati & commendavimus & commendamus, quia commendandus est.* Quæ vero sequuntur ejusdem epistolæ in prædicto Vedastino codice novam incipiunt lineam cum hoc titulo *ad eumdem*, quasi altera esset epistola.

Epistolæ CCCLXIII. in Leodiensi S. Jacobi codice hic præfigitur titulus : *Hanc epistolam B. Bernardus abbas Clarevallensis jam in extremis positus dictavit ad gentem Anglorum.*

Epistola CCCLXV. editionis secundæ Mabillonianæ in codice Aquicinctensi hunc præfert titulum : *Ad Henricum Moguntinum archiepiscopum contra fratrem Rodulfum, qui neci Judæorum consenserat.*

In epistola CCCXCVII. quæ est ad Odonem abbatem Majoris-monasterii, hæc verba in fine addenda ex codice Vedastino : *Semper parati sunt concitare injuriam aliis, invidiam suis, vobis autem, Pater, consulimus, uti consilio meliorum, nec abduci scandalo priscorum ad prævaricandum pactum labiorum vestrorum, ne dum paucorum malorum scandalum declinatis, bonis omnibus, quod absit, scandalo sitis.*

Epistola CCCC. in vetusto codice S. Martini Tornacensis hanc præfert inscriptionem : *Epistola Bernardi ad Vverricum Letiensem abbatem*, cujus hactenus nomen ignotum fuit.

Epistola CCCCIV. non *ad Albertum*, ut in editis, sed *ad Aibertum inclusum*, uti legitur in codice Aquicinctensi, dirigitur.

HYMNUS DOMNI BERNARDI abbatis de S. Malachia episcopo & confessore.

Ex ms. Veteris-Montis.

Nobilis signis, moribus suavis,
Meritis sanctus, inclytus triumphis,
Hodie carnis pondere levatus,
Migravit antistes.

Nec vacat viro Malachiæ nomen ;
Angelum sonans, angelorum signat
Similem esse puritate vitæ,
Gloria parem.

Angelus noster civium suorum
Redditus votis, sociatus choris,
Præminet multis, coæquatur summis
Merito quidem.

Sobrius victus, castitas perennis ;
Fides, doctrina, animarum lucra
Meritis parem, cœtui permiscet
Apostolorum.

Opere vicem, animo virtutem
Tenuit horum præsul & legatus ;
Ac per hoc jure etiam honorem
Vindicat sibi.

Signa si quæras, quis referre queat ?
Hoc tamen dico, manifesta satis
Mortua surgens quantus in hac parte
Fuit gloriæ.

Christo regnanti sitne ulla nostri
Cura putamus, quos amavit prius
Pauperes, fovit humiles spiritu
Humilis ipse.

Absit ab illo fonte pietatis
Sorte levata segnius manare :
Absit ut spernat miseros beatus
Orphanos pater.

O Malachia, Claravallis tua
Clarior tui corporis thesauro
Postulat supplex te tuente frui
Pace perenni.

Gloria Patri Filioque ejus,
Gloria tibi, amborum Spiritus,
Una sit tibi quia tres sunt unum
Una majestas.

PRIVILEGIUM LOTHARII imperatoris II. pro monasterio Walciodorensi.

Confirmat subjectionem Hasteriensis monasterii ad Vvalciodorense, & qua ratione ab utroque monasterio abbas sit eligendus declarat.

Anno 1136. *Communicavit reverendissimus abbas Vvalciodorensis.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. LOTHARIUS Dei gratia Romanorum imperator augustus. Ad imperialem munificentiam pertinet bene de republica merentibus præmia rependere, & ceteris ad famulatum imperii surgentibus dotem in exemplum ac bonæ spei signum collocare. Quocirca noverit fidelium nostrorum tam futurorum quam præsentis ætatis industria, quod interventu dilecti ac fidelis nostri WIBALDI (a) abbatis, qui nunc, Deo auctore, Stabulensi monasterio præest, privilegia Walciodorensis monasterii, in quo prædictus abbas sanctum religionis habitum suscepit, juxta regulam beati Benedicti & sanctorum patrum instituta professionem fecit, recitari & exponi jussimus, in quibus scriptum continebatur quod vir quondam illustris EIBERTUS comes in proprio hereditatis suæ fundo monasterium secundum regulam & ordinem monachorum in pago Lumensi construxit, & de suo jure ac proprietate in jus & donationem regiam concessit & transegit, quod monasterium cum omnibus appendiciis suis imperator OTTO primus, cui a præfato comite suo utique consanguineo donatum fuerat, contulit Metensi ecclesiæ per manus DEODERICI venerabilis Metensis episcopi, hac scilicet interposita rationis observantia, ut idem pontifex quemdam locum Hasteria nomine olim a sanctissimo prædecessore suo ADALBERONE antistite ex proprio hereditatis jure sancto protomartyri Stephano in Metensi ecclesia delegatum, supradicto cœnobio gratia solaminis copularet. Et quoniam proxima vicinitate junguntur, etiam sub unius ditione & ordinatione abbatis eadem præfata loca, Walciodorus videlicet atque Hasteria, indissolubili vinculo necterentur; quæ constitutio tam a divæ recordationis prænominato augusto, per venerandæ sanctionis paginam roborata, quam apostolicis decretis per sanctissimum papam BENEDICTUM confirmata, usque ad nostra tempora immobilis permansit & inconvulsa. Quocirca nos imperialem prædecessorum nostrorum auctoritatem sequentes, confirmamus THEODERICO abbati qui nunc Walciodorensi cœnobio præest, & cunctis abbatibus suis videlicet successoribus regulariter ibidem substituendis, eumdem locum, Hasteriam videlicet, cum omnibus intus & foris ad ipsum pertinentibus, ita scilicet ut habeant plenariam potestatem possidendi & ordinandi, & ad utilitatem Walciodorensis cœnobii applicandi & agendi universa quæ abbates agere solent in fundis ad suum monasterium jure proprietario pertinentibus: & decedente eo qui nunc ibi, Deo præstante, regulariter præest, THEODERICO abbate suisque successoribus in perpetuum regulariter ordinandis, Hasterienses monachi conveniant Walciodorum, tam ad exequias defuncti abbatis devote peragendas, quam ad electionem futuri pastoris disciplinate & concorditer celebrandam; hoc videlicet discretionis tenore, ut primus assensus, prima vox, prima denominatio penes Walciodorensium constet arbitrium, & de ipsorum cœtu persona, si fuerit idonea inventa, absque contradictione Hasteriensium eligatur. Quod si ibi forte reperiri non poterit, atque in Hasteriensi ecclesia persona conveniens inventa fuerit, de ipsis potius quam de alieno monasterio prelatus assumatur. Et ut hæc constitutio rata & immobilis per cuncta successura tempora permaneat, præsens præceptum conscribi mandavimus, nostræque signo imaginis impresso, testes qui actioni & judicio interfuerunt, subtus notari jussimus. ALBERO Trevirensis archiepiscopus, CUONRADUS Madaburgensis archiepiscopus, MEINGOTUS Merseburgensis episcopus, ALBERO Basileensis episcopus, ALBERO Leodiensis episcopus, HEINRICUS Tullensis episcopus, CUONRADUS Fuldensis abbas, laïcorum principum HEINRICUS dux Bavariæ & marchio Tusciæ, CUONRADUS marchio de *Vvitin*. Signum domni Lotharii II. Dei gratia Romanorum imperatoris augusti.

Data anno Dominicæ Incarnationis MCXXXVI. XVI. kal. Septembris, indictione XIIII. anno regni domni Lotharii XI. imperii III.

Actum *Vverseborche*, in Christi nomine feliciter. Amen.

(a) Vvibaldus fuit etiam abbas Corbeiensis ad Visurgim fluvium, immo & Cassinensis, vir magni nominis, & suo tempore vix ulli secundus, cujus epistolas tomo II. Deo dante, publici juris faciemus.

DIPLOMA LUDOVICI VI. regis Francorum pro Gosleno Suessionensi episcopo.

Usurpationes communiæ Suessionensis irritas & emendandas declarat.

Anno 1136. *Ex cartario B. Mariæ Suessionensis.*

L. Dei gratia Francorum rex, G. ejusdem gratia venerabili Suessionensi episcopo omnibusque successoribus ejus canonice substituendis in perpetuum, salutem & gratiam nostram.

Quoniam ad tutelam ecclesiarum regni gubernacula a Deo nos suscepisse cognovi-

mus, oportet ut quæ tempore nostro ad quietem ecclesiæ peregimus ad notitiam tam præsentium quam futurorum custodiæ litterarum commendemus, ut quod a nobis factum est, semper ratum permaneat, & successores nostri reges exemplo nostro ad quietem ecclesiarum operam dent. Contigit ob pacem patriæ nos in civitatem Suessionensem communiam (a) constituisse de hominibus illis, qui ea die domum aut plateam habebant infra terminos urbis & suburbiorum ejus, eisque quædam gravamina dimisimus, quæ a dominis suis patiebantur, unde & ipsis cartam fecimus. Verum nostra emunitate contenti non fuerunt, immo super te, & super ecclesiam episcopalem, ceterasque ecclesias tibi commissas, liberosque homines, multa quæ a nobis non acceperant temerarie occupaverunt, scilicet quod viros & feminas extra communiam per conjugia alterius personæ quæ erat in communia dominis suis auferebant, ipsisque volentibus in communia retinebant. Item quod ecclesiis & liberis hominibus terrarum suarum justitias auferebant; adeo ut si homo de justitia eorum per eos jus exequi contemneret, res contemtoris super terras suas terrarum dominis, communia prohibente, accipere non liceret. Item, si homo communiæ in villis extra communiam habitaret, taillias, corvadas, quas terra debebat & ceteri accolæ persolvebant, violentiam dominis terrarum inferente communia, persolvere negligebant. Item, si homines qui non erant de communia annonam, vel vinum vel cetera in terris ecclesiarum vel liberorum hominum inter civitatem vel suburbia ponerent, ut ibi salvæ fierent, aut si ad mercatum afferrent, tallias inde exigebant. Item, portagia, quæ de feodo episcopi casati tenebant eos accipere prohibebant. Item, de infracturis ceterisque forisfactis quæ in terris infra communiam fiebant, propter emendationem dominis plusquam quinque solidos persolvi non permittebant. Item, vero pro forisfacto communiæ hominem, si volebant, totum redimebant. Item, in pervaturia episcopi & infra domos ejus conventus suos faciebat, & in magna curia captos suos, nolente episcopo, incarcerabat. De his omnibus, tu G. episcope & ecclesia tua clamorem penes nos deposuisti, dieque inter nos & communiam statuta apud S. Germanum de Loia convenistis. Ibique curiæ nostræ judicio decretum est, communiam supradicta omnia usurpasse, fidemque dederunt in præsentia nostra tam Lootus major quam ceteri jurati qui ibi aderant se hujusmodi numquam usurpaturos. Reliqua quoque pars communiæ quæ Suessi. erat in præsentia WILLELMI pincernæ nostri, quem pro nobis misimus, idem affiduciavit. Hoc tamen pro pace utriusque concessum est, quod Simone de communia ejecto, qui totius mali causa extiterat, homines & feminæ, qui contra statuta in communia tunc recepti erant, ibi remanerent, compositione tali, quod unum de liberis suis in potestate dominorum extra communiam maritarent, & de forisfactis communiæ ultra LX. solidos absque voluntate dominorum quorum homines vel hospites sunt accipere non poterunt, domini vero terrarum quantum forisfactum portat accipere in potestate habebunt, aut sine clamore communiæ res forisfactorum super terras suas quantum forisfactum fert accipere. Quod vero ista irrefragabiliter ab eis in posterum teneantur, me & L. filium meum, & A. reginam conjugem meam & * committere R. tibi & ecclesiis obsides dederunt. Quod ne possit a posteris infirmari, sigilli nostri auctoritate nominis caractere subterfirmavimus.

* f. comitem.

Actum Lauduni anno Incarnati Verbi MCXXXVI. regni nostri XXIX. LUDOVICO filio nostro in regem coronato anno IIII. astantibus in palatio nostro quorum nomina subtitulata sunt & signa. Signum R. comitis & dapiferi nostri. S. G. buticularii, S. Hugonis constabularii, S. Hugonis camerarii. Data per manum STEPHANI cancellarii.

CHIROGRAPHUM Balduini abbatis sancti Quintini in Insula concedentis fratribus suis, qui apud *Boëni*, hoc est montem sancti Martini, institutum Præmonstratensium susceperant, terram *Brahencourt*.

Anno 1136. *Ex cartario S. Quintini in Insula.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego BALDUINUS Dei gratia abbas ecclesiæ sancti Quintini de Insula, quoniam inter ceteros humanæ fragilitatis defectus, quam plurimum nocet oblivio, litteris cogimur tradere, quod volumus numquam a memoria cadere. Notum ergo sit omnibus, quoniam cum primum apud *Boëni* fratres (b) nostri in Christo vitam suam secundum B. Augustini regulam artius instituissent restringere, nos eorum in præsenti sublevantes inopiam, ut ad perpetuam in futuro conscenderemus gloriam, totam terram, tam

(a) Anno 1131. uti legitur in Historia urbis Suessionensis, ubi litteræ, quas hic damus, Ludovico VII. male attribuuntur. At novo diplomate confirmata fuit hæc communia abs rege Philippo, anno Christi 1181. uti videre est in prædicta Historia, in qua ejus regis diploma refertur. Perseveravit hæc communia ad annum usque 1325.

(b) Illi fratres perfectionis gratia apud *Boëni* tanquam in solitudinem, ubi soli ab hominum consortio separati viverent, secesserant; cum autem eo tempore Præmonstratenses vitam quasi angelicam sub regula S. Augustini ducerent, illorum institutum sponte susceperunt, annuente abbate suo, & sic initium dederunt abbatiæ Montis S. Martini in diœcesi Cameracensi.

cultam quam incultam, & silvam, jura quoque regiminis sive judiciorum quæ possidebamus apud *Brahencourt* memoratis fratribus capituli nostri consensu tribuimus, excepto quod de silva ad usum necessarium absque venditione nobis retinuimus. Hoc tamen pacto, ut prædicti fratres ecclesiæ nostræ sancti Quintini unum modium avenæ & alterum frumenti, in festivitate S. Remigii annuatim persolvant, & terram illam, sive silvam totam ab omni exactione vel inquietudine liberam per omne tempus, excepto quod eis non licet vendere vel sartare, possideant, nisi communi assensu. Quod ut ratum permaneat, scriptum hoc fecimus, quod sigilli nostri impressione & testium subscriptione munitum nobis per chyrographum divisimus. Signum HUGONIS abbatis Humolariensis, S. Gerardi decani, S. Raineri dapiferi, S. Oylardi majoris, S. Raineri de *Roinum*, S. Werrici *Vvastel*, S. Radulfi majoris, S. Radulfi Longa-gula. Actum anno dominicæ incarnationis MCXXXVI. indictione XIIII. concurrente III. epacta XV.

EPISTOLA ERPONIS decani Halberstadensis ad Innocentium papam secundum.

De electione Gerhardi præpositi S. Johannis in episcopum Halberstadensem.

Anno 1136. *Ex mss. S. Germani à Pratis.*

VEnerando sanctæ Romanæ ecclesiæ pontifici domno INNOCENTIO, Erpo decanus Halberstadensis cum ceteris domni GERHARDI electoribus, tam devotam quam debitam cum servitio & oratione obedientiam.

Quod paternitatis vestræ mansuetudinem angustiarum nostrarum incommodis totiens gravamus, quod vestræ dominationis aures querimoniis nostris toties pulsamus, Deus scit quanto cordis mœrore simul ac pudore tabescimus, & ingravescente doloris pondere, jam pene deficimus. Cum vero divinæ bonitatis magnitudinem erga omnes afflictos, itemque vestræ pietatis paternum semper erga nos affectum pensamus, ingenti spe recuperandæ salutis animati, omnem sollicitudinem vestram in ejus gratiam, & in vestræ paternitatis consilium jactamus. Sed jam novas & inopinatas miserias nostras exposituri, totius veritatis auctorem Deum testem invocamus in animam nostram, quia puræ veritati, quantum epistolaris brevitas permittit, studentes, rem sicut gesta est vobis insinuare curamus. Acceptis dulcissimæ paternitatis litteris, (a) in quibus & de ecclesiæ nostræ liberatione, & vestra pia erga nos sollicitudine plurimum gavisi sumus, intervenientibus hinc inde variis dilationum & impedimentorum causis, & transactis jam pene diebus ex præcepto vestræ auctoritatis ad eligendum episcopum præscriptis. Tandem in majori ecclesia, sicut justum erat pervenimus, & invocata primitus, sicut vos præmonueratis, Sancti-Spiritus gratia ..... episcopum Deo dignum .... acceptis & ad restaurandum ecclesiæ nostræ miserabilem tam in spiritualibus, quam in temporalibus jam dilapsæ idoneum eligeremus. Priori quidem die a mane usque ad vesperam adorantes nihil profecimus. In secunda vero die sub invocatione S. Spiritus iterum nobis in unum congregatis, de transgressione vestri præcepti, ac reatu inobedientiæ plurimum metuentibus, post multa consilia, tandem in personam domni GERHARDI (b) præpositi sancti Johannis in *Halberstad*, viri in ecclesia vita & moribus satis probati, nos videlicet harum litterarum portitores & missores convenimus, & eum sedi Halberstadensi in episcopum canonice elegimus, nulla omnino alia causa, nisi quia in majori ecclesia neminem in quem omnium consensus concurreret, invenire potuimus. Quam electionem nostram, quibusdam confratribus nostris contradicentibus, & ne fieret omnino impedire cupientibus, & inter alia electionem in domnum (c) MARTINUM factam, sed coram legatis vestris cassatam prætendentibus, ad extremum & per inordinatam appellationem apostolicæ sedis nos ab incœpto deterrere cupientibus, nos divinum timorem & præcepti vestri auctoritatem & temporis brevitatem pensantes, quod incœpimus cum consensu multorum clericorum & laicorum perfecimus. Nunc ergo, reverentissime pater, in tanto tempestatum nostrarum turbine, ad vestræ paternitatis consilium, & ad piæ compassionis consuetum nobis solatium, quasi tutissimum post Deum spei nostræ portum confugientes, sanctitatis vestræ pedibus omnes in commune tam absentes quam præsentes provolvimur, domnum cancellarium & omnem Romanam curiam quanta possumus cordis devotione & precum instantia ad condolendum & subveniendum nobis invitamus & excitamus, qua-

(a) His litteris significabat summus pontifex OTTONEM episcopum de sede Halberstadensi dimotum fuisse in synodo Pisana, certumque clero & populo tempus ad eligendum præfiniebat.

(b) In Chronico Halberstadensi Gerardi hujus nulla fit mentio; sed RUDOLPHUS Ottoni exauctorato suffectus legitur anno sequenti his verbis. *Anno igitur Domini 1137. indictione 14..... ecclesia Halberstadensi non habente pastorem, imperator* LOTHARIUS, GERHARDUS *cardinalis apostolicæ sedis legatus*, ADELBERTUS *Moguntinæ sedis archiepiscopus*, BERNHARDUS *Hildesiensis episcopus, cum multis religiosis episcopis conveniunt ad electionem, & invocata Spiritus sancti gratia, dominus* RUDOLPHUS *vir patiens & quietus .... in episcopum est electus in dominica* Lætare Jerusalem *6. nonas Martii &c.* Unde conjicimus vel Gerardum anno eodem excessisse e vivis, vel electionem ejus irritam fuisse, quod probabilius videtur, & ex sequenti Lotarii epistola quodammodo confirmatur.

(c) Nec memoratur Martinus in prædicto Chronico.

tenus

tenus secundum datam vobis a Deo sapientiam in præsenti negotio quicquid justitia dictaverit decernatis, & adhibitio magni consilii Angelo, vestro honori & nostræ necessitati consulentes, certum aliquem finem nostris calamitatibus imponere non differas. Nos vero qui sub obedientia vestra quælibet extrema pati, & ipsam mortem subire parati sumus, sicut fessus umbram & sitiens fontem, ita vestræ prudentiæ solatium spe non dubia expectamus.

EPISTOLA LOTHARII imperatoris ad Innocentium papam II.

De electione episcopi Halberstadensis in discordia facta.

Anno 1136. *Ex ms. S. Germani a Pratis.*

COmmonuit nos sæpe & rogavit paternitas tua, in quantum possemus, salva imperiali reverentia, rigorem nostrum contra imperii inimicos remitteremus, ipsisque propter necessitatem quæ ecclesiæ imminebat, locum consequendæ gratiæ nostræ concederemus. Quod ut competentius fieret, non nostræ, sed divinæ fuit ordinationis, quæ omnia quemadmodum voluisti & petisti, sui misericordia ad honorem ecclesiæ & imperii mitigavit & composuit. Si quidem tam materiali quam spirituali uterque convictus gladio FRIDERICUS in *Babenberch*, CONRADUS in curia proxime celebrata ad gratiam nostram venit, ambo ad ecclesiæ servitium sacramento nobis obligati: quos tamen non minus obligatos sub hac cautela & conditione recepimus, ut plenitudinem absolutionis suæ non nisi apud tuam paternitatem obtineant. Ita omnibus pro voto compositis, omnino ad liberationem ecclesiæ essemus obligati, si Halberstadensi ecclesiæ melius consultum esset. Super cujus negotio sæpius hoc anno nuntios & litteras nostras tibi direximus: in quibus, teste Deo, nihil nisi veritatem & ordinem executi sumus, omnino circa hoc intenti, ut pacem & concordiam eidem reformaremus ecclesiæ. Qualiter autem id quidem mendaciis suis perverterint, teque a concilio nostro averterint, iterato tibi scribi non oporteret. Hoc tamen pro constanti tibi promittimus, quod coram ecclesia Romana in præsentia tua vita comite evidenter probavimus omnia ita se habere, sicut nuntio nostro & litteris tibi significavimus, nec tamen ob contemtum consilii nostri minus vellemus, siquomodo unitas & concordia reformari potuisset, satisque passi fuissemus, si in hoc malo aliquis usus fuisset, quod longe aliter est. Dum enim sanctum paternitatis tuæ præceptum ecclesia illa in eligenda persona convenire debuisset, tam ecclesiæ quam imperio idonea, duæ partes factæ sunt. Nam canonici matricis ecclesiæ electionem de Martino præposito factam aliquando proponebant, hancque omnes, exceptis quatuor, unanimiter affirmabant, tres tantum alias personas ejusdem ecclesiæ secundario designantes, ut si hujus canonice rejiceretur, unam istarum obtinerent. Regulares vero nullam istarum approbantes, assensum his non præbuerunt, sicque communi utriusque partis consilio electionem in sequentem diem distulerunt. Interim regulares, advocatis quatuor, sicut diximus, de majori ecclesia, GERHARDUM præpositum elegerunt, clero & populo alterius partis invito & reclamante, & appellante apostolicam audientiam sub testimonio canonicæ censuræ, quæ jubet nullis invitis dari episcopum vel pastorem. Quia vero in partibus Saxoniæ, maxime in præfata ecclesia imperialis dignitas consistit, saltem adhuc paternitas tua nobis adquiescat, & audita utraque parte, ita nobis eos remittas, ut salva libertate electionis, nos pro consilio archiepiscopi & suffraganeorum, exhibitis religiosis personis talem provideamus, qui ecclesiæ & imperio expediat. Talis enim necesse est ut eligatur, qui in exequendis his quæ Dei & Cæsaris sunt, vires habeat & scientiam. Ut autem simplici oculo nos hæc quæ diximus desiderare cognoscas, legatum tuum cardinalem ad nos dirigas, quo præsente & consulente, ecclesiæ desolatæ succurratur. Scire autem te volo quia natale Domini Spiræ celebraturi sumus, convocatis principibus de Romana expeditione tractabimus, ad quam curiam legatum & litteras tuas mitti desideramus, per quas archiepiscopos & abbates qualicumque comminatione ad tuum & nostrum servitium commonefacias.

CARTA RADULFI COMITIS Viromandensis pro monachis Casæ-Dei.

Concedit eis nemus sancti Georgii, & tertiam partem de Villari monachorum.

RADULFUS Viromanduorum comes omnibus tam futuris quam præsentibus. Notum facimus vobis omnibus, quod nos pro Dei amore, nemus quod dicitur sancti Georgii, sicut per metas distinguitur, monachis Casæ-Dei apud *Villers* Deo servientibus, libere & in omni pace habere & perpetuo possidere concessimus, ut quæ sibi necessaria fuerint tam ad comburendum, quam ad ædificia sibi construenda in eo recipiant, cum constiterit idem nemus ex nostra concessione ab hominibus nostris eis datum fuisse. Contulimus etiam monachis eisdem tertiam partem justitiæ *de Villers*, quod dicitur Villare-monachorum, & in foresta nostra pro porcis suis propriis pascua sua perpetuo possidenda. Quod ut ratum, &c. Actum anno Domini MCXXXVII.

Anno 1137. *Ex ms. Colbertino.*

DIPLOMA LUDOVICI VII. regis pro monasterio Cusciacensi.

Modium frumenti & modium vini ipsi assignat in villa de Veisli.

Anno 1138. *Ex cartario Branensi.*

IN nomine Domini. Ego LUDOVICUS Dei gratia in regem Francorum & ducem Aquitanorum sublimatus. Notum fieri volumus universis tum futuris quam instantibus, quod nos pro remedio animæ patris nostri & nostræ, ecclesiæ beati Audeberti & fidelibus Cusciacensis ecclesiæ ibidem Deo servientibus, donavimus & in æternum concessimus apud villam quæ dicitur *Veisli* in Granea singulis annis unum modium frumenti de decima. Similiter unum modium vini de decima ejusdem villæ. Quod ut perpetuæ stabilitatis obtineat munimentum, scripto commendavimus, & sigilli nostri auctoritate & nominis nostri caractere subterfirmavimus. Actum publice Suessionis anno Verbi incarnati MCXXXVIII. regni nostri primo, astantibus in palatio nostro quorum nomina subtitulata sunt & signa.

EPISTOLA (a) IMBERTI Arelatensis archiepiscopi ad abbatem & monachos sancti Victoris.

Absolvit eos a sententia in eos lata.

Ex archivis S. Victoris eruit D. Furnerius. [a]

IMBERTUS Dei gratia Arelatensis archiepiscopus dilectis filiis suis abbati & fratribus monasterii Massiliensis, salutem & dilectionem.

Dilectum & venerabilem fratrem vestrum Petrum monasterii vestri priorem majorem ex parte vestra ad nos transmissum gratanter recepimus, & ejus justis petitionibus annuere proposuimus. Petiit quidem à nobis ex parte vestra prædictus prior, ut scrupulum dubitationis, qui ex sententia nostra mandato apostolico in vos lata obortus fuerat in animo Massiliensis episcopi, removeremus, & ejus conscientiam serenaremus. Nos vero subito R. præpositi Massiliensis apostolicæ sedis legati & Petri de Castro-novo Magalonensis archidiaconi consilio, & plurium aliorum jurisconsultorum prædictam dubietatem sedamus, quid..... sive teneat sententia, sive non teneat, nos auctoritate nostra Massiliense monasterium & ejus monachos a prædicta sententia absolvimus & liberamus.

(a) Hic Imbertus qui & Humbertus sedere cœpit anno 1190. Porro ex hoc diplomate discimus Raymundum præpositum Massiliensem fuisse apostolicæ sedis legatum, quod hactenus fuit ignotum. Petrum vero de Castro-novo eumdem esse suspicor cum Petro de Castro-novo Cisterciensi monacho apostolicæ sedis legato adversus Albigenses, qui spretis ecclesiæ dignitatibus Cisterciense institutum susceperat.

PETRI DIACONI EPISTOLA consolatoria ad Richizam imperatricem.

De obitu Lotharii tertii Romanorum augusti, cujus insignem describit pietatem.

Anno 1138. *Ex ms. Casinensi eruit Mabillonius.*

DOminæ suæ excellentissimæ atque piissimæ RICHIZÆ a Deo protectæ, magnæ ac pacificæ Romanorum imperatrici augustæ, PETRUS vestri imperii servus post præsentis regni potentiam, æternam felicitatem.

Licet nervus incisus doleat, & spiritus tristis ossa conterat, non tamen adeo lugendus est dominus noster imperator (b) LOTHARIUS, sicut & hi, sicut dicit Apostolus, qui spem non habent; ad suum perrexit, in quo summum bonum est, in quo omnis bonitas, omnis justitia, omnis pietas, omnisque sanctitas est; ad illum perrexit, qui sua præcepta servantibus clamare non cessat: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego vos requiescere faciam. Elias festinans rogabat ut acciperetur a se anima sua. [Et post multa.] Dolendumne est igitur in decessu? minime: quid enim absurdius, quam ut id quod scias omnibus esse præscriptum, quasi speciale deplores; hoc est animum supra conditionem extollere, legem non recipere communem, consortium recusare, mente carnis inflari, & carnis ipsius nescire mensuram: quid absurdius quam nescire qui sis, affectare quod non sis? aut quid imprudentius, quod futurum scias, id cum acciderit ferre non posse? Natura ipsa nos revocat, & hujusmodi mœroribus quadam sui collatione subducit. Quis enim tam gravis luctus aut tam acer inest dolor, in quo non interdum relaxetur animus? Habet hoc natura, ut quamvis homines in tristibus rebus sint, tamen si modo homines sunt, a mœrore mentem paulisper abducant. Fuisse etiam feruntur quidam populi, qui ortus hominum lugerent, obitusque celebrarent; nec imprudenter: eos enim qui in hoc vitæ sæculum venissent, mœrendos putabant: eos vero qui ex istius mundi procellis & fluctibus emersissent, non injusto gaudio prosequendos arbitrabantur: mors æqualis est omnibus hominibus, indiscreta pauperibus, indiscepta divitibus. Hanc quotidie præ oculis tantus Cæsar habebat, qui sicut vidimus & experti sumus, dum in ejus versaremur obsequiis, sub imperiali clamide alterius militiæ tirocinium ostendebat. Prius enim in lucis crepusculo missam pro de-

Nota imperatoris pietatem.

(b) Excessit e vita Lotharius anno Christi 1137. pridie nonas Decembris, uti in tabula plumbea quæ in Mausolæo ejus reperta est anno 1618. notatur. Hinc corrigendus Dodechinus & alii post eum, qui mortis ejus diem ad III. cal. Decembris consignant.

functis audiebat, dehinc pro exercitu, postremo missam diei; demum cibum potumque viduis, pupillis ac ceteris pauperibus large distribuens, quæstiones & oppressiones ecclesiarum relevabat, & in ultimo in cura imperii insudabat; quamdiu enim Casini remoratus est, omnibus noctibus ita claustrum & omnes officinas monasterii, ac si abbas vel quilibet decanus circuibat, scire cupiens, qualiter unusquisque sub beati Benedicti magisterio viverent: factoque mane per omnes monasterii ecclesias causa orationis discalceatis pedibus incedebat. Licet autem hoc ageret, numquam a consortio archiepiscoporum, episcoporum, abbatum, clericorum vel monachorum sequestrabatur, ut impleretur in eo quod legitur, & cum sapientibus ac religiosis sermocinatio ejus. Quis autem ejus gravitatem non miretur, cum ad sedandas dissensiones fratrum quæ pro electione abbatis ortæ fuerant, ad capitulum veniens, ab hora prima diei usque in vesperum, non cibo, non potui indulgens, exinde non egrediebatur. Quo autem affectu, quove amore Casinensem dilexit ecclesiam, ostendit, cum dixit prius se sinere omnia privilegia & concessiones ecclesiarum convelli, quam aliquid de dignitatibus & privilegiis Casinensis ecclesiæ minui: & prius sineret electionem omnium episcoporum, archiepiscoporum & abbatum qui sunt in toto orbe Romano tollere, quam solummodo Casinensis abbatis. Dicebat enim, abbas si ex consensu monachorum electus non fuerit, abbas non est: & quicumque electionem monachis tollit, omnia monasterii jura convellit. Et cum hæc omnia ageret, erat tamen cæcorum baculus, esurientium cibus, spes miserorum, solamen lugentium; & ita singulis virtutibus eminebat, quasi ceteras non haberet: sacerdotes honorabat ut dominos, clericos ut patres, pauperes ut filios, viduas ut matres, creber monitionibus, pervigil in vigiliis, lacrymas Deo non hominibus offerebat; volvuntur per ora lacrymæ, & obfirmato animo non queo dolorem dissimulare quem patior: postquam enim nostram parvitatem discipulum Bertulfi (*a*) cancellarii effecerat; postquam Logothetæ, exceptoris & auditoris officio remuneraverat, postquam sessionem ad pedes suos indulserat, postquam a secretis effecerat, postquam de his quæ ad vitam æternam attinent, satis instruxerat, te præsente, & cunctis imperii aulicis adstantibus, manum meam apprehendens, & Guibaldo commendans abbati, dixit ad eum; si qua meæ dilectionis, si qua mei amoris in vestro corde vestigia sunt, in isto ostende, eumque pro nostro amore loco carissimi & unici filii habe. Hæc cum dixisset imperator augustus, cæsarque Romanus & pater patriæ nominatus, ut clericos discordantes in pace reconciliaret una cum vestra excellentia dum studeret, corpus & animam cælo reddidit. Confortare igitur strenuissima, & juxta illud Salomonis præceptum; accipe consolationem propter tristitiam. Sed fortasse dicis: Quomodo possum accipere consolationem, cum eum quem diligebam, amisi? Nonne hæc nobis cum ipso mundo elementisque communia sunt, quia ad tempus creata in perpetuum tenere non possumus: non amisit virum, quæ exhibet castitatem: non est viduata conjugio, quæ non mutavit nomen mariti. Recole quid David fecerit, is enim cum amisisset filium, surrexit, comedit, bibit, & dixit: *Ego vado ad eum, ille vero amplius non revertetur ad me.* Hæc igitur, excellentissima domina, advertens, ita vos ab imminente tristitia temperate, ita studete, quatenus Deum decet; felici cernere possis intuitu. Salvationis etiam & consolationis & orationis obsequium vobis congregatio Casinensis dirigit, puerumque Minonem filium domini Ptolomæi, qui penes vos est, vobis commendantes, rogant ut illum loco filii habeatis.

EPISTOLA PETRI DIACONI Casinensis monachi ad Conradum imperatorem II.

Congratulatur ei de sua in imperatorem electione, hortaturque ut strenue & christiane Romanum regat imperium, atque Casinense monasterium protegat.

CONRADO excellentissimo imperatori & Romani imperii strenuissimo propagatori PETRUS diaconus clypeo Domini jugiter protegi, atque ejus victrici dextera de spiritualibus ac corporalibus hostibus perpetuo triumphare. Anno 1138. *Ex ms. Casinensi eruit Mabillonius.*

Benedictio & claritas & sapientia & gratiarum actio sit in sæcula omnipotenti Deo nostro, qui per vos & in vobis antiqua nobis suscitavit miracula, & de recenti vestra electione vetera Romano imperio renovat gaudia: non enim Annibalis interitus, aut Gothorum internecio, vel Lucii Catilinæ cædes, vel Attilæ ac Totilæ interitus sic nos delectat, quomodo magnificam vestram audisse electionem, & in vestris successibus divinam jugiter prædicare potentiam. Per vos quippe æterne urbis decus honorque ad solis ortum usque protenditur, dilatatur, ac in rebelles sibi nationes infidelitate depulsa accipit principatum. Per vos Romani imperii dignitas reparatur, sublimatur, & in antiquum consulum Pompeii, Scipionis, Julii, Octaviani, atque Trajani dominationis vix attollitur statum. Lætetur

[a] (*a*) In Chronico Casinensi cap. 125. legitur, discipulum Henrici Ratisponensis episcopi & cancellarii effecit.

itaque in vestra electione omnis penitus christianitas, oriens & occidens, gaudeat, meridies cum septentrione resultet, æterna urbs cunctorum post Deum terrestrium domina fastos ac solemnes dies concelebret, & in Domini nostri JESU CHRISTI laudibus det vota, promat cantica, & consonis lætitiæ vocibus antiquam renovet armoniam, dicens: *Cantemus Domino, gloriose enim glorificatus est.* Vere namque in vobis honorificatur Deus, qui talem elegit, qui unus persequatur mille & transmoveat dena millia. Ecce per quadruos orbis Romani fines vestra opera, vestri labores, vestra certamina insignia referuntur, omnis pene lingua de vestri imperii gloria loquitur. Facti siquidem estis, ut ait Apostolus, spectaculum mundo & angelis & hominibus, facti estis propugnatores Domini, Romani imperii gloria, augmentum, decus, & mirabile diadema, defensio sedis apostolicæ, solamen tristium, refocillatio pauperum. Recepit tandem proprium filium Dei miseratione Romana civitas, & ex antiqua cæsarum prosapia gaudet se retinere imperatorem. Vos tamen quos ad tantum imperium divina elegit majestas, oportet & decet, ut quanto magis ab illo super ceteros mortales elevati estis, tanto magis illi in omni humilitate subditi sitis. Quos enim temporaliter dedit imperare, si ejus misericordiæ, ejus potentiæ omnes actus vestros adscripseritis, dabit perpetuo triumphare: pacis itaque bonum, imperator invicte, ante omnia & super omnia custodite, nullus in vestro pectore livor, nulla subrepat invidia. Subjectum vero vobis Romanum imperium juste misericorditerque tractate, ut Romana ecclesia maxime, per quam accepistis Romani imperii sedem, sentiant se & sentientes gaudeant talem ac tantum augustum meruisse, atque in Deum timentis ditionem venisse. Numquam tantum vobis opes alicujus placeant, ut non semper in vestro pectore justitia præponderet, ut justitia locum æquitatis perdat: quid namque prodest Romani imperii gubernacula suscepisse, si non cunctos mortales studetis in misericordia, in justitia, in omni denique bonitate præcellere; animi enim probitas, non solum vobis, sed etiam subsequentibus debet esse forma, exemplum virtutis. Ita autem facientes omnipotentis Dei gratiam semper cooperatricem habebitis, cujus adminiculis & inimicos omnes subjugabitis, & tam de præsenti, quam & de futura pace gaudebitis. Casinensem vero ecclesiam sciatis quotidie pro vestri imperii statu omnipotenti Domino supplicare, ut cœpta per vos misericordiæ suæ opera ad condignum finem perducat, & ut vos ab omnibus malis protegat, & defendat, atque pro tanto labore æternæ municipatum vitæ vobis in futuro concedat. Rogamus autem generositatis vestræ celsitudinem, triumphator præcelse, ut Casinensem ecclesiam, omnium cœnobiorum matrem protegatis; ea enim prædecessorum vestrorum quondam defensa præsidiis, ditata opibus exstitisse cognoscitur. Vos ergo quemadmodum pro sapientiæ vestræ nobilitate, potentia, prudentia, in omnibus quæ sæculi sunt, & probis, quod magis egregium est, moribus æquiparare probamini, ita etiam in Casinensis cœnobii exaltatione æquiparare conamini. Facite vobis in terris beatum Benedictum debitorem, ut ei quæque contuleritis, centuplicata in cœlis recipere mereamini. Ad hoc enim cœlestis providentia quæ omnia moderatur & a sæculo universa disponit, hoc præsertim tempore quando peccatis nostris exigentibus defecit sanitas, & diminutæ sunt veritates a filiis hominum, tantæ strenuitatis ac prudentiæ virum in Romana republica elegit, ut ecclesias exaltare debeatis. Deus autem & Dominus noster, qui dona suæ pietatis gratis largitur petentibus, dextera fortitudinis suæ vos protegat & benedicat, & utriusque substantiæ hostibus separatis, cum palma certaminis ad se revertentibus, cælestis vitæ vobis januas aperiat, secumque perpetuo jocundare de cælestibus bonis concedat.

EPISTOLA CONSOLATORIA
Petri diaconi Casinensis ad Richizam Romanorum imperatricem.

De morte Lotharii imperatoris & Henrici ducis Bavariæ ejus generi.

DOminæ RICHIZÆ a Deo protectæ Romanorum imperatrici, PETRUS diaconus post præsentis vitæ metas æterni regni calculum.

Anno 1139. Ex ms. Casinensi eruit Mabillonius.

Multotiens, imperatrix invicta, impetum cœpi consolandi vestram eminentiam, multotiens continui. Ut id protinus facerem, plurima invitabant, præcipue autem domini nostri imperatoris LOTHARII defuncti fidelitas, tum vestræ augustalis clementiæ in nos indignos dilectio, ut lacrymas vestras etsi ex toto sopire non potuissem, interim certe vel abstersissem: ut retardarem autem, sciebam dolori tuo, dum recens sæviret, præpropere occurrendum non esse, ne illum ipsa eadem solatia potius irritarent, exagerarent, accenderent: nam sæpe videmus in ipsis quoque morbis immaturam medicinam esse perniciosissimam. Expectabam itaque dum ipsemet dolor vires suas deponeret, ut mora mitigatus tangi se quodammodo, attrectarique ad remedia sustinenda permitteret. Ante tamen quam cum eo congrediar, adero illi, & aliquanta quibus excitetur in memoriam reducam, & quæ jam

quasi obducta videntur rescindam & proferam, optimo videlicet ac solemni genere consolandi. Hi itaque fleant, gemantque diutius, quorum delicatissimas mentes enervavit longa felicitas, effeminavit luxuria, qui spem suam omnino fixerunt in sæculo, qui, quæ sint bona illa perennia, vel ignorant ex toto, vel si sciunt, oblectamentis sopiti mundialibus negligunt. At quorum fere omnes sani per diversas curas transierunt, quorum, juxta Apostolum, conversatio in cœlis est, qui & vanitates sæculi, ut cœli gaudia prudenti ac discreto corde perpendunt, gravissima quoque quælibet immobili constantia perferunt. Quid pergam referre? numera quot calamitatibus, quot infortuniis ab infantia ipsa jactata sis, cum in eisdem fere, ut sic dicam, innata fueris. Felicis memoriæ dominus noster imperator LOTHARIUS, qui te sibi in conjugem elegerat, ad imperiale fastigium promoverat, in quam solam cuncta negotia Romani imperii commiserat, post multas quas cum ipso pertulisti angustias, post orbem Romanum, ut ita dixerim, cum eo peragratum, cum in dies ad imperiale domicilium cum eo accelerares regressum; heu! proh dolor, multorum sociorum dolore gravissimo extulisti. Transeo tot pericula, tot metus, quos sine interstitio incursantes in te cum tanto cæsare pertulisti: modo, modo, cum nondum priores luctus integre composueris, lugenti adhuc tibi luctus adjunctus est; & cum quasi solatium tot ærumnarum, quod videlicet solum residuum erat in vivente genero vestro HEINRICO duce Bavariæ te habere putares, subito nec opinanti vobis mors ejus immatura (a) relata est: gravissimum plane est ex omnibus quæ vobis post decessum domini nostri imperatoris LOTHARII obtigerunt, recens vulnus; hæc autem summam rupit, sed pectus, fateor, & viscera ipsa divisit: nec ex intacto corpore tuo hic sanguis effluxit per ipsas cicatrices percussus, sed quemadmodum tirones leviter sauciati, tamen vociferantur, ut veterani quamvis confossi patienter ac sine gemitu curari se patiuntur: non enim, clementissima domina, ita lugendi sunt quique fideles, ait Apostolus, sicut & ceteri qui spem non habent: *Si enim credimus quod* JESUS *mortuus est & resurrexit, ita & Deus eos qui dormierunt, per* JESUM *adducet cum eo.* Ergo clementissima domina, ut consolationem accipiatis, hortamur; ista enim mors, quid est aliud, nisi relictio corporis, depositio sarcinæ gravis? Nata es, ô imperatrix, moritura es: quo ibis ut non moriaris? Quid facis, ut non moriaris? Ut Dominus Deus tuus consolaretur te, propria voluntate mori dignatus est. Quando vides Christum pro te mortuum; tu mori dedignaris? Ergo moritura es, velis, nolis. Quo evades? quo effugies, ut non moriaris? Hodie sit, cras sit, futurum est, dubium non est, credendum est. Quid ergo agis, times, fugis? futurum est. Ergo mi piissima domina, lamentationes & ululatus ac si muliebres tumultus a te viriliter amove: quando enim dolor iste vester durior est, tanto major vobis virtus advocanda est, & veluti cum noto hoste & sæpe jam victo acrius congrediendum: fortem ac sapientem nec secunda evehunt, nec adversa demittunt; facile illa fert qui semper expectat; illis sunt gravia quibus es repentina; qui lætis rebus non se inflavit, nec mutatis contraxit, adversus utrumque statum invictam animam tenet jam exploratæ firmitatis. In ipsa namque felicitate quid contra infelicitatem posset, expertus est: infinito quidem dolore, cum aliquem ex carissimis amiseris affici, inepta indulgentia est; nullo autem inhumana duritia; nam & non sentire dolorem, non est hominis, & non ferre non est virtutis. Optimum inter utrumque temperamentum est, & sentire desiderium, & reprimere; præsertim cum nec excellentiæ vestræ conveniat immensum tristari: maximum solatium est cogitare, id vobis accidisse quod omnes ante passi sunt, omnesque passuri. Gaude itaque habuisse te virum Romanum imperatorem: cogita jucundissimum esse quod habuisti, humanum quod amisisti: quod talem habuisti, in summis bonis pone; non est cogitandum vobis quam diutius habere illum potueris, sed quamdiu habueris: non in eo mors vestram satietatem, sed suam sequi voluit legem. Stet tantum animus in procinctu; mors alium alio tempore comprehendet, neminem interibit, nullum certe excipiet. Quisquis ad vitam editur, ad mortem destinatur; sed animus sapientis quod necesse est numquam timeat, quod incertum semper expectet.

LITTERÆ GALTERII ABBATIS S. Vedasti.

De societate cum militibus Templi, quibus permittit curtem construere in villa Hadensi.

GUALTERIUS (b) abbas S. Vedasti cum fratribus sibi commissis. *Ex cartario Vedastino.*

Quoniam vita morte, memoria oblivione, veritas impugnatur falsitate, nos contra hæc tria impedimenta utentes præsentium litterarum annotatione, significamus

(a) Anno 1139. Quidelenburgi repentino morbo correptus 13. calendas Octobris occubuit, præbito, ut plerique scribunt, veneno.

(b) Galterius abbatiam S. Vedasti ab anno 1130. ad 1147. rexit.

tam futuris quam præsentibus, quoniam cum fratribus nostris militibus Templi Jerosolymitani & eorum subditis, qui videlicet nequam mundo abrenuntiato, militare Deo soli devoverunt, specialem societatem omnium spiritualium bonorum habemus, datis benigne & humiliter susceptis vicissim mutuis petitionibus, ut in augmentum corporis Domini nostri JESU CHRISTI fraterno quoque magis magisque proficiamus. Illud etiam deinde notificamus quoniam iidem milites cum in fundo terræ nostræ, villæ scilicet Hadensis curtem unam constituere disponerent, id etiam a nobis expetierunt, ut capellam sibi liceret construere, in qua ipsi & subjecti, videlicet qui sæculo renuntiassent, tam in morte vel sepultura quam in vita perciperent divina, salvo in omnibus aliis jure nostræ Hadensis ecclesiæ. Hoc igitur eo affectu & tenore quo postulaverant causa Dei, sicut fratribus benigne concessimus, & cyrographo donum roborantes, sigillo quoque nostro munivimus.

EPISTOLA INNOCENTII papæ II. ad Radulfum abbatem Latiniacensem.

Arguit eum de contemtu sedis Apostolicæ & de monasterii sui dilapidatione.

Circa 1140. *Ex mss. S. Martini Tornacensis.*

INNOCENTIUS episcopus servus servorum Dei RADULFO (a) Latiniacensi abbati.

[a] Sanctorum patrum docet auctoritas, quod apostolicis mandatis & institutionibus, absque sui status periculo nulli umquam licuit obviare. Quod si sollicita consideratione pensasses, nequaquam in tantam beati Petri injuriam ausu temerario prorupisses. Tu vero sicut litteras & nuntium recipere contemsisti, & alias tam dilecto filio nostro præposito ex apostolicæ sedis benignitate indulsimus, ei violenter auferens, ad majorem B. Petri & nostram injuriam disrumpere præsumsisti. Domos quoque, terras, & vineas commissi tibi monasterii parentibus tuis illicite contulisti, & fratres ipsius monasterii in captionem ponere contra regulam & officium tuum minime formidasti. Quia igitur tantam tuam contumaciam inultam præterire & cetera quæ de tua persona sinistro rumore nobis nuntiata sunt, indiscussa remanere nolumus nec debemus, per præsentia scripta mandamus & mandando præcipimus, quatenus proxima dominica qua legitur *ego sum pastor bonus*, nostro te conspectui repræsentes, super his omnibus & ceteris quæ tibi objicientur respondere paratus.

DIPLOMA LUDOVICI regis VII. pro Meduntensi cella sanctæ Mariæ Magdalenæ.

Nundinas in vigilia & in festo S. Magdalenæ ei concedit.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego LUDOVICUS Dei gratia Francorum rex & Aquitanorum dux. Quod ad notitiam pervenit præsentium, commendari volumus memoriæ posterorum, me scilicet ecclesiæ beatæ Mariæ Magdalenæ in Meduntensi castro constructæ, & monachis Columbensibus in eadem ecclesia Deo servientibus, feriam in eodem castro annuatim in die vigiliæ festivitatis S. Mariæ Magdalenæ & in die ejusdem festivitatis dedisse pro mea meorumque salute, ab omni exactione & inquietudine solutam & liberam in omnibus, de quibus & in quibus reddituale consuetudinem solemus accipere. Et ne a posteris valeat infirmari, sigilli nostri auctoritate firmasse. Actum est hoc apud Medantum anno ab Incarnatione Domini MCXL. regni autem nostri VIII. (b) præsentibus Theoderico, Galeranno, Hugone *de Fai*, Nivardo de Pissiaco, Simone *Ternel*, Blanchardo de *Loreth*, Pagano *Chotart*, Radulfo filio Roberti de S. Gemma. Anno 1140. *Ex cartario Columbensi.* [b]

Data est hæc carta per manum NATALIS Resbacensis abbatis & regis concellarii VII. cal. Augusti.

DIPLOMA ALBERONIS Leodiensis episcopi pro monasterio Flonensi.

Confirmat omnes possessiones ei a quinque prædecessoribus suis & ab aliis concessas.

IN nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti. Notum sit quod ego ALBERO Dei gratia Leodiensis episcopus, sciens boni pastoris nomen nulla rectius via posse comparari, quam statum ecclesiarum in melius reformando, duxi dignum ecclesiam S. Matthæi, quæ est in Flona & nostra est, meliorare, reformando statum ejus nostræ auctoritatis manu, studio & discretione. Igitur hæc sunt, quæ tibi, GUALTERE abba (c) tuisque successoribus & filiis tuis canonicam vitam professis ad quietam & tranquillam vitam vestram confirmamus in perpetuum. HENRICUS Leodiensis episcopus (d) quod ad suam omniumque successorum suorum salutem de Anno 1140. *Ex mss. Cl. domini de Louvrex.* [c] [d]

(a) Latiniacum monasterium ordinis S. Benedicti ad Matronam fluvium in diœcesi Parisiensi, a S. Fursco fundatum, hactenus perstat sub congregatione S. Mauri.

(b) Non ab obitu patris sui, qui contigit anno 1137. sed ab anno unctionis suæ in regem.

(c) Ejus instrumentum vide superius pag. 340.

(d) Hic primus fuit Flonensis abbas, uti observat Fisenius Historiæ Leodiensis lib. IX. ad annum 1180.

loco vestro & ipsis munificentiis tam magnifice celebratis statuit, confirmaremus, & de verbis quibusdam testamenti ejus quæ dubia videbantur, jam deinceps non ambiguendum sub anathemate interdicimus. Locus vester & villa ab omni prorsus exactione sit libera, nec omnino cuiquam ecclesiasticæ sæcularive personæ liceat hoc commutare, perturbare, vel minuere quod ab eodem prædecessore meo HENRICO de rebus vestris ecclesiasticis & sæcularibus diffinitum legimus & tenemus. Locus autem vester est a campo *Gerines* usque ad silicem Hugonis in latitudine. A vertice autem montis in intus ad levam cum ab Amanio venitur duo bovaria in latitudine. Nemora nostra, silvas, aquas, prata, vel pascua utilitatibus vestris vestrorumque, quæ a quinque prædecessoribus (a) meis scivimus concessa concedimus, & testamenti nostri pagina in posterum profutura confirmamus. Sed & quæcumque ab eisdem prædecessoribus meis ecclesiæ vestræ collata sunt, promta voluntate annuimus; statuentes ne ulli omnino liceat ea immutare ulla subreptione, astutia, seu violenta pervasione, quæ singulis nominibus exprimimus, ut ea secure obtineatis, atque celebrata frequentius stent & inconvulsa permaneant. Vallem inter medium montium, a ponte Flonæ usque ad finem vallis nullis nostris usibus aptam, quam OBERTUS episcopus tradidit ad quoscumque usus velletis, & piæ memoriæ FREDERICUS reconfirmavit, villam *Mols* quam ALBERO episcopus donavit, arcis montem a fine usque ad finem ejus circumcirca, quem ALEXANDER episcopus ad ministerium vini missarum devotissime sancto Matthæo obtulit, nos quoque ad nostram nostrorumque salutem retradimus & reconfirmamus, recondonamus & reofferimus, ac Patris, & Filii, & Spiritus-sancti auctoritate & apostolico assensu rata esse decernimus. Hæc sunt quæ prædecessorum eleemosyna vobis provenerunt, & ita statuimus. Quæ vero munificentia principum, seu nobilium, vel aliorum fidelium vobis succedunt, eadem caritate prout decet episcopum in nostra protectione pro vestri tuitione, pace, & tranquillitate suscipimus, salvo jure advocati vestri studentis commodis vestris & utilitatibus. Comes GISLEBERTUS DE AIS, itemque comes LAMBERTUS DE MONTAU vennam quæ vestræ participatur, & in aquis & pratis, pascuis, & nemoribus suis, allodii Clarimontis omnem utilitatem, quam vobis pro se suorumque salute contulerunt. Et REINARDUS & CONO filii eorum recognoverunt amplectimur, & propriis eorum studiis traditionis & eleemosynæ conturbatores perpetuo anathemate condemnamus.

(a) Henrico scilicet, Obetto, Frederico, Alberone, Alexandro.

De nemore tamen hoc discretum est, ut omni tempore & die tres carros in nemus habeant, hospitale unum, claustrum duos ad silvam quæ mortua dicitur. Sciendum vero quod curia vestra de Hotiva omnia viva & mortua ad usus suos de nemore habet. Hunativa sextam partem ecclesiæ & villæ cum omnibus usuariis & appendiciis & in eadem villa commutationem Hedelwigis & Philippi filii ejus legitima compositione celebratam confirmamus. Jairam, *Rosut*, *Tilieres*, possessiones de *Vvinel* & de *Jestin*, ambarum * *Herecinel*, ambas ecclesias, medietatem ecclesiæ de *Bosoit*, ecclesiam de *Drait*. Deroldi quoque lardum, quæ in novella quoque traditione vobis libere concessimus, cum ecclesia de *Erpens* in protectionem nostram suscepimus, excommunicantes omnes inquietantes ecclesiam sancti Matthæi ex his vel conturbare volentem. Et ut breviter concludam, quidquid in possessionibus ecclesiarum, terrarum, molendinorum, censuum ecclesiæ sancti Matthæi de Flona juste & legitime possidet, hoc in nostra & omnium successorum meorum, & matris ecclesiæ firma protectione suscipimus, perpetua excommunicatione damnantes, quicumque vos de cetero fraudulenter conturbare præsumserint Sed & adhuc id tenendum determinamus, ut videlicet tam locus ipse infra constitutos terminos, quam habitatores ejus omnino liberi sint, liberum baptisma habeant, tam de lege synodali quam de justitia sæculari; nec archidiacono, nec decano, non advocato alicui, nec ministro episcopi, nec ulli hominum omnino respondeant, nisi soli abbati ipsius loci. Quod si aliquid quod vires suas excedat emerserit de falsitatibus aut furtis, aut per se terminare non potuerit, ad episcopum causam referat, ut per eum non per aliquem ministrum vel submissam personam diffiniatur. Et si aliquid temporalis emolumenti inde provenerit, tertia pars sit episcopi tamquam advocati, reliqua fratrum ipsius loci. Viginti domos quot modo habetis, habeatis in perpetuum. Acta sunt celebre Leodii in conventu nostro, anno Incarnationis dominicæ MCXL. indictione III. episcopatus vero mei anno III. regnante CONRADO hujus nominis secundo, testibus idoneis archidiaconis, Dodo, Alexandro, Johanne de *Conirval*, canonicis Nicolao præposito S. Dionysii, Wasone, Petro, Henrico de *Cair*, Godefrido de *Scoie*, abbatibus GUAZELINO S. Laurentii, ELBERTO S. Jacobi, Arone S. C. Nobilibus Geswino de *Falconunant*, Lamberto de *Tiubetch*, Theoderico de *Argenteal*, & Guillelmo fratre ejus, Ebaldo de villa veteri; familiaribus Vvederico de Prato, Lamberto & Arnulfo fratribus Hoiensibus; civibus Leodiensibus Henrico, Boscelvino, Lamberto *Grunetere*.

* f. Herecines.

EPISTOLA H. CANONICI regularis ad N. priorem de Caritate.

Causatur quod canonicum regularem Senonensis S. Johannis monasterii ad monasticam vitam profitendam admiserit.

Circa 1140. Ex bibliotheca reginæ Sueciæ eruit Mabillonius. (a)

VEnerabili ac jure diligendo domino N. priori de (a) Caritate fr. H. semper bene valere.

Audistis scripturam dicentem : *Caritas non quærit quæ sua sunt.* Nostis quod dico. Ubi caritas lumen est, & tenebræ non sunt ullæ. Nihil fictum patrat caritas, nihil fuscatur veritas. Propterea vero amico loquor, nihil dissimulans, sed cum fiducia quam nostis, quoniam ex caritate est quod dico. Si autem, quod & vos idipsum sentitis, quoniam eamdem caritatem habetis ad me, non credatis quod vobis nihil dicam nisi ex caritate & pro veritate. Propterea cum fiducia loquar, nihil timens offendere in caritate. Significatum est mihi quemdam de fratribus ecclesiæ S. Johannis Senonensis clam de ecclesia sua eduxisse, eumque a vobis receptum & in monasterio vestro cucullatum. Præterea & vos abbati & supramemoratæ ovem suam requirentibus dura quædam respondisse & minus dicenda. Non hæc conveniunt servis Christi. Apostolus super alienum fundamentum ædificare noluit, & lex divina in messem alienam prohibet falcem mitti. Si autem dicitis, quod tamen dicere vos nom puto, sed quosdam qui vobiscum sunt, quia vita vestra melior est, & licet omni homini quomodo vult & ubi vult meliorem vitam & conversationem potiorem eligere. Recordamini quod magister nos docuit. Apostoli de primatu contendunt. *Facta est contentio inter discipulos, quis eorum videretur esse major.* Fortassis ideo facta est contentio, quia subita erat contentio. Adhuc contendimus, & dicit unus, melior sum. Alter dicit, sed ego. Christus quid dicit intendite. *Qui voluerit*, inquit, *major esse inter vos, erit vester servus.* Erit servus, erit Chanaam, erit servus servorum, qui dicit membro Christi, tu malus es, esto bonus, verenda patris deridet, servus servorum erit. O Chanaam! quare rides, quare derides, servus servorum eris. Semen Chanaam & non Juda, species decepit te, quia veritas non est apud te. Tu gloriaris in specie tua, & sufficere putas, cum non habeas: sed non veritatem habens, numquam gloriaris in specie. O lingua impudica! post Christum dicere audes: Tu malus es, ego sum bonus. Ille jam dixit: *Qui voluerit major esse erit servus*, & tu adhuc impudenter clamas: ego melior sum. Adtendis post speciem tuam, & in ipsa gloriaris. Respicis nigredinem tuam, & candorem meum non adtendis. Quare? quia nigredo species est humilitatis, & ego dico quasi candor species est puritatis. Nigredo species abjectionis, candor gloriæ & exaltationis. Commendamus nos modo de specie, tu gloriaris in nigredine, ego in candore. Tu humilitate gloriaris, & utinam bene gloriareris. Si enim de humilitate bene gloriareris, numquam superbires de humilitate, contrariis contraria miscens. Humilitas enim & superbia contraria sunt. Non possunt simul esse duo hæc. De humilitate superbire potes, sed cum humilitate superbiam habere non potes. Quia igitur superbis de humilitate, humilitatem te non habere ostendis. Tu vis major esse, quid eris? Parum est ut dicam minor, quia servus eris. Monachi dicunt: nos meliores sumus; canonici dicunt, non, sed nos meliores sumus. Ego dico, nec vos, nec nos, quia omnes mali sumus. Ubi autem omnes mali sunt, nemo melior est. Veniant, inquiunt monachi, canonici ad nos, ut boni fiant, quia nos meliores sumus. Si vos meliores estis, ergo & illi boni sunt. Quomodo ergo apud vos boni fient, qui & sine vobis jam boni sunt? Sed dicitis, boni sunt, sed veniant, ut meliores fiant. Nulli prohiberi potest, quin melior fiat, si vult. Audite, dicitis quod licet canonico, posthabita & spreta professione sua, ad vestram conversationem transire, quia, ut vos dicitis, melior est. Ergo licet mulieri nuptæ, contemta matrimonii lege, ad continentiam se transferre, quia, quod negare non potestis, continentia matrimonio melior est. Obliti estis legis quæ dicit, nec pro bono pejus, nec pro malo melius. Idem ipsum, non aliud, quod vovisti hoc redde. Hoc enim debes, si melius quid dare volueris, cum illo da pro illo. Nam non potest nisi per illum cui hoc debes, & per illum per quem debes, quantum ipse est, non aliud habes, quam quod vovisti. Si ille aliud accipere voluerit cui hoc debes, in ipsius est voluntate, non in tua potestate. De cetero pro eo quod dicit Apostolus: *Honore invicem prævenientes, qui seipsos commendavit.* Hoc modo fortassis intelligendum putant, ut unusquisque ante alium honorem rapere festinet jactando, & se ipsum præferendo, ego sic intelligo: qui me interrogaverit, si canonicus sum, dico monachos meliores: si monachus sum, dico canonicos potiores. Hoc est mandatum Christi & regula Christiani. Quapropter si meæ parvitati creditis, non aliud sapietis, nec facietis. Quod si forte id quod a vestris minus discrete factum est colligere neglexeritis, timeo ne Deo displiceat & ecclesiastici juris censura, si Romani pontificis audientiam fratres

(a) Caritas insigne monasterium ordinis Cluniacensis, diœcesis Autissiodorensis ad Ligerim fluvium situm, de quo vide, si lubet, a nobis relata in nostro Itinere litterario.

fratres qui a vobis læsi sunt adierint, inultam esse non permittet. Idcirco modestiæ vestræ, quam hactenus Dei gratia tenuistis, nolite oblivisci. Valete in Christo.

DIPLOMA THIETMARI Ferdensis episcopi pro Corbeiæ-novæ monasterio.

In Ulleshemensi virginum monasterio monachos Corbeienses feminarum loco instituit.

Anno 1142. Ex ms. Cork. nova.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. THIETMARUS Dei gratia Ferdensis ecclesiæ episcopus, successoribus suis regulariter ordinatis in perpetuum.

Quia congruum est sacerdotalem discretionem & in præsentibus cautam, & de futuris providam existere, idcirco notificamus universis ecclesiæ Dei fidelibus, qualiter in ecclesia beati Johannis-Baptistæ, quæ vocatur *Ulleshem*, quæ a beatæ memoriæ prædecessore nostro BRUNONE, qui ex monacho episcopus fuit, ex præcepto domini OTTONIS imperatoris in pago Bardungiæ fundata est (a) pro monialibus feminis; quæ ibi congregatæ fuerant, fratres monachos de Corbeiensi monasterio, ubi & idem prænominatus episcopus monachus fuit, substituimus, præcipiente domino LOTHARIO imperatore, cohortante & religiosa conjuge ipsius domina RIKINZA imperatrice; ut ob restaurandam inibi divinam religionem eamdem mutationem facere deberemus. Quoniam vero prædictus OTTO imperator sanctimonialibus in eadem ecclesia liberam electionem abbatissæ in privilegio suo concessit, nos quoque idem fratribus monachis recognoscimus. Sed & decimas quas vel suprascriptus episcopus vel successores ipsius prænominatæ ecclesiæ concesserunt, nos & per nostram subscriptionem concedimus, quas propriis vocabulis exprimendas duximus, *Aldendorp*, *Holtehusen*, *Bunesdorp*, *Lettendorp*, *Eppenhusen*, *Gustide*, *Emmendorp*, *Havveleßen*, *Brungendorp*, *Catelndorp*, *Schellesdorp*, *Zimlendorp*, *Ardehmtbergen*, *Remmingen*, *Masendorp*, *Maldeßen*, *Stotheim*, *Dustorp*, *Nacheve*, *Gerlevesheim*, *Kipdorp*, *Kistide*, *Essenstede*, item *Essenstide*, *Niendorp*, *Bodenhusen*, *Lichrim*; *Vvestide*, *Hallenstampe*, *Stotenhuseu*, *Roteßen*. Ut etiam nos imitantes majorum exempla aliquid ex nobis addamus, si quæ de Sclavicis villis eidem ecclesiæ pertinentibus a Christianis cultæ fuerint, decimas earum huic ecclesiæ permittimus; & insuper decimas de novalibus in insulis Albiæ a *Horeburg* usque *Ameneberge*, & telonium villæ & pontis in *Ullesheim* ob amorem Dei pro remedio animæ nostræ, fratribus ejusdem ecclesiæ concedimus. Ne ergo supradictæ decimæ vel aliæ possessiones ejusdem ecclesiæ, quas vel nunc largitione regum, concessione pontificum, seu donatione quorumlibet fidelium juste possidet, vel in posterum acquirere poterit, ab aliquo auferantur, vel imminuantur, vel quocumque modo injuste alienentur, sub attestatione divini numinis, & sub anathemate ex officii nostri auctoritate interdicimus. Cunctis autem ista servantibus sit pax Domini nostri JESU CHRISTI, quatenus & hic fructum bonæ actionis accipiant, & apud districtum judicem præmia æterna inveniant. Hanc autem paginam nostræ auctoritatis ad confirmationem omnium supradictorum sigillo nostro corroboravimus, & eam per manum dilecti fratris nostri SIFRIDI ejusdem ecclesiæ abbatis & fratrum qui cum ipso a Corbeiensi cœnobio ad commanendum missi sunt, videlicet Henrici, Hideboldi, Sigefridi tam ipsis quam omnibus fratribus in monastica professione succedentibus contradimus. Actum *Barduvich* anno dominicæ incarnationis MCXLII. indictione quinta pontificatus THIETMARI XVI.

DIPLOMA BERENGARII Gerundensis abbatis pro Massiliensi sancti Victoris monasterio.

Confirmat fundationem cellæ S. Johannis de Fontibus pro tribus monachis, & factas ei donationes.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego BERENGARIUS gratia Dei episcopus, assensu & voluntate omnium Gerundensis ecclesiæ canonicorum, fultus exemplo & auctoritate decessorum meorum munitus, domini BERENGARII, domini BERNARDI episcoporum; dono, laudo monasterio Massiliensi & abbati PETRO & monachis præsentibus & futuris ecclesiam S. Stephani vel S. Johannis de Fontibus inferioribus cum acquisitis omnibus vel acquirendis, ut ibi monachorum sit semper cœnobium Dominum timentium, & regulam B. Benedicti servantium, prout a præfatis meis antecessoribus ad hujus observationis est locus normam olim electus, ita a nobis cum invocatione S. Spiritus eligitur, ut ab hodie & deinceps a cunctis ibi monasterium veneretur. Dono etiam & laudo prædicto monasterio a nostris, nuper a nobis noviter electo ecclesiam S. Mariæ de Kastellar, S. Kristophori de Fontibus superioribus ecclesiam, & insuper S. Eulaliæ de Bagudano & ecclesiam S. Petri de Logordano. . . . , cum omnibus adquisitis vel adquirendis cum unum. . . . . cum primitiis, decimis, oblationibus, defunctionibus, ut ab hodierno die usque in perpetuum sint alodium præfixæ ecclesiæ, & habeant monachi

Circa 1124. Ex archivis S. Victoris eruit D. Furnerius.

(a) Anno circiter DCCCCXI. ex Chronico Corbeiensi.

novi monasterii jus & dominium quod alii habent monachorum prælati in nostro episcopatu, salva in omnibus reverentia Gerundensis ecclesiæ . . . . alodia vel possessiones & decimas, quæ ADALARDUS vicecomes & ERMENSENDIS ejus conjux fundatores hujus nominati cœnobii, & a fidelibus nostris conditum est, vel auctore Deo dabitur. Ex parte Dei & nostræ ecclesiæ sæpenominatæ & monachis qui sunt vel erunt donamus, laudamus, auctorizamus nostra auctoritate S. Spiritus, raptoribus & diripientibus contradicimus, ut sublata restituant in S. Spiritu mandamus. Damus etiam ipsi loco cimeterium, ut si quis extrema deliberaverit sua voluntate ibi sepeliri, nullus obsistat, sed a vinculis peccatorum absolutus; auctoritate Dei apostolorumque & nostra caveat sempiterna supplicia, & regna possideat beata. Si quis ibi convertere se a mundiali sorde voluerit, vita vel morte aliquid ibi boni fecerit, ex parte Dei a peccatis confessis, derelictis & emendatis absolvimus. Ut autem ibi Deus laudetur & honorificetur, tres in nomine Trinitatis stabilientur monachi, quos in nostro patrocinio & gubernatione excepimus, nostræque sedis, qui mei meorumque parentum memoriam in conspectu Dei sedule agant, cum loci possibilitas, Deo dante, creverit, crescat numerus cultorum Dei.

DIPLOMA BERENGARII Gerundensis episcopi.

De donatione vel restitutione ecclesiæ sancti Genesii de Palatiolo facta priori S. Thomæ Fluvianensis.

Anno 1142. *Ex archivis S. Victoris eruit D. Eurnerius.*

DEbitum episcoporum officium est, ut ecclesias pauperes habentes habitatores locupletent, amplificent, & augeant: quatenus dum cæli cives in hoc exilio degentes temporalibus bonis sobrius abundant, licentius spiritualibus studiis soli Deo vacare valeant. Idcirco ego BERENGARIUS Dei gratia Gerundensis episcopus compatiens & misertus paupertatis ecclesiæ sancti Thomæ apostoli, cujus basilica fundata est in pago Impuritanensi, dono & trado ecclesiam sancti Genesii de Palatiolo præfatæ ecclesiæ sancti Thomæ & Gaufredo priori, & ceteris habitatoribus ejusdem loci, tam præsentibus quam futuris in perpetuum ad habendum & possidendum. Nam donationem ejusdem ecclesiæ sancti Genesii a bonæ memoriæ BERNARDO UMBERTI isdem locus S. Thomæ dudum canonice obtinuit, cum idem monasterium a præfato episcopo & a ceteris pontificibus insigniter dedicatum fuit, sicut copiosæ continent scripturæ & instrumenta quæ sunt in eadem ecclesia. Sed quampluribus evolutis annis, quidam clericus nomine Bernardus de *Sucharadz* voluit eamdem ecclesiam intrare absque consilio & voluntate prioris S. Thomæ, quod omnino adversabatur justitiæ, asserens se præfatam ecclesiam obtinuisse a reverendæ memoriæ BERENGARIO DALMATII Gerundensi episcopo. Sed cum causa ipsius Bernardi ante præsentiam nostri fuisset diligenter investigata & ventilata, instante Berengario archidiacono de Rogationibus & BERENGARIO abbate S. Felicis, & Guillelmo præcentore de Petra-incisa, & Bernardo Ostolensi & aliis quampluribus tam clericis quam laicis, quia petitio & postulatio præfati Bernardi supervacua & inanis erat, & penitus canonica auctoritate fulciri non poterat, effectu utilitatis caruit, sicut debuit, & nullum sibi profectum conferre potuit. Quapropter ego præfatus BERENGARIUS Gerundensis episcopus donationem BERNARDI UMBERTI prædecessoris mei laudo & autorizo, &, sicut superius fassus sum, ecclesiam sancti Genesii de Palatiolo cum decimis, & primitiis & oblationibus, & universis ad se pertinentibus in potestatem & possessionem ecclesiæ sancti Thomæ & Gaufredi prioris & ceterorum habitatorum tam præsentium quam futurorum transfundo & transfero, salva in omnibus Gerundensis ecclesiæ canonica obedientia & debita reverentia. Si quis cujuslibet ordinis vel dignitatis homo hoc infringere tentaverit, nil valeat, sed iram Dei incurrat, & vinculo anathematis subjaceat, donec canonice satisfaciat, hac carta firma persistente omni tempore, quæ facta est anno MCXLII. ab Incarnatione Domini, regni Ledovici regis junioris (a) x. II. idus Decembris.

† BERENGARIUS sanctæ Gerundensis ecclesiæ episcopus hæc laudans confirmo.

† Berengarius archidiaconus subscripsit.

Arnaldus de Navata.

Guillelmus Gerundensis ecclesiæ caput-scholæ.

BERENGARO S. Felicis abbas & archidiaconus subscripsit.

Petrus Boirelli presbyter & canonicus Gerundensis.

† Raimundi de pontibus sancti Felicis sacristæ.

† Raimundus de Terrades levita.

Bisullunensis probat hæc levita Guillelmus.

Raimundus presbyter qui rogatus scripsit die & anno quo supra.

(a) Computando a tempore quo vivente adhuc patre Remis unctus est in regem ab Innocentio papa II.

DIPLOMA LUDOVICI VII. regis pro monasterio Branensi.

Concedit ei decimas apud Vesliacum.

Anno 1143. *Ex cartario Branensi.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. LUDOVICUS Dei gratia rex Francorum & dux Aquitanorum. Notum facimus universis præsentibus pariter & futuris, quoniam ecclesiæ B. Mariæ de Brana omnem decimam quam apud Vesliacum habebamus prece magistri Æsthonii & regiæ benignitatis instinctu quam in ecclesiarum augmentatione convenit amplius æstuare, in perpetuum habendam obtinendamque donavimus. Quod ut perpetuæ stabilitatis obtineat munimenta, scripto commendari, sigilli nostri auctoritate muniri, nostrique nominis subterinscripto caractere corroborari præcepimus.

Actum publice apud S. Germanum, anno ab Incarnatione Domini MCXLIII. regni vero nostri VII. astantibus in palatio nostro quorum nomina subtitulata sunt & signa. Signum RADULFI Viromandorum comitis dapiferi nostri. Signum GUILLELMI buticularii, signum MATTHÆI camerarii, signum MATTHÆI constabularii.

Data per manum CATURCI cancellarii.

DIPLOMA LUDOVICI VII. regis Francorum pro Carnotensi S. Petri monasterio.

Ebrardi Puteacensis violentiam compescit, confirmatque patris sui privilegium adversus Puteacenses dominos.

Anno 1143. *Ex archivis S. Petri Carnotensis.*

LUDOVICUS ego Dei gratia rex Francorum & dux Aquitanorum. Quicquid ecclesiarum quieti potest proficere, digne memoriæ commendatur. Notum itaque facimus omnibus tam futuris quam præsentibus, quia genitor noster venerandæ memoriæ LUDOVICUS monasterium B. Petri Carnotensis speciali devotione dilexit & protexit in vita, nobisque tuendum protegendumque commendavit. Cujus inter cetera beneficia illud maximum præfata ecclesia recognoscit, quod terras & villas quas in Belsia possidet ab omni vexatione & gravamine Putiacensium (a) dominorum, & ab omni prava consuetudine jacendi & comedendi, & ab omni penitus exactione liberavit, & sigilli sui auctoritate communivit; quas injustas consuetudines cum post mortem patris nostri (b) EBRARDUS Putiacensis dominus, filius scilicet HUGONIS, injuriose repeteret, & in prædicta terra iterata violentia contra patris nostri privilegium jacuisset, per nos commonitus injustitiam suam recognoscens, nobis & UDONI prædicti monasterii abbati in manu ipsius rectitudinem fecit, & factam ibidem expensam galgiavit. Et ne in posterum Putiacenses domini in terris prædictis violentiam istam exercere præsumant, patris privilegium confirmantes, prædictam ecclesiæ libertatem & immunitatem sigilli nostri auctoritate corroboramus, in quo supradictas malas exactiones penitus abolemus.

Actum publice Parisius, anno ab Incarnatione Domini MCXLIII. regni vero nostri VII. astantibus in palatio nostro quorum nomina subtitulata sunt & signa. Signum RADULFI Viromandorum comitis dapiferi nostri, Signum MATTHÆI camerarii. S. MATTHÆI constabularii. Signum GUILLELMI buticularii.

Data per manum CADURCI cancellarii.

SIGILLUM LUDOVICI JUNIORIS de S. Germano.

Confirmat cellæ S. Germani de Laia possessiones.

Anno 1143. *Ex cartario Columbensi.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. LUDOVICUS ego Dei gratia Francorum rex & dux Aquitanorum, notum facimus omnibus tam futuris quam præsentibus, quoniam omnia quæ prædecessores nostri reges, ROBERTUS videlicet & HEINRICUS, PHILIPPUS quoque & genitor noster LUDOVICUS, ecclesiæ B. Vincentii & S. Germani de Leia contulerunt, nos quoque ubicumque sint, pari benignitate concessimus, & nostra firmavimus auctoritate, videlicet omnem decimam vini & annonæ meæ quæ attinent ad cellarium vel granarium Pissiaci, id est *de Trel* & de Charlavana & de ipso Pissiaco, & decimam *Alvers*, & vini & annonæ & leguminum de Aquilina, & omnium crescentiarum mearum, si quæ in ea fuerint factæ. Molendinum quoque Filiolicurtis & terram Gaudinæ; brancas etiam de Leia, quantum necesse fuerit ad focum monachorum, necnon & mortuum lucum quantum sufficit ad usum monachorum & hospitum suorum, & pasturam totam pecoribus monachorum, & etiam hospitum suorum, & vivum nemus quantum fuerit necessarium ad ædificia monachorum nova facienda vel vetera reparanda: Galterium quoque Colibertum, & omnem ejus posteritatem, & quinque hospites apud Ruoldicurtem. Hæc omnia concessimus, quæ ut

(a) Quantum laboraverit Ludovicus VI. ad compescendas Puteacensium dominorum violentias fuse describit Sugerius in vita ejusdem regis & in libro de rebus gestis in administratione sua capite 12.

(b) Hic Ebrardus dictus Ebrardus de Britolio in expeditione Jerosolymitana occubuit, teste Sugerio in lib. de rebus gestis in administratione sua capite 14.

perpetuæ stabilitatis obtineant munimenta, scripto commendari & sigilli nostri munimine, nostrique nominis subter inscripto caractere corroborari præcepimus. Actum publice Parisius anno ab Incarnatione Domini MCXLIII. regni vero nostri septimo, astantibus in palatio nostro quorum nomina subtitulata sunt & signa.

S. RADULFI Viromandorum comitis dapiferi nostri.

S. MATHEI camerarii.

S. MATHEI constabularii.

S. WILLELMI buticularii.

BULLA LUCII PAPÆ II.
Serloni abbati Savignei concessa.

Monasterium Savigniense sub sua suscipit protectione, ejusque possessiones confirmat.

Anno 1144 *Communicavit R. P. Chamillard S. J.*

LUCIUS episcopus servus servorum Dei dilectis filiis SERLONI abbati S. Trinitatis Savigneii monasterii ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum.

Desiderium quod ad religionis propositum & animarum salutem pertinere monstratur, animo nos decet libenter concedere, & petentium desideriis congruum impertiri suffragium. Ea propter, dilecte in Domino fili SERLO abbas, tuis rationalibus postulationibus clementer annuimus & monasterium S. Trinitatis, cui, Deo auctore, præesse dignosceris, sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus, statuentes ut quascumque possessiones, quæcumque bona idem monasterium in præsentiarum juste & rationabiliter possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, Deo propitio, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Ex dono RADULFI Filgeriensis & HENRICI filii ejus forestam Savigneii cum omnibus appendiciis suis & molendinum de Romaniaco. Ex dono HENRICI regis Anglorum apud Abrincas vineam de Campo-Bobri cum appenditiis, & in foresta de Passeis locum de Frenusia cum terra de *Moreth*, & locum de sancto Alveo cum terra de Bello-campo & locum de Domno-Petro cum omnibus ad prædicta loca pertinentibus, & in eadem foresta de Passeis pasnagium & herbagium cum ceteris consuetudinibus, & in aliis forestis suis pasnagium, & in tota terra sua & in portibus maris quittantiam theloneorum & omnium consuetudinum .... præterea de laboribus quos propriis manibus aut sumtibus colitis, seu de nutrimentis vestrorum animalium, a quolibet clerico sive laico decimas exigi prohibemus. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur, eorum pro quorum sustentatione & gubernatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva apostolicæ sedis auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonita, si non satisfactione congrua correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini redemptoris nostri JESU CHRISTI aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri JESU CHRISTI, quatinus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, amen, amen.

† Ostende nobis misericordiam tuam. S. Petrus. S. Paulus. Lucius papa II.

Ego LUCIUS catholicæ ecclesiæ episcopus sanctæ Romanæ ecclesiæ.

† Ego CONRANDUS Sabinensis episcopus.

† Ego GREGORIUS diaconus cardinalis sanctorum Sergii & Bacchi ss.

† Ego GUIDO diaconus cardinalis SS. Cosmæ & Damiani ss.

† Ego PETRUS Albanensis episcopus ss.

† Ego GREGORIUS presbyter cardinalis tit. Calixti ss.

† Ego RANNERIUS presbyter cardinalis tit. sanctæ Priscæ.

† Ego GUIDO presbyter cardinalis tit. SS. Laurentii & Damasi ss.

† Ego GREGORIUS diaconus cardinalis S. Angeli.

Datum Laterani per manum Baronis S. Romanæ ecclesiæ subdiaconi, nonas Decembris, indict. VIII. incarnationis dominicæ anno MCXLIIII. pontificatus vero domini Lucii II. papæ anno primo.

EPISTOLA ECCLESIÆ
Leodiensis ad Lucium papam II.

De nova heresi, deque Americo ab ea converso, quem illi commendat.

Anno 1144. *Ex ms. cl. V. domini Buchel serenissimi electoris Palatini apud Duseldorpium Bibliothecarii.*

DOmino & patri reverendo L. Dei gratia summo pontifici ecclesia Leodiensis fideles orationes, & in Christo debitæ subjectionis obedientiam.

Ut arbitramur & res ipsa declarat, idcirco divina dispositio in arce catholicæ ecclesiæ

sedem Romanam posuit, ut ipsius providentia suis membris tutela procuretur, & ad eam refugium habeant, quibus surgentia bella exitium minitantur. Igitur veterum hostium deprehensas noviter insidias ad vestram paternitatem, cui credita est sollicitudo omnium ecclesiarum; deferimus, ut eorum conatus vestra relidantur industria; qui sub specie religionis animas simplicium in errorem ducunt, & unius integritate fidei, quæ multis in locis vulnerata est; sicut apud nos compertum nunc esse constat; [a] sancta Dei convalescat ecclesia. A (a) Monte-Guimari, quo nomine quidam vicus in Francia dicitur, quædam hæresis per diversas terrarum partes defluxisse cognoscitur, quæ adeo varia & multiplex est, ut sub unius certo vocabulo minime comprehendi posse videatur; cujus apud nos sectatores quidam detecti, convicti & confessi sunt; hos turba turbulenta raptos incendio tradere deputavit; sed nos, Dei favente misericordia, pene omnes ab instanti supplicio, de ipsis meliora sperantes, vix tamen eripuimus: quorum unus hic est quem ad paternitatem vestram sua petitione destinare curavimus. Hæresis hæc diversis distincta est gradibus; habet enim auditores, qui ad errorem initiantur; habet credentes, qui jam decepti sunt, habet christianos suos, habet sacerdotes, habet & ceteros prælatos sicut & nos. Hujus hæresis nefandæ blasphemiæ sunt, quod in baptismo peccata remitti negat, quod sacramentum corporis & sanguinis Christi inane reputat, quod per impositionem pontificalis manus conferri nil asseverat, quod neminem Spiritum-sanctum accipere credit, nisi bonorum operum præcedentibus meritis, quod conjugium damnat, quod apud se tantum ecclesiam catholicam esse prædicat, quod omne juramentum velut crimen judicat. Hi tamen qui hujus sceleris sectatores sunt, sacramentis nostris ficte communicant, ad nequitiæ suæ velamentum. Horum adhuc auditor erat hic Americus, quem ideo ad vos direximus, ut vestro judicio Deo & sanctæ ipsius ecclesiæ satisfaciat, & sponsionem quam fecit beatis apostolis, cum in discrimine vitæ positus esset, adimpleat. Vovit enim, ut dicit, si eorum meritis & precibus evadere posset, quod eorum limina devotus visitaret, ut ipsis gratiarum actiones pro conservata salute rependeret; alios vero hujus erroris participes per religiosa loca divisimus; quid super eis ad correctionem agendum sit a vobis expectantes. Præterea caritati vestræ notificamus, quia secundum quod ab his qui a nobis deprehensi sunt, acce pimus, omnes Gallici regni atque nostri civitates hujus erroris veneno ex parte magna infectæ sunt. Provideat itaque vestræ paternitatis sollertia, ne virus hoc altius serpat, sed cauterio diligentiæ salutaris aduratur, ut deficiat. Vale.

(a) Forte Monte-Limarii urbe Galliæ in Delphinatu ad radices collis, haud procul a Rhodano fluvio, circa quam Petrus de Bruis Lucii II. tempore errores suos disseminavit, qui magnam cum descriptis hac in epistola affinitatem habent.

DIPLOMA CONRADI II. Imperatoris Odoni abbati S. Remigii concessum.

Confirmat possessiones quas in suo regno habebat, ejusque privilegia.

CONRARDUS divina favente clementia Romanorum rex II. Ne damnosa in posterum quod actum est, deleat oblivio, scripto memoriali commisimus, qualiter dominus OTTO venerabilis abbas S. Remigii confessoris & Francorum apostoli nostram præsentiam apud Trajectum Ulterius visitaverit, & possessiones ecclesiæ suæ, quæ in regno nostro adjacent, nostro petierit privilegio confirmari, Suiarram videlicet cum omnibus appendiciis suis, Hercam, Cluniam, Lictum, Angledura, Hacta; præbendasque Marsnenses in usus monachorum decedentibus clericis immutatas. Nos itaque tam religiosi viri petitionibus obtemperavimus, & tam possessiones supradictas, quam præbendas in usus monasticos conversas regiæ majestatis sigillo corroboravimus. Hoc etiam per cuncta succedentia tempora notum esse volumus, quod ecclesiæ B. Remigii privilegia in præfatis possessionibus nullum specialiter advocatum habent determinanter nisi regem Romanorum. Nostræ siquidem districtionis est legaliter providere tam legitimum monachis advocatum, qui potius prodesse poterit quam obesse, potius allodium tueri quam vastare. Stabilitum quidem est ordine judiciario in curia nostra & adjudicatum, quod advocato debeatur in tribus placitis generalibus quotannis servitium determinatum, tertiam partem pecuniæ in tribus placitis generalibus acquisitis recipiens. Villicos ministeriales & scabinos ponere vel deponere poterit præpositus Marsnensis sine advocato. De reditibus S. Remigii per villicum & scabinos placitabit præpositus sine advocato. Si effusio sanguinis, sive banni infractio, seu latrocinium infra allodium contigerint placitare, non poterit præpositus sine advocato, & exinde tertiam partem recipiat advocatus, præpositus duas, exactiones & tallias quas quidam precarias vel petitiones nuncupant, sive hospitationes regia censura penitus interdicimus. Si infra allodium terra culta vel inculta, molendina ab heredibus fuerint emancipata, monachi in suos usus libere sibi vindicabunt sine advocato, silices, fructeta & domos, sine censu annuali præ-

Anno 1145. Ex ms. Cl. V. D. de Longrex.

positus ad commodum ecclesiæ quibusque tradere poterit sine advocato. Quicumque igitur hanc advocatiæ determinationem ausu, quod absit, temerario infringere tentaverit, centum libras auri purissimi componat, dimidietatem cameræ nostræ, & reliquam partem prædictæ S. Remigii ecclesiæ. Et ut hæc verius credantur, & omni deinceps tempore inconvulsa serventur, hanc inde cartam scribi & sigilli nostri impressione insigniri jussimus, manuque propria, ut infra videtur, corroborantes, idoneos testes infra notari fecimus, quorum nomina sunt hæc, HERLEBERTUS Trajectensis episcopus, ANSELMUS Havelbergensis episcopus, CUNRADUS frater noster Trajectensis præpositus, HENRICUS comes de *Gelie*, HERMANNUS comes de *Cuick* & frater ejus, GODEFRIDUS comes, ADALBERTUS comes de *Norvenich*, MARCUARDUS de *Gemeboch*, Walterus de *Couenchusen*, Tibertus de *Spilenberch*.

Signum CUNRADI Romanorum regis secundi.

[a] Ego ARNOLDUS (a) cancellarius vice HENRICI Moguntini archiepiscopi & archicapellani recognovi.

Anno dominicæ incarnationis MCXLV. indictione VIII. regnante Cunrado Romanorum rege II. anno vero regni ejus VIII.

Datum est apud Ulterius Trajectum in in Christo feliciter. Amen.

DIPLOMA LUDOVICI regis VII. pro monasterio Aroasiensi.

Patris sui donationem confirmatam novo dono adauget.

Anno 1145 Ex cartario Aroasiensi.

IN nomine, &c. LUDOVICUS Dei gratia Francorum rex & dux Aquitanorum. Recte benignitas regum quæ a prædecessoribus ad usus pauperum Christi collata sunt & corroborat & augmentat. Notum itaque facimus universis viginti modios vini quos pater noster venerandæ memoriæ Ludovicus ecclesiæ S. Trinitatis ac beatissimi confessoris Nicholai in Aridagamantia sitæ apud Vorgiam & Joviam singulis annis in perpetuum contulit, nos quoque loci ejusdem canonicis pari devotione concessisse & IIII. modios vini, quos in eisdem villis nostri adhuc juris habebamus, insuper præstitisse. Quod ut ratum, &c. Actum apud Choisiacum anno MCXLV. &c.

EPISTOLA ALBERICI Ostiensis episcopi ad monachos Auxitanos S. Orientii.

Approbat compositionem ipsos inter & archiepiscopum factam.

Circa 1145. Ex ms. cartario ecclesiæ Auxitanæ.

ALBERICUS Dei gratia episcopus Ostiensis apostolicæ sedis legatus dilectis fratribus monasterii S. Orientii salutem & gratiam.

Concordiam maxima ex parte inter dominum Auscitanum & priorem vestrum (b) secundum hanc compositionis formam, Deo annuente, composuimus. [b] In primis dominus archiepiscopus priori vestro nepoti suo gratiam & benevolentiam reddidit, & se de cetero monasterium S. Orientii velle diligere, honorare, & sustentare, præsentibus episcopis & abbatibus in præsentia nostra apud Lemovicas repromisit: ad reparationemque monasterii vestri usque ad decem annos populorum conventum in unoquoque anno congregabit. Exactiones omnes tam in presbyteros quam in ceteros clericos omnino remisit. Quod si comes de omnibus vestris aliquam novam consuetudinem exegerit, dominus archiepiscopus cum eo minime participabit; sed de ipso comite, sicut & de aliis querimoniis vestris faciet quod justitia dictaverit. Hæc autem fecimus, salvo in omnibus jure cimiterii vestri, & ceteris querelis vestris ....

EPISTOLA CUJUSDAM canonici regularis S. Barbaræ & ejusdem loci præpositi, qui, abdicata dignitate, ad Præmonstratenses transierat, ad fratres suos canonices regulares sanctæ Barbaræ.

Reddit rationem cur abdicata dignitate ad Præmonstratensem ordinem transierit, purgatque se ab imposita sibi calumnia.

Ex ms. Longi-Pontis.

DOminis ac vere dilectis in Christo fratribus Gau. Jo. reliquis dilectoribus suis de S. (c) Barbara conservus eorum frater ... salutem in Domino salutari nostro. [c] Eloquar, an sileam? Sed conceptum sermonem quis retinere possit? plenus sum enim sermonibus, e quibus, ut obstruatur os loquentium iniqua, de me liceat, quæso, in aures vestræ caritatis eructare verbum verum, in qua lucetis sicut luminaria in mundo. Quoniam, sicut audivimus, circum vo-

(a) Coloniensis archiepiscopus.

(b) Garciam *Eis* procul dubio, qui Romam profectus adversus Guillelmum antistitem Auxitanum, uti scripsit noster Sammarthanus, judices accepit G. Burdigalensem, H. Agennensem præsules, & M. abbatem Figeacensem. Fuisse vero genere nobilem ex eo conjicimus, quod Guillelmus ille Auxitanus qui hic patruus ejus dicitur, in instrumento anni 1141. de incendio urbis Simorræ, deque ejus translatione, cognominetur de *Montald*, & in veteri membrana a nostro Sammarthano laudata, legatur descendisse de prosapia Montaltensium, *Homo alti sanguinis, summa tam morum quam parentum nobilitate præpollens.*

(c) S. Barbara est haud ignobile monasterium canonicorum regularium ordinis S. Augustini in Neustria.

lante fama celebri, ita & vidimus in lineis A vitæ regularis vos honestissime conversari, nec in eam credimus aliquod cessisse detrimentum, quin potius meliorationis incrementum. Cujus modum in mente cum sæpe ac sedule revolverem, sedens adhuc, non ut decebat, supra cathedram Moysi, quia non ut oportebat factus forma gregis Christi, ratus sum tutius & utilius mihi fore, alienæ subducere ferulæ manum, subesse quam præesse, & in loco humili salvari, quam in sublimi periclitari. Quis enim digne penset quanti sit fungi sacerdotio & curæ pariter officio pastorali, de quibus pro dispensationis qualitate reddenda & recipienda ratio & remuneratio? Quare partem quisquis deteriorem peccando suam facit, revera in die iræ maledicto subjacebit, dum nequaquam vel unum pro mille respondere valens, vix pro suis tantum, nedum pro tot subditorum erratibus in judicio stare sufficiet responsurus. Quid nimirum litem inter reum & actorem jam nunc contestatam; verum tunc nudata secretorum veritate, palam decidendam jure ordinario terminabit, ut tollant singuli quod suum est, & vadant alii in supplicium æternum, alii autem in vitam æternam. Talia & alia inferioris intuens ponderis, meque non amore sed odio pro meritis dignum. Nam judicium durissimum in iis qui præsunt, nec prosunt, sed obsunt, fiet. Impetratis a domno metropolitano quæ ad manum sunt dimissoriis; nec piguit nec puduit a gradu prælatorum sponte dimitti, rursumque in gradum pristinum immitti subjectorum. Illum quippe nemo captat, nisi qui ruinam in illo vel non formidat, vel ignorat; hunc autem omnis optat, qui se superius indidem ad Patrem luminum ascensurus non desperat. Et quidem sicut pastor bonus & prudens, si se a credita sibi ovilis domini cura importune sequestraverit, plurimum delinquit: ita & rector eidem curæ invalidus & impos, eam si non deserat, eo ipso reus est & peccat, dum ei utiliter alius succedere queat. Ut quid enim ille velut arbor infructuosa in ficulnea summi Patris-familias terram occupat digna succidi & succendi?

Atqui ne denigret jactantia meritum, taceo quot, quibus, quantisve illa cui præeram ecclesia perpetuis sudoris mei sit quæstibus ampliata, servata intrinsecus prout in tantillo grege competebat semper ordinis disciplina. At tamen in novissimo loco recumbere mihi non fuerit inutile, dum præstare valeat cautionem, ne forte tradar judici, & minister mittat me in carcerem inferni inferioris, de quo non potero surgere.

Verumtamen cum ad locum quem nunc incolo, Domino docente ac ducente, pervenissem, primum, fateor, vehementer inhorruit visu, præsertim cum in omni situ ejus vel ædificiis nihil se carnis obtutibus præsentaret amœnum, sed nec in victu seu vestitu fratrum, quod carnem ipsam multum valeret oblectare: cum vita eorum austera satis sit atque parca, utpote cui raro piscibus, carnibus autem vel sagina numquam, nisi gravi corporis intercedente molestia vesci licet. Quotidie quoque in laboribus plurimis, in jejuniis & vigiliis multis, in assiduitate taciturnitatis, ac pro temporum intemperie æstu & algore fatigatur, & quod B difficillimum est tunicæ fratrum, in quibus squalores nocturnos sive diurnos agunt, nisi frequenter excutiantur, quod ex more tantum in sabbato fit, scaturire vermibus non desistunt.

Erat autem in memoratis fratribus præcipuum quoddam & singulare bonum, concors & unanimis tranquillitas, cum humilitate & mansuetudine, supportans invicem in caritate. Sedulus omnium etiam eorum qui negotiis forensibus deputantur, ad divinum obsequium concursus, & in omnibus motibus & gesticulationibus suis omnia honeste & secundum ordinem facta; quorum C tam probabilis conversatio & quædam erga me quasi prærogativa devotionis adeo me sibi devinxit, ut recogitans omnes annos meos, id est circuitus errorum meorum, cum eisdem fratribus & inter eos pauperem Christum deliberarem pauper sequi, sicque agendæ pœnitentiæ gratia supplere quæ desunt passionibus Christi in carne mea, ut spiritus salvus sit in die Domini, in die furoris & tenebrosi temporis, in quo nemo dabit commutationem pro anima sua, cui non erit qui faciat bonum in terra oblivionis, terra miseriæ & tenebrarum, in qua sempiternus horror inhabitat. Nempe horum D intuitu, nulla loci incommoditas, nulla pœnitentiæ difficultas dura debet vel aspera videri, dummodo per hoc obtineatur gratia in misericordia remissionis, & gloria in veritate repromissionis. Quia gratiam & gloriam dabit Dominus, cujus universæ viæ sunt misericordia & veritas. Ab horum, inquam, intuitu universos quibus pro anima res est, utraque manu pro dextra utentes, sicque ad bravium fraternæ vocationis inoffenso pede currentes, nullum terrenæ digE nitatis divitiarum seu delitiarum emolumentum, nulla corporeæ molestia passionis avertere queunt: scientes sane nihil homini profuturum mundum universum cum animæ suæ lucrari detrimento: scientes nihilominus quod in præsenti leve est ac momentaneum tribulationis suæ supra in sublimitate æternæ gloriæ pondus operari in eis. Ad quorum considerationem & ego sedile prælatorium admodum perhorrescens, in quo

quidem & nomen & honorificentia mihi apud filios hujus lucis etiam magnates aliquandiu celebriter excreverat, quæ sicut deficit fumus, deficiunt.

Perpendens vero me locum tenere in quo alter robustior & utilior valeret subrogari, meque haud secus in eo vel id genus alio quam vixeram jam victurum, quoniam insuper & ætas & infirmitas continue defatigant quæ vicinæ mortis bajulæ jam pro foribus assistunt, præter omnium pene conscientiam amicorum, ne forte instinctu aliquo me ab optato præpedirent, & locum mutavi & habitum, nigro (a) tantum in album commutato. Quamquam hodieque multi quorum me numerus non contingat, cælum non animum mutant, qui trans mare currunt, & quilibet color nullius momenti sit in oculis Altissimi, nisi quod iste non illo melior, sed humilior & vilior, quasi coütuntur opiliones & bubulci, vitam profitetur arctiorem quam habetur in terra suaviter viventium. Eorum dico quorum mensa frugalis, nec sobria & frequens esus carnium, fomes vermium est & cibus erit vermis & ignis. Quorum variis speciebus confecti sapores gulæ sunt irritamentum; sed in austerum inferibile convertentur. Quorum nimia falerni hausta voluptas libidinis est incentivum; sed animæ fiet in æternæ sitis ardorem. Quorum vestis mollior & delicata cenodoxiam nutrit, sed utentibus gehennæ importat asperitatem. Quorum superflua somni pausatio, desidiam & otiositatem fovet inimicam Deo. Quorum in multiloquio peccatum non deerit, non deerit & pœna peccati stridor dentium. Sed & per carnis sensualitatem annon mors intrat in animas suaviter viventium? Nam oculus evagans & lascivus, illaqueat captivans animam, visaque species & concupita nedum usa in mœchiam rapit & in ignem trahit inextinguibilem. Auris pruriens velox ad audiendum & cordi & auri noxia concipit, & in utroque parit iniquitatem & æternum væ. Tactus & gustus lenocinans in carnem spiritum retorquet, & carnem & spiritum præparat ad gehennam. Odorum suavitas & nidorum leporem gignit & in fœtorem miserabilem in posterum erumpit. Horum omnium intemperies pœnas dabit in interitum æternas. Ad quorum nimirum evitandam, Domino miserante, insolentiam, & reparandam & recuperandam pristinæ gratiam conversationis, veni in locum hunc miserandæ paupertatis, cœnobium inopiæ copiosæ, in quo ferè omnia præter inhabitantium mores inculta videntur & impolita.

Verumnon eo certe animo veni, quo quidam garriunt malignantes, ut videlicet contra beatitudinem vestram, quod absit, castrum firmem; imo satius ut anima mea sit in manibus meis semper, id est vita vel mens mea in conspectu meo coram me, ut memor sim mandatorum Dei, sicut sequitur, *& legem tuam non sum oblitus*, videlicet ad faciendas justificationes Domini in æternum propter retributionem. Quin etiam ut de vestræ si placeat gratia visitationis gratiam aliquotiens habeam & consolationis. Nam visitantes speciem vestram non peccabitis. Quod si forte gravis sum vobis & ad videndum, prorsus ad pacem vestri conservandam me longius transferam; vel si magis placet expugnatus egrediar de terra. Nam etsi locum hunc horroris & quasi vastæ solitudinis ad obsequendum cælesti regi & reginæ inhabitare decreverim, quoniam elegi eum: tamen ubique terrarum Deo servitur, uni regi militatur, idemque miserator intuens miserandum, & ejus misertus miseriæ, misero benigne miseretur, & faciens misericordias, miserenti animæ suæ, ut placeat Deo, & Dominus supponit manum suam parans in dulcedine sua pauperi Deus. Neque enim hic hac de causa volui hactenus inchoare, quod non liceat si oportuerit in irritum revocare, dum tamen bene inchoata in melius alibi proficiendo fuerint consummata. Et quidem mihi non mediocriter molestum erit, si meæ parvitatis vicinia, vobis in ea scandalizatis, onerosa extiterit & scrupulosa, quippe quos præ cunctis mihi nodus stringit insolubilis, quantum mea refert amicitiæ singularis. Cui profecto hæc mutatio dexteræ excelsi nullam divortii pro parte vestra debet inferre violentiam, dum non fortuitu, non præcipitanter, nec de casu noviter incidente, sed longa retro serie, vitæ meliorandæ zelum habens, & nunc mori timens hæc egerim, nec aliud me in ea constat mutatione quæsitum iri, quam solam animæ languentis medelam, quam Præmonstratensis beneficio religionis eidem subveniri, quæ mirum in modum cunctis in ea decedentibus suffragatur, quam ut, Domino largiente, mihi mundus crucifigatur & ego mundo, quod in illa prælatione nulla ratione possem obtinere, unde & per involucrum quibusdam, cum per vos transirem, me transfretaturum intimavi, sed revera, Domino cooperante, hoc mare magnum & spatiosum manibus. Quod pro certo mare mundum intellexeram, qui in maligno positus est, vel minorem mundum hominem immundum, qui instar fluentis aquæ numquam in eodem statu permanens, ab ortu semper vergit in mortem. Cujus equidem corpus quod corrumpitur innumeris scandalorum & tentationum fluctibus, multam

(a) Hinc colliges non omnes olim canonicos regulares vestem albam detulisse, sed saltem aliquos nigris usos fuisse, siquidem canonici sanctæ Barbaræ nigris vestiebantur, hodieque etiam in Lotharingia a piæ memoriæ Petro Furrerii reformati illud idem observant.

vitiorum,

vitiorum, libidinum & peccaminum salsuginem despumans aggravat animam, quibus vehementer oppressa, multiformes in sinu mentis species occultat vanitatum. Quamobrem & hoc mare magnum esse dicitur, propter profunditatis immensitatem, quia pravum est cor hominis & inscrutabile, cujus pravitas ac latibula occultorum, nec ab ipsius nedum alterius possunt intelligentia perscrutari. Hoc mare magnum & spatiosum perhibetur, propter longitudinis & latitudinis amplitudinem, quoniam universa vanitas omnis homo vivens. Cujus siquidem cogitatus longe lateque extra se, ad libita, sed illicita pervagatur, ut spiritus vadens & non rediens, vadens ad corruptionis errorem, sed non rediens ad erroris correctionem. Proinde illic reptilia quorum non est numerus. In erroneo quippe corde primum moventur passim quæ repunt; sicque de illo exeunt reptilia, id est cogitationes malæ quarum non est numerus. Fornicationes, immunditiæ, adulteria, furta, falsa testimonia, blasphemiæ, & quæcumque dictu vel actu impudenter & inepte inde proferuntur, velut animalia pusilla cum magnis. Et quoniam ex abundantia cordis os loquitur, & manus operatur, recte hoc mare magnum & spatiosum manibus pronuntiatur, ob differentiam scilicet operum, quæ per reptilia perversarum cogitationum, quæ separant a Deo, irrationabilia facta, minora cum majoribus quasi animalia pusilla cum magnis lingua manuque fiunt, & pœnas dabunt in interitu æternas. Illic igitur, hoc est in mari magno & spatioso, reptilia sunt & animalia pusilla cum magnis, quæ remediis non expiata competentibus, in profundum malorum pondere suo dimerguntur. Sed & illic naves pertransibunt, purgatæ scilicet & levigatæ mentes & conscientiæ, fide, amore, & imitatione dominicæ humilitatis & passionis, crucis & mortis, velut tabularum quarumdam firmamentis bene compositæ, ad quarum ipsiam recordationem, dum compatiuntur ac devotissime compunguntur, lubrici corporis temeritatem, cordis inscrutabilis pravitatem, & impuram cogitationum evagacitatem facile norunt pertransire. Nam in horum currentes odorem unguentorum, unctio ipsa docet de omnibus, memoria scilicet abundantiæ suavitatis Christi, & ejus humillimæ Incarnationis, ac difficillimæ passionis, quibus illæ mentes suaviter delibutæ & sapienter eruditæ per custodiam humilitatis & patientiæ, per imitationem vitæ Christi & doctrinæ hoc mare magnum & spatiosum manibus sic pertranseunt, ut nec reptilia cogitationum iniquarum, sed nec animalia irrationabilium operum pusilla cum magnis transeuntibus ex hoc mundo ad patrem per desiderium æternitatis virtutum fiant in jacturam. Porro hoc est mare quod

A dicebam, & quod in Domino confido me transfretaturum, si tamen omni studio servavero cor, ut cogitatio sancta me servet.

Cogitatio sancta est, quæ in vita Christi & doctrina meditando, imitando conversatur. Quod est in odio peccati & ipsius execratione. Sic quippe cœpit JESUS facere & docere, quia peccatum non fecit, qui factus est nobis sapientia a Deo, & justitia, & sanctificatio. Hæc est cogitatio sancta, quæ servat hominem ab offensa & gehenna, a verme conscientiæ qui corrodit nec comminuit, & igni gehennæ qui comburit nec consumit. Hæc etiam servat hominem ad coronam triplicem, ad coronam justitiæ per quam meretur coronam vitæ; in qua possidebit coronam gloriæ. Igitur omni custodia servandum est cor, ut sitiens justitiam faciat, faciens ad vitam perveniat, perveniens gloriam possideat. Quoniam sic ex ipso corde vita procedit, quam Deus diligentibus se repromisit.

Quia vero meliorationis formam, qua ad hanc vitam securius pervenitur, in primæ vocationis professione non facile præsumere aut præsumtum fore, sine mei ac multorum scandalo executioni mandare non auderem, hoc vitæ genus arripere libuit, in quo cum omnes comparticipes meos me superiores videro, minus in cenodoxiæ vitium declinans, me reflectam, ac magis ad virtutum eorum culmen me extendam. Quod si quem forte amicorum ex his scandalizatum iri constiterit, eo facilius donare mihi debent injuriam hanc, quo nihil in eorum dedecus aut verecundiam, sed totum in mei potius actum est correctionem, & quod idem legislator, eadem regula, idemque nomen clerici vel canonici, loco tantum ac colore quæ pro nihilo habentur commutatis, perseverent, meæque cum eis licet non magni pendenda sit dilectionis integritas & continuæ devotiones.

Unum est autem quod in hujus loci commemoratione animum frangit, acriusque excoquit, videlicet quod prope castrum & viam regiam degens, a multis notus, multorumque notitiam habens, ex eorum accessus frequentia in desideratæ sinu quietis, pro eorum immani & inani colloquio non sinar esse quietus. Nulli etenim proficere satagenti a profectus sui studio expedit hora vel una a corrumpente mores bonos colloquio sæcularium impediri. Ceterum quod a dilecto dilectore meo Ra. cum jam pridem ad partes istas visitandi gratia declinasset, die jam vesperam in noctem claudente, ideoque illo ad reditum festinante, mihi significatum est, operæ pretium duxi vestræ caritati referandum, ut, cognita rei veritate, innocentiam meam excusatam habeatis, & apud reliquos, si necessitas exegerit, excusare non dissimuletis. Quidam enim nescio

quis seminans inter fratres discordias, quales detestatur anima Dei, recte mentitus est in caput suum, asserens me in personam Christi Domini, domnum priorem loquor, & in totam æque domum sanctæ Barbaræ, os meum impudenter aperuisse, utrique derogando. Quod quidem si fecissem, nihil minus esse reor, quam posuisse in cælum os meum; quippe quorum conversatio in cælis est. Verum his eo minus fides adhibenda est, quo in absentem prolata, locum mihi defensionis intercluserant. Jam vero ne de cetero super his suspectum quis habeat, ecce præsto sum, vel interpositione fidei, seu tactis sacro-sanctis evangeliis, meam super hac injuria præcise quoque purgare innocentiam, sicque vobis omnibus præstare satisfactionem, & malignantem in me probare falsatorem.

Et quatenus, quæso, in tantum erga domum illam scelus prorumperem, quæ me a paterna domo exulem, mundo mihi novercante, & ad partes cismarinas opis alienæ indigum transmittente, in benignitatis suæ gremium excepit, aluit, & ab annis adolescentiæ in sanctæ religionis habitum, & per manus ejus ad sacros ordines promotum, in hujus ætatis articulum, quæ annum ni fallor excedit sexagesimum perduxit? Cui pro vero cum pro cunctis usque in diem hanc mihi collatis, vel etiam deinceps conferendis successibus, innumeras non modo gratiarum habeam & referam actiones, verum & debeam & offeram quicquid devotionis, quicquid obsequii, qualiscumque mea possibilitas obtinet? Profecto qui eam & filios lacte uberum ejus diligenter enutritos præ omni genere hominum abundantius, altius & arctius teneam in visceribus caritatis, nullatenus aurem in me susurriis accommodare nocentium debent, cum sint susurrones, detractores, Deo odibiles. Itaque rogo vos, fratres, vos habere me excusatum, & mihi coram Altissimo precum vestrarum instantia subvenire. Precor etiam quatinus loquaci veniam detis senectuti, scientes quod epistola mea vos estis scripta in corde meo, per quam Deus pacis & dilectionis omnem cœtum vestrum mihi, vobis mediantibus, in precibus suis efficiat propitium, & in caritate non ficta maneat semper vobiscum. Amen.

EPISTOLA CUJUSDAM doctoris ad amicum suum.

Miris præconiis extollit canonicorum regularium vivendi rationem, exponitque qua arte ad Deum conversus fuerit.

Ex ms. Aquicinctensi.

CUm nuper Aurelianis de vita trium nonnulla colloqueremur, teipso occasionem dante, quam neque Job, neque Noë, multo minus vero de sorte Danielis fatebaris esse, satis affectuose rogasti, & quasi debito jure familiaritatis antiquæ præcepisti, ut Carnotum regressus, si forte vacui temporis opportunitas se offerret, de statu vitæ meæ mutatione dextræ Excelsi, tam spiritualiter quam noviter alteratæ scribere non differrem. Digna siquidem est petitio tua, & cui contradicere fateor indignum esse, periculosum tamen adquiescere. Si enim de re minus dixero, canonicæ institutionis reus fieri pertimesco: si vero circa fines veritatis stilum versavero, religionis ejusdem adulator videri non minus erubesco, præsertim cum plures hujus mundi amatores id pravi moris habeant, ut monachilis vel canonicæ professionis cultoribus difficile credant, arbitrantes eos quasi lege conspirationis adstrictos, ad id unanimiter laborare, ut eodem laqueo quo irretiti sunt, quoslibet valeant impedire. Nunc vero nihil interest mea niti vel ad illorum accusationem vel ad istorum defensionem, hoc solum audeo confidenter dicere, quia nec tuum est de religione quærere, nec meum erit ipsam ficte per occasionem laudare. Cum igitur scriptum de statu vitæ meæ postulaveris, jam nunc primum incipio dubitare, utrum de interiori vita quæsieris, secundum bona videlicet & mala mentis, vel de exteriori quæ est secundum commoda vel incommoda corporis. Si de interiori quæritur, respondeo quia regularium canonicorum vita vagis, lascivis, in fide dubitantibus, sub fasce divinorum mandatorum lassescentibus sit ponderosa & odiosa: sancto autem proposito fixis, lumbos castitate succinctis, firmiter credentibus, patienter expectantibus levis & jocunda. In hujus enim brevis vitæ lacrymosis solicitudinibus quid existimari potest levius? quid jocundius, quam fratres in unum habitare, & sub uno diversorum morum conventu, universitatis auctorem voce pariter & mente collaudare? Ubi melius, ubi ordinabilius vivitur? quis confiteri non debeat felicem mensam, quæ dupliciter reficit, mentem lectione, corpus ciborum varietate? ministratur enim cibus potusque multiplex & abundans, ut fratrum quivis sufficienter inde quantum voluerit sumat, & tamen mendicantibus egenis non minimam partem derelinquat. Si autem alicui ob luxuriam carnis superbientis refrænandam, præparatis moderatius uti quandoque libuerit, ventrem enim cibis distentum sequitur voluptas genitalium, profecto & coronæ præmium de abstinentia multiplicabitur, & mendicantium esuries in reservato plenius replebitur. Utinam scires quanta infirmo fratri misericordia impenditur, quantaque pia curiositate in omnibus necessariis procuretur: si ad esum fratrum communiter præparata non appetit,

cogitet & quærat quid inveniatur, profecto A ab effectu voluntatis suæ nequaquam fraudabitur. De vestimentis autem nostris supervacuum æstimavi scribere, cum luce clarius pateat, quia in minimo videantur ab elegantia sæcularium discrepare. Hæc quidem & alia hujusmodi sancta & in omnibus moderata venerabilis Augustini regula, me tacente, plenius te poterit edocere. Jam nunc igitur, ut arbitror, suspensis auribus expectas, ut consequenter de interiori statu vitæ meæ aliquid audias. Sed mihi, carissime, laboriosum æque & periculosum est de talibus velle pertractare; cum enim videaris velle B cognoscere, utrum mens mea sibi complaceat vel displiceat in assumta religione, confidenter quidem & veraciter audeo confiteri, quia totis visceribus mentis gaudeo, me per gratiam Domini mei Jesu Christi militiæ hostis Babylonici penitus abrenuntiasse, & summi regis omnium conditoris qui mihi benefecit, de cetero adhuc meliora repromittit, tyrocinium suscepisse. Sed si dixero facile esse huic regi militare, vereor ne nimis simpliciter verum proferendo, pavidam remissorum pusillanimitatem videar ad hanc militiam invitare, cum hostem formidolosum & corde pavidum sacræ scripturæ auctoritas a procinctu spiritalis pugnæ videatur removere: non potest enim quisquam corde duplici, bella Domini præliari. Unde alibi dicitur: *Vir duplex animo inconstans est in omnibus viis suis.* Quibus verbis plane nobis innuitur, non bene quemquam posse spiritualis vitæ arripere exercitium, qui adhuc pertimescit nudari felicitate terrena & opum. Sed rursus ejusdem rei difficultatem ubi prædicavero, cum ad commune bonum suadere debeam, dissuasor potius videri pertimesco. Quia igitur e duobus coartor utrobique, & utrum tum sine repugnantia militiæ Christi videtur inesse, de utriusque convenientia tibi aliqua dicere tentabo, si paulo altius incipiens, prius manifestavero qua ratione adhæserim huic proposito. Triennio ante illam salutiferam plagam, qua benigna Dei manus me misericorditer percussit, & subcineritium panem, abjecto terrenæ sordis pulvere, misericorditer reversavit, percussus terrore mortiferi flagelli, quo justa Dei ultio plures tunc incessanter puniebat, & motus consideratione iniquitatis & luxuriæ meæ, quæ jam in immensum excreverat, magnus ego assiduus divinæ legis prævaricator cœperam ad cor redire, & quandoque lacrymosis compunctionibus de perditione mea dolere; sed vox carnis spiritui obstrepebat, & interioribus innumera pravæ consuetudinis blandimenta opponebat: quandocumque enim aliquis supernorum respectus duritiam mei cordis emollierat, citissime repentino visu speciosæ mulieris, tamquam visu fabulosæ Gorgonis, ipsum quod fuerat quodammodo molle & carneum mutabatur in lapideum, Deum videlicet quadam insensibilitatis duritia a se repellendo, & mandatorum ipsius legem superbe transgrediendo. Veram itaque esse cognoscebam vocem illam apostolicam, quæ dicit: *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Deus nimirum fons bonitatis, qui pro modo voluntatis suæ potens erat & est suscitare de lapide filium Abrahæ, nondum visitaverat Zachæi hospitium, quia miser ego ille Zachæus nondum turbam fugiens ascenderam sicomorum. Infixus quippe eram in limo profundi, & apud me nulla inveniebatur facultas emergendi, ambitio & spes dignitatis ecclesiasticæ, amor pariter insatiabilis pecuniæ, quæ abundantius solito videbatur confluere, magnum quoque & varium libidinis incentivum, cujus eram factus vile subsellium, non sinebant bene cogitata duci ad effectum. O quam reprobus doctor eram! qui alios docebam meipsum non docebam; alios de contemtu mundanæ dignitatis instruebam, ego plus aliis C appetebam; pecuniæ idololatriam esse asserebam, ego tamen congregare non cessabam; libidini deserviri nihil aliud esse quam Deo apostatare protestabar, & totus in ea quasi sus in cœni volutabro ambienter demergebar. Mentis etenim meæ interior oculus nondum bene erat collirio perfectæ compunctionis a pulvere terrenarum sordium detersus, quia scientiam sine caritate habens, nondum intellexeram quod in Isaïa legeram: *Omnis caro fœnum, & omnis gloria tamquam flos fœni.* Et illud Amos prophetæ: *Væ qui opulenti estis in Sion, & confidi-* D *tis in monte Samariæ, pompatice domum Israël ingredientes, qui dormitis & lascivitis in lectis vestris, bibentes vinum in phialis.* Nondum bene tetigerat eos meum illud horrisonum Jacobi testimonium: *Agite nunc divites, plorate ululantes in miseriis, quæ supervenient vobis, divitiæ vestræ putrefient, aurum & argentum vestrum æruginavit, & ærugo eorum vobis in testimonium veniet; & manducabit carnes vestras sicut ignis.* Tonitruum apostolicæ vocis contra libidinosos graviter intonantis cum pluribus aliis legerem, mihi non legebam; quia videlicet for- E nicatores judicabit Deus. Et illud: *Fornicatio & omnis immunditia nec nominetur in vobis.* Cum itaque novi veterisque testamenti sacra pagina damnationis meæ innumera jacularetur contra me testimonia, ego tamen surdus auditor, mundo lenocinante, gaudebam, juxta vocem philosophicam in fecibus meis requiescere. Summa igitur & ineffabilis Dei misericordia, quæ secundum quod ait Job, in novissima abyssi deambulabat, & neminem vult perire, sed omnes ad agnitionem veritatis venire, visitavit me

jam jacentem, me jam quatriduanum in sepulcro fœtentem, me jam intra fauces magni seductoris dormientem visitavit & percussit: sed percussit exterius, ut sanaret interius; percussit, ut corporalis vexatio auditui intellectum daret; percussit, ut me ipsum ante faciem meam statueret. Manum itaque suam per foramen misit, & venter meus ad tactum ejus intremuit. Peccata igitur mea amare flendo, & medico spiritali confitendo, pessulum ostii meæ mentis aperui dilecto meo, exoptans illius effici templum, quem miser & indignus videbar exclusisse non communicando per triennium; citius salutifera susceptione tam corporaliter quam spiritaliter roboratus, interjecto quasi unius horæ spatio, multiplicem præsentis vitæ miseriam & immensam æternæ beatitudinis jocunditatem mecum quasi conferendo retractare cœpi, & subito lacrymis utriusque irrigui abundanter obortis in hæc verba erupi: O Deus, *quid mihi est in cælo, & a te quid volui super terram?* Sacculum igitur nummorum, cujus execrabili commercio adipisci putabam honorem ecclesiasticum, aliosque avaritiæ meæ loculos pecunia illa refertos, quæ pauperibus fame morientibus non erogando rapueram, honeste, ut putabam, tunc dispersi, & mihi amicos de mammona iniquitatis feci, præbendas quas quoque contra sanctorum patrum decreta usurpaveram, satisque irreligiose tenueram, reliqui, & tamdem omnibus vinculis Dei gratia ruptis, liber evasi, & me multis impedire volentibus, & ad vanitates & insanias falsas revocantibus, canonicæ institutionis jugo gauderet subjeci. De quo videlicet subjectionis jugo, qualiter facile esse & difficile intelligatur, secundum meæ promissionis tenorem jam nunc expedire tentabo. Et fortasse labor hujus executionis minuetur, si amanti facile esse, non amanti vero difficile tam sufficienter quam veraciter respondeatur; sed ut evidentius pateat quod intendimus, causas & origines utrorumque quasi contrariorum prius videamus. Et ut de his in præsentiarum taceatur, qui vel infirmitatis impulsu, vel cujuscumque societatis affectu, sanctæ hujus conversationis habitum susceperunt, de illis tantum sermo habeatur, qui simpliciter Deum in causa habentes, sæculum cum principe suo contemnunt, & libenter ruptis omnibus amicorum affectibus, quasi Allophilorum vaccæ arcam Domini gestaturæ, jugo spiritalis obedientiæ caput supponunt. Hi nimirum quanto ardentiores existunt in divina servitute, tanto acrius æstimantur adversum se hostem suscitare. Prius enim dum variis hujus mundi oblectamentis immerguntur, quasi his satellitibus parcebat, & tamquam non inveniens circa eorum miserabilem vitam, in quo extenderet suæ invidiæ malitiam, quadam sui securitate sub umbra, in secreto thalami, in locis humentibus dormiens tepescebat, sed postquam in eis videt avaritiam, luxuriam, & cetera idololatriæ simulacra conquassari, & militiæ suæ signis penitus abrenuntiari, jam ex intimo gemit, indolet, rugit, collectoque nequiori exercitu per fugas insequitur, & longe callidioribus tentationum argumentis revocare nititur. Magnis igitur & innumerabilibus aculeis Cananæum suum adversus eos instigat: hic sua spes, sua fortitudo; hujus enim virtus in lumbis ejus, hujus satellitio fugitiva mancipia sibi restitui posse putat, hujus satellitio fiduciam habet, quod Jordanis in os ejus defluat. Dices ergo fortasse difficillimum esse inimici contubernalis insidias evitare, & cum illo dimicare, qui sæpius victus non cessat provocare. Difficile, immo difficillimum est, non nego, sed homini, non Deo: quid enim ait scriptura? *Fidelis est Dominus, qui non patitur vos tentari supra id quod potestis, &c.* immo si est difficile, eo magis est præmiale: *Nemo enim coronabitur, nisi qui legitime certaverit.* Et ne alicui impossibilitatis occasio ad excusationem prætendatur, numerosa fidelium turba cujuscumque ætatis, sexus, conditionis, ante mentis oculos reducatur, qui fortissimi Dei bellatores leguntur extitisse, & cursu bene consummato jam ad bravium supernæ vocationis feliciter pervenisse; quem profecto virum non pudeat profiteri difficile, quod non ignorat etiam mulieres fortiter tolerasse? Si quis tamen gravioris pugnæ conflictibus se quandoque fieri imparem reformidat, caput serpentis conterendo, motus interiores, dum parvuli sunt ad petram, quæ Christus est, velocius elidat, ne deinceps difficili tormento cogatur adultos sustinere, quos primo subrepentes facile potuit extinxisse. Illis igitur, qui non perfecta animi consideratione ad hujus vel alterius spiritualis exercitii stadium accesserunt, quid mirum, si sancta & cœlestis vitæ via difficilis videatur & onerosa, adeo ut quandoque ad vomitum revertantur, & contemto propositæ coronæ bravio, nondum deinceps arctius amplectantur. Illius nempe corpus totum tenebrosum erit, cujus oculus nequam fuerat: aliquando tamen eorum nonnulli, qui non bene videbantur incœpisse, occulto & ineffabili misericordiæ Dei consilio bene videntur consummasse. Sed de his hactenus me dixisse sufficiat; omissa itaque aliorum vitæ discussione, aliqua tibi de interiori habitu meo specialiter scribere tentarem, nisi fortassis libram veritatis humiliter tenere nesciens, alicujus suspectæ arrogantiæ notam incurrere formidarem. Sed hoc saltem videor veraciter posse & debere confiteri, quia Dominus per gratiam suam respexit

me, & misertus est mei, eripiens de lacu miseriæ & de luto fecis, & semper magis magisque gaudeo, quotiens quam benigne mecum Dominus egerit, diligenter considero; quod enim miser antea desperabam posse fieri, mihi fecit, dum videlicet paulatim me mihi subripiens, consuetudinem consuetudine mutavit, & in meipso verum esse comprobavit quod legitur: quia usus dediscitur usu, ut quod inde minuitur, hinc crescere videatur. Sed quid te longius moror? videor mihi beate vivere, quotiens menti revoco immunditiam præcedentis vitæ. Ad hujus ergo mundæ & cælestis vitæ participationem, te ut patrem filius, ut magistrum discipulus libenter invitarem, nisi teipsum tibi sufficere, & minoris ammonitionibus nequaquam intelligerem indigere. Timeo tamen, pater carissime, ne ultra modum differas aggredi consilium vitæ: jam enim tempus erat te diutius expectatum, saltem circa undecimam in via Domini laborare, ut in vespera posses nummum recipere. Expectas ut mundus te deserat, priusquam tu mundum? Dubium est deinceps utrum debeas habere nummum. Veni, pater, veni dum vult Deus & recipit, ne fortassis cum volueris, Deus nolit. Noli, pater, noli offendiculum esse domui Israël; clamat enim contra te propheta, & alios optimates & prælatos. *Vos*, inquit, *de via recessistis, & plurimos scandalisastis*. Et illud: *Væ vobis, qui nec intratis, nec alios intrare permittitis*. Ingredere itaque, ingredere, ut & alii ingrediantur post te, quos videris non ingrediendo ab ingressu prohibere. Rumpe cito carnales affectus, rumpe, genus est pietatis in hac re crudelem esse. Jam severus judex manu formidabilem gladium vibrat, & te adhuc parentalis amor retardat. Ascende, ascende, inquam, cum Paulo in Jerusalem militaturus, & ne formides, si dura tibi vaticinetur Agabus.

EPISTOLA ECHEHARDI abbatis, ut videtur, Prulliacensis ad E. abbatem Hersvithehusenum.

Amice expostulat quod sui oblivіscens sibi non scribat.

Ex ms. Hardenhusano

REverendissimo patri ac domino & patruo suo dilectissimo E. venerabili abbati de (a) Hersvithehusen frater (b) ECHEHARDUS Prulliacensis ordinis Cisterciensis, sic temporaliter villicari, ne habeat paterfamilias tempore reddendæ rationis de dissipata vel spirituali vel temporali substantia causari.

Diu in corde fuerat, & pene medullitus insiderat, uti consilio proverbii vulgaris illius: Sicut ego tibi, sic & tu mihi, & nec litteras vobis dirigere, nec prior salutare: quia latore præsentium ad vos veniente, & in transitu apud vos aliquandiu commorante, sicut ipso referente cognovi, cum de via ejus vobis constaret, ut nulla vobis excusationis causa remaneat, & libertate scribendi, & nuntii certitudine se ingerente, cum tamen id non minus opportune jam sæpius fecisse potuissetis, nec litteras status vestri mihi transmisistis, nec salutatione quidem vestra dignum judicastis. Quomodo ergo funiculus triplex difficile rumpitur, qui sola distantia corporali tam facile scinditur? Dico autem naturale glutinum naturæ communis, germanum vinculum consanguinitatis, spirituale jugum ejusdem professionis. An occasione prælationis obliti estis, vel ut amplius loquar, despexistis domesticos seminis vestri? quod non licet id mihi de vobis sentire, quem non ambitio sæcularis ad locum regiminis provexit, sed sola necessitas & obedientia ordinis, ut spero, promovit. Hic est enim typhus eorum, quibus de gibbo adeptæ dignitatis lethiferum apostema nascitur elationis, ex eo quod onus impositum pensare negligunt, dum honori nimis intendunt: hi dum assequuntur quod amare concupiscunt, dum se ad communem hominum mensuram cohibere nesciunt, non dicam inferiores aut pares, sed & superiores superbe despiciunt, penitus immemores aut contemtores consilii illius Sapientis, *Principem te constituerunt, noli extolli. Esto inter eos sicut unum ex illis.* Sed habebunt experiri, quia, cui plus committitur, plus ab eo exigitur; & quia cathedra pastoralis plus habet timoris, quam superbæ gloriationis; plus humiliationis, quam potestatis, dicente Veritate, quia, *Qui voluerit inter vos esse major, sit omnium minister.* Sed hoc vitium cum in omnibus sit persequendum, magis tamen si cadat in virum religionis constantem & discretum. Si autem pro excusatione legem ordinis opponitis, quia non licet monachis litteras aut eulogias accipere, penes vos erat potestas transmittendi; mihi quoque non defuisset licentia recipiendi. Attamen in his contemtum meum de me patienter sustineo, sed caritatis vestræ jacturam minus libenter accipio. Ego enim bonorum vestrorum non indigeo, quia substantia mihi suffi-

(a) Hersvitehusen monasterium ordinis Cisterciensis a Bernardo episcopo Paderbornensi fundatum anno 1140. accitis e monasterio Campensi fratribus, quibus, uti opinamur, præfectus est Daniel. Is enim instrumento translationis monialium e Monte Iburg in Gerdinense monasterium subscripsit anno 1142. Situm est vero *Hersvitehusen*, sive, ut vulgo appellatur, *Hardenhousen*, in diœcesi Paderbornensi, haud procul à Dimola fluvio & Vvarburgo oppido.

(b) Desideratur hic abbas in vulgato catalogo abbatum Pruliacensium valde imperfecto. Est autem Prulliacum antiquum & celebre monasterium ordinis Cisterciensis in diœcesi Senonensi anno 1118. fundatum, ad quod regendum ex Vvestphalia advocatus fuerat Echehardus, ut non obscure colligitur ex hac epistola.

ciens est & superabundo. Magnæ enim divitiæ sunt, sicut ait Seneca, lege naturæ composita paupertas, hoc est medicinalis ordinis mediocritas, quæ necessaria non subtrahit, & superflua non ministrat; quæ naturæ satisfacit, & gulæ concupiscentiæ non servit; quæ æqualitatem complexionis in corpore conservat, & virtutem spiritus luxuriando non enervat: non effrenata illa superfluitas, quæ nauseam generat & vomitum provocat, quæ æqualitatem humorum distemperat, & languores introducit: quia tamen temporis opportunitas & nuncii se obtulit certitudo, sanius arbitrans penes vos solum hanc injuriam existere, quam in eamdem vobiscum incidere, pluris æstimans æmulari vos omni æmulatione, quam zelo sæcularis sapientiæ. Tantum vos ad præsens de statu certifico, quod per Dei gratiam sanus sum & incolumis, & meæ quantum disciplina & rigor ordinis permittit libertatis. Qui enim dedit Joseph gratiam in conspectu Pharaonis, dedit & mihi gratiam invenire in loco meæ peregrinationis, & tanto utique misericordiam uberiorem, quanto gloriosius & jocundius est inter cives sanctorum & domesticos Dei regnare, quam super Ægyptios dominari. Mihi quoque de statu vestro & voluntate, si vobis placet, remandate, vel ipse in profectu vel in reditu a capitulo Cisterciensi per nos visitandi gratia, transite. Bene valete & dominum Nicolaum fratrem vestrum & alios amicos meos quos vos melius cognoscitis, ex parte mea salutate.

CARTA FUNDATIONIS cellæ S. Ymerii a Beccensi monasterio dependentis.

Circa 1145. *Communicavit dominus Richardus Housaye.*

NOtum sit omnibus sanctæ ecclesiæ fidelibus, tam præsentibus quam futuris, quod ego HUGO DE MONTE-FORTI, filius Gileberti de *Gant*, concessione GAUFRIDI Normannorum ducis & filii ejus HENRICI, consilioque HUGONIS Rothomagensis archiepiscopi & episcoporum Normanniæ, ARNULFI Lexoviensis, & ROTHRODI Ebroicensis, & PHILIPPI Bajocensis, HÆLINA uxore mea, & filiis meis ROBERTO & VALERANO concedentibus, baronibusque meis præsentibus, do ecclesiæ B. Mariæ Becci, monachisque ibi Deo servientibus ecclesiam S. Ymerii in perpetuam eleemosynam liberam & quietam ab omni consuetudine, cum præbendis & omnibus ad eam pertinentibus, ut monachi in ea loco canonicorum constituantur. Et insuper Deo & S. Ymerio do quamdam partem silvæ meæ, quæ nemus Heroldi & Vallis-corvi dicitur, usque ad majorem viam vallis, per quam a domo Ricardi *Hache* ad A sanctum Ymerium descenditur, & medietatem meam de quodam virgulto vineæ, & quamdam aliam partem quam HÆLINA uxor mea tenebat circa eum, similiter S. Ymerio dat, atque aliud virgultum de quo Thomas medietatem tenebat, quam ipse S. Ymerio præbuit: & cum istis de omnibus salinis meis, & de foro vallis *Ancre* decimam do; & præter hæc HÆLINA uxor mea apud Pontem-episcopi quamdam domum, quam Godefridus *Espiart* tenuit cum consuetudinibus suis, & quoddam virgultum quod Ricardus *Porée* in Perresita tenuit, B sancto Ymerio concessione mea dedit. Et præter ista terram quam Robertus filius *Efrede* tenuit, & terram quam Turgottus presbyter circa eam de me habuit, sancto Ymerio do. Similiterque concedo ut omnia quæ ista ecclesia tempore HUGONIS avi mei habuit, in perpetuum teneat. Habuit enim de omnibus silvis quas prædictus Hugo in Normannia tenebat decimas, hoc est de feris, de volatilibus, de venditione nemorum, de essartibus, de melle, de pasnagio, atque de cunctis consuetudinibus silvarum, C & de omnibus molendinis atque caseis, cunctisque pecuniis, & foris, & de omnibus redditibus terræ meæ, & in Anglica terra similiter de caseis & universis pecuniis & de piscibus, hæc & unam domum in eadem villa, & de Bratheburna & Tiltentona & Esbruge, decimas do, de annonis similiter.

Signum HUGONIS DE MONTE-FORTI, Signum ROBERTI DE MONTE-FORTI, Signum VALERANI DE MONTE-FORTI, Signum HELIÆ DE BAILLIOLO, Signum ROBERTI de Magnavilla, Signum Willelmi S. Leodegarii, Signum Galterii *Pipart*, D Signum Roberti *Pipart*, Signum Rogerii de Burgevilla, Signum Jordanis de Suilleio, Signum Philippi de *Beiurdan*, Signum Hugonis de *Beiurdan*.

CONFIRMATIO FUNDATIONIS Gerdinensis Parthenonis in diœcesi Paderbornensi.

Anno 1142. *Ex cartario Gerdinensi.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. BERNHARDUS Dei gratia Patherbornensis episcopus. Salubriter & utiliter divinæ E aspirationis instinctu ordinatum atque constitutum est, ut quæcumque piæ actionis vel devotionis intuitu, fidelium liberalitate, ad divini cultus misterium delegata fuerint & attributa, litteris & cartis veracium testimonia continentibus mandata futurorum clarescant notitiæ, ne temerario ausu cuiquam ea locus sit infringere, vel oblivio temporis valeat ulla longinquitate abrogare. Universitati itaque fidelium tam præsentium quam futurorum notum esse cupimus pie-

tati, qualiter quidam HEINRICUS divina inspiratione præventus, & nostro consilio animatus, omne patrimonium suum & mansionem propriam in *Gerdene*, cum suæ sororis, MERGARDIS videlicet, & ejus mundiburdi Werneri consensus astipulatione, Deo & beatæ Mariæ Virgini & beato Petro apostolorum principi pro æterna sui suorumque memoria devotus obtulit, ut exstructo [a] cœnobio sorores quæ apud *Iburg* (a) ante inclusæ tenuiter vivebant, eo translatæ divinis servitiis eo liberius & largius insisterent & vacarent, quo a sæcularibus remotæ longius distarent. Ipsum quoque cœnobium [b] sub mundiburdium beati (b) Liborii & nostri & ecclesiæ Patherburnensis contradidit & constituit, ut & nostræ consolationis etiam aliquibus augmentis cresceret, & protectionis nostræ & successorum nostrorum in omnibus juvamen & munimen haberet. Ad hujus itaque viri venerabilis propositum bonum & votum laudabile animo benigno attendentes, tradidimus eidem cœnobio ecclesiam in *Gerdene*, & donum altaris, cum dote & mansis dotalibus, videlicet quinque mansis in *Gerdene*, & quatuor in *Dalessen*, parochiam etiam cum omnis juris integritate quod nostri erat officii, Samuele sacerdote, cujusque beneficium erat libere eam resignante, & Bertholdo archidiacono consentiente, & ab omni quod suum in ea erat cum alacritate se applicante. Et ut hæc rata & inconvulsa permaneant, officii nostri auctoritate, & sigilli nostri impressione, & testibus idoneis corroboravimus, quorum hæc sunt nomina, BALDUINUS abbas Liesbornensis, CONRADUS abbas Patherbornensis, Bernardus præpositus, Almarus decanus, Tietmarus, Rembertus præpositus, Evergisus, Lentfridus. Liberi VOLQUINUS advocatus, ADELBERTUS comes, BERNHARDUS de Lipia, BERTOLDUS de *Eversente*. Ministeriales Henricus, Adelbertus, Luidoldus, Bertoldus, Conradus, Conradus *Stapel*. Acta sunt hæc sub rege Conrado, anno dominicæ Incarnationis MCXLVI. anno episcopatus venerabilis domini Bernhardi Patherbornensis episcopi XI. feliciter. Amen.

DIPLOMA LUDOVICI VII. regis pro parthenone Suessionensi S. Mariæ.

Redemptionem advocatiæ in quasdam villas a Mathilda abbatissa factam confirmat.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. LUDOVICUS Dei gratia rex Francorum omnibus in perpetuum. Quicquid in hereditatem Domini trahitur, firmius constat, si præceptis regiis confirmetur; ita namque per præceptorum auctoritatem omnino cavetur, ut quicquid sibi Christus in ecclesia vendicat, nemo rursus adjiciat, aut resumat. Notum proinde facimus universis, tam præsentibus quam futuris, MATILDAM secundam in ecclesia sanctimonialium B. Mariæ Suessionensis venerabilem abbatissam advocationem quam Gerardus de Girisiaco in quibusdam ecclesiæ prædictæ villis, videlicet *Aysi*, Perigimum, Fillenas, Chavonium obtinebat, in perennem ac liberam sibi & ecclesiæ suæ possessionem ab ipso Girardo sub trecentarum librarum pretio comparasse: in qua re, quam advocatio prænotata e feodo nostro provenire dinoscebatur, ad petitionem abbatissæ sibi & ecclesiæ suæ liberum nostræ concessionis assensum præbuimus, & uxor ejusdem G. ac filii ceterique ad quos advocatio illa ratione sanguinis spectare videbatur, assensum quoque suum in hoc ipso libere prorsus & absolute tribuerunt, & ne aliquid in posterum suspitionis aut calumniæ remaneret, quos etiam ex eisdem abbatissa magis suspectos habebat, jurejurando adstrixit, & ita per quietam penitus & absolutam emtionem, advocationem prænotatam in jus ecclesiæ suæ libere vindicavit, quod ut perpetuæ stabilitatis obtineat munimenta, scripto commendari, sigilli nostri auctoritate muniri, nostrique nominis subter inscripto caractere corroborari præcipimus.

Anno 1146. *Ex cartario B. Mariæ Suessionensis.*

Actum publice Stampis, anno ab Incarnatione Domini MCXLVI. regni vero nostri X. astantibus in palatio nostro quorum nomina intitulata sunt & signa. Signum RADULFI Viromandorum comitis dapiferi nostri. S. WILLELMI buticularii. S. MATTHEI cancellarii. S. MATTHEI constabularii.

Data per manum CADURCI cancellarii.

(a) Bernardus episcopus Paderbornensis sub initium sui pontificatus moniales collocavit in monte Iburg, qui mons in diœcesi Paderbornensi castro Saxonum vetustissimo celeberrimus quondam fuit. At moniales sterilitate loci & penuria atque aliis incommodis conflictatæ, Gerdenam migravere paulo ante annum 1136. Eo quippe anno confirmata sunt ipsis bona prioris loci, *quoniam dictante necessitatis ratione, habitationem mutassent*, uti legitur in instrumento. Tum Henricus Gerdinensis dominus, pietate motus adversus sanctimoniales, cœnobium ipsis in proprio fundo erexit, eoque consummato inclusæ sunt ritu solemni anno 1142. ab antistite Paderbornensi, qui defensor loci constitutus, plura eidem litteris suis attribuit, quæ denique insigni hoc diplomate asseruntur denuo.

(b) Episcopi Cenomanensis, & patroni ecclesiæ Patherbornensis.

DIPLOMA CONRADI imperatoris secundi pro monasterio Walciodorensi.

Declarat Heidra & Antina villis monasterium plena libertate debere gaudere.

Anno 1146. Communicavit reverendissimus abbas Walciodorensis.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. CONRADUS secundus Dei clementia Romanorum rex. Notum esse volumus universis sanctæ Dei ecclesiæ cultoribus tam præsentibus quam futuris, qualiter abbas Walciodorensis THEODERICUS nostræ serenitatis præsentiam adiens, majestati nostræ conquestus est de quibusdam malefactoribus, qui in duabus villis Heidra & Antina nominatis, quæ ab antiquis temporibus regali munificentia ab omni exactione libere ecclesiæ Walciodorensi collatæ fuerunt, de quarum etiam libertate privilegium sigillo prædecessoris nostri serenissimi regis OTTONIS confirmatum in præsentia nostra monstratur, legem centenarii placiti, hospitationes, & violentas oppressiones inferebant. Nos igitur pro Dei omnipotentis amore, simulque pro delictorum nostrorum remissione justis clamoribus aurem accommodantes, supradictas consuetudines in prænominatis villis injuste usurpatas, judicio curiæ nostræ abjudicari fecimus, easdemque villas præsenti privilegio in libertatem, quam tempore regum prædecessorum nostrorum LUDOVICI videlicet & OTTONIS habuerant, restituimus. Mandantes atque præcipientes, ut nulla deinceps ecclesiastica sæcularisve persona aliquam injustam potestatem vel violentiam in eis exerceat. Sed ecclesia Walciodorensis absque ulla contradictione libere & quiete eas in perpetuum possideat. Et ut hoc nostræ constitutionis præceptum per succedentia tempora ratum & inconvulsum permaneat, sigilli nostri impressione signavimus & manu propria subterfirmavimus. Actum in palatio Aquisgrani Kalendis Januarii anno ab Incarnatione MCXLVI. indictione VIII. anno VIII. regni Conradi gloriosi regis sub præsentia & testimonio episcoporum & abbatum & nobilium virorum quorum nomina hic adnotavimus.

ARNULPHUS Coloniensis archiepiscopus.

HEINRICUS episcopus Leodiensis.

ANSELMUS episcopus Havelbergensis.

WIBALDUS Stabulacensis abbas.

GODEFRIDUS abbas Prumiensis.

Signum domini CUNRADI Romanorum regis secundi.

HEINRICUS comes *de Lemborch.*

HEINRICUS comes de Rupe.

HERMANUS comes Palatinus & ceteri quamplurimi.

Ego Arnoldus cancellarius vice Heinrici Moguntini archiepiscopi & archicancellarii recognovi.

EPISTOLA ARNULFI ad Milonem episcopum Morinensem.

Quomodo Ulixisbona capta est.

Anno 1147. Ex ms. Aquicinctensi & Gemblacensi.

MILONI venerabili Tarvanensi episcopo, ARNULFUS Dei gratia id quod est spiritum sapientiæ subditis providere.

Scimus murum virtutum vestrarum turrim humilitatis adeo munisse, ut hostis ille antiquus longius arceatur, quod experimento didicimus, quando nobis sanctitas vestra condescendit, & navales motus sacratissima benedictione dexteræ vestræ circumsepsit, ut nec procellarum motu turbaremur, nec flaminum. Quapropter nos positi in valle lacrymarum in compendio vestræ paternitati transcribimus, quem rex regum tyrunculis suis fecerit statum. In Angliæ portu qui * *Tredemunde* dicitur, undique terrarum divino flamine compulsus convenit navalis exercitus. In VI. feria ante rogationes navigavimus cum ducentis fere navibus, & continuos septem dies & noctes in alto mari laborantes, in vigilia Ascensionis & in ipsa die solemni sævissima tempestate quassati, octavo demum die in portum Hispaniæ qui * *Gollim* dicitur cum quinquaginta fere navibus, ceteris circumquaque dispersis, appulimus, ubi per triduum fessa corpora curantes, rursum in portum qui *Viver* dicitur venimus. Inde exeuntes VI. feria ante Pentecosten, in portum Galliciæ qui *Fambre* dicitur appulimus, qui portus a sancto Jacobo octo milliaribus distat. Ad cujus venerabile sepulcrum in vigilia Pentecostes venientes, sanctam solemnitatem cum magna hilaritate celebravimus. Unde ad portum revertentes in octavis Pentecostes navigavimus. Secunda feria ad Portugalim per alveum fluminis qui Dorius dicitur applicuimus, ubi episcopum civitatis ejusdem adventum nostrum cum magno gaudio juxta præceptum regis præstolantem reperimus. Ubi per dies XI. adventum comitis * ARNOLDI DE ARDESCOT, necnon Christiani constabularii, qui a nobis prædicta tempestate divisi erant expectantes, æquam venditionem tam vini quam ceterarum delitiarum ex benevolentia regis habuimus. Exinde comite Arnaldo simulque constabulario receptis, navigantes, & alveum fluminis qui Tangus dicitur intrantes, secunda die apud Ulixisbonam in vigilia apostolorum Petri & Pauli appulimus. Quæ civitas, sicut tradunt historiæ Sarracenorum, ab Ulixe post excidium Trojæ condita, mirabili structura tam murorum quam turrium super montem humanis viribus insuperabilis, fundata est:

* al. Tremude.
* al. Gozzem.
* al. Arnulfi de Areschot.

eſt : circa quam figentes tentoria Kalendis Julii, ſuburbana ejus, divina virtute adjuti, cepimus. Poſt hæc aſſultus varios circa muros non ſine magno noſtrorum & illorum detrimento facientes, uſque ad Kalendas Auguſti in machinis faciendis tempus protraximus. Siquidem duas turres juxta littus, unam in Orientali parte, ubi Flandrigenæ conſederant, alteram in Occidentali, ubi Angli caſtra locaverant, magno ſumptu conſtruximus. Pontes etiam quatuor in navibus, ſex per quos nobis aditus ſuper urbis muros paterent, conſtruximus. Hæc in inventione beati Stephani protomartyris admoventes, vento contrario repulſi, necnon & * magnellis quodammodo læſi, naves retraximus. Deinde nobis ex noſtra parte pugnantibus cum Saracenis, Anglici minus caute ſuam turrim cuſtodientes, hanc ex improviſo igne ſuccenſam extinguere non potuerunt. Interim nos quadam machina murum effodere cœpimus. Quod videntes Sarraceni, igne oleo admixto, eamdem machinam in favillam redegerunt, magiſtrum etiam machinæ in fractura muri lapidaverunt. Præterea mortes innumeras tam magnellis, quam ſagittis noſtris inferentes, ipſi quoque a noſtris puniti ſunt. Noſtri de fractura machinarum & ſuorum contritione, aliquantiſper fracti, in miſericordia Dei ſperantes, ingenia & machinas reparare cœperunt. Interea Sarraceni civitatis, qui alimentis abundabant, ſuis concivibus egentibus alimenta adeo ſubtrahebant, ut quamplurimi eorum fame morerentur, quidam autem eorum canes & cattos non abhorrebant devorare. Horum pars plurima Chriſtianis ſe obtulit, & baptiſmi ſacramenta ſuſcepit. Quidam autem illorum, truncatis manibus ad murum remiſſi, a ſuis concivibus lapidati ſunt. Multa nobis adverſa ſeu proſpera ſecundum quod varius eventus eſt belli, acciderunt, quæ propter prolixitatem vitandam ſilentio tranſivimus. Et ſi qui forte ſunt, qui ea latius explicent, reſervamus. Tandem quidam Piſanus natione vir magnæ induſtriæ, circa nativitatem ſanctæ Mariæ turrem ligneam miræ altitudinis in ea parte qua prius Anglorum turris deſtructa fuerat coaptavit, & opus laudabile tam ex regio ſumtu, quam ex totius exercitus labore circa medium Octobris conſummavit. Similiter quidam ſub muro civitatis ingentes cavationes ſuo ingenio & multorum auxilio fecit, quod Sarraceni moleſte ferentes, in feſto ſancti Michaëlis circa horam tertiam latenter exeuntes, nobiſcum uſque ad veſperam ſuper foveam pugnam continuabant. Nos autem, ſagittariis eis oppoſitis, vias per quas redire ſperabant, adeo vallavimus, ut vel nullus, vel vix aliquis eorum ſine plaga evaderet. Hinc noſtri die noctuque laborantes, opus ſubterraneum lignis levigatis impletum eadem die conſummaverunt, qua rex cum Anglicis muris turrem ſuam applicabat. Siquidem in ipſa nocte ſancti Galli abbatis, igne foſſæ impoſito, ligniſque ardentibus, corruit murus ſpatio ducentorum pedum. Noſtri de tanta ruina ſomno expergefacti, ſumtis armis, cum magno clamore aſſiliebant, ſperantes vigiles cuſtodes murorum fugiſſe. Ad ruinam autem cum veniſſent, mons aditu difficilis ſupereminebat, & turba Saracenorum parata ſtabat in defenſione. Nihilominus autem noſtri aſſiliebant, nec a pugna media nocte inchoata uſque ad diei horam nonam ceſſabant. Tandem variis percuſſionibus attriti, pugnæ ſe ſubtrahebant; quo uſque communicatio turris * admoveretur, & ſic Sarracenorum populus hinc inde vexaretur. Et ecce turris viris bellicoſis impleta muro ſupereminebat. Eadem hora exercitus noſtræ partis, Lotharingis ad fracturam murorum inditio pugnantibus, Sarracenos mirabili aſſultu impetebant. Interim milites regis, qui in arce turris pugnabant, magnellis Sarracenorum territi, minus viriliter pugnabant, uſque adeo quod Sarraceni exeuntes turrim concremaſſent, ſiquidem de noſtris, qui caſu ad eos venerant, non obſtitiſſent. * Hæc periculi fama cum ad noſtras veniſſet aures, meliores exercitus noſtræ partis ad defendendam turrim, ne noſtra ſpes in ea adnullaretur, tranſmiſimus. Videntes autem Sarraceni Lotharingos & Flamingos tanto fervore in arcem turris aſcendentes, tanta formidine territi ſunt, ut arma ſubmitterent, & dextras ſibi in ſignum pacis dari peterent. Unde factum eſt ut ALCHAIDA princeps eorum, hoc pacto nobiſcum conveniret, ut noſter exercitus omnem ſuppellectilem eorum cum auro & argento acciperet, rex autem civitatem cum nudis Sarracenis & tota terra optineret. Conſummata eſt autem hæc divina non humana victoria in ducentis millibus & quingentis viris Sarracenorum in feſto undecim millium virginum. Unde nomen ejus glorificamus, in quo & per quem omnia, qui eſt benedictus in ſæcula. Sciatis itaque quorumdam fratrum noſtrorum corpora variis occiſionibus extincta apud Ulixiſbonam ſepulta eſſe. Hujus pacis teſtes ſunt quidam quos divina clementia mutos a nativitate loqui fecit, unum in feſto S. Gerenos ſociorumque ejus atque ſecundum a ſomno excitavit, & ad ſepulcrum martyrum, ſicut ei viſum eſt, manu ſplendidiſſimi viri perduxit, ibique in extaſi proſtravit & vinculum linguæ ſolvit. Similiter & alium quemdam ejuſdem clementiæ gratia ibidem feſto omnium ſanctorum loquentem audivimus & laudantem eum qui eſt mirabilis in ſanctis ſuis. Valete.

* al. Maganellis.

* al amoveretur.

* al. hujus

A

CARTA LUDOVICI VII. regis de regalibus Catalaunensibus.

Anno 1147. Ex ms. Colbertino.

LUDOVICUS Dei gratia rex Francorum, dux Aquitanorum. Inter diversa quæ agit magnitudo regalis, nihil gloriosius esse dinoscitur, quam quæ tranquillitati ecclesiarum studet in posterum providere, & libertatem earum ad honorem nominis Christi nititur adaugere. Cujus rei gratia [a] dilectissimi nostri (a) BARTHOLOMÆI Catalaunensis episcopi precibus annuentes, sibi & successoribus suis episcopis in perpetuum condonamus, ne post decessum Catalaunensium episcoporum, sicut antiquæ consuetudinis hucusque tenor habuerat, in domibus episcopalibus quicquam ligneum aut ferreum, sive per nos, sive per ministeriales nostros, de cetero capiamus. Animalia quoque episcopi & cetera omnia quæcumque ad supellectilem domorum episcopalium pertinere dinoscuntur, sub eadem immunitate concludimus, præter annonam, vinum, aurum & argentum: quæ omnia juxta vetustam consuetudinem in manu & potestate regia retinemus. Quod si de his præfatæ sedis episcopus ante obitum suum sub legitimo testamento disposuerit, illius contradicere dispositioni nec possumus, nec debemus. Ut hoc igitur perpetue &c. Actum in castris apud Virdunum anno Domini MCXLVII. regni nostri XI. per manum BARTH. cancellarii.

EPISTOLA EUGENII PAPÆ III. ad Coxanensem, Bisuldunensem, & alios abbates.

Ut G. Massiliensi S. Victoris abbati, cui benedictionis munus impendit, obediant.

Anno 1147 Ex cartario S. Victoris eruit D. Furnerius.

EUGENIUS episcopus servus servorum Dei dilectis filiis G. Coxanensi, Bisuldunensi, Balneolensi, Gerensi, Vabrensi, Castrensi, & S. Savini abbatibus salutem & apostolicam benedictionem.

[b] Dilectum filium nostrum (b) G. Massiliensem electum, cum litteris capituli & fratribus ejusdem monasterii ad nostram præsentiam venientem benigne suscepimus, & approbata ipsius electione, benedictionis gratiam ei contulimus. Ipsum itaque cum gratia sedis apostolicæ ad propria remittentes, per præsentia vobis scripta mandamus, quatenus ei tamquam magistro vestro debitam reverentiam & obedientiam deferatis, & ejus salubribus monitis humiliter pareatis. Datum Tusculani II. cal. Maii.

SENTENTIA

Dominorum cardinalium S. R. E. Johannis & Julii, in gratiam monachorum sancti Vincentii Cenomanensis contra Gemeticenses, qui ecclesias S. Petri de *Cortgahen*, & S. Hilarii de Segonia suas esse contendebant.

Anno 1148 Ex cartario S Vincentii, Cenomanensis.

JULIUS & JOHANNES S. R. E. cardinales omnibus Dei fidelibus salutem.

Controversiam quæ agitabatur inter F. abbatem sancti Petri Gemeticensis & R. B abbatem S. Vincentii Cenomanensis super quibusdam ecclesiis, videlicet ecclesia S. Petri de *Cortgahem*, & S. Hilarii de Segonia, cum pertinentiis suis, a domino papa EUGENIO nobis commissam, hoc modo terminavimus. Cum abbas Gemeticensis restitutionem peteret, dicens ecclesiam suam prædictas ecclesias possedisse, & per monachos S. Vincentii secundo anno ante concilium quod a domino papa Urbano apud Clarum-montem pro expeditione Jerosolymitana celebratum est, monachos suos fuisse C depulsos. Ad comprobandum quod aliquando illas ecclesias tenuerit, quoddam instrumentum protulit, in quo continebatur quod CAROLUS rex villas, in quibus sunt jam dictæ ecclesiæ, ab aliis villis Gemeticensium selegerat, & usibus monachorum Gemeticensium concesserat. De supradictis tamen ecclesiis nihil ibi continebatur. Quod instrumentum, licet videretur antiquum, nullius tamen sigillo signatum erat: tres etiam testes produxit, per quos & se prædictas ecclesias possedisse, & per monachos sancti Vincentii, Gemeticenses monachos violenter fuisse expulsos, probare nitebatur. Movit etiam per advocatum suum quæstionem D proprietatis, proponens ei vendicationem. Ad suum itaque dominium probandum idem instrumentum Caroli regis & eosdem testes quos ante produxerat, protulit. Qui cum nobis minus idonei visi essent, & eorum testimonia inconvenientia, a nobis recepti non sunt. Abbas vero S. Vincentii ea quæ suus adversarius afferebat negans, cartam confirmationis earum ecclesiarum ab Il. Cenomanensi episcopo ecclesiæ S. Vincentii factæ, ejus episcopi sigillo signatam in medium protulit, quatuor etiam testes produxit, E quorum duo tactis sacrosanctis evangeliis attestati sunt se vidisse, quod eo tempore quo Gemeticenses se possedisse & esse violenter expulsos dicebant, & VII. annis ante monachi S. Vincentii prædictas ecclesias quiete possederunt. His itaque allegationibus moti, nos auctoritate domini papæ

(a) Is ex nobilissima prosapia Guillelmi cognomento Lupi, domini de *Chantilli*, Franciæ buticularii, ex Adalvia uxore prognatus, sub Stephano episcopo Parisiensi patruo suo decani dignitate functus, ad Catalaunensem ecclesiam regendam electus est anno 1147. teste Alberico.

(b) Guillelmum hujus nominis primum, cujus electionem ad annum 1147. refert Ruffius.

Eugenii & S. R. E. a petitione tam possessionis quam proprietatis facta ab abbate Gemeticensi S. Vincentii abbatem absolvimus, & eum de cetero prædictas ecclesias quiete & pacifice præcepimus possidere. Actum in capitulo Rhemensi anno dominicæ Incarnationis MCXLVIII. (a) non. Aprilis, pontificatus vero domini papæ Eugenii III. anno IV. Ego JULIUS presbyter cardinalis tituli S. Marcelli controversiam istam ex mandato domini papæ Eugenii terminavi, & ideo subscripsi, & proprio sigillo roboravi. Similiter & ego JOHANNES diaconus cardinalis sancti Adriani ex mandato domini papæ controversiam istam terminavi, & subscribens ss. & proprio sigillo roboravi.

[a]

DIPLOMA SAMSONIS archiepiscopi Remensis pro monasterio S. Quintini in Insula.

Concedit ipsi administrationem Leprosariæ S. Quintini.

Anno 1148 Ex cartario S. Quintini in Insul.

IN nomine Patris & Filii, &c. Ego SAMSON divina miseratione Remorum archiepiscopus, universis sanctæ ecclesiæ filiis tam præsentibus quam futuris in perpetuum.

Quia pastores ovium rationabilium cernimur esse, quibus tantum nobis prodesse potius expedit, quam præesse; debemus in quantum scimus & possumus commissa nobis ovilia circumspecta providentia circuire, & ab eis pravorum insidias pro viribus modis omnibus inhibere. Idcirco dilecte fili BALDUINE abbas S. Quintini de Insula, tuis justis petitionibus dignum duximus annuendum. Leprosis igitur qui extra castrum sancti Quintini positi sunt, terram in qua mansiones eorum & capella fundata est, infra parochiam tuam, tui juris, & ecclesiæ tuæ, & successorum tuorum in perpetuum esse decernimus. Quicquid vero a fidelibus collatum fuerit, tu & successores tui ipsis infirmis eorumve sacerdoti, qui ad arbitrium vestrum ibi constituetur, pro voluntate vestra juxta salutem animæ vestræ erogabitis. De cetero presbyter ipse ab episcopo Noviomensi sive a ministris suis curam ipsius loci accipiet, & debitam exhibebit obedientiam, nec aliquos præter infirmos, & eorum servientes, qui de pane ipsorum vivunt, in aliqua parochiali administratione suscipiet absque episcopi assensu, & eorum quorum juris intererit legitima permissione. Sane ipse presbyter a sonniaticis seu obsoniis & exactionibus quæ plerumque ad episcopi servitium fiunt, sicut felicis memoriæ LAMBERTUS * episcopus decrevit, & scripto firmavit, penitus liber erit. Hæc ut prælibata sunt, nos præsentis decreti auctoritate rata... hanc institutionem nostram contravenire ne quis temptaverit, imaginis nostræ impressione, & probabilium personarum attestatione eam corroborari fecimus. Decernimus equidem quod presbyter prædicti loci abbati S. Quintini subjectus & obediens erit in omnibus. Signum JOSLENI Suessionensis episcopi. S. BARTHOLOMÆI Laudunensis episcopi. S. NICOLAI Cameracensis episcopi. S. ODONIS abbatis S. Remigii. S. ALDRICI abbatis S. Theoderici. S. URSIONIS abbatis S. Dionysii. S. Bosonis archidiaconi. S. Gregorii cantoris. S. Henrici. S. Rogerii. S. Constantii presbyterorum. S. Simonis. S. Joffridi. S. Walteri diaconorum. S. Sigardi. S. Rogerii. S. Guidonis. S. Bosonis subdiaconorum. Actum Remis anno incarnati Verbi MCXLVIII. indictione XI. regnante Ludovico Francorum rege anno XIII. archiepiscopatus autem domni SAMSONIS anno IX. Drogo cancellarius recognovit, scripsit & subscripsit.

* Noviomensis anno 1122.

CARTA RADULFI COMITIS Viromandensis.

Henrico abbati Vivariensi concedit locum ad construendum oratorium & mansionem pro suis sororibus.

Anno 1148. Ex ms. Colbertino.

RADULFUS Viromandorum comes omnibus tam præsentibus quam futuris in perpetuum.

Dignum est munificentiam principum justis petitionibus religiosorum virorum facilem præbere consensum. Ea propter ego R. Viromandorum comes precibus venerabilis HENRICI Vivariensis abbatis carissimi nostri inclinatus, concedi ei locum qui dicitur Javagias (b) ad construendum oratorium & habitationem congruam ad mansionem sororum suarum, ut ibi remotæ a strepitu sæculi Deo valeant deservire. Concedo etiam eis usuarium in nemore tam ad comburendum, quam ad necessarios usus officinarum suarum construendarum per totam forestam, quæ ex utraque parte vicina est domui illarum. Ne igitur heredes mei post decessum meum præfati loci sorores molestare præsumant, sigilli mei auctoritate roborari præcepi donationem istam, & subscriptione eorum qui interfuerunt, muniri. Signum PETRI Silvanectensis episcopi. S. Alberici de Roia. S. Theobaldi de Crispeio. S. Burgarii, S. Ingeranni fratris ejus, S. Guidonis præpositi, S. Adæ *Brullart*, S. Abbatis & Guichardi conversorum, Sig. Roberti cancellarii. Actum anno Domini MCXLVIII.

[b]

(a) Hinc apparet controversiam illam terminatam fuisse tempore concilii Remensis ab Eugenio III. celebrati, ad quod haud dubium fuerat delata.

(b) Forte Fervagias ubi est parthenon ordinis Cisterciensis in diœcesi Noviomensi, qui processu temporis translatus fuit in urbem sancti Quintini.

BULLA EUGENII PAPÆ III. ad fratres Savignienses.

Confirmat eorum ordini Cisterciensi unionem.

Anno 1148. *Communicavit R. P. Chamillard S. J.*

EUGENIUS episcopus servus servorum Dei dilectis filiis conventui Savigniensi & abbatibus monasteriorum ad idem cœnobium pertinentium, eorumque fratribus salutem & apostolicam benedictionem.

Pax ecclesiæ, fratrum concordia, religionis vigor, status monasteriorum unitatis vinculo conservatur. Hujus rationis intuitu dilecti filii nostri SERLO Savigniensis & HOSMUNDUS Belbacensis abbates ad Cisterciense capitulum venientes, tam se quam universitatem vestram per carissimum filium nostrum BERNARDUM Clarevallensem abbatem in unitatem Cisterciensis congregationis & ordinis suscipi, nobis præsentibus, humiliter postularunt. Eorum itaque religiosam devotionem in Domino commendantes, paternæ sumus charitatis debito congavisi; scientes scriptum esse, frater adjuvans fratrem, ambo consolabuntur. Quocirca secundum eorum gratum Deo & laudabile desiderium, tam eos quam vos sancto illi collegio sociantes, apostolica auctoritate statuimus, ut hæc amabilis & jocunda societas futuris temporibus inviolabiliter observetur. Præfato igitur filio nostro S. Savigniensi abbati tanto vos propensius filialem obedientiam, secundum ejusdem ordinis instituta exhibere præcepimus, quanto attentius pro vestra salute cognoscitur laborare. Si quis autem contra hujus nostræ confirmationis paginam sciens venire temptaverit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum apud S. Sequanum XIII. cal. Octobris.

DIPLOMA HENRICI II. Leodiensis episcopi pro monasterio S. Laurentii.

Ecclesiam S. Severi de Messia tradit & incorporat monasterio S. Laurentii.

Anno 1149. *Ex ms. Johannis Stabulensis Historia abbatum S. Laurentii.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Qui a divina dispensante gratia locum regiminis obtinent in ecclesia, hoc præcipue bonæ intentionis studio, ac subsequentis operis effectu curare debent necessario, ut in venerabilibus & Deo sacratis locis sanctorum gloria religiosis, ut dignum est, honoretur famulantium obsequiis. Quod sciens ego HENRICUS secundus Dei gratia Leodiensis episcopus, quantum auxiliante gratia Christi valui, sollicitudinis debitæ curam impendi, ut divinæ cultum religionis in subjectis meæ providentiæ amplificarem ecclesiis. Inter quas præcipue ecclesiam S. Severi in Messia debita miseratus sum sollicitudine, quæ patroni sui corpore aliorumque sanctorum pignoribus nobilitata, floruerat pridem religione canonica: sed per successum temporis, religiosis decedentibus canonicis, in tantam permutationis negligentiam deciderat, ut imminuto cultu divinæ servitutis, ipsisque pene labentibus ædificiis, jam non videretur esse quæ fuerat. De cujus nimirum restauratione, cum semel, iterum atque tertio verbum fecissem in conventu Leodiensis ecclesiæ, ex consilio spiritualium virorum fideliumque meorum placuit, ut religioso abbati sancti Laurentii WAZELINO eamdem ecclesiam contraderem, qui ad honorem Dei, & sanctorum venerationem, regularium in ea monachorum disponeret ordinem: quod & factum est. Nam in præsentia ecclesiasticarum personarum prædictam ecclesiam cum dote integra, & omnibus pertinentiis suis, cum tota omnino familia, ac possessionum reditibus universis, tradidi libero ac perpetuo jure monasterio S. Laurentii, ita ut ab hodierna die & deinceps ecclesia S. Severi subjecta sit ecclesiæ S. Laurentii, tamquam propria filia spirituali matri. Et eam tam in spiritalibus quam in temporalibus abbas S. Laurentii ut propriam ecclesiam libere disponat, & ex nostræ præceptionis auctoritate regularem monachorum ordinem ad serviendum Deo in ea constituat. Sane decimam de majori ac minori *Seron* & de Foris-villa ab hac largitione excepi, & ad episcopalia continui, eo quod beneficium sit personæ, quæ more ecclesiastico nostro debet adhærere obsequio. Cetera omnia, cunctas possessiones S. Severi, sicut propriis discretæ sunt terminis, cum omnibus usuariis & appenditiis suis, ex integro tradidi perpetualiter monachis, Deo & S. Severo ad sacrum ejus corpus servituris, ut inde necessarios habentes sumtus, cum securitate ac tranquilla devotione Dei clementiam pro nostra exorent salute, ac perpetuali sanctæ Leodiensis ecclesiæ conservatione. Hac enim spe, seu retributionis mercede, nostra munificentia religiosis liberalem se impendit, quatinus devotis eorum orationibus, & sanctorum quos veneramur, meritis suffragantibus, temporali & æterna securitate in Dei lætemur miseratione. Ut autem hujus nostræ donationis vel munificentiæ largitio firma atque perpetualis maneat S. Laurentio, eam roboramus confirmationis privilegio, cartæ videlicet præsentis astipulatione, cum impresso sigilli nostri munimine, testibus subscriptis clericis ac laicis. Nomina testium. Dodo archidiaconus, Rembaldus decanus, Johannes, Gozelinus ejusdem ecclesiæ S. Severi præposi-

tus. De nobilibus viris Eustacius advocatus, A Berengerus *de Loz*, Nitardus de Mariulis. De familia ecclesiæ, Wedericus de Prato, Lambertus de Hoyo, & alii nonnulli. Actum Leodii III. cal. Decembris, anno incarnationis Domini MCXLVIII. indictione XIII. regnante Conrardo II. anno regni ejus XII.

DIPLOMA REMUNDI comitis Barcinonensis pro Gaufrido episcopo Avenionensi.

Pro multis sibi, fratri, & nepoti exhibitis servitiis donat ei villam de Verqueriis.

Anno 1150. Ex archivis ecclesiæ Avenionensis.

IN Dei æterni regis nomine. Omnibus notum fiat hominibus, tam præsentibus quam sequentibus, quoniam ego R. comes Barchinonensis & marchio Provinciæ, pro multis & magnis servitiis & sincera amicitia, quam mihi & fratri meo & filio ejus nepoti meo, GAUFREDE episcope Avenionensis, hactenus exhibuisti, totum jus & omne dominium quod habemus ego & nepos meus, vel habere debemus, in villa de Verqueriis, & toto ejus territorio, in aquis, & pratis, atque paludibus, in hermis & cultis, & omnibus ad prædictam villam pertinentiis, tibi & ecclesiæ Avenionensi, & successoribus tuis perpetua donatione & voluntario laudamento concedimus. Quidquid etiam ab his qui in ipsa villa & territorio aliquid habere videntur acaptare tu poteris, laudando concedimus. Præterea albergum ipsius villæ quod nobis retinemus, tamdiu tu & ecclesia tua libere habeas & possideas, usquequo albergum de Novis, quod pro pignore tu & ecclesia tua habeas, * redimere nos valeamus, & albergo de Novis redemto, quidquid servitii & dominii in castello de Novis habemus, in villa de Vercheriis retinemus. Facta est hæc donatio apud Arelatensem civitatem in domo archiepiscopi super portam sancti Stephani anno Incarnationis Dominicæ MCL. audientibus & videntibus istis, scilicet Guillelmo Remundo senescallo, Rostagno *de Tharascon*, Guillelmo Iblierto, Guillelmo Bernardo Alaurata, Petro Bremundo de Lauduno, Rostagno Imberto de Novis, Rostagno Aycardo, Guillelmo Calveria, Rostagno de Pargo, Petro de sancto Saturnino, Arnaldo sacrista Aurasicensi, Petro de *Ventayrol*, Isnardo Ugoleno, Petro sacrista Arelatensi, Guiranno de Simiana, Bertrando Raymbaldo fratre suo, Rostagno Porcello & Porcello fratre suo.

* f. habebas.

EPISTOLA B. AD G. ABBATEM Massiliensem.

Quantas difficultates sit passus Pisis pro instituendo novo priore, & de fuga Alderanni.

Anno 1150. Ex archivis S. Victoris Massiliensis eruit D. Furnerius. [a]

G. (a) Dei vocatione Massiliensium abbati omnique sancto conventui B. aliique fratres, salutem.

Divina qua omnia prævidentur annuente dispositione, postquam a vobis discessimus, non absque magna difficultate per mare navigantes, demum duobus mensibus una minus hebdomada expletis, Pisis applicuimus, B & ibi audientes & intelligentes modicum. . . . . . & nos & navem nostram Sardiniæ profectos. Neque enim, ut plura omittam, Pisanus archiepiscopus illuc introiit, qui captus ab hostibus tenetur, cum propter timorem insidiantium, sanum visum est consilium ad propria remeare, coaptatis obtimis fratribus ire viam suam. De me autem sic habetote. Audito nostro adventu, viri quidam civitatis & omnes qui sunt vicinitatis ecclesiæ nostræ, pleni furore & iracundia, conveniunt nos, quærentes utrumnam C prior ibi commutandus esset: quos blandioribus sermonibus alloquentes, & ad amorem & reverentiam nostri immo & mon. revocantes, nullis precibus, nulla umquam ratione sedare potuimus. Sequenti iterum die congregati universi & fortiores per pares & amicos præsenteque quatuor * manu qui soli nobiscum erant, contestati sunt se habere cartas & privilegia, ut nullus prior statueretur, nisi quem ipsi elegissent: quod & ejusdem nequam Alderanni consilio actum esse credimus cujus & cetera, prolataque carta, contraria spei suæ audierunt; quam D iterum volentes defendere & male interpretari, restitimus, sic confusi & multo magis insanientes discesserunt. Tertia iterum die multo graviores sustinuimus minas, & sacramentorum attestatione, quod numquam ulterius ecclesiam intrarent, ossa parentum..... quam ipsi fecerant, & omnia bona domus destruerent & demolirentur. Hujusmodi litium verbis continuo per trium hebdomadarum spatium omnes pariter per importunitatem temporis Pisis commorantes, astitimus. Fuit igitur consilium, ne ecclesia E scandalum & destructionem penitus pateretur, infecto opere redire. Iterum spe obedientiæ confirmatus, & volens eam magis modicam & pauperem nostram esse quam aliorum detrimento fieri ditiorem, remanere disponebam vel ad tempus, ut saltem alius pro me licentius subrogetur, retento V. heremita, qui necessario & participe tribulatio-

* f. monachi.

(a) Designatus prima hac littera abbas non Gauselmus, qui vix dignitatem abbatialem salutavit, sed Guillelmus, qui anno 1147. electus abbas ad 1163 præfuit.

num, cui pietas vestra pleniorem licentiam A accommodet. Interea dum hæc aguntur, quod neque nos dicere sine gemitu, neque vos audire debetis, Alderannus totus miserabiliter mente mutatus existens, noctu ab ecclesia fugiit, ubi custodiens sacra jacebat, nec quid de eo actum fuerit, sive quo abierit, postea audivimus. Tulit autem, ut aiunt, secum plurimas pecunias, me vero debitorem MCCC. solid. & pluris reliquit, propter quod omnes expensæ quotidiano victui hinc . . . Obsecro itaque orationum vestrarum juvamina, ut divina gratia salutem omnibus B & pacem inter nos & ecclesiæ nostræ...& populum donare dignetur. Notum etiam vobis facio, quod peregrinum quemdam redeuntem a Jerosolymis vice vestri sub permissione obedientiæ suscepimus, eumque ad vos cum XIIII. aureis transmittimus. Cetera ipse de se loquetur. Valete. Scitote quod pro fratre R. Lirinense monacho, si a vobis receptus est, multa bona promittuntur, & nobis & ab amicis ejus.

EPISTOLA EUGENII PAPÆ III. ad episcopum Metensem.

Ut H. comitem de Salinis cellam Asmingiæ quam abstulerat abbati S. Michaëlis per censuras ecclesiæ restituere cogat.

Circa 1150. Ex ms. reginæ Sueciæ eruit Mabillonius.

EUGENIUS episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Metensi episcopo salutem & apostolicam benedictionem.

Dilecti filii nostri M. * abbatis S. Michaëlis querela didicimus, quod comes H. de Salinis nepos tuus, cellam Asmingiæ, quam ipse abbas & antecessores ejus per plura jam tempora pacifice tenuerunt, de novo per violentiam occupavit, & ejectis monachis decimas & reditus exinde asportavit, & sacerdotem illuc pro suæ voluntatis arbitrio introduxit. Per præsentia itaque scripta fraternitati tuæ mandamus, quatenus si prædictæ res ita aguntur, eumdem comitem districte commoneas, ut cellam ipsam cum omnibus quæ abstulit antedicto abbati restituat. Quod si facere contemserit, in ipsa cella divina officia interdicas, & ipsum ecclesiastica districtione percellas. Sane si aliquid sibi adversus antefatum H. nostrum filium credit de jure competere, mediante postmodum poterit justitia obtinere. Datum Signiæ IX. cal. Junii.

* Manegaudi.

EPISTOLA EUGENII papæ III. ad H. comitem de Salinis.

Causatur quod ejectis monachis presbyterum in cellam Asmingiæ intruserit.

Circa 1150. Ex ms. reginæ Sueciæ eruit Mabillonius.

EUGENIUS episcopus servus servorum Dei dilecto filio, nobili viro H. comiti de Salinis, S. & A. B.

Expectavimus, fili, ut ea de tua nobilitate ad nostram audientiam pervenirent, quæ te solicitum de salute animæ tuæ ostenderent, & nos ad dilectionem tuam & subventionem, si res exigeret, facilius provocarent. Venientis autem ad nos dilecti filii abbatis S. Michaëlis adversus te querela accepimus, quod cellam Asmingiæ, quam ipse & antecessores ejus per multa tempora pacifice tenuerunt, cum tuis hominibus invasisti, & bonis ejus damnabili præsumtione direptis, ejectis monachis, sacerdotem illuc pro tuæ voluntatis arbitrio intrusisti. Super quo, si verum est, tanto amplius conturbamur, quanto minus tale aliquid de tua industria timebamus. Per præsentia itaque scripta nobilitati tuæ mandamus, quatenus eamdem C cellam cum omnibus inde sublatis antefato filio nostro restituas, si quid juris adversus eum te credis habere, mediante postmodum, si volueris, justitia recepturus. Alioquin scire te volumus, quod nos venerabili fratri nostro Metensi episcopo dedimus in mandatis, ut in te canonicam exerceat ultionem. Data Signiæ IX. calendas Junii.

EPISTOLA EUGENII papæ III. ad archiepiscopum & capitulum ecclesiæ Turonensis.

D *Recusat scribere Dolensibus & Briocensibus utpote excommunicatis.*

Circa 1150. Ex ms. reginæ Sueciæ eruit Mabillonius.

EUGENIUS episcopus servus servorum Dei venerabili fratri nostro archiepiscopo & capitulo Turonensis ecclesiæ, S. & A. B.

Litteras vestras debita benignitate recepimus, & quæ in eis continebantur, diligenter inspeximus. Verumtamen secundum quod a nobis postulastis, Dolensibus & Briocensibus ecclesiis nequaquam scribere possumus: quoniam sicut meminimus, propter eorum inobedientiam & contumaciam E sententia excommunicationis fuit in eos a te, frater archiepiscope, promulgata, & in Remensi concilio a nobis postmodum confirmata, quam tamdiu ratam manere decrevimus, donec a sua contumacia resipiscant, & ad obedientiam Turonensis ecclesiæ convertantur. Datum Tusculani XVIII. calendas Julii.

DIPLOMA EUGENII PAPÆ III. ad Serlonem abbatem Savigniensem.

Ut ipse & omnes ipsius monasterio subjecti vivant juxta Cisterciensium institutum.

Circa 1150 *Communicavit R. P Chamillard S. J.*

EUGENIUS episcopus servus servorum Dei dilecto filio SERLONI Savigniensi abbati salutem & apostolicam benedictionem.

Cum omnibus ecclesiasticis personis debitorem ex injuncto nobis a Deo apostolatus officio existimamus: illos tamen propensioris charitatis studio nos convenit imminere, quos in vero religionis habitu omnipotenti Domino militare cognoscimus. Ad hoc enim pastoralis officii nobis est cura commissa, ut bene placentem Deo religionem laboremus statuere, & stabilitam exacta diligentia conservare. Proinde, dilecte in Domino fili, religionem in monasteriis quibus præesse dignosceris, stabilitam in Domino proficere cupientes, statuimus ut in omnibus monasteriis quæ de monasterio cui præsides, sunt egressa, & in his quæ de egressis ab eodem monasterio prodierint, tam de ipsis personis quam de rebus monasteriorum, juxta Cisterciensium fratrum institutionem, disponendi & ordinandi liberam habeas facultatem. Quia vero plures maligno spiritu inducti, ab obedientia suorum prelatorum resiliunt, & ut suæ liberius deserviant voluntati, aliena solatia quærunt, prohibemus, ut nulli post factam in eisdem locis professionem, liceat se a tua vel successorum tuorum subjectione subtrahere, aut alii hujusmodi professos, seu aliquos de monasteriis retinere. Quod si quis eorumdem monasteriorum se a tua subjectione subtraxerit, & tertio commonitus redire contempserit, eum excommunicandi habeas potestatem. Datum Tusculani XII. cal. Novembris.

DIPLOMA HENRICI II. episcopi Leodiensis pro monasterio sancti Jacobi.

Emancipatam primum a collegiata ecclesia S. Johannis, deinde à canonicis regularibus ecclesiam beatæ Mariæ Magdalenæ donat abbati & monachis sancti Jacobi.

Anno 1151. *Ex schedis Cl. V. Baronis de Crassier.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego HENRICUS hujus nominis secundus, sanctæ ecclesiæ Leodiensis episcopus, successoribus meis omnibusque fidelibus Christi tam præsentibus quam futuris in perpetuum. Notum facio qualiter Anhelinus quidam constructor ecclesiæ beatæ Mariæ Magdalenæ, quæ est in insula Leodii, eamdem ecclesiam ab ecclesia sancti Johannis evangelistæ, quæ in eadem insula sita est, cui subjecta prius fuerat, adjuvante Deo, emancipavit, & omnimodis liberam effecit, decima enim fundi constructa ecclesia ad beati Johannis ecclesiam pertinebat, sed pro decima ejusdem fundi continentis bonuarium terræ, idem Anhelinus præfatæ beati Johannis ecclesiæ tradidit sui juris allodium in loco qui dicitur *Longum-dorsum*, persolvens fratribus singulis annis V. solidos & VI. capones, quinque etiam solidos & octo denarios, & II. capones cum prato in villa quæ vocatur *Seraing*, eidem ecclesiæ tradidit. Hac igitur traditione facta & confirmata, ecclesia beatæ Mariæ Magdalenæ ab omni subjectione quam prænominatæ ecclesiæ debebat, liberrima facta est, quæ videlicet ne vacua & muta a laude Dei remaneret, denominati & constituti sunt ibi canonici regulares, qui die & nocte servitium explerent Dei & beatæ Mariæ Magdalenæ: sed adeo egestate victualium & tenuitate redituum cum etiam clamore incursantium heredum exturbati & confracti sunt, ut ad ultimum non nisi unus remaneret. Quare ego HENRICUS pro officio meo, & cura mihi commissa sollicitus, ne locus ille penitus destrueretur, consilio habito cum ecclesia S. Lamberti, & cum religiosis viris clericis monachis & laicis, communi consensu decretum est: ut quia ecclesia beati Jacobi in insula contigua erat illi ecclesiæ, in manum & potestatem abbatis poneremus; quatenus pro amore & honore Dei & beatæ Mariæ Magdalenæ hunc subiret laborem, ut & de monachis suis aliquos ibi constitueret, & ubi minus facultas suppeteret ecclesiæ, ipse de suis facultatibus subveniret, donec precibus & meritis Deo dilectæ Peccatricis ipse summus Pater-familias largiorem suæ benedictionis abundantiam interius & exterius provehendo, multiplicando indulgeret. Sed & ipsi abbati potestatem concedimus possessiones vel mutare, vel vendere secundum quod videret commodum esse ecclesiæ. Suprascriptam itaque compositionem & concessam huic ecclesiæ libertatem, scilicet & eam quam exposuimus constitutionem & donationem canonice factam de eadem ecclesia ecclesiæ beati Jacobi, præsentis scripti privilegio communivimus, statuentes ut quascumque possessiones, quæcumque bona inpræsentiarum juste & canonice possidet, aut in futurum oblatione fidelium, seu aliis justis modis poterit adipisci, firma & illibata permaneant. Actum est hoc anno Incarnationis Verbi millesimo centesimo quinquagesimo primo. Testes: Elbertus, Renerus, Dodo, archidiaconi. LUDOVICUS comes de Los, Widricus de Prato, Eustachius, Mile & alii multi.

EPISTOLA B. EPISCOPI Catalaunensis ad abbatem de Arida-gamatia.

Commendat ei fratres de Castriciis.

[a] Ex codice Aroasiensi. [b]

B. (a) Dei gratia Catalaunensis ecclesiæ humilis episcopus venerabili abbati S. Nicolai de (b) Arida-gamatia in eo qui vere unitas est beate vivere & feliciter mori.

Cum caput universalis ecclesiæ Christus omnia corporis sui membra caritatis & unitatis nexu constringi gratuletur; eos nimirum præcipue qui abjectis & neglectis mundi illecebris soli contemplationi supernæ vacare student. . . liora caritatis mandata complecti desiderant. Certificamus vestræ fraternitati, quod in nostro episcopatu est ordinis vestri quædam religiosorum fratrum novella plantatio, fructificans in domo Domini, ecclesia videlicet Castricensis, cui paterno affectu providere, cujusque bonis studiis ac provectibus congratulari debemus. Adierunt autem fratres prædictæ ecclesiæ nostram præsentiam, rogantes obnixius ut pro eis vestram dilectionem interpellaremus. Obsecramus igitur vestram caritatem, quatenus . . . . qui capit omnes vestri ordinis desiderantes societatem, suscipiatis eosdem, etiam habitu, conversatione, & institutionibus pro parte maxima vobis conformatos, amodo ut ecclesiæ vestræ fratres & filios, prout ordo vester exigit, custodiatis, salvo jure Cathalaunensis ecclesiæ & obedientia, quam nobis nostrisque debent successoribus. Valete.

PRIVILEGIUM LUDOVICI regis patris Philippi regis de custodia abbatiæ sancti Remigii Remensis & omnium rerum pertinentium ad eamdem.

Anno 1151.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus-sancti. Amen. LUDOVICUS divina clementia rex Francorum & dux Aquitanorum, universis fidelibus nostris & posteris, scilicet tam præsentibus quam futuris. Cum dominetur Excelsus in regno hominum, & det illud cuicumque voluerit, in hoc vel maxime debemus ei gratiam pro gratia, ut in defensione sanctæ ecclesiæ nostra vigeat auctoritas, prout eam interpellavit rerum causa & temporum utilitas. Notum ergo fieri volumus, quibuscumque regni nostri successoribus, domnum HUGONEM venerabilem abbatem sancti patris nostri Remigii regiam nostram A adiisse celsitudinem, quatenus immunitates tam nobili tamque glorioso loco ab antecessoribus nostris Francorum regibus concessas, nostri quoque decreti confirmaret auctoritas. Cujus fideli voto libenter assentientes, licet generalem defensionem sanctæ ecclesiæ debeamus, specialiter tamen eam sancto Remigio concedere decrevimus, vel quia apostolus Francorum a Deo est electus, vel quia auctoritate apostolica coronæ nostræ patrocinatur & regno. Igitur ex more antecessorum nostrorum regum regia nostra præceptione, sicut & ab illis decretum est, decrevimus, & publica auctoritate constituimus, B ut castrum in quo idem B. Remigius corpore quiescit, cum burgo quod adjacet sibi, immune sit ab omni aliena justitia & potestate, & præter abbatem & ejus monachos, nullus ibi exerceat ullam judiciariam districtionem, & liceat abbati & fratribus ibidem habere, & caumas, & furnos, & arces, & molendinos, & piscaturas, & juridiaria, & mercatum, cum res illud postulaverit, & quæcumque illorum plaudo & usibus visa fuerint, eis libere permittimus & donamus. Sed & villas omnes & possessiones ejusdem Sancti ab omni oppressione, & qualibet alia judiciaria potestate prohibemus. Hoc est C prædictum castrum cum adjacentibus suis, Cruniacum cum adjacentibus suis, Sarpiei curtem, Gelevereium, Columnas, Saciacum, Villare Alerannii cum adjacentibus suis, Villare in silva & Cheziacum, Condatum cum adjacentibus suis, Eysce, Vallem dominicam, curtem-Ausorum, domnum Remigium, Condedam curtem cum appendiciis suis, sicut eam LOTHARIUS rex gloriosissimæ GERBERGÆ reginæ matris suæ precibus, & HUGONIS cognati sui beato tradidit Remigio; Asen-cellam, Villare in Estaveio cum adjacentibus suis, Druliacum, D Lupponis-montem, & quicquid in comitatu Burgundiensi eadem ecclesia possidet, vel in Catalaunensi territorio, eleemosynamque WALTERI comitis. Item Septem-salices, Tasciacum, Wiriacum, Muriniacum, Hermundi-villam; Tiliam, Canaium, Crohanniam, Corbiniacum cum adjacentiis suis, Festuls, Salicem sancti Remigii cum adjacentiis, Basilicam curtem cum adjacentibus suis, Bainam, Erpeium, Tuniacum vicum cum adjacentibus suis, Gerson, Jehenneivillam, Givereium, Baron, Pontem-Bayri E cum adjacentibus suis, & cellam Caniacum cum adjacentibus suis, & omnia quæ possidet vel possidebit in comitatu Portiensi, & ecclesiam sancti Oricoli cum adjacentibus suis, & quicquid in regno nostro est pertinens ad jus sancti Remigii, & quod in

(a) Hæc epistola scripta est aut a Bartholomæo qui ab anno 1147. ad 1151. Catalaunensem rexit ecclesiam, aut a Bosone qui obiit 1161.

(b) Aridagamantia est abbatia de Aroasia ordinis canonicorum regularium S. Augustini in diœcesi Atrebatensi, caput ordinis, de quo vide Jacobum a Vitriaco in Hist. occidentali.

præsens

præsens tenet, & quod in futurum acquiret & tenebit, sive sit ecclesia, sive villa, sive mansionile, sive prædium ab aliquo datum, & omnia quæ ejus vel sunt vel erunt, sive mobiles res, sive immobiles, nostræ præsentis auctoritatis decreto roboramus & defendimus, & ab omni inquietudine & externa potestate, scilicet alicujus archiepiscopi, episcopi, ducis, comitis, vicecomitis, vel cujuscumque comitis, vel pervasoris ex hoc nunc & deinceps omnino prohibemus, ut in pace sanctæ ecclesiæ religio prædicti monasterii augeatur & vigeat, & defensio ejus, & libertas ad salutem æternam nobis & posteris nostris, omnibusque hoc nostræ regiæ præceptionis decretum servantibus proficiat in perpetuum. Eos autem qui nobis in regno successuri sunt per Deum Regem regum obtestamur, ut hoc privilegium, quod, ut in perpetuum vigeat, sigillo nostro signamus, inconvulsum custodiant, & beatum Remigium Francorum apostolum, patronum regni sui in perpetuum habeant, cujus apostolatu pervenimus ad fidem catholicam.

Actum publice Parisius anno Incarnati Verbi MCLI. epacta XII. concurrente VII. regni vero nostri XIX. astantibus in palatio quorum nomina subtitulata sunt & signa. Signum ENGELBALDI Turonensis archiepiscopi, signum THEOBALDI Silvanectensis episcopi, signum ODONIS sancti Dionysii abbatis, S. ASCELINI Fossatensis abbatis, S. RADULFI Viromanduorum comitis dapiferi nostri, signum GUIDONIS buticularii, signum MATTHÆI camerarii, signum MATTHÆI constabularii. Data per manum [a] HUGONIS cancellarii. (a)

BURGUNDIONIS JUDICIS incipit prologus super opus beati Johannis Chrysostomi archiepiscopi CP. super Matthæum.

Anno 1151. Ex ms. Vaticano er :: Mabillonius.

CUM beati Johannis Chrysostomi super evangelium sancti Matthæi duæ expositiones, utpote ab eo conditæ proferrentur, & nulla earum debito fine integra expleta esse perhiberetur; dominus papa EUGENIUS III. vir per omnia diligentissimus, ceu omnium pater communi orbis terrarum utilitati invigilans, prædictas commentationes congruæ consummationi tradere satagebat. Verum quia citra mare inopia exemplarium effectui mancipare hoc minime poterat, ad transmarinas statuit dirigere partes. Ad Antiochenum igitur patriarcham scribens, quod prædictis commentationibus deerat, ejus interventu ab aliquo interprete suppleri ammonebat. Ipse autem sive desidia sive inscitia interpretum ignoro, hoc minime complens, expositionem ejusdem S. Johannis super eumdem evangelistam græcis litteris scriptam eidem summo pontifici mandare curavit: quam cum præsul ille accepisset, mihi BURGUNDIONI JUDICI suo, natione Pisano, id idem mea enucleatione perficiendum commisit. Mea igitur relatione eam a prædictis duabus omnifariam discrepare cognoscens, & hanc tertiam promulgare editionem mihi præcepit: cumque non immensi voluminis prolixitate solum, sed & styli altitudine & sententiarum profunditate id meas omnimodo excidere vires autumarem; primitus hunc laborem subire renitens, in arcto undique constitutus, tandem ejus orationum meritis confidens, & correptione ejus, quam toti operi imponere promisit, subnixus, mandatis ejus obtemperare summo nisu proposui; ac præter spem brevi temporis spatio, divina favente gratia, septem ferme mensium intercapedine integrum id opus de græco in latinum fideliter transtuli sermonem: tantique viri seriem qualitercumque mutare nequaquam dignum fore existimans, verbum de verbo reddidi; non sensum solum, sed & ordinem verborum, in quantum potui, sine alteritate conservans: ut non minus ex sententiarum lepore, quam & caracteris proprietate, sancti hujus Johannis hoc esse opus incunctanter credatur, & ex orthodoxæ fidei traditione luculentiori indagatione hic explanare: hæc tertia reliquis duabus editionibus sollertis lectoris judicio præponatur. Si quid autem hic secus quam opus positum invenietur, non hujus Sancti, sed mea culpa gestum id esse putetur. In unaquaque igitur die dominicá populum singula alloquens oratione, in nonaginta homelias librum hunc congrua coæqualitate divisit, nullamque fere totius evangelii secundum Matthæum dictionem mysterio vacuam dereliquit, & otiose textui insertam fuisse ostendit. Et ut commodius quæ singulis dicebantur memoriæ commendarentur, velut quamdam catenam, ut a continuitatis complexione contextam, totum evangelium a principio usque ad finem in seipso connexum mira transitionis copulatione subjungit; ut totus hic liber velut unum integrum corpus his homeliis compactum esse appareat, & ad moralitatem potius quam ad allegoriam omnia reflectens, ex instanti sibi evangelii decisione mirabiliter occasionem suscipiens, in moralem semper unumquemque concludit sermonem; & eumdem omnibus virtutibus disputet vitiaque confutet, adversum superbiam & avaritiam in omnibus fere suis orationibus maxime invehitur. Ad eleemosynam vero continue nos promovens, plures hujus libri sermones in eam consummat. Hujusce igitur librum, nostra instantia com-

(a) Hanc cartam confirmavere postea Philippus Augustus anno 1215. & S. Ludovicus 1247.

pletum, vestræ majestati, sanctissime Pater, A offero, ut vestræ celsitudinis emendatione libratus & vestra auctoritate subnixus, in universo orbe terrarum expansus eniteat: quatinus pluribus spiritualia hinc pabula lucrantibus, longævam prospere viventes vitam centuplum hic accipiatis, & in futuro æternis fruamini bonis. Amen.

IN FINE HÆC LEGUNTUR.

Domino papa EUGENIO III. præcipiente, peccator Burgundius Judex de civitate Pisana transtulit hunc librum de græco in latinum sermonem, evangelii secundum Mat- B thæum per nonaginta homelias sancti Johannis Chrysostomi expositionem eloquentissimam diligenti exquisitione continentem. Expletum est autem hoc opus, & integre fideliterque consummatum anno dominicæ incarnationis MCLI. indictione XV. in cal. Decemb.

Homilia prima sic incipit. Oportebat quidem nos non indigere eo quod a litteris est auxilio, sed ita vitam præbere puram, ut spiritus gratia pro libro fieret nostris animabus, &c. C

Homilia XII. Cum servis dominator, cum obnoxiis Judex venit baptizandus, sed ne tumultueris; in humilibus enim his maxime fulget ejus sublimitas, &c.

Homilia XIII. Nunc quando post Spiritus descensum, post vocem desuper deductam & dicentem, hic est filius meus dilectus in quo bene complacui, & quod utique est mirabile quod a Spiritu-sancto, &c.

Homilia XXIV. Propter quid non dixit, sed qui facit voluntatem meam, quoniam interim amabile erat & hoc prius suscipi: etenim multum magnus erat ad imbecillita- D tem eorum, &c.

Homilia XXV. Et nempe consequens erat dolere eos ad onerositatem eorum quæ dicta sunt, & torpere ad altitudinem eorum quæ injuncta erant, &c.

Homilia XC. Propter hos milites terræ motus ille factus est, ut eos stupefaciat & ab ipsis fiat testimonium, &c.

BULLA EUGENII PAPÆ III. pro monasterio Valciodorensi.

Valciodorense monasterium sub sua suscipit protectione. E

Anno 1152. *Communicavit Reverendissimus abbas Valciodorensis.*

EUGENIUS episcopus servus servorum Dei dilecto filio THEODERICO abbati monasterii beatæ MARIÆ in Walciodoro supra fluvium Mosa siti, ejusque fratribus, tam præsentibus quam futuris regulariter substituendis in perpetuum.

Apostolici moderaminis clementiæ convenit, religiosos fratres sincera in Domino caritate diligere, & eorum loca pio apostolicæ fidei patrocinio defensare. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis supplicationibus clementer annuimus, & ad exemplar prædecessoris nostri felicis memoriæ B. papæ VII. præfatum monasterium in quo divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus. Statuentes ut quascumque possessiones, quæcumque bona idem monasterium inpræsentiarum juste & canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, Deo propitio, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illabata permaneant. Obeunte vero te nunc ejusdem loci abbate vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet surreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu vel fratrum pars consilii sanioris secundum Dei timorem & beati Benedicti regulam prævideront eligendum. Præterea villam quæ vocatur Hasteria cum omnibus appenditiis suis vobis nihilominus confirmamus. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, aut aliquibus vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva diocesani episcopi canonica justitia & reverentia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo, tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis, honorisve sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini Redemtoris nostri JESU CHRISTI aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat: cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri JESU CHRISTI, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen.

Ego EUGENIUS catholicæ ecclesiæ episcopus subscripsi.

Ego YMARUS Tusculanensis episcopus subscripsi.

Ego GREGORIUS presbyter cardinalis titulo Calixti ss.

Ego HUBALDUS presbyter cardinalis titulo S. Praxedis ss.

Ego MANFREDUS presbyter cardinalis titulo S. Savinæ ss.

Ego JULIUS presbyter cardinalis titulo S. Marcelli.

Ego Otto diaconus cardinalis S. Georgii ad Velum aureum ss.

Ego Gregorius diaconus cardinalis sancti Angeli ss.

Ego Johannes diaconus cardinalis sanctæ Mariæ-novæ ss.

Ego G. diaconus cardinalis S. Mariæ in Porticu.

Ego Hyacintus diaconus cardinalis S. Mariæ in Chosmydin ss.

Ego Johannes diaconus cardinalis sanctorum Sergii & Bacchi.

Data Signiæ per manum Bosonis sanctæ Romanæ ecclesiæ scriptoris II. idus Januarii indictione XV. Incarnationis Dominicæ anno MCLII. Pontificatus vero domni Eugenii papæ III. anno VII.

DIPLOMA STEPHANI Metensis episcopi pro monasterio Valciodorensi.

Confirmat subjectionem Hasteriensis monasterii Valciodorensi.

Anno 1152. *Communicavit reverendissimus abbas Valciodorensis.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. STEPHANUS Dei gratia Metensium præsul cunctis fidelibus sub norma fidei militantibus supernæ gratiæ benedictionem & pacis tenere unitatem.

Viros prudentes & honestissimos quoniam decet de pace sanctæ Dei ecclesiæ fideliter tractare, & ab ejus unitate atque unanimitate controversias omnium jurgiorum, conjecturasque atque falsas opiniones extirpare, ut in quieta soliditate perseveret, atque secundum paternas traditiones in proprio jure & statu permaneat. Solers cura industrium virorum in ea eo modo pacem componat, ut quisque proprium jus retineat, atque ut cuique sua sufficiant, ipsa legalis auctoritas pacis ei tribuens incrementa, ab ea abigat partis adversæ schismata. Quocirca utilitatem nostrarum ecclesiarum sollicita dispensatione providere, prævidere, atque procurare nos ita oportet, ut omni remota ambiguitate, semper ad pacis cultum totum & proprium Dei nutu convertant respectum. Noscat igitur nostrorum fidelium & sanctæ Dei Mettensis ecclesiæ venerabilis successio, quo illuc tendat nostræ devotionis intentio: ut secundum auctoritatem Romanæ ecclesiæ atque ejusdem domini Benedicti papæ VII. & Romanæ regiæ potestatis privilegium domini Ottonis Rufi nostræ Walciodorensi ecclesiæ firmam pacem relinquamus, ne machinamento alicujus contrarietatis ulterius conteratur, nec circumveniat eam fraudulenta suorum Hasteriensium adinventio, qua plerumque utriusque partis ecclesiarum cognoscimus cum infortunio esse detrimentum. Plerumque enim fratres de Hasteria in præsentia nostra propter suas injustas adinventiones atque contrarias conjecturas quibus Walciodorensem ecclesiam atque suum communem abbatem & ipsius electionem nisi sunt conturbare, graves sustinuerunt confusiones. Quibus luce clarius patet, quod tam enormis insolentia a bonis & prudentibus prudenter amputanda sit, qua non solum una, verum quæque pars, sicut jam prælibavimus, sentit ruinam. Recognovimus itaque ipsi eidem Walciodorensi ecclesiæ quod confirmatum cognovimus, veluti jam denominavimus utriusque partis Romanæ dignitatis auctoritate & constitutione nostri prædecessoris domni Deoderici hujus sedis præsulis, qui icirco Hasteriam conjunxit Walciodorensi ecclesiæ, ut eorum deliberatione, nostra Metensis ecclesia de manu comitis Eilberti ejusdem ecclesiæ fundatoris donum consequeretur ejusdem. Nos siquidem causa Dei & B. Mariæ, & causa salutis ecclesiarum, & interventu amici nostri & venerabilis Stabulensis ecclesiæ abbatis domni Wiboldi, nec non intercessione nostrorum fidelium, & etiam ipsius Walciodorensis ecclesiæ abbatis Roberti, renovamus, atque iterum constituimus, ut eadem præfata loca Walciodorus & Hasteria unum sint, & in Christo cor unum & anima una indissolubiliter sub uno abbate. Defuncto namque abbate de Walciodoro, omnes congregentur tam Hasterienses quam Walciodorenses fratres in Walciodorensi capitulo, qui ab utrisque partibus auditis sententiis, eam quam secundum Dei timorem & canonicam auctoritatem personam fratres de Valciodoro elegerint, Hasterienses suscipiant. Quoniam non debent in eadem Dei ecclesia schisma facere, cujus procul dubio capitis membrum debent esse: nos enim eidem Walciodorensi ecclesiæ negare non possumus quod tam evidenti ratione a majoribus & dominis nostris ipsi datum & concessum esse cognoscimus, liberam electionem, & sui juris in Hasteria possessionem. Interdicimus itaque Dei auctoritate, beatique Stephani prothomartyris & nostra, ut nullus hominum in quolibet ordine constitutus hanc antiquam stabilitatem & nostræ renovationis constitutionem audeat infringere, sed fixa & inconvulsa permaneat omni deinceps tempore. Ne autem per succedentia tempora hæc antiqua constitutio & nostra justa renovatio tradatur oblivioni præsentis paginæ scriptum fieri præcepimus, & tam nostra Metensis ecclesia, quam nos sigilli nostri impressione roboravimus. Testes hujus rei domnus primicerius Theodericus & archidiaconus, domnus Philippus decanus & archidiaconus, domnus Rueffilinus archidiaconus, Fulco cancellarius, Simon cantor *de Ubahart*, Albertus Parrensis, Gislebertus capellanus, & alii quam plurimi de ecclesia Metensi, dom-

nus WIBALDUS Stabulensis abbas, domnus ISEMBOLDUS Gorziensis, domnus ROBERTUS S. Vincentii, domnus RICHERUS S. Martini, domnus HERBERTUS S. Symphoriani, & fratres tam Walciodorenses quam Hasterienses qui ibi adfuerunt. Robertus, Goscelmus, Balduinus, Johannes Hasteriensis prior, Mafridus, Hugo de Arvilla, Franco Walciodorensis villicus & alii plurimi.

Actum est Metis in præsentia nostra anno ab incarnatione Domini MCLII. indictione XV. regnante Friderico rege anno regni sui primo, anno pontificatus nostri XXVIII. anno ordinationis domni Roberti Walciodorensis abbatis primo.

DIPLOMA LUDOVICI VII. regis pro cella Meduntensi B. Magdalenæ.

Concedit ei arcum in ponte ad molendinum construendum.

Anno 1152. Ex cartario Columbensi

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Amen. LUDOVICUS Dei gratia rex Francorum & dux Aquitanorum, omnibus fidelibus in perpetuum. *Qui parce seminat, parce & metet, & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* Hanc igitur auctoritatem considerantes, arcum quemdam in ponte de Medanta ad molendinum ibidem faciendum monachis S. Mariæ Magdalenæ pro animæ nostræ & prædecessorum nostrorum animarum remedio dedimus. Ne autem hoc donum & beneficium nostrum umquam labatur memoria, aut oblivione aut malignorum perfidia deleri queat, scripto commendari & sigilli nostri appositione corroborari præcepimus, addito caractere nominis nostri.

Actum publice apud Medantam ab incarnatione Domini MCLII. astantibus in palatio nostro quorum subscripta sunt nomina & signa. Signum RADULFI Viromandorum comitis dapiferi nostri. S. GUIDONIS buticularii. S. MATTHEI camerarii. S. MATTHEI constabularii, testibus IVONE Suessionensium comite, Adam camerario, Frederico Parisiensi, Terrico Galeranno, Raginaudo de Bello-monte, tempore Roberti prioris, Herberti socii sui Michaëlis. Data per manum HUGONIS cancellarii.

DIPLOMA BERNARDI EPISCOPI Paderbornensis.

De translatione monialium Tburgensium ad parthenonem Gerdinensem, & de electione abbatis, qui eas regat secundum regulam S. Benedicti.

Anno 1153. Ex cartario Gerdinensi.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. BERNHARDUS divina favente clementia Paterbrunnensis episcopus. Ordo exigit nostri ministerii, prædia ecclesiarum, patrimonia videlicet pauperum, ecclesiastica nos debere defensione tueri. Propterea universitati fidelium notum facimus, quod quidam HENRICUS de Gerden monasterium feminarum secundum regulam B. Benedicti in proprio fundo fundavit, eique omne suum allodium in Gerdine & in *Sedeshem* cum omni usufructuario, legitimis heredibus suis consentientibus, in nostra præsentia, & in communi conventu populi sub banno regali libera traditione donavit; villam quoque *Hampenhusen*, quam jure beneficiario tenuit, ut a comite HERIMANNO eidem monasterio conferretur, elaboravit. Postea vero idem Heinricus prædictum monasterium cum omni possessione sua matri nostræ ecclesiæ & beato Liborio mancipavit, ita ut absque omni exactione sub potestate episcopi liberum permaneat. Nos autem bonis principiis novellæ plantationis plurimum congaudentes, consilio fratrum nostrorum & virorum religiosorum sorores in *Tburgh* commanentes propter paupertatem & loci incommoditatem illuc transtulimus: ita tamen ut omnia quæ privilegiis & banno nostro firmata ante possederant, libere in suos usus retinerent. Quibus etiam adjecimus decimas omnes de Gerdine & de *Sedeshem* & de *Hampenhusen*, in *Vvithen* quoque duos mansos cum decima, item ibidem mansum unum, decimam de *Vvaldecumtorp*, quinque mansos in *Horstem* cum decima, in *Vrodenhusen* quatuor mansos. Præterea collata sunt ab aliis prædictæ ecclesiæ una domus in *Vrodenhusen*, una domus in *Dalsen*, una in *Hederen*, una in *Hadesen*, una in *Thideshem*, una in *Luidervvardeshem*. Hæc bona prædicto modo conquisita vel alia adhuc conquirenda cum omnibus appenditiis suis, videlicet mancipiis, domibus, areis, agris, silvis, pascuis, aquis, molendinis, piscationibus, cum omni denique utilitate quæ inde quocumque modo provenire potest, præfatæ ecclesiæ in usus pauperum inibi Deo servientium stabilimus, & auctoritate Dei & beati Petri & banno nostro sub divini examinis comminatione in perpetuum confirmavimus. Ordinamus etiam, ut prædictæ sorores confratribus (a) suis sub abbatis regimine secundum regulam beati Benedicti viverent, & abbatem sui ordinis eligendi liberam habeant potestatem. Advocatum quoque de nostra manu investiendum, ut similiter eligerent, vel si gravis & importunus eis esset, removerent, concessimus. Hujus rei veritas ut ad noti-

(a) Hinc patet Gerdinense monasterium ab initio duplex fuisse, hoc est virginum & monachorum, qui earum in spiritualibus & temporalibus curam gererent: hactenus sub congregatione Bursfeldensi floret Gerdinensis parthenon, in quo tres Mariani-monasterii existunt monachi, qui monialium curam habent.

tiam posterorum illibata permaneat, hanc cartam conscribi & sigilli nostri impressione signari, & testes qui affuerunt, annotari fecimus. Nomina testium hæc sunt, Bernhardus majoris nostræ ecclesiæ præpositus, Almarus decanus, Rembertus præpositus orientalis ecclesiæ, Thietmarus, Lantfridus, Uffo, Sifridus, Godescalcus, & alii quam plures clerici, CONRADUS abbas Patherburnensis, CONRADUS abbas Hermwerdeshusensis, BOLDUWINUS abbas Lisburnensis, qui primus curam prædicti loci tenuit. Liberi homines Volquinus & Widekindus, fratres de *Sivalenbergh*, Herimannus de Lipia, Adebertus de Everstene, Werno de *Brac*. Ministeriales Luidoldus, Bertholdus, Conradus, Adelbertus, Henricus, Hartmannus, Herimannus, Andreas & alii multi. Acta sunt hæc anno dominicæ incarnationis MCLIII. indictione I. regnante domino Friderico Romanorum rege, anno regni ejus secundo, præsidente in cathedra Patherburnensi venerabili domno
[a] BERNHARDO (a) anno ordinationis ejus XXVI.

CHARTA PETRI EPISCOPI Forojuliensis.

De donatione ecclesiæ de Seilhans *ab eo facta S. Victori Massiliensi.*

Anno 1154 Ex archivis S. Victoris eruit D. Furnerius.

QUoniam Deo dicata loca dignis honoribus seu largitionibus augere æquum esse videtur, idcirco in Dei æterni nomine, ego PETRUS Dei gratia Forojuliensis episcopus cum communi consilio clericorum nostrorum, dono, laudo, offero, & in præsentiarum trado Domino Deo & monasterio S. Victoris Massiliensis in manu GUILLELMI abbatis ejusdem loci, & Guillelmi camerarii, ecclesiam quamdam in honore S. Mariæ dicatam, quæ est in territorio de *Seilhans*, ubi cimiterium esse videtur, ut sit ipsa ecclesia sub jure & dominio & potestate præfati monasterii, cum omnibus pertinentiis suis & oblationibus fidelium, ad habendam eam in perpetuo & possidendam. Hoc autem facimus ex parte ad dirimendam litem quæ inter eamdem ecclesiam erat & ecclesiam quæ inter ipsum castrum de *Seilhans* continetur. Maxime vero facimus hoc pro remedio animarum nostrarum, & ut memoria nostri in orationibus fratrum ejusdem monasterii in perpetuo habeatur. Retinemus autem nobis in præfata ecclesia decem solidos monetæ publicæ Melgorensis persolvendos nobis per censum uno quolibet anno in festivitate S. Michaëlis; reverentiam quoque episcopalem ibi volumus observari, & ut fratres prædicti cœnobii manu teneant ita ipsam ecclesiam, ut numquam sine habitatore esse videatur. Sig † num PETRI episcopi, qui hanc cartam scribere jussit. Sig†num Raymundi præpositi. Sig†num Bonifacii archidiaconi. Sig†num Gaufridi de *Garei*, Sig†num Malefacti. Sig†num Guilhermi Laugerii. Sig † num Ugonis de Draguignano. Sig † num Johannis de *Montelas*. Sig†num Petri *Soreg*. Sig † num Girardi Raimundi. Sig†num Pallioli. Sig†num Raimundi Bruni. Facta carta VIII. cal. Martias, dominicæ Incarnationis MCLIV.

ANASTASII IV. EPISTOLA ad episcopum Tolonensem.

In gratiam monachorum S. Victoris quibus ille infensum se præbebat.

Anno 1154 Ex magno cartario S. Victoris eruit D. Furnerius. [b]

ANASTASIUS episcopus servus servorum Dei venerabili fratri (b) W. Tolonensi episcopo salutem & apostolicam benedictionem.

Si aliquis in te caritatis igniculus remansisset, & monasticæ professionis regulam non esses oblitus, fratres tuos monachos Massilienses diligeres, & nullam ipsis studeres injuriam irrogare. Ecce sicut ex ipsorum narratione didicimus, decimas ecclesiæ S. Johannis de Petrafoci eis contra justitiam aufers, atque etiam super ecclesiam sancti Pontii de Colubreira injuriam eis non modicam non vereris inferre, cum liberam habeant sepulturam in eorum ecclesiis, qui se deliberant sepeliri, ausu temerario contradicis. Quia ergo a fraternæ caritatis unione declinare videris; quoniam illos persequi non desistis, quos debes ab aliis pro posse defendere; per apostolica tibi scripta mandamus, quatenus, si verum est, quod prædicti fratres nostris auribus suggesserunt, de cetero prædictis fratribus in memoratis ecclesiis non præsumatis aliquam injuriam, vel aliquam molestiam irrogare, seu illos qui sepulturam apud eos elegerunt, quomodolibet prohibere. Alioquin scire te volumus, quod nos pro eorum defensione, tamquam pro illis * quos ad jus beati Petri proprie spectare noscuntur, contra illos qui eos præsumserint infestare, murum nos tutissimum opponemus. Datum Laterani cal. Martii.

* f. qui.

(a) Anno 1158. idem Bernhardus concessit eidem monasterio omnia bona quæ Gosvvinus quidam ecclesiæ suæ ministerialis, qui divino instinctu cum uxore & filio suo sæculum relinquere & divino cultui se mancipare decreverat, eidem resignavit, scilicet V. mansos in *Hostheim* tres & dimidium in *Frodenhusen*, unum in *Dalesem*, unum in *Badtenhosen*. Testes BALDUINUS abbas Lisbornensis &c.

(b) Vvillelmo hujus nominis secundo, qui ab anno 1117 ad 1165. Tolonensem episcopatum rexit, assumtus ex Massiliensi S. Victoris monasterio, ut patet ex hac epistola, id quod hactenus auctores Provinciæ latuit.

BURGUNDIONIS EPISTOLA nuncupatoria in translatum ab eo in Latinum sermonem S. Gregorii Nysseni librum de Natura hominis.

Anno 1155. Ex ms. codice Cantabrensi.

INvictissimo & gloriosissimo Domino F. Dei gratia Romanorum imperatori, & cæsari semper augusto, BURGUNDIO judex, natione Pisanus, felicitatem & de inimicis triumphus.

Quia in meis, serenissime imperator, vobiscum locutionibus naturas rerum cognoscere, & earum causas scire vestram majestatem velle perpendi, idcirco librum hunc S. Gregorii episcopi Nyssæ, fratris S. Basilii, de Græco in Latinum vestro nomine statui transferre sermonem, in quo philosophice de natura hominis tractat, de corpore & anima, de unitione utrorumque, de imaginario, & discretivo, & memorativo, & de irrationali, quæ est vel pars, vel vis, vel potentia animæ nostræ rationalis, & quod irrationale dividitur in duo, in id quod obedit rationi, in his tantum qui secundum naturam sunt hominibus, (hii enim cohibent passiones) vel in id quod non obedit rationi, & id quod obedit rationi. Rursus dividitur in duo, in desiderativum quod habet organum hepar, & in irascitivum quod habet organum cor; & quod desiderativum similiter dividitur in lætitiam, quæ est, cum potitur re desiderata; & in tristitiam, quæ est cum non potitur, & quod expectatum bonum est desiderium, præsens vero bonum est in lætitia; & quod expectatum quidem malum est timor, præsens vero malum est tristitia; bonum vero & malum hic dicitur non secundum veritatem scilicet acceptionem hominis hic patientis, & quod omnia hæc si deinde magna & sensibilia sunt, passiones sunt.

Similiter autem & id quod non obedit rationi, hoc quidem naturale ut nutritivum augmentum & generatum. Aliud vero vitale ut pulsatum, quod habet organa arterias; & quod nutritivi quatuor sunt virtutes, attractiva, contensiva, abtractiva, & expulsiva. Et generatim si gestio ejus in nostra sit potestate, non tamen obedit rationi. Involuntarie enim in somnis emittimus semen, sed in concupiscentiam veneream, cum naturalis sit, nolentes movemur.

Quod vero obedit rationi est animale, & non naturale, quod dividitur in duo, & in sensus, qui sunt quinque, & in voluntarium motum quod habet species, motum de loco & ad locum, scilicet motum vocis & motum respirationis, qui omnes motus habent organa nervos: respiratio enim, etsi connexa est naturali virtuti, quia per arteriam tracheam fit, & nec hora una possumus etiam dormientes ab ea cessare; tamen animalem habet actum. Ideoque voluntarium, quia musculi qui dilatant thoracem ejus, sunt principalissima organa; naturales enim & vitales virtutes nobis ignorantibus & etiam nolentibus suum explevit officium; animales vero solum nobis volentibus, de quibus omnibus qualiter fiant subtilissime hic sanctus pater in hoc libro enucleat. Similiter autem & cur liberi arbitrii facti sumus, & quod ideo consiliamur, & de quibus consiliamur; & quod quædam in potestate nostra sunt, quæ & eligimus. Similiter & de providentia Dei tractat & de quibus providet.

Sed in his vos exercitari persentio, & altiora vobis transferre curabo; de corpore cœli, & de forma, & motu ejus, & de omnibus passionibus quæ sunt à cœlo deorsùm, ut de lacteo circulo, & cometis & ventis, & coruscationibus, & tonitruis, & iride, & pluviis, & grandine, & pruina; & cur mare salsum est, & cur tot fluminibus influentibus non augetur, nec dulcoratur, & de terræ motu qualiter fiat. Quæ omnia si vestro interventu vestris temporibus in lucem Latinis redacta fuerint, immensam gloriam & æternum nomen vestra majestas consequetur, & vestra respublica utilitatem maximam. Hunc igitur librum fideliter translatum, &, ut potui, studiose emendatum, vestræ celsitudini porrigo, me meaque vestro servitio offerens. Prædicta vero & si qua alia præceperitis ad voluntatem vestram perficere sum paratus, quia vobis in omnibus fidelis & devotus existo.

EXPLICIT PROLOGUS.

PROLOGUS BURGUNDIONIS Judicis in translationem sancti Johannis Chrysostomi in Johannem.

Ex schedis Mabillonii.

OMnibus in Christo fidelibus fratribus Burgundio judex, civis Pisanus, in Domino salutem.

Cum Constantinopoli pro negotiis publicis patriæ meæ à civibus meis ad imperatorem Manuelem missus, legati munere fungerer, & quemdam filium meum Hugolinum nomine, quem mecum adduxi, morbo arreptum amiserim, pro redemptione animæ ejus explanationem sancti Johannis evangelistæ evangelii à beato Johanne Chrysostomo, Constantinopoleos patriarcha mirabile editam, de græco in latinum statui vertere sermonem. Tum quia ejusdem sancti patris Johannis Chrysostomi commentationem super evangelium sancti Matthæi evangelistæ jam pridem beatæ memoriæ tertio Eugenio papa integre translatam tradideram: tum quia hujus Johannis evangelistæ expositionis penuria apud Latinos maxima erat. Nul-

lum enim alium nisi S. Augustinum eum continue exponentem inveni. Cumque ibidem id negotiis communibus imminentibus facere minime possem, & eum librum à quampluribus & maxime à monachis tam sententiarum acumine, quam etiam morum propensa instructione avidissime haberi desideratum, tentassem ut mecum Pisas transferendum referrem, nullatenus invenirem, duobus exemplariis a duobus monasteriis in commodatum acceptis, duobus scriptoribus uno a capite, altero a medietate incipiente, librum tradidi transferendum vel transscribendum. Et eum in brevi ita adeptus, nocte ac die dum vacabat diligenter auscultans fideliter emendavi. Negotiis vero meæ civitatis peractis, licentiam redeundi ab imperatore accipiens, Messanam veniens, ibique moram faciens, manibus meis scribens librum inibi transferre incœpi, & sic per totam viam Neapoli & Caetæ, & ubicumque moram faciebam, vacationem mihi extorquens jugiter transferebam, & contra spem per duos continuos annos, Deo auctore; totum librum de verbo ad verbum de græco in latinum transferens integre consummavi. Evangelista enim hic in sententiis acutissimus est, & in miraculis enuntiandis non multum studuit. Pertransit enim annum à Pascha in Pascha integrum: in quo non fere tria miracula scribit, cum in unaquaque die plura, &, ut credo, innumerabilia fecit. Et quæ sequuntur.

JUDICIUM A COLONIENSIBUS senatoribus editum, de libertate thelonei Indensis monasterii.

Anno 1155. Ex ms. Cl. domini de Louvrex.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Notum sit cunctis Christi fidelibus, tam futuris quam præsentibus, quod pius Romanorum imperator LUDOVICUS adeo honorifice & tam magno dilectionis studio Indam constituit, ut non solum in ea nobile templum a sua nobilitate constitutum Salvatori & S. Cornelio consecratum diversitate beneficiorum & hominum ditaret, & magna libertate nobilitaret: Verum etiam omnes cujuscumque sint conditionis homines ad S. Cornelium pertinentes hac nobilitavit libertate, quod eos sua regali potestate ubique locorum in Romano imperio, ab omni genere thelonii absolvit. Contigit autem ex antiquitate temporis, quod Fugelo magnæ discretionis homo Coloniensis civitatis honestus thelonarius sub archiepiscopo secundo ARNOLDO prædictorum Indensium thelonei libertatem tam regaliter a pio rege, ut prædictum est, institutam & de proprio sigillo suo in perpetuum firmatam, non ex industria nitebatur infringere, sed quadam negligentia quæ sæpe accidit hominibus, ex scriptorum penuria, quia hujus libertatis memoria non fuit scriptis commendata. Hoc audito, nobilis abbas ANNO super hoc facto querimoniam fecit imperatori FRIDERICO, qui super eumdem locum regalem præpotens fuit advocatus. Inde vero rex commotus, præcepit archiepiscopo sub obtentu & dilectionis suæ & gratiæ, ut abbati & suis hominibus digne & secundum tenorem justitiæ satisfaceret, & eorum thelonei libertatem quam a multis regibus in quieta possessione inconcussam hactenus obtinuerunt, non infringeret; sed eamdem per sententiam judicis astrueret, & scripto in sua civitate faceret ad notitiam omnium civium reformari. Archiepiscopus vero totius suæ civitatis senatu convocato, & melioribus de civitate & aliis qui erant præcipui & sanioris consilii astantibus, cæpit diligenter discutere, si illi de Inda quid juris in thelonio in sua civitate sibi & suo debeant thelonario. Tandem super hoc causa diu ventilata, Henricus unus de senatoribus, & in omni legali & politica scientia probatus, a summo judice consultus, judiciaria omnes supradictos ab omni thelonio judicavit esse liberos, aliis senatoribus & eorum confratribus idipsum approbantibus. Unde prædictus abbas Coloniensibus tam pauperibus quam divitibus, sed præcipue senatoribus suam exhibuit præsentiam: & ut hoc quod judicis sententia est adjudicatum, perpetua firmitudine habeatur roboratum, secundum institutionem civilis juris & eorum consuetudinem, eis omnibus sui juris persolvit testimonium. Hujus rei testes Hermannus advocatus, Voghilo thelonarius, HERMANNUS comes, Richolfus advocatus, Gerhardus Albus, Hermannus camerarius, Marcmanius Hoiæ, Henricus Gerhardus Niger, Richolfus de Novo-foro, Godefridus filius Volsuindæ, Hermannus filius Rasonis, Godefridus de Stavera, Richolfus de sancta Brigida, Daniel & frater ejus, Bruno Mawodo, Marcina *Lenvichin*, Ludolff *Grin Ennuet*, Franco, Albo de S. Cecilia, HENRICUS comes, Henricus filius Hermanni, Carolus Voghelo & omnes scabinorum fratres, & qui sanioris sunt consilii in Colonia civitate. Hæc acta sunt anno dominicæ Incarnationis MCLV. quarta epacta pro indictione, victoriosissimo rege FRIDERICO regnante, & archiepiscopo ARNOLDO secundo episcopatum sanctæ Coloniensis ecclesiæ feliciter gubernante.

CARTA LUDOVICI VII. regis Francorum pro ecclesia Carnotensi.

Confirmat ecclesiæ Carnotensi privilegia olim ab Henrico comite & Adela comitissa concessa, & a Philippo rege confirmata, de non diripienda episcopi defuncti supellectili.

Anno 1155. Ex ms. Colbertino.

IN nomine, &c. Ego LUDOVICUS Dei gratia Francorum rex. Notum facimus universis, clericos nostros Carnotenæ civitatis existentes adhuc in desolatione quam acceperant morte bonæ memoriæ episcopi GOSLENI, nostram adiisse regiam serenitatem, & humiliter expostulasse, quatenus præceptum avi nostri regis PHILIPPI nos jam dictæ ecclesiæ confirmaremus. Tenor igitur privilegii talis esse dinoscitur, PHILIPPUM regem notum facere universis in regno Franciæ per futura tempora successuris, quod domnus IVO sanctæ Carnotensis ecclesiæ venerabilis episcopus humili devotione celsitudinem suæ serenitatis obnixe deprecans, ut pravam consuetudinem in domibus episcopalibus ejusdem ecclesiæ a comite HENRICO cognomine STEPHANO & ADELA uxore ejus, concessione filiorum suorum GUILLELMI, THEOBALDI, ODONIS, STEPHANI remissam, & libertatem prædictis domibus & rebus in eisdem collectis a prædictis comitibus concessam concederet, & sua pragmatica sanctione firmaret. Cujus pio desiderio assentiens, & æquissimæ postulationi aurem inclinans, secundum tenorem scripti, quod de prædictis rebus prætaxati comites fieri decreverunt, suæ majestatis auctoritate res prætaxatas a prava consuetudine liberavit, domum scilicet & domus ejusdem, ferrum, plumbum, vitrum, lignum, lapides, ceteramque supellectilem, scilicet tabulas, scamna, scabella, vasa vinaria, lectos, necnon coquinas & horrea, granaria, cellaria, torcularia, furnos, furnorumque domos, sive in urbe, sive extra urbem, silvas, ut non vendantur, nec succidantur, nec dentur. Annonam quoque, vinum, fœnum, oves, boves, & cetera animalia, omniaque reliqua mobilia, quæ congregata vel collecta fuerint, sive in urbe, sive extra urbem, ante obitum vel decessum episcopi cujuslibet intacta manere firmavit, vel profutura, quibus episcopus reservare vel donare, seu per se, seu per yconomen suum decreverit, vel majores personæ ecclesiæ, si id episcopo, aliqua occasione prævento facere non licuerit. Concedimus etiam ut exactio quæ defunctis episcopis vel discedentibus fieri solet in servientes episcopi vel rusticos, de cetero numquam fiat. Hæc omnia sicut a prædictis comitibus concessum est & firmatum, & ipse PHILIPPUS rex, ut prædictum est, concessit, A & per pragmaticam sanctionem suam confirmavit. Nos autem clericorum ejusdem ecclesiæ audita & suscepta postulatione, hæc omnia eis in eumdem modum & immobiliter atque in perpetuum, sicut prædictus avus noster PHILIPPUS rex Francorum concessimus, & sigilli nostri auctoritate firmavimus, & nominis nostri caractere testificati sumus. Actum publice Parisius, anno Domini MCLV. astantibus &c. Signum Blesensis comitis THEOBALDI dapiferi nostri, Signum GUIDONIS buticularii, Signum MATTHÆI camerarii, Signum MATTHÆI constabularii. Datum per manum HUGONIS B cancellarii.

CARTA LUDOVICI VII. regis Francorum pro Senonensi sancti Johannis monasterio.

De medietate quarumdam villarum sibi ab abbatibus concessa defensionis obtentu.

Anno 1155. Ex ms. Colbertino.

IN nomine &c. Ego LUDOVICUS Dei gratia Francorum rex notum facimus &c. quod ecclesia S. Johannis Senonensis, quasdam villas habebat, scilicet Chesiacum, *Voes*, Ixiacum, quæ positæ in mala vicinia C affligebantur graviter & vastabantur. Obtentu defensionis & gratia emendationis, in posterum ejusdem loci abbates, GILIBERTUS scilicet, GUILLELMUS & RENARDUS assensu capituli sui ad medietatem totius prædictarum villarum collegerunt nos, & parochiarum illarum, in quibuscumque reditibus, ubicumque sint, seorsum retentis herbagiis suis ecclesiis & decima tota, & duobus arpennis prati, & usuarium nemoris ad opus ejusdem domus, & iterum ad opus domus de Cabriaco. In omnibus aliis quæcumque ibidem sunt, & deinceps futura sunt, medietatem unam canonici, D & nos atque successores nostri alteram habebimus medietatem, hac servata immobiliter conventione, quod regiæ liberalitati non liceat suam medietatem donare alteri personæ vel ecclesiæ, nullusque omnino partem regiam habere, nisi ecclesia S. Johannis valeat. In villis autem eisdem nos & ecclesia communiter servientes constituemus, qui nobis pariter & abbati faciant fidelitatem. Quod ut ratum sit in posterum, sigilli nostri auctoritate, & nominis nostri E caractere facimus confirmari. Actum anno Domini MCLV. astantibus &c. Datum per manum HUGONIS cancellarii.

CARTA

CARTA DROCONIS DOMINI Petræfontis, de donatione Castelli facta abbatiæ Vallis-serenæ.

Anno 1155. Ex mſ. Colbertino. [a]

EGo Droco dominus Petræ-fontis notum facio, tam præsentibus quam futuris, quod ad petitionem domini Henrici abbatis (a) Vallis-serenæ, & ob religionem fratrum, & devotionem ibidem Deo servientium, locum qui dicitur Castellum, sicut ambitu murorum circumquaque vallatur, ita quietum & liberum & ab omni exactione immunem, in perpetuum dedi eis possidendum, & omnibus animalibus eorum in toto territorio de *Amblevi* quod est juris mei, pascuorum beneficia, & omnes eissancias concessi, & in toto dominio meo de *Reſt*, ubi nemora ecclesiæ habentur, usuarium tam ad ædificia, quam ad alios usus necessarios, & pascua omnibus animalibus tam abbatiæ quam appenditiorum ejus donavi. Pascua insuper de *Remi* cunctis animalibus fratrum commorantium in loco qui dicitur Pinellum adjeci. Quicquid etiam in potestate dominii mei fratres prædicti loci emtione vel eleemosynarum largitione adipisci in posterum poterunt ob remedium & salutem animæ meæ & prædecessorum meorum, præfatæ ecclesiæ, Nevelone filio meo & Agatha filia mea consensum suum præbentibus, sub sigilli mei auctoritate confirmari & roborari præcepi. Actum anno Domini MCLV.

ADRIANI PAPÆ IV. EPISTOLA ad sanctimoniales Horreensis monasterii.

Vetat ne quis eas sub reclusione vivere impediat.

Circa 1155. Ex mſ Epternacensi. [b]

ADrianus episcopus servus servorum Dei dilectis in Christo filiabus sororibus monasterii S. Mariæ in Horreo (b) salutem & apostolicam benedictionem.

Quotiens illud a nobis petitur, quod religioni & honestati dinoscitur convenire, animo nos decet libenti concedere, & petentium desideriis congruum impertiri suffragium. Eapropter, dilectæ in Domino filiæ, vestris precibus annuentes, statuimus, & præsentis scripti decreto sancimus, ut nulla persona magna vel parva, sæcularis seu ecclesiastica, vobis inhibeat, quin sub eadem beati Benedicti regula Domino serviatis, sub qua tempore prædecessoris nostri sanctæ memoriæ papæ Eugenii ex ipsius præcepto A tanquam reclusæ promisistis Domino deservire. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostræ constitutionis paginam temerario ausu infringere, seu ipsi modis quibuslibet contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei & apostolorum Petri & Pauli se noverit incursurum. Data Romæ apud S. Petrum II. idus Martii.

EPISTOLA MAGISTRI Galterii (c) de Mauritania episcopi Laudunensis, ad magistrum A.

[c]

B *Quod simplex juramentum de futuro non facit matrimonium.*

DOmino & amico suo magistro (d) A. G. salutem.

[d] Anno 1155. Ex mſ. reginæ Sueciæ eruit Mabillonius.

A quibusdam dominis qui in consecratione episcoporum Rhemis affuerunt, nobis relatum est, vos & magistrum Simonem Dolensem coram omnibus affirmasse, quod qui jurat se in futuro accepturum mulierem, illa vivente, non potest cum alia quantumcumque legitima, contrahere matrimonium, & si forte se junxerit alicui, conjunctionem illam omnino esse illegitimam, sed C potius dissolvendam, quod usque ad hoc tempus in ecclesiis nostris multum est insolitum. Et si fas esset, à sensu tamen sapientum virorum dissentire non multum videretur concedendum. Ut autem vobis expeditius insinuare valeam, quæ rationes nos inducant potius in contrariam sententiam, pauca de multis quæ occurrunt memoriæ, liceat mihi sine offensa reverentiæ vestræ proponere. Si aliquis homo imparatus sit ex aliquibus causis ad præsens uxorem ducere, & causa pacis vel alterius utilis & honestæ rei quamdam puellam velit sibi matrimonio copulare, D videamus utrum vir licite possit jurare puellæ, quia post unum annum expletum eam accipiet in conjugem, & exinde habebit se erga illam sicut sponsus debet se habere erga sponsam suam. Si dicitis quia non licet sic jurare, inde opinor non rationabile quod dicitis. Nemo enim prohibetur jurare veritatem, si necessitas & honesta utilitas hoc exigit. Cum autem viro liceat jurare prædicto modo veritatem: quia sibi firmiter in animo suo proposuit, & mulieri liceat simi- E li modo jurare viro, attendamus diligenter an fiat inter eos conjugium, vel sola per juramentum alligatio ad stabiliendum in futuro conjugium. Certe arbitror vestram sapientiam respondere nondum inter eos fieri conjugium, cum nondum fidem conjuga-

(a) Vallis-serena ordinis Præmonstratensis abbatia est in diœcesi Suessionensi, vulgo *Valsieri*.

(b) Horreum seu Horreense monasterium in civitate Trevirensi a sancta Irmina fundatum, hactenus perstat sub regula sancti Benedicti, vulgo *S. Irmine* nuncupatum, ad quod solis nobilibus virginibus aditus patet.

(c) Galterius de Mauritania anno 1155. alteri Galterio a S. Mauritio suffectus est in sede Laudunensi Romæ inauguratus episcopus, cujus alias quinque habes epistolas Spicilegii tom. 2. omnes theologicas.

(d) Alberico, ut credimus, ad quem extat ejusdem Galterii epistola IV. Spicil.

lem castitatis sibi promittant, nec adhuc se invicem recipiant, si tantummodo ad id in futuro faciendum jurando se astringant. Hoc aliud attendamus, si placet. Si puellulæ septem annorum ex voluntate puellulæ & parentum ejus aliquis clericus juraverit, quod eam post septem annos accipiet in conjugem, & ea moriente ante præfixum terminum ducat aliam, an propter hoc judicabitur digamus, nec ad ordines majores recipiendus? Absit ut illa dicatur fuisse conjux ejus, quam in suam non recepit, & quod digamus pro illa judicetur. Rursus attendamus quid vir juxta prædictum modum juret mulieri. Nonne jurat ei, quia eam in futuro accipiet? & si ex quo jurat, in præsenti hoc efficit, & eam in conjugem recipit, cur jurat in futuro se facturum illud, quod jurando jam effecit? stultum & falsum videtur hujusmodi juramentum, si juraret in futuro se faciendum illud, quod esset jam perfectum: quod ex isto simili manifestum esse potest. Si quis episcopo, cui non consecratur, in fine consecrationis juret quod post triennium se faciet consecrari; nonne stultum jurans pejerat, cum ante triennium consecratio peracta sit. Hæ rationes nos inducunt, ne facile concedamus simplex juramentum de futuro facere conjugium. Si vero ad aliud divertendo vos dicitis, quod juratio talis non facit conjugium; sed postquam juraverit mulieri, ea vivente non debere aliam ducere, ne incurrat perjurium. Similiter & nos concedimus quod non debet hoc facere; si tamen forte fecerit, quod non debet, & aliam ex communi consensu in suam receperit, quod de priore non fecerat, non concedimus in ipso perjurio destrui sacramentum sancti conjugii, velut si catechumenus juret cuidam presbytero, quod ab eo baptismum suscipiet, & postea se forte faciat ab alio baptizari, quamvis perjurus sit, non tamen baptismus illi deerit. Si quis clericus juret quod ab episcopo quosdam ordines suscipiet, & postea ab alio ordinetur, non poterit efficere perjurium, quin ordinationis sacramentum, sive juste sive injuste suscipiat; similiter perjurium facere non potest, quin vir perjurus, sive juste sive injuste sacramentum ineat conjugii; quod potest sic monstrari. Si aliquis nolens ducere uxorem, ut possit cum multis licentius fornicari, juret quia numquam conjugem accipiet, & postea contingat eum de fornicatione pœnitentem lege maritali aliquam honestam mulierem sibi copulari, nullus arbitror denegabit, illum, quamvis perjurus sit, fecisse conjugium, & postquam contractum est, illud causa perjurii dissolvere nemo debet, nisi velit aperte contradicere veritati; quia dicit: *Omnis qui dimiserit uxorem, excepta causa fornicationis, facit eam mœchari, & qui dimissam duxerit,*

A *adulterat.* Iis rationibus prædictis compellimur dicere, quia juramentum simile ad futurum pertinens non destruit conjugium, quia cum alia persona post jurationem est contractum, quamvis ille qui juravit, incurrat perjurium. Nemo autem quod dico juramentum, de quo hactenus locutus sum, non sufficere contrahendo conjugio æstimet, nec agere de pactione illa vel juramento, quæ fiunt in præsenti ad conficiendam in præsenti & deinceps castitatem & societatem maritalem, viro & muliere consentientibus, & ad præsens recipientibus. B Talis enim pactio sive juramentum facit conjugium; de tali conjugio credimus egisse leges, ubi videntur asserere, quod ex juramento constat conjugium; quia de tali pactione credimus Ambrosium dixisse, non defloratio virginitatis facit conjugium, sed pactio conjugalis, & de tali desponsatione credimus egisse Augustinum & Isidorum, quando conjuges ex prima desponsationis fide appellari consueverunt. Non enim intelligendum est eos hæc dixisse de contractu pertinente ad futurum, quem leges sponsalia vocant, C & juxta leges inter septennes pueros fieri permittitur, inter quos nondum fieri potest conjugium. Quod autem prædicti sancti solam sponsionem de futuro non affirmaverint facere conjugium, apparet ex auctoritate Evaristi & quorumdam aliorum, qui cum præcipiant & dotari mulierem, & a sacerdote benedici, & alia solemnia celebrari, manifeste dant intelligere ex solo juramento pertinente ad futurum non posse fieri conjugium. Hæc scripsi vobis non quod vestram sapientiam præsumam in aliquo reprehendere; sed a vobis certius scire volo, si D ita de conjugio sentiatis, sicut relatum est nobis. Volo etiam ut rationes quæ ad illud vos inducunt, nos breviter doceatis.

EPISTOLA II. EJUSDEM ad eumdem.

Quærit ab eo utrum juramentum de futuro faciat conjuges, proponitque hanc adversus sententiam difficultates.

Domino suo magistro A. G. salutem. De beneficio litterarum vestrarum, E quas speravi me a vobis accepturum, jam fere desperare me compulit tam longa dilatio. Nec equidem miror, si vestræ responsionis munus mihi differatur, cum mens vestra maximis rebus occupata, mediocribus tractandis vacare non valeat. Absit enim, ut de vobis aliquis audeat opinari, quod de quibusdam minus eruditis contingere solet, quorum consuetudo est, sui sensus tenuitatem tacendo potius occultare, quam aliquando vel scribendo propalare. Ego etenim pene impossibile esse judico de vobis

tale quid æstimare; sed totam meæ petitionis dilationem magnarum rerum occupationibus adscribo, quæ vobis incumbunt assidue, quamobrem jam penitus superfluum esse reputarem ad secundo petitionem dirigere, nisi spem impetrandi mihi conferret evangelica parabola, quæ indubitanter asserit, hominem ad ostium amici sui nocte pulsantem, tres panes ab amico posse per improbitatem impetrare. Hoc igitur exemplo consolatus, iterum sicut prius a vobis quæro, utrum vir & mulier sint ad præsens appellandi conjuges, qui jurant quod in futuro sese accipient; nec tamen ad præsens se recipiunt, nec adhuc fidem thori servaturos se promittunt; quo concesso; videte quid sequatur: profecto si juramentum tale facit conjuges, non est dubium absque dilatione fieri necessario conjugium; ex quo vir & mulier jurando se alligant ad illud in futuro faciendum; sed quid magis absurdum est, quam illud concedere, quia aliqui non possint quamdam rem se facturos promittere vel jurare antequam perficiant? Si enim vobis potius visum est ex juramento tali ad præsens conjuges non effici; rursus quæro utrum illi qui sic juraverant, possint cum aliis personis facere conjugium, & si faciunt, quæro an sit causa perjurii separandum. Nobis equidem videtur multum absurdum concedere quod vir perjurus nequeat conjugii suscipere sacramentum, cum boni & mali sacramentis pariter participent: ita quod nec malo pejus, nec bono melius conferat sacramentum. Sic enim Caiphas ex dignitate pontificatus prophetavit, quamvis pessimus homicida ad fundendum sanguinem innocentem anhelaret. Sic & Judas ex officio apostolatus dæmonibus imperavit, quamvis fur esset, & magistro veritatis insidiari non cessaret. Horum igitur exemplo qui cum essent nefandissimi, nihilominus tamen divina perceperant sacramenta, rationabiliter instruimur ad credendum, quia homo, quamvis sit perjurus, tamen conjugii sacramentum suscipiat. Postquam enim creatum est conjugium, non æstimo illud causa perjurii dissolvendum: nondum enim aliquam certam auctoritatem reperi quæ præcipiat, vel etiam promittat pro tali causa inter conjuges fieri divortium. Advertat autem caritas vestra quod idcirco quid de prædictis quæstionibus sentiam, vobis breviter indicavi, quatenus si sententiam contrariam potius approbatis, ad meam ignorantiam convincendam rationes quas vobis abundare certus sum, mihi scribere dignemini. Hoc a vobis prioribus litteris postulavi, hoc idem nunc secundo postulo, hoc idem ni cito impetrem, tertio postulabo, juxta illud evangelii: *Petite & accipietis, quærite & invenietis, pulsate & aperietur vobis.*

EPISTOLA ALBERICI ad Galterium de Mauritania.

Respondet ad præcedentem.

MAgistro G. amico A. salutem.

Ex ms. reginæ Sueciæ eruit Mabillonius.

Responsioni tamdiu supersederam, quia me ore ad os vobis locuturum in proximo sperabam: non tamen de numero illorum me excipio, qui tenuitatem sui sensus malunt tacendo occultare, quàm nimis arrogando se & alios infatuare. Sciebam præterea quod inquisitio vestra prolixa egeret responsione, & multa scripturarum fulciri auctoritate. Hoc autem dico, quod ille qui verba mea vobis retulit, vel non satis diligenter pensavit, vel non diligenter interpretatus fuit, juxta hoc quod cartulæ vestræ series definit. Quod autem in præsentia episcoporum Remis diximus, tenuiter & in quadam summa fuit collectum, sed neque diligentia prosecutionis investigatum, vel auctoritatis testimonio roboratum. Dico autem & dico non auctoritati præjudicando, neque sanæ consuetudini, quod si vir & mulier super adulti & ad contrahendum matrimonium idonei, sese mutua concessione obligaverint; conjugium initiatur; & talis concessio consensus sit approbatio, & juramentum consequens hujus rei sit confirmatio, & eorum quæ adhuc restant obligatio; superest de termino dotis vel donationis propter nuptias, & nuptiarum solemnitas rite celebranda, insuper & copula carnis; quæ conjugium perficit; sed illud nec est perfectum conjugium, nisi sequatur commixtio sexuum, prædicta concessio sic confirmata, est peractio conjugalis & initiatio conjugii, quod non tenetur lege divortii. De hac puto dictum esse: pactio conjugalis non defloratio virginitatis facit conjugium, & illud cum initiatur, conjugii nomen assumitur. Item cum conjungitur puella, conjugium est. Item, sufficiunt secundum leges solus consensus, & si deficeret, omnia frustrantur, Johanne Chrysostomo testante, qui ait: Matrimonium non facit coitus, sed voluntas. Et in libro constitutionum: Si quis affectione maritali uxorem duxerit, non sine causa legibus cognita repudium ei injiciatur. In libro Novellarum: Si quis divinis tactis scripturis juraverit mulieri se eam legitimam uxorem habiturum, vel si in oratorio tale sacramentum dederit, sit illa legitima uxor: postquam & sponsalia, quæ in legibus promissio conjugii appellantur, utique personæ consensu contracta sunt, conjugii nomen accipitur: videtur, inquam, sacramentum nuptiarum, quod, eum perjurio & pacti conjugalis violatione usurpatur, aut est irritum, aut manet ad judicium; si est irritum, ad prius pactum constat esse

reddendum; si manet ad judicium, debent cessare opera nuptiarum: quod si neutrum fuerit, semper juris pervasor erit alieni, qui non juramento pactum conjugale firmavit, ex majori parte sui conjugale implevit. Prætaxata concessio aliquando fit expressa denuntiatione, aliquando quadam circumlocutione, ad id tamen tendente: si fiat & juramentum conjugale sine prædicta concessione, quomodo pertineat ad conjugium? vel si a consentientibus fiat, & utrum talis consensus conjugio suffragetur, vestra dijudicet discretio. Vale.

EPISTOLA GAUFR. DE Mauritania ad discipulos magistri Gisleberti.

Abbatem & abbatissam post monasticam professionem non posse conjugium contrahere.

Ex ms. reginæ Sueciæ eruit Mabillonius.

GAUFR. de Mauritania discipulis magistri Gisleberti, bene agere & recte intelligere.

Me nuper de quibusdam sententiis cogitante, memoriæ meæ occurrerunt ea quæ de dictis magistri (a) Gisleberti audivi referri, quæ cum fidei catholicæ in nullo adversentur, sed auctoritatibus firmissimis & inexpugnabilibus rationibus roborentur, tunc sine admiratione non potui hoc præterire, quod eum dixistis asseverare abbatem & abbatissam post votum continentiæ & professionem regulæ à sancto Benedicto institutæ, posse legitimum initiare conjugium. (b) Quod equidem incredibile est, tam sapientem virum sentire aut docere: quin potius credendum est, ut pace vestra loquar, vos deceptos ex verbis illius male intellectis, illam concepisse absurditatem, quam ipsum tale quid docuisse. Quid enim magis absurdum est, quam dicere aliquos post votum & professionem legitimam inire conjugium, quod tam multis & firmis auctoritatibus constat esse interdictum, de qua re sic loquitur Apostolus ad Timotheum: *Adolescentiores viduas devita, cum enim luxuriatæ fuerint in Christo volunt nubere, habentes damnationem, quoniam primam fidem irritam fecerunt.* Id quoque rei, sicut est, attestatur Hieronymus: Voventibus castitatem, non solum nubere, sed etiam velle nubere damnabile est. Unde & Gelasius papa ad Sicilienses sic scribit: Neque viduas ad nuptias redire patimur, quæ in religioso proposito diuturna observatione permanserunt. Similiter virgines nubere prohibemus, quas annis plurimis in monasterio ætatem egisse contigit. Augustinus in libro de conflictu vitiorum: Nubendi licentia quibusdam tribuitur, hoc est quæ virginitatem & castimoniam nequaquam professæ sunt: quibusdam non tribuitur, id est quæ virgines vel continentes esse decreverunt: fornicatio autem nulli impune conceditur. Prædicta tantorum virorum testimonia videntur unanimiter non solum abbatis & abbatissæ improbare conjugium, sed & aliorum qui se voto legitimo ad continentiam astrinxerunt. Si quis prædictis auctoritatibus fidem non adhibens, opponit eis dicta Innocentii papæ, quæ videri possunt virginibus non velatis, si post votum nupserint, conjugium indulgere; hoc attendat, quod ex dictis Innocentii diligenter inspectis, magis videtur earum conjugium interdici; quod ut lector diligens animadvertere queat, prædicti patris verba ad illud pertinentia ex parte apposui, quæ sunt hujusmodi: Hæ quæ nondum sacro velamine tectæ, cum in proposito virginali semper se simulaverint permanere, licet velatæ non fuerint, si forte nupserint, his agenda aliquo tempore pœnitentia est: quia sponsio earum a Domino tenebatur. Si enim inter homines solet bonæ fidei contractus nulla ratione dissolvi, quanto magis pollicitatio quam cum Deo pepigerunt, solvi sine vindicta non poterit. Nam si apostolus Paulus quæ a proposito viduitatis discesserant, dixit eas habere damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt, quanto potius virgines, quæ prioris promissionis fidem frangere sunt conatæ. Hæc Innocentii verba: Si quis perspicaciter inspiciat, agnoscet juxta tenorem verborum, virgines non velatas, quæ post votum corruptæ sunt, non minorem incurrisse culpam, quam viduas post continentiæ propositum corruptas. Quibus omnibus interdicitur conjugium, quia primam fidem fecerunt irritam. Quod si fateamur, ut virginibus non velatis causa infirmioris sexus & ætatis dispensative permiserit Innocentius in conjugio post votum inito permanere, non tamen hanc dispensationis regulam possumus ad quaslibet personas extendere, attestante eodem Innocentio, qui de velatis sic decrevit: Quæ Christo spiritualiter nubunt, & a sacerdote velantur, si postea vel publice nupserint, vel se clanculo corruperint, non eas admittendas esse ad agendam pœnitentiam, nisi ii quibus se junxerant, de mundo recesserint. Si enim de hominibus hæc ratio custoditur, ut quæcumque vivente viro alteri nupserit habeatur adultera, nec ei agendæ pœnitentiæ licentia concedatur, nisi unus ex iis fuerit defunctus; quanto magis de illa tenenda est, quæ ante immortali se junxerat sponso, & postea ad humanas nuptias transmigravit.

(a) Qui Porretanus dictus factus est episcopus Pictavensis, cujus scripta in concilio Remensi sub Eugenio III. damnata sunt.

(b) Cautum est canone VII. ejusdem concilii, ne ecclesiasticæ personæ & quæcumque regulariter vivere proposuerunt, matrimonium contrahant. *Hujusmodi namque copulationem*, uti ibidem legitur, *quam contra ecclesiasticam rationem constat esse contractam, matrimonium non esse censemus.*

Hæc Innocentius, Beatus autem Augustinus ad Bonefacium scribens de velatis viduis, tale decretum promulgavit: Viduas a proposito viduitatis discedentes credo te nosse a sancto Apostolo nisi convertantur olim esse damnandas, quas & nos auctoritate apostolica damnandas, & a communi fidelium atque a liminibus ecclesiæ arcendas fore censemus, quousque ad bonum quod cœperunt invitæ aut voluntarie revertantur. Et post pauca: Tales personæ indubitanter adulteræ esse manifestantur, quoniam relicto immortali sponso, ad proprium sunt reversæ vomitum. Cum igitur Innocentius velatas quamdiu viri sui cum eis vixerint ad pœnitentiam non admittat, & Gregorius viduas, nisi ad continentiam redeant, ita districte excommunicandas esse censeat, quis audebit conjugium inter abbatem & abbatissam prædicare initiandum? Sed forsitan dicetis talibus personis nubere non licet, sed conjugium inire licet, ut juxta vos idem sit nubere & commisceri carnaliter, quod devotis personis non liceat, & tamen eis conjugium facere liceat. Et hoc fortasse probare contendetis per similitudinem earum personarum, quæ cum ante votum fuerint conjuges, postea continentiam voventes, ad thorum maritalem redire nequeunt, & tamen usque in finem vitæ suæ conjuges perseverant: quarum exemplo forsitan adstruetis inter eos qui antea conjuges non fuerant, post votum posse initiari conjugium: ita tamen, ut continentes permaneant. Nos autem ad hoc taliter respondemus: Viro & mulieri ante quam religionis habitum suscipiant, conjugium & carnalem copulam experiri licet, etsi postea votum faciunt, semper dum vixerint conjuges permanebunt: quamvis ille abbas effectus sit & illa abbatissa, & quamvis deinceps ad thorum nequeant redire maritalem. Si vero ante conjugium Deo vovent continere, & religionem profitentur, postea non eis licet facere conjugium. Si enim qui ante fuerunt conjuges post votum opus conjugii absque transgressione criminali explere non possint, quomodo illi qui ante conjuges non fuerunt, post votum & professionem poterunt inchoare conjugium; & ut non solis auctoritatibus agamus, sed etiam rationibus; volo ut mihi indicetis, qua pactione conjugali, quo consensu possint effici conjuges monachus & monacha? Non equidem potestis veraciter respondere, quod ex consuetudine aliorum conjugum, inter cetera quæ ad faciendum conjugium pertinent, de reddendo carnis debito valeant se continere: cum eorum carnalis copula sit criminalis & damnosa. Si autem æstimatis eos conjuges fieri absque sensu carnalis commercii, pro certo scitote, quia omnia illa remoto consensu tali non valent conjugium efficere. Quamvis enim sibi invicem spondeant se spiritualiter diligere, & fidem castitatis custodire, & in omnibus sibi providere, & in eodem monasterio sive in domo inseparabiliter habitare; tamen non efficiuntur conjuges, nisi de carnali copula consentient: ita ut utrumque suum corpus in alterius præbeat potestatem. Si enim absque consensu tali cetera prædicta sufficerent faciendo conjugio, tam profecto frater & soror, pater & filia, possent inter se fieri conjuges, cum eis liceat præter consensum thori omnia prædicta absque transgressione sibi permittere & complere. Nec dicat aliquis istos minus esse idoneos ad faciendum conjugium, quam abbatem & abbatissam: cum istis liceat sine offensione facere quæcumque ad conjugium abbatis & abbatissæ pertinentia, sunt licita: & sicut Dominus prohibuit per Moysen, ne pater filiam, vel frater sororem duceret; ita per apostolos & alios sanctos patres apostolorum vicarios prohibuit, ne personæ voto & professioni religionis astrictæ, se conjugio copularent. Jam nihil restare arbitror, quod ad confirmandum abbatis & abbatissæ conjugium vobis valeat suffragari, nisi adhuc ad id asserendum Mariæ virginis & Joseph conjugium adducatur. Quos cum declaret fuisse conjuges Angelus in Matheo dicens: *Joseph fili David, noli timere accipere* MARIAM *conjugem tuam*: tamen Maria virgo semper intacta fuit, de qua etiam dicit Beda super Lucam, quod ante annunciationem vitam decrevisset ducere virginalem. Ejus itaque exemplo fortasse videri potest, quod quælibet femina post votum valeat facere conjugium; ita quod semper continens permaneat. At si de conjugio Mariæ & Joseph nobis opponitis, respondemus equidem esse probabilius quod Maria ante annunciationem concipiendi Salvatoris, & suam cum Joseph desponsationem, votum non fecerit. Qualiter enim credi potest virginem prudentissimam post votum viro ad conjugium consensisse, quæ frequenter legerat reddendum esse quod Deo vovetur. Quæ etiam tanta omnium excellentia fuit prædita, ut præ omnibus ad gignendum Salvatorem eligeretur idonea. Certe non parva inconstantia, vel etiam insipientia ei inesse videretur, si post votum consensisset nuptias & carnalem inire copulam, quam causa prolis generandæ Joseph facere intendebat. Itaque verisimile est, quod Maria Creatori suo ita se totam voverat & commiserat, ut nec continere, nec nubere, nec prorsus aliquid agere intenderet, nisi quod suo Creatori placere cognoscebat. Ideoque parata ad continendum vel nubendum, quemadmodum Creatorem suum velle cognosceret, teste Augustino, qui in libro de nuptiis & concupiscentia sic dicit: Illud credendum est, quod beata Virgo mente dumtaxat & consensu mentis fuerit

conjux Joseph, & quod proposuisset permanere in virginitate, si Deo placeret, & aliter agere si ipse vellet. Ex hac auctoritate intelligitur, quod MARIA credens velle Deum ut se viro jungeret, more aliarum feminarum, viro in desponsatione assensum præbuit, parata ad solvendum carnis debitum, si vir sub cujus erat potestate requireret, sed post desponsationem cum jam essent conjuges, cito revelatum est eis mysterium de nativitate Domini, & exinde post verba angeli MARIÆ dicentis: *Spiritus-sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi*: Et post verba Angeli ad Joseph dicentis: *Quod enim in ea natum est, de Spiritu-sancto est*: non solum Maria, sed & Joseph ita ad continentiam voto se adstrixerunt, quod postea non fuit licitum eis thorum maritalem experiri. Cum igitur constet Mariam & Joseph ante votum iniisse conjugium, quomodo exemplo eorum probari poterit abbatem & abbatissam post votum & professionem posse legitimum inire conjugium. Quod si juxta Bedam fatemur MARIAM vovisse virginitatem ante quam desponsaretur, quod tamen nullatenus ex evangelio concipitur, non aliter quam per familiare Dei consilium illam in desponsatione post votum assensisse concedemus, nec de tali secreto Dei consilio ad alias personas post votum copulandas exemplum traheretur, quemadmodum de morte Samsonis, quam ipse a Deo inspiratus sibi intulit, ad alios ut seipsos perimant, exemplum non trahitur. Evidenter ostensum esse reor inter abbatem & abbatissam post votum non posse initiari conjugium, quamvis tamen concedamus inter illum abbatem & illam abbatissam usque in finem permanere conjugium, qui ante conversionem suam conjuges exstiterunt. Et de conjugio talis abbatis & abbatissæ arbitror loquutum esse magistrum Gislebertum: unde accepta occasione arbitror vos illam absurditatem incurrisse, ut dicatis inter quemlibet abbatem, & inter quamlibet abbatissam posse fieri conjugium.

EPISTOLA GALTERII ad magistrum G.

Solvit varias sibi propositas difficultates.

Ex ms. reginæ Sueciæ eruit Mabillonius.

MAgistro G. socio suo & amico carissimo Galterius, salutem.

In litteris vestris multa reperi, de quibus consuluit me vestra dilectio; ut autem verum fatear, tantis quæstionibus expediendis parvitatem meam sufficere non arbitror, ne tamen amico postulanti munus officii videar denegare, conatus sum vestris inquisitionibus pro posse meo respondere, in quo potius animi mei officiosam voluntatem, quam ingenii mei tarditatem considerare vos deprecor.

Primo, numquid quæsivistis utrum in sancta Trinitate solus Pater debeat Ingenitus appellari, vel etiam Spiritus-sanctus? Ad quod respondeo juxta scriptores orthodoxos, solum Patrem, qui Ingenitus est, neque de alio est, debere appellari Ingenitum, dicente Augustino in fine libri de sancta Trinitate: Pater solus non est de alio, ideo solus appellatus Ingenitus. Ipse quoque Augustinus Spiritum-sanctum non debere appellari Ingenitum testatur in libro de definitionibus rectæ fidei, his verbis: Pater sicut numquam fuit non Deus, ita numquam fuit non Pater, a quo Filius natus, a quo Spiritus-sanctus non natus, qui non est Filius, neque Ingenitus, qui non est Pater. Hoc idem Alcuinus sic dicens: Qui nec Ingenitus, nec genitus est, sed à Patre & Filio æqualiter procedens.

Secundo quæsivisti an in hymno quodam, in quo legitur *Ingenito Spiritui*, mutari debeat illud, scilicet *Ingenito Spiritui*; & si mutari debeat, an poni debeat pro *Ingenito*, *Paraclito*, vel *non genito*? Ad quod respondeo quod vel hymnus penitus taceri debet, vel illud mutari, ne contra usum SS. patrum Spiritus-sanctus appelletur Ingenitus: quod si in illa mutatione pro *Ingenito* poneretur Paraclitus, satis proprie & vere diceretur. Si vero attendatur illius intentio, qui in hymno posuit *Ingenito Spiritui*, nihil aliud per hoc significare volens, nisi Spiritum-sanctum esse non genitum, ad hoc, inquam, exprimendum quod ille significare voluit, magis affiniter pro *Ingenito* diceretur *non genito*, cum & *non genitus* & *Ingenitus* fere idem significant, nam ingenitus est non genitus, neque existens de alio. Quod vero Spiritus-sanctus soleat appellari *non genitus*, monstrat Augustinus in loco de Fide catholica sic dicens: Est Ingenitus Pater, genitus Filius, non genitus Spiritus-sanctus. Cum vero utrumque concordet fidei, sive Spiritus appelletur Paraclitus, sive non genitus; mirum est quare de diversitate mutationis sit contentio, sive disceptatio inter sapientes oriatur, cum neutra mutatio a veritate discrepet.

Tertio loco multas auctoritates ad aliud pertinentes, simul in unum congessistis, & cum quædam inter se videantur differre, & opposita affirmare, postulastis a me rescribi vobis quid de illis sentirem. Cum autem ea de quibus quæritis, sint meis viribus altiora; tamen ne amicitiæ vestræ viderer officium denegare; idcirco de his & pro mearum virium modo curavi vobis rescribere. Credo gratiam Dei quam confert hominibus, non solum consistere in libero arbitrio, & lege & doctrina, sicut asserebat Pelagiana hæresis, sed singulis horis a Deo conferri gratiam hominibus, quos suo dignatur auxilio, sine qua nec minimum opus facere possit homo, cum Veritas ait: *Sine me nihil potestis facere*; & Apostolus: *Deus est qui operatur*

velle & perficere pro bona voluntate. Psalmista quoque de Deo loquens ait: *Misericordia ejus præveniet me.* Et alibi: *Misericordia tua præveniet me omnibus diebus vitæ.* Augustinus super Johannem sic dicit: Ne quisquam putaret saltem parvum aliquem fructum posse a semetipso palmitem ferre, non ait: Sine me parum potestis facere, sed nihil potestis facere. Sive ergo parum sive multum, sine illo fieri non potest, sine quo nihil fieri potest. His testimoniis liquet nullum opus bonum ab homine fieri, nisi gratia Dei semper præsto adsit & adjuvet; quam si Deus B conferre cessaret, cito homo bene facere desineret, & in peccata laberetur juxta Psalmistam qui ait: Ne avertas faciem tuam a me, & similis ero descendentibus in lacum. Est autem sensus: Deus ne removeas a me gratiam tuam, quam si mihi substraxeris, ero unus de illis qui descendunt in profundum peccatorum. Hæc de gratia Dei dicta sufficiant, & ad alia transeamus, de quibus etiam me scribere postulastis.

Credo neminem damnari pro futuris operibus malis quæ non fecit, quamvis ea facturus esset, si in vita diutius remaneret. Hu- C jus rei certum habemus testimonium ex verbis Domini, ubi ait: *Filius hominis venturus est in gloria cum angelis suis, & tunc reddet unicuique secundum opera ejus.* Hic attendite quæ sunt opera hominis, an ea quæ numquam operatus est? Absit. Sed ea quæ operatur homo, illius opera esse dicuntur. Cum igitur Deus homini reddat tantummodo secundum opera sua, & opera sint hominis ea sola quæ ipse operatur, apparet quod nemo damnatur pro futuris quæ numquam fecit, quamvis ea esset facturus etiamsi viveret diutius, Apostolo evidenter attestante & dicente: *Unusquisque referet pro ut* D *gessit in corpore*: Non equidem ait Apostolus, pro ut gesturus erat, sed pro ut gessit, aperte insinuans, non pro facturis quæ non fecit hominem damnari, sed tantummodo pro præteritis. Hoc quoque approbat alia scriptura dicens: *Rapuit istum, ne malitia mutaret ejus sensum.* Quid enim prodesset justo rapi, ne malitia mutaret illum, si per illa etiam quæ non fecit, sed facturus erat, si plus viveret, damnaretur. Sed jam ad sequentia transeamus.

Sicut quosdam justos antequam per malitiam mutentur rapuit Deus ut salventur, ita E videntur alii justi esse, qui ad talem statum justitiæ & caritatis perveniunt, qui tunc ad tempus digni sunt regno cœlorum & gloria æternæ vitæ. Postea vero justo Dei judicio gratia Dei privati in peccata relabuntur, & damnantur. Ad hoc probandum suffragatur exemplum de David, de quo jam dixerat Dominus: *Inveni hominem secundum cor meum*, dicente etiam scriptura de illo: *Ex illo die & deinceps directus est spiritus Domi-*

A *ni in David*: Quod etiam aperte probare videtur ex hoc quod Dominus loquens de discipulis suis ait: *Nomina vestra scripta sunt in libro vitæ.* Verumtamen multi de illis postea abierunt retro. Non equidem ait hoc Dominus, quod prædestinati essent ad vitam; sed qui, teste Ambrosio, tunc ad tempus tam sancti & justi erant discipuli, ut tunc vere digni erant vita æterna per præsentium justitiam meritorum: postea vero verbi Domini scandalizati amiserunt justitiam ad infidelitatem redeuntes. Augustinus quoque quosdam prius esse justos & postea in peccata relapsos & damnatos testatur in libro de Correptione & Gratia his verbis: Mirandum est multumque mirandum quod Deus filiis suis quibusdam quos regeneravit in Christo, quibus fidem, spem & dilectionem dedit, non dat perseverantiam; & filiis alienis scelera dimittat, atque impertita gratia faciat filios suos. Et iterum: credendum est, quosdam de filiis perditionis in fide quæ per dilectionem operatur incipere, seu & fideliter vivere, & postea cadere.

Post alia restat aliqua de caritate breviter attingere, & quæ de ipsa a diversis auctoribus prolata sunt, & sibi videntur adversari, ad concordiam revocare; cum caritas constet partim in dilectione Dei & partim in dilectione proximi, quamquam aliqui homines infideles adhuc extra fidem positi incipiant Deum diligere, & caritatem habere, quæ, teste Augustino, in expositione psalmorum, eos perducit ad societatem ecclesiæ, quod patet in Cornelio centurione contigisse, qui cum nondum percepisset veritatem fidei Christianæ, tamen orando & eleemosynas faciendo per Angelum admoneri promeruit, ut Petrum Apostolum advocaret, qui eum de veritate informaret. Quidam etiam in fide positi, quamvis aliquando labantur in crimina, tamen bene diligunt, & caritatem habent, licet imperfectam, sicut liquet exemplo David regis, quod testatur Augustinus ad quemdam, retinuisse caritatem tunc cum ad tempus reus criminis teneretur. Est igitur in talibus initialis caritas, non homini ad salutem sufficiens. Nam frequentato usu scripturarum solet caritas appellari. Est alia caritas perfectior, quæ convenit fidelibus Deum & proximum amantibus, & propter hoc divina præcepta servantibus, quam credimus a Paulo ita definiri: *Caritas est de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.* Quam etiam perfectam vocat Johannes in epistola canonica, dicens: *Qui servat verbum ejus, in hoc caritas Dei perfecta est.* Hæc igitur caritas est in eis qui habent fidem operantem ex dilectione, & eis sufficit ad salutem, si in ea perseverent. Sciendum est autem quod aliqui ad talem quandoque perveniunt caritatem, & tamen ab ea recedendo postea

in crimina relabuntur & morte moriuntur æterna, quod Dominus de persecutione loquens antichristi testatur, dicens: *Abundabit iniquitas, & refrigescet caritas multorum.* Et paulo post: *Nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro.* Etenim hæc verba Domini aperte insinuant, quod omnes a caritate recederent, & salutem perderent, nisi Dominus persecutioni cito finem imponeret. Simile quiddam legitur in Apocalypsi ex persona Domini loquentis Angelo Ephesi: *Habeo aliquid adversum te, quia caritatem tuam reliquisti. Memor igitur esto unde excideris, & age pœnitentiam. Sin autem venio tibi cito & movebo candelabrum tuum de loco suo.* Hæc verba Domini ostendunt illum amisisse caritatem, & esse damnandum, nisi pœniteret. Postea quibusdam auctoritatibus, quas supra posuimus, approbari videtur, quod aliqui a tali caritate præhabita, in crimina postea & damnationem relabuntur, velut exemplo illorum discipulorum Domini, quorum nomina in libro vitæ scripta videbantur pro præsenti justitia, & tamen postea retro abierunt: ad id quoque probandum pertinent ea quæ de libris Augustini supra posuimus. Idem quoque insinuant verba Pauli dicentis: *Qui stat, videat ne cadat.* Quis enim stat, nisi qui in caritate fundatus est? Cur autem Paulus hortaret r stantem ne caderet, nisi id quandoque evenire cognosceret? Et videtur etiam tertius esse caritatis status, cui etiam prædicta diffinitio Pauli convenit, & cum sit ceteris eminentior, non solum salutem præstat homini qui in ea moritur, sed qui semel eum adeptus est, caritatem postea non amittit, nec damnatur, de quo scriptura dicit: *Sit tibi fons propriæ aquæ, de quo non communicet alienus*, & est sensus, labora habere caritatem eminentem, & donis spiritualibus abundantem, ad quam alienus, id est a consortio sanctorum segregatus, non possit pervenire. De eodem eminenti statu caritatis legitur in Canticis: *Aquæ multæ non potuerunt extinguere caritatem, & flumina non obruent eam.* Unde etiam videtur dixisse: *Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum.* Ad tantam caritatis eminentiam nimirum Paulus venerat, quando ait: *Certus sum, quia neque mors, neque vita poterit nos separare a caritate Dei, quæ est in Christo Jesu.* Quod autem quidam status caritatis adeo sit eminens, ut qui ad eum ascenderit, deinceps non amittat, nec damnetur, probari poterit per contrarium; cum sit quidam status peccati adeo pernitiosus, ut qui ad eum semel descenderit, deinceps ab eo nequeat egredi, nec salvetur; unde Johannes apostolus ait: *Est peccatum usque ad mortem, pro eo dico ne quis oret;* & alia scriptura: *Peccator cum venerit in profundum, contemnit.*

Ut autem strictim comprehendam ea quæ superius dicta sunt de caritate, videtur esse quidam status caritatis initialis, qui homini ad salutem non sufficit, nec frequenter solet nomine caritatis appellari. Secundus vero, in quo perseverantia adquiritur, & a quibusdam ad tempus habetur, & postea discedit ab eis, & damnantur. Tertius vero prædictis duobus eminentior, ad quem si quis perveniat, numquam deinceps ab eo deseritur, nec damnatur. Hæc inquisitionibus vestris non sufficienter, sed pro capacitate ingenii mei breviter respondi, magis volens minus sapiens videri, quam negare munus officii amico requirenti.

COMMONITORIUM ADRIANI papæ ad abbatem & conventum S. Vedasti.

Circa 1156. Ex cartario Vedastino.

ADRIANUS episcopus servus servorum Dei MARTINO abbati S. Vedasti & universo conventui salutem & apostolicam benedictionem.

Vos qui Ægyptum reliquistis, & sicco pede mare rubrum jam videmini pertransisse, ad anteriora debitis oculos mentis vestræ semper erigere, & ad terram promissionis tanto attentius anhelare, quanto plures in Ægypto positos conspicitis cum Pharaone submergi, & Ægyptiorum deliciis citius quam æstiment defraudari. Defraudantur enim desiderio suo, qui super ollas carnium in Ægypto remanere desiderant, quoniam in puncto ad inferna descendunt, licet bonis videantur temporalibus & carnis voluptatibus abundare; transivi quidem & ecce non erat, quia licet firma videatur stultus radice consistere, percepta tamen maledictionis sententia, statim arescit, & a gloria penitus elongatur. Porro vos dilecti in Domino filii, qui voluntates etiam proprias pro Domino reliquistis, ad Ægyptiorum opera mentes vestras nullatenus convertatis, nec affectetis redire in Ægyptum animo, ubi Pharaoni deservitur in luto & latere, qui corporis habitu ab ipso videmini separati: vestium siquidem qualitas videtur innuere, & opera quæ facitis caritatis, quod ad cœlestem patriam tenditis, & ad ipsam festinantes secundum propositam vobis regulam curritis, & bravium supernæ vocationis, largiente Domino, contenditis obtinere. Verum quia in via mandatorum Dei currentibus humani generis inimicus consuevit juxta iter offendicula ponere, cavendum est vobis, filii, attentius & agendum, ut ita circumspecte & provide iter quod cœpistis, peragere studeatis, quatenus ad palmam felicitatis æternæ possitis pertingere, & cum B. Benedicto in cœlesti gloria coronari. Nos vero

ro-commissam vobis ecclesiam & personas A vestras tamquam B. Petri specialis filios paterna caritate diligimus, & grata semper cupimus subsidia ministrare. Datum Lateranis x. cal. Januarii.

ROBERTI ABBATIS Walciodorensis litteræ de societate inter suam & S. Johannis Leodiensem ecclesiam.

Anno 1157 Ex schedis Cl. V. D. de Grassier.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. ROBERTUS gratia Dei abbas Walciodorensis ecclesiæ tam præsentibus quam futuris in perpetuum. Quæ diebus nostris gesta sunt, ne fluxu temporis à memoria effluant, scripto commendavimus, ut affixa veritati narratione, erroris in posterum causas de medio tollamus. Walciodorensis igitur ecclesia, ad cujus ministerium, non nostris meritis, sed gratia Dei vocati sumus, habebat partem allodii in villa *Gengleben*, quinque videlicet bonuaria aratilis terræ, & quatuor solidos annui census,& sextam partem molendini, quatuor modios emolumenti reddentis, & hæc omnia impignorata erant laicis, ipso etiam auctore, cujus munere ecclesiæ nostræ collata sunt, & servato nobis nudo tantum dominii nomine, fructuarius usus a die adquisitionis usque ad tempora nostra omnino aliis cesserat. Loco etiam ita remota erant, ut etiam si redimi a nobis possent, computatis tamen procuratoriis expensis, non multum nobis profutura essent. Cum igitur tenuitas rerum nostrarum inanis dominii nomen non magnum nobis faceret, & rem ecclesiasticam laicis perpetuo dimittere hereditariam religioni nostræ non competeret, communicato consilio fratrum nostrorum & ministerialium ecclesiæ nostræ, & ratione utilis & honesti diligenter pertractata, prædictum allodium quod in territorio villæ ecclesiæ beati Johannis evangelistæ situm erat, cum omnibus pertinentiis suis,eidem quæ sita est in insula Leodii redimendum, & perpetuo jure habendum donavimus, & donationem ipsam facta ejusdem allodii oblatione, super principale altare ejusdem ecclesiæ solemniter firmavimus. Devotio quoque nostra & caritas inofficiosa & inutilis ecclesiæ nostræ non fuit; quia præpositus ejusdem ecclesiæ sancti Johannis Drogo honesta persona ingratitudinem ferre non sustinens, de suis propriis bonis quatuordecim marcas ecclesiæ nostræ digna facta recompensatione dedit. Nos vero sumptam pecuniam non otiose, nec inaniter consumpsimus, sed eam in eodem allodio expediendo & bonis ecclesiæ nostræ quæ juxta nos erant redimendis, & oppressionibus ecclesiæ nostræ sublevandis fideliter impendimus: & quia domesticorum christianæ fidei est orare pro invicem ut salventur, & sancta salubrisque cogitatio est pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur, ex hujus donationis occasione speciali quadam devotionis gratia inter nostram, id est Walciodorensem & S. Johannis evangelistæ, quæ est in insula Leodii,ecclesiam, societas spiritualis fraterternitatis instituta est, ut videlicet monachi & canonici harum ecclesiarum tamquam uterini fratres in Deo; caritatis pia germanitate uniti, pro invicem attentius B orent, & in negotiis vel necessitatibus suis adjutorii manum sibi porrigant invicem, & de cetero canonicis sancti Johannis fratres Walciodorenses, sive fratribus Walciodorensibus canonici sancti Johannis, viam universæ carnis ingredientibus, tricenarium plenum persolvant. Igitur ne processu temporis adversus gestæ rei veritatem aliquo casu, aliqua falsitas assurgere audeat, & bene ordinata convellere, donationis hujus fidem & finem,& sanctæ societatis devotionem in præsenti pagina conscripsimus, & paginam ipsam adversus omnem calum- C niam sigilli nostri affixione communivimus. Hujus rei testes sunt Johannes liber homo de *Daveles*, qui hanc donationem fecit, dominus GERLANDUS abbas Floreffiensis, fratres Walciodorenses, Walterus, Robertus, Arnulphus, Gozuinus, Balduinus, Widericus, & ceteri. De laicis ecclesiæ, Franco Roseriensis, Philippus Walciodorensis, Emelinus Leodiensis. De canonicis sancti Johannis, Drogo præpositus, Gozelinus decanus, Benedictus custos, & scolarium magister, Hellenus cellerarius, & ceteri. De laicis Leodiensibus Widericus de Prato, & Theodericus filius ejus, & multi D alii. Actum publice Leodii III. cal. Junii in ecclesia B. Johannis evangelistæ in insula, renovatum & confirmatum est x. cal. Augusti in capitulo Walciodorensi; anno dominicæ incarnationis MCLVII. indictione v. regni domini FREDERICI VI. imperii IIII. episcopatus domini Heinrici secundi XIII. ordinationis domini ROBERTI Walciodorensis abbatis VI. ad laudem & gloriam Domini nostri JESU CHRISTI. Amen.

E CARTA AUSCULFI EPISCOPI Suessionensis pro monasterio Vallis-Serenæ.

De confirmatione fundationis abbatiæ Vallis-Serenæ a Johanne Rufo facta.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Anno 1158 Ex ms. Colbertino.
Sicut officium caritatis est ecclesiis eleemosynas erogare: ita nihilominus eadem caritas nos ammonet, ea quæ eis collata sunt inviolabiliter conservare. Ego itaque

Ausculfus Dei gratia Suessionensis episcopus perpetuæ litterarum memoriæ commendo, quod Petrus de Hela ratum habuit & approbavit, videlicet quod pater suus Johannes Rufus concesserat ecclesiæ [a] (a) Vallis-Serenæ, sedem cum omnibus appendiciis ejus, ubi ipsa abbatia fundata est, vivarium etiam ea sub conditione, quod si ex elevatione ripæ, quæ vulgo Calceia dicitur, aliquod detrimentum contigerit, molendino ipsius Petri, terræ, vel prato, ecclesia ipsa restaurabit juxta æstimationem vicinorum. Ad hæc quidquid est inter has quatuor motas, scilicet inter pontem de *Secten* & præfatum vivarium & molendinum de *Succi*, & terram Odonis de *Clermont*, concessit idem Petrus nemoris mortui usuarium in omni nemore suo. Ramos etiam concessit eidem ecclesiæ suæ nemoris quod est a limite Montis-Gumberti & Vallis-Juvini, usque ad illud quod vulgo dicitur Calidum-furnum. In his omnibus cum eo assensum præbuerunt Emelina uxor sua, & liberi sui. Si quis ergo super prædictis eleemosynis prædictæ ecclesiæ injuriosus esse præsumserit, anathema sit. Actum anno Verbi Incarnati MCLVIII.

DOTALITIUM ELISABETH comitissæ Flandriæ.

Anno 1159. *Ex autographo in archivis S. Quintini de Monte.*

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Constat maritalem copulam a Deo divinitus institutam, duabus siquidem de causis, ad propagandam sobolem Dei & devitandam turpitudinem fornicationis. Dei igitur auctoritate & scripturarum testimonio fultus, ego Philippus Flandriæ comes, Elisabeth Radulfi Viromandensis comitis filiam mihi uxorem legitimo matrimonio despondi, eamque de possessione mea consueto & antiquo more nobilium dotare decrevi. Dotis igitur nomine, ô dilecta mihi Elisabeth, tibi dono castellum S. Audomari, & castellum de *Cortrai*, & Herlebeccam & Horcias. Ut autem ratum & illibatum hoc permaneat, scripti auctoritate firmavi. Testes & auctores qui ad hujus dotis assignationem affuerunt, hi sunt, Samson Remorum archiepiscopus, ecclesiæ Romanæ legatus, Balduinus Noviomensis episcopus, Nicolaus Cameracensis episcopus, Godescalcus Attrebatensis episcopus, abbas S. Amandi, abbas S. Eligii, Theodericus comes Flandriæ, Philippus filius ejus, Ivo comes Suessionensis, Drogo de Petra-fonte, Radulfus de Cosduno, Lanselinus de Hamo, Albericus de Roia, Simon de Ribodimonte, Petrus præpositus Sancti Quintini, Hugo Castellanus de Bapalmis, Rogerus de *Vvauverim*, Rogerus de *Landast*. Actum in cœnobio sancti Quintini de Monte, anno dominicæ Incarnationis MCLVIIII.

(a) Vallis-Serena, vulgo *Valseri*, abbatia ordinis Præmonstratensis, cujus fundator hic designatur Johannes Rufus, utpote qui dederit fundum, ubi ipsa abbatia constructa est.

LITTERÆ PHILIPPI Flandrensium & Viromandorum comitis pro monasterio Corbeiensi.

Confirmat commutationem villæ de Mouci *factam inter abbatem Corbeiæ & Rorgonem de Roya.*

Ex archivis Corbeiensis monasterii.

In nomine Patris & Filii & Spiritus-sancti. Amen. Ego Philippus Dei gratia comes Flandrensium & Viromandorum cum venerabili conjuge nostra Elisabeth notum fieri volo universis, tempore prædecessoris nostri Radulfi comitis commutationem quamdam factam fuisse inter ecclesiam Corbeiæ & Rorgonem de Roia, de quadam villa sancti Petri, quæ vocatur *Moucis*, inter duo Castella *Cosdum* & *Gournay* super Aronam fluviolum sita, & de decima *Rochincurt* cum terra & hospitibus quibusdam, & quod ad feodum illum pertinebat, assentiente rege Ludovico Franciæ, de quo ecclesia villam illam tenebat, & Radulfo de *Cosdum*, qui de prædicto comite Radulfo decimam cum terra & hospitibus libere in feodo tenebat, & eam Rorgoni supradicto de Roia cum filia sua in matrimonium tradiderat, ea videlicet conditione, ut villa cum omnibus quæ ad eam pertinebant, excepto altari & decimis ejusdem villæ & mansura una libera, ad comitis feodum transiret, & decima de *Rochincurt* cum terra & hospitibus, & quod ad feodum pertinet, in eleemosyna & possessione Corbeiæ ecclesiæ in perpetuum remaneret. Tempore autem comitatus mei, cum ego de prædicta villa hominium meum requirerem, Rorgo qui villam tenebat, diem a me accepit, quo coram me apud Montem-Desiderium assisteret, & Radulfus de *Cosdum* dominum suum adduceret, qui nisi ei *Guarans* idoneus existeret, ipse Rorgo postea mihi faceret de feodo illo quod curia nostra judicaret. Venit dies constitutus, Rorgo Radulfum adduxit, qui nullam ei guarandiam tulit, nec judicium curiæ & parium suorum Viromandensium super hoc volens audire, absque licentia de curia recessit. Rorgo autem taliter a domino suo derelictus, judicio baronum Viromandensium, qui adstabant, quia *Guarant* sicut debuerat non habuit, mihi adjudicatus est, & de manu mea, nullo mediante, in feodum supradictam villam *Mouci* recepit. Rogati itaque ab abbate Corbeiæ & fratribus, ego & venerabilis uxor nostra Elisabeth propter

pacem ecclesiæ, ne inde futuris temporibus in aliquo gravaretur; commutationem istam taliter prius factam, & postea tempore nostro recognitam fuisse testamur, & sigillorum nostrorum impressione & fidelium nostrorum Viromandensium attestatione roboramus. Testes Hugo abbas S. Quintini de Monte, Robertus de Bova, Bernardus de sancto Walarico, Anselmus Ambianensis, Gerardus vice-dominus Pinconiensis, Bernardus de Morolio, Rorgo de Tornella, Adam Rabies de Monte-Desiderio, Henelo *Vvilers*, Radulfus de *Troucoy*, Vvermundus de Roia, & Hugo filius ejus, Simon de Cella, & Robertus frater ejus, Albertus de Frami-villa, Odo dominus Hamensis, Joannes *Daties*, Rorgo de *Faiel*, & Simon frater ejus, Jacobus de Guisa, Fulco de Caro-rivo.

EPISTOLA GRAFFCHATENSIS congregationis ad Reginaldum Coloniensem archiepiscopum.

Congratulantur ei de sua in archipræsulem electione, deprecanturque ut suam in eos commotionem placet.

[a] Anno 1160. Ex ms. Graffchatensi. [b]

DOmino suo & patri (*a*) R. venerabili Coloniensium archiepiscopo humilis congregatio monachorum de cœnobio (*b*) G. devotissimum orationum suarum famulatum, utinam in beneplacito ipsius...

Oramus, Domine, loquantur servi tui verbum in auribus tuis, & ne irascaris famulis tuis; nisi enim blandum & tranquillum & pietatis amicum vestræ sanctitatis pectus compertum haberemus, silere tutius fuerat in conspectu vestro quam loqui. Sed quia semel cœpimus, loquemur ad Dominum nostrum. Reverendæ memoriæ prædecessores vestri laborantes in regimine S. Coloniensis ecclesiæ, licet obstrepente sibi dubio rerum eventu, ejusdem ecclesiæ naviculam multis hujus sæculi tempestatibus jactatam per scopulos curarum, per syrtes negotiorum, & implacatam sollicitudinum charybdim, ad portum vestræ felicissimæ successionis, ut salvam subducerent, obtinere per cooperantem sibi Dei gratiam meruerunt, laborum suorum jam, ut credimus, indepti mercedem. Cum vero Pastor æternus quæreret scrutando corda & renes singulorum, quem electum de plebe sua & fidelissimum in omni domo sua exaltaret in vacante cathedra sancti Petri, invenit te virum secundum cor suum, qui facias omnes voluntates ejus, & suscitavit te de medio fratrum tuorum, ut ungeret te unctione misericordiæ suæ, & collocaret in throno Israël spectabilem super multos hujus temporis præsules, & tradita virga directionis in manu dixit tibi: Si diligis me, pasce oves meas, non cum austeritate & potentia, sed in spiritu mansuetudinis quod crassum est & forte custodi, infirmum & debile ne projicias. Acclamavimus & nos, & Deum laudavimus in electione tua, cum omnibus quorum tetigerat Deus corda. Filiorum autem Belial os obstructum est loquentium, nolumus hunc regnare super nos, quia salvare nos non poterit iste. Qui levaverunt manum contra Christum, & offuscare conati sunt claritatem qua decreverat clarificare personam tui cœlestis Pater tuus, sed ille tulit lucernam tuam de sub modio latebræ, & posuit super candelabrum Agrippinensis ecclesiæ splendidissimum firmamenti radium, fecitque tibi nomen grande juxta nomen montium æternorum, a quibus mirabiliter illuminat mons ille pinguis, qui implevit omnem terram, firmavit manum tuam, & exaltavit dexteram tuam, & in virtute brachii tui posuit te vectem contra motum & impetum fluctuum maris, quod hactenus ibat & intumescebat super nos, ut jam stet a fervore suo, & deinceps non intumescant fluctus sæcularium potestatum. Et si parva sunt ista in oculis tuis, adjiciet tibi multo majora, quando post erogatam fideliter verbi pecuniam, & bene dispensatum fidei triticum, super omnia bona patris-familias constituetis, postquam purum & defecatum, ut fuit ab initio, reddideris ecclesiæ statum, cujus fex per multos infelicitatis annos congesta, nondum est exanimata. Gratias itaque primo divinitati, deinde strenuitati vestræ, & quia ipsa dignata est, deinde quia strenuitas vestra dignationi ejus subservivit. Auditum quidem fuerat in proprio solo Hildenesheimensi licet renitentem vos ad præsulatum expetitum, sed vocante Deo, qui prædestinatos suos glorificat & luciferum producit tempore suo, aliorsum cecidit sors electionis vestræ. Nempe fortuna Coloniæ præponderavit, cui debebatur pius, prudens, constans, disertus, magnanimus, inadulatus, largus, beneficia non fœnerans, sed ad liberalitatem natura propensus, studium habens ad omnia, vigilans, vim rerum scienter examinans, cui nullum ut brevi præcidamus, virtutis desit genus, præconiorum floribus etiam ab his qui foris sunt adornatus, terra marique cantatus. Decuerat enim tam nobilem cathedram, tam ornatum & instructum clerum, tam clarum populum tali donari pontifice, ut regale sacerdotium & florentissima civitas & magni nominis ecclesia præcelsum efferens caput, in sublime præter solitum attolleretur, nec ab invicem

(*a*) Raynaldus qui ex præposito Hildesheimensi ad sedem Coloniensem adscitus, Frederico imperatori individuus in Italia comes adhæsit, ibidem defunctus anno 1167.

(*b*) Graffchatensi haud dubium, ubi hanc epistolam reperimus, & cui soli in tota Coloniensi diœcesi convenire potest.

degenerarent, sed una sibi congruerent caput membris & membra capiti, ut dignitati capitis non indigna respenderet habitudo corporis. Sed ut hoc quoque inseramus, inter multiplicis gloriæ varietates, quibus circum amicta celeberrima metropolis, facta est suavis & decora sicut Jerusalem, quando talem sibi providit rectorem, & decorem sibi auxit, & necessitati multorum consuluit. Numquid enim his temporibus, quibus fames verbi Dei prævaluit super terram, non erat necessarius, qui sapientiam non hujus mundi, sed sicut habet Apostolus, sapientiam Dei loqueretur inter perfectos, parvulis etiam in Christo potum lactis exprimeret de mamilla divinitatis, proferens de promtuario scripturarum his unde alantur, illis unde de perfectis fiant perfectiores. Ut ergo de prophetæ Danielis quiddam mutuemus oraculis, salva propria ratione mysterii, tu es caput aureum sapientiæ claritate conspicuum, ex honestioribus autem conjunctis tibi membris quædam sunt argentea, scilicet eloquiis Domini nitida, quædam ænea, quippe clamore prædicationis sonora, quædam ferrea, quia rigore justitiæ ferrea, infimam autem partem testeam vel fictilem non alios quam imbecilles & fragiles senserimus monachos, qui miserabiliores in hac vita sunt omnibus hominibus, spectaculum facti sunt mundo, tamquam sal conculcantur infatuatum, in humili vitam degunt, fortuna eorum & fama pares sunt. Tam despicabiles autem in corpore ecclesiæ & suimet judicio sunt inutiles, ut a capite merito sibi dici existiment, non estis mihi necessarii. De quorum infimi collegio, vestris, serenissime Domine, prosternimur vestigiis, cum verecundissimis precibus gratia placandæ circa nos commotionis vestræ, quam etsi nos scimus nos non mereri, non possumus tamen non vereri. Sunt enim qui fervorem animi vestri suo sensu æstimantes, magnitudinis vestræ mole nostram humilitatem suspicantur opprimendam. Conclusit nos in manu tua, ut voles judica. Neque enim erit nobis effugium a facie tua; sed absit hoc a te? Nequaquam fiat istud. Non enim tuum hoc qui judicas omnem terram, nequaquam facias judicium. Non erit tibi in singultum & in scrupulum cordis hoc, quod ipse te ultus fueris, & indignationem tuam servaris usque in finem. Quin potius, excellentissime pater, egregie feceris, si dominicis morem gesseris institutis, quibus doceris dimittere pœnitentibus usque septuagies septies. Nostra vero humilitas, tametsi ita loquimur, pro puritate conscientiæ præsumit gratiam nobis magis deberi quam offensam, pro eo quod de felicibus Domini nostri successibus, nulli potiore quam nos exhilarati sunt gaudio, propter optimum opinionis ejus unguentum, cujus odor suaviter ubique diffusus, etiam nostris delectabiliter illapsus est naribus. Veni ergo pacificus dominus, quia pax tecum intravit in istam provinciam. Respiciat nos misericordia tua, commoveatur semper pius super filiis tuis paternæ necessitudinis affectus. Et tanto misericordius, quanto clam te non poterit esse, quod absque corporibus & anima & tenui sustentaculo nihil habeamus. Sed quid ulterius vociferamus & inquietamus dominum nostrum? Dominus noster es, servi tui sumus. Pastor noster es, oves tuæ sumus, quod bonum est in oculis tuis fac. Quidquid autem dignationi vestræ bonum visum fuerit, hoc erit nobis optimum omnibus diebus vitæ nostræ, nec aliud nobis expedit agere, quam pro sospitate vestra sine intermissione pastorem summe bonum exorare.

EPISTOLA (a) ABBATIS Graffchattensis ad archiepiscopum Coloniensem.

Curam pastoralem sponte abdicat.

Circa 1140. Ex ms. Graffchatensi.

Ex multo jam tempore, Reverende pater, compertum habeo, per aliquos nostrates privatim ac publice personam nostræ parvitatis infamari, æstimationem lædi, conversationi denegari, quæ res mihi apud excellentiam vestram parum fiduciæ peperit, plurimum offensæ. Qui etsi omnia pene nobis imposita, datis auditoribus, ficta potius quam [illegible]a probare poteram, optimos quoque defensores, qui in causa mei contra criminatores in judicio consisterent, graves videlicet & instructas personas mihi sufficienter provideram, tamen familiarium meorum vicem nostram dolentium me consiliis credens, intentione revocata deliberavi, omnibus his fatigationibus postpositis, paci & concordiæ consulere, scandalis occasionem aufferre, æmulos meos patientiæ pugno referire, dare locum iræ, totum Deo occultorum inspectori committere, non accusatione conscientiæ, nec diffidentia innocentiæ, nec gratiæ vestræ desperatione; sed ut advertere dignemini non valde delectatum eorum prælatione, cum omnibus in commune satisfecero spontanea absolutione. Idque facio non ex tristitia, sed bono & tranquillo animo, quia quidquid non cum amore possidetur, hoc sine dolore amittitur. Frustra enim niti, ut ait Crispus, neque aliud se fatigando, nisi odium quærere, extremæ

(a) In codice Graffchatensi, unde hanc exscripsimus epistolam, nullus ei erat titulus, quem ex conjectura apposuimus, non solum quia in Graffchatensi monasterio eam reperimus, sed etiam quia aliquam habet affinitatem cum præcedente, quam immediate sequitur in mss. codice. Quis autem sit ille abbas? forte Benedictus, qui in serie abbatum apud Bucelinum præfuisse dicitur ab anno 1140.

dementiæ est. Mihi autem jam privato ac destituto hæc saltem sit consolatio, quia antecessores nostri omnes iisdem quibus ego modis affecti cesserunt loco. Ea res indicio est, quod nullus eorum nisi unus solummodo hic sepulturam meruerunt. Illud quoque mihi accrescat in consolatione, quod criminatores mei non sunt alii quam factiosi, blasphemi, traditores, perjuri, susurrones, inobedientes, derisores, contumeliosi, deterioribus etiam his vitiis obsessi. Tales etiam si obsequerentur, si blandirentur, si adularentur devitandi erant, quanto magis nunc? Ceterum omnes boni me amplectuntur & diligunt. Insipiens prope modum factus sum, sed coactus. Forte enim aliqui auditorum causabuntur me dicentes, nimis teipsum commendando progrederis, contumeliose in tuos inveheris. Quibus inquam, qui me assidue amaritudine potaverunt, unde illis dulcedinem propinarem? Et sicut Patricius quidam Romanorum cum sibi pro beneficiis injurias retulissent, imprecans dixit: Si male feci cum Romanis male inveniam. Ita & ego ex competenti dico: Si non bene egi cum eis justum est ut non bene recipiam. Consulant ergo quando & ubi volunt. Commodiorem sibi personam eligant, in quam more suo cum libuerit irruant. Me posthac habere non possunt etiamsi vellent. Eo enim res meæ tædio nimietatis eorum processerunt, ut utilitatibus meis alibi decreverim providere. Dictum est enim a Salvatore *Cum persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam*. Neque enim fortitudo lapidum fortitudo mea, neque caro mea ænea est.

DIPLOMA GODEFRIDI DUCIS Lotharingiæ pro Remensi sancti Remigii monasterio.

Restituit ei jussu imperatoris allodium Litam quod violenter usurpaverat

Anno 1160. *Ex ms. Cl. V. domini de Louvrex.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego GODEFRIDUS dux Lotharingiæ filius GODEFRIDI minoris ducis, notum facio universis sanctæ matris ecclesiæ filiis, tam futuris quam præsentibus, me injuste & violenter allodium beati Remigii Francorum apostoli, quod Lita dicitur, duobus annis usurpasse & tenuisse. Tandem vero compunctus & pœnitentia ductus, maxime quia ab ecclesia præfati confessoris excommunicationi subjacebam, necnon mandato imperatoris coactus, & a Coloniensi episcopo REINALDO, & a domino episcopo Leodiensi HENRICO admonitus, jam dictum allodium cum omnibus ad ipsum pertinentibus, Deo & beato Remigio promta devotione reddidi, necnon fidei sacramento confirmavi, & præsentia baronum meorum illud abdicavi. Statuens & confirmans quod numquam per me, nec aliquem meorum sæpedictum monasterium de ipsius allodii rebus damnum aliquod pateretur, sed ex integro ei maneant omnia sua, sicut ei dedit & confirmavit GERBERGA venerabilis Francorum regina. Quod meæ constitutionis decretum, ut per succedentia tempora inconvulsum servetur & maneat, auctoritate mei sigilli firmavi, & testes idoneos subnotavi. Hujus rei ex parte ecclesiæ testes sunt PHILIPPUS abbas de Parco, Simon præpositus de Lovanio, Razo ejusdem ecclesiæ canonicus, Conibertus ecclesiæ S. Petri in Leodio, Theodericus præpositus in Marsna, Guilhelmus canonicus de Brusella, Leo prior beati Remigii, Willelmus præpositus, Willelmus prior S. Thomæ, Warnerus monachus. Ex parte ducis, liberi Servius de *Pollar*, Renerius de Caccia, Antonius & Watherus de Melbiergo, Gillebertus de *Wvesbech*, Anselmus de *Kisunken*, Guillelmus filius Manerii de Baccumine. De familia, Gerardus de *Hundeberge*, Henricus de *Magottolte*, Henricus de Galla, Arnoldus de *Rhedi* & filius ejus Arnoldus, Engelbertus de *Mosel-ve*, Valencianus de *Leevver*. Actum est hoc anno ab Incarnatione Domini MCLX. indictione VIII.

GELDOLPHI ABBATIS Brunwillariensis statutum pro commemoratione fidelium defunctorum in festo omnium sanctorum.

Circa 1160. *Ex hist. ms Brunvvillariensi.* [a]

EGO (a) GELDOLPHUS hujus loci abbas decimus licet immeritus, instituo auctoritate qua fungor, ut pro omnibus animabus Christi fidelibus, ubique terrarum defunctis, singulis annis in festo omnium sanctorum noviter imposito, post vesperas regulares solemniter decantatas, accensis luminaribus, subsequenti pulsu solemni omnium campanarum nostri monasterii, vigiliæ mortuorum omnium Christi fidelium cum novem lectionibus decantentur. Quæ, ut fateor, usque in hunc diem in hoc monasterio non sunt decantatæ, & ideo voluntas mea est, ut ita fiant, & sequenti die post primas per singulos sacerdotes missa celebretur pro omnibus Christi fidelibus. Quare notum sit præsentibus & futuris quicumque hanc ordinationem Deo placitam summa diligentia custodierint, duplicem pittantiam in recentibus piscibus & vino consequentur annuatim.

(a) Geldolfus abbas Brunvvillariensis præfuisse dicitur annis 28. & tribus mensibus, atque obiisse 15 Augusti 1177. Hinc colliges non statim ubique admissam fuisse 2. Novem. omnium fidelium defunctorum commemorationem, cujus institutionem tribuunt S. Odiloni abbati Cluniacensi ante centum nimirum annos defuncti.

DIPLOMA ALEXANDRI PAPÆ III.

Sub sua protectione suscipit monasterium Savigniense.

Anno 1162. *Communicavit* R. P. *Chamillard* S. J.

A ALEXANDER episcopus servus servorum Dei, dilecto filio WILLELMO Savigniensi abbati, ejusque successoribus regularem vitam professis in perpetuum.

Quotiens a nobis illud petitur quod religioni & honestati noscitur convenire, animo nos decet libenti concedere, & petentium desideriis congruum suffragium imper- B tiri. Ea propter, dilecte in Domino fili Willelme abbas, ad exemplar sanctæ recordationis patris & prædecessoris nostri EUGENII papæ, tuis justis postulationibus clementer annuimus, & Savigniense monasterium cui, Deo auctore, præesse dignosceris, sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus. Inprimis siquidem statuentes ut ordo monasticus qui secundum Dei timorem & B. Benedicti regulam atque institutiones Cistercienſium fratrum tam in præfato monasterio, quam in his quæ sub ipsius potestate & disciplina consistunt, C institutus esse dignoscitur, futuris temporibus inviolabiliter conservetur, & ut abbatiæ quæ ad jus tui monasterii pertinere noscuntur, in tua tuorumque successorum obedientia & subjectione permaneant. Quarum nomina duximus exprimenda. Abbatiam de Furnesia, &c. *ut in privilegio Eugenii edito tom.* I. *Anecd. p.* 405. Has itaque abbatias cum omnibus earum pertinentiis, tibi tuisque successoribus in perpetuum confirmamus. Decernimus ergo. . . . . . .

† Ego ALEXANDER catholicæ ecclesiæ episcopus. D

† Ego HUBALDUS Hostiensis episcopus.

† Ego BERNARDUS Portuensis & S. Rufinæ episcopus.

† Ego GUALTERUS Albanensis episcopus.

† Ego HYACINTHUS diac. card. S. M. in Cosmidin.

† Ego ODO diac. card. sancti Nicolai in Carcere Tulliano.

† Ego ARDICIO diac. card. sancti Theodori.

† Ego BOSO diac. card. sanctorum Cosmæ & Damiani. E

† Ego CYNTHIUS diac. card. sancti Adriani.

† Ego JOHANNES diac. card. S. M. in Porticu.

† Ego MANFREDUS diac. card. S. Georgii ad Velum aureum.

† Ego HUBALDUS presb. card. S. Crucis in Jerusalem.

† Ego HERICUS presbyter card. sanctæ Anastasiæ.

† Ego ALBERTUS presb. card. S. Laur. in Lucina.

† Ego GUIL. S. Petri ad Vincula presb. card.

Datum Parisiis per manum Normanni S. Rom. eccl. subd. & notarii VI. idus Martii indict. X. Incarn. dominicæ anno MCLXII. pontif. vero domni Alexandri papæ III. anno IIII.

PRIVILEGIUM FREDERICI imperatoris pro Raimundo Barchinonensi comite.

Comitatum Provinciæ, urbem Arelatensem & comitatum Forcalquerii ei concedit in feodum.

Anno 1162. *Ex ms. Colbertino.*

FREDERICUS divina favente gratia Romanorum imperator augustus. Cum Romani imperii dignitas, sicut nulli mortalium in dubium venit, per se principaliter ac singulariter, nullo nisi divino innixa podio, totius honestatis, omniumque virtutum sit adornata fulgoribus, tanto comparatione solis quam habet ad alia sidera, excellentiori gloria & magnitudine omnia regna & reliquas potestates vel dignitates videtur præcellere, quanto illustrium principum ac sapientum virorum, qui portant orbem, ampliori numero decoratur. Unde nos qui divino munere Romani orbis gerimus habenas, præclara merita, fidelium devotionem, ac fidem amicorum præ oculis semper habentes, & temporalibus beneficiis quæ vel immeritis portare consuevimus, remunerare cupientes, sub taciturnitate & silentio, velut ingrati nec debemus præterire, nec possumus. Verum per præsentes apices ad notitiam universorum imperii fidelium deducere, & dignum duximus palam omnibus declarare, quam sincera, quam diligens, quam prona, & quam fervens circa gloriam & honorem imperii, & circa nostram dilectionem fides & devotio nostri carissimi RAYMUNDI Barchinonensis comitis & illustrissimi principis extiterit; & revera magnifica ejus obsequia & præclara opera subsecuta apertius declarassent, quantæ fidei ac devotionis circa nostram personam fuerit, nisi divina vocante gratia, quæ aufert spiritum principum, de medio ipse sublatus fuisset, de cujus indigno obitu non possumus in perpetuum non dolere. Hinc accidit quod nostra præcordialis dilectio erga talem ac tantum amicum otiosa esse nullatenus potuit, præsertim cum ejus sincerum amorem & studium circa personam & honorem carissimæ neptis nostræ RICHILDIS Hispaniarum reginæ oculata fide perspeximus, & ipso rerum effectu veraciter ita esse probavimus. Ea propter cognoscant universi fideles imperii præsentes &

futuri, quod nos memoriam tantæ fidei & dilectionis, quæ a nostro corde numquam recedet, ejusdem præfati comitis carissimi amici nostri nepotem, RAYMUNDUM scilicet prædictæ neptis nostræ illustrem maritum, vice patrui cum plenitudine dilectionis & gratiæ amplectimur & diligimus, eique sicut dilecto & fideli principi nostro, ejusque heredibus omnibus comitatum Provinciæ concessimus, & in feodum dedimus, sicut tenuit eum comes Barchinonensis & prædecessores ejus inclyti principes tenuerunt, a Durantia scilicet usque ad mare, & ab Alpibus usque ad antiquum Rodanum, & sicut divisit cum comite AMPHONSO, & quod habuit ultra Durantiam, sive in Avinione, seu aliis castris, cum omnibus pertinentiis suis & pertinentibus ad regale vel imperiale servitium. Insuper concessimus & in feudum civitatem Arelatensem, ita ut omnes cives sint ad ejus fidelitatem & servitium nostrum tam milites quam populares. Et quod omnia regalia ipsius sint, tam in monetis, quam portubus, ripaticis, pratis, pascuis, salinis, & omnibus aquis, aquarumque decursibus, & omnia omnino hæc quæ ad ejus imperiale spectant, excepto quod archiepiscopus ecclesiæ Arelatensis habet & habuit a centum annis retro in eadem civitate. Præterea damus & in feudum comitatum Forocalquerii cum omnibus regalibus suis pertinentibus ad comitatum, ita quod idem comes de Forocalquerio faciat hominium & fidelitatem comiti Provinciæ, quemadmodum nobis deberet; quod si facere noluerit, perdat comitatum. Hoc ideo de Forcalquerii comite fecimus, quoniam ex quo Romani imperii diadema divinitus adepti sumus, ad curiam nostram venire, & beneficium suum a manu nostra recipere contumaciter supersedit: cujus comitatus justo judicio ita nobis adjudicatus est, quod inde faciamus quidquid nobis placuerit. Prædictus vero RAYMUNDUS illustris comes Provinciæ juravit nobis fidelitatem contra omnes homines, & præstitit quod faciat servitium nobis & imperio pro prædicto feudo. Pro regalibus autem quæ concessimus ei, & tam in Arelate quam in supradicto feudo, dabit nobis seu successoribus nostris regibus & imperatoribus singulis annis in purificatione S. Mariæ apud Arelatam, tam ipse quam ejus successores legitimi heredes cuncti, xv. marcas auri boni ad justum pondus Coloniæ, & comes faciat legatum vel legatos nostros nostrumque successorem secure conduci, & ei vel eis, prout decet & convenit, honeste serviri per totam terram suam. Si autem placuerit nobis seu nostris successoribus aliquo tempore intrare Provinciam, seu civitatem Arelatensem, tam comes quam comitatus & civitas & tota terra erit & erunt ad nostram fidelitatem & servitium, & mandatum, vel successorum nostrorum. Sane ne contra hanc nostram donationem vel confirmationem quis temere venire præsumat, vel aliquod rescriptum præsenti paginæ obviare vel refragari valeat, omni corroborationis munimine eam confirmamus. Veniens enim ad præsentiam nostram apud Taurinum Hugo de Baucio duo privilegia aureis bullis signata attulit, unum videlicet divæ memoriæ CONRADI regis dilectissimi patrui nostri, & aliud nostrum, in quibus continebatur, quod patruus noster & nos concessimus * & omnem terram quam tenebat quondam Guislabertus avus ejus & avia ejus. Occasione autem illorum verborum nitebatur probare marchiam & totum comitatum Provinciæ ab utroque sibi esse concessum. Cujus probationem, utpote frivolam & omni veritate vacuam, verborumque illorum injustam interpretationem, in præsentia principum & totius curiæ cassavimus, & quod comitatus Provinciæ seu marchia prædictorum privilegiorum auctoritate nullo modo ad præfatum Hugonem de Baucio spectare deberet, hac ratione promulgavimus. Ex uno quod regem CONRADUM dilectissimum patruum nostrum numquam oculis suis vidit, nec corporalem investituram alicujus terræ ab eo umquam susceperit. Ex alio vero, quia dum investituram alicujus terræ avi sui & aviæ suæ a nobis peteret, de comitatu vel marchia Provinciæ nullam mentionem fecit, neque nos eumdem comitatum, neque marchiam illo vel aliquo tempore ei concessimus. Si ergo prædictus Hugo de Baucio eadem privilegia ad reiterandum probationem suam pro obtinenda marchia vel comitatu Provinciæ aliquo tempore protulerit, frivola sit & omni vigore carens privilegiorum prædictorum interpretatio, quem nos supradicto illustri comiti RAYMUNDO specialiter & nominatim cum omni jure & honore concessimus, & præsentis privilegii auctoritate confirmamus, adhibitis idoneis testibus, quorum nomina sunt hæc, CUNRAUDUS Moguntiæ ecclesiæ electus. HERMANNUS Fardensis episcopus, UDO Cicensis episcopus, HERMANNUS Hildenesheimensis episcopus, UNICIO Vercellensis episcopus, HERMANNUS Herisfeldensis abbas, ERLEBOLDUS Stapulensis abbas, FRIDERICUS dux Suevorum filius regis Conradi, CONRADUS Palatinus germanus domini imperatoris, LADISLAUS dux Polonorum, ULDARICUS Boëmorum, ALBERTUS marchio Saxoniæ, OTTO Palatinus comes *Vvitelinesbach*, BURGARDUS castellanus Magdeburgensis, ULRICUS de *Huringen*, WILLELMUS marchio de Monteferrato, MENFRIDUS marchio de Wasto, HUGO magnus marchio de Wasto, Henricus *Vverze* de Wasto, HUM-

* f. eis

BERTUS comes de *Blandalron*, MARGUARDUS de *Grumbach*, GEBEHARDUS de Luchemberga, CONRADUS de *Balahusen*, RODOLPHUS dapifer, HERMANUS camerarius, BERTOLFUS triscamerarius, & alii quamplures.

Sig † num domni FRIDERICI Romanorum imperatoris invictissimi.

Ego RAYNALDUS archicancellarius & sanctæ Coloniensis ecclesiæ archiepiscopus recognovi.

Acta sunt hæc anno dominicæ Incarnationis MCLXII. indictione X. regnante domno FRIDERICO Romanorum imperatore gloriosissimo, anno regni ejus X. imperii vero VIII.

Datum apud Taurinum post destructionem Mediolani, XV. calendas Septembris.

EPISTOLA DECANI & capituli Silvanectensis ad Henricum comitem Trecensem.

Conventionem cum episcopo suo factam ratam habent.

Anno 1162. Ex ms. reginæ Sueciæ eruit Mabillonius.

DOmino suo HENRICO Dei gratia Trecensi comiti egregio Ibertus eadem gratia Silvanectensis decanus, Stephanus præcentor, Petrus archidiaconus, totumque ejusdem ecclesiæ capitulum salutem.

Querelam quæ inter nos & dominum nostrum Silvanectensem MAURICIUM (a) nomine, pro quibusdam hominibus S. Gervasii versabatur, compositione quadam audivimus terminari, & gavisi sumus; indeque vestræ pietati grates referimus. Porro modum compositionis præsentibus litteris inserere, nostrique sigilli impressione atque capituli subscriptione firmari curavimus. Statutum est inter nos, ut annis singulis idem episcopus noster & successores ejus episcopi prædictorum hominum capitalia habeant: cetera vero, id est mortuam manum, licentiam matrimoniorum, & alegia inter nos æqualiter dividantur: ita scilicet ut ipse episcopus & successores ejus medietatem habeant; nos autem & heredes nostri aliam medietatem habeamus. Statutum est etiam, ut super prædictos homines unum de ipsis, quem voluerint, majorem constituant, qui eis singulis annis capitalia & cetera quæ concessistis Silvanectum deferat, qui quamdiu majoriam tenuerit, liber ab omni consuetudine erit. Ipsi quoque qui post ipsum jubentibus episcopis successuri sunt, similiter liberi erunt. Pactus est etiam nobis idem episcopus assensu & voluntate nostra, quod nequaquam a nobis vel hæredibus nostris amplius aliquid exigeret, quam id per quod inter nos & ipsum pax & concordia facta est. Nos igitur hujusmodi compositionem seu conventionem a nobis & ecclesia perpetuo ratam illibatamque conservari decernimus. Signum Iberti decani, Signum Stephani cantoris, Signum Petri archidiaconi, Signum Ebronii, S. Johannis, S. Renieri, S. Gerardi presbyterorum, S. Gerardi, S. Adzonis, S. Guidonis, S. Nivelonis, S. Baldoini diaconorum. Signum Petri, Signum Guidonis, S. Remaldi, S. Johannis, S. Stephani, S. Bernardi, S. Petri, S. Odonis, S. Guillelmi, S. Fulberti, S. Matthæi, Signum Petri de Vallibus, S. alterius Odonis de Ponte. Actum apud *Dammartin*, anno ab Incarnatione Domini MCLXII.

EPISTOLA ADEMARI abbatis Bellæ-vallis ad priorem & conventum Aroasiæ.

Monasterium Bellæ-vallis Aroasiæ subjicit.

[b] Anno 1162. Ex codice Arroasiensi.

ADEMARUS Dei gratia Bellæ-vallis (b) minister humilis GERVASIO priori & universali fratrum Arroasiæ conventui fraternam cum dilectione salutem.

Noverit sanctum matris Arroasiæ collegium, quod ego ADEMARUS cum omnibus domus nostræ clericis & laicis fratribus, sicut justum erat, ordini Arroasiæ nos esse subjectos & institutionibus ejus obligatos recognovimus, & communi consensu concessimus, ipsumque Arroasiæ Lambertum, qui in capitulo præsens aderat, & socios ejus JOHANNEM abbatem & Jacob, in osculo pacis osculati sumus. Et ne hoc in posterum aliquis ausu temerario mutare præsumat, sub anathemate nostri & successorum nostrorum interdiximus, sigilli quoque nostri attestatione & abbatis Arroasiæ corroboravimus. Sciendum tamen est, quod præter subjectionem ordinis, nihil inde hinc exigetur, nisi quod fraternæ caritati convenientius alternatim debetur. Actum est anno Incarnati Verbi 1162. quarto nonas Decembris, prima dominica adventus Domini. Valete.

(a) Iste episcopus fugit diligentiam Sammarthanorum in sua Gallia Christiana, ubi locum habere debet inter Almaricum cujus episcopatus desinit in annum 1161. & Henricum, cujus primam mentionem faciunt anno dumtaxat 1169.

(b) Hoc Bellæ-vallis monasterium suspicor esse Bellamvallem diœcesis Remensis abbatiam ordinis Præmonstratensis, quæ primum institutum canonicorum regularium S. Petri-montis sub Rodulfo abbate suscepit, deinde Præmonstratense agente potissimum Philippo abbate Bonæ-spei, qui illud etiam in Petri-montis cœnobium inducere frustra tentavit.

EPIS-

EPISTOLA VICTORIS IV. antipapæ ad C. Moguntinum electum.

Commendat ei abbatem Corbeiensem, cui Vvervensem abbatiam regendam commisit.

Circa 1162. Ex ms. Corbeia nova.

VICTOR episcopus servus servorum Dei dilecto in Christo filio (a) C. Moguntino electo S. & A. B.

[a] Prædecessorum nostrorum vestigia imitati, abbatiam de *Vverve* ad jus & proprietatem B. Petri specialiter pertinentem, dilecto filio C. (b) Corbeiensi abbati regendam [b] custodiendamque commisimus, sperantes quod ejus prudentia, auctore Domino, accipiat incrementum. Verum quia comes Bobbo, qui ejus abbatiæ se asserit advocatum, cœnobium Wervense & præfatum abbatem variis inquietudinibus perturbare minatur, discretioni tuæ mandamus atque præcipimus, ut eum districte commoneas, quatenus ab abbatis & cœnobii infestatione quiescat. Quod si tuis parere commonitionibus contumaciter & superbe contemserit, canonica eum censura coërcere procures. Data Bisuntiæ III. idus Septembris.

CARTA FUNDATIONIS monasterii de Loya ordinis Grandimontensis prope Dordingam.*

* Dourdan.

Anno 1163.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Amen. LUDOVICUS Dei gratia Francorum rex. Noverint universi præsentes pariter & futuri, quod nos amore Dei & salutis animæ nostræ intuitu, dedimus & concessimus Bonis hominibus de Grandimonte locum de Loya cum nemore & terris, sicut fossatis undique cingitur & distinguitur, libere, quiete & pacifice possidendum. Homines etiam nostri de Granchiis omne jus quod habebant in nemore, quod infra prædicta fossata continetur, supradictis Bonis hominibus quitaverunt; quæ ut in perpetuum robur obtineant, scripto commendari & sigilli nostri auctoritate fecimus confirmari. Actum Stampis, anno Verbi Incarnati millesimo centesimo sexagesimo tertio. Data per manum Hugonis cancellarii.

DIPLOMA HENRICI II. EPISCOPI Leodiensis pro monasterio Walciodorensi.

Monachos Vvalciodorenses in ecclesia de Falemannia clericorum loco instituit.

Anno 1163. Communicavit reverendissimus abbas Walciodorensis.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. HENRICUS Dei gratia secundus sanctæ Leodiensis ecclesiæ sedis episcopus, universis ecclesiæ catholicæ Dei filiis tam præsentibus quam futuris. Quandocumque devotio sæcularium fidelium propter metum gehennæ, sive propter amorem æternæ vitæ, patrimonium JESU CHRISTI de suis possessionibus augent, ut reditus sæculares, possessiones ecclesiasticas faciant; dignum est illud ad futurorum notitiam scripto transmittere, ut veritate gestorum membranis & chartis rationabiliter affixa, donationes eorum inconvulsæ & inviolatæ permaneant, & memoria eorum quæ ex hoc beneficio perpetua esse meretur, alios ut itidem faciant, accendat. Ea propter, dilectissimi nobis in Christo, vestræ sinceritati notum facimus, quod veniens ad nos dilectus & familiaris nobis dominus ROBERTUS Walciodorensis abbas, donationes quorumdam fidelium, id est, ecclesiam de Falemannia quæ ab avis & proavis suis in jus & possessionem eorum obvenerat, sibi suisque successoribus, & ecclesiæ Walciodorensi perpetuo possidendam auctoritate nostra & sigilli nostri impressione roboraremus. Nos tam ejus quam eorum qui sua Deo dabant justis petitionibus pastoralitatis nostræ assensum præbuimus. Ecclesia siquidem Falemanniæ quatuor clericos vel præbendarios habebat, ad quorum spectabat victum vel vestitum tota & integra decima ejusdem villæ & atrii, tam intus quam foris, & quatuor cortilia cum singulis domorum sessuris & censu atrii, & triginta duobus quartariis terræ vel dotis cum ecclesia de Vesma, cum omni decimatione ejus, & census capitales servorum & ancillarum ad altare B. Genovefæ, quod est in eadem ecclesia Falemanniæ pertinentium. Solvebant vero annuatim hi quatuor clerici vel præbendarii, excepto jure episcopali quod debebat ecclesia Falemanniæ dominis suis, scilicet possessoribus fundi, eulogias, sive oblationes in Natali Domini, unaquæque sedecim denarios, quatuor panes quos (c) fogacias vocant, [c] quatuor gallinaceos, duos modios avenæ parvos, & his datis liberi erant, tam ipsi quam sui ab omni exactione. Acceptis enim his eulogiis vel oblationibus in Natali Domini, possessores domini fundi nullam precariam, nullam hospitationem, nullum placitum, nullam denique prorsus exactionem a clericis vel præbendariis his, vel mansionariis eorum, vel hominibus sanctæ Genovefæ exigere habebant: excepto quod si pro censu, vel decimatione, vel forisfacto aliquo quilibet in censura ecclesiastica & canonica justitia rebellis eisdem clericis existeret, & excommunicatus, nec sic satisfacere vellet, tum demum vice advocatorum rebelles & contradictores vi & potes-

(a) Christiano haud dubie, quem Fredericus imperator in sedem Conradi legitimi pontificis intrusit.

(b) Conrado, qui anno 1158. Vvibaldo abbati successit. Hinc emendandi Annales Corbeienses a Libnicio editi, qui Vvibaldi administrationem ad annum 1174. extendunt.

(c) Gallice *Fouace*.

tate ab injustitia comprimerent, & inde tertiam partem legum vel compositionis acciperent, unusquisque tamen in jure suæ partis. Dederat ergo de omni hac summa tempore prædecessoris mei domni OTBERTI episcopi divæ memoriæ, ad altare B. Mariæ semper Virginis, quod est in Walciodoro, & eidem ecclesiæ GERULFUS vir nobilis, & uxor ejus BERLENDIS, & filii eorum HERIBERTUS & WINANDUS medietatem primæ præbendæ, hoc est ejus qui investitus dicitur, quartam partem ejusdem ANSELMUS de Falemannia utraque linea generosi sanguinis ingenuus, domni (a) HILLINI Trevirorum venerabilis archiepiscopi carne germanus, & consanguineorum nostrorum ANSELMI & GODEFRIDI pater. Godefridus & Theodericus filii Engelberti ejusdem ecclesiæ servi reliquam quartam partem; de secunda præbenda tradiderunt idem ANSELMUS ad eamdem B. Mariæ semper Virgini medietatem. Item Godefridus & Theodericus filii Engelberti aliam medietatem: de tertia rursus ANSELMUS prænominatus medietatem, Theodericus de *Bullun* & uxor ejus Mathildis aliam medietatem: de quarta Ascela de *Daules* matrona honesta duas partes; item Anselmus medietatem tertiæ partis, Theodericus de *Bullun* jam dictus, item cum uxore sua Mathilde alterius tertiæ partis medietatem. Quia vero ANSELMUS prænominatus & filius ejus idem ANSELMUS noster consanguineus aliquam cum comite Namurcensi HEINRICO conventionem habebat, in manus comitis resignantes, per manus ejus has donationes fecerunt, prætitulato jure advocati suarum partium sibi retento. Testes autem hujus traditionis............. eorum liberi homines, Johannes de *Daulés*, Walterus & Godefridus de Verina...... de Noüilla, Theodericus *de Fain*, Arnoldus...... nus de *Orchimont*. Theodericus quoque de *Bullun* & Mathildis uxor ejus, nostri utique castellani, per manus Johannis *de Fain* & Heribrandi & Franconis fratrum de Onhaia in monasterio Walciodorensi sua legitime B. Mariæ semper Virgini tradiderunt, Ascela nihilominus sua per manus Anselmi prædicti & filii ejus Anselmi consanguinei nostri, Godefridus & Theodericus filii Engelberti sua per manus item Theoderici *de Fain* & Johannis fratris ejus, & Herbrandi & Franconis fratrum; habitationes etiam suis ab avis & proavis sibi dispertitas fideles isti exceptis sessuris præbendariorum suis beneficiis contradendo addiderunt. GERULFUS quidem & BERLENDIS uxor ejus, & filii eorum supranominati GODEFRIDUS & THEODERICUS fratres in dextera parte ecclesiæ secus turrim loca ædificiis vacua; in sinistra vero parte ejusdem turris ANSELMUS prædictus & filius ejus ANSELMUS ambitum muralem & domos interius dirutas, sed usui commodo aptas; Ascela vero religiosa matrona juxta hæc, sive infra domum lapideam; Theodericus & Mathildis uxor ejus de *Bullun*, quæ ibi habebant loca concesserunt, exceptis his, GERULFUS cum uxore & filii ejus prænominati partem allodii, scilicet octavam partem quam in eadem villa Falemanniæ habere videbantur, jam pridem possidendam concesserant. Quæ omnia quia ecclesiæ Dei & B. Mariæ, quæ est in Walciodoro super fluvium Mosam sita, legitime, ut sæpe dictum est, tradita sunt, ordinatione prædicti abbatis corrigenda, melioranda, congreganda & conservanda dignum duximus, tam justæ tam sanæ petitioni donantium & suscipientium aurem inclinare, & pro respectu & amore vires quas possumus, & robur ecclesiasticæ auctoritatis devotionibus eorum addere; principium siquidem devotionis ipsorum fuit, ut ecclesia Falemanniensis, quæ jacturam in multimodis a suis præbendariis patiebatur, eo modo sublevaretur; quatenus loco clericorum, ad honorem Dei & utilitatem atque meliorationem ejusdem ecclesiæ monachi substituerentur. Nos vero benevolentiam & voluntatem nobilium considerantes, pro redemptione animæ nostræ, & nostrorum successorum, de nostra parte abbati Walciodorensis ecclesiæ suisque successoribus investituram atque presbyteratum ipsius Falemanniensis ecclesiæ in perpetuum detinendam tradimus. Concedimus igitur hæc omnia causa Dei, & amore B. Mariæ, & episcopali auctoritate roboramus & confirmamus. Petitione præterea prædicti abbatis donativum quoddam, quod GERARDUS vir nobilis de Rovonia ex familia & allodio suo & ex omnibus quæ possidebat in Gedinia, scilicet octavam partem, ad præfatum Walciodorense altare pro redemptione animæ suæ cum testimonio nobilium nobiliter tradiderat, nihilominus concedimus & confirmamus. Dantibus igitur & conservantibus Dei omnipotentis imploramus, & imploratam a Deo damus benedictionem; eis autem qui hæc auferre, minuere, vel quolibet modo ab ecclesia Walciodorensi alienare tentaverint, perpetuam a Deo summo, nisi resipuerint, & digne satisfecerint, maledictionem & excommunicationem. Et hæc omnia sigilli nostri astipulatione firmari, muniri & insigniri fecimus. Acta sunt hæc anno Domini MCLXIII. indictione XI. septimo idus Junii apud Dionantum, anno XII. regni, imperii vero domni FREDERICI imperatoris VIII. præsulatus nostri anno XIX. ordinationis domni ROBERTI Walciodorensis ab-

(a) Hillinus tamquam vir litteratus & prudens ab Ottone Frisingensi laudatus anno 1152. Trevericæ ecclesiæ sedem occupare cœpit.

batis anno XII. Testes hujus confirmationis Balduinus ejusdem diœcesis archidiaconus, HERLANDUS abbas Floreffiensis, Henricus de Jacia Leodiensis canonicus, Robertus Dionantensis præpositus. De liberis hominibus Theodericus *de Bullun*, Anselmus de Falemannia, qui hanc donationem fecere, Lambertus de *Hoiou*, & alii multi tam clerici quam laici.

A

INSTITUTIO SUCCENTORIÆ in ecclesia Meldensi.

B

Anno 1163. *Ex cartario Meldensi.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Quæ in ecclesia Dei pia prælatorum devotione laudabiliter ordinantur, digna sunt scripto commendari; tam ut res ipsa imitandi præbeat aliis incitamentum, quam ut cauta scripti definitio præcisis calumniæ occasionibus conservet rei tenorem inconcussum. Noverit itaque generatio præsens & futura, quod ego STEPHANUS Dei patientia Meldensis episcopus, consentiente pariter & coadjuvante capitulo, in ecclesia beatæ semperque virginis Mariæ & protomartyris Stephani succentorem constituimus, decorem domus Dei & ecclesiastici commoditatem servitii attendentes. Nos succentori quadraginta solidos in perpetuum concessimus in censu Meldensi ac censu Vinclolii assignatos. Sub hac vero distributione ab episcopo annuatim persolvendos, ut dimidium in festo sancti Remigii, reliquum dimidium in nativitate Domini reddatur. Capitulum quoque in suis apud Pontem Muchræ reditibus quadraginta dedit solidos in epiphania Domini perpetuo solvendos. Cantor quoque ex consensu nostro & voluntate in propria cantoriæ præbenda ei xx. sol. assignavit, in festo S. Remigii, & in nativitate Domini per duas medietates reddendos. Facta est itaque summa reddit.um succentori c. solidi. Exigendum est autem a succentore ex debito officii, ut in ecclesiæ servitio sit assiduus, & quæ ad suum dinoscuntur pertinere officium diligenter administret. Concessum est etiam & firmatum conniventia universi capituli, ut episcopus sicut cantorem ita succentorem libere penitus & absque consilio capituli habeat substituere. Hoc igitur a nobis, capitulo & cantore in nomine sanctæ Trinitatis constitutum, quod funiculus triplex difficile rumpitur, tribus quoque confirmatum est sigillis, præsenti pagina impressis, nostro videlicet sigillo, sigillo capituli, & sigillo cantoris. Actum est solemniter in communi capitulo anno ab Incarnatione Domini MCLXIII. nobis præsentibus, assistentibus pariter assentientibus subter adscriptis personis Willelmo decano, &c.

EPISTOLA AYMERICI patriarchæ Antiocheni ad Ludovicum regem Francorum.

Relata Turcorum in Christianos victoria, ipsius implorat auxilium.

ANno ab Incarnat. Domini MCLXIIII. missa est hæc epistola a patriarcha Antiochiæ regi Francorum Ludovico, ita se habens. Anno 1164. *Ex ms. Marchianensi.*

AYMERICUS Dei gratia sanctæ sedis apostolicæ Antiochiæ patriarcha LUDOVICO regi Francorum illustri, salutem & patriarchalem benedictionem.

Regiæ majestati decebat nos semper læta scribere, & splendorem pectoris ejus verborum splendore & dilectione fovere. E contrario autem semper factum est nobiscum. Continuæ quippe sunt occasiones flebiles, continuus dolor & gemitus, nec possumus loqui, nisi in quibus versamur. Sic enim vulgo dicitur, ubi dolor ibi lingua & manus. C Mortes Christianorum frequentes & captivationes, quas quotidie videmus, consumtio etiam orientalis ecclesiæ, inenarrabili nos affligunt dolore, qui ad internecionem penitus excruciati, in amaritudinibus animæ viventes morimur, & amariorem morte vitam ducentes, ad cumulum miseriarum nostrarum ex toto non possumus mori, nec est qui recogitet in corde suo, & clementia motus manum porrigat ad sublevandum. Sed ne verbis diutius immoremur; perrarus qui apud nos est populus Christianorum, una nobiscum ad vos clamat, clementiam vestram præeligens, quæ post Deum sufficiat nos & D ecclesiam Dei in Oriente liberare. Et ut ordo rerum circa nos gestarum ex toto notus sit vobis, quadragesima quæ proxima præterit, quidam de hominibus illis qui circa nos sunt inter Sarracenos major habetur & christianitatem nostram super omnes qui longe ante fuerunt oppressit, princeps militiæ ejus & Damascum procurans, qui possessurus cum ingenti Turcorum manu intravit Ægyptum. Rex igitur Ægypti, qui & Soldanus Babyloniæ dicitur, de sua suorumque virtute diffidens, adversus supervenientem E gentem Turcorum bellicosissimam consilium habuit quocumque modo posset regem Jerusalem quærere adjutorem, sapienti usus consilio, malens regnare sub tributo, quam spiritu privari simul & regno. Ille igitur, ut diximus, ingressus est Ægyptum, & quibusdam terræ illius sibi faventibus, civitatem quamdam occupavit, quam & munivit. Interea Soldanus cum domino rege pactionibus agens, de persolvendo omnibus annis tributo, de captivis Christianis omnibus liberandis ex Ægypto, dominum regem auxiliatorem suscepit. Qui instante articulo

profectionis suæ nobis & novo principi nostro cognato suo BOAMUNDO, illius RAYMUNDI principis filio, in reditum usque suum tam regni sui quam & terræ commiserat curam. Magnus itaque ille Christiani populi interfector, e vicino nobis positus, collectis undique infidelium regibus & populis, volens licentius transire ad depopulandum regnum Jerosolymitanum, ut quam posset opem ferret homini suo in Ægypto laboranti, principi nostro pacem & trevias obtulit, multotiensque requisivit, nec fuit principis consilium usque in domini regis reditum illi de pace adquiescere. Cum igitur videret quod proposuerat se explere non posse, fremebundus in nos arma convertit, & quoddam castellum nostrum *Harenc* nomine, duodecimo ab urbe nostra milliario distans obsedit. Obsessis autem ad nos jugiter clamantibus, qui circiter septem millia erant inter bellatores, mulieres & infantes, nec cessantibus diu noctuque, ut misereremur eorum, die etiam designato ultra quem tenere non possent, contractis undique viribus, princeps noster die sancti Laurentii egressus, Antiochiam usque ad castellum, salvis omnibus qui cum eo erant, perrexit. Turci vero, sicut sunt callidi, obsidionem dimittentes, non longe a castello inter angustias locorum in terra sua substiterunt. Altera autem die nostri ad id locorum Turcos insecuti, cum se non satis sapienter agerent, commisso prælio terga dederunt, adeoque infeliciter pugnatum est, ut nullus ex nobis fere evaderet alicujus nominis, nisi quem fortitudo equi, aut casus aliquis de tumultu illo eripuit. Retentus est princeps, retentus est & comes Tripolis, quidam Græcus etiam Calamannus magni nominis dux Mamistiensis, HUGO DE LESINIANO, fratres Templi & Hospitalis aliqui, qui de terra Tripolis cum comite venerant: detruncati alii, alii capti, de populo nullis aut perraris salvatis, ad summum penitus consumtis hominibus, & equis, & armis. Post Christianorum stragem, ad castellum prædictum Turci revertentes, illud obtinuerunt, ex pactione debilem multitudinem tam mulierum quam infantum & vulneratorum usque Antiochiam perducentes. Qui postmodum ad urbem accedentes, totam terram pervagati sunt, usque ad mare in ore gladii, & igne circa omnia, quæ in oculis eorum fuerunt, pro libitu tyrannidem exercentes. Testis est Deus, quia reliquiæ, quæ remanserunt nobis, minime sufficiunt diurnis nocturnisque excubiis murorum, quorum custodiam etiam eis quos suspectos habemus, ex penuria hominum tradimus & tutelam: portas, relicto ecclesiarum usu, clerici & presbyteri custodiunt; nos ipsi murorum vigiliis surgentes insistimus, fracturas eorum ex terræ motu multas in multo labore quo-

A modo possumus, sine intermissione reficimus: & hoc totum frustra, nisi benigniori vultu nos respexerit Deus, neque enim speramus diu subsistere, attendentes virtutes hominum hujus temporis deperiisse & nullas esse; sed hoc facimus, ut quicquid potuit fieri, intentatum non fuerit a nobis. Super omnia in hoc nos inducit sola anchora, quæ relicta est spei nostræ, quod ab omnibus audivimus de magnitudine vestra, quia semper hæc ad nos anhelans super reges occidentis universos in ore habeat orientem. Unde datur intelligi nobis, quia
B non erit gaudium vestrum plenum, donec impleveritis, quod aliquando propter merita nostra non est datum nobis, & est nobis spes, quod in manu vestra visitabit Dominus populum suum, & miserebitur nostri. Ingrediantur in aures summi & incomparabilis principis suspiria & gemitus Christianorum, pungant cor ejus tormenta & dolores captivorum. Et ne longius modum excedamus epistolæ, aut sub expectatione hac vana deficiamus, umbraque mortis diutius consumamur, rescribere nobis & respondere dignetur majestas regia placitum suum,
C & non erit nobis grave quicquid in verbo ejus sustineamus. Augeat dominus JESUS CHRISTUS in corde regis desiderium quod desideramus, ut accendat illud in cujus manu corda sunt regum. Amen. (a) [a]

EPISTOLA ALEXANDRI papæ III. ad monachos Vedastinos.

Ut in electione abbatis ex gremio, non extraneam eligant personam.

ALEXANDER episcopus servus servorum Dei dilecto filio (b) M. abbati &
D fratribus ecclesiæ S. Vedasti salutem & apostolicam benedictionem. *Anno 1165. Ex ms. Vedastino.* [b]

Congruam officii nostri exequimur actionem, si sacrosanctis ecclesiis, quarum cura & sollicitudo nos respicit, propter diligentiam dependimus, & eis a nocituris in posterum præcavemus: quia vero in substitutione pastoris multa est consideratio & providentia adhibenda, volumus atque mandamus, ut vacante ecclesia vestra pastore, donec inter vos aliqua persona exstiterit, quæ ho-
E nestate ac scientia præemineat, & ad regimen & gubernationem ipsius monasterii noscatur idonea, eam in pastorem & abbatem vestrum pari voto assumere studeatis, nec extraneam eligatis, dummodo communiter in ipsam concordetis. Porro vobis auctoritate apostolica indulgemus, ut feuda & possessiones & decimas ecclesiæ vestræ,

(a) Alias ejusdem argumenti epistolas habes apud Chesnium ad calcem tom. 4. Hist. Francorum.

(b) Martino qui circa annum 1155. abbas creatus, pluribus annis Vedastinum monasterium administravit.

ne ipsi ecclesiæ culpa possint detinentium A deperire, liberam habeatis recipiendi in pignore potestatem. Sane quoniam Romana ecclesia jura quæ in aliis ecclesiis habebat incuria prælatorum sæpe amittere consuevit, tam tibi fili abbas, quam successoribus tuis, præsentium auctoritate præcipimus, & modis omnibus inhibemus, ne alicui archiepiscopo vel episcopo absque conscientia & licentia Romani pontificis ullam subjectionem vel obedientiam promittere attentetis. Datum Senonis idus Januarii.

CARTA HENRICI COMITIS Trecensis, de moneta Meldensi ab eo falsata.

Anno 1165. Ex cartario Meldensi.

EGo HENRICUS Trecensis Palatinus comes universis & præsentibus & futuris notum facio, quod orta discordia inter me & dominum Meldensem episcopum STEPHANUM, monetam Meldensem similem feci in terra mea, unde ipsa Meldensis moneta deterior & vilior facta est. In quo cum me errasse cognovissem, erratum volens corrigere, super sanctas reliquias juravi, quod Meldensem monetam nec bonam nec falsam deinceps fieri faciam, aut fieri permittam, nec aliquo modo deteriorabo vel deteriorari sustinebo in posse meo; sed cum Pruvinensi & Trecensi moneta eadem lege & eodem pondere per comitatum Pruvinensem & Trecensem, * & in toto posse meo bonam vel falsam eam fecerit vel deterioraverit, exinde judicium faciam, sicut de Trecensi vel Pruvinensi moneta. Hoc autem manifestum esse volo, quod Meldensem monetam nec debeo nec possum mutare aut alleviare; sed cum prædictis monetis meis eadem lege, sicut dictum est, & eodem pondere per comitatum Pruvinensem & Trecensem, & in toto posse meo, ut currat, & omnino sine cambio accipiatur facere debeo. Juraverunt etiam ex mandato meo tres barones mei, videlicet ANSELLUS buticularius, HUGO DE PLANCEIO & ODO constabularius, quod nec consensu nec consilio eorum super his aliter quam hic scriptum est, faciam. Immo si me aliter velle facere præsentirent, dehortationibus & quibuscumque possent precibus ne facerem impedirent. Quod ut memoriter & ratum teneatur, litteris annotatum sigilli mei impressione firmavi sub testibus istis &c. Actum hoc publice in palatio meo Pruvini, anno ab Incarnatione Domini MCLXV. Data per manum Guillelmi cancellarii.

* hic videtur aliquid deesse.

CARTA STEPHANI COMITIS Sacri-Cæsaris, de moneta Meldensi.

Ex cartario Meldensi.

EGo STEPHANUS Sacro-Cæsariensis dominus universis & præsentibus & futuris notum facio, quod sicut dominus & frater meus comes HENRICUS in litteris suis jus ecclesiæ suæ Meldensis recognovit, hoc scilicet quod Meldensem monetam nec mutare, nec alleviare, nec aliquo modo B deteriorare debet; sed cum monetis suis Pruvinensi & Trecensi per comitatum Pruvinensem & Trecensem & in toto posse suo ut currat & accipiatur, facere debet. Sic & ego recognosco, & litteris meis sigilli mei auctoritate roboratis confirmo. Hujus rei testes sunt, &c. Datum per manum Odonis clerici mei.

CARTA ANSOALDI ABBATIS Compendiensis.

De Philippo regis fratre Compendiensis ecclesiæ thesaurario.

Anno 1166. Ex cartario Meldensi.

C IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego ANSOALDUS Dei patientia Compendiensis ecclesiæ humilis minister, notum fieri volumus tam præsentibus quam futuris, quod inter Meldensem episcopum & thesaurarium Compendiensis ecclesiæ dominum videlicet PHILIPPUM, fratrem regis, diutina fuerat controversia de quadam annona, quam præfatæ Compendiensis ecclesiæ matricularii in decima Nantholii accipiebant. Siquidem Meldensis episcopus illam saisierat, quia erat de suo feodo, & prænominatus thesaurarius ei hominium inde facere nolebat. Prædicta igitur contro- D versia in hunc modum compositionis est terminata. Abbas Compendiensis in cujus manu thesauraria devenit, quia hominium facere non potest Meldensi episcopo, annuatim ei persolvet in festo B. Stephani mense Augusto decem solidos illius monetæ, quæ in villa Compendiensi publica fuerit moneta: de qua videlicet publicum in villa vendendo & emendo fiet commercium; matricularii vero suam libere habebunt annonam. Actum apud Compendium anno Incarnationis Verbi MCLXVI. Testes interfue- E runt Willelmus, &c.

CARTA LUDOVICI VII. REGIS Francorum pro ecclesia Matisconensi.

Adversus Girardum comitem Viennensem.

Anno 1166. Ex ms. Colbertino.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Amen. Ego LUDOVICUS Dei gratia Francorum rex. Per longam regum absentiam,

A sine disciplina & fræno justi regiminis longo tempore dissoluta fuit terra Burgundiæ, & illis qui in terra erant alicujus potentiæ, licuit impune & inter se decertare & pauperes opprimere, & ecclesiarum bona vastare. Nos propter tantam indignati malitiam, & zelo Dei commoti, terram Burgundiæ cum copiis regni intravimus, obtentu faciendi vindictas, & reformandi pacem in patria. Notum itaque facimus universis præsentibus & futuris, quod cum sederemus Cabilonis ad judicandum super negotiis, & ad cognoscendum causas diversas; B inter alia audivimus querelam ecclesiæ Matisconensis contra comitem GIRARDUM Viennensem, & ipse non potuit asserere se super ecclesiam aliquid juris habere, sive in episcopi, sive in capituli terris atque hominibus. Cognovit in plena curia jam dictus comes GIRARDUS, quod vacante sede post mortem episcopi Matisconensis nihil omnino habet in domibus episcopalibus, atque in terris ad episcopum pertinentibus, neque in rebus mobilibus. Prefessus est terras ecclesiæ prorsus esse liberas, & affirmavit quod in villis clericorum nec procurationes sive hospitationes, neque alias habet consuetu- C dines; & quod exactiones in terris ecclesiæ amodo non faceret, fidem manualiter dedit & juramento firmavit. In villa tamen Vinriaci in qua asserebat ex comitatu se nihil habere, sed dominum Miribelli aliquas consuetudines in ea habuisse probare posset, illas non remisit, & donec cognitæ essent pacem promisit. Quod ut cognitum sit & ratum, in posterum præsentem paginam sigillo nostro muniri præcipimus, subtus inscripto caractere nostri nominis.

Actum publice Cabilonis anno Incarnati Verbi MCLXVI. regni vero nostri XXIX. astantibus in palatio nostro quorum appo- D sita sunt nomina & signa. Signum comitis THEOBALDI dapiferi nostri, Signum GUIDONIS buticularii, Signum MATHÆI camerarii, Signum RADULFI constabularii.

STEPHANI ROTOMAGENSIS monachi Beccensis carmen elegiacum de Waleranno comite Mellenti.

Anno 1166. Ex ms. S. Germani à Pratis.

EMicat hic magni laus, gloria, mors (a) GALERANNI.
[a] Flos comitum, decus imperii, vis maxima belli,
Militiæ splendor, sensus acutus obit.
Jura necis violenta fremunt dulcedine pomi,
Si dulcedo fuit, pestis amara lues.
Nam neque rex, nec opes, neque vis, neque gloria mundi,
Hanc superare queunt; sed sibi cuncta favent.
A sapiente nequit stultum discernere, cunctos
Dum sibi substernit, commonet esse pares.
Legis tam diræ vim quis depellere possit,
Summa Patris proles cum favet ipsa neci?
Ut nasci natura dedit, sic culpa parentis
Primi dat soboli non nisi jure mori.
Mors igitur generale cahos desævit in omnes,
Parcere dum nescit, fortia quæque rapit.
Parvos sic minimis, humiles conferre superbis
Audet, & in proprium jus sibi nata trahit.
Hanc subit, immo terit probitatis laus GALERANNUS,
Vincit & invictus fortia jura necis.
Nam virtute polum conscendit, & infima linquit,
Cujus vita manet vita beata Deus.
Hic de stirpe satus comitum regumque propinquus,
Quos sensu superat, moribus, ense, throno.
Hos sequi probitate parum sibi computat esse,
Vult superare duces, nescit habere parem.
Hic Paris in facie, statura Nestor, Ulixes
Consilio, belli viribus Hector erat.
Crœsus divitiis, in causis Quintilianus,
Eloquio Cicero, versibus ipse Maro.
Sic ortu, lingua, sensu, virtute, triumphis.
Forma, rebus erat splendidus absque pari.
Huic conjux speciosa satis, par nobilitate,
Moribus, ingenio, sanguine, corde, fide.
Hæc comitem comitissa parit comiti sociata,
In nati speciem parturit ipsa patris.
Hic animis idem, sensu, studiis, feritate,
Sensibus, eloquio, munere, mente, manu.
In cunctis similis, si solum par foret ætas,
Quam natura dabit, si sibi fata sinant.
Sunt alii nati magni probitate futuri,
Si tamen in patriis moribus ire juvat.
Ex his degenerat nullus virtute, nec actu, E
Quisque sibi nomen comparat inde novum.
Par species, par nobilitas, par fervor in illis,
Par opus & studium, par pietatis amor.
Sic pater in natis ut vivens fulget imago,
Si prolem videas, conspicis ipse patrem.

(a) Hujus Galeranni non semel mentionem facit Ordericus Vitalis, sed præsertim lib. 13. Hist. eccl. ad annum 1136. ubi hæc habet: *Tunc Stephanus rex* [Angliæ] *filiam suam biennem Galeranno comiti de Mellento in cunabulis dedit.*

In natis partitus adest, manet unus in illis,
Deserit hic totum se probitate virum.
Quam fragilis mundi sit amor, sit gloria fallax,
Is radio mentis dum videt, inde cavet.
Inspexit quid honos, quid opes, quid gloria mundi,
Quid sit homo, quid erit, quid sibi morte manet.
Ut fumus vanescit honos, ut spuma liquescit,
Transit deficiens, ac velut umbra fugit.
Morte cadens quid opum secum deferre valebit?
Egreditur nudus, dic ubi cæcus abit?
Doxa tibi mundi quid erit sine numine cœli?
Pompa nitens oculis vana fit ante Deum.
Vile lutum conceptus homo, natus caro, terra;
Vita functus erit vermibus esca, cinis.
Morte manet sibi pro vitiis usura gehennæ,
Pro virtute salus, gloria, vita, quies.
His igitur senis vigilanti corde notatis,
Terrea contemnit, cælica sola petit.
Linquit opes, calcatur honos, nec gloria mundi
Jam sapit, immo cadit, nec cadit, immo perit.
Sese cernit humum, vermen, ciueremque futurum.
Horret supplicium, certat habere polum.
Distribuit, linquit, contemnit cuncta, subitque
Mite jugum Christi corpore, corde pio.
Consul, nunc monachus, dives, nunc pauper inanis,
Quam sit honor mundi cernere quisque valet.
Dic ubi deliciæ, regalia fercula mensæ,
Nectarei potus, præcipuique cibi,
Vas auro gemmisque nitens, trabeatus in ostro
Discolor ornatus, multus ubique cliens,
Aureus in faleris equus, ardens splendor in armis,
In bellis resonans militis alta manus.
Aere suspensæ turres fastigia muri,
Cælatus thalamus, mænia, tecta, domus.
Condensus nemorum saltus, cantusque volucrum,
Vulpis flexibilis, dente timendus aper.
Cornibus horrendus cervus, capreæque veloces,
Damula diffugiens, cæcus in ante lepus.
His canis infestus concursu, dente, latratu,
Cujus & attractus naribus arcet odor.
Hinc avium jactus, sustollitur ardea, scandit

A Accipiter, jaculi dum cadit instar habet.
Fluminis anfractus sileo, tractusque marinos,
Floribus & pratis fontibus instat amor.
Quid vitis geminas, quid vites, quid botriones?
Fructibus innumeris stat species & odor.
Prætereo carius dominetur quanta voluptas,
Quæ magis ardescit, qui minus ipsa patet.
Cetera quid referam præsentis gaudia vitæ,
Quæ genus humanum suscipit, ardet, amat?
B His oaro lascivit, lætatur, servit, obedit.
Talibus & finem credit inesse boni.
Accidit hoc, quia cæca Dei cognoscere lumen
Nescit, & in tenebris stat sibi mortis iter.
Pulvere terreno visus fœdatus ad alta
Vix aciem tollit, pressus ad ima ruit.
Hæc contemplatus GALERANNUS spernit amena,
Delitias, & opes, dulcia quæque soli.
Nomine, veste, loco, victu, sermonibus, actu,
C Jura subit monachi, sicque beatus obit.
Conservat cineres (a) Pratellum, cælica mentem, [a]
Vivet hæc Christo consociata sibi.
Nec mirum reputetur ei, qui cetera finxit,
Spiritui limum si reparare queat.
Est igitur locus hic qui tanti continet ossa,
Fratribus ornatus, relligione potens,
Vallis amœna satis, nemorosis frondibus ampla,
Ut fessos relevet, sufficit ipsa sibi.
Nobile cœnobium tenet, ambit, servat, adornat,
D Obsequiis dignis inclyta membra viri.
Fontibus irriguis, florentibus undique pratis,
Ex re nomen habet, quod locus ipse fovet.
Hoc hujus proavi fundarunt, busta retentat
Testanturque locum sumtibus esse suum.
His comitum speciale decus junctus GALERANNUS,
Ceu stellæ radius, clarus in orbe micat.
Immortalis enim fama, virtute, triumphis,
Vivit, non moritur, nec perit, immo manet.
Obvius occurrit Christo jam glorificatus,
E Ut sibi sit requies, gloria, vita, Deus.

(a) Pratellum monasterium ordinis S. Benedicti in diœcesi Lexoviensi, ab Hunfredo de Vetulis fundatum. Ibidem jacet Galerannus, qui sumto in extremis habitu monastico obiit anno 1166. 5. idus Aprilis ætatis suæ 61.

EPISTOLA STEPHANI Rotomagensis ad Gislebertum.

Mittit ei sua carmina.

Ex eodem ms.

Gaudet amor verus carum dum novit amicum,
Innatum multis si cor non gestat iniquum;
Sensus enim noster veros discernit amicos.
Lex naturalis compellit amare propinquos:
Est vigor interior mentem qui fallere nescit,
Bisso splendidior, dum lux sibi vera patescit,
Ex vi naturæ te sic compellor amare,

Rebus secure poteris quod & ipse notare,
Te licet ignotum vultu, circumfero totum;
Omne bonum cupio teneas, talis tibi fio.

Signa quidem mentis sunt talia verba loquentis;
Testanturque meum tibi cor seu vasa liæum:
Exponunt mentem ceu flosculus efflat odorem,
Promunt ardorem de pectoris igne calentem;
Hos tibi transmitto versus in pignus amoris,
Ast velut est moris, alios te mittere scito,
Notus cum mihi sis, volo discere carmine quis sis:
Velle meum mulcebit carmen, quod mihi dulce,
Suscipito munuscula quod dat avus tuus unus.

Sint tibi dulcia, nec tibi vilia conspiciantur,
Aspicis intima, quæ tibi proxima jam sociantur.
Littera pingit, quod tibi stringit, carmen amantis,
Vis ea mentis, quam tibi sentis dona tonantis.
Te pietas simul & bonitas æterna coronet.
Exterius rigat, interius cælestia donat:

Metam nunc pono, cognato me tibi dono.

EPISTOLA ALEXANDRI PAPÆ III. ad abbatem & monachos Vedastinos.

Ne obedientiam alii quam Romano episcopo promittant.

Circa 1169. Ex ms. Vedastino.

ALEXANDER episcopus dilectis filiis abbati & fratribus S. Vedasti, salutem & apostolicam benedictionem.

A memoria nostra non excidit, qualiter frater noster (a) A. Attrebatensis episcopus, cum in nostra esset olim præsentia constitutus, quibusdam de fratribus vestris præsentibus super obedientia sibi ab ecclesia vestra præstanda quæstionem movit, sed nos privilegiis ecclesiæ vestræ diligenter ac studiose inspectis, ex eorum tenore perpendere nullatenus potuimus, quod tu fili abbas, alicui præterquam Romanæ ecclesiæ obedientiam debeas exhibere. Unde quoniam præfatus episcopus quæstionem suam non est postea persecutus, & indignum est quod cum alii abbates extra diœcesim Attrebatensem morantes, quorum ecclesiæ ad Romanum specialiter non spectant pontificem, episcopo Attrebatensi pro ecclesiis quas in parrochia illius habent, obedientiam nullam promittant, tu fili abbas, ei alicujus obedientiæ promissione tenearis, per apostolica tibi scripta præcipiendo mandamus & districte inhibemus, ut nulli archiepiscopo vel episcopo præterquam Romano pontifici obedientiam vel subjectionem aliquam ulla ratione promittas, vel exhibere attentes. Vobis autem, filii monachi, firmiter & districte auctoritate præsentium injungimus, ut abbatem vestrum, qui pro tempore fuerit, nulli umquam archiepiscopo vel episcopo præterquam Romano pontifici obedientiam vel subjectionem aliquam promittere sustineatis, præsertim cum ecclesia vestra ad Romanam solummodo spectet ecclesiam, & nulli alii jure parochiali subsistat. Datum Beneventi XIIII. calendas Februarii.

CARTA HENRICI COMITIS Trecensis, de dono quod fecit Petrus de *Oisni* abbatiæ Vallis-Serenæ.

Anno 1169. Ex ms. Colbertino.

IN nomine, &c. Sicut officium est caritatis &c. Ego itaque HENRICUS Trecensis comes Palatinus perpetuæ litterarum commendo memoriæ, quod Petrus de *Oisni* dedit in eleemosynam ecclesiæ Vallis-Serenæ terram ad quinque modios sementis apud *Oisni* absolute & perpetuo possidendam, eo quod prædictæ ecclesiæ fratres duas ejus

(a) Andreas ex abbate Vallium-Sarnaii ordinatus episcopus Attrebatensis obiit 1171.

[a] ejus filias in religionis suæ (a) consortio collegerunt. Aliam quoque partem terræ suæ ad septem modios, terram etiam circa medium Fulcheretum & campum Villerii concessit prædictis fratribus perpetuo ad terragium excolendam. Partem insuper aliam ad tres modios dedit eis in perpetuum, ea quidem ratione, quod fratres eam excolerent: in seminando vero Petrus medietatem seminis dabit, & in collectione frugum terragio suo separatim accepto, totius reliqui medietatem accipiet. Concessit præterea in eleemosynam eidem ecclesiæ ad ædificandum domum, sedem, & fundum & clausuram ejus apud *Oisni*. Præterea nemoris & totius villæ commoditates quæ vulgo *aisances* dicuntur, pro amore Dei ad ipsam ecclesiam, & ad nutrimentum animalium suorum libere & perpetuo habere concessit; usuarium etiam nemoris concessit ad omnes necessitates tam ipsius abbatiæ, quam aliorum locorum omnium sibi appendentium, ea quidem conditione, quod non liceat fratribus vendere illud vel donare. In omnibus porro his quæ ipse Petrus sæpedictæ ecclesiæ in eleemosynam contulit, uxor ejus Helisandis & filii Petrus & Aszo: ego quoque HENRICUS comes omnibus assensum præbui, de cujus feodo hæc omnia descenderunt. Testes sunt DODO abbas Vallis-se-[b] renæ, GARINUS abbas (b) Loci-restaurati, Guillelmus cancellarius, Baldus *de Guazeran*, Drogo Bristandus, Ertandus de Nogento. Actum anno Domini MCLXIX. Datum per manum Guillelmi cancellarii apud castrum Theoderici.

CARTA MATTHÆI COMITIS Boloniensis pro monasterio Branensi.

Halecum decem millia singulis annis donat.

Anno 1171. *Ex cartario Branensi.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Notum sit omnibus tam futuris quam præsentibus, quod ego MATTHÆUS Boloniæ comes dedi in eleemosynam ecclesiæ beatæ Mariæ, sanctique Evodii de Brana, decem millia aleciorum singulis annis in perpetuo, ad festum S. Andreæ perpetuo persolvenda. Et ut ratum habeatur, & a posteris meis persolvatur, sigilli mei impressione hoc donum confirmo. Istius eleemosynæ testes sunt GALTERUS abbas de S. Judoco, Guido *de Alvez*, Ingelrannus *de Fienles*, Philippus *Fordins*, Balduinus *de Parnes*, Garnerus de Fonte, Mainardus *de Altfosse*, Drogo de *Vvendin*. Actum publice anno Verbi Incarnati MCLXXI. Ludovico rege Francorum regnante, DESIDERIO Morinorum episcopo, Arnulfo archidiacono.

CONFIRMATIO PRÆDICTÆ donationis.

M. comitissa Boloniæ, Just. & Wiceci & ministris suis & civibus Boloniensibus salutem.

Sciatis quod ego concessi donationem, quam comes Matthæus fecit magistro GALTERO de Brana, de decem milliariis alecium, testimonio Alulfi archidiaconi Tarvanæ, BALDUINI abbatis S. Mariæ, ROBERTI abbatis S. Vulmari, Manasse cantoris, Giraldi decani ad Boloniam. Valete.

EPISTOLA ODONIS PRIORIS Cantuariæ ad Philippum Flandriæ comitem.

De miraculis sancti Thomæ Cantuariensis & martyris.

Circa 1171. *Ex ms. Camberonensi.*

PH. comiti Flandriæ & Virom. ODO prior ecclesiæ Christi Cantuariensis in Christo salutem.

Tertia die postquam martyr Thomas gladiis occubuit, uxor cujusdam militis ægrotans, quæ etiam visum oculorum amiserat, audito rumore de morte ipsius, statim eum invocavit, & antequam dimidia hora transisset, lumen perfecte recepit, & post paucos dies plene de infirmitate convaluit.

Miles quidam totum brachium inflatum habens, ita quod crus suum vinceret latitudine, & manus expansa pugni grossitudinem prætenderet, desperatus jacebat. Dominica autem proxima post martyrium Sancti, cum rumorem audisset, statim eum ut martyrem invocavit, rogans ut sibi sanitatem restitueret. Nocte igitur proxima præter solitum optime dormivit, & evigilans penitus se sanatum invenit, ita ut nec dolorem sentiret, nec tumor appareret.

Juvenis quidam dolore dentium adeo vexatus, ut pene insaniret, vidit in somnis pallium Sancti faciei suæ apponi; evigilans autem, a dolore & a timore se penitus liberatum invenit.

Quidam puer quasi annorum quindecim a nativitate cæcus, ad tumbam Sancti visum perfecte recepit.

Alius puer fere decennis a nativitate mutus, altera aurium pene, altera penitus surdus, altero oculo pene, altero penitus cæcus, dexteræ digitos contractis nervis, ad volam habens inflexos, altero etiam pedum per nervorum contractionem claudus, in loco ubi Sanctus passus est in omnibus curatus est.

(a) Præmonstratenses enim ordinis sui initio, cum alicujus abbatiæ fundamenta jaciebant, proximum simul suæ religionis parthenonem erigebant.

(b) Locus-restauratus, Gallice *Lieu-restauré*, abbatia ordinis Præmonstratensis in diœcesi Suessionensi a Radulfo comite Viromandensi fundata.

Alius puer pedem usque nates habens reflexum, pedis etiam digitum maximum sub plantam digitis curvatum, ceteros vero quatuor super cutem pedis repandos, erectis nervis & crure & omnibus digitis, perfectam sanitatem recepit.

Mulier quædam quæ pressa gravi infirmitate duobus annis & fere dimidio de domo sua non exierat, cum de aqua sanctarum reliquiarum bibisset, evomens lapides, multos cerasorum atque prunorum, quorum etiam aliqui in utero suo germinaverant, sanitatem recepit: ita vero ut in crastino ad tumbam Sancti gratias actura convolaret.

Alia mulier prægnans cum tribus diebus & tribus noctibus in partu laborasset, & jam desperata jaceret, cincta est stola quadam quam Sanctus vivens benedixerat; & statim a partu sine sui periculo libera, prolem vivam enixa est.

Furiosus quidam ad tumbam sancti martyris junctis manibus adductus est, & in crastino sanissimus domum reductus.

Vir quidam XXXIII. annis, & eo amplius ita contractus, ut super cavillas pedis exterius incederet, a Sancti sepulchro recedens, sine baculo super plantas pedis incessit.

Mulieri cuidam facies vehementer intumuerat, sed sumta aqua reliquiarum in potum, exivit a facie sua per os ejus vermis capite vehementer rubeo, cauda acutissima, quatuor pedes habens, in pectore habens pollicem & dimidium longitudinis, sicque sedato tam tumore quam dolore, mulier in brevi plene convaluit.

Candela licinium habens gracilissimum, & ceram copiosam, super tumbam Sancti extincta, repente per se reaccensa est, in septimana ante Pentecosten.

Secundo die Pentecostes tenebat puella quædam candelas duas in manibus suis extinctas; cumque de candelis extinctis conquæreretur, videntibus omnibus repente reaccensæ sunt.

Mulier quædam accurrens candelam suam illo igne accendit, & focum igne factura domum perrexit, cumque ad portam cimiterii pervenisset, extincta est candela; invocante illa Sanctum, repente flammam divino ministerio suscepit.

Tertio etiam die Pentecostes, idem miraculum ad sepulchrum sancti iteratum est.

Puer quidam calculum habens, ita ut urinæ provocanti nullatenus satisfacere posset, cum ad tumbam sancti parum dormisset, surrexit, & egrediens totum lapidem in arenam comminutum egessit.

Juvenis quidam guttæ fistulæ morbo gravatus, de sanguine Sancti parum adquisivit, & aliquot diebus foramina perungens, sanissimus effectus est; habuerat autem in ventrem foramina quinque, quorum unum tantæ fuerat amplitudinis, ut videri posset qualiter viscera collocata & ordinata jacerent.

Dicitur etiam de leprosis quibusdam, quod sanati sint; quod tamen non asserimus, quia eos postquam a nobis recesserunt, non vidimus; aliqui tamen discedentes confessi sunt nobis plurimum se emendatos fuisse.

Hydropici plures toto corpore inflati, Sancto se voventes, antequam Cantuariam pervenirent, sanati sunt.

Sed & alii cæci, claudi, surdi, contracti, muti, & multis aliis infirmitatibus fatigati, per sancti Thomæ merita curati sunt; de quibus modo non possumus vel breviter tangere.

Febricitantium qui curati sunt jam non est numerus.

LITTERÆ RODULFI Leodiensis episcopi pro monasterio S. Laurentii.

Ecclesiæ collegiatæ S. Severi de Messia unionem monasterio S. Laurentii confirmat.

Anno 1171. *Ex ms. Historia Johannis Stabulensis.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego RODULPHUS Dei gratia sanctæ Leodiensis ecclesiæ humilis minister, præsentibus & futuris in perpetuum. Quoniam divinis ac Deo placitis, sancte ac discrete ordinatis operibus & consiliis debemus consensus & favoris robur & auctoritatem adjungere, quod a prædecessore nostro bonæ memoriæ HENRICO hujus nominis episcopo Leodiensi secundo, ad laudem & honorem Creatoris, & incrementum sanctæ religionis, de ecclesia S. Severi in Messia pie & laudabiliter factum est; nos qui, auctore Deo, eidem episcopali successimus ministerio, debitæ volumus defensionis patrocinio firmiter & stabiliter protegere, ejusque utilitatem & gloriam vigilis sollicitudinis cura custoditam salubriter promovere. Videns enim piæ recordationis præfatus episcopus sancti Severi ecclesiam corporis ejusdem sancti præsentia, & aliorum sanctorum pignoribus illustratam, in qua canonica olim viguerat religio, secundum successionem temporis & debitum naturæ, sublatis de medio devotis & Deum timentibus canonicis, in solitudinem & negligentiam penitus devenisse, ingemuit; & ruinam templi minitantibus ædificiis, divini servitii silentium silere non potuit. Cujus ruinæ periculum & divini cultus negligentiam, fidelibus & spiritualibus viris & præsenti Leodiensi ecclesiæ devotus & fidelis pontifex divinitus compunctus, sæpius intimavit, diuque super instauratione, immo ampliatione in eadem ecclesia divini cultus deliberato consilio, & Spiritu-sancto inspirante, sanctæ opinionis & magnæ religionis viro abbati ecclesiæ S. Laurentii WAZE-

LINO S. Severi ecclesiam secundum decessionem canonicorum, satis tenuiter immo negligenter servientium, monachalis religionis ordine illustrandam, ad honorem Dei & sanctorum ejus tradidit, eamque religiosus abbas desertam, collapsam, & in reditibus suis dispersam, in præsentia ecclesiasticarum personarum cum omni dote & integritate sua, & omnibus attinentiis suis, in familia & possessione, & redditibus suis jure perpetuo ecclesiæ beati Laurentii subjectam, ordinandam & regendam, tam in temporalibus, quam in spiritualibus imploratus & districte commonitus, de manu episcopi accepit, & religiosos ibidem monachos, sicut manifestum est, die ac nocte Deo & sanctis ejus deservire constituit. Cunctas equidem canonicorum possessiones, cum omnibus appenditiis suis, in usus monachorum Deo & S. Severo in loco illo militantium, integras & illibatas sæpedictus episcopus tradidit, nisi quod decimam de majori & minori *Seron* & de Foris-villa & XII. solidos census & XXXVIII. capones ad beneficium personæ, quæ episcopalibus debeat obsequiis, secundum ecclesiasticam consuetudinem deservire, ab ista donatione excepit. Hujus autem sanctæ commutationis & emendationis caritas & religio usque ad nostri præsulatus tempora pervenit, in quo de universis, uno tantum superstite canonico, Anselmo videlicet, crescente religione & censu prius destitutæ ecclesiæ, cetera omnia quiete & in tranquilla pace ecclesia beati Laurentii in ecclesia S. Severi ordinanda possedit: prædicto quoque Anselmo de medio sublato, & monacho pro eo, sicut loco aliorum substituto, nihil de cetero impedimenti vel obstaculi remanebit, quin monachi omnia, excepto personæ superius dictæ beneficio, in pace & libere in ecclesia S. Severi possideant; ubi nemo amplius canonicam, sicut prædiffinitum est, nisi monachus obtinebit. Ne id autem cuiquam episcopo vel abbati, id est episcopali in eadem ecclesia capellano, aliquam sibi canonicam retinendo vel alii dando, de cetero immutatum liceat violare, supremi ordinatoris auctoritate & privilegiis commonemus. Et tam necessarii firmamentum consilii, pactum quoque pacis & societatis, quod inter ecclesiam S. Laurentii sanctique Ægidii convenit, quodque singulis prædictorum sanctorum & utriusque ecclesiæ abbatum EVERELINI videlicet & MARSILII sancitum est.

Allodia etiam ab ecclesia beati Laurentii martyris nostris diebus adquisita per abbatem ejusdem ecclesiæ EVERELINUM in *Bonlers*, in *Enbemmes*, & in Boris, cartæ & sigilli nostri & matris ecclesiæ munimine, & legitimorum testium subscriptione roborata, ad honorem Dei & sanctorum ejus præsentibus & futuris sciendum & manutenendum relinquimus. Hujus rei testes sunt Henricus major præpositus & archidiaconus, Amalricus archidiaconus & Fossensis præpositus, Theodericus archidiaconus, Balduinus archidiaconus, Bruno archidiaconus, Rodulphus archidiaconus, Otho archidiaconus, Simon decanus, Robertus cantor, Johannes, Walterus, Henricus, Johannes, canonici majoris ecclesiæ. DROGO abbas S. Jacobi, MARSILIUS abbas S. Ægidii, LUCAS abbas sanctorum apostolorum Montis-Cornelii, Franco decanus S. Petri, Arnulphus decanus S. Martini, Henricus decanus S. Pauli, Gislebertus decanus S. Crucis, Benedictus decanus S. Johannis, Otto decanus S. Dionysii, Fredericus decanus S. Bartholomæi. De nobilibus Gerardus comes de *Los*, Ægidius comes de *Duraz*, Ludovicus advocatus, Godefridus de *Visserin*. De familia ecclesiæ, Theodericus de Prato, Wedricus frater ejus, Fastradus de *Dommartin*, Wilhelmus Libuinus frater ejus, Godefridus de *Hozemont* & Bado frater ejus, & alii multi.

Facta est hæc a nobis confirmatio coram ecclesia Leodiensi, præsente & approbante WARNERO abbate de Messia, (a) III. nonas Decembris, anno ab Incarnatione Domini MCLXXI. indictione VI. imperante FREDERICO Romanorum imperatore glorioso, anno regni ejus XX. anno præsulatus nostri tertio. [a]

CARTA FUNDATIONIS monasterii Veteris-pediculi ordinis Grandimontensis.

Anno 1172. Communicavit R. Prior Veteris-Pediculi.

SCiant tam præsentes quam posteri, quod ego DROGO DE MELLO, & ERMENGARDIS uxor mea dedimus Deo & beatæ Mariæ & fratribus Grandimontensis ordinis, qui morantur in nemore juxta sanctum Mauritium, quidquid habuimus infra cingulum fossati sui, laude & assensu domni GUIDONIS de *Dampierre*, & domni Milonis fratris sui, & Guillelmi filii nostri, & ceterorum heredum nostrorum. Et domnus Petrus Bernardi si quid habebat infra fossatum prædictorum fratrum quitavit eis; hoc approbavit domnus HUMBALDUS abbas sancti Germani, & commune capitulum ejusdem ecclesiæ, & quidquid domnus Guillelmus *de Blairi*, in hoc dono habebat, ipse & heredes sui & uxor ejus eis dederunt, & donum laudaverunt; & domnus Hato de In-

(a) Hujus ecclesiæ Messiensis bona fuere progressu temporis dispersa & dissipata, ita ut modo vix suppetat aliquid ad unius monachi tenuem victum & vestitum; unde & aliis de causis sacra cardinalium congregatio titulum prioratus suppr. it anno 1717.

sula similiter. Iem domnus Matthæus *Vanne* & domnus Stephanus *Putet* dederunt eisdem fratribus censum manus firmæ cum omni justitia & dominatione, & cum excassura, si forte evenerit. Præterea domnus Robertus sacerdos *de Charmoi* dedit prædictis fratribus duos modios vini in vinea sua ad *Chicheri*, & quatuor sextarios annonæ de terris suis, duos scilicet sextarios frumenti, & unum sextarium siliginis, & alterum hordei, & jussit, ut quicumque essent, terras suas vel vineam tenentes prædictam, annuatim redderent sæpedictis fratribus, & vinum & annonam, sicut præscribitur; qui si reddere desierint, prædicti fratres ad terras & ad prædictam revertentur. Froaldus major de Eglini & uxor ejus & filii ejus dederunt eis duos solidos & sex denarios annuatim in domo Johannis Ogeri recipiendos. Dedit etiam eis domnus *Sautdaguet* sex denarios ad *Mormund* annuatim ad Altam-spinam, domnus Reinardus *Rasfard* dedit præscriptis fratribus duodecim denarios annuatim recipiendos in molendino majoris de Eglini ad pontem S. Mauritii Veteris, quos de censu habebat, dominus Hugobaldus dedit eis annuatim decem & octo denarios, quos habebat in uxorem Petri *le Limozin* de Abunagio. Ut autem hoc ratum maneat futuris temporibus, sigillorum nostrorum impressione confirmavimus. [a] Actum anno Domini MCLXXII. (*a*)

DIPLOMA GODEFRIDI ducis Lotharingiæ pro collegiata sancti Johannis ecclesia Leodiensi.

De jure advocatorum.

Anno 1173. *Ex schedis Cl. V. Baronis de Crassier.*

GODEFRIDUS Dei gratia dux Lotharingiæ, comes Lovaniæ, Canonicis ecclesiæ S. Johannis, quæ est in Insula Leodii, tam præsentibus quam futuris in perpetuum. Ne aliquo casu vel aliquo tempore a me vel a successoribus meis aliquod onus indebitæ pensionis vobis imponatur; profiteor me nihil amplius juris in villa *Nethemes* habere jure advocatiæ, nisi id tantum quod homines mei a me tenent, & venatores mei judicio scabinorum recipere solent; in segete vestra, sive in spicario, sive in granario condatur, nihil advocatum juris habere confiteor. Quadraginta ergo solidos quos de horreo supradictæ villæ vestræ de *Nethemes* annuatim tollendos existimabam, pro amore Dei & propter bona merita magistri Benedicti decani ejusdem ecclesiæ vestræ, petitione fidelis nostri Rixonis de Monte *Tyenes*, coram domino Heinrico de *Jace*, præposito & archidiacono ecclesiæ sancti Lamberti, qui vices agebat episcopi, projecto a me pilo pallii mei juxta morem nobilium Wirpivi, & hæc contra omnem ambiguitatem præsenti pagina conscribi fecimus, & paginam ipsam nostro sigillo adversus omnem calumniam munivimus. NOTA.

Horum testes sunt præpositus & archidiaconus Heinricus *de Jace*, Rixo de *Holtheim*. De liberis hominibus, Heinricus *de Vvlime*, Heinricus *de Adorp*. De ministerialibus Waltherus frater Rizonis, Arnoldus filius dapiferi, Willelmus *de Bergines*.

Acta sunt hæc Leodii in capite jejunii, anno incarnationis Domini MCLXXIII. FREDERICO imperatore Alexandriam novellam civitatem Italiæ potenter expugnante. NOTA.

EPISTOLA ALEXANDRI papæ III. ad Martinum abbatem & monachos Vedastinos.

Confirmat compositionem factam inter eos & Strumensem abbatissam.

Anno 1163. *Ex cartario Vedastino.*

ALEXANDER episcopus dilectis filiis MARTINO abbati & fratribus S. Vedasti salutem & apostolicam benedictionem. Justis petentium desideriis facilem nos convenit impertiri consensum, & vota quæ a rationis tramite non discordant, effectu sunt prosequente complenda. Ea propter, dilecti in Domino filii, justis postulationibus grato concurrentes assensu, compositionem quæ inter vos & * abbatissam sanctæ Mariæ de (*b*) Strumis, venerabili fratre nostro WALTERO Albanensi episcopo, & dilectis filiis nostris * O. & B. * sanctæ Romanæ ecclesiæ diaconis cardinalibus de mandato nostro mediantibus, rationabiliter facta est, auctoritate apostolica duximus confirmandam. Cum enim tam vos quam altera pars ad nostram præsentiam venissetis, ipsam controversiam prædicto episcopo & cardinalibus commisimus audiendam: utraque itaque parte in ipsorum præsentia constituta, vos adversus abbatissam causabamini, quod possessiones quasdam ad monasterium vestrum pertinentes recepisset, & contra jus privilegiorum vestrorum easdem possessiones detineret. Abbatissa vero e contra dicebat, quod ita a longissimo retro tempore fecerat, & possessiones ita receperat, & absque læsione monasterii vestri detinuerat, & detinere volebat. Nam censum solvere, & relevationes facere in mutationibus abbatissarum parata erat. Cum autem hæc & alia in hunc modum tam vos quam alia pars in illorum præsentia allegaretis, me-

* MARIAM [b]
* Odone.
* Bosone.

(*a*) Anno sequenti idem Drogo prædictis fratribus cessit *omnimodam justitiam, altam & bassam, omne dominium, gruariam, guardiam, garennam, &c.*

(*b*) Strumensis abbatia ordinis S. Benedicti diœcesis Atrebatensis duabus circiter leucis ab Attrebato distans.

diantibus ecclesiæ cardinalibus, interve- A nientibus etiam C. & F. Atrebatensis ecclesiæ archidiaconis, de communi consensu ad hanc concordiam devenistis; quod abbatissa omnes illas possessiones pertinentes ad territorium vestrum, quas hodie, id est tempore hujus transactionis possidet, sive etiam quorumcumque donatione tunc receperat, retenta possessione, a donatoribus, quoad vixerint, teneat deinceps abbatissa quiete & pacifice, & absque omni calumnia: ita tamen quod censum constitutum singulis annis persolvat. Et quando præsens abbatissa vel aliqua de sibi succedentibus ab hac B luce migraverit, relevationem secundum consuetudinem aliorum hominum faciat. Pro ista tali concessione facta sibi a vobis, constituit abbatissa nomine ecclesiæ suæ se soluturam singulis annis marcham argenti, dimidiam in nativitate Domini, & dimidiam in festo S. Johannis-Baptistæ. Ab hac vero hora & deinceps præfata abbatissa possessiones ad jus ecclesiæ vestræ pertinentes, si voluerit recipiat, & per biennium teneat, infra quod tempus ita faciat, ut finito biennio, nec per se, nec per alium ulterius illas possideat, sed ad alium transferat, nisi hoc de communi licentia vestri capituli obtineat. C Hanc vero concordiam memorati episcopus & cardinales in scriptis redegerunt, & sigillis propriis munierunt. Nos quoque eamdem concordiam ratam ac firmam habentes, eam auctoritate sedis apostolicæ roboramus, & præsentis scripti patrocinio communimus, statuentes ut nulli omnino hominum, &c.

Datum Parisius idus Aprilis.

CARTA LUDOVICI VII.

Francorum regis, de libertate quam habent Gemeticenses monachi apud Meduntam. D

Anno 1174 Ex autographo.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Amen. LUDOVICUS Dei gratia Francorum rex.

Regiæ congruit benignitati, non solum ecclesiis conferre beneficia, verum etiam modis omnibus providere, quod sua in perpetuum libere perfruantur sibi indulta ab aliis libertate. Noverint itaque universi præsentes & futuri, quod abbas & monachi Gemeticensis ecclesiæ, hanc se ab antiquo E habere asserebant libertatem, quod de navibus vinum suum deferentibus, aut de aliis rebus ad usus monachorum, & ecclesiæ suæ pertinentibus in eundo & redeundo nullam prorsus Meduntæ nobis aut alii debebant consuetudinem. Verum quoniam quidam ministeriales nostri super hoc dubitantes, a prædictis monachis & servientibus eorum quandoque pecuniam extorquebant, ut omnis inde tolleretur ambiguitas, quinque de legitimis & antiquioribus burgensibus Meduntæ ex mandato nostro, tactis sacrosanctis, juraverunt quod prædicti monachi pro navibus vinum eorum deferentibus, aut pro rebus ad usus ipsorum & ecclesiæ suæ pertinentibus, nihil consuetudinis nobis aut alii Meduntæ debebant. Nos igitur audito burgensium nostrorum testimonio, prædictam libertatem, sicut ipsi juraverant, benigne concessimus, prohibentes quod pro navibus vinum monachorum deferentibus, vel pro aliis quibuslibet rebus quas famulus eorum ad usus monachorum & ecclesiæ deputatus, fide interposita, monstrare poterit, nihil a monachis vel famulis eorum exigatur, neque ullam Meduntæ reddant consuetudinem tam in eundo quam redeundo; immo ab omni consuetudine & exactione liberi transeant & redeant immunes. Pro hac igitur immunitate monachi & ecclesia reddent nobis annuatim unum sturionem, si poterit inveniri, & quando non poterit repperiri, reddent nobis loco sturionis unum palefridum de centum solidis singulis annis, excepto illo anno quo procurationem nostram capimus apud Genesvillam. Quod ut perpetuæ stabilitatis obtineat munimentum, scribi & sigilli nostri auctoritate præcepimus confirmari.

Actum Parisius anno ab incarnatione Domini MCLXXIV. astantibus in palatio nostro quorum supposita sunt nomina & signa. Signum comitis THEOBALDI dapiferi nostri, Signum MATHEI camerarii, Signum GUIDONIS buticularii, Signum RADULFI constabularii, vacante cancellaria.

LITTERA MATTHÆI EPISCOPI

Trecensis pro Vitali Trecensis sancti Martini abbate.

Concedit sancti Martini canonicis ecclesiam de Maraies, *ea lege, ut ter in anno ad cathedralem cum processione veniant.*

Anno 1174. Ex ms. Trecensis ecclesiæ e-ruit D. Brayer canonicus Trecensis.

Ego MATTHÆUS Dei gratia Trecensis episcopus venerabili fratri VITALI abbati & canonicis B. Martini Trecensis eorumque successoribus regulariter substituendis in perpetuum.

Episcoporum est proprie timentium Deum ea quæ donant vel monasteriis vel canonicis ita suis litteris & suis sigillis specialiter communire, ne posteri post mortem eorum inde possint aliquid vel infringere, vel immutare. Quapropter dilecti in Domino filii, vestris precibus devoto concurrentes assensu, donamus vobis & successoribus vestris, laudante capitulo nostro, ecclesiam *de Maraies*, ita quod abbas præsentabit unum de

canonicis suis presbyterum episcopo hujus sedis ad curam, qui si culpabilis vel rebellis, aut contumax inventus fuerit, abbas revocabit eum ad claustrum, & alium præsentabit, qui dignus sit ad curam. Pro synodis non dabunt per singulos annos nisi duodecim denarios, eo tempore quo aliæ ecclesiæ de episcopatu circadas (a) solent donare. Ter in anno venient cum processione ad cathedralem ecclesiam, videlicet in Pascha, in Pentecoste, & in martyrio apostolorum Petri & Pauli, & cantabunt coram episcopo laudes, *Christus vincit*, *Christus regnat*, *Christus imperat*. Quartam processionem remisimus eis, videlicet in nativitate Domini, propter paludes & tempus glaciale & longitudinem viæ. Hujus testes sunt Manasses de Villa-maura, Odo Senonensis decanus, magister Girardus, magister Bernardus, Renaldus Trecensis archidiaconus. Ex presbyteris & canonicis, Stephanus filius Giroldi, magister Guiardus, Alexander. Ex diaconibus & canonicis, Manasses de Pugeio, Manasses de Puteio, Petrus *Bugre*. Ex subdiaconibus & canonicis, Petrus Bibitor, Milo de Bayo, Herveus de Planceio. Actum est hoc anno ab Incarnatione Domini MCLXXIV.

ANTIQUÆ CONSUETUDINES villæ Hasprensis a Balduino comite Hanoniensi V. recognitæ & confirmatæ.

Anno 1176. *Ex Hasnoniensi cartario dominorum de Avesnis.*

IN nomine Patris & Filii & Spiritus-sancti. Ego BALDUINUS Dei gratia Hannoniensium comes omnibus quos præsentem paginam legere vel audire contigerit in perpetuum. Ad hoc nos Dei ordinatione in sublimitate constitutos esse credimus atque confitemur, ut ea quæ ad Deum pertinent, & ad nostram tuitionem spectant, pie disponentes, ecclesias præcipue, & eos qui Dei servitio sunt addicti, consilio & auxilio nostro manu tenere ac tueri debeamus, quatenus transactis præsentis vitæ tumultibus, etsi non propriis, saltem sanctorum meritis & virorum religiosorum precibus æternam beatitudinem assequi valeamus. Hæc igitur devotius intuentes, Deo quæ Dei sunt resignamus fideliter, & tam jura quam consuetudines villæ Hasprensis, secundum quod in eadem villa S. Aichardus & ecclesia S. Vedasti habeant, quid etiam nos habere debeamus, sicut ore scabinorum villæ ipsius primo cognitum est, & postea quorumdam hominum nostrorum, Eustachii scilicet *de Ru*, & Hawelli *de Kievreng*, Almanni *de Prouvi*, Reneri *de Thion*, & quorumdam similiter hominum ecclesiæ, scilicet Galterii de Attrebato, Wicardi *de Trvileir*, Bernardi de Gaverella, Henrici Vituli, concordi testimonio & sincera veritatis inquisitione, juxta prius factam a scabinis cognitionem comprobatum, nos quoque recognoscimus, & jurisjurandi adhibita interpositione confirmantes, id nos atque successores nostros eidem ecclesiæ inviolabiliter observaturos pollicemur.

Notum sit igitur tam futuris quam præsentibus, quod villa Hasprensis pertinet ad jurisdictionem S. Aychardi & ecclesiæ S. Vedasti, tam in molendinis, quam in furnis, theloneo, censu, mercato, & reditibus aliis. Præpositus ecclesiæ, qui ibidem vices abbatis agit, totius villæ in his quæ dicta sunt, & in ceteris omnibus tenet dominium; ipsius est universos homines villæ per majorem & decanum talibus negotiis assignatum ad placita submonere, & eisdem placitis juxta judicium scabinorum dies præfigere, scabinos constituere, & tam in pane quam in vino & carnibus ceterisque venalibus, majore & scabinis præsentibus, bannos imponere, & eorum bannorum infractiones, quales institutæ fuerint, ex integro habere. Ad quorum tamen bannorum impositionem præpositus comitis & reliqui villæ milites debent interesse: qui si interesse noluerint, non ideo præpositus ecclesiæ bannorum impositionem habet omittere. Banni vero eo ordine quo diximus impositi, per annum sunt observandi, & si eos pro communi villæ utilitate infra annum mutari oportuerit, intuitu præpositi ecclesiæ & scabinorum, convocato præposito comitis & reliquis villæ militibus, poterunt immutari. Si vero, ut dictum est, interesse noluerint, non minus præpositus ecclesiæ communi utilitati villæ consilio majoris & scabinorum in bannorum mutatione providebit. Pondera quoque & mensuræ vini & reliquorum venalium ad probandum utrum legitimæ sint vel falsæ, ante ipsum & scabinos debent afferri, & quæ falsæ fuerint repertæ, condemnari, & ipsarum possessores XIIII. solidis præposito ecclesiæ persolvere pro forisfacto falsitatis. Quod si præpositus ecclesiæ & major bannorum impositorum transgressionem, & mensurarum & ponderum falsitatem neglexerit corrigere, & super hoc præposito comitis querela delata fuerit, tunc ipse præpositum ecclesiæ & majorem primo per se, postea sub duorum scabinorum testimonio, ut prædicta faciant corrigi debet ammonere: qui si tunc neglexerint, ipse judicio scabinorum poterit emendare; & si forisfactum inciderit, duæ partes ecclesiæ, tertia ipsius erit.

Præpositus de omnibus quos justitiare potest ad aliam justitiam nequaquam clamorem deferet. Si vero quisquam temeritate, vel superbia, vel alio quolibet modo,

(a) Circada est pecuniaria pensio episcopo solvi solita, propter visitationem ecclesiæ. Vide si lubet, Fulberti episcopi Carnotensis epistolam 110. cum notis ad eamdem.

per ipsum vel majorem & scabinos justitiari contemserit, ab ipso & majore ad præpositum comitis clamor debet deferri: & tunc ille reum per scabinos in curia S. Aychardi submonebit, & per ipsos re judicata, si quid exciderit, duas partes ecclesia; ipse vero tertiam habebit. Nullus hominum villæ debet clamorem facere præposito comitis, nisi per duos scabinos possit ostendere, quod ei a præposito ecclesiæ & majore justitia denegata fuerit: si quis vero justitiam comitis & præpositi ejus callide adierit, cum ei præpositus ecclesiæ & major justitiam facere noluerint, & hoc per scabinos fuerit cognitum, ipse suam præsumtionem secundum legem villæ præposito ecclesiæ & majori per tres solidos emendabit. Cui autem præpositus & major duorum scabinorum testimonio justitiam negaverint, tunc ille absque ullo forisfacto præposito comitis clamorem deferre poterit; qui præpositus in porticu, & coram præposito ecclesiæ, & judicio scabinorum placitabit, & ipse tertiam partem questus, duas vero ecclesia habebit.

Comes ecclesiæ & villæ est advocatus, nec de rebus vel hominibus ecclesiæ se debet intromittere, nisi ab abbate vel præposito ecclesiæ fuerit requisitus. Ei igitur per singulas domos villæ, exceptis domibus clericorum & militum, & eis qui infra atrium continentur, & quibusdam aliis quæ ab hac consuetudine sunt liberæ, unum octuale avenæ & tres denarii per annum debentur, & hæc a quibusdam militibus de ipso in feodum tenentur. Tamen propter majorem securitatem, ut per ipsos homines per fora & castella sua cum mercibus suis libere conducat, & tam ipsos quam res ipsorum ubique tueatur & protegat, intuitu præpositi ecclesiæ & scabinorum, ei LX. libræ Valenchenenses annuatim dantur, quæ ab hominibus villæ persolvuntur præposito comitis, qui ibi vices ejus agit, tria placita generalia ab hominibus villæ in domo sua quotannis debentur, in Natali, in Pascha, in festo S. Johannis-Baptistæ, quando sonitu campanæ convocantur, & judicio scabinorum exercentur, & eis debet major ecclesiæ interesse & hominum villæ proloquutor esse.

In eisdem placitis non debet præpositus comitis super aliquem plus quam quinque solidorum clamorem facere, & sui erunt, si disratiocinati fuerint, nec debet ibi repetere quod judicio scabinorum terminatum fuerit coram præposito ecclesiæ. Prædicta etiam placita ad alios quam præscriptum est terminos induciare non potest, & quod in die placiti sui indeterminatum remanet, usque ad alium ejusdem placiti diem, si voluerit differet. De his vero quæ differre noluerit, præposito ecclesiæ & majori conqueretur, qui ei super hoc diem legitimum assignabunt, & justitiæ plenitudinem, prout scabini judicaverint exhibebunt.

Si comes super aliquem villæ hominem placitare voluerit, eum præpositus ecclesiæ, si de hereditate non agitur, in crastinum; si vero de hereditate querela fit, ad quintum decimum diem faciet submoneri, nec alibi comes super eum, quam in porticu S. Aychardi placitare, & non plus quam sexaginta solidos & unum denarium poterit clamare; & si attingit tertia pars ipsius, duæ partes erunt ecclesiæ: quod si scabinus sit, & de eo præposito ecclesiæ conqueritur, præpositus ecclesiæ eum per duos scabinos ad justitiam submonebit, & talis ei dies præfigetur, qualis a reliquis ipsius villæ scabinis judicabitur. Scabini villæ eorum quæ ignorant inquisitionem, apud *Valenchienes* debent accipere.

Si comes per totum comitatum suum bannum generalem super vini venditione & brassandi prohibitione, & monetæ suæ affirmatione imposuerit, idem bannus in villa debet præcepto præpositi ecclesiæ, una tamen canbarum in usus ecclesiæ, si expedierit, retenta, firmiter observari. Quod si banni hujus transgressor aliquis judicio scabinorum repertus fuerit, & comes inde placitare voluerit, forisfacti duæ partes ecclesiæ, tertia comitis erit.

Si quis in villa sanguinem fluentem vel burinam fecerit, & id legitimo probatum fuerit testimonio; forisfactum sanguinis per sexaginta, forisfactum burinæ per triginta solidos emendabit: quorum duæ partes ecclesiæ, tertia comitis erit.

Si quis in villa de latrocinio suspectus habeatur, ante præpositum ecclesiæ per majorem & scabinos ad justitiam submonetur; & si fidejussores habuerit, qui eum usque ad diem placiti sibi assignatum replegiare velint, liber dimittetur: sin autem, decano custodiendus, & ad diem placiti reducendus committetur. Quod si in die placiti judicio scabinorum in minus exciterit, liber erit. Si vero convictus, res ejus ecclesiæ relinquentur. Ipse vero præposito comitis ad puniendum exponetur. Si vero latro aliunde veniens, res aliquas furto sublatas in eamdem villam attulerit; & ibi a præposito comitis vel ab alio quolibet consequutus, & cum furto manifeste deprehensus fuerit; tunc ipse cum rebus illis, non expectato scabinorum judicio, quia manifesto judicatus est latrocinio, cedet in partem comitis & ejus præpositi.

Reos & captivos qui fidejussoribus caruerint, debet custodire decanus usquequo ante præpositum ecclesiæ judicio scabinorum condemnati fuerint vel liberati.

Si comitem pro terræ suæ tuitione, vel alicujus sibi rebellis expugnatione infra ter-

minos comitatus sui in expeditionem ire, A vel equitationem facere contigerit, mandat per præpositum suum præposito ecclesiæ, ut homines villæ in eamdem expeditionem vel equitationem faciat submoneri, qui per majorem & decanum sub decem solidorum persolutione submoniti, armis instructi, & his quæ necessaria sunt communiti, ad suum & ecclesiæ honorem debent in ejus auxilium proficisci, & a majore ecclesiæ & præposito comitis in eundo & redeundo debent secure conduci, nec quisquam ab his quæ prædiximus debet excusari absque rationabili causa, vel ætatis, vel corporeæ ægritudinis, & exceptis his qui in servitio ecclesiæ fuerint occupati.

De matrimoniis vero filiarum comitis, de captione ejus, de emtione castelli extra feodum suum, prædicti homines comitis & ecclesiæ juxta sinceram veritatis inquisitionem nihil indeterminate præsenti scripto inserere potuerunt; sed quemadmodum hactenus extitit, tam in posterum relinquendum esse concorditer decreverunt.

Præterea sciendum est quod omnes querelæ & placita in curia ecclesiæ coram præposito C ecclesiæ & majore judicio scabinorum debent terminari, nec alibi quam ibi comes super aliquem villæ hominem debet placitare, nec aliquid in judicio scabinorum potest attingere, & omnium quæ ei per scabinos judicata fuerint, ipse tertiam partem, duas vero ecclesia habebit: nec debet super aliquem hominem villæ plusquam LX. solidorum & I. denarii, ut supra dictum est, clamorem facere. Has igitur consuetudines antiquas & approbatas, & a scabinis villæ primo cognitas, postea vero a baronibus nostris & hominibus sancti Vedasti juxta cognitionem scabinorum concorditer recognitas, nos eidem D ecclesiæ, concedente uxore mea MARGARETA comitissa, sub jurejurando confirmamus, & ne per succedentia tempora id vel oblivione deleatur, vel pravorum hominum machinatione pervertatur, legitimis testibus, qui præsentes viderunt, & approbaverunt, nominatim assignatis, præsentem paginam in perpetuum ecclesiæ munimentum, sigilli nostri auctoritate communimus. Testes ALARDUS Cameracensis episcopus, FRUMOLDUS Attrebatensis episcopus, Hugo decanus & archidiaconus E Cameracensis, Johannes cantor, Johannes de sancto Gaugerico, magister Gerulfus Huardus, Rodulfus Attrebatensis archidiaconus, Johannes cantor Duacensis, Hugo Vitulus, Martinus Gallus, magister Rodulfus, Thiebertus capellanus, Thomas decanus Dualencensis, Johannes decanus de *Solemme*, Walcherus decanus de *Banai*, Renerus decanus de *Mons*, Bartholomæus presbyter de Haspera, Sigerus presbyter de *Haussi*. De hominibus comitis Eustachius de *Ruet*, Hawellus *de Kievreng*, Karolus *de Frasne*, Ludovicus frater ejus, Guillelmus de *Haussi*, Amandus *de Pronni*, Gerulfus præpositus comitis de Haspera. De hominibus ecclesiæ, Galterus Attrebatensis, Alardus *de Croissilies*, Wichardus *de Trinler*, Eustachius de Longo-vado, Bernardus de Gaverella, Johannes de *Baillues*, Guillelmus de Foro, Symon major de Haspera, Henricus Vitulus, Sauvalo junior. B Actum anno Verbi incarnati MCLXXVI. comite Hannoniensi BALDUINO, & abbate sancti Vedasti domno MARTINO.

CARTA BALDUINI COMITIS Hannoniensis de satisfactione ab eo facta ecclesiæ Lobiensi pro illatis injuriis, deque annuo censu eidem monasterio debito.

IN nomine Domini. Amen. Ego BALDUINUS Hannoniensis comes tam futuris quam præsentibus in perpetuum. Cum ex divino instinctu & ammonitione religiosorum virorum justam adversum me Lobiensi ecclesiæ querelam intellexissem, in spiritu humilitatis & pœnitentiæ Lobias accessi, ut ecclesiæ satisfacerem, & corpora sanctorum ad terram (a) jacentia relevarem, & me terramque meam a sententia Remensis archiepiscopi, quæ in nos lata fuerat liberarem. Facta itaque prius restitutione damnorum, quæ sibi a me & hominibus meis illata esse ecclesia eadem conquerebatur salutis meæ respectu, & pacis ejusdem ecclesiæ coram legatis Remensis archiepiscopi & hominibus meis, coram multis abbatibus & multitudine cleri & populi, ad honorem Dei & beati Petri atque sanctorum ibi quiescentium præstita fide & sacramento confirmavi, quod neque ego, neque ursarii mei, neque venatores, in aliqua domorum ecclesiæ per violentiam jacebimus. Quod si fecerimus, clamore super hoc ad me delato, ecclesiæ Lobiensi plenarie emendari faciam. De omnibus quoque injuriis Lobiensi ecclesiæ illatis ipsi ecclesiæ emendationem exhiberi diligenter & sollicite faciam. Sciendum etiam quod ecclesiæ Lobiensi debeo singulis annis pro terra de Bergeseis XVII. solidos denariorum Valencenensium de censu Lobiensis ecclesiæ, in ipsa ecclesia annuatim in festo annunciationis beatæ Mariæ persolvendos. Debeo etiam Lobiensi ecclesiæ singulis annis XII. denarios Valencenenses pro terra de Hantis, quam

Anno 1176. Ex Hannoniensi cartario DD. de Avesniis.

[a]

(a) Quippe cum aliqua ecclesia propter dominorum temporalium persecutionem supposita esset interdicto, corpora sanctorum ad terram deponebantur, quidam ciliciis etiam operiebant, aut spinis circumdabant; qua de re vide quod diximus in lib. 3. de Antiquis ecclesiæ ritibus cap. 3.

quam acquisivi a Simone de *Hosden*, qui eam tenebat in feodo ab ecclesia Lobiensi, annuatim in festo annunciationis beatæ Mariæ persolvendos. Hos nominatos census nominatis terminis ego & successores mei Lobiensi ecclesiæ solvemus perpetuo. Obtestor itaque successores meos per suam ipsorum salutem, ut & ipsi ea de quibus præsenti scripto me ecclesiæ Lobiensi debitorem tam rationabiliter & tantorum testimonio feci, diligenter in omnibus conservent, ad majorem siquidem veritatis evidentiam & operis firmitudinem perpetuam, hæc dicta scripto cyrographizato commendavi, cujus medietas sigillo meo signata in archivis Lobiensis ecclesiæ conservabitur, aliam vero medietatem sigillo Lobiensis ecclesiæ signatam mihi & successoribus meis retinui. Scriptum quoque subscriptis testibus confirmavi sub scripto domni Philippi, itemque domni Philippi legatorum Remensis archiepiscopi. Signum JOHANNIS abbatis Lobiensis, LAMBERTI abbatis de sancto Gisleno, CLAREMBALDI abbatis Alti-montis, BALDUINI abbatis Cripiniensis, HELGOTI abbatis Letiensis, GERVASII abbatis de Alna, PHILIPPI abbatis de Bona-Spe, S. HUGONIS archidiaconi Cameracensis & magistri Willelmi, S. Godini & Walcheri decanorum sancti Eustachii *de Rues*, Karoli *de Frasne*, Alardi de *Antoing*, S. castellanorum Balduini de Montibus, Gisleni de Bellomonte, Henrici de Bincio, S. Roberti bajuli. Actum publice Lobiis anno dominicæ Incarnationis MCLXXVI. anno principatus mei VI.

TESTAMENTUM HUGONIS comitis Ruthenensis.

Anno 1176. *Ex ms. Colbertino.*

ANNO ab Incarnatione Domini millesimo centesimo septuagesimo sexto, octava die mensis Octobris, feria secunda. In nomine Domini ego UGO comes testamentum meum disposui hoc modo. In primis corpus meum (*a*) Bonæ-valli ad sepeliendum concedo, & lego ibi alodium, & omne jus quod habeo in novem mansis, & totidem apendariis de Bercas, feudos vero & vicarias quæ alii in eis habent, & de meis bonis utilitati Bonæ-vallis infra quinquennium post obitum meum adquiri volo. Deinde filios meos quinque, & Guibertum heredes instituo, UGONEM in comitatu & in omnibus castris & terris meis usque ad Tarnum, exceptis vineis solis & terris quæ pertinent ad *Creysel*. GUIR. vero instituo *en Creisel*, & in omnibus quæ ultra Tarnum habeo tali pacto, quod hominium comiti faciat, & jusjurandum, quod castra sua, cum eum commonefecerit, ei reddat. Juravit quoque ad invicem membra sua & vitam suam, & quod nec honorem, nec de honore suo alter alteri auferat, nec alius ejus consensu vel consilio; adjutorium quoq[ue] contra omnes homines, præsertim contra domnum de *Meillau* juravit, & hoc jusjurandum semel per decennium ad renovandum amicitiæ fœdus in perpetuum iterabit. Comes jurabit etiam decem militibus de dominis de *Salas*, & de Rodenla, & de Boaso, & de *Cambolas*, & de militibus Ruthenæ, & dabit quinque millia solidorum Ruthenensium GUIRBERTO, cum miles factus fuerit post biennium, & Guir. suum faciet jusjurandum cum dominis militibus de *Creysel* & de *Castlus* cum illis qui sunt in sua parte, & de *Cornus* & de *Montclarat*. Si vero comes eum fideliter & pro posse defendere voluerit, in comitatum, & in omnibus bonis meis per medietatem instituo; quod si alter eorum sine legitimo masculo filio obierit, alterum in omnibus terris ejus instituo, filiabus tamen, si fuerint, honorifice dotatis. Tres autem filios meos religioni voveo, & Deo offero RAINALDUM abbatiæ (*b*) Loci-Dei cum quatuor mansis, qui sunt in *Bedas* & in *Bedetas*, & volo quod feudi eorum de reditibus de *Cambolas* adquiratur eidem loco: HENRICUM vero (*c*) S. Fidei de Conchis relinquo, eique duo millia solidos Ruthenenses largiatur. GUILLELMUM vero avunculo suo præposito relinquo, cui comes filius meus quingentos solidos Podienses in terra de *Carlades* annuatim constituat; quem si avunculus non susceperit, Massiliæ eum monachum & duo mille solidos Ruthenenses relinquo. Hos igitur tres filios meos contentos esse omnimodo volo, quatenus nec ratione falcidiæ, nec aliqua juris occasione in judicium alios deducere possint. Prætea domnum episcopum Ruthenensem fratrem (*d*) meum, tutorem atque defensorem filiis meis constituo, & omnia mea fidei ejus potestatique committo, excepto quod castrum de Rodela cum suis pertinentiis Geraldo de *Panat* per decennium custodiendum commendo; quo transacto, filio meo comiti restitui volo. Similiter *an Raustic* castrum de *Cambolas* cum suis pertinentiis eo modo: ita tamen ut illud de manu Geraldi de *Panat* habeat, & voluntate ipsius & consilio agat, & si tenere non potuerit, vel voluerit, ei reddat; quod tamen comes absque omni diminutione & occasione, cum miles fuerit, recipiat. RICHARDUM quoque fratrem meum patronum & defenso-

(*a*) Bona-Vallis est abbatia ordinis Cisterciensis in diœcesi Ruthenensi anno 1161. a Guillelmo de *Calmont* episcopo Caturcensi fundata

(*b*) Abbatia ordinis Cisterciensis filia Dalonæ in diœcesi Ruthenensi.

(*c*) S. Fides de Conchis est celeberrima ordinis S. Benedicti abbatia in diœcesi Ruthenensi.

(*d*) Hugonem etiam dictum, qui ad annum 1214. vitam produxisse dicitur.

rem filiis meis relinquo, & ut omnia quæ mea sunt sollicite defendat & fideliter custodiat exoro. Uxori meæ dotem suam quatuor mille solidos Podienses, & viginti quinque marcas argenti in castro d'*Antraigas* & in honore relinquo, & in sponsalitium medietatem de *Careslades*, partem videlicet illam quæ fuit RICHARDI avi mei, usum fructum, proprietate filio meo retenta, relinquo, ospitali de *Jerusalet* lego *Paulet*, Templo sexcentos solidos in pignore de Limosa, S. Amantio (a) septem mansos *en Echnag* cum feudis & vicariis de bonis meis adquirendis, & quidquid habebam in ecclesia S. Maximini & in manso sibi adhærenti; S. Saturnino (b) quidquid habeo in villa d'*Agent* per quindecim annos; lego ad Annonequa (c) mille solidos Ruthenenses in reditibus de *Monrosier* post expensas domui custodiendæ vel boariis necessarias, ad Aurenca centum solidos Ruthenenses in censu de *Monrosier*. Heremitis de *Caiseiras* & de *Cadamarans*, & de Combaneira, & de *Moneden* unicuique octo sextarios siliginis, qui solvantur & apportentur de *Baires*. Monasterio de Monsalvi decem marchas argenti in pignore de Castlomosa, ospitali d'*Albrac* (d) centum solidos Ruthenenses, abbatiæ Bonæ-vallis & ad Anonequa, & omnibus Cisterciensis ordinis abbatiis liberum transitum per omnem terram meam de Pedagiis & de Ledis concedo in perpetuum. In hoc autem testamento meo vocati sunt testes domnus UGO Ruthenensis episcopus, Bernardus prior Bonæ-vallis, P. Dalcu subprior, Pontius d'*Armende*, RICHARDUS comes, Geraldus de *Panat*, Bermundus de Luzenso, *Raustiés*, P. *del Pont*, P. della Meda, Guillelmus della Barreira, mater mea & uxor mea. Et precor omnes amicos & successores meos, ut testamentum istud custodiant, & legata mea fideliter persolvant. Amen.

DIPLOMA LUDOVICI VII. regis pro Fontanellensi monasterio.

Confirmat omnes ipsius possessiones.

Anno 1177. Ex ms. Fontanellensi.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. LUDOVICUS Dei gratia Francorum rex. A regiæ majestatis auctoritate exigitur, ut ipsius facta nullius antiquitate temporis seu aliquorum malignantium incursu debilitari valeant vel cassari. Inde est quod notum facimus universis, quod ad petitionem ANSFREDI abbatis S. Wandregisili dilecti nostri, aliqua quæ longis ante nos temporibus ecclesia S. Wandregisili cum suis membris, sicut cartæ quasi jam nimia vetustate consumptæ testantur, & nostro tempore bene & pacifice dinoscitur habuisse, eidem ecclesiæ in puram ac perpetuam eleemosynam donamus, & nostra auctoritate ac regis nominis subterannotato caractere confirmamus, videlicet ex largitione HILDEBERTI invictissimi quondam regis Francorum, in episcopatu Belvacensi Revecuriam & ecclesiam cum decima & appendiciis suis, capellam de *Faiel*, in Chinevieriis sex hospites, & partem decimarum Rouvillare & prata ac silvas. In episcopatu Ambiennensi medietatem de Buxeio, & terram unius Carrucæ, & medietatem decimæ, & tertiam partem decimæ *de Dois*, apud Salinacum quamdam particulam terræ. Item in eadem diœcesi in pago Vimacensi Dareneyum & ecclesiam cum tota decima, *Vaincort* & ecclesiam cum decima & hospitibus. In episcopatu Parisiensi Alpicum & ecclesiam cum tota decima, & Visiniolum, ac Dæmonum-vallem & dimidium, Viciniacas ac decimam Villiolis cortis, & in Marolio census & decimam vinearum, *Marcouchies* & ecclesiam cum decima & hospitibus. Liberum insuper transitum baccorum dicti cœnobii seu navium, vina aut alia aliqua deferentium ad usum monachorum per Secanam, ab omni consuetudine & exactione in eundo & redeundo, quantum se extendit justitia nostra. In episcopatu Carnotensi Rodonium & ecclesiam cum tota decima & census, & comparationem vinearum de Monte-Nivelonis, & tres Gordos ibidem cum duabus sedibus molendinorum ac mansum sancti * Mainini cum aliqua parte decimarum; ecclesim de *Rolleboise* cum decimis, Califurnum & ecclesiam cum decimis & duodecim mansos, dimidiam Francam-villam, & ecclesiam de Villeta, cum tota decima, tam in molendinis quam in agris, & totum feodum Herlonis, & terram duorum boum, terram de Orthmarivilla, capellam juxta Sitolium, quæ dicitur Fontana-Bertholdi, cum terra & hospitibus, & terra de Duro-campo, & dimidiam terram de Bosco-corti & totam decimam ipsius villæ. Hæc in dicto episcopatu Carnotensi nominata, comes MANASSES & BURCARDUS donaverunt, seu potius reddiderunt. Ut autem dicta ecclesia præmissa omnia firma & inviolabilia in perpetuum teneat, præsentem cartam sigilli nostri impressione fecimus roborari. Actum publice Pontesiæ, anno incarnati Verbi MCLXXVII. astantibus in palatio nostro quorum nomina supposita sunt & signa. Signum comitis THEOBALDI dapiferi. Signum RADULPHI

* f. Martini.

(a) Abbatiæ ordinis S. Benedicti in diœcesi Engolismensi anno 988. a Guillelmo comite Engolismensi restauratæ.
(b) Parthenoni ordinis S. Benedicti in diœcesi Ruthenensi.
(c) Annonequa seu Annonenca vulgo *Nonenque* parthenon est ordinis Cisterciensis in diœcesi Vabrensi.
(d) Vulgo de Altobraco canonicorum regularium ordinis S. Augustini.

constabularii & GUIDONIS buticularii, signum RAGINALDI camerarii, vacante cancellaria.

ALEXANDRI PAPÆ III. ad Martinum abbatem S. Vedasti.

Monasterium S. Vedasti sub sua suscipit protectione, varia ei concedit privilegia, sed præcipuè usum dalmaticæ abbati permittit.

Anno 1177. Ex ms. Vedastino.

ALEXANDER episcopus servus servorum Dei dilectis filiis MARTINO abbati S. Vedasti ejusque fratribus in perpetuum.

Quotiens illud a nobis petitur, quod religioni & honestati convenire dinoscitur; animo nos decet libenti concedere, & petentium desideriis congruum impertiri suffragium. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatum monasterium quod specialiter nostri juris esse dinoscitur, sub B. Petri & nostra protectione suscipimus; & præsentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes, ut ordo monasticus, qui secundum Deum & B. Benedicti regulam in eodem loco institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascumque possessiones, quæcumque bona idem monasterium in præsentiarum juste & canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant. Sane novalium vestrorum quæ propriis manibus aut sumtibus colitis, sive de nutrimentis animalium vestrorum, vel quæ continentur in proprio fundo villarum vestrarum de *Moylens* videlicet & de *Ernaumaynil* & de *Tatiscam*, nullus a vobis exigere præsumat. Prohibemus itaque ut nullus terras vel possessiones quas a vestro tenet monasterio, aliis ecclesiis vel monasteriis in vita seu in morte conferre vel ab ipso alienare absque licentia vel assensu vestro præsumat. Præterea in ecclesiis quas tenetis, secundum prædecessoris nostri bonæ memoriæ URBANI papæ secundi presbyteros eligatis, & episcopis in quorum parochiis ecclesiæ vestræ sitæ sunt, præsentetis, qui si ab ipsis canonice reprobari non possunt, animarum curam ab eis suscipiant; & de cura plebis ipsis respondeant; vobis autem pro rebus temporalibus debitam subjectionem exhibeant. Ad hæc quoniam illas personas & earum loca decorare debemus singulari prærogativa honoris & dignitatis, & gratiæ nostræ privilegio communire, quas B. Petro & nobis devotas esse cognoscimus, & ad jurisdictionem sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ nullo mediante certum est pertinere, fervorem sincerissimæ devotionis & fidei, quam vos & monasterium vestrum circa eamdem sacrosanctam Romanam ecclesiam specialiter & circa personam nostram constanter & laudabiliter geritis; studiosius attendentes, considerantes quoque quomodo idem monasterium ad jus & dispositionem apostolicæ sedis principaliter & proprie nullo medio pertineat, tibi fili abbas, & per te successoribus tuis de consueta clementia & benignitate ejusdem apostolicæ sedis usum tunicæ & dalmaticæ in præcipuis festivitatibus infra missarum solemnia concedimus; ut quanto largitione muneris & gratiæ nostræ amplius fueritis decorati, tanto circa honorem & obsequium prædictæ sanctæ Romanæ ecclesiæ debeatis promtiores inveniri. Præterea altare de *Streis*, sicut ipsum ex concessione Morinensis episcopi rationabiliter possidetis, vobis auctoritate apostolica confirmamus. Decernimus ergo, &c.

Data Siponti per manum Gratiani S. R. E. subdiaconi & notarii VII. calendas Februarii, indictione X. incarnationis dominicæ anno MCLXXVII. pontificatus vero domni Alexandri papæ III. anno XVIII.

PRIVILEGIUM

Quod fecit Willelmus rex Siciliæ, ducatus Apuliæ, principatus Capuæ, uxori suæ Johannæ filiæ Henrici regis Anglorum de dotalitio.

Anno 1177. Ex ms. reginæ Sueciæ eruit Mabillonius.

RERUM fœdus & concordiam humanarum inter cetera pacis bona ligat fortius & astringit vinculum conjugale, quod & sacramenti altitudine venerandum, & ipsa suæ institutionis est singularitate præclarum, & solemni ab initio mundi & temporis consuetudine celebratum. Hujus itaque juris forma, quia de divina institutione traxit originem, jure de peccato induit maculam, nec de longiori serie temporis desuetudinis potuit sentire jacturam. Quam etiam id honoris venerando auxit mysterio, ut maris & feminæ consensus matrimonium Christi ecclesiæ teneret sacramentum. Tanti ergo mysterii ratione simul & veneratione inducti, nos W. divina favente clementia rex Siciliæ, ducatus Apuliæ, principatus Capuæ, JOHANNAM puellam regii excellentia sanguinis illustrissimam, filiam H. magnifici regis Anglorum, divino nutu & felici auspicio sacri lege matrimonii & maritali nobis fœdere copulamus, ut bonum conjugii castæ dilectionis fides exhibeat, unde nobis in posterum proles regia, Deo dante, succedat, quæ divini gratia muneris virtutum stimulis & generis titulo ad regni possit & debeat fastigium sublimari. Quia

vero nostra dignum est celsitudine, ut tam nobile ac tam insigne conjugium decenti dotalitio debeat honorari, per hoc præsens scriptum damus & in dotarium concedimus præfatæ reginæ carissimæ nostræ comitatum Montis S. Angeli, sicut est inferius annotatum, scilicet in domanio civitatem Montis S. Angeli, civitatem Siponti, & civitatem Vestæ cum omnibus justis tenementis & pertinentiis earum. In servitio autem concedimus ei de tenementis comitis Gofridi Alesino, Pischizam, Ritum, Caprile, Baranum & Sfilizam, & omnia alia quæ idem comes de honore ejusdem comitatus Montis S. Angeli tenere dinoscitur. Concedimus etiam similiter in servitio candelarum sanctum clericum castellanum Paganum, Bisentinum, & Caiznanum. Insuper concedimus ut sint de honore ipsius dotarii monasterium sancti Johannis de Lania, monasterium S. Mariæ de Pulsano cum omnibus tenementis, quæ ipsa monasteria tenent de honore prædicti comitatus S. Angeli: ita quidem ut ipsa regina uxor nostra prædicta omnia semper recognoscat ab heredibus nostris nostra ordinatione in regnum succedentibus, & de omnibus prædictis tenementis servitium, prout exigit feudum eorumdem integre & illibate jam dictis heredibus nostris. Præsens privilegium per manus Alexandri notarii nostri Siciliæ & bulla aurea typario impressa roboratum, nostro signaculo jussimus decorari, in quo familiares nostri & aliæ personæ præcepto nostro se subscripserunt anno, mense & indictione subscriptis.

† Ego Walterius Panormitanus archiepiscopus.

† Alphanus Capuanus archiepiscopus.

† Ego Richer Siracusanus episcopus.

† Ego Bartholomeus Agripp. episcopus S. Mariæ novæ.

† Ego Reginus Baront. archiepiscopus.

† Ego Nicolaus primus Mess. archiepiscopus.

† Ego Rust. Cusentinus archiepiscopus.

†go Ego Theodorus episcopus abbas Regalis-montis.

† Ego Robertus Cathanensis episcopus.

† Ego Gurdo Cephal. episcopus.

† Ego Elias Trojanus electus.

† Ego Justus Mat. episcopus.

† Ego Robertus Tricaricensis episcopus.

† Ego Petrus Galatanensis episcopus.

† Ego Johannes Potentinus episcopus.

† Ego Robertus de Brano.

† Ego Alexander Gupill.

† Ego Mathæus domini regis vicecancellarius.

† Ego Robertus Casertanus comes.

† Ego Amphusus comes Scrullacus.

† Ego Joseclinus comes Loret.

† Ego Hugo comes Catazarii.

† Ego Richardus Fundanus comes.

† Ego Walterius de *Moac* regis Fortunati stolii admirallis.

† Ego Alduvius de Candida domini regis senescallus.

† Ego Bernardus Gentill. regiæ primatiæ mansue. de consil.

† Ego Richardus sacri palatii regii logotheta.

† Ego Ramaldus de Monte-forti magister justitiarius.

† Ego Persicus regiæ curiæ justitiarius.

† Ego Fredericus regiæ curiæ justitiarius.

† Ego Robertus *Mal convenant.*

Data in urbe Panormi feliciter per manus Walterii Panormitani archiepiscopi, & Matthæi regis vicecancellarii, & Ricardi venerabilis Siracusani episcopi, domini regis familiarium, anno dominicæ Incarnationis MCLXXVII. mense Februario x. indictione, regni domini nostri Willelmi Dei gratia magnifici & gloriosissimi regis Siciliæ, ducatus Apuliæ, principatus Capuæ anno XI. feliciter. Amen.

DIPLOMA RODULFI præpositi & Benedicti decani sancti Johannis Leodiensis.

De dono Margaritæ reclusæ ad accendendum luminare ante altare & pro suo anniversario.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Rodulphus Dei gratia præpositus, Benedictus decanus, ceterique nostri temporis fratres ecclesiæ beati Johannis evangelistæ, quæ est Leodii, tam præsentibus quam futuris in perpetuum. Si dicta memorabilium pensanda sunt, nihilominus facta quæ ad viam mandatorum Dei currendam lucem boni operis prætendunt, bonis æmulatoribus sunt proponenda. Notum igitur facimus quod quædam religiosa vidua Margareta nomine, se & sua ecclesiæ nostræ contulit; sua quidem legitima donatione; se autem firmis parietibus cellulæ adhærentis ecclesiæ adversus importunos accessus sanctæ clausuræ calliditate communivit: exemplo cujusdam venerabilis monachæ Richeldis nomine, quæ ejus opere & doctrina ratione prioris temporis in eodem loco præfuit. Cum igitur non esset continuum luminare interdiu & noctu ante principale altare B. Johannis qui evangelista est Lucis illuminantis omnem hominem venientem in hunc mundum, Spiritus-sancti gratia qui

Anno 1177. Ex schedis Cl. V. D. de Crassier.

spirat ubi vult, quem viri neglexerant mulier correxit, & de bonis a se adquisitis continuum luminare fieri petiit ab ecclesia nostra, & impetravit. Post debitum custodis ecclesiæ, qui nocturnale totius anni, & in diebus solemnibus, quando canonici ad cantanda responsoria combinantur, divinum luminare debet. Allodium igitur de *Nodenvvez* XXX. marcis ecclesiæ nostræ constitit. Harum quatuordecim ipsa solvit, & ratione impensæ annuam pensionem, quam ipsa consensu ecclesiæ ad cultum Dei constituit, recipere debebit. In Radulphi-curte de novo allodio V. solidos annua pensione solvendos adquisivit. Domum quamdam allodii sui solventem duodecim solidos juxta capellam Gumberti ecclesiæ nostræ contradidit. In insula inter ecclesiam B. Pauli & ecclesiam beatæ Mariæ Magdalenæ, juxta iter quo itur ad transitum, domicilia quædam solventia VI. denarios & II. capones dedit. De allodio igitur de *Nodenvvez* luminare diurnum nostro consensu ante principale altare sancti Johannis evangelistæ perficiendum, & de V. solidis allodium novi de Radulphi-curte anniversarium suum fiendum constituit; de domo allodii stratæ quo itur, sicut prædictum est, versus capellam Gumberti V. solidos in anniversario mariti sui Oviri, & dimidiam libram ceræ, & item dimidiam libram in suo anniversario, ad candelas faciendas, quæ lucere debent ante principale altare B. Johannis evangelistæ, ab hora nona præcedentis diei usque post missam solemnem pro fidelibus defunctis subsequentis diei, & triginta denarios in annunciatione beatæ Mariæ ad solemnitatem diligentius exequendam fratribus dandos constituit. Campanario autem VI. illos denarios & II. capones, de quibus prædiximus, qui ad vigilias & missas pro fidelibus defunctis campanis pulsandis laboraturus est dedit. Ex his omnibus diligenter procurandis fideles-manus (a) decanum magistrum Benedictum, Nicholaum de Superiori-ponte, & Julianum cellerarium consensu ecclesiæ adhibuit, hoc pacto ut si aliquis eorum secundum conditionem mortalium defungitur, qui supersunt alium qui idoneus videbitur eligant, ut horum trium custodia quasi funiculo triplici, sollicitudo rei constitutæ indissolubilis & sufficiens, gratia Dei cooperante permaneat. Et ne in posterum aliquo casu distributio hæc vacillare possit, constitutiones prædictas consensu ecclesiæ factas præsenti pagina conscribi fecimus, & paginam ipsam sigillo domini & patroni nostri beati Johannis evangelistæ adversus omnem calumniam communivimus. Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis MCLXXVII.

(a) Fideles-manus sunt executores rei promissæ.

ALEXANDRI PAPÆ III. abbati & conventui S. Vedasti.

Compositionem cum Hannoniæ comite ab eis factam, & eorum in villa Hasprensi jura confirmat.

Ex chartario Vedastino.

ALEXANDER episcopus abbati & fratribus sancti Vedasti salutem & apostolicam benedictionem.

Relationis vestræ tenore comperimus, quod cum nobilis vir comes Hainoniensis homines villæ Hasprensis, quæ vestra esse dinoscitur, indebitis consuevisset exactionibus infestare, venerabilis frater noster Tusculanus episcopus, tunc apostolicæ sedis legatus, ut vestro & vestrorum hominum obviaret periculo, terram ipsius ad conquestionem vestram supposuit interdicto; cujus sententiæ severitate compulsus idem comes coram venerabilibus fratribus nostris Atrebatensi & Cameracensi episcopis vestram vobis justitiam recognovit, & antiquas consuetudines & jura prædictæ villæ atque hominum se servaturum sub solemni jurisjurandi religione firmavit; & ne deinceps veniret in dubium, quod per ipsius comitis confessionem ad honorem & utilitatem vestram fuerat terminatum, consuetudines & jura quæ in præscripta villa habere debetis, de voluntate comitis scripto fuerant diligenter commendata, & postmodum tam vestro quam ipsius sigillis solemniter roborata. Nos itaque vestræ & hominum vestrorum paci & quieti paterna volentes sollicitudine providere, compositionem inter vos & eumdem comitem factam, ratam habemus, & jura ac consuetudines quas in prædicta villa antiquitus habuistis, & adhuc ex ipsius comitis confessione habere noscimini, sicut in authenticis scriptis hinc inde factis plenius continetur, devotioni vestræ auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus, statuentes ut nulli omnino hominum liceat, &c. Datum Signiæ XV. calendas Septembris.

EPISTOLA ALEXANDRI papæ III. ad Matthæum episcopum Trecensem.

De numero canonicorum, presbyterorum & diaconorum ecclesiæ Trecensis, &c.

Anno 1178 Ex autographo eruit D. Brayer canonicus Trecensis.

ALEXANDER episcopus servus servorum Dei venerabili fratri nostro Mattheo episcopo & dilectis filiis capitulo Trecensibus, tam præsentibus quam futuris canonice substituendis in perpetuum.

Cum tua honestas, frater episcope, & devotio mereantur, ut apud nos in tuis de-

beas petitionibus exaudiri, tanto tibi libentius in his quæ secundum Deum duxeris requirenda deferimus, quanto gratiam apostolicæ sedis comparasse tibi nosceris pleniorem. Ea propter, venerabilis in Christo frater episcope, tuis justis postulationibus clementer annuimus, & Trecensem ecclesiam, cui, auctore Deo, præesse dinosceris, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus; statuentes ut quascumque possessiones, quæcumque bona eadem ecclesia in præsentiarum juste & canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus & illibata permaneant. Ad hæc cum de prudentum & religiosorum virorum consilio te asseras statuisse, ut in ecclesia tibi commissa canonicorum septem ad minus presbyteri & septem diaconi præter archidiaconos sint assidui, quibus decedentibus nulli nisi presbyteri vel diaconi, aut etiam alii in talibus ordinibus constituti, quod ordinum propinquiori termino qui occurrit ad illos ordines assumantur, debeant subrogari, præstita tamen promissione ac professione de assiduitate (a) in ecclesia prædicta servanda. Nos tuis petitionibus benigne, prout decuit, annuentes, constitutionem tuam super his, sicut diximus, factam, ratam habemus & firmam, eamque perpetuis temporibus manere decernimus illibatam, & adjicimus, quod si clerici inferiorum ordinum fuerint substituti, & commoniti primis quatuor temporibus ordines illos non receperint, eis prorsus amotis, alios subrogandi liberam de auctoritate nostra habeas potestatem. Præterea de tua conscientia & voluntate statuimus, ut canonici in præscripta ecclesia residentes, si qui in tuo vel successorum tuorum, aut etiam ipsius ecclesiæ servitio fuerint, vel cum licentia tua & capituli scholasticis vacaverint disciplinis, aut fuerint infirmitate detenti, suarum nihilominus integros fructus percipiant præbendarum. Alii vero canonici, qui eidem ecclesiæ assidue non fuerint, de constitutione nostra viginti tantum solidos habeant annuatim. Ad hæc de auctoritate apostolicæ sedis adjicimus, ut tam a te quam a successoribus tuis in prædicta ecclesia, cum decano caruerit, in decanum presbyter canonicus statuatur, aut etiam diaconus, qui primis quatuor temporibus quæ occurrerint in presbyterum ordinetur. Et si commonitus in eisdem quatuor temporibus eumdem suscipere ordinem forte neglexerit; fas tibi sit, & successoribus tuis ei auctoritatem & potestatem illius officii & sedem in choro & in capitulo interdicere. Et si nec sic in subsequentibus primis quatuor temporibus ordinem presbyteratus susceperit, eo amoto, libere alium substituere. Nihilominus etiam ut majus altare præscriptæ ecclesiæ in majori semper reverentia habeatur, præsenti scripto arctius prohibemus, ne ad missarum in eodem altari solemnia celebranda quilibet admittatur, nisi episcopus, abbas aut canonicus præscriptæ ecclesiæ, seu etiam prior sancti Georgii, qui specialiter ad eamdem ecclesiam pertinet, aut ejus canonicus regularis idoneus & honestus ab eodem priore transmissus (b) qui sicut ceteri reverenter ibi sacerdotis officium impleat, & fructum præbendæ, quam habet in ipsa ecclesia integre consequatur. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatam ecclesiam temere perturbare, aut de ejus possessionibus auferre, vel ablatas retinere vel minuere, aut aliquibus vexationibus fatigare. Sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva in omnibus apostolicæ sedis auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini redemtoris nostri JESU CHRISTI aliena fiat, atque in extremo examine divinæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus, sit pax Domini nostri JESU CHRISTI, quatinus hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, amen, amen.

Ego ALEXANDER catholicæ ecclesiæ episcopus.

Ego HUBALDUS Hostiensis episcopus.

Ego JOHANNES presbyter cardinalis, &c.

Datum Tusculano per manum ALBERTI sanctæ Romanæ ecclesiæ presbyteri cardinalis & cancellarii VI. calendas Februarii, indictione XI. Incarnationis Dominicæ anno MCLXXVIII. pontificatus vero Alexandri papæ III. anno XX.

[a] Hato Trecensis episcopus dolebat in ecclesia sua canonicorum absentiam, ideoque anno 1145. in solemni capitulo, præsente ac consentiente Alberico sedis apostolicæ legato, postulantibus etiam, canonicis Trecensibus, statuit ut præter viginti solidos annuos, nihil de præbendali beneficio reciperent ii, qui se non exhiberent stationarios ad ecclesiæ servitium. Ipsius hac de re decretum refert Quercetanus ad Bibliothecam Cluniacensem. p. 104.

[b] Idem privilegium matriculariis presbyteris postea concessit Lucius papa III. Anno vero 1183. episcopus Trecensis, una cum capitulo illud idem permisit quatuor canonicis, quos ad servitium capellæ beatæ Mariæ decanus Trecensis instituerit, quod etiam succentori anno 1217. tributum est.

EPISTOLA FREDERICI imperatoris I. ad Henricum regem Romanorum ejus filium.

De negotio Terræ-sanctæ & quanta passus sit ab imperatore Constantinopolitano.

Anno 1178. Ex ms. S. Jacobi Leodiensis.

FREDERICUS Dei gratia Romanorum imperator & semper augustus prædilecto filio suo H. Romanorum regi augusto salutem & sincerum paternæ dilectionis affectum.

Excellentiæ tuæ litteras plena mentis & nimi jocunditate nostra imperialis excepit benignitas. Quarum tenore plurimum exhilarati super convalescentia tua spem firmam concepimus & optatam. Ceterum quia de personæ nostræ statu & gloriosi exercitus vivificæ crucis progressu regia desideravit serenitas, id primum significandum occurrit, quod mox ut fines imperii fratris nostri imperatoris Constantinopolitani attigimus, in rapinis rerum & occisione nostrorum non modicum damnum sustinuimus, sicut ab ipso imperatore indubitanter dinoscitur procuratum. Nam quidam latrunculi sagittarii penes publicam stratam in veprium condensis latitantes, ex improviso sagittis toxicatis nos populosque ex nostris inermes & minus caute ambulantes, affligere non cessarunt, donec consilio maturiori a balastariis & militibus nostris undique vallatii,& flagrante maleficio deprehensi, condgnas meritis pœnas exsolvere. Quippe cum uno die & uno patibulo XXXII. more lupino suspensi vitam indecenter terminarunt. Nihilominus tamen residui maleficipres a latere per devexa montium, per totum Bulgariæ nemus nos prosequentes, nocturnis rapinis molestaverunt, quamvis innumerabiles variis tormentorum generibus ab exercitu nostro vicissim miserabiliter sint cruciati. Porro præfatus imperator Canstantinopolitanus non solum universa quæ a cancellario suo in animam ipsius & caput apud *Nuremberg* jurata noscuntur, infringere non dubitavit; verum etiam sub interminatione pœnæ concambium & forum nobis subtraxit. Arcta quoque viarum succisis arboribus & saxis ingentibus obvolutis jussit præcludi, & quasdam antiquas clausuras vetustate collapsas, robur scilicet ac munimentum totius Bulgariæ, in berfredis ac propugnaculis contra honorem Dei & vivificæ crucis in nostrum ac totius Christianitatis excidium præcepit communiri. Nos vero cœlesti suffulti præsidio, Græcorum machinamentis ignem apponentes, robora cum saxis in favillam redegimus & cinerem. Itaque universis clausuris per Dei gratiam victoriose transitis, in plenam terram circa *Vviz* omnibus bonis refertam pervenimus, & sicut in peragratione Bulgariæ VI. hebdomadas laboriose satis expendimus, rursus inde proficiscentes Philippolim civitatem, situ naturali ac manu artificis munitissimam atque opulentissimam prorsus desertam, tamquam pro derelicto occupavimus. Ecce sequenti die litteras maximo fastu conceptas ab imperatore Constantinopolitano recepimus, quæ pariter minas, blandimenta, dolos concinnabant. Tunc autem primum de captivitate legatorum nostrorum, Monasteriensis videlicet episcopi, comitis ROBERTI MARQUARDI causam ad plenum certificati sumus, quos sæpedictus imperator dum adhuc in Hungaria essemus constituti, in contumeliam certatoris & crucis scandalum cui militabant, jussit captivari, & famæ suæ minus consulens, contra jus universarum nationum & legatorum ignominiose vinculatos in carcerem fecit detrudi. Talibus auditis, universus crucis exercitus infremuit, & postmodum civitates, & castella, vicos depopulari atque occupare non cessavit, quoad usque imperator magnificentiæ nostræ legatos cum magno honore ad nos redituros litterarum tenore significavit. Tandem vero post multas legationes, atque legatorum ambages, dolum quem jam dictum contra nostram benignitatem conceperat, in hyemis asperitatem transitum nostrum prorogans, artificiose peperit. Sicque legatis nostris tamquam rebus bene gestis, ad nostram majestatem remissis, de ipsorum pecunia plusquam duo millia marcarum detinuit; iterato promittentes transitum securum, navium abundantiam, forum plenum, concambium consuetum. Verum, quod in vulgari dicitur proverbio, justus timet uri, Græcorum juramentis vel simulationibus nullam prorsus habentes fidem, apud Philippolim hyemare decrevimus. Filius vero noster dux Sueviæ frater tuæ sublimitatis, moram in alia facturus est civitate, *Verdi* nomine, cum magna exercitus parte, quæ distat a Philippoli per X. milliaria terræ nostræ, donec hyemalis auræ inclementiam vernalis pellat temperies. Quoniam igitur impossibilis est transitus noster per brachium sancti Georgii, nisi ab imperatore Constantinopolitano electissimos atque omni exceptione majores obtineamus obsides, vel totam Romaniam nostro subjiciamus imperio, regiæ nobilitatis tuæ commonentes rogamus prudentiam, quatenus idoneos serenitatis tuæ legatos Januam, Venetias, Antiochiam, atque Pisam, & alia loca per galearum atque wachellorum transmittas præsidia, ut Constantinopolim circa Martium nobis occurrentes, ipsi per mare, nos vero per terram civitatem expugnemus. Præter hæc regiam commonemus discretionem, quatenus extantem pecuniam, quæ nobis in variis debetur locis, consilio cancellarii W. *de Bolant*

& Ricolphi notarii nostri instanter congregari facias, atque in domum Bernardi hospitis nostri Veneti deponi praecipias, & sic consilio prudentum in Tyrum transducatur, quam plurimum nobis fore necessariam propter inopinatam, quam facturi sumus moram, non dubitamus. Quamvis autem electissimorum militum in obsequio vivificae crucis gaudeamus copia, tamen orationum instantia ad divinum recurrendum est subsidium, quia rex non salvabitur per magnam virtutem, sed per aeterni regis gratiam singulorum merita excedentem. Igitur regiam affectuose monemus benignitatem, ad religiosas imperii nostri personas, summo devotionis studio obtineas, ut jugi vigilantia copiosas pro nobis apud Dominum fundant orationes. Consulimus autem discretioni tuae, ut judicium manus regia exerceat & in malefactores regiae dignitatis zelus exardescat profecto, quia per hoc gratiam Dei & favorem populi consequeris. ALEXANDRO haec papae scribere non omittas, quod aliquos religiosos per diversas provincias destinet, qui populum Dei contra inimicos crucis exhortentur, praecipue contra Graecos, quibus praesentibus & legatis nostris, Monasteriensi episcopo, & suis collegis in ecclesia S. Sophiae patriarcha Constantinopolitanus publice praedicaverit, quod quicumque Graecus centum peregrinos occideret, si decem Graecorum reatum incurrisset, indulgentiam consequeretur a Deo. Plus quam centum milites amisimus, qui... propria migraverunt ad Christum. Maximum in equis damnum sustinuimus, multi etiam peregrini nostri imperii Constantinopolitani captivi tenentur, tum de provincia, tum *de Susat*, qui obviam nobis illo venerant. Apud Philippolim jam XII. hebdomadas complevimus. A Philippoli usque ad Constantinopolim non invenitur castri vel civitatis habitator. De Philippoli movimus XVI. calendas Decembris.

DIPLOMA RODULEI Leodiensis episcopi pro monasterio Walciodorensi.

Confirmat omnes donationes a diversis factas.

Anno 1178. *Communicavit reverendissimus abbas Walciodorensis.*

IN nomine sanctae & individuae Trinitatis. Ego RODULPHUS Dei gratia sanctae Leodiensis ecclesiae humilis minister universis ecclesiae Dei fidelibus tam futuris quam praesentibus in perpetuum. Ecclesiasticae dignitatis rectoribus omnia quae praedecessorum bonorum regularis providentia statuit inconvertibiliter convenit observare: & ne aliquando mutabilitatis sentiant detrimentum, illorum sanctiones auctoritatis suae debent privilegio communire. Quocirca noverit fidelium nostrorum tam futurae quam praesentis aetatis industria, quod nos utilitati ecclesiae providentes, & fidelium Dei justis petitionibus aurem accommodantes, quasdam possessiones qualiter vel a quibus personis Walciodorensi ecclesiae traditae sint, scribi fecimus, & de eis praedecessorum nostrorum exemplis edocti testimonium perhibemus. Cum enim ecclesia Walciodorensis parochiae culpa sacerdotum quibus commissa erat, fere esset in aedificiis & in servitio Dei diruta & neglecta, domnus HENRICUS secundus praedecessor noster Leodiensium venerabilis episcopus ob cultum divinum ibidem restaurandum & cetera reparanda, fidelium Dei usus consilio, praesbyteratum & personatum, & curam illius ecclesiae & omnia ad eam pertinentia, excepto episcopali jure, domno ROBERTO Walciodorensis ecclesiae venerabili abbati, suisque successoribus in perpetuum possidendam legitime tradidit. Illud etiam scripto nostro inserimus, quod quidam vir nobilis GERULPHUS nomine, quidquid sui juris erat in allodio Fallemanniensi tam in ecclesia quam in reliquis possessionibus, scilicet octavam partem ejusdem allodii, Deo & beatae Mariae in Walciodoro tradidit. Ecclesia siquidem Fallemanniensis tempore domni HENRICI secundi praedecessoris nostri sub quatuor canonicis ibi regulariter deputatis fere tota perierat, & non solum aedificiorum ruina vel thesauri ecclesiae distractio ejus destructionem ostendebat, verum etiam divini cultus imminutio, illius erat indicium dissolutionis. Quod non sine moerore participes illius ecclesiae devotius pertractantes, salubri tandem inter se captato consilio, ANSELMUS frater domni HILLINI Trevirensis archiepiscopi cum filio suo ANSELMO, THEODERICUS DE BULLON cum uxore sua MATHILDE, AZELA de *Daules* cum genero suo ANTHONIO, & filia sua HELVIDE, GODEFRIDUS & THEODERICUS frater ejus praedictam ecclesiam cum omnibus appendiciis suis concessione domni Henrici praedecessoris nostri Leodiensis episcopi per manum liberi advocati comitis scilicet Namurcensis domni HENRICI sub praesentia & testimonio nobilium virorum qui interfuerunt, Walciodorensi ecclesiae libere tradiderunt. Hoc modo ut decedentibus clericis monachi ab abbate Walciodorensi substituantur, qui in ea Deo humiliter in perpetuum serviant, & res ecclesiae aliorum negligentia distractas & diminutas prudentia & parcitate sua recolligere & conservare studeant. Interea praedicta matrona AZELA quae suam partem praedictae ecclesiae cum aliis participibus suis Walciodorensi ecclesiae dederat, quicquid in toto allodio Fallemanniensi sui juris erat, tam in familia quam in reliquis possessionibus sua sorte sibi providentibus

dentibus, cum prædicto genero suo Anthonio per manum prædicti advocati sub testimonio multorum, Deo & beatæ Mariæ Walciodorensi, pro salute animæ suæ legitima donatione contulit. Domnus vero Anselmus jam prædictus cum filio suo Anselmo in eadem villa Fallemanniæ sextam decimam partem totius allodii pro remedio animæ suæ Walciodorensi ecclesiæ tradidit. Illud etiam annecti placuit, qualiter allodium *de Vilens* Walciodorensi ecclesiæ in possessionem legitimam provenerit. GODEFRIDUS DE RACHAN cum uxore sua GERBERGA, & NICHOLAUS DE VILEUS cum uxore sua CESILIA quidquid in allodio de *Vileus* sui juris erat, tam in ecclesia quam in reliquis possessionibus, terris, pratis, silvis, per manum liberi advocati, comitis scilicet Namucensis GODEFRIDI, & per manum comitis comitatus, LAMBERTI scilicet de Monte-acuto, sub testimonio multorum nobilium virorum qui interfuerunt, Deo & B. Mariæ Walciodorensi legitime tradiderunt. Scripto etiam nostro inseruimus a quibus personis allodium de Gedinia Walciodorensi ecclesiæ traditum sit. Halendis *de Turmal*, Willelmus de Ceunaco, Thomas de *Tyer* cum Gerardo fratre suo tres partes mediæ partis totius allodii de Gedinia, & quidquid in ecclesia vel familia de jure eis proveniebat, beatæ Mariæ Walciodorensi per manum liberi advocati comitis Namucensis Henrici legitime contulerunt. Item quædam matrona nobilis HADEWIGIS nomine de ROVONIA cum quadam altera Hadewide cognata sua mediam partem totius allodii de Verece Walciodorensi ecclesiæ legitime tradidit. Item quidam vir nobilis ANSELMUS nomine de Rupe, quidquid in Holengia de jure possidebat, ut a Deo condignam reciperet vicem ecclesiæ Walciodorensi libere dedit. Item BERTA nobilis mulier & ARNULPHUS DE BULLON, quicquid in allodio de *Pondetem & Gotin* de jure habebant tam in ecclesia quam in familia & reliquis possessionibus B. Mariæ Walcidiorensi sub idoneis testibus legitime tradiderunt. Item Johannes de *Ham* quicquid in Neffia de jure possidebat pro salute animæ suæ ecclesiæ Walciodorensi dedit. Item domna Rengardis de Morellimanso cum quodam filio suo in ecclesia Walciodorensi monachizato quidquid in Neffia habebat per manum domni Arnulphi, de cujus ipsa erat familia, Walciodorensi ecclesiæ legitime tradidit. Item quidam vir nobilis Godefridus nomine *de Seran*, allodium suum de Heria Walciodorensi ecclesiæ pro his quæ ipsa ecclesia in villa de Moys & Cipilleus habebat utiliter commutavit. Domnus etiam Godescalcus *de Heibes* quicquid in allo dio de *Rausin* de jure possidebat, ecclesiæ Walciodorensi pro salute animæ suæ tradidit. Item quædam matrona Gebba nomine quicquid in allodio de *Boion* de jure sibi proveniebat, tam in ecclesia quam in reliquis possessionibus, B. Mariæ in Walciodoro devotissime dedit. Item Engo de Rovonia & Walterius filius ejus X. sol. Leodiensis monetæ in villa de *Hunay* Walciodorensi ecclesiæ pro animæ suæ salute tradiderunt. Nos autem prædecessorum nostrorum Leodiensium pontificum vestigiis adhærentes, quidquid illorum statuit sanctitas episcopali auctoritate renovamus & confirmamus, & omnia quæ præsens continet pagina tam in ecclesiis quam in reliquis possessionibus, excepto episcopali jure, domno PETRO Walciodorensis ecclesiæ abbati suisque successoribus causa Dei & beatæ Mariæ in perpetuum habenda & possidenda concedimus. Si quis igitur contra hanc nostræ constitutionis paginam temere venire tentaverit, si non condigna emendatione pœnitendo satisfecerit, a communione sanctæ ecclesiæ alienus existat, & in districti judicii examine divinæ ultioni subjaceat. Hujus rei testes sunt Henricus major præpositus & archidiaconus, Balduinus archidiaconus & scholasticus, Bruno archidiaconus, Theodericus archidiaconus, Radulphus archidiaconus, Otto archidiaconus, Albertus archidiaconus, Simon major decanus, HENRICUS abbas de sancta Maria, Walterus de Catena, Ribertus cantor, Johannes de Colonia, HUGO abbas de S. Jacobo, EVERELELMUS abbas de sancto Laurentio, BARTHOLOMÆUS abbas de Publico-monte (a) LUCAS abbas de Cornelii (b) monte, Franco decanus de sancto Petro, Arnulphus de S. Martino, Gisebertus decanus de sancta Cruce, Benedictus decanus de sancto Johanne, Otto decanus de sancto Dionysio, Fredericus decanus de sancto Bartholomæo, & quamplures alii. Actum est hoc Leodii publice anno dominicæ Incarnationis MCLXXVIII. indictione XI. imperante domno FREDERICO Romanorum imperatore glorioso, Coloniensi cathedræ præsidente PHILIPPO anno pontificatus nostri XII. anno ordinationis domni PETRI Walciodorensis ecclesiæ abbatis IIII.

Appendet sigillum exprimens effigiem domni Rodulfi episcopi.

DIPLOMA ADÆ ABBATIS de Novo-castello, silvas suas sub certis conditionibus Philippo comiti Flandrensi & Veromandensi concedentis.

Anno 1179. *Ex autographo*

IN nomine Domini. ADAM dictus abbas de Novo-castello & totum quod cum ipso est capitulum tam præsentibus quam ventu-

(a) Id est S. Ægidii canonicorum regularium ordinis sancti Augustini.

(b) Ordinis Præmonstratensis, quod monasterium lapsu temporis cessit Cartusiensibus, Præmonstratensibus in urbem translatis.

ris, salutem in perpetuum. Fidelium memoriæ credimus, quod cum graviter a vicinis nostris infestarentur, gravemque nobis intentarent oppressionem, ad pauperum unicum post Deum refugium, comitem Flandrensem & Viromandensem PHILIPPUM accessimus, & ut nostri misereretur, nosque a prædictorum vesana calumnia liberaret, exoravimus. Quia vero nos benigne suscepit, & totum auxilium suum semper & ubique nobis repromisit; nos ei reciproca vicissitudine, eo quod dignus sit operarius mercede sua, concessimus silvas nostras de Bekeniis scilicet, de Furmiis, de Communia, de Gathemis, de Resiliis, ita dumtaxat, ut quicquid ad altaria vel decimas seu oblationes fidelium pertinet, singulariter nobis cedat; reliqua omnia sive in villis, sive in territoriis prædictorum quinque locorum in binas dividantur partes, & una pars nostris, alia pars cedat usibus comitis. Quod si comes domum vel firmitatem ædificaverit, quantum terræ ad hoc opus ceperit, tantumdem & nos ad domos nostras & ad assentias nostras componendas occupabimus. Si vero terram excoluerit, vel adquisierit, tantumdem & nos excolere vel adquirere poterimus. Si cujus pars excesserit, debitam partem terragii socio suo persolvet. Ministeriales autem nostri facient securitatem comiti. Similiter ministeriales ejus facient nobis. Si minister noster monachus vel conversus fuerit, sub anathemate, per sanctam obedientiam commonebitur, ne damnum inferat comiti. Prædictarum itaque rerum alienatio vel diminutio ab aliquo nostrum fieri non poterit, vel vendendo, vel invadiando, seu feodando, sed unusquisque partem suam in perpetuum tenebit. Si quis autem nostrum, quod absit, hujus extremæ conventionis prævaricator extiterit, non prævaricans prævaricatoris partem usque ad dignam emendationem saisibit. Ne autem in posterum aliqua de his oriatur lis & controversia, præsentem paginam sigillo nostro munimus, & fratrum nostrorum subscriptione roboramus. Signum ADÆ abbatis, signum Roberti præpositi, signum Adæ camerarii, signum Walteri thesaurarii, signum Walterii cellerarii, signum Roberti cantoris, signum Gerrici, Andreæ, Willelmi sacerdotum, signum Roberti, Andreæ, Hugonis levitarum, signum Alardi, Balduini subdiaconorum. Actum anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo septuagesimo nono.

GUIBERTI ABBATIS GEMBLACENSIS PIISSIMI EPISTOLÆ XXVI.

Ex manuscripto codice S. Laurentii Leodiensis.

EPISTOLA I.

Ad Philippum archiepiscopum Coloniensem.

Mores pravorum pastorum describit, quos hortatur, ut vitet.

VEnerabili atque amantissimo patri PHILIPPO in ecclesia Coloniensi summi pastoris vicario, frater G. ex affectu suus, jugem electorum Dei pontificum in rationali cordis gestatione memoriam, & per eorum exempla cum multiplici sancti gregis augmento ad pascua sempiterne virentis paradisi feliciter introire.

Semper quidem, reverende pater, divinæ benignitatis & misericordiæ fuit, prolapso humano generi consulere, & congrua institutionis subsidia adhibere. Quod & ideo recuperationis aditum invenit, quia non propria nequitia, sed alienæ malignitatis fraude seductum, positæ sibi obedientiæ limites excessit. Et quia nos sumus in quos fines seculorum devenerunt, per multa experimenta sentimus impleri verba Apostoli dicentis: *In novissimis*, inquit, *diebus instabunt tempora periculosa, & erunt homines seipsos amantes, cupidi, gulosi, elati, superbi, blasphemi, parentibus inobedientes, ingrati, scelesti, sine affectione; sine pace, criminatores, incontinentes, divites sine benignitate, proditores, protervi, tumidi, voluptatum amatores magis quam Dei.* Jam certe monstruosum nostrum sæculum omnia hæc genera bestiarum in plenitudinem tamen hominum produxit; sed præ nimia assuetudine horrenda non horremus. Propterea divisiones aquarum deducunt oculi mei, quia obtenebratus est sol in ortu suo, & luna non splendet in plenitudine sua: cæco populo non desunt duces, sed cæci; quia exigentibus peccatis ejus juxta prophetam mittit ei Dominus reges in furore suo, & suscitat pastores in terra, qui detenta non visitent, & dispersa non requirant, & contrita non sanent, sed carnes pinguium comedant, & lana gregum operiantur. Nascuntur ergo in gremio ecclesiæ pro patribus filii, sed degeneres; in terra ejus principes constituuntur, sed nominis Domini & præceptorum ejus immemores, quia intrant eorum plurimi, non per ostium, sed ascendunt aliunde; intrant ambitione, pecunia, non gratia, principum largitione, non cleri electione; & intrant non ut pascant, sed ut pascantur; non ut ministrent, sed ut mi-

nistrentur; non ut seminent, sed ut colligant; non ut laborent, sed ut quiescant; non ut a lupis oves custodiant, sed ut immaniores lupis oves ipsi diripiant. Volunt etiam id quod in acquisitione honoris exinanitum fuerat direptis replere, & non solum mollibus, sed & pretiosis vestiri. Et quia super multos exercent, non dando pauperibus, sed necessariis suis vel amicis vel supereffluentibus benefici appetunt vocari. Proinde ut ad talia abundent, diligunt munera, sequuntur retributiones, & multifaria intentione quærunt occasiones extorquendi: unde & sæpius ad hoc pervertunt judicium. Qui cum ex imitatione patrum quorum filii sunt, non vitam sequendo, sed solum officium exterius & locum tenendo, terrena despicere, atque ad æterna anhelare debent, & alios ad amorem Dei attrahere, miserrima ambitione terrenis inhiant, parumque de se corrigendis vel de subjectis regendis cogitant. Heu quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum? O extremæ stuporem dementiæ, terrena & fugitiva toto cordis ambitu quærere, supernaque & æterna negligere! in divites extraneos sua dispergere, & pauperum filiorum oblivisci. Et quibus hoc malum, nisi inertiæ prælatorum imputandum est? nam omnia fere mala quæ in subditis inveniuntur, negligentium prælatorum vel incuria succrescunt, vel pravis roborantur exemplis. Quapropter per Jeremiam comminatur eis Dominus dicens: *Væ pastoribus qui dispergunt & dilacerant oves pascuæ meæ, ecce ego cibabo eos absynthio, & potabo eos felle.* Quia qua se futurorum spe consolentur non video, cum Dominus solum pauperibus, mitibus, lugentibus, esurientibus, & sitientibus, persecutionem patientibus, beatitudinem promittat; & isti e diverso induantur purpura & bysso & epulentur splendide, & quidquid nugarum & ineptiarum habet, & exequitur mundus, hi vel exerceant, vel a suis circa se exerceri permittunt.

In quibus omnibus, pater reverende, si quid ad personam vestram pertinere videtur, favorabili aure ad incitamentum profectus vestri haurite, & non ad insipientiam mihi, nec vobis ad injuriam deputetis. Et quidquid hic de aliis manifestum legitur, vobis quasi in proverbiis dictum cognoscite. Deus omnium benignus rector & custos sanctitatem vestram tueatur incolumem, & in cura vobis injuncta strenuum sui ipsius vos faciat imitatorem.

EPISTOLA II. AD EUMDEM.

Confirmat ea, quæ in præcedenti epistola dixerat.

MAgno sacerdoti PHILIPPO Dei gratia Coloniensi archiepiscopo, frater GUIBERTUS suorum minimus, ex adjutorio regis & sacerdotis æterni in præsenti digne fungi sacerdotio, & carnis suæ curam disciplinate regere, ut in futuro sacerdotum & regum hujusmodi beatissimum mereatur adipisci collegium.

Cum super epistola vobis per me directa mihi nasceretur scrupulus, & trepidus cogitarem utrum melius esset, quædam ibi posita mutari vel aboleri, aut vobis dirigi, confugi ad orationis præsidium, deprecans ut si sermo a Domino processisset, & posuisset illud in ore meo, staret, & mihi ipsi meam inde cunctationem amoveret. Oravi & satisfactum est mihi; vidi enim & intellexi, non solum ductu rationis, sed & instinctu veritatis, quod is optimus esset monendi modus, in quo monens fideliter & caute incedens, eum quem monet, nec adulatione fallit, nec exasperatione irritat, nec denotatione adurit; sed considerata qualitate personæ, secundum quod expedire videt, aut pudori parcens, aut deferens honori, ad id quod utile & salubre est, sedule studet incitare. Vidi etenim & probavi quod nihil rectius vel decentius vel sanius umquam proponi possit ei qui vice Dei præest animabus ad salutem reducendis, quam primo semper cogitanda & imitanda benignitas providentiæ ipsius misericordis Dei, cui cura est de omnibus, & qui cum reverentia disponit nos: deinde etiam mala malorum & bona bonorum exempla; sed & supplicia illorum & istorum præmia, ut territus illis, & tractus istis, in omnibus & de omnibus doceatur. Efficax igitur monendi modus & omni acceptione dignus.

CONCLUSIO.

Omnipotens Deus, qui stas in synagoga deorum, in medio eos dijudicas, non recte judicantes corripiens, &c. Usquequo judicatis iniquitatem & faciem peccatorum sumitis; educat quasi lumen justitiam vestram & judicium vestrum tamquam meridiem, ne nesciendo ambulare in tenebris ambuletis, & majus incurratis judicium, inspiretque cordi vestro ne judicetis egeno & pupillo, humilem & pauperem justificetis, & cetera justitiæ & misericordiæ opera exequamini, quatinus & cum misericordibus terram possideatis, & cum justis seculi judicibus thronum judicialem dignitatis obtineatis, quando venerit Dominus ad judicium cum senatoribus populi sui. Amen.

EPISTOLA III. AD EUMDEM.

Gratias agit de beneficiis ab eo acceptis.

AMantissimo patri reverendoque domino Dei gratia Coloniensi archipræsuli PHILIPPO, frater GUIBERTUS omnium Deo famulantium minimus, in affectu & effectu strenuissimæ dilectionis seipsum in Christo.

Ad referendas gratiarum actiones, venerande pater, quas de mea exiguitate abundantia suavitatis vestræ promeruit, etiamsi omnes corporis mei artus in linguas verterentur, & vox mea esset ærea, non sufficerem. Proinde quia in hac parte deficio, ad ea quæ utcumque divina largiente gratia suppetunt me conferens, si quid potest vel torpentis devotionis vel peccatorum oratio modicum quid, id in suffragium vestri ex toto me & quotidie expendo, & perenniter expendere paratus sum quamdiu fuero, &c.

EPISTOLA IV. AD EUMDEM.

Excusat se quod ad eum non venerit.

DOmino & patri venerabili Dei gratia Coloniensi archiepiscopo, frater G. ex affectu suus, non in vanitate sæculi, sed in nomine Domini habere laudem, & magnificari ab eo qui exaltat mansuetos in salutem.

Quod ad vos necdum veni, neque pigritiæ neque negligentiæ est; sed occupationes quibus teneri vos scio, me retinent. Quia enim sæpius exire nec volo nec valeo, epistolas tres vestræ excellentiæ destinavi. Cognoscat vos Summus Sacerdos in benedictionibus suis, & propter misericordiam in præsenti a vobis conservatam sine fine mansuram, in futuro conservet vobis pater misericordiarum Deus misericordiam. Amen.

EPISTOLA V. AD HERVEUM abbatem & fratres Majoris-monasterii.

Se non vagandi studio sed pietatis ad sancti Martini sepulcrum peregrinationem suscepisse, pravisque sæcularium moribus claustra corrumpi.

AMantissimo patri HERVEO, omnique digno reverentia sacro conventui Majoris-monasterii sub ejus cura ordinatissime Deo militanti, frater GUIBERTUS servus sanctitatis eorum, ab eo, apud quem summus ordo, in cœlesti palatio tempore retributionis inter justos ordinari.

Quamquam a nonnullis qui corde & corde loquuntur neque custodiunt vias suas, ut A non delinquant in lingua sua, peregrinanti mihi ad sepulcrum beati Martini derogatum sit, magisque vagationi quam devotioni peregrinatio mea deputata; vobis tamen eam plurimum placere scio, glorior & exulto. Nec tamen in hac substantia gloriæ, qua in Christi corpore, ipso tribuente, membrum quietum & sanum esse cupio, adversus eum qui est caput corporis non facio, neque super verticem me extollo, recolens scriptum esse, *Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulavit & ipse ambulare.* Et quidem si secundum hominem gloriari vellem, juste reputaretur mihi in stultitiam; nam B ipse dixit: *Ego gloriam meam non quæro.* Si ergo oblitus verbi illius: *Qui gloriatur in Domino glorietur*, favores hominum & inanem gloriam affectans, huic sæculo conformari gestirem, quod diligere fornicari est a Deo, & ei inimicum constitui, in tantum ut dicat Jacobus apostolus, *Adulteri, nescitis quia avaritia hujus mundi inimica est apud Deum*? Nonne convincente me conscientia os meum condemnaret me? Nonne statim & Apostolus occurreret dicens: *Si gloriari oportet, non expedit quidem*? Etenim C quanti periculi sit seipsum gloriando velle commendare patet etiam ex verbis Psalmistæ ubi ait: *Quoniam Deus dissipavit ossa eorum qui hominibus placent.* Quisquis vero ingratitudinis vitium quam grave sit perpendere nesciens, mihi cœleste munus cognoscenti & inde cum gratiarum actione humiliter glorianti, succensendum putaverit, sane merito insipiens reputabitur. Ego tamen me ipsum mihi comparans & commetiens, non alta sapiendo, sed humilibus consentiendo gloriabor, non in immensum, sed modicum quid, & secundum mensuram qua mensus est mihi Deus. Metiri enim se, ut ait quidam, D quemquam decet propriisque juvari laudibus. Et unde obsecro Domini mei in claustris tanta malorum incommoda ebulliunt? unde putatis claustra corrumpi? nisi ex introductione sæcularitatis quæ non aliorsum quam per ineptorum & socordiam, & imperitiam, & incuriam, & dissolutionem prælatorum ingreditur, qui vitiosi a vitiosis vitiose constituuntur. Quidam vero instituuntur, sed derelicto ostio aliunde ascendentes, vel suffodientes, aut pecunia cui obe- E diunt omnia, aut potentum violentia propinquorum, contra fas & jus omne intruduntur, & quid tales mercenarii non pastores, nulla spiritus ratione fœcundati, nulla caritatis radice fundati, quid, inquam, tales quos Dominus in evangelio fures vocat & latrones, facerent, nisi sua quærerent, quæ Dei sunt negligerent, ac per hoc ut brevi innumera concludam, morti non vitæ fructificarent, seque & cœcos sequaces suos quibus ipsi cœci ducatum præbent, perderent?

EPISTOLA VI.
ad fratres Majoris-monasterii.

Causatur quod hospitalitas & disciplina regulæ in cellis minus observetur.

Dominis & amicis in Christi dilectione meis dulcissimis & humili devotione perenniter amplectendis fratribus Majoris-monasterii, frater G. sanctitatis eorum famulus, quicquid secundum salutem utriusque hominis optari potest commodius.

Ego, venerandi patres, homuncio vel potius vermis & non homo, nihil in rerum serie videns molestius, nihil ferens acerbius, quam ordinem monasticum olim sublimem & splendidum, & ipsis etiam filiis vel tyrannis sæculi venerabilem, nostris modo diebus, proh pudor! ab his a quibus disciplinata conversatione commendari debuerat, non tantum a gloria decoris sui spoliatum, sed & ab omni fere status sui rectitudine infami vitâ reddi contemtibilem. Dolorem super hoc cordis mei nullatenus dissimulare valeo. Unde quotiens datur occasio & verbis & scriptis, quo possum nisu injuriosis & impugno, & pro ejus injuriis, cum ultra posse non datur, saltem reclamo. Hinc est quod in monasterio vestro, quo nihil in divitiis cumulatius, religione splendidius, mundius puritate, adversus vitia cautius, ad famam bonæ opinionis in Dei laude custodienda circumspectius inveniri potest, aliqua non quidem ad caput proprie, sed ad quædam ex membris spectantia vidi, de quibus si salva vestri gratia auderem, sanctitatis vestræ vigilantiam non temeritate reprehendens, sed in caritate suggerens, humiliter monerem, ut rerum veritatem diligenter inquireretis, & si quæ emendatione indigent, corrigeretis. Apparent autem in aliquibus membris vestris nonnullæ corruptiones quamvis minimæ, & ad corrigendum non difficiles. Sed quid cunctor exprimere, cum scriptum sit, non solum admone; sed quod durius sonat, argue sapientem & diliget te? Non itaque arrectis auribus pavidi expectetis quasi magna & pudenda dicturum, sed supernum inspectorem qui scrutatur Jerusalem in lucernis expavescite, non modo aperta, sed & occulta & exigua districte judicaturum; & satagite ut a vertice usque ad extremam pedis plantam totum corpus vestrum in conspectu ejus sanum inveniatur & immaculatum. Sed ut jam ad rem veniam, id primum ponam quod expertus sum. Cum aliquando tenderem ad vos hospitandi gratia, diverti ad aliquam ex cellis vestris; sed ingressum obtinere non potui, quamquam pollicerer me a foro mihi necessaria comparaturum. Et certe quod mihi factum est potuit & aliis fieri, & scio, ut postea a multis comperi, quoniam nec mihi soli nec primum factum est. Item cum degerem vobiscum, a nonnullis & maxime cum repatriarem a pluribus didici, aliquos ex prioribus cellarum vestrarum symbolis & potibus indecenter nonnumquam vacare, & a vitiis quæ saturitas generat, non esse immunes, hoc est discinctis lumbis, & lucernis extinctis opera noctis exercere. Et ut eis vel illicita libere liceant, & ne ipsi soli reprehensibiles appareant, subditos sibi a talibus non prohibere. Quomodo namque ab his in quibus ipsi culpabiles existunt, compescerent alios? objiceretur enim eis illud evangelii: ***Medice cura teipsum.*** Hoc ergo ideo tam sedule moneo, quoniam, Deo teste, post illam quæ me propriis lactavit uberibus & aluit, & in hujus mensuram ætatis, Christo juvante, perduxit, vestram unice ecclesiam veneror & diligo, & sicut ejus celebri gloria & splendore alacri exultatione tripudio, ita etiam si quid opinionis sinistræ de his quæ in ejus dispositione constituta sunt, contingat me audire vel scire, medullitus condoleo. Quoniam ergo membra pro invicem & maxime caput pro membris debet esse sollicitum, satagite, obsecro, ut in cellis vestris quæ cum ad hoc sufficiunt, per priorum avaritiam vel negligentiam hospitalitatis humanitas nullatenus justo segnius exerceatur. curate etiam ut mundicia castitatis in omnibus locis vestræ ditionis singulariter præ ceteris virtutibus servetur, parsimonia adversus luxuriam, humilitate contra superbiam, hinc inde illam ne aliquatenus expugnetur, ad munimen sui perpetim vallantibus. Præterea summa intentione curam impendite, ut diligenter investigetis quicquid agitur in cellis vestris, maxime remotis, & qualis sit vita vel conversatio eorum quibus illas deputastis regendas. Dico enim licet pudeat, sed veritas urget, ut dicam, quia nullum majus dignitatis suæ præjudicium, nullum majus honoris sui detrimentum patitur sacra religio, quam a cellis. Et licet jam in quampluribus abbatiis a filiis scelestis pulchritudo gloriæ monachalis obfuscata sit, & ad nihilum fere redacta sit, maxima tamen pars ruinæ ejus & injuriarum a cellis aut prioratibus, id est ab his qui in cellis vel prioratibus commorantur, initium habuit, & omne dedecus ab illis illusoribus ordinis illi emergit. Quæ enim ab illis fuerint verecundum est dicere, adeo ut in terra nostra ordo ipse quondam summæ reverentiæ, nunc in opprobrium & in fabulam, in derisum, & subsannationem, in blasphemiam & sibilum cunctis late per circuitum devenerit. State ergo, reverentissimi patres in Domino, & sicut hactenus ita usque in finem tenete traditiones ordinis quas ab antiquo semel suscepistis. Et ne in vobis quoque muscæ morientes perdant unguentum bonæ opinionis,

nunc maxime quando omnia in declivi sunt, subtrahite vos ab exemplo omnis ecclesiæ inordinate ambulantis. Itaque nihil prorsus vobis quasi ex vobis ascribentes, sed ei a quo bona cuncta procedunt, tribuentes, & simplici ex corde gratias agentes, omnes in unam convenite sententiam, una mente unum sentite, uno ore idipsum dicite. Benedictus Deus in donis suis, & sanctus in omnibus operibus suis, de cujus munere habetur, ut ei digne & laudabiliter serviatur. Cui laus & gloria, honor & imperium in sæcula. Amen.

EPISTOLA VII.

J. abbati & fratribus Majoris-monasterii.

Laudat eorum religionem, petitque suffragia post mortem.

[a] REverendissimo domino & patri (a) J. Dei gratia abbati, amantissimisque fratribus sub ejus censura Deo & B. Martino in Majori-monasterio servientibus, frater GUIBERTUS minimus semper & ubique sanctitatis eorum servus, salutem in vero salutari, & se totum ex toto.

Omnipotentis Dei clementiæ inexplebiles ago gratias, qui mihi inspirare dignatus est, ut sanctæ excellentiæ vestræ notitiam perquirerem, & pietate sua effecit ut invenirem. Re vera enim me multum ex cohabitatione vestra tum exemplis tum doctrinis profecisse & sentio & confiteor, & adhuc uberiorem profectum post mortem ex orationibus vestris me percepturum spe certa præsumo. Et quia sicut generatio præterit & generatio advenit, ita in monasterio vestro, & propter excessum e vita, & propter ordinis & servitii gravamen sæpius apud vos mutari oportet fratres, & ideo neminem inter vos esse reor, qui me cognoscat vel mei recordetur. Si quæritis quis sum ego qui vobis scribam, ego sum frater N. &c. Qualitatem societatis vestræ a prædicto abbate & capitulo mihi concessæ in regula si diligenter inquiritis, scriptam invenietis, quam ut propter Deum mihi obsecro & vivo recognoscatis & mortuo cum obitus meus, qui ut credo, instat, vobis nuntiatus fuerit, fideliter persolvatis, sanctitatem vestram pro omnibus fidelibus & pro me eorum ultimo indesinenter orantem, indesinenter æque fidelium Deus omnium conditor & redemtor ab omni malo in ævum custodiat, & nos pariter cum eis ad æternæ beatitudinis gaudia pietatis suæ gratia perducat. Amen.

EPISTOLA VIII.

Radulfo Villariensi monacho.

Reddit rationem cur curam pastoralem deseruerit.

SErvo Dei Radulpho Villariensi (b) monacho, nostro semper dilectionis sinu suscipiendo, F. G. solo habitu & nomine monachus, arcem regni cœlestis virtutum armis comprehendere. [b]

Et vestris & aliorum crebris pulsatus litteris, nonnullorum quoque de partibus illis ad has gratia negotiandi partes adventantium verbis super abscessu meo suggillatus, ignominiosum arbitror, ulterius vel officiosam amicorum vel improbam derogatorum reprehensionem dissimulare. Vereor namque, si non occurrero, & me infamiæ exponere, & detractoribus meis, dum libere iniqua loquuntur, occasionem peccandi tribuere. Maluissem tamen, si licuisset, in his Martinum episcopum, quam beatum Jeronymum presbyterum imitari, quorum alterum scimus tantam adversus omnes injurias patientiam assumsisse, ut cum esset summus sacerdos, impune etiam ab infimis clericis læderetur; alterum tanto legimus in reprehensores suos verborum impetu ferri, ut quasi rupto patientiæ fræno, totus in præceps agi videatur, sagittas potentes & acutas cum carbonibus vastatoriis linguis dolosis apponens, omnem inventionem hereticæ pravitatis altercando destruens. Sed licet ego ultra omnem æstimationem infra pedes tantorum virorum jaceam, medius tamen eorum incedens, ita, si possum, moderabor stylum & animum, ut nec intus sufferentiæ tranquillitatem perdam, nec foris intolerabilibus verbis quemquam ex nomine arguendo usque ad excidium fraternæ pacis & caritatis proruam. Noverint autem verbosi amici mei, non quasi culpabilem, nec quasi a conscientia repressum me hactenus tacuisse; sed omnem dissensionis fomitem, qui contentione magis augetur, quam sopitur, silentio meo penitus extinguere voluisse: Quod quia ut perpendo fieri non potest, ratum duco brevi si valeo, & innocentiam meam ostendere, & os iniquitatis, ne amplius super me dilatetur, oppilare. Scio siquidem, sicut expertus, quoniam cum adhuc essem apud vos, multi adversum me loquebantur lingua dolosa, in manifesto quasi faventes, & in occulto revera mihi detrahentes, similes scorpionibus; unde Dominus ad Ezechiel dicit: *Fili hominis, subversiones sunt tecum & cum scorpionibus habitas.* Unde enim subvertunt auditores

(a) Joffrido seu Gaufrido, qui cedenti Herveo abbati piissimo subrogatus est anno 1187.

(b) Villariense monasterium insigne ordinis Cisterciensis tribus aut quatuor horis a Gemblaco distans: cujus historiam dedimus tom. 3. Anecdotorum.

suos & decipiunt adulatores? quia eis judicium proprium & cogitationem sui subtrahunt, ne se qui sint, sed quales ab illis falso prædicantur, æstiment. Hi deteriores prorsus illis sunt, qui in facie maledicunt, & apertis æmulos suos contumeliis afficiunt. Quare hoc? quoniam istud fit aliquando præcipitatione, illud numquam nisi deliberatione. Et invectione convicii plerumque auditor confusus corrigitur, visco autem adulationis errore suo retinetur. Contra quos Psalmista: *Domine*, inquit, *libera animam meam a labiis iniquis, & a lingua dolosa*. De illis vero quid dicam, qui vel invidiæ veneno suffusi, vel iracundiæ facibus accensi, nulloque pudore repressi, in apertas proruentes blasphemias, sermonibus odii circumdabant me, & lanceis verborum suorum vulnerabant, non parcentes in faciem meam spuere. De his, inquam, quid dicam, aut quibus eos similes censeam? nisi bestiis insensatis aut feris immanissimis, de quibus & David conqueritur in psalmo: *Circumdederunt me canes multi*, & alibi: *Aperuerunt super me os suum, &c.* Quare autem talium irrisiones, impetus, insultationes, & improperia patiebar? Nimirum non ob aliud, nisi quia declinabam a semitis eorum, quia in comessationibus & symbolis contubernia eorum fugiebam, quia nolebam vel sortem mittere cum eis, vel communicare marsupio eorum. Quia prævaricationem ordinis & mandatorum Dei in eis reprehendebam, quia non solum in me carnales motus enitebar comprimere, sed ipsos quoque a pravitatis tortitudine ad rectitudinem æquitatis & justitiæ revocare contendebam. Quid illi vicissim? profecto ponebant adversum me mala pro bonis & impugnabant me gratis. Quid ego fragilis homuncio tantis circumseptus malis agerem? qui in medio eorum positus quid nisi me ad divinum conferrem præsidium? Expertus ego in meipso quod bestiarum istarum dentes nihil minus essent quam arma & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus. Clamabam cum Propheta: *Erue a framea, &c.* Hæc pro me; pro illis autem quid? exemplo protomartyris dicebam: *Domine, ne statuas illis hoc peccatum.* Et ecce gratias Deo refero, quod virtute orationis & sufferentiæ quidam eorum ad bonum pacis conversi sunt, & me nec procurante nec exigente, sed Deo ulciscente, in nonnullis eorum qui in malo persistebant, scelus hoc vindicatum est. Sed quid prodest hoc? semper pro patribus nascuntur filii tam boni quam mali, & heu! major insurgit numerus improborum quam piorum; & in modum hydræ succiso uno surculo, multiplicior pullulatio inutilis stirpis erumpit. Quia ergo perversi difficile corriguntur, & supra numerum multiplicantur, & nemo potest corrigere quod Deus despexerit, relictis his ad quorum correctionem non sufficio, in arbitrio ejus subversoribus sancti ordinis; & legis divinæ prævaricatoribus, voluptatumque suarum amatoribus magis quam Dei; qui pro eo quod super his eos arguere audebam; cum præsens essem, nefanda effundentes calumniabantur me, & stridebant dentibus in me: & nunc quoque licet absentem; iniquis insectantur opprobriis: his, inquam, relictis, ad satisfaciendum illis qui causam meam ignorant, & ob hoc errant, non ex malitia, sed ex ignorantia, ne ulterius in me scandalizentur, & materiam eis peccandi præbeam, justum immo necessarium arbitror, veritatem mei recessus aperire. Neque enim aut levitate usus, aut instabilitate actus, locum meum deserui. Eant livor & edax invidia, eant zelus & dura sicut infernus æmulatio, & sese imo quos invadunt & captivos tenent, corrodant & exulcerent. Mihi autem adhærere Deo bonum est, & ponere in Domino spem meam, quo protegente nonnulli hostium in manibus meis sunt, cujus adjutorio persequor reliquos, & comprehendam, & non convertar donec deficiant, secundum illud Pauli apostoli: *Dominus conteret sathanam sub pedibus vestris velociter.* Huic profecto bonum mihi inhærere, in hoc vero spem meam ponere saluberrimum mihi videri cognoscite & valete.

EPISTOLA IX.
Ad Jonam S. Martini in Petroso-Vado sacerdotem.

Ut juxta nominis interpretationem columbinam simplicitatem actis suis exprimat.

Sincero semper affectu mihi colendo præcordiali amico, Jonæ sacerdoti ecclesiæ beati Martini quæ est in Petroso-Vado, G. suus transitorium mundi despicere & permansurum cælestis regni gaudium ferventer appetere.

Hortor & moneo, frater carissime, ut nominis tui interpretationem diligenter attendens, non ad confusionem, sed ad laudem, sed ad honorem, Jonam id est columbam te gaudeas nominari, quod ita decenter adimplebis, si columbinæ simplicitatis æmulus, rectam & innocentem geras conversationem coram Deo & hominibus, a felle amaritudinis & a livore invidiæ inveniaris alienus. Sed quid facis in mediis fluminibus Babyloniæ, in medio civitatis plenæ iniquitatis & contradictionis, propter peccata sua in momento subvertendæ? aperi oculos tuos & vide, quoniam die ac nocte circumdat eam super muros ejus iniquitas, &c. Quare non assumis pennas sicut columbæ & fugias, &c. ne & tu simul pereas? quid in periculo tuo aliena assumis? qui ad

tua delicta portanda non sufficis? An nescis A quoniam non solum de tuis, etiam de commissoris tibi commissis rationem exigeris? quid quasi mercenarius possessiones mercedis tuæ computando in domo aliena servitutis tuæ dies dinumeras, qui domum tuam libere ut dominus poteris disponere, non alienum, sed proprium panem comedens. Exonerare quæso totis fascibus his, & imitare patronum tuum, cujus laudibus diu noctuque insistis, qui Christum etiam invitis parentibus secutus, in universo orbe christiano apostolicam gloriam obtinuit. Et quia scriptum est: *qui audit, dicat, veni*, B accepto salutis consilio, da operam, ut & alios tecum Deo adducas, & maxime eos qui uberem fructum Deo in lucro animarum reddere possint tempore opportuno. Saluta tu communem amicum, monens illum & fidem quam dilecto debet servare, & depositum integrum custodire.

EPISTOLA X.
ad quemdam fratrem suum.

Gratulatur de sua conversione, de qua tamen nonnihil timet, hortatur ut vota adimpleat, & ad regulare claustrum se transferat. C

FRatri carissimo G. dilectus suus in cursu propositi sui constantiam, & de laboris mercede confidentiam.

Lectis litteris tuis brevibus, immensum lætatus sum, earum indicio effectum jam vitæ comperiens quod numquam de te speraveram. Quis enim priorem tuam non dico conversationem, sed dispersionem cognoscens, ex facili crederet levitatem tuam ad maturitatem vel modestiam sacræ religionis, quam irridere solebas, colligendam, D & cervices tuas superbas & rigidas humili Christi jugo aliquando supponendas? Sed hoc pium & solitum benigni Salvatoris nostri artificium est, qui eos quos præscivit & prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui ex insperato vocans & mutans, terrena docet despicere & amare cælestia, & exleges ad normam legis vitæ & disciplinæ componit: sed ut de hac ipsa conversatione tua tibi meam, & hoc ad te muniendum aperiam cogitationem, de ejus initio vehementer quidem exulto, sed non secure, E utpote vel fine incertus, & hoc maxime pro eo quod repentina videatur & coactitia, non fervore spiritus, vel consulta deliberatione animi te ad hanc evocante, sed extremo mortis periculo perurgente. Et quamvis certus sim quod pius Dominus quod cœpit in te & perficere & solidare potens sit; auget tamen & hoc formidinem mentis meæ, quod in locum plurimis periculis obnoxium te contuleris, in quo non solum rudium & noviter plantatorum moveri pedes & effundi gressus, sed & robustorum, nisi circumspectissime sibi intendant, status concuti possit; nec ista ad hoc profero, ut te vel loco cedere, vel propositum, quod absit, mutare suadeam; sed ut meam erga te ex fraterna dilectione sollicitudinem insinuem, & vigilantiorem te adversus astuti tentatoris insidias reddam; de quibus scilicet periculis, quoniam plus quam expediret, me absente, in libro experientiæ lecturus es, si tamen non tepide, sed disciplinate vivere volueris, ego tibi scribere de his supersedeo. De cetero jam dominos & fratres meos qui te vel vocatum vel compulsum a Deo in suum consortium susceperunt, moneo & precor, ut vota quæ distinxerunt labia tua Domino reddere, & sanctis verbis doceant, & exemplis accendant, & orationibus juvent. Te vero quem totis viribus amplector & visceribus, oro & exoratum esse cupio, ut quia jam tempus est ut plurimi sanam doctrinam non sustinent, sed ad fabulas convertuntur, &c. tu vigiles adversus injustas fabulationes adulatorum & detractorum; & juxta apostolum, quæcumque sunt vera, quæcumque justa, quæcumque sancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogita semper, & Deus pacis erit tecum, & reddet tibi mercedem laborum tuorum. Nec est ut queraris de raritate vel penuria eorum quos merito sequi possis, quia etsi faciem anti-christi bonorum præcedit egestas, & mali multiplicentur super numerum, tamen adhuc, præstante Deo, & malus inter ligna silvarum, & inter spinas lilium invenitur, & ut expressius loquar, non est fere tam perversus, in quo non aliquid imitabile invenies. Itaque quoniam ad fortissimum genus militiæ vocatus es, sed in loco parum adversus hostes munito stas; oportet ut quod tibi exterior non præstat custodia, animi provideat industria, & ut sapiens utere malitia temporis ad exercitium virtutis, & duplici armatura ad ultionem inimicorum induatur zelus tuus, ut quoniam hi qui secundum carnem vivunt, morientur, fortiter dimices contra carnem & sanguinem, non solum abstinendo a carnalibus desideriis quæ militant adversus animam, sed etiam carnalium hominum consortia fugiendo; & juxta Apostoli vocem, accipe armaturam Dei, ut possis resistere in die malo & in omnibus perfecte stare & deinceps. Sta ergo succinctus lumbos in veritate, indutus lorica justitiæ, &c. Attamen si ego consulere & tu facere posses, nihil melius tibi consulendum putarem, quam ut ad claustrum aliquod religionis censura fervens, non ibi permansurus, sed ad discendum monachatus ordinem transires, ut cum bene instructus & armatus ordinata ex acie ad tuos regredereris, &

& ipse de cetero contra spirituales nequitias securus pugnare, & ad pugnandum scires & posses alios provocare. Illud autem scito, quod juxta Domini vocem in Apocalypsi, venialius esset frigidum adhuc in sæculo manere, quam tepidum & resolutum in claustro residere, quia stimulante timore & pœnitentia, de magno peccatorum frigore facilius converti posses ad vias innocentiæ, quam de tepore securitatis recalescere ad fervorem sectandæ justitiæ.

EPISTOLA XI.

Gemblacensium fratrum ad suum Guibertum.

Dolent de ejus absentia.

AMantissimo fratri & domino Guiberto fratres Gemblacenses, & omnes in communi amici, tam foris quam intus, quidquid optari lætius, quidquid frui potest felicius.

Quanto, ô amicorum desideratissime, olim nobis grata, utilis, & accepta fuit vestra præsentia, tantum & multo amplius in dies contristatos reddit vobis interim dulcis & cara, sed nobis supra modum odibilis & amara facta vestra absentia; nam post patratam vestram a nobis discessionem, multorum ora resoluta sunt in nostræ derogationis vituperationem, videlicet eos conscivisse causam ipsius vestræ digressionis, qui erant æmuli vestræ bonæ conversationis: exigit igitur a vobis mater pia perseverantiæ stabilitatem, &c.

EPISTOLA XII.

ad Gemblacenses fratres.

Excusat se a resumenda abbatiali dignitate Gemblacensis monasterii.

REverendæ matris suæ Gemblacensis ecclesiæ dominis filiis & fratribus suis GUIBERTUS eorum ultimus, in ira misericordiæ memores esse.

Quod meminisse mei dignamini gaudeo & gratias ago; quod vero revocare conamini, identidem gratias ingemino, sed non inde gaudeo. Gauderem magis, si quam gratus & commodus vobis umquam esse potui, his quibus gratum & commodum me sua gratia facit Deus, in pace coesse pateremini: quia vero quidam vestrum ad me revocandum abbatem compellunt, vellem potius ut eum ad relevandum & muros & mores domus qui corruerunt, incitarent, & ad disponendos eos per religiosas domos quos inter vos parum adhuc ordinis scire non nescio, perurgerent. Et quidem si per me apud vos aliquid boni fieri aut restitui posset, gauderem & recurrerem, & humi-

A liari & abjectus esse & tribulari vobiscum, quam spolia dividere inter superbos magis optarem. At quoniam inter vos ubi multi sapientes sunt, hujus gratiæ & auctoritatis aut sapientiæ esse non mereor, obsecro ut me stultum illis stultis qui de me exultare & per me proficere se jactitant, sine calumnia habere permittatis. Quid litteræ pro me revocando multiplicantur? mox ut mutationem vel correctionem domus accepero, omni occasione, omni dilatione postposita, libens recurram, & quidquid laboris pro instauratione subeundum jusseritis,

B gratanter excipiam. Nam quid mea modo ibi exiguitas faceret? Tentavi aliquando subvenire, & passus sum quod animus refugiebat suscipere, & nihil profeci. Nam ideo reverti nunc vehementer formido, ne forte, si post tranquillitatem pacis, quam per triennium fere fruitus sum, in puteum miseriarum illarum recidero, & mihi molesta & vobis onerosa sit mea reversio. Deus pacis & dilectionis sit cum omnibus vobis, ut idem omnes sapiatis, & unanimiter honorificetis Deum, & per Dominum nostrum

C JESUM CHRISTUM. Amen.

EPISTOLA XIII.

ad Gertrudem virginem.

De monasterii sui depredatione per comitem Namurcensem.

GERTRUDI sponsæ Christi & virgini G. servus Dei & ejus, seipsum non sicut sæcularis sæcularibus, sed in Spiritu sancto.

Litteras magistræ vestræ & vestras, cum munusculo quod misistis, accepi in caritate, non in voluptate: quæ enim voluptas

D ubi totum occupat amaritudo? O soror carissima, quoniam tribulatio recordationis quæ nuper circumdedit me, & visio destructionis ecclesiæ nostræ, in qua fere ad mortem periclitatus sum, omnes corporis mei sensus attonitos reddit, & totam animi fortitudinem absorbet, quod paucis expediam, si tamen præ dolore expedire sufficiam. Oppidum nostrum in confinio ducatus Lovaniensis & comitatus Namucensis situm esse dinoscitur: orta itaque nuper simultate inter ducem & comitem, comes idem im-

E provise illud cum exercitu suo circumdedit, & immisso igne in minuta, id est quæ foris vallum & murum offendit, penitus incendit & depopulatus est. Cum vero nihil tale timeretur, flabris ventorum qui vehementissimi insurgebant subvehentibus, favillæ flammantes per cuncta oppidi interiora dispersæ sunt, & ita totum simul & oppidum & monasterium ferventissimo incendio consumtum est, ut & in oppido nulla domus præter duas humillimas recenti humo obductas, & in claustro no una quidem

officina inusta remaneret: in qua exustione, cum missam matutinalem ad altare minus cantarem, nolens aliquid imperfectum relinquere, tardius pene quam debui ad tutelam me contuli; nam sacris exutus vestibus, cum præ ignibus late jam omnia vastantibus foras erumpere non possem, in vicinius quod patebat sacrarium ingressus, quatuor ibidem e fratribus meis mœrentes & anxios inveni, quo in loco præter spem undique vallantibus nos flammis, fumo & calore ita æstuavimus & suffocati sumus, ut duo ex his graviter læderentur, ego & alii B duo præ angustia certe sine spiritu instar mortuorum usque ad vesperam decumberemus; sed me per auxilium Dei superstite, illi duo socii martyrii mei post paucos dies rebus humanis excesserunt. Sed sicut scriptum est in prophetis, ut auditus auditui, contritio contritioni, & terror terrori supervenirct, nono combustionis die prædictus comes Namucensis, accito sibi comite Hannoniensi nepote suo ex sorore, denuo in multitudine gravi oppidum circumdedit, & quibusdam in locis dirutis muris intravit utriusque exercitus, & ubique libere discurrens; C nam omnes imparatos & nihil horum metuentes invenerat, universa quæcumque incendio superfuerant diripuit: in qua direptione nihil nobis, nihil burgensibus, vel populo terræ qui inibi sua convexerant relictum est. Animalia quoque & altilia domestica, aut cinerata, aut ab hostibus abducta: nullus sacris vel altaribus honor impensus est, adeo ut in medio presbyterio coram principali altari & per tota utriusque ecclesiæ spatia & pedestri & equestri certamine congredientibus hinc nostris hinc adversariis, multi interficerentur, monachi ipsi & D sacerdotes discuterentur & spoliarentur; nullus fratrum prorsus indemnis evasit; unus lethali telo per latera abductus oppetiit, alius ita nudus abductus sicut eum natura ab utero matris in lucem produxit. Ipsi abbati cum reliqua veste & ipsas caligas detraxissent, nisi a quodam sibi noto vix excussus per horrentis noctis tenebras nudus & solivagus diffugisset: & siquidem satis juste, ut qui patrem suum & dominum suum spiritualem adhuc viventem per supplantationem & simoniam honore proprio spolia- E verat, ipse quidem quid in exitu suo præstolare debeat, tali dehonoratione perdisceret: nusquam enim talis introitus, imo non introitus, quia non per ostium, sed invasio, & aliunde præceps ascensus beato fine claudetur. Sed ut cœpta repetam, nulla in direptione prædicta vel femineo sexui penitus reverentia, quin & ipsæ mulieres nudæ dimitterentur, nulla omnino lactentibus misericordia exhibita est; sed & matres vestibus exutæ, & filii ab uberibus matrum distracti, contra naturæ jura, cum maxima

A parte burgensium in captivitatem traducti sunt. In majori ecclesia, utpote homicidiis prophanata, nec legitur, nec cantatur, sed in cripta quadam utcumque divinum explemus officium. Hinc gemitus & suspiria & singultus, quia cecidit corona capitis nostri, & divitiæ nostræ non solum exteriores, sed, quod sine magna cordis contritione referri non potest, etiam interiores extraneis cesserunt, dum sine decore servitii Dei, sine ordinis & religionis munimine, in confusione communis vitæ sedemus. Indulgete obsecro, soror dilectissima, talia vobis profundenti, & vos mecum ad dolorem incitanti, quia & cor triste numquam læta proferre, & os amarum mel non potest spuere, & nescio quo naturæ instinctu etiam de miseriis suis cum amico loqui remedium aliquod esse videtur. Restat ergo quia domus nostra destructa est, nec spes ulla instaurandæ in ea religionis in vita mea suppetit, ideoque locum me mutare necesse est. Decrevi autem ad claustrum Majoris-monasterii, a quo ante quinquennium fere regressus sum, reverti, eo quod animæ meæ complacuerit.

EPISTOLA XIV. JOHANNIS Willelmi ad Guibertum abbatem Gemblacensem.

Declarat se merito ab iniquo abbate multa pati, utpote qui ipse aliis multorum malorum auctor fuerit.

DOmino desideratissimo & venerabili fratri G. Johannes dictus Willelmi salutem & omne bonum.

Quia scriptum est: beatus qui in auribus sapienter loquitur; idcirco, ô mi domine, ad vos utpote reclinatorium miserorum sermo meus dirigitur. Verumtamen si in loquendo modum excedit intemperata loquacitas, causas justæ excusationis habebit ipsa doloris plena necessitas. Ego autem, qui etsi aliquando contumeliosus, sed nunc versa vice, si possibile esset, fideliter & ex animo vobis officiosus, cum multa cordis contritione insinuo vestræ dilectioni eam quam peccatis meis merentibus jam olim patior calamitatem & miseriam; quia homo perditionis, quotidie supramodum innovata crudelitate, exaggerat in me multiplicem & intolerabilem iniquæ rabiei & persecutionis insaniam. Qui quoniam numquam defatigatus cessat irarum vel odii vel ad modicum sopitos cineres adversum me in redivivas flammas suscitare, omnium discretorum religiosorum cordibus & auribus, si fieri posset, causam tam nocivæ simultatis innotescerem. Siquidem injuriam patienti non modica solet esse consolatio, si innocentiæ suæ causam discernendam vel potius

dirimendam proborum hominum committat judicio. Verum si ipse jam olim facti mei pœnitens, ex abdito audacis conscientiæ velim fingere causas fallacis innocentiæ, nec dicam cum propheta: *judica me, Domine, secundum justitiam meam, &c.* Profecto os meum condemnabit me. Nec mirum si ego, qui malo meo omnes pedicas & laqueos ad irretiendum & illaqueandum innocentes operatus sum, eisdem confusionis retibus involutus sim. Nimirum sicut feci, sic recepi; si aliis aperui laqueum præcipitationis, ipse mihi paravi casum perditionis. Sciens ergo & videns, ignem injeci paleis, nec consideravi quod ignis succensus, in aliis quidem scintillas validi ferroris diffudit, porro in me tamquam totius mali incentorem vastationis suæ regirans habenas, truculentior & male vorax efferbuit, ecce sed ipsa diuturnæ calamitatis vexatio dat intellectum quamvis sero, quam fuerit execrabilis & Deo odibilis nostræ malæ procurationis executio. Enim vero, plures numero hujus facti auctores & cooperatores fuimus, qui quosdam facetis adulationibus, & aliis vanis favoribus, plures dato sacramento quod diversis administrationum vel officiorum sublimarem honoribus, nonnullos munerum largitione corrupimus. Sed quid? adeptus sedem simoniaci culminis, omnium fere suffragatorum consilio, velleque & nolle posthabito, magnus, sapiens apparere in oculis suis & sibi placere facere mala quæ posset, minari quæ non posset; & cum antea nullius reputaretur momenti, ut nostis, quippe nec qui interiori nec exteriori scientia præditus, modo in utraque ultra vires præsumere, & omni bono vacuus, sed solo superbiæ fastu tumidus, intolerabilis potentatum cœpit exercere tyrannidis; adeo, ut interim de rusticanis taceam, nonnullos monachorum & militum, sicut & ipse cum adhuc essetis nobiscum vidistis, vinculis ferreis alligaret, & in custodia retruderet. Ut reliqua prosequar, soli potentes, hii scilicet quorum hoc fuit auctoritatis, ex condicto de rebus ecclesiæ opulenter ditati sunt; reliqui, id est mediocres & infimi pro merito spebus suis vanis frustrati sunt. At vero mihi mei sudoris sufficiens erat præmium, videre voti compotem amicum, ut putabam & dominum: nec fuit longa dilatio, aliter quam ratus eram provenit laborum meorum condigna remuneratio. Siquidem pro donativo ab eo a quo bona sperabam, in quantum poterat contrarium & extra munera dissimile parabat mihi munus, patibulum & laqueum. Si autem vulgo dicitur, debet haberi modus in verberandis canibus, quanto magis in exasperandis & cruciandis hominibus? Ipse qui simoniacæ hæresis æmulator, paterni honoris invasor & proditor, quantum vero ad me, Aman illo in lege veteri nequior, Daciano quoque & Nerone inordinatis moribus omnium malorum commentoribus apparet crudelior. Revera pudet & tamen fateri necesse est, detestandi sui commercii me per omnia fuisse conscium, cum multorum ora jam & ipsa etiam saxa vociferantur in diabolum malum factam esse ejus promotionem; ita ut sit versum in proverbium, quod loco regiminis statutum sit idolum zeli ad provocandum æmulationem. Cujus periculi malum nos respicit in capite, qui hujus pestiferæ captionis conscii auctores in hoc perfidiæ suæ dedimus evidens indiculum, quod bonæ simplicitatis viro rejecto; pro libitu nostro creavimus nobis ridiculum abbatem, qui nihil quidem scientiæ, plus quam satis haberet nequitiæ. Hinc est quod quasi amens & absque cerebro plerumque publice fatetur velle potius diabolo quam mihi obviare; in tantum ut cum ego nuper hebdomadarius sacerdos cum aqua lustrationis & signo dominicæ passionis ex more domum ejus visitarem, ipse attonitus aufugerit, nec ullum divinis honorem exhibuerit sacramentis. Sed quid amplius? plures abbates & monachi, milites & clerici, & ipse domnus archidiaconus Amalricus, prorsus omne hominum genus pro hujusmodi odii sæpissime elaborarunt sopitione, sed nihil concordiæ dignum efficere valuerunt. Jam quia mihi inest tantorum malorum numquam finiendorum desperatio, placet animo quietis gratia loci demigratio. Proinde precor, ut mihi jam vago & profugo procuretis apud vos locum certi refugii, ut sitis mihi portus desideratæ requietionis, ut pro hoc apud Deum habeatis locum æternæ remunerationis. Valete & per præsentium latorem quid vobis placet rescribite.

EPISTOLA XV.
ad quamdam sanctimonialem.

Excusat se quod eas sæpius non invisat, quoniam id professio non permittat.

Dilectæ in Christo sorori ancillæ & sponsæ ejusdem Christi, frater G. salutem, orationes, servitium, & seipsum in Domino.

Quotiens benignitatem & beneficia a vobis mihi impensa mente retracto, doleo quod vobis caream, vos non videam, vestraque benevolentia & religiosis non fruar officiis: adeo ut si facultas daretur, & obligatio professionis permitteret, ob gratiam vestri & aliarum sodalium vestrarum, quæ me, cum præsens essem, tanta devotione excoluerunt, locum vestrum sæpe inviserem. Sed quoniam id nec licet, nec decet, & forte non expedit; id quod licet, decet & expedit factito, quando quo possum pie-

tatis affectu vos complector, Deoque in orationibus commendo: simul enim & semel dico, quia modicum id quod sum, & quod in Christi servitio facio, vestrum æque ut meum est. Munuscula nulla vobis dirigo, quia non habeo; scitis enim quod nulla umquam mihi rerum hujusmodi colligendarum cura fuit, quoniam id omnino monachorum non est. Vestra tamen munuscula quæ a vobis exiens mecum attuli, adhuc habeo, & super aurum & topazium diligo. Valete in Christo & orate pro me.

EPISTOLA XVI.

ad abbatem S. Eucharii.

Petit ab eo post obitum suum suffragiorum participationem.

Domino & patri dilectissimo G. Dei gratia (a) S. Eucharii abbati quicquid fidelis amicus amico optare potest dulcius & salubrius.

Quoniam aures vestras pluribus occupatas audiendis verbis quasi adulatoriis aut superfluis occupare duco inutile: ea quæ erga me aguntur vel acta sunt, si scire vobis placet, narrabit vobis præsentium lator dilectus noster W. ecclesiæ nostræ custos, per quem & vos nobis vestra intimare poteritis. Sed unum est quod, quia ore ad os non possum, per litteras enixius precor, quatenus in sanctis orationibus vestris mei memor esse dignemini, & communionem beneficiorum quæ apud vos fiunt, & societatem quam abbas prædecessor vester mihi benigne concessit, vos quoque clementer recognoscere dignemini, ut si forte finem meum, quia jam in ultima ætate positus sum, audieritis, de me quod de fratre faciatis. Enixius autem precor, ut quod vobis, si in potestate vestra causam tamen haberetis, juste impendi velletis, id abbati Florinensi, in vestro posse, quod, Deo gratias, multum est, impendatis, videlicet ut in curia archiepiscopi & fratris vestri archidiaconi justas partes ecclesiæ tueamini, nec persecutorum ejus assultus prævalere patiamini. Vos autem, reverende pater, districtum examen judicii in quo stabitis, pro vobis & pro curæ vestræ commissis rationem redditurus, semper metuentem & caventem, longo tempore omnipotens Deus in anima & in corpore tueatur incolumem ad honorem suum, & profectum vestri & ecclesiarum quas regitis, & ad exemplum bonorum qui vos voluerint imitari. Amen.

EPISTOLA XVII.

G. abbatis S. Eucharii ad Guibertum abbatem Gemblacensem.

Promittit ei sicut pro uno ex suis suffragiorum vota.

Reverendissimo in Christo amico venerabili viro Guiberto, (b) G. Dei gratia dictus abbas S. Eucharii, salutem in eo qui est salus omnium expectantium eum in veritate.

Fraternitatem vestram scire volumus & firmiter tenere, quod ad obsequium & reverentiam vestram promptissimam & intensam semper habuerimus voluntatem, & licet vestra præsentia carnis sistat ab oculis, memoria tamen dilectionis vestræ cordis semper inhæret oculo. Unde societatem & fraternitatem quam temporibus bonæ memoriæ abbatis (c) L. prædecessoris nostri, in ecclesia nostra suscepistis, vobis recognoscimus, & omnium bonorum quæ circa nos fiunt, sicut uni fratrum nostrorum plenam concedimus participationem. Valete.

EPISTOLA XVIII.

Magistri Josephi ad Guibertum abbatem Florinensem.

Excusat se quod ad eum non accedat, grave fert quod se magistrum appellaverit, hortatur ut Florinense monasterium, ad quod fuerat electus, florere faciat.

Patri & domino præ omnibus singulari affectione sibi dilecto G. Dei gratia Florinensi abbati, Joseph quidquid est, & si quid potest, totus suus salutem quam sibi optat in vero salutari.

Universorum dispensatori Deo grates refero, quod benigna provisione sua hoc inter homines solatium procuravit, ut absentes quod voce viva non possunt, litterarum commercio suffragante declarent. Hoc sane delectatus beneficio, stylo studiosus insisto, ut illuc devotionis meæ currat epistola, ubi corpore absens, corde semper præsens sum. Summo tamen desiderio provocatus ad vestræ dilectionis sinceritatem modis omnibus properassem, sed domesticis præpeditus & detentus negotiis, quod volo non valeo, venturus quidem cum facultas fuerit, imo cum vestræ sinceritatis imperio complacebit. Accepi apices vestros hilaritate qua debui & quanta potui: in quibus, quod molestissimum fero, vos vocatis me, magister & domine, & male dicitis, qui nec vestræ sanctitatis servus;

(a) S. Eucharii celeberrimum monasterium in suburbio urbis Treviricæ, vulgo S. Matthiæ nomine insignitum.

(b) Godefridus qui ab anno 1181. ad 1210. S. Matthiæ monasterium rexisse dicitur.

(c) Ludovici qui sub Hillino archiepiscopo Trevirensi idem cœnobium administravit.

ne dicam, discipulus merear appellari. Ceterum cum unus sit magister & Dominus omnium Jesus Christus, vos qui portastis jugum ejus ab adolescentia, me sancta & efficaci orationum vestrarum instantia Domino lucrari studeatis, ut ejus conservi simus ei servientes cui servire, regnare est. Deum testem invoco, quod de vestrarum sanctitate precum confisus, non modicam salutis meæ spem concepi. Super statu dilectionis vestræ certum aliquid audire sitio. Hoc tamen a nonnullis audivi, quod Florinensis cœnobii fratres electione devota & consona vos abbatem habere decreverunt; B vos itaque non honorem, sed onus; non divitiarum mollitiem, sed officii molem attendentes, sic Florinensi provideatis ecclesiæ, ut si sub aliis pastoribus floruit, sub vestri cura regiminis non florem tantum, sed & fructum uberem se gaudeat invenisse. Remis more solito moram facio, &c.

EPISTOLA XIX. EJUSDEM ad eumdem Guibertum.

Assiduas ejus ad Deum pro se orationes deprecatur. C

CArissimo suo & in Christo plurimum diligendo domino Guiberto, Joseph quanta potest devotione suus, sincere cum salute salutantis affectum.

Noverit sanctitas vestra me semper & ubique vestrum, vestri conspectus desiderio jugiter concitari. Quod quia localε interstitium invidet, feci quod potui, vestram, cum corpore non possim, scripto quo possum præsentiam prosecutus. Meus quidem animus vobiscum non hospitatur, sed moratur, ut jam vicissim ad nos redire non D possit qui numquam discedit. Vos forte vicem non rependitis, cum major mihi instet necessitas, ut jugem mei habeatis memoriam, ibi præcipue ubi patri filius immolatur. Sane cum ex summa dilectionis sinceræ fiducia vobiscum loquar ut mecum, non erubesco ulcera mea detegere, amico præsertim & medico. Vagus & pollutus cogitationibus distrahor, verborum lasciviam studiosius amplector; opera quæ Deo displicent operor, semper in deteriora vergens, E ut jam me undique pulset mors in domo, mors extra domum, mors in sepulchro. Væ mihi! quidnam faciam? quæ munimenta conquiram? quibus utar consiliis? ut mihi a sanctitate vestra singulare præsidium postulem, ut pro me Deum implorare velitis, qui impetrare valetis. Scio enim quia valet multum deprecatio justi assidua. Videte ergo ut assidua sit quam pro me peto fundi deprecatio. Aut enim justitiæ opinionem habetis & non rem, aut preces sanctitatis vestræ mihi prodesse persentiscam. Vos ergo de cujus sanctitate vehementer præsumo, A votis meis cum omni studio ac diligentia consulite, quia procul dubio vobis erit lucrosum lucrifacere proximum.

EPISTOLA XX.

Magistri Josephi ad Guibertum abbatem Florinensem.

Profecturus Jerosolymam cum Cantuariensi archiepiscopo ejus se precibus commendat.

REverendo domino suo & amico sibi in Christo singulariter dilecto G. Dei providentia abbati Florinensi, Joseph semper suus, ubique suus, totus suus, salutem & se totum ex toto.

Loquor sanctitati vestræ in pera & baculo, divina vocante & utinam prosequente gratia, Jerosolymam cum domino meo Cantuariensi archiepiscopo profecturus. Vos autem quem sincere in Domino & singulariter diligo, mihi cum proficiscimur sic vestra mecum properegrinetur dilectio, ut qui corpore sejungimur, simul copulemur. Summa vero petitionis meæ est, ut me certe vestrum sancta orationum vestrarum instantia persequamini, ac Deum itineris nostri præceptorem & ducem; pro me magis assidue quam frequenter oretis; scio enim quod multum valet deprecatio justi assidua. Utinam vos dominum meum, dilectissimum meum semel videam antequam moriar. Sed quoniam ignoro utrum vos ulterius in corpore visurus sim, rogo ut cum aliquid scriptorum meorum inter vestra repereritis, Joseph vestri aliquatenus memoria vobis innovetur. Si enim juxta poëticum illud,

Dormitat, si non visu pascatur amico,
Et non colloquio sæpe fruatur, amor.

De recordatione vestri, domine mi, quid fiet, cum me in tam longinquam regionem profecto, nulla de cetero mutuæ visionis seu collocutionis spes resideat? Propter hanc formidinem, secundum verba beati Petri, justum arbitror, quamdiu sum in hoc tabernaculo, nesciens an velox an tardior sit depositio hujus tabernaculi, id est corporis mei, suscitare vos in commonitionem magnæ utilitatis & commodi utriusque nostrum. Attamen rogo ne velut insipientem accipiatis me, quasi qui velim docere vos, quem ut spero, magistra Dei unctio docet, quantum judicat expedire de omnibus necessariis. Sed in hoc tamen sufferte insipientiam meam, quod saltem satis vigilem monere vos præsumo, sed caritas Christi ad hoc urget me. Hac igitur impetrante veniam & dante fiduciam, morem gerens amici, & etiam pro sollicito sollicitus exhortor & precor, quatenus in cunctis pro re, pro loco, pro tempore, pro personis, utpote in cujus manu tantorum salus versatur, timo-

rate & diligenter, circumspecte & solerter A vos agatis: quia non solum de vobis, sed & de his quorum curam suscepistis districto judici Deo rationem redditurus estis, mei quoque inter hæc sive adhuc in corpore manentis, sive post obitum non ultimam habeatis memoriam. Obsecro jam quod sine lacrymis non profero, extremum, ut puto, dilecti vestri Joseph vale, accipite, & ex munusculis meis quamdiu vobis ea habere placuerit, firmitatem devotionis meæ erga vos fideli officio recolite.

EPISTOLA XXI.
ad Josephum scholasticum.

De mutua eorum amicitia.

G. Dei permissione, & utinam ipsius voluntate abbas Gemblacensis, singulari mihi jam pro meritis suis dilectione complectendo Joseph egregiæ probitatis scolastico, quicquid filio pater.

Dudum te, amantissime, in Geldorensi oppido commorantem cognoscens, considerata vultus tui honestate, & venustate, oris gratia, elegantia sermonis, frontis hilaritate, continentia oculorum, & gestuum totius corporis tui moderatione inspecta; C ultra quam credi possit super his delectatus & admirans in juvene tantæ specimen honestatis reperiri, totis te dilectionis visceribus suscipiens, requievit in te spiritus meus. Usus familiaritatis & ausus deinceps auxit notitiam, & quanto notior, tanto carior & dulcior mihi esse cœpisti, & expertus sum in te quod ait beatus Gregorius, quia amicus quasi animi custos dicatur, eo quod amor ipse notitia sit. Vidi, consideravi, & adamavi faciem interioris hominis tui, multo virtutum decore radiantem, & D adhæsit post te anima mea, & igne caritatis liquefacta, ut sic dicam, cucurrit in tuam. Et nescio quo occulto naturæ instinctu nonnumquam fit ut ex solo mutuæ visionis vel collocutionis intercessu plerique indissolubilis nexibus amicitiæ fœderati constringantur, abstrahente & afficiente eos exuberantia internæ pulchritudinis, qua etiam secundum interiorem exterior homo interdum componitur, sicut scriptum est, sapientia hominis lucet in facie ejus. Unde tu, frater dulcissime, dum in viris religiosis E & devote se habentibus disciplinatos mores consideras & imitaris, mirabilem te & imitabilem præbes, oculosque intuentium convertendo in te avolare facis, vocem quoque tuam quibus loqui dignaris gratam & colloquium tuum dulce reddis, & faciem multis decoratam virtutum insignibus desiderabilem exhibes. Quibus tractus incitamentis desidero & afficior videre te, amplecti te, & loqui tibi; sed nec capio, nec assequor quod cupio; dubius ac varius inter fidem & affectum, inter spem & metum positus quid eligam aut diffiniam ignoro. Fides quæ secundum Chrysostomum amicitias servat, sanctaque collegia copulat, de indissolubili dilectionis tuæ fraternitate certum me reddit, affectus, dum ei copia fruitionis denegatur, & se differri a gratia cohabitationis tuæ dolet, & quod gravius ducit, fraudari perpetim veretur, angitur, suspirat & ingemiscit. Sed inter hæc, dulcissime frater, quid facies? Numquid omnino dissimulabis? Numquid nos te desiderantes & quærentes te suspirantes despi- B cies, &c.

EPISTOLA XXII.
Ad Philippum Coloniensem archiepiscopum.

Opusculum aliquod a se compositum ipsi offert.

Domino & patri, eximia pietate animi, egregia & morum probitate prædicabili, atque inter præcipua Christi membra, gratia ipsius exaltato Coloniensi antistiti Philippo, frater G. sanctitatis ejus humilis servus, quo nihil salubrius optari potest capiti suo per ejus & sanctorum imitationem in omnibus congruere.

Reverentiæ vestræ munus dicatum, ut potui, Deo juvante, perfeci, & in eo quod non solum a vobis, sed ab universis acceptatur, non frustra me laborasse gratulor & exulto, sed humiliter sanctitati vestræ, pater venerande, supplico, quatenus munusculum meum eo affectu quo a me oblatum est, suscipiatis, & commendare non abnuatis juxta illud:

Exiguum munus cum dat tibi pauper amicus,
Accipito placide, & plane laudare memento.

Et quid utilius munere boni consilii, sicut scriptum est: *Sermo bonus super datum optimum.* Unde & in calce moneo, ut a dissipatione animarum mentem colligendo, ad illam optimam partem Mariæ vos conferatis, & illi uni summo bono inhæreatis, quatenus unus esse illorum mereamini, de quibus dicit Apostolus: *Qui adhæret Deo, unus spiritus est cum eo.*

EPISTOLA XXIII.
ad intrusum (a) Moguntinensem. [a]

Æmulator zeli ejus, cujus ventilabrum in manu ejus ad permundandum aream suam, & de cujus ore procedit gladius utraque parte acutus, ad faciendam

(a) Christianum *de Buche*, uti credimus, Frederici imperatoris cancellarium, qui vivente adhuc Conrado legitimo pontifice, sedem Moguntinam occupavit.

vindictam in prævaricatores legis, & gratiæ contemtores, angelo & officialibus Moguntinæ ecclesiæ, retributionem pro meritis.

Si nescire misereri, &c. *ut in tomo primo Anecdot. pag.* 323.

EPISTOLA XXIV.

ad Sifredum archiepiscopum Moguntinum.

Ad ipsius jussionem opusculum aliquod scribendum suscipit.

PUrissimo piæ dilectionis affectu semper colendo patri, sanctæ & inclytæ Moguntinæ civitatis archiepiscopo SIFREDO, frater GUIBERTUS servorum Dei suo arbitratu minimus, summi & æterni sacerdotis JESU CHRISTI doctrinis & exemplis in omnibus semper adhærere.

Quoniam scribere aliquid ad instructionem vel ad compositionem animi meæ humilitati vestræ paternitatis sublimitas jubere dignata est, dum magna jussionis vestræ mole ulterius premi refugio, eligens magis ab aliquibus notari de imperitia, quam a vobis de inobedientia redargui; tandem post longum tempus obedire decrevi. Et quidem multa dici possent, sed usu docente, nonnunquam in lectione experimur accidere, quod in conviviis plerumque evenire solet, quia sicut ferculorum multiplex satietas periculosa est, ita & lectionis continuata prolixitas legentibus onerosa. Coronam capitis vestri, pater sanctissime, ad munimen & honorem ecclesiæ suæ Deus optimus longo tempore incolumem custodiat, & cum vobis vitæ terminus qui præteriri non poterit, beato fine quiescentem, plenumque bonorum dierum & operum in consortio vos sanctorum pontificum suscipiat. Amen.

EPISTOLA XXV.

ad Sifredum archiepiscopum Moguntinum.

Gratulatur ei quod spretis schismaticis adhæreat legitimo papæ Alexandro.

VEnerabili & omni reverentia suscipiendo patri, S. Dei gratia nobilis & inclytæ civitatis Moguntinæ archiepiscopo, frater GUIBERTUS humilis quondam abbas Gemblacensis cœnobii, nunc simplex monachus in stadio præsentis vitæ & inter ærumnas hujus sæculi sic currere, ut in patriam futuræ beatitudinis bravium, id est mercedem a Deo certantium inspectore, dignæ retributionis bravium mereatur accipere.

Completum in vobis videmus & gaudemus, quod ait Dominus: *Qui ambulat in die non offendit.* Et: *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.* Vos A autem non negligenter audistis verbum Domini dicentis: *Ego sum ostium, per me qui non introierit, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro.* Reliquistis tenebras & ad lucem transistis, dum spretis pertinacissimis defensoribus iniqui schismatis, ad justas partes catholici pontificis ALEXANDRI accessistis, & adinstar Moysi aspicientis in remuneratorem, magis elegisti cum populo Dei affligi, quam sub Pharaone deliciis Ægypti affluere. Immo instar ejus, qui, secundum Apostolum, cum dives esset, pro nobis pauper B factus est, de amittendo episcopatu in nullo diffisus, spontaneum patriæ prætulistis exilium, &c. Omnipotens Deus vos & omnes ad opera bona exercenda præparantes se, jugi protectione ab omni malo custodiat, & ab universis obstaculis quibus a sancto proposito impediri possent expediat, & exitum vestrum a corpore, misso in exercitu vestro sanctorum angelorum præsidio, ab incursibus malignorum spirituum defendat, & animas vestras in illam supernam civitatem gloriosam & pacatam Jerusalem illæsas perducat. Amen.

C

EPISTOLA XXVI.

ad Sigifridum Moguntinum & Philippum Salzburgensem archiepiscopos.

Hortatur ad exilium pro Dei causa fortiter perferendum.

SAnctis patribus & apostolicis sacerdotibus dominisque amantissimis SIGIFRIDO Dei gratia Moguntino archiepiscopo, & PHILIPPO Salzeburgensi pontifici, frater G. servorum Dei minimus, om- D nimodum quod a minimo maximis exhiberi potest obsequium, & sinceræ dilectionis indiscretum & æqualem ambobus officium.

Gaudeo, reverendi præsides, & plurimum glorior, quod, ut credo, disponente Deo, ad notitiam celsitudinis vestræ exiguitatis meæ tantillitas attigerit, magni hoc ipsum mihi occasionem profectus fore spe non incerta præsumens. Si enim estis quod esse debetis, id est olivæ fructiferæ, candelabra lucentia, stellæ sive angeli ecclesiarum, sacerdotes Dei, pastores ovium, E mediatores Christi & plebium, quidni sperem ab olivis oleum consolationis, a lucernis splendorem consilii, & fervorem exempli salutaris, a stellis, ne quasi in nocte periculosæ hujus vitæ deviem, ostensionem itineris, ab angelis contra malignos spiritus munimen defensionis, a sacerdotibus seu mediatoribus munia sanctificationis vel reconciliationis, a pastoribus sollicitudinem spiritualis curæ, & internæ refectionis alimenta. Propterea dixi & merito dixi me de adeptione sanctæ & jocundæ familiaritatis vestræ non modice lætari, quorum pa-

trociniis in tantis quæ dixi, immo in pluribus quam dixi, spero & expecto juvari. Quis enim tam vecors sit, qui non se talium vehementer gaudeat notitiam acquirere, quorum consiliis & beneficiis in corpore & in anima non mediocriter, si velit, possit proficere? Attamen quoniam alter vestrum & honore superior, divitiis facultatibusque est cumulatior, non putet me tam ineptum, ut propter disparem exteriorum affluentiam rerum, dispari eum amoris complectar affectione, cum ab utroque æquali me credam redamari dilectione. Nunc vero, reverendi patres, qui exilium ob conservandam innocentiam præfertis, nolite amittere confidentiam vestram, quæ magnam habebit, Deo conferente, remunerationem. State viriliter in fide, roboremini spe, dilatemini caritate, in tantum ut non ipsos persecutores vestros a sinu pietatis & orationis vestræ excludatis, quoniam si trium istarum virtutum funiculo summæ Trinitati colligati teneamini, securi estote, non cadetis: quia sicut nihil boni est, quod ita fixis potest deesse, ita nihil mali est, quod vobis possit obesse. Sed sicut beatus Petrus ait: *Si quid propter justitiam patimini, omnino beati*. Nam juxta sententiam Domini: *In patientia vestra possidebitis animas vestras*; & secundum Prudentium:

Virtus invalida est, quam non patientia firmat.

Unde patientia valde vobis necessaria est, ne & animæ vestræ periclitetur, & virtutum status infirmetur. Erudiri ergo, & promoveri, non reprobari, ex correptione patris & provisoris sapientissimi vos arbitrantes, magis in adversis quam in prosperis de ejus misericordia confidite; quia post purgationem quam non prosperitas, quæ nonnumquam negligentes reddit, sed stultos perdit; sed adversitas quæ sapientes exercet, probatosque virtutibus exornat, nullatenus relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem justorum; sed cum per castigationem exarserit in brevi ira ejus, beati omnes correpti & correcti, qui de retributione fidentes erunt in eum. Suscipiat vos, reverendi patres, in sua protectionis defensione protector omnium sperantium in se Deus, & protectos ab omni malo, & perfectos in omni bono, a labore in requiem, a luctu in gaudium, a morte in vitam transferat perpetuam, & repletos jocunditate cum suo vultu beatos faciat eos in terra viventium sine fine. Amen.

ALEXANDRI PAPÆ III. ad episcopum Meldensem.

Ut nulli parrochialis ecclesia concedatur, qui non resideat.

ALEXANDER episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Meldensi episcopo (*b*) salutem & apostolicam benedictionem. *Circa 1180. Ex cartario Meldensi. [b]*

Sicut ad officium nostrum pertinet quæ incongrua sunt prohibere: ita nobis potissimum convenit quæ recta sunt stabilire, & stabilita apostolicæ firmitatis præsidio roborare. Hac itaque ratione inducti, auctoritate duximus apostolica prohibendum, ne in episcopatu tuo alicui liceat ecclesiam parochialem tenere, nisi ei in persona voluerit propria deservire, salva misericordia circa eos qui infirmitatis vel alia causa canonica impediente, suam non potuerint præsentiam exhibere. Datum Lateranis, . . . calendas Aprilis.

CARTA PHILIPPI AUGUSTI pro ecclesia Matisconensi.

Adversus Gerardum comitem Viennensem.

IN nomine, &c. PHILIPPUS Dei gratia Francorum rex. Ad querimonias ecclesiarum contra earum impugnatores in multa regni copia Burgundiam intravimus, ut qui malefactorum injuriis opprimebantur, nostro levarentur auxilio, & firmam ecclesiis pacem restitueremus. Controversiam vero episcopi & clericorum Matisconensium contra GIRARDUM comitem Viennensem, sub Petrepertusio juxta Vizeliacum propter negotia terræ Burgundiæ decidenda sedentes, baronibus regni nostri astantibus, fine subjuncto determinavimus. Notum itaque facimus universis tam præsentibus quam futuris, quod in præsentia nostra recitatum est privilegium carissimi patris nostri, cujus hæc erat continentia: quod comes GIRARDUS episcopali sede vacante in domibus episcopi, sive rebus tam immobilibus quam mobilibus nihil juris haberet, & quod in rebus clericorum & villis nullas haberet procurationes, nullas hospitationes. Quæ omnia etiam nos firmamus. Ibidem insuper a nobis decretum est, quod idem comes in villa Matisconensi nullam firmitatem habere debeat, præter turrim suam, quam tum temporis habebat. Clericis vero claustrum utrumque, claustrum videlicet ecclesiæ, & claustrum domorum cum universis domibus suis infra ambitum claustri contentis pro beneplacito suo licebit firmare, & in villis suis in qui- *Anno 1180. Ex ms. Colbertino.*

(*b*) Simoni qui ex archidiacono Senonensi & thesaurario Meldensi sedisse legitur ad annum 1194.

buscumque

buscumque aliquo tempore firmitates habuerant, præcipue apud sanctum Clementem firmitates ædificare vel augere. Hoc autem comes GIRARDUS se episcopo & clericis inconcussum & illibatum tenere & conservare sub sacramento fidelitatis quam nobis juraverat, firmavit. Subjecerat autem utraque pars se nostro arbitrio. Unde comes TH. avunculus noster nostri auctoritate arbitrii de querimoniis clericorum, quod prædictum est, judicavit. De domo autem quam comes GIRARDUS in eadem civitate habebat, quia supra firmitatem eidem domui adjecerat, in curia nostra arbitratum est, quod quotiescumque nobis vel nostris expediret, eamdem domum nobis vel nostris redderet libere, ut hominum multitudinem seu paucitatem juxta beneplacitum nostrum imponeremus ibidem, cum ad jura feodi nostri eadem pertinent, & hoc se facturum jurisjurandi religione firmaret. Quod si vellet facere, quod de novo fuerat ædificatum, destrueretur, & domus ad status pristini mensuram reduceretur. Quæ omnia rata, &c.

Actum apud Petrepertusum anno incarnati Verbi MCLXXX. regni vero nostri anno primo.

CARTA HENRICI II. Anglorum regis pro Rothomagensi S. Pauli parthenone.

Sanctimoniales S. Pauli episcopis & abbatibus commendat, atque eis concedit ad usus proprios eleemosynam in silva de Roureio.

Circa 1180. *Ex ms. Colbertino.*

HENRICUS rex Angliæ archiepiscopo Rothomagensi, Bajocensi & Ebroicensi episcopis, abbatibus, comitibus, baronibus, justitiariis, vicecomitibus, & omnibus fidelibus suis Normanniæ, salutem. Sciatis quod ad petitionem & precem priorissæ ecclesiæ sancti Pauli extra Rothomagum, & sanctimonialium in eadem ecclesia Deo servientium, recepi & sigillo confirmavi scriptum, quod tunc temporis habebant a H. rege Anglorum avo meo in hæc verba. H. Dei gratia rex Angliæ, &c. Præcipio quod ecclesia sancti Pauli extra Rothomagum & priorissa & moniales quæ ibi Deo serviunt, de mea eleemosyna, teneant & possideant, terras & homines & omnia sua bene & in pace & quiete ab omnibus rebus ad me pertinentibus, tam in terra quam in aqua, & in nemore, & omnibus aliis locis, sicut umquam melius tenuerunt in pace, & quietiores fuerunt in tempore patris mei & fratris mei & in meo postea, & super hoc prohibeo super pœnam C. unciarum auri, ne quis contra hoc meum præceptum eat decrescendo vel minuendo libertates & quitationes suas, quas eis concessi, & vobis præcipio quod etiam prædictam priorissam, moniales, terras, & homines, possessiones, & omnia sua custodiatis, & manuteneatis contra omnes, & defendatis, sicut res meas proprias, quæ sunt de eleemosyna mea, & in tutela mea, & in manu mea. T. R. *de Ver* apud Rothomagum. Igitur auctoritate præcepti H. regis avi mei & antecessorum meorum, qui prædictam ecclesiam cum pertinentiis suis in eleemosynis statuerunt & confirmaverunt, & auctoritate mea, vobis præcipio, quod ecclesiam illam & priorissam & sanctimoniales ejusdem cum universis pertinentiis suis custodiatis & defendatis, sicut meas res proprias, & maxime homines suos, ubicumque sint contra omnes garantiatis, & liberos & quietos in omnibus manuteneatis. Et præterea dono & concedo in perpetuam eleemosynam priorissæ & monialibus prædictæ ecclesiæ proprios usus suos capiendos in foresta mea de Roureio, videlicet ad focum suum, & domos suas ædificandas & reparandas; & si bestia silvestris qualiscumque sit, capta fuerit infra metas priorissæ memoratæ, ipsa & moniales suæ illam bestiam habebunt in pace & quiete & sine molestia alicujus, videlicet de via quæ est inter ecclesiam prædictam & prioratum sancti Michaelis de Audoeno Rothomag. usque medio Sequanæ in latitudine, & de pomerio abbatis sanctæ Trinitatis de Monte usque in finem terræ de *Merdepluet* in longitudine, secundum quod terra sua se proportat in villa de *Merdepluet*. Si quis autem contra hæc præcepta mea ire temere præsumserit, vel molestiam aut gravamen aliquod priorissæ aut monialibus aut suis fecerit, volo & præcipio quod pœna de centum unciis auri ab eo sumatur, & priorissæ prædictæ & monialibus suis detur, vel tantum in meo carcere teneatur, donec ad plenum priorissæ prædictæ & suis monialibus satisfecerit T. G. D. H. (a) Bajocensi R. B. episcopis apud Cadomum.

EPISTOLA NUNCUPATORIA Willelmi ad Willelmum archiepiscopum Remensem in suam Microcosmographiam.

Circa 1180. *Ex ms. Trevirensi S. Matthiæ.*

REverendo patri & domino Willelmo Dei gratia Rhemensi archiepiscopo & apostolicæ sedis legato, Wilhelmus suorum minimus suam Microcosmographiam.

Inter ceteras animi tui virtutes, maxime amplector & approbo amorem litterarum, & honorem quem eis exhibes percopiosissimum. Quam id autem recte faciam videre li-

(a) Henrico II. qui ex decano Salisberiensi electus est episcopus anno 1165 teste Roberto de Monte in Chron. fato functus dicitur anno 1205.

cer. Quid enim dulcius studio litterato? his dico litteris quibus infinitatem rerum comprehendimus, Dei ac Domini nostri naturam ac potestatem contemplamur, quibus animum a corporeis voluptatibus seducimus, & secum esse cogimus, ex quibus honestissimam formulam vitæ atque morum mutuantes, virtutes excolimus, adeo ut non solum mores & scientiam, quæ nec in extremo vitæ tempore nos deserunt, quæ nonnihil studendo combibimus, verum etiam cum de hospitio carnis exeundum erit, actus nostros calculcantes vitæ occupatione studii bene actæ, voluptuosa memoria perfruemur. Ad summum nulla vita magis molesta quam otiosa, nulla magis morigera quam studiosa. Si quantæ ergo hæc sunt causæ laudis, tantas tibi laudes mihi conduceret ascribere, dignitatem excellentiæ tuæ cumulatissimis præconiis extollere contenderem: sed vereor ne hujus boni partem sibi nanciscatur inde nata voluptas, vel in oratione mea sensim surrepat adulatio, cui apud sapientem locus esse non debet, cujus cum virtute nullum est commercium; per quam meam apud aliquem nolim coalescere amicitiam vel familiaritatem. Sed ne utinam etiam apparens vel suspecta pariat odium, studiosius etiam eam vitarim propter lividos obtrectantium morsus, qui tantum legere quærentes quæ carpant, non amplius concupiscunt bona quæ laudent, quam minus probe dicta quæ rideant, & ambigua quæ sinistre interpretentur. Quippe nimis singulares sunt, parem non patiuntur, minores contemnunt, majoribus invident, ab æqualibus ut scioli videantur omnino dissentiunt. Sed tempus est ut moras nostras incidamus, & quicquid illud est quod proposuimus pauculis sermonibus explicemus.

Cum apud antiquos crebertimas quæstiones de constitutione humanæ naturæ, & ejus similitudine, & differentia cum aliis naturas inveniam ventilatas esse, & quasdam solutas, quasdam cum suis dubitationibus dissertationi modernorum relictas; modernos vero non solum inventionibus suis vel judicio antiquis non præluxisse, nec saltem cum eis dubitasse, sed studio negligenti quo turpiter utuntur, in eis magnas infudisse tenebras. Adeo ut si prius in memoria fuerint, negligentia eorum omnino venerint in oblinem. Quasdam illarum in unum colligere dignum duxi, easque singulariter probabiliterque pertractare, necnon paucis solutionibus, eisdem tamen luculenter venustare, opiniones antiquorum & solutiones minime prætermittens. Et si qua etiam mediocriter, non erronea, tamen nec fortuita opinione potero conjectare interponens. Hujus autem

A operis ultimum excellentiæ tuæ relinquo examen, circa quod æstimata ingenioli mei parvitate judicium habeas restrictius, ut honorem saltem quem dictioni ademeris, dones rei & materiæ. Quod autem nec dictioni nec materiæ vel rei donare noveris, auctori ignorantiam suam profitenti condones.

CAPUT PRIMUM.

Utrum homo naturaliter habeat intellectum.

Constat hominem ex anima intelligibili &c.

EPISTOLA JOHANNIS MONACHI Altæ-Silvæ ad Bertrandum episcopum Metensem.

E *Nuncupat ei librum suum de Rege & septem Sapientibus.*

Reverendo patri ac domino BERTRANDO (a) Dei ordinatione Metensi episcopo, frater Johannes qualiscumque in Alta-Silva (b) monachus, beate vivere & — Circa 1180 Ex ms. Aureæ-Vallis. [a] [b]

(a) Bertrandus Saxo ex archiepiscopo Bremensi factus est episcopus Metensis anno 1179. rexitque hanc sedem ad annum 1210, quo fato functus dicitur.

(b) Alta-Silva, Gallice *Haute-Seille*, est monasterium ordinis Cisterciensis in diœcesi Metensi, cujus nulla mentio in Gallia Christiana.

beatius vitæ curriculum terminare.

Olim dudum intra claustralium latebras pontificumque infulas virum quæsieram, in quo sibi cor meum complaceret, virum dico virtutis, sanctum, justum & perfectum, tam divinis quam humanis legibus eruditum. Quæsieram & defeceram in quærendo, de inveniendo utique desperatus. Dolebam ergo & quod operam meam perdidissem, & quod, ut credebam, in ecclesiis Christi circa me positis defecisset, qui pastoris vel saltem mercenarii officio digne ac legitime fungeretur. Unde etiam præ abundantiori justitia deducebant oculi mei lacrymas; & aquis palpebræ meæ jugiter defluebant, donec tandem mihi in mœrore posito; vestra quamvis sero luce clarior resplenduit sanctitudo. Respirans igitur a dolore, tanto lætior de invento quod tam avide quæsieram effectus sum, quanto antea gravius de non invento fueram contristatus. Visaque est mihi vestra sanctitas eo copiosior & excellentior, quo nunc his diebus nostris qui mali sunt, rarior quis similis vobis & difficilius invenitur. Nam hoc maxime tempore, secundum Domini dictum, vix invenitur locus, ubi digne possit caput suum Filius hominis reclinare, quia jam defecit sanctus; jam non est propheta, jamque sicut populus, sic sacerdos. Rara etenim securis aurea, raraque avis in terris albo simillima cygno. Verum non mirandum, quod virtutem sua pretiosiorem dixerim raritate, quamquam philosophorum quidam affirment, ipsam nullo modo posse minui vel augeri. Si enim omne rarum ideo pretiosum quia rarum; quanto magis vir virtute & scientia præditus pretiosior est omni pretio æstimandus, qui vix in mille hominum millibus, vix in totius orbis circulo invenitur. Ego autem ad columnam firmam lucernamque ardentem ac lucentem in caliginoso loco, vestram dico sanctitatem, me totum conferens, non quidem ut vos per me firmior aut clarior reddamini, sed ut ego per vos & clarior & melior efficiar, præsens opusculum de Rege vel septem Sapientibus editum, primitias similiter ingenioli mei vestræ paternitati transmisi, & ut a vestræ Minervæ regula corrigatur, & a vobis auctoritatem mutuet & patrocinium. Accipiat itaque vestra dignatio libellum vestro nomini consecratum, accipiat, inquam, primos fructus plantæ quam plantavit amicus vester domnus HENRICUS monasterii mei venerabilis dispensator; utque vobis de cetero, si quid contigerit me scribere, reverenter assurgam, huic libello vos patronum non judicem præbeatis. Ceterum rogo vos obnixius, ut super hoc mihi rescribere dignemini, quatinus vestra rescriptio inserta opusculo eidem, auctoritatem præbeat & tutelam. Bene valete.

A

CARTA PHILIPPI REGIS Francorum de firmitate quam Burgenses fecerant adversus sanctum Medardum; quam Ludovicus dirui fecit; & fieri amplius non sustinebit.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Amen. PHILIPPUS Dei gratia Francorum rex. Noverint universi præsentes pariter & futuri, nos concessisse quod firmitatem quam burgenses Suessionis de versus sanctum Medardum fecerunt ex transverso, unde castellum sancti Medardi, quod nostrum est, extra firmitatem relinquebatur, quam videlicet genitor noster LUDOVICUS dirui fecit; & nos similiter fecimus, deinceps fieri non sustinebimus. Quod ut ratum apud posteros permaneat, præsentem paginam sigilli nostri auctoritate, ac regii nominis caractere subterannotato præcepimus confirmari. Actum Silvanectis anno Incarnati Verbi MCLXXXI. regni nostri tertio, astantibus in palatio nostro quorum nomina supposita sunt & signa. Signum comitis THEOBALDI dapiferi nostri. S. GUIDONIS buticularii. S. MATTHÆI camerarii. S. RADULFI constabularii. Data per manum HUGONIS cancellarii.

Anno 1181. Ex cartario S. Medardi Suessionensis.

B

C

BULLA LUCII PAPÆ III. pro monasterio Leodiensi S. Jacobi.

Confirmat ipsi ecclesiam S. Mariæ Magdalenæ.

LUCIUS episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis abbati & conventui sancti Jacobi Leodiensis, salutem & apostolicam benedictionem.

Circa 1181. Ex schedis Cl. V. Baronis de Crassier.

D

Ad notitiam nostram certa relatione pervenit, quod cum ecclesia beatæ Mariæ Magdalenæ, quæ in Leodio est, ad tantam quondam inopiam sub sæcularibus clericis devenisset, ut vix in ea unus ex multis honestam posset sustentationem habere, bonæ memoriæ HENRICUS quondam Leodiensis episcopus eamdem ecclesiam cum pertinentiis suis, de assensu Leodiensis ecclesiæ & fundatorum illius, præfatam ecclesiam beatæ Mariæ Magdalenæ monasterio vestro concessit, & ad divinum ibi servitium perpetuo celebrandum de eodem monasterio in eam monachos instituit; & concessionem suam scripto proprio confirmavit. Unde nos quod ab eodem rationabiliter factum est & hactenus observatum, ratum esse volentes, ecclesiam illam cum pertinentiis suis, sicut eam ex dono episcopi memorati juste ac pacifice possidetis, & in scripto autentico continetur, vobis & monasterio vestro auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam no-

E

stræ confirmationis infringere, vel ei aliquatenus contraire. Si quis autem attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Veronæ septimo calendas Octobris.

EPISTOLA LUCII PAPÆ III. ad S. Meldensem episcopum.

Confirmat ipsius statutum de residentia eorum qui personatum obtinent in ecclesia Meldensi.

Circa 1182. *Ex cartario Meldensi.*

LUcius episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri S. Meldensi episcopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Quæ pro ecclesiarum utilitatibus & eorum qui nolunt ecclesiis a quibus stipendia quotidiana recipiunt deservire, malitia reprimenda rationabiliter statuuntur, firma debent & illibata persistere, & ne pravorum nequitia perturbentur apostolico munimine roborari. Accepimus sane quod hii qui in ecclesia tua personatum habere noscuntur, nolunt ipsi ecclesiæ in propriis personis deservire: unde eadem ecclesia in agendis suis e personarum absentia non modicum patitur detrimentum. Qua de causa tu, venerabilis frater, canonicorum ejusdem ecclesiæ consilio & assensu rationabiliter statuisti, ut nullus qui in ecclesia ipsa personatum a modo receperit, in chorum recipiatur, nisi de obsequio ecclesiæ in persona propria exhibendo promissionem fecerit congruentem, salva tamen tua & capituli tui licentia, sive majoris & sanioris partis, quam quidem constitutionem, sicut rationabiliter facta est, auctoritate apostolica confirmamus. Statuentes ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Lateranis quarto calendas Februarii.

EPISTOLA BERTRANDI EPISCOPI Agennensis ad Lucium papam III.

Quod Henricus rex Angliæ junior sepulturam elegit in ecclesia Rotomagensi.

Circa 1182. *Ex schedis nostri Francisci Pommeraye.*

BEatissimo domino & patri suo LUCIO per Dei gratiam universalis ecclesiæ summo pontifici, B. Dei & sua miseratione Agennensis ecclesiæ humilis minister, salutem & promtam cum debita subjectione ad quæcumque possit obsequia voluntatem.

Ex scripturarum testimonio didicimus & illum per quem veritas occultatur & per quem mendacium profertur, eidem pœnæ obnoxios. Hinc est quod nos ad petitionem clericorum ecclesiæ Rotomagensis de sepultura regis HENRICI junioris, ne per nostram taciturnitatem justitia sustineat detrimentum, beatitudini vestræ veritatem rei gestæ significamus. Noverit itaque vestra paternitas, quod cum de mandato domini regis patris sui H. intuitu pacis reformandæ ad ipsum venissemus, eum in lectum ægritudinis decumbentem invenimus. Qui cum a nobis extremam unctionem & alia quæ in extremis agentibus ministeria solent exhiberi, cum summa humilitate ac devotione recepisset, tandem apud ecclesiam beatæ Mariæ de Rotomago nominatam sepulturam elegit. Verum cum nos & quamplures alii viri religiosi, attenta difficultate itineris, & loci remotione ei attentius consuleremus, ut apud monasterium de Grandimonte eligeret sepulturam, nullatenus eum a suo potuimus proposito revocare. Quid inde sit faciendum gloriosa vestræ sanctitatis providentia moderetur. Conservet Dominus sanctitatem vestram incolumem per multa tempora.

EPISTOLA ODONIS ducis Burgundiæ ad eumdem.

Ejusdem argumenti.

Circa 1082. *Ex schedis nostri Francisci Pommeraye.*

SAnctissimo patri & domino LUCIO Dei gratia summo pontifici, & omnibus fidelibus ad quos præsens scriptum pervenerit, ODO dux Burgundiæ, salutem.

Ad vestram, pater sancte, omniumque fidelium volo notitiam pertingere, me interfuisse, & audisse quando HENRICUS rex, Henrici regis Angliæ filius in extremis agens, elegit sibi sepulturam apud Rotomagum, rogans plurimum, ut in civitate Rotomagensi in ecclesia cathedrali sepeliretur, &c.

EPISTOLA CASTELLANI sancti Audomari ad eumdem.

Ejusdem argumenti.

Circa 1181. *Ex schedis nostri Francisci Pommeraye.*

VEnerabili patri & domino L. Dei gratia summo pontifici, castellanus sancti Audomari, salutem & reverentiam debitam & devotam.

Constet sanctitati vestræ, me interfuisse & audisse quando HENRICUS rex Henrici regis Anglorum filius in extremis agens, elegit sibi sepulturam in civitate Rotomagensi in cathedrali ecclesia, corpusque suum eo usque deferri suppliciter exoravit. Bene valeat sanctitas vestra nunc & semper.

EPISTOLA R. DUCIS Narbonensis ad eumdem.

Ejusdem argumenti.

Circa 1182. *Ex schedis nostri Francisci Pomeraye.*

REverentissimo in Christo patri suo & domino L. Dei gratia Romanorum pontifici, R. per eamdem gratiam dux Narbonensis, comes Tholosanus, marchio Provinciæ, salutem & seipsum.

Paternitati vestræ his præsentibus apicibus significamus, nos morti regis Angliæ junioris interfuisse, qui nobis audientibus in ecclesia Rotomagensi sibi elegit sepulturam, licet a pluribus rogaretur vel moneretur ut in ecclesia Grandis-montis sibi sepulturam eligeret, numquam potuit revocari a proposito suo; quin in ecclesia Rotomagensi juxta sepulturam avunculi sui GUILLELMI sibi sepulchrum collocari precaretur, &c.

EPISTOLA REINERI S. Laurentii Leodiensis monachi ad Fredericum Stabulensem monachum.

Mittit ei suum de casu fulminis libellum.

Anno 1182. *Ex ms S. Laurentii Leodiensis.*

F. in Christo familiari amico suus. R. (a) Monet Apostolus non alta sapere, sed humilibus consentire. Iccirco quoniam instar David te scio humilem in tuis esse oculis, nec genere nec scientia extolli, simul nec vilipendere amici scripta quamlibet simplicioris: libellum ad te flebilem scribere gratum & præcordiale habui; quem videlicet ut sic titularem ratio dictavit materiæ. Huic favorem, huic gratulationem te impensurum, prout ceteris soles opusculis meis non ambigo. Tametsi utilitas sit in eis modica. Sed magni pendis etiam minima pro tua indole bona. Nam mediocribus quoque scriptis amicorum benignitas scit favere, alienorum malignitas nescit ignoscere. Trahit invidus ad culpam, quod emendationis minus fuerit tractum ad limam. Sed habeo adversus te, quod caritatem primam reliquisti, siquidem postquam Stabulaus abiisti, postquam Stabulensis effectus es, nullum mihi alloquium, nullam litterarum schedulam misisti, quasi arietes, oves, vitulos Arduenna non habeat, de quorum solent pellibus confici pergamena. Et quæ tanta fuit Stabulaus tibi causa videndi illic? ne legata tibi est stabulandorum cura equorum, qua detentus litterarum ad amicum itatenus substraxisti officium? Sed forsan causaberis onagros abesse, qui tuos ad nos deportent codicillos. Assunt autem commeantes plurimi, si prædones vereris quorum ferax Arduenna est. Ergo per tales mitte, quorum supellex ad instar sit Gabaonitarum, qui misero potuere habitu ipsos etiam hostes inclinare ad misericordiam. Reduc ad memoriam, cantabit vacuus coram latrone viator. Quandiu autem non rescripseris, nec duos saltem cupreos a Samaritano denarios, nec a nobis vel Stabularii vale accipies.

OPUSCULUM CUJUSDAM ad amicum familiarem de casu fulminis.

Anno 1182. *Ex ms S. Laurentii Leodiensis.*

LIbellum ad te flebilem scripsi, ô Frederice, postulantem scire quo modo nuper plagati ab eo simus, qui plagatus pro nobis in cruce est: quomodo, inquam, ceciderit corona capitis nostri, ab eo dejecta qui spineam tulit in passione coronam, ut dolenter cum Job nostra dicere possit ecclesia: *Spoliavit me Deus gloria mea, & abstulit coronam de capite meo.* Vere, ut ait Jeremias, Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris, quia obscuratum est apud nos aurum divini timoris, mutatus est color optimus sanctæ religionis, atque ideo juxta eumdem prophetam, virgam vigilantem iræ Dei sensimus super nos. Nam præsenti anno, qui est ab Incarnatione dominica MCLXXXII. XI calendas Aprilis, in crastinum scilicet post diem Palmarum, mirabilis in altis Dominus intonuit super nos, fulmine cum maximo atque horribili fragore cadente. Quod licet extra ceciderit, ad sinistrum videlicet latus turris nostræ: tamen per majus ostium monasterii valvas feriendo ingressum, & ultro citroque volitans ac discurrens, confudit omnia vapore, fumo, fœtore secundum illud in Job: *Aspersum est in habitatione nostra sulfur.* Attamen nullum penitus læsit, quamquam intro plurimi essent: adeo ut ne cortinas quidem modicum afflaverit, quæ sicuti mos in Quadragesima est ante crucifixum in medio ecclesiæ & ante cancellum pendebant, pene celatis sursum terræ deorsum attiguæ. Tamen nunc supra easdem cortinas se elevando, nunc infra in modum explorantis quem feriret se deponendo, illius judicio qui terribilis est in consiliis super filios hominum, penetravit usque ad majus altare,

(a) Rainerus S. Laurentii Leodiensis asceta pius & eruditus, plura scripsit prosa & versibus, quæ fere sunt inedita, & versibus quidem de situ Sardiniæ: de conflictu duorum ducum & animarum mirabili revelatione: de milite captivato & per salutarem hostiam liberato: de adventu reliquiarum beati Laurentii in Leodium ab urbe Roma: de victoria S. Michaelis archangeli: hymnos septem breves de Spiritu sancto. Prosa vero seu soluta oratione scripsit Triumphale S. Lamberti in Bullonio castro. Opusculum de conversione S. Pelagiæ. Palmarium virginale de beata Virgine Maria martyre in Cappadocia. De vita S. Thiebaldi heremitæ. Lacrymarum libellos tres. De profectu mortis librum unum. Libellum de casu fulminis. De incendio ecclesiæ S. Lamberti breviloquium. De gestis abbatum & fratrum S. Laurentii. Lauream peregrinorum Jerosolymitanorum libris quatuordecim. Et quædam alia.

& aliquandiu circumvolitans, nec quicquam aliud tangens aut ustulans, pallium dumtaxat, quo ipsum altare opertum erat scidit, non ussit. Sigillum vero marmoreum in septem partes dissolvit, Sancto Spiritu septiformi, heu! a nobis offenso. Eo deinde quo ierat modo reversum, atque circa crucifixum & cortinam ei appendentem volitans, per majus item ostium monasterii super caput mulierculæ cujusdam astantis, & sanctum Laurentium inclamantis, innocue egressum est. Res quoque accidit mira, quam amplectimur quasi miraculum a Deo. Nam sudarium quo prædictum tegebatur sigillum, B ab ustione vel scissura inventum est illæsum, servante proculdubio illud Sancto sanctorum, qui suam in sepulcro faciem sudario dignatus est tegi, qui cum iratus fuerit, misericordiæ recordatur.

Eramus itaque non parva turbatione attoniti, turbante illo de quo propheta, *ab Aquilone*, inquit, *pandetur malum super terram*. Siquidem & ab Aquilonari parte coruscus hic & turbo pertonuerant vehementi grandine, ignem qui e vestigio ruptis nubibus est sequutus, tertio præcedente luce. Clarius ergo exerti in nos sunt tres illi de psalmo versiculi. *Ascendit fumus in ira ejus, & ignis a facie ejus exarsit, carbones succensi sunt ab eo. Præ fulgore in conspectu ejus nubes transierunt, grando & carbones ignis; & intonuit de cælo Dominus & Altissimus dedit vocem suam grando & carbones ignis.* C Forsitan cum Nadab & Abiu filiis Aaron in thuribulis nostris, id est in mentibus & corporibus nostris ignem alienum & incensum non bene redolens obtuleramus, quod ferre non potuit levita castissimus, martyr purissimus, qui juxta sancti Job dictum, probatus quasi aurum quod per ignem transit, qui seipsum obtulit Deo in odorem suavitatis. Unde & pavendum horrifice nobis quod D ait ad Hebræos Apostolus: *Horrendum est incidere in manus Dei viventis.* Quia terribilis est quædam expectatio judicii, & ignis æmulatio, quæ consumtura est eos qui Filium Dei conculcaverint, & sanguinem testamenti pollutum duxerint, in quo sanctificati sunt, & spiritui gratiæ contumeliam fecerint, pollute accedendo, temere tractando, indiscrete accipiendo corporis & sanguinis Christi sacramenta. Etenim quicumque manducat & bibit indigne, reus E est corporis & sanguinis Domini, judiciumque sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini. Novi siquidem & æterni testamenti hoc sanctum singulare dignius longe est, quam veteris & transitorii testamenti sanctum sæculare, dum & evangelii per Christum gratia pluris multum sit, quam per Moysen legis justitia. Quam tamen si quis irritam fecisset, sine ulla miseratione duobus vel tribus testibus moriebatur. Quo- A circa & idem Apostolus Corinthios non rite seipsos probantes, immo irreverentius tantis se mysteriis ingerentes, redarguens, *Ideo*, inquit, *inter vos multi infirmi & imbecilles multi, & dormiunt multi.* Languoribus enim tabescebant variis, & febribus inæstuabant & moriebantur plurimi. Quia igitur seipsos minime dijudicabant, quatenus emendationi studerent, judicabantur & corripiebantur a Domino; de quo ad Moysen angelus: *Dominus*, inquit, *zelator nomen ejus, Deus est æmulator.* Ad populum vero Moyses: *Deus noster ignis consumens est.* Cujus scilicet quantum movere soleant zelum anathematis seu obedientiæ contemtus, ut duo de innumeris ponam, exemplo est Achar, qui propter anathema lapidibus fuit obrutus, suaque omnia igne combusta. Itemque Saül, a quo propter inobedientiam scissa est regni purpura, dicente propheta, cujus sciderat ipse pallium, *Scidit Dominus regnum Israël a te, & quia projecisti sermonem Domini, projecit te Dominus ne sis rex. Melius est enim obedientia, quam victima, & auscultare magis, quam offerre adipem arietum, quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ nolle adquiescere.*

Materiæ, mi frater, exigit triste fundamentum, ut tristia superædificem verba, nec vereor ne illo Satyrici me notes elogio! *Plus aloes quam mellis habes*, cum vereamur, cum doleamus hæc fuisse potissimum mala, quæ nos cibaverunt pane lacrymarum, quæ nos potaverunt doloris absinthio. Sed cœptæ jam prosequar seriem narrationis.

Quando hæc nos incessit subito tempestas, procedere debebamus in civitate ad exequias cujusdam canonici; & propterea illo mane maturius officium aliquot horarum cum matutinali missa expleveramus, dispensante misericorditer eo qui omnia in mensura & pondere & numero constituit, ut non ad horam tantæ animadversionis divina celebrarentur super ipsum altare mysteria, quod sine multo fieri non potuisset periculo, tam in ministris quam in sacramentis. Miser ego ad tantam concussionem pavidus fugi in ecclesiam, ut ibi tutior essem, cum unus occurrit ex fratribus dicens pallas altaris a fulmine tactas ardere. Inhorrui, extremui, sed tamen prompta in martyrem fide excitus cucurri, negligensque mei. Necdum enim vapor cum fœtore, caligo cum horrore decesserant loco. Lanam altaris quam exuri putabam, corripui, ut excuterem: quæ vi quadam velut a vento dejecta, partim super ipsum altare, superjacente missali, remanserat, partim in pavimentum deffluxerat. Obstupui manisse incombustum, dum super eam scintillam ignis repetissem ardentissimam. In quam & aliquamdiu intendi atque consideravi quiddam fuis-

se vivacis ac subtilis substantiæ, de qua, martyre sancto teste, timui, ne mihi aut insiliret in faciem, aut sævum aliquid diceret, quod cum vellem decutiendo extinguere, subito disparuit. Fuisse dæmonem conjicio, qui pro sua potuerit subtilitate per rimas seu cavernulas irrepere, & ignea quadam vi vel demoliri aliqua vel adurere. Namque ut erratici, ita subversores sunt dæmones, quantum a Dei bonitate frigidi, tantum ex sui malitia igniti. Quomodo autem non pateat illi nos addictos sententiæ: *Misit in eos iram indignationis suæ, indignationem & iram & tribulationem immissiones per angelos malos.*

Pixidem denique argenteam, in qua corpus Dominicum habebatur, inveni super altare dejectam, quia cathenulam, de qua ex more pendebat, ferream, vis caloris velut stipulam siccam absumserat, ut vix aliquantos inde anulos reperiremus. Ipsam gemebundus accepi firmiter quidem seratam, sed atramenti instar fuliginatam, & foramen modicum præter solitum habentem, quo nescimus tunc artifice factum. Fuliginem illam manibus tenendo atque fricando abstersi, aperui, tresque oblatas intus integras, sed paululum obfuscatas inveni, circumstantibus ostendi, quoniam summa nobis erat trepidatio, ne corpus Dominicum deperisset. Fratres porro altare circumstantes, quatinus si quæ residissent ignis scintillæ extinguerent, pallium quidem, ut supra memini, scissum, sigillum in partes divisum, sudarium neque scissum neque ustum invenerunt: nisi quod etiam in eo, sicut in pyxide modicum foramen, quantum fieri acu posset videretur.

Igitur sigilli fragmenta cum lacrymis & mœrore multo levantes, plumbeam quæ sub ipso fuerat capsellam, in qua sanctorum reliquiæ continebantur, tutum in locum post altare transposuimus, ubi nec cura diligentior, nec lumen deesset continuum. Non enim ingrate accepimus, sed propensa gratiarum actione excolimus, quod ad tantum, ut dixerim caminum, nec plumbum liquefieri, nec reliquiæ consumi, nec potuerit cera resolvi. In prædicta etenim capsella domnus REGINARDUS memorabilis episcopus, constructor ecclesiæ istius, unica devotione suum ex cera cum reliquiis condiderat sigillum. Non advertis quicumque pietatis donatus es spiritu, trium hic puerorum præconiale spectaculum, quorum neque Sarabella, neque capillum saltem septemplicis flammæ valuit vehementia temerare? Etiam hic digito Dei athleta cooperatus est victoriosus, de quo veraciter dictum sit *cum transieris per ignem, flamma non nocebit te, & odor ignis non erit in te*. quandoquidem & ipse de craticula se assantibus dixerit: Infelices non agnoscitis quia carbones vestri non ardorem mihi, sed refrigerium præstant.

Ante hunc ignem flebiles ac si dicam threnas dixerat in visu cuidam sancti illius advoluto genibus & supplicanti; ô frater, venio iterum assari. Et quoniam minatur per prophetam Dominus, *Scrutabor Jerusalem in lucernis*, non habeatur frivolum quod visus est idem vigil sanctus omnia monasterii nostri & claustri noctanter diversoria deambulasse, & cum lucerna scrutatus fuisse, nec ut filios diei & lucis ambulare quosdam indignatus virga minaci longius eliminasse. Hoc etenim de quibusdam accidisse, magis est commiserandum, quam aliquem hoc vidisse insinuandum. Quod vero & illud quod conspecta est imago Domini in cruce pendens & quasi vivens amaras fudisse lacrymas, illi qui hoc videbat in mentem tunc veniente, quia videns Dominus Jerusalem flevit super illam. Qui videlicet tanto stupore ac tremore perculsus est, ut visionem non sustinens, nutabundo vix gressu sese subtraxerit. Verum quoniam dixit Ecclesiastes tempus loquendi & tempus tacendi, supersedeo nonnullis & visionibus & ostensis, quæ tantum nobis præsignavere malum, pro similitudine quadam illud tibi Virgilianum, mi frater, ingerens. Nam scholarum studiosus es litterarum.

Sæpe malum hoc nobis, si mens non læva fuisset,
De cœlo tactas memini prædicere quercus.

Quamquam igitur tam enormiter confusi, spectaculum quippe facti sumus mundo & angelis & hominibus, non tamen in salicibus Babylonis suspendimus organa nostra: immo, ut scriptum est: *In tribulatione invocasti me, & liberavi te, exaudivi te in abscondito tempestatis*, multiplicavimus laudare Deum super judicia justitiæ suæ variis satisfactionum modis, quos propter semetipsum habeat acceptos, qui penetravit cælos Jesus filius Dei, qui in diebus carnis suæ preces supplicationesque ad eum qui posset salvum illum facere a morte cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia. Ne desertum præterea usquequaque remaneret capitale nostrum, id est majus altare, oraculum attendimus propheticum: *Immola Deo sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua, & invoca me in die tribulationis, & eruam te, & honorificabis me.* Necnon licentia episcopali minus altare majori nunc usque superponimus, sacratum a domno THIEUVINO venerabili Leodiensium episcopo. Et quoniam ecclesia nostra III. nonas Novembris a sanctis sacrata & dedicata est episcopis REGINARDO videlicet, JOHANNE Portuensi apostolicæ sedis legato, PELEGRINO Coloniensi archiepiscopo, visum humilitati nostræ est, quatenus pro tantorum reverentia & prærogativa patrum, necnon & primæ sacrationis

pio respectu, denuo ipsa eadem die reconsecraretur. Proinde levamus oculos nostros in montes unde veniat auxilium nobis. In te ô benedicta Virgo MARIA, de qua, ut scribit Daniel, lapis abscissus est sine manibus, qui factus est in montem magnum, ita ut impleret universam terram, & in te, Laurenti, mons craticulate, qui quanto inter tormenta detritus, inter flammas es liquefactus, tanto magis excrevisti usque ad cœlestes Christi januas, quas ingredi sole clarior meruisti. In vos etiam, ô sancti omnes, quos in Canticis canticorum dilecta Dilecto esse pronuntiat montes aromatum. Quatenus nostrorum odoribus meritorum juxta Zachariæ dictum effundat Dominus super domum hanc, & super habitatores ejus Spiritum gratiæ & precum, ut secundum eumdem prophetam simus benedictio, qui maledictum esse nunc censemur a sæculo.

Siquidem hæc nostra flagellatio facta est multis in scandalum, quasi & ille circuitor, & perambulator satan Job justum non percusserit, Jesu quoque sacerdoti magno non steterit a dextris ut adversaretur ei, & psalmista non dixerit: *Fui flagellatus tota die & castigatio mea in matutinis*, innumeraque alia quæ possunt objici, quando nec ipse sathan quantum voluit, sed quantum & quo modo & ubi permissus est, nos impetierit, illius judicio cujus judicia abyssus multa. Quod evidenter cuidam ostensum est, qui subsecuto parasceve, dum matutinali hora post vigiliarum & orationum munia sese in terram paululum quieturus coram altari quodam dedisset, supra se quodammodo factus, vidit ea parte aeris qua fulmen deciderat, clarissimæ lucis angelicam cohortem, quæ obstiterit dæmonicæ cohorti, nostram penitus in conflagrationem succensæ; sed sicut deficit sic fumus deficit; sicut effluit cera a facie ignis, sic tartareus ille torris a facie martyris assati fumigans defluxit. Nec fuit horridior fumus ille quem vidit Isaias implesse domum Domini, isto qui totum ita monasterium obfudit, ut ex fulgure illud accensum flebiliter discurrendo perstreperemus. Sed profecto angelus faciei Dei, angelus quem quartum in camino cum tribus pueris deambulantem vidit & obstupuit tyrannus, ille, inquam, qui excussit flammam ignis de fornace, hoc etiam abegit incendium, & ipsos in dæmones tamquam in Chaldeos, qui feroces interpretantur, retorsit. Propterea miserationum, Domine, tuarum recordari æquum est, laudationem tuam loqui os nostrum salutare, super omnia quæ largitus es nobis secundum indulgentiam tuam, & secundum multitudinem misericordiarum tuarum. Omnia enim quæ fecisti nobis, in vero judicio fecisti. Nec sit supervacaneum, JESU CHRISTE sacerdos magne, sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, quod te vidit quispiam cultu sacerdotali, cultu supercœlesti, plus quam Aaron gloriosum ad altare quod nunc videris ut tabernaculum Silo repulisse, mystica quædam & quæ supra hominem sint, sacramenta celebrasse. Erat ecclesiæ structura mirabili modo innovata, aromaticus odor diffusus, claritas ut civitatis quæ juxta Apocalypsim non eget sole neque luna, ut luceant in ea. Nam claritas Dei illuminat eam, & lucerna ejus Agnus est. Illuminanti ergo mirabiliter a montibus æternis, supplicent omnes filii lucis, imploret atque impetret omnis ecclesia sanctorum, quatenus ecclesia nostra benedictionem accipiat & misericordiam a Christo Domino pontifice summo salutari vero. Amen.

REINERII LEODIENSIS S. Laurentii monachi prologus in vitam sancti Theobaldi eremitæ ab eo conscriptam.

Ex ms. S. Laurentii Leodiensis.

AD gloriam Dei profectumque legentium & audientium, virtutes recensentur atque opera sanctorum, quatenus in eis agnoscatur & laudetur gratiarum dator mirabilis, ac præclaræ exemplo virtutis fœcundæ mentes germina bona proferant actionis; typico apud historiam facto, qua scribitur Jacob sanctus virgas populeas virides & amigdalinas & ex platanis ex parte decorticasse, detractisque corticibus, in eis quæ spoliata fuerant candor apparuit, illa vero quæ integra erant, viridia permanserunt, posuitque eas in canalibus, ubi aqua effundebatur, ut cum venissent greges ad bibendum, ante oculos haberent virgas oves, & in aspectu earum conciperent. Eo nimirum modo in ecclesia ubi viventes fluunt aquæ cælestis doctrinæ; quibus greges potantur fidelium, positæ sunt virgæ virides, virgæ candidæ, sancti videlicet viri, quibus & fidei viror, & vitæ rectitudo, candorque boni inest operis, quorum in aspectu, quorum documento ac exemplis, oves, id est simplices juxta prophetam concipiant, & quasi pariant & parturiant, atque spiritum salutis faciant in terra, gratuleturque sponsus & dicat: *Omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est inter eas.* Sum quidem imperitus tam sermone quam scientia, utpote qui cum Esaü per lustra ferarum venando non discurrerim, qui per auditoria discendo non sim vagatus philosophorum: quin potius cum Jacob simplice penes matrem Rebeccam in tabernaculo semper resederim, regulare jugiter in ecclesia ocium observarim. Æterni tamen patris sapientiæ ac verbo, quod ex ore infantium & lactentium perfecit laudem, confido. Igitur laudabilem monachum indignus

indignus licet laudabo monachus. Opusculum duobus conficiam libris, cui præpingatur talis titulus: *Flos Eremi*: Qua enim vita, quibus floruerit virtutibus eremita & monachus THIEBALDUS in eo expediam; atque in primis ut tenellæ adhuc ætatis vel pueritiæ flores in hunc coalescant fructum enitar. Nam salubre est studiis pectus excolere honestis; otiositas quippe frutices alit vitiorum; quos ut precaverim studere juvat, quo veste nigra, tamquam nigris hœdorum togatus pelliculis, de illa quippiam assequar benedictione, quam tulit frater lenis a fratre piloso.

Finit prologus.

EJUSDEM PROLOGUS in vitam S. Pelagiæ.

Ex ms. sancti Laurentii Leodiensis.

EXemplar conversionis ac pœnitentiæ Pelagiam proposui, quæ de tenebris ad lucem, de prostibulo ad castimoniæ emersit sanctitatem, in qua benedicitur pater misericordiarum Deus, qui vas perditionis & iræ in vas transformavit & gratiæ: cujus dignatione nihil profecto dignius, indulgentia nihil præstabilius est, quem plus impænitens quam delinquens qui desperat, velut qui negat, offendit. Nemo itaque tam summe malus est, cui summe bonus non ignoscat, si rite pæniteat. Igitur Pelagia spem veniæ peccatoribus suscitat, multitudinem viscerum Christi prædicat: cujus monumenta conversionis ab alio quidem scripta reperi; sed cum oratio parum idonea, tum vero barbarismorum erat atque solecismorum tanta confusio, ut illustrem materiam stilus obscurior laceram reddidisse ac despicabilem videretur. Verum de scriptoris vitio potius quam de auctoris imperitia id accidisse suspicor, dum quatuor aut amplius glausulis, tum & dimidiis se versiculis passim mutilatum textus pronuntiaret. Gloriosis autem rebus plurimum tollit gratiæ sermo contemtibilis: meliori ergo aliquantum facie prædictam curavi materiam reformare, rudemque experiri adolescentiæ indolem. Opusculum in duos digessi libros, atque titulo prænotavi: *Speculum pœnitentiæ*. Nam quantum hujus remedii sit bonum, quam felix proventus, in hoc etiam speculari potest benivolentiæ expiatus collirio cujusvis oculus.

Finit prologus.

REINERI MONACHI Leodiensis S. Laurentii prologus in vitam Reginardi episcopi Leodiensis.

Ex ms. S. Laurentii Leodiensis.

JUxta Salomonis proverbium: *Pretiosi spiritus est vir eruditus*. Sed ego licet ineruditus, ideoque nullius revera pretii, tamen exigere a me ipso præcordiale & votivum habui, ut virum describerem pretiosum; id est REGINARDUM venerabilem episcopum, qui te, ô sancte Laurenti, specialem sibi patronum eligens, in quo serviatur perpetim Deo, ac tuum nomen, tabernaculum, hanc scilicet ecclesiam ædificavit in terra; unde & cælestis per te tabernaculi & ecclesiæ supernorum creditur meruisse municipatum. Ipse, inquam, nobis sub protectione tui degentibus patrocinii, & a strepitu sequestratis rerum sæcularium factus est velut in umbraculum diei ab æstu, in securitatem, & absconsionem a turbine & a pluvia: ad quem describendum etiam fratres quidam hortatu benivolo & jugi me precatu quasi pigrum ac desidem excitaverunt, importune objectantes, non minus gratitudinis, non minus obsequii me pio patri-familias debere nostro, cujus beneficiis educatus maxime essem a puero, quam sanctis præsulibus Wolbodoni & Euraclo, quorum jam antea duobus libellis vitam descripsissem. Verum supervacanei respondebam esse laboris eos commendare verbo; quos egregiorum clarificet lampas operum, ac si sole circumfusis facem quis præferat, accessuque luminum diei conetur claritudinem adjuvare. Attamen pro virtutum incitamento, profectuque vel legentium vel audientium, justum aliquem operæ pretium est celebrare litteris, ut secundum prophetam: *Memoria justi sit cum laudibus*. Nec enim post pænitentiæ dignos fructus Reginardo magis est imputandum, quod fecerit aliquando de mammona iniquitatis commercium, emendo scilicet episcopatum, quam Matthæo apostolo & evangelistæ, quod lucra sectando in sede publicani aliquando sederit ad theloneum.

Finit prologus.

INCIPIT VITA EJUSDEM.

In territorio Coloniæ Agrippinensis claro Reginardus genere, &c. *ut apud Ægidium de Aurea-valle; qui hanc Reinerii lucubrationem de verbo ad verbum suæ Leodiensium episcoporum historiæ pro more inseruit. Solet quippe ille scriptor aliorum opera, nequidem indicatis auctorum nominibus, sibi ipsi adscribere, adeo ut historiam ipsius diligenter discutienti, vix aliquid Egidii occurrat, præter ipsam collectionem & collectorum ordinem.*

CHARTA BALDUINI COMITIS Hannoniensis, de addendis ad consuetudines villæ Haspræensis.

Anno 1184. Ex Haspræniensi cartario dominorum de Avesnis.

IN nomine Domini, ego BALDUINUS Hannoniensis comes, quintus ab illo Balduino qui & Flandriam & Hannoniam pos-

sedit, notum facio tam præsentibus quam futuris, quod consuetudines villæ Hasprensis, quæ beatorum Vedasti atque Aycardi esse dinoscitur, cujus temporalis advocatus sum, ad petitionem domni MARTINI abbatis S. Vedasti scripsimus, (a) & tam ego quam ipse sigillis nostris confirmavimus. Insuper ego & barones mei nos easdem consuetudines ad plenum observaturos, tactis sacrosanctis evangeliis, juravimus: quod & hactenus fecimus. Verum quia accrescente malitia, per easdem sanctiones non poterat ad plenum villa coërceri, tempore domini JOHANNIS ejusdem ecclesiæ abbatis, qui prædicto MARTINO tertius in abbatiam successit, de communi ipsius & nostri consensu atque consilio, salvis omnibus quæ in priori scripto continentur, de homine occiso vel affolato, ea quæ subjecta sunt, adjecimus, per quæ sine damnis & tumultibus eadem villa in pacis ac quietis plenitudine possit conservari.

Si igitur in villa Hasprensi vel infra allodium villæ vel in toto comitatu comitis Haynonensis ab homine Hasprensi hominem (b) affolari contigerit: qui hoc fecerit, membrum pro membro perdet. Si autem occidi; qui occiderit & ipse occidetur. Omnia autem occisoris mobilia per manum præpositi ecclesiæ sub testimonio præpositi comitis, vel servientis ipsius præpositi & scabinorum villæ præpositi Hasprensis occupabuntur, & conservabuntur: quorum duæ partes ecclesiæ Hasprensi cedent, tertia vero in comitis partem, salvo jure præpositi sui, cedet; domus autem occisoris & hereditas universa ad eamdem ecclesiam devolvatur, quousque filii vel heredes pacem terræ subierint. Cum autem quod ad pacem spectat fecerint, hereditatem suam ab abbate & ecclesia recipient & requirent. Si vero homicida fugitivus evaserit; mobilia ejus, sicut supradictum est, disponentur, & hereditas ejus ad ecclesiam devolvetur, quousque pacis institutione, & consanguineorum occisi concordia adepta, & gratia abbatis & comitis suscepta, in villam redierit. Cum autem ex pace ad plenum egerit, ab abbate sæpedictæ ecclesiæ hereditatem suam requiret & accipiet. Si vero illum dum exsulabit, mori contigerit, filii ejus vel heredes, si fecerint quod ad pacem spectat, hereditatem suam ab abbate & ecclesia requirent & recipient. Affolator autem si retentus fuerit, & membrum pro membro perdiderit, nihil de mobili vel hereditate perdet. Si vero fugitivus abierit; de mobilibus ejus & hereditate occisoris agetur. Porro si occisorem de terra comitis esse, & infra villam Hasprensem res mobiles vel vadia aliqua super domos, aut aliam hereditatem habere constiterit, eadem mobilia a præposito ecclesiæ, vocato secum, ut dictum est, comitis præposito & scabinis, occupabuntur, & comiti vel ejus ministro reddentur. Hoc excepto, quod comes vel ejus præpositus domos vel reliquas hereditates invadiatas non poterit redimere, immo præposito ecclesiæ eas a præstita pecunia licebit redimere. Præterea si homicida in villa Hasprensi sit vel affolator, & antequam capi possint, fuga evaserint, quoscumque constiterit eis subsidium evasionis impendisse, in eadem damnatione qua ipsi erant, tenebuntur. Insuper occisoris & affolatoris cognatio, prout pacis institutio dictaverit, eos super sanctos abjurabit, & eis qui eos abjuraverint pax & securitas ab occisi & affolati cognatis cum jurejurando dabitur, quam pacem si iidem cognati de potestate S. Aychardi sunt, abbas simul & comes facient teneri, si vero de potestate comitis, solus comes faciet assecurari. Si qui autem fugitivos illos abjurare noluerint, eos abbas & comes & occisi cognatio totis viribus persequentur, & eorum mobilia & hereditates lege qua supra scriptum est de occisoribus & affolatoribus, disponentur, nec eis quemadmodum nec occisori, nec affolatori, nisi voluntate & assensu abbatis & comitis ulterius in villa redire concedetur. Si autem occisoribus vel affolatoribus vel nolentibus abjurationem facere, fugitivis pace comitis adepta, cum abbate similiter pacem facere, in villam redire nolentibus; abbas vero vel odii causa, vel dilationis, vel cupiditate hereditatis eorum diutius detinendæ reditum non concesserit: si querela super hoc ad comitem delata, abbatem comes convenerit; tunc abbas duos ex hominibus suis quos potius elegerit, accipiet, & comes similiter duos ex suis, quibus adjuratis, abbas ipsorum consilio in hujusmodi casu procedet: hoc insuper addito, quod eis ab abbate vel comite reditus in villa non debet concedi, nisi facta pace cum consanguineis affolati vel occisi. Si vero fugitivos pro abjuratione non facta antequam redeant, mori contigerit, eorum filii vel heredes, si tamen pacem subire voluerint, cum abbatis & ecclesiæ gratia hereditatem suam requirent atque recipient. Illud etiam prospectum est, ut quotiens affolationis, vel homicidii, vel eorum quæ prædicta sunt, casus emerserint; si talium auctores fugerint, pro convinctis habebuntur. Si autem rei veritas latuerit, per homines abbatis, tres viros nobiles, & homines comitis, tres viros nobiles, fide ab eis accepta, vel adjuratione apposita, districte veritas inquiretur; & veritate diligenter inquisita, & ad liquidum patefacta, omnia eo

(a) Vide supra pag. 891.
(b) Affolare vulgo pro leviter percutere sumitur. Papias leviter tangere interpretatur, hic vero pro quacumque percussione accipitur.

ordine, quo dictum est, complebuntur. Hanc igitur pacis sanctionem ego & venerabilis abbas JOHANNES S. Vedasti nostro & hominum nostrorum consilio, & pari consensu disponimus, & scripto cyrographizato commendamus, & ut in posterum rata & inconvulsa permaneant, sigillorum nostrorum auctoritate munimen, & nomina hominum nostrorum, qui præsentes audierunt & approbaverunt, subscribimus. Signum hominum comitis, WILLELMI fratris comitis, Eustachii *de Rues*, Eustachii filii ejus, Gerardi de S. Oberto, Renerii *de Trit*, Almanni *de Provi*, Polii *de Vileirs*, Hugonis *de Crois*, Gosuini *de Tulin*, Havelli de *Kevreng*. Signum hominum S. Vedasti, Johannis Castellani de Insula, Walterii de Attrebato, Alardi de Croisillis, Balduini *Biekerel*, Wichardi *de Irvileir*, Bernardi de Gaverella, Wiberti majoris, Roberti *de Bannin*, Andreæ majoris. Signum clericorum, Walteri decani *de Bavai*, Thomæ decani de Valencenis, Walteri *de Lespais*, Gerardi presbyteri. Actum per manum Gilleberti notarii mei, anno dominicæ Incarnationis MCLXXXIIII.

CARTA PHILIPPI AUGUSTI regis pro ecclesia Ambianensi.

Ecclesiam Ambianensem a jure procurationis absolvit.

Anno 1185. Ex ms. Colbertino. IN nomine, &c. PHILIPPUS, &c. dignitati regiæ convenit sibi devotos in beneficiis ita respicere; ut dum nostra retributio quorumdam bene respondet meritis, alii ad idem talibus invitentur exemplis. Noverint itaque universi præsentes pariter & futuri, quod quando terram Ambianesii & comitatum Ambianensem, PHILIPPO comite Flandriæ id nobis relinquente, recepimus, fidem & devotionem quam ad nos habebat Ambianensis ecclesia dilucide cognovimus, quæ non solum nobis circa hoc multum devotionis exhibuit; verum cum feodum terræ prædictæ & comitatus ad ecclesiam illam, ex eo quidem quod habet de nostro regali, pertineret, & exinde sibi deberet hominium recipere: noluit hæc ecclesia, & benigne concessit, ut feodum suum absque faciendo hominio teneremus; cum utique nemini facere debebamus hominium vel possimus. Ad quod ecclesiæ devotionem attendentes, dictam ecclesiam ab omni procuratione nostra & servientum nostrorum absolvimus & quietos esse præcepimus; quamdiu nos & successores nostri reges Francorum terram Ambianesiam & comitatum tenebimus: ita quod si forte terram istam aliquis deinceps habuerit, qui ecclesiæ Ambianensi possit hominium facere, hominium faciet episcopo de prædicto feodo, & episcopus nobis & successoribus nostris regibus Franciæ nostrisque servientibus nostras procurationes, sicut antiquitus ceteri Ambianenses episcopi consueverant, ab illo tempore in futurum exsolvet. Quæ omnia, &c. Actum Compendio, anno ab incarnatione Domini MCLXXXV. regni nostri anno sexto, astantibus, &c.

DIPLOMA ILDEPHONSI regis Aragonum pro Rostagno episcopo Avenionensi.

Confirmat ei pignus de Albergo de Novas pro mille solidis, quos avus ejus Raymundus Berengarii a Laugerio episcopo acceperat, quibus addit solidorum tria millia, quæ pater ejus Remundus a Gaufrido episcopo acceperat.

Anno 1185. Ex archivis ecclesiæ Avenionensis. IN nomine Domini. Præsentibus & futuris sit cognitum, quod ego ILDEFONSUS Dei gratia rex Aragonensis, comes Barchinonensis, & dux Provinciæ, sicut olim recognovi, concessi & laudavi GAUFREDO piæ recordationis Avenionensi episcopo, ita nunc recognosco, concedo, atque confirmo tibi ROSTAGNO Avenionensi episcopo & successoribus tuis & canonicis Avenionensis ecclesiæ, pignus de Albergo de Novas, quos avus meus RAYMUNDUS BERENGARII & uxor ejus DULCIA avia mea supposuerunt LAUGERIO Avenionensis ecclesiæ episcopo & canonicis pro mille solidis: & insuper recognosco, laudo, atque concedo in præfato Albergo de Novas tibi prælibato Rostagno Avenionensi episcopo & canonicis alios mille solidos de denariis novis, quos avunculus meus BERENGARIUS RAYMUNDI a prænominato Laugerio episcopo in eodem pignore accepit. Ego vero prædictus ILDEFONSUS rex Aragonum, sicut olim concessi & laudavi Gaufredo episcopo, ita nunc aut melius concedo & laudo in eodem Albergo de Novas tibi Rostagno Avenionensi episcopo & ecclesiæ, si sine episcopo fuerit, & tuis successoribus alia tria millia solidorum de denariis novis, quos Gaufredus prætmemoratus episcopus pro patre meo bonæ memoriæ RAYMUNDO ejus creditoribus persolvit. Et si moneta mutata fuerit, debeo reddere ego vel successores mei tibi & ecclesiæ vel canonicis, si sine episcopo fuerit, centum marchas puri & boni argenti. Recognosco etiam quod pater meus pro servitio magno quod sibi & fratri suo Gaufredus sæpedictus episcopus in multis fecit & exhibuit, concessit & dedit ei perpetuo & successoribus suis & ecclesiæ Avenionensi Albergam & dominium & quidquid ad eum pertinebat vel pertinere debebat in villa de Verqueriis, & in territorio ejus cum omnibus appenditiis suis,

Ppp ij

hoc, inquam, donum ego cognoscens, & A quod illud olim similiter laudavi & confirmavi Gaufredo episcopo, confirmo nunc iterum & laudo perpetuo tibi Rostagno & successoribus tuis & ecclesiæ Avenionensi; & ut sic omnia prædicta teneam, & nulla ratione infringam, ego promitto tibi & accipio te in fide mea. Actum est hoc apud Avenionem XIIII. cal. Martii anno dominicæ Incarnationis MCLXXXV. Signum ILDEFONSI † regis Aragonum, comitis Barchinonensis & ducis Provinciæ.

Hujus autem recognitionis & confirmationis sunt testes Raimundus *de Agout*, Guillelmus de Sabrano, Brocardus, Elisardus, B Remundus de Avinione, Petrus Bremundi, Mataronus, Guillelmus Raimbaldi, Guillelmus de Monticiis prior de Corthesone.

CARTA PHILIPPI AUGUSTI in gratiam Galfridi episcopi Silvanectensis.

Ut abbates regales per solum episcopum Silvanectensem mittantur in stallis.

Anno 1185. Ex ms. Colbertino.

IN nomine, &c. PHILIPPUS Dei gratia, &c. Noverint universi præsentes pariter & futuri, quoniam nos dilecto & fideli nostro GALFRIDO Silvanectensi episcopo concessimus donum illud, quod genitor noster bonæ memoriæ Ludovicus rex fecit AMAURICO Silvanectensi episcopo, de abbatibus regalibus in stallum mittendis, videlicet ut non per alium quam per eum tantum vel per ejus successores possint institui. Quod ut in posterum &c. Actum Silvanectis, anno incarnationis Domini MCLXXXV. regni nostri anno VI.

LITTERÆ PHILIPPI IV. Francorum regis, de confirmatione fundationis Cartusiæ Apponensis ab episcopo & capitulo Nivernensi.

Ann. 1185. & 1310.

PHILIPPUS Dei gratia Francorum rex. Notum facimus universis præsentibus & futuris, nos infra scriptas vidisse litteras in hæc verba: Ego THEOBALDUS Dei patientia Nivernensis episcopus, & ego Johannes decanus & totum capitulum ecclesiæ Nivernensis, notum facimus omnibus, tam præsentibus quam futuris, quod nos dedimus & concessimus fratribus ordinis Cartusiensis locum de Appona integre cum pertinentiis suis, silvis scilicet & terris, pratis & aquis, & omnibus quæ in futurum, secundum ordinem Cartusiensem loco illi poterunt juste acquirere: ita quod si forte contingeret fratres ordinis locum eumdem, quod absit, relinquere, aut non inhabitare, ad ecclesiam Nivernensem locus memoratus libere rediret, & quiete absque alicujus commendatione, cum omnibus ibidem acquisitis. In hujus vero concessionis testimonium & firmitatem, præsenti paginæ sigilla nostra fecimus apponi. Actum Nivernis publice, anno incarnati Verbi MCLXXXV. in capitulo S. Cyrici, (a) domino LUCIO papa in cathedra Romanæ ecclesiæ præsidente, regnante PHILIPPO rege Franciæ. Nos igitur progenitorum nostrorum imitantes vestigia, sacrosanctas Dei ecclesias & ecclesiasticas personas, præcipue religiosas favore benevolo prosequentes, ut earum adjuti precibus, sic regnare valeamus in terris, quod ad regnum possimus perpetuum pervenire; dictorum fratrum priorisque dicti loci devotis supplicationibus inclinati, volumus & præsentium tenore concedimus, præcipue ob nostræ, progenitorum nostrorum, recolendæque memoriæ JOHANNÆ Dei gratia Francorum & Navarræ reginæ, consortis nostræ quondam carissimæ, animarum remedium & salutem, quod ipsi prior & fratres qui pro tempore fuerint, omnia & singula superius expressa teneant, habeant, & possideant in C perpetuum libere, pacifice, & quiete, absque coactione vendendi, vel extra manum suam ponendi, seu præstandi propter hoc nobis vel quibuscumque nostris successoribus financiam qualemcumque, dictasque donationem & concessionem & omnia suprascripta rata habemus & grata, & ea volumus, laudamus, approbamus, & tenore præsentium confirmamus, nostro tamen & alieno in omnibus jure semper salvo. Quod ut ratum & stabile perseveret, præsentes litteras sigilli nostri fecimus impressione muniri. Actum Parisius, anno Domini MCCCX. D mense Aprilis.

Per dominum regem MAILLARDUS.

CARTA PHILIPPI AUGUSTI regis pro abbate Flavigniacensi.

Villam de Couche *sub sua protectione certis sub conditionibus suscipit.*

PHILIPPUS Dei gratia Francorum rex, &c. Ex regiæ dignitatis officio rebus ecclesiarum regni nostri nostram tenemur E protectionem impendere: & tunc arctius tenemur ad hoc ipsum, cum aliquod inde consequimur emolumentum. Noverint itaque universi præsentes pariter & futuri, quoniam ad petitionem RAINALDI abbatis, totiusque conventus ecclesiæ (b) Flavinia-

Anno 1186. Ex ms. Colbertino.

(a) Id est ecclesiæ cathedralis quæ sanctum Cyricum patronum agnoscit.

(b) Flavigniacense S. Petri monasterium antiquum ordinis S. Benedicti in diœcesi Augustodunensi situm est, cujus abbas Raynaldus hic commemoratus in vulgato catalogo abbatum desideratur.

censis, villam ejusdem ecclesiæ, quæ dicitur *Couche*, in nostra manu suscepimus, & regia protectione, & in nostro salvamento, tali quidem tenore, quod de singulis hominibus ad potestatem dictæ villæ pertinentibus, tam intra villam quam extra villam, annuatim in festo B. Andreæ apostoli habebimus quinque solidos, vel quatuor, vel tres, vel duos, & ad minus duodecim denarios, & hoc admensurare ne graventur homines super priorem illius villæ, & super præpositum nostrum, quem in illa habebimus villa; qui præpositus quidem ad prædictum festum de singulis hominibus burgi & castelli donantibus quatuor sive quinque solidos, habebit annuatim pro salvamento duodecim denarios; & de aliis qui scilicet minus quatuor solidis dabunt, habebit sex denarios. De singulis vero hominibus potestatis prædictæ villæ, qui sunt extra villam, habebimus annuatim quartallum annonæ, cujus medietas erit una frumentum, altera medietas avena: medietas justitiæ tam burgi quam castri nostra erit; monachis vero suum claustrum remanet absolute liberum. Noster præpositus & præpositus monachorum invicem fide mediante consociati justitiam ipsam communiter colligent, & alteri sine altero nihil omnino levare licebit. In omnibus potestatis ejusdem villæ qui extra villam & castrum manserunt, nullam justitiam habebit noster præpositus, nisi de salvamento, si redditum non fuerit ad terminum, & hoc per legem & ad consuetudinem patriæ præpositus noster accipiet sine parte prioris. Quod si aliquis de eisdem hominibus forte priori rebellis extiterit, de quo clamorem prior ad præpositum referat, eam justitiam tunc præpositus cum priore partietur. Concessimus autem quod homines illos ad damnum aliquod ecclesiæ non suscipiemus manutenendos; sed ratione salvamenti quod habemus monachis omnia sua in ea potestate salva facere curabimus. Et hoc salvamentum tali conditione suscepimus, quod illud extra manum nostram mittere nequaquam poterimus; sed ad coronam regiam in perpetuum remanere statuimus. Quæ omnia sicut supra diximus, rogatu & assensu tam abbatis quam capituli Flaviniacensis facta, ut in posterum rata permaneant & inconvulsa, præsentem paginam sigilli nostri auctoritate & regii nominis caractere inferius annotato communimus. Actum apud Fontem Blaadi, anno Domini MCLXXXVI. regni nostri anno octavo; astantibus, &c.

DIPLOMA SIFFREDI
Patherbornensis episcopi.

De concordia inita inter moniales Gerdinenses & Herimannum de Gidessen.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego SIFFRIDUS Dei gratia Patherburnensis ecclesiæ episcopus monasterio in Gerdine in perpetuum. Amen. Anno 1186. *Ex cartario Gerdinensi.*

Cum ex suscepto præsulatus officio paci & tranquillitati ecclesiarum omnium, quarum curam suscepimus, nos oporteat intendere, solertiore tamen invigilandum putamus diligentia, ubi aliqua disturbationis cognoscitur esse materia. Hujus rei gratia commoditati sanctimonialium in *Gerden*, quæ vitæ honestate & religionis observantia, tam nostrum quam multorum erga se provocarunt affectum, perpetuo prospicere cupientes, præsentis scripti serie denuntiamus universis fidelibus, tam futuris quam præsentibus, quo ordine controversia quæ inter ipsum monasterium & Herimannum de *Giddessen* super quibusdam prædiis vertebatur, conquievit. Anno dominicæ Incarnationis MCLVIII. Goswinus miles frater prædicti Heremanni lepra infectus, quoniam audierat, quod flagellat Dominus omnem filium quem recipit, se ab eo qui Saulum in via prostratum & cæcitate percussum intrare compulit, hoc flagello vocari perpendit. Quapropter morbo carnis desperato, spiritui saucio medicina efficaci volens consulere, quinque mansos in *Hostheim*, tres & dimidium in *Frodenhusen*, unum in *Baddenhusen*, unum in *Dalessen*, in manu domni BERNHARDI Paderburnensis episcopi hac conditione, ut ipse eadem prædia monasterio *Gerden* conferret, cum consensu legitimi heredis sui, prædicti scilicet Heremanni, qui nondum liberos habebat, designavit, prædia resignata domnus BERNHARDUS Patherburnensis episcopus monasterio in *Gerden*, sicut aliud instrumentum de eadem donatione conscriptum testatur, perpetuo quiete possidenda donavit. Post donationem actoribus monasterii in corporalem eorumdem bonorum possessionem missis, videns Goswinus quia sine onere & gravamine monasterii ibi sustentari potuit, cum sancta & cara familia sua, Adelheida videlicet uxore sua & Johanne filio, ad sanctum monasticæ conversationis otium *Gerden* se transtulit. Viventibus his tribus personis, monasterium Gerdinense memorata prædia quiete possedit; nam eis subsidia vitæ temporalis commode ministravit. Novissime autem mortua Adelheida felicis memoriæ matrona, quæ maritum & filium præmortuos planxerat, anno dominicæ Incarnationis MCLXXXIIII. Heremanni

nus cum uxore sua Ildeburga, & septem filiis suis Henrico, Udone, Heremanno, Goswino, Johanne, Antonio, Wernhero, monasterio super eisdem prædiis quæstionem movere cœpit, asserens numquam bona illa ex sua vel fratris sui resignatione in perpetuum jus sive dominium monasterii Gerdinensis transisse, sed se tantum tribus illis personis usufructum ad reficiendas quotidianas carnis suæ ruinas temporaliter concessisse. Nos vero lite per biennium prorogata, dum odia & jurgia crescerent, meminimus officii nostri esse monasticam disciplinam profitentes litigiis foralibus subducere, ut divinis ministeriis possint pie & solerter intendere. Ne igitur mentes earum quæ Deo in oratione, quibus Deus in lectione loqui consueverat, per varias causarum curas effluerent, & ne filii Heremanni rapinis & incendiis bona monasterii vastantes morte contumeliosa sive membrorum truncatione luerent malefacta, quia magis transactio conciliat, & amicorum suaviloquia, quam judicialis sententia, causam ipsam arbitrio nostro & quorumdam fidelium nostrorum consilio suppositam ita sopivimus, quod Heremannus datis sibi a monasterio XX. marchis, cum uxore Hildeburga & filiis suis Heinrico, Udone, Heremanno, Goswino, Johanne, Antonio & Wernhero juri suo, si quod habuit vel habere videbatur, in bonis ipsis quæ in lite vertebantur, renunciavit, qua renunciatione solemniter facta, sicut venerabilis domnus BERNHARDUS episcopus post primam resignationem jam sæpedicta bona monasterio Gerdinensi dedit, ita & nos post hanc renunciationem sub præsentia clericorum & laicorum eadem bona ecclesiæ Gerdinensi banno nostræ auctoritatis confirmavimus. Volentes igitur facti nostri memoriam litterarum indiciis æternari, hanc cartam jam dictæ transactionis testem sempiternam conscribi, & authentico sigilli nostri caractere fecimus insigniri. Acta sunt hæc anno ab Incarnatione Domini MCLXXXVI. indictione IIII. præsidente ecclesiæ Romanæ domno URBANO papa III. regnante domno FRIDERICO augustorum serenissimo. Testes hujus rei sunt Altmannus ecclesiæ nostræ major præpositus, Wolbertus decanus, Godescalcus Northimensis præpositus, Bernhardus præpositus apostolorum Petri & Andreæ, Meinricus capellanus noster, &c. HEINRICUS apostolorum Petri & Pauli in Patherburno abbas, NICOLAUS Heresethehusensis abbas. Virorum nobilium qui aderant nomina hæc sunt, Widekindus advocatus, Conradus de Schornaberge, Bernhardus de Lippia, Widekindus de Rethe, Albertus de *Eversteen*, Widekindus de Osethe, AMELANGUS comes civitatis nostræ. Nomina ministerialium, Wernherus de *Brachel*, Conrat *Stapel*, Hugo de *Heincheldere*, Hartmannus de *Ilesch*, Hugo Heinricus *Spirinck*. Consiliatores transactionis, Conradus de *Adesels*, Burichardus *Plochrath*, Apollonius de *Vvislere*, Johannes & Karulus de *Nigenkerike*, Heremannus & Swetherus *de Vveuere*, Siffridus de *Dalheem*, Helmicus *Grube*, *&c.*

BULLA PROTECTIONIS Urbani papæ III. pro collegiata S. Johannis ecclesia Leodiensi.

URBANUS episcopus servus servorum Dei dilectis filiis canonicis ecclesiæ beati Johannis Evangelistæ quæ est in Insula Leodii, tam præsentibus quam futuris canonice substituendis in perpetuum. *Anno 1186. Ex schedis Cl. V. D. de Crassier.*

Commissæ nobis apostolicæ sedis nos hortatur auctoritas, ut locis & personis, ejus auxilium devotione debita implorantibus, tuitionis præsidium impendere debeamus; quia sicut injusta petentibus nullus est tribuendus effectus: ita legitima & justa postulantium non est differenda petitio. Ea propter dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus; & præfatam ecclesiam in qua divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus, statuentes ut quascumque possessiones, quæcumque bona eadem ecclesia in præsentiarum juste & canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum in quo præfata ecclesia sita est, cum omnibus pertinentiis suis, villam *Emmich* cum piscatione, montem Roberti, villam Eymalam cum ecclesia & pertinentiis suis; ecclesiam sancti Adalberti in insula Leodii cum decimis ejusdem insulæ & pertinentiis suis, villam *Gestele* cum familia & appenditiis ejus, ecclesiam de *Engle*, ecclesiam de Heudecusa, ecclesiam *de Hosden*, curtem Comaphiam cum ecclesia sua, in villa Jupelella allodium solvens annualiter triginta solidos, quartam partem villæ *Hoydre*, jus quod habetis in villa *Ferires*, villam *Fleniz*, *Romercurt*, *Bushone*; medietatem villæ *Bovingestir*, curtem *Goe* cum ecclesia & pertinentiis ejus; quartam partem decimæ, & allodium quod habetis in villa *Holong*, *Masnil*, ecclesiam de *Genglehey*, & quicquid in allodio ejusdem villæ & in *Vvaleove* habetis, villam *de Tillires*, & *Rosires*, villam *Meredorp*, Jusanam villam *Raulcurt*, quicquid juris habetis in ecclesia

de Monte *Thymes* cum dote sua, & in pleno dono ecclesiæ ejusdem, ecclesiam de Acceroda, jus quod habetis in *Sleduvvez*, & mansum allodii in eadem villa in loco qui dicitur ad Montem, curtem *Nerhenes* cum ecclesia & pertinentiis suis, & adjacente silva *de Miradal*, *Holdrin*, *Fennache*, villam *Hulgrebes*, cum piscatione innuosa; in oppido Hoio, tres libras de teloneo; villam de Sarto *Colnois*, ecclesiam de *Corbion*, villam *Frires*, & jus quod habetis in Morelmeis, *Ronredines*, allodium in *Hatembail*, & in *Here Rokelenges*, *Hers* & Formala, medietatem decimæ *de Bubaz*; villam *Samerey* cum appenditiis suis, *Desdorp* cum appenditiis suis, *Allekenrode*, vineas in *Novveroit*, mansum in *Bubenhen*; mansum in *Sescay*, allodium in Falla, decem solidos in *Jalmin*, & decem in *Ruminnes*, sex mansos in *Rongese*, & decem in Brida, teloneum de foro Visati, in Leodio molendinum & allodium Parvitorrentis, curtem in Roberti monte, in *Vingiz* terram annualiter solventem quinque solidos, ad *Taynires* & *Seraing* pratum & terram solventem quinque solidos & sex denarios, ad *Londos* quinque solidos, allodium *Hastaples*, ecclesiam de *Hares Vvistrevvich*, item in Hoio possessionem solventem duodecim solidos, & sex denarios. Prohibemus autem ut nec præposito nec alicui omnino personæ bona ipsius ecclesiæ absque communi fratrum vel sanioris partis assensu, quoquo modo alienandi licentia pateat, & ecclesiæ prædictæ liceat decanum libere eligere & præpositum sive de sua sive de alia ecclesia de toto Leodiensi episcopatu. Et quia bona ad stipendia fratrum communiter pertinentia, in parte deficere; & in parte habundare accepimus, statuimus ut defectus unius villæ alterius habundantia suppleatur. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatam ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate, & Leodiensis episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum digna satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore ac sanguine Dei, & Domini redemptoris nostri JESU CHRISTI aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri JESU CHRISTI, quatinus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

† Ego URBANUS catholicæ ecclesiæ episcopus ss.

† Ego HENRICUS Albanensis episcopus ss.

† Ego PAULUS Prenestinus episcopus ss.

† Ego JOHANNES presbyter cardinalis tituli S. Marci ss.

† Ego PETRUS de Bononia presbyter cardinalis tituli sanctæ Susannæ ss.

† Ego LABORANS presbyter cardinalis S. Mariæ Trans-Tyberim tituli Calixti.

† Ego PANDULFUS presbyter cardinalis tituli duodecim apostolorum ss.

† Ego ALBINUS presbyter cardinalis tituli sanctæ Crucis in Jerusalem ss.

† Ego MELIOR presbyter cardinalis SS. Johannis & Pauli tituli Pamachii ss.

† Ego ADELARDUS tituli sancti Marcelli presbyter cardinalis ss.

† Ego JACINTUS diaconus cardinalis S. Mariæ in Cosmendim ss.

† Ego GRATIANUS sanctorum Cosmæ & Damiani diaconus cardinalis ss.

† Ego BOBO sancti Angeli diaconus cardinalis ss.

† Ego OCTAVIANUS sanctorum Sergii & Bacchi diaconus cardinalis ss.

† Ego SOFFREDUS sanctæ Mariæ in Vialata diaconus cardinalis ss.

† Ego ROLLANDUS sanctæ Mariæ in Porticu diaconus card. ss.

† Ego PETRUS sancti Nicolai in carcere Tulliano diaconus cardinalis ss.

† Ego RADULFUS sancti Georgii ad Velum-aureum diaconus cardinalis ss.

Data Veronæ per manum ALBERTI sanctæ Romanæ ecclesiæ presbyteri cardinalis & cancellarii VII. cal. Augusti, indictione quarta; Incarnationis dominicæ anno MCLXXXVI. pontificatus vero domni Urbani papæ III. anno primo.

CARTA ALIENORDIS comitissæ S. Quintini pro Crispeiensi S. Arnulfi monasterio.

Bigatam lignorum ei concedit pro anima patris & matris ibidem jacentium.

Anno 1187 *Ex ms. Colbertino.*

EGo ALIENOR sancti Quintini comitissa & domina Valesiæ tam futuris quam præsentibus notum facio, quod ego pro Dei amore & animæ meæ remedio, & pro animabus patris mei & matris meæ, & pro animabus prædecessorum meorum, perpetuo in omni libertate possidendam concessi ecclesiæ B. Arnulfi, in qua pater meus & mater mea tumulati quiescunt, singulis diebus unam bigatam lignorum per totam

forestam de *Restin*, præter in silvam accipiendam ad usus monachorum in ecclesia Deo servientium, de mortuo scilicet bosco, seu de branchiis, sive de residuis. Quod ut ratum sit & inconcussum perseveret, præsentem cartam &c. Actum anno Domini MCLXXXVII. regnante PHILIPPO rege Francorum.

EPISTOLA HENRICI EPISCOPI Albanensis ad universos ecclesiæ prælatos.

Hortatur ad modestiam, humilitatem, & pœnitentiam.

Anno 1187. Ex ms. Hemerodensi. [a] VEnerabilibus & in Domino sibi carissimis archiepiscopis, episcopis, ceterisque ecclesiæ prælatis H. (a) Albanensis episcopus apostolicæ sedis legatus per gloriam salutiferæ crucis ad perpetuæ lucis gaudia pervenire.

Publicani & peccatores violenter præripiunt regnum Dei, quod ab ipsis vim perpeti gratulantur, & qui duces esse debuerant, nec sequuntur. Propter quod personis potissimum ecclesiasticis attendendum, ne, quod Deus avertat, ex clericorum damnatione incipiant resarcire principes tenebrarum, quæ ex laicorum conversione sustinent detrimenta. Cavendum etiam ne mare dicat ut Sidon erubescat. Cavendum est ne subjugale mutum hominis voce loquens incipiat redarguere insipientiam prophetarum. Litteris itaque, dilectissimi, non modo inscribi frontibus signum Thau, signum dominicæ passionis, sed & cordibus imprimi his præsertim diebus oportet. Atrum est atramentum, atrox atramentarium, quod a renibus ejus dependet, qui in lineo habitu singularis candoris, qualem fullo super terram facere nequeat, omnimodæ scilicet pietatis quam impœnitens nullus attingat signatum & insignitus advenit. Consideraverat atramentum hoc, altitudinem hanc, hanc nigredinem, qui dicebat: *Vidimus eum & non erat species ei neque decor.* Obsecro vos, dilectissimi, ne vos huic deformitati pigeat conformari. Æmulamini ejus humilitatem, qui pro vobis annorum induit infantilium paupertatem, ignominiam crucis subire non renuit, reputari inter mortuos non refugit. Deponite veterem hominem cum actibus suis, & exuvias veteris exuat Salvatoris ore prudentia commendata serpentis. Non competit huic tempori, non mœrori. Non plus calcaria quam altaria fulgeant, cum & illa forsitan oporteat ciliciis interim cooperiri. Idem quoque de sellis, de frenis, de faleris notabilibus & inanem præferentibus fulgorem sentiendum. In vestibus suis deponant clerici quæ etiam reges abjiciunt, quæ signatorum Christi universitas noscitur abdicare. Abjiciant varia, grisea, zebelinos, & pelliculas ejusmodi grandis precii, sed coram Deo periculi grandioris, nec minoris in veritate dedecoris, dum ad imaginem Dei creatus homo pelliculis murium sese credit ornari. Audiatur Petrus saltem diebus istis, qui nullo tempore debuit non audiri. Audiatur, ut appetere viros pudeat, pudeat clericos quod eorum primus ad ipsorum gloriam, primus in contumeliam conjuratur, etiam mulieribus interdixit. Non manicæ, non calceamenta eorum. Si vero etiam ministrantium eis cottidianis egeant consuturis, ne subtilitas lineæ ligandis eorum manibus & pedibus in vincula debeant graviora converti, vel ne videantur funiculos texere, unde ligatis pedibus suis & manibus in exteriores tenebras demergantur. Manicatas etiam cappas non dissimuletis abjicere, quæ ex cappis & tunicis habitu duplicato duplicitatem redarguunt animarum. Qui ex lino & lana contextam vestem prohibuit, si vidisset suo tempore vestes ex cappa & tunica fieri, non laudasset. Prima fuit in cœlo generis humani transgressio, primam & ternam ex adversario jejunans Christus victoriam reportavit. Siquidem vicit mundum in appetibilibus suis, in concupiscentia carnis, in concupiscentia oculorum & superbia vitæ, de voluptate, de otiositate, de ambitione triumphans. Modo sibi & numerum laici in cibariis posuerunt, ut duorum ferculorum sint contenti, quod si vobis diceretur uno fore contentos, forsitan Germanicis aliquibus non placeret. Verumtamen si videtur sufficere quod ad numerum pertinet indicta frugalitas, vestrum erit imitatione dignum aliquid addere super deliciarum ineptiis declinandis. Et quidem mater vestra sacro-sancta Romana ecclesia statuit & decrevit (b) omnibus sextis feriis, & in adventu Domini in cibo quadragesimali clericis simul & laicis jejunandum, feria quarta & sabbato a carnibus & sagimine abstinendum, transgressores constitutionis hujus sacrorum reos canonum fore decernens. Sic ibi quoque & familiis suis a summo pontifice & fratribus suis in secunda feria eadem abstinentia carnium est injuncta, quod in vobis prælatos saltem majores voluntaria devotione deceat æmulari. Non competunt vina pigmentis delibuta, mœrori huic potissimum, cujus non expedit oblivisci. Numquam negotiandum ut clericis, numquam vilius comparandum quod venundari debeat pretio cariori. Propterea quod sacrilegium semper fuerat, nunc præsertim gravius execrandum, & negotiis tum ipsis deterio- [b]

(a) Henricus ex abbate Claravallis invitus ab Alexandro III. creatus episcopus Albanensis, qui hanc epistolam scripsisse videtur occasione victoriæ à Saladino in Christianos reportatæ, atque adeo ut divinum numen placare valeant, hortatur cruce signatos ad humilitatem & pœnitentiam.

(b) Decretum illud edidit Baronius ad annum 1187.

ra videntur jurgia clericorum, ut oporteat magis invicem supportare & donare vobis, ut & ipsis si quis adversus aliquem habet querelam. Insatiabilis est ardor ambitionis, nec hydropis avaritiæ ex divitiis refragatur adeptis. Quid gibbum gibbo camelus adjicit in variis dignitatibus & multitudine præbendarum. Non sunt ista quæ divinam erga hominem misericordiam provocant, sed iram potius mereantur. Ad negandum cœlestis regni per foramen acus introitum gibbus poterat abundare camelo. Itane studia vobis honestiora non suppetunt, ut nec in avibus ludere, nec venationibus pudeat occupari? Dum vobis superfluitas criminum resecatur, ab hujusmodi vanitatibus abstinendum potius mementote. Aleas fugere Cato monuit, & gentibus, de quo vobis ad exemplum sufficiat militia Dei signatorum, quos hujusmodi ludos cernitis abdicasse. Sufficiat etiam in ecclesiis simplex cantus ad præsens & quæ minore. . . . . gravitatem organa conquiescant. Exhibeamus quod legimus, ut in vocem flentium organa transeant, & in luctum cithara convertatur. Ignoscite mihi si dixero quod salubrius debeat quam suavius reputari. A populis exterminata in ecclesiis licentia Janicalis resedit. Quid festivitati & fatuitati, vel potius ut apostolico vos sermone conveniam, quæ conventio Christi ad Belial? nec vos latet in nonnullis ecclesiis enormitates aliquando consuetas aliquatenus resecari, & in olosericis cappis quas offerunt qui baculos ferunt complacere. Quasi vero non de moribus quam de vestibus amplior sit causa Deo, quasi non seriis plus quam sericis delectetur. Verumtamen nec edictum super his & hujusmodi generale procedit, nec perenne proponitur edictum, sed quod nulli debet esse molestum.

INCIPIT PRÆFATIO magistri Reinherii decani Patherbrunnensis perspicacissimi calculatoris in librum de computo.

Ex ms. Hardenhusen.

QUi fidem catholicam impugnant, gaudent quod errorem inveniunt in computo quem tenet ecclesia. Putant enim & affirmant etiam in aliis nos errare. Hoc autem opprobrium & hanc subsannationem non tantum adversariorum, sed etiam multorum fidelium amputari cupientes, quidam amicorum meorum rogaverunt, ut intenderem qualiter scandalum hoc & confusio tolleretur. Ego vero rei difficultatem considerans, & cernens non facile contingere posse quod ecclesia abjiciat, quod diu tenuerit, ne casso labore gravarer, diu ma-

A num & animum ab hoc studio continui. Verumtamen errorem magis ac magis augeri videns, animum tandem apposui, ut vel posteris prodessem, cum cogens necessitas correctionem exposceret. Nemo autem novum compotum me fingere velle existimet. Compotum secundum quem annorum antiquorum quantitates & revolutiones cognoscuntur, quem primitivæ ecclesiæ patres non abjecerunt, a quo etiam se non declinare vel aberrare putabant, qui moderni temporis errorem condiderunt & induxerunt, in medium proferre intendimus. Quanto brevius

B & facilius possumus in designatione numerorum figuris plerumque utimur aliis quam latinis, propter scribendi & computandi compendium.

PROLOGUS ALBERTI monachi (a) Sigebergensis in suum Glossarium in sacram scripturam

Ex ms. Hardenhusen.

SAtis profuerunt, qui glossarios primum in divinam paginam ediderant, quia varias epulas lectionis, quasi quodam condimento interpretationis dulcorabant. Huc accedit quod benivoli etiam idiotis condes-

C cendebant, dum nota quædam & non necessaria interserebant. Sed inter hæc quæritur, cur ignota quædam, ut *Orix* in Isaia, & *Chodchod* in Ezechiele; *Sinkion* in Paralippomenis, & alia multa prætermiserint, cum nota quadam pro ignotis, ut in libro Regum cavum quod concavum, pro cabo quod est genus mensuræ, & in Judith lebetes pro lapates mutaverunt. Non tamen imperitiam moderni quasi perspicatiores quia juniores in causa versari suspicentur, vel ideo nomina sua libellis non prætitulasse,

D quia ad perfectionem non elaboratum esse conspicantur. Unde propositam quæstionem criticis adhuc ventilandam melius duco reservare, ne me præferens, illorum labori videar detrahere. Ego namque ALBERTUS utinam ultimus monachorum sancti Michaëlis, ex infimis glossariis unum in vetus & novum testamentum jussus excerpsi, & nota quædam ac superflua vel iterata resecans, ex opusculis sancti Hieronymi & Isidori & Bedæ, & de omnibus libris idoneis quæ deerant defloravi, studioso quoque satisfacere

E cupiens lectori, voces & naturas animalium & volucrum, & arborum & gemmarum, pondera quoque & mensuras addidi, legant qui volunt, abjiciant qui nolunt.

(a) Sigebergense monasterium vulgo *Sibeurg* insigne ordinis sancti Benedicti in diœcesi Coloniensi, fundatorem agnoscit sanctum Annonem Coloniensem archiepiscopum, qui etiam Graffchatense S. Alexandri construxit & dotavit.

LITTERÆ BERNARDI abbatis sancti Eugendi.

Henrico comiti Trecensi bannum & justitiam de Sarmaise *cedit ut novam ibidem villam faciat.*

[a] Anno 1187 *Ex ms. regina Suecia eruit Mabillonius.*

EGo BERNARDUS Dei gratia S. (a) Eugendi abbas totusque ejusdem ecclesiæ conventus, notum facimus præsentibus & futuris, nos HENRICO illustri Trecensi comiti Palatino bannum & justitiam de *Sarmaise* concessisse. Ipse vero novam villam ibidem faciet, & medietas fori quod ibidem erit, ad nos pertinebit. Altera verò domini comitis erit. Furnos autem & molendina nostra, & census, & terragia cum decimis nostris & pratis, in manu nostra absque prædicti comitis participatione retinuimus, nullique molendina & furnos nisi nobis ibidem facere licebit. Hac autem conditione factum est ita, quod prædictus comes, vel ejus heres hoc quod ei ibidem concessimus, absque consensu nostro a manu sua alienare non poterit. Concessum est etiam quod quicumque apud prædictam villam mansurus venerit, domui de *Sarmaise* sex denarios, domino vero comiti unam minam avenæ annuatim persolvet. Quod ut ratum inviolatumque permaneat, litteris annotatum sigillo nostro confirmavimus.

Actum Sezaniæ anno Verbi Incarnati MCLXXXVII.

CARTA PHILIPPI AUGUSTI regis.

De fundationis monasterii Curiæ-Dei in diœcesi Aurelianensi confirmatione.

Anno 1188. *Ex ms Colbertino.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Amen. PHILIPPUS Dei gratia Francorum rex. Sicut priorum facta per litterarum apices nobis innotescunt: ita ea quæ bono zelo gerimus litterarum memoriæ duximus commendanda, ne in posterum vel oblivione deleri, vel a posteris quos ad mala proniores fore timemus perperam valeant retractari. Noverint itaque universi præsentes & futuri, quod JOHANNES venerabilis Aurelianensis episcopus, & universus sanctæ Crucis Aurelianensis ecclesiæ conventus, sicut ex authentico bonæ memoriæ LUDOVICI quondam patris nostri cognovimus,

[b] locum qui (b) Curia-Dei nominatur, AMAURICO ejus loci venerando abbati & fratribus ibidem Deo servientibus, & omnibus in eodem servitio ibidem successuris

A liberum & quietum ab omni consuetudine, exactione, & inquietatione jure perpetuo possidendum dederunt & concesserunt. Nos autem domini & patris nostri LUDOVICI serenissimi regis exemplum sequentes, prædictum Aurelianensis episcopi & capituli S. Crucis donum & concessionem & omnia quæcumque ex nostro vel quorumlibet dono prædictis fratribus data sunt & concessa, quæcumque etiam, largiente Domino, in futurum ex quorumlibet beneficio vel aliis modis competentibus poterunt adipisci, illius jure perpetuo, quantum ad regiam

B pertinet majestatem, rogatu & petitione dilecti nostri HUGONIS ejusdem loci abbatis concedimus & confirmamus. Hæc siquidem sunt nomina locorum, quæ jam ad dictum locum in Dei servitio obtinendum illis gratia Dei data sunt. Joyacus cum omnibus pratis & plana terra & molendino & ceteris appenditiis. Apud Visnolium ex dono Henrici de Balgentiaco & Alberti nepotis ejus, cujus terra fuerat, terra quatuor carrucarum. Apud Francum-puteum terra quindecim carrucarum, quam ipsi ex dono plurimorum & jure emtionis habent & possident

C & molendinum. Apud Ingranniam prata Constantii & hortos & alia prata, quæ ex dono plurimorum habent & possident. Apud Geresi terra trium carrucarum cum ceteris appenditiis suis. Apud Buelas-domos terra quatuor carrucarum ex dono plurimorum. Apud *Banderoi* decima quam habent & quiete possident ex dono Petri de Campellis. Apud *Limer* decima quam habent ex dono Odonis. Præterea nemora nostra prædictis fratribus & ipsorum animalibus ad omnes usus necessarios concedimus.

D Nemus tamen de Rocillo excipimus, & nemora illa quæ tempore nostro acquisivimus, quæ tamen dum nobis placuerit ipsis concedemus. Viginti quoque libras Aurelianensis monetæ in telonio nostro singulis annis a præpositis & servientibus nostris sine contradictione reddendas: ita tamen ut ex hac summa decem libræ in festo sancti Remigii, reliquæ decem ad nundinas Marcianas Aurelianis de primis denariis qui provenerint de telonio nostro annuatim eis omni occasione postposita reddantur. Furnum etiam

E quod avus noster bonæ memoriæ LUDOVICUS Francorum rex præfatis religiosis donavit Stempis eis habendum perpetuo possidendumque concedimus. Furnerium quoque ab omni exactione atque consuetudine quietum & emancipatum esse volumus. In vivario præterea nostro de Sabella piscari uno die quo itur ad capitulum Cisterciense & alio in regressu capituli prædicti jam di-

(a) Sancti Eugendi insigne monasterium ordinis sancti Benedicti diœcesis Lugdunensis in Monte Jura à sanctis Romano & Lupicino fundatum, cui tertius abbas præfuit sanctus Eugendus, S. Claudii Vesuntionensis episcopi secessu celebre, cujus hodie nomen retinet, cum primum Condatense, deinde S. Eugendi & Jurense monasterium dictum fuerit.

(b) Curia-Dei monasterium ordinis Cisterciensis, de linea Cistercii, cujus fundamenta jacta esse dicuntur anno 1118. fundum suppeditante Johanne episcopo & capitulo Aurelianensi, in cujus diœcesi situm est.

ctis fratribus regia benignitate concedimus. Insuper pro instauratione officinarum suarum apud Fagetum, quisquis habeat villæ potestatem, in petratia nostra usagium concedimus. Hæc omnia sicut ex scriptis bonæ memoriæ patris nostri data & concessa cognovimus, concedimus & confirmamus. Præterea centum solidos quos PETRUS DE CURTENAIO patruus noster in censu nostro Vitriaci annuatim in nativitate S. Johannis-Baptistæ reddendos ad instauranda ecclesiæ luminaria in perpetuum eisdem fratribus dedit, sicut supradicta omnia pro remedio animæ nostræ & prædecessorum nostrorum concedimus. Quod ut ratum sit in posterum & omnino inconvulsum, præsentem cartam sigilli nostri auctoritate ac regii nominis caractere inferius annotato præcepimus confirmari. Actum publice Aurelianis anno ab Incarnatione Domini MCLXXXVIII. regni nostri anno IX. astantibus in palatio nostro quorum nomina supposita sunt & signa. S. comitis THEOBALDI dapiferi nostri, S. GUIDONIS buticularii, S. MATTHÆI camerarii nostri, S. RADULFI constabularii nostri. Data vacante cancellaria.

CARTA JUHELLI DE MEDUANA qua ablata monachis sancti Stephani bona restituit.

Anno 1189. Ex archivis Majoris-monasterii.

EGo JUHELLUS dominus Meduanæ, frater [a] (*a*) GAUFREDI, cujus pater extitit JUHELLUS senior, notum fieri volo præsentibus & futuris, quia eo tempore quo [b] rex Francorum (*b*) & rex Anglorum ob succursum terræ Jerosolymitanæ cruces acceperunt, ego quoque cœlesti pulsatus desiderio viam sepulcri aggredi deliberavi; sed antequam ad hoc veniretur, placuit mihi corrigere & componere quæ in terra mea & in dominio meo corrigenda videbantur. [c] Prius itaque cum monachis (*c*) S. Stephani, qui in capella mea commorantur, quos antecessores mei valde dilexerant, me concordare volui, reddendo eis & concedendo quidquid ab antecessoribus meis sibi datum fuerat, & quidquid ad eos de jure pertinere probatum est. Decimam itaque molendinorum meorum *Foleret* Meduanæ, quam ob hoc mihi retinere tentaveram, quia a priori loco ad alium locum ea transtuleram; integre eis reddidi & reddo, ut sicut in prioribus molendinis eam diu habuerant, ita & in novis eam habeant, etiamsi iterum atque iterum ea removeri contigerit. Item decimam exemplariorum forestæ meæ, quæ sunt infra metas parrochiæ de *Coustest* cognito quod eorum juris esset, eis benignissime restituo. Decimam quoque pasnagiorum meorum & usagium nemorum meorum ad ardendum & ad ædificandum, hominibus quoque Meduanæ eorum sicut & meis burgensibus. Et decimam stellinorum meorum in Anglia, sicut temporibus antecessorum meorum diu habuerant, & quicquid a bonæ memoriæ JUHELLO avo meo eis datum est, sicut in ipsius Juhelli litteris continetur, eis reddo & confirmo, ut sicut in veteris Juhelli temporibus ea pacifice tenuerant; ita, immo magis pacifice, & magis quiete, & magis integre ea nunc & in perpetuum possideant. De his qui his interfuerunt nonnullos subjicimus. Hugo senescallus affuit, & Guillelmus de Arqueneio, Ham. de Corcesseio; W. de Bosco-Berengerii, Johannes de *Bosnei*, Gaufredus de *Grezri*, Ham. Eosdab. De monachis Daniel prior, Gerardus subprior, Gaufredus Bernardi, G. de Vivonio, P. de Ambazia. De presbyteris W. de Joe, Jo. de S. Martino, G. de *Coneri*, Robertus capellanus, Ham *Ruellen* & multi alii.

EPISTOLA JUHELLI de Meduana ad matrem & ad Guillelmum avunculum suum.

Ut monachis sancti Stephani pro damnis illatis faciant satis.

Ex archivis Majoris-monasterii.

JUHELLUS dominus Meduanæ dilectissimæ matri suæ & dominæ, & GUILLELMO de Meduana avunculo suo, & Guillelmo de Erqueneio fideli suo; omnibusque baillivis suis, salutem.

Patet omnibus multa damna per me & per meos homines domui sancti Stephani de Meduana esse illata, unde rogatus a domino archiepiscopo Turonensi, & in remissionem peccatorum meorum diligenter ammonitus, ut damna prædictæ domui restaurarem, & reditus ejus restituerem, vobis omnibus amicabiliter supplico, quatenus Gaufredum priorem ejusdem domus, & monachos & omnia sua conservetis, & tamquam mea propria firmiter manuteneatis. Præterea hominibus suis de feodo Capellaniæ consuetudines suas de mortuis lignis in foresta mea Meduanæ ad testimonium famulorum meorum & legitimorum patriæ hominum reddo & concedo. Si quis vero in reditibus vel in possessionibus præfatæ domus manus injecerit, nullo modo patiamini. Illos autem centum solidos Cenomanenses, quos ad reparandam ecclesiam S. Stephani & domos suas dedi, de primis exitibus meæ terræ ubicumque sint festinanter reddatis, & crucem S. Stephani quam Hu-

(*a*) Gaufredus ut ex aliis cartis didici vivebat circa 1160.
(*b*) Philippus augustus rex Francorum & Richardus rex Anglorum.

(*c*) Sancti Stephani Meduanensis cella erat pinguissima à Turonensi sancti Martini Majori-monasterio dependens.

goni de Gaudescha accommodavi ad terminum præfixum sine dilatone redimi faciatis, & donum quod Clemens & Orieldis *Beraille* mater ejus de terra sua monachis de Meduana fecerunt, & donum quod Petrus de Vilereio fecit eisdem monachis de terra de Vilereio. concessione heredum suorum concedo, & sigilli mei impressione confirmo. Testibus Michaële de *Bacs.*, [a] GUILLELMO abbate (a) Campaniæ, Gaufredo monacho, Gervasio Probo, Petro capellano, & pluribus aliis.

EJUSDEM EPISTOLA ad Gaufridum abbatem Majoris-monasterii.

De restitutione facienda monachis sancti Stephani.

Anno 1189. Ex archivis Majoris-monasterii.

G. Dei gratia abbati Majoris-monasterii domino & amico suo totique conventui JUHELLUS dominus Meduanæ salutem & sinceræ dilectionis affectum.

Vobis & omnibus quibuscumque litteras istas audire vel videre contigerit notum volo fieri, quod ego JUHELLUS dominus Meduanæ monachis meis ibi manentibus plenariam redituum feci restitutionem, super quibus controversia inter me & ipsos vertebatur, & quicquid carta avi mei Juhelli esse sui juris probatur & continetur, litteris meis annotavi, & ut firmius teneatur sigilli mei impressione feci roborari. Præterea ad domos eorum reparandas in quibus conventus possit honestius conversari, centum solidos Cenomanensis monetæ ad præsens donavi. Testibus istis GUILLELMO abbate (b) Savigniensi, FULC. abbate (c) Clarimontis, GUILLELMO abbate sanctæ Mariæ de Campania, Guillelmo de Erqueneio, Gaufredo monacho, Hugone Molnerio de Laceio, Gaufredo præfatæ domus priore, magistro Petro capellano meo, & pluribus aliis. Hoc actum est anno dominicæ Incarnationis MCLXXXIX.

LITTERÆ JUHELLI de Meduana.

De capellania sancti Stephani.

Ex archivis Majoris-monasterii.

EGo JUHELLUS de Meduana omnibus ad quos litteræ istæ pervenerint, salutem.

Notum fieri curavi quod cum terram meam a domino rege suscepissem de novo, capellaniam S. Stephani de Meduana Galterio de Ponte clerico meo testimonio hominum meorum qui eam de jure donationis antecessorum meorum & meæ esse dicebant, assignavi. Quam assignationem prior & monachi tunc ibi conversantes, eamdem quoque de jure attestatione munimentorum suorum reclamantes, jam dicto G. vita ejus comite ad preces meas, salvo utriusque partis jure, concesserunt. Et ut istud donum ratum haberetur, id litteris annotari & sigilli mei feci minimine communiri. Hujus rei testes sunt Mauritius *de Ceron*. Gaufredus de *Avertum*, Guillelmus de Tilia, Guillelmus prior de Savigneio, Guillelmus tunc prior Meduanæ & plures alii.

LITTERÆ JUHELLI de Meduana.

De debitis Judæis persolutis a monachis Majoris-monasterii.

Ex archivis Majoris-monasterii.

NOtum sit omnibus præsentes litteras inspicientibus, quod cum abbas Majoris-monasterii & ejusdem domus conventus erga Judæos de Meduana & maxime erga Salomonem & Samuëlem filium ejus, multo & gravi debito obligati essent, ipse abbas & ejus procuratores ex integro quicquid prædictis Judæis debebant eis persolverunt, & immunes erga eos de omni debito remanserunt. Et ne abbas prædictus, & conventus vel domus S. Stephani de Meduana eidem abbati submissa pro debito a modo molestetur, ego JUHELLUS dominus Meduanæ quia debitum coram me & finitum fuit & persolutum, præsentem cartam feci scribi, & sigilli mei munimine raborari. Testibus istis Gaufredo de Taneto senescallo terræ meæ de Meduana, & Janigauri de Malo-nido senescallo terræ meæ de *Dinam*, & Guillelmo de *Hercane*, & pluribus aliis.

DIPLOMA RODULFI Leodiensis episcopi & Alberti archidiaconi & præpositi sancti Johannis pro collegiata S. Johannis ecclesia Leodiensi.

Confirmant donum ecclesiæ Thenensis factum S. Johanni.

Anno 1189. Ex schedis cl. V. Baronis de Crassier.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego RODULPHUS Dei gratia sanctæ Leodiensis ecclesiæ humilis minister, & ALBERTUS ducis Lotharingiæ filius, archidiaconus & præpositus ecclesiæ beati Johannis evangelistæ, dilectis in Christo ejusdem ecclesiæ canonicis tam præsentibus quam futuris canonice substituendis in perpetuum. Effectum justa postulantibus indulgere & vi-

(a) Campania ordinis Cisterciensis monasterium in diœcesi Cenomanensi.

(b) Savigneium monasterium ordinis sancti Benedicti a Vitale primo abbate fundatum in diœcesi Abrincensi, quod sub tertio abbate Serlone ad Cistercienses transiit.

(c) Clarimontis abbatia est ordinis Cisterciensis in diœcesi Cenomanensi.

gor æquitatis & ordo exigit rationis, præsertim cum petentium voluntatem, & pietas adjuvat, & ratio non relinquit. Eapropter, dilecti in Christo fratres, justis vestris postulationibus clementer annuentes, notum facimus omnibus Christi fidelibus & futuris & præsentibus, quod Godescalcus piæ recordationis ecclesiæ vestræ sacerdos canonicus, ecclesiam de Monte *Tyenes*, sicut eam juste & canonice tamquam dominus fundi tam in personatu ecclesiæ ejusdem, quam in decima & oblationibus fidelium, & in omni jure quo ipsam possidebat, intuitu Dei & beati Evangelistæ, pro salute animæ suæ ecclesiæ vestræ contulit: ita quod de præfatæ ecclesiæ proventibus missam & luminare unum singulis noctibus in oratorio beati Remigii, quod in ecclesia vestra situm est, & similiter unum ad missam pro fidelibus defunctis cotidie capitulum fideliter provideret, & residuum fructuum in usus fratrum in ecclesia vestra residentium juxta portionem quæ unumquemque fratrum in refectorio contingere debet, prout competens videretur, rationabiliter dispensaret; & decedente prædictæ ecclesiæ persona, decanus sancti Johannis assensu capituli personatum teneat, & in ecclesia Tenensi canonicorum ejusdem ecclesiæ præpositus nominetur, & per discretos sacerdotes sicut institutio exigit ecclesiæ provideat. Servata etiam ordinatione & stabilitate, quæ circa canonicos ipsius ecclesiæ Thenensis est facta. Cum unus autem viam universæ carnis fuerit ingressus, vel rationabiliter a canonica fuerit amotus, alius per manum personæ in eadem ecclesia constituatur, ut sic pia ordinatione initiata semper vigeat præbendarum stabilitas. Si qui vero de ecclesia eadem fuerint ordinandi in titulo beati Johannis, sopita omni contradictione, ordinandi conscribantur. Nos autem quod canonice ad honorem Dei & beati Evangelistæ, & sancti Remigii, & necessitatem tam vivorum quam in Christo dormientium, pie de ecclesia Thenensi vobis collatum est approbantes, præsentis scripti patrocinio renovatum communimus: & ne aliquis contra id venire, & præfatam traditionem ausu temerario infringere præsumat, eam sigillorum nostrorum subtus appensa immissione roborantes, auctoritate Dei Patris omnipotentis, & Filii, & Spiritus-sancti, & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus, & summi pontificis & nostra, sub anathemate solemniter inhibemus, salvo per omnia archidiaconi jure & episcopi diœcesialis canonica justitia. Renovatum est hoc Leodii publice anno Incarnationis dominicæ MCLXXXIX. indictione VII. cal. Januarii anno pontificatus domini Clementis papæ I. Hujus rei sunt testes Albertus major præpositus & archidiaconus, Simon decanus, Galterus scolasticus, Arnolphus Tungrensis præpositus, Petrus sancti Pauli præpositus, Heinricus de *Dunglebert*, Daniel, Thomas canonici majoris ecclesiæ, Ebalus sancti Pauli decanus, Heinricus sancti Bartholomæi decanus, Philippus Lovaniensis decanus, magister Reinerus, Godescalcus de Conteyo, Engelbertus de Orbeka, Engelbertus de Willemburgis & alii quamplures.

PACTUM MATRIMONII inter Galerannum comitis Mellenti filium, & Margaritam filiam Radulfi de Feugeriis.

Anno 1189. Communicavit D. Richardus Houssaye.

NOtum sit præsentibus & futuris quod matrimonium celebratum fuit inter GALERANUM filium ROBERTI comitis Mellenti & MARGARITAM filiam RADULFI DE FEUGUERIIS hoc modo. Robertus comes Mellenti dat & concedit Galerano filio suo dare Marguaritæ uxori suæ 200 libras Andegavenses redditus in dotem, scilicet Brionium integre, præter feodum Roberti de Haricuria, & præter feodum Rogerii de *Planes* & *Sahurs* integre, & centum libras in *Vuillebod*, scilicet in terra & in hominibus, & si contigerit quod Galerannus arripiat iter apud Jerusalem, Margarita uxor ejus remanebit in loco mariti sui Galeranni, plene & pacifice possidens quicquid maritus ejus Galerannus possidebat. Si vero Galerannus decesserit, uxor ejus Margarita habebit integre dotem suam, & Robertus comes Mellenti residuum. Et si Margarita habebit heredem a Galeranno defuncto; Galerannus heres ejus in manu Roberti comitis remanebit, & Margarita dotem suam possidebit; qualemque vero heredem Margarita habebit a Galeranno, Robertus comes facit & constituit illum heredem totius sui honoris & terræ, excepta terra quam Robertus comes daturus est in nuptu filiæ suæ. Radulfus vero de Filgueriis donat Margaritæ filiæ suæ & Galeranno & heredibus suis integre terram suam de Beniterone. Interim vero donec terra illa sit liberata, tradit eis in ballia Ipplepane & totum matrimonium quod fuit datum cum ea Willelmo Bertranno. Hoc autem scilicet matrimonium Willelmi Bertranni erit Margaritæ filiæ Radulfi de Filgueriis, quamdiu vixerit, & post decessum ejus erit Bertranni filii Willelmi Bertranni: Si vero Bertrannus prædictus sine herede decesserit, Radulfo de Filgueriis & suo heredi redibit. Interim vero donec Beniterone sit liberata, tradit Radulfus Margaritæ & Galeranno Quinteronium, insuper centum libras Andegavenses in villicatione de Lovigneio per manus sui servientis. Quando vero Beniterone erit liberata, Quinte-

terone & centum libræ prædictæ redibunt A Radulfo de Filgueriis & suo heredi. Actum est hoc Moretanæ 1189. ab Incarnatione Domini, his testibus ex parte Roberti comitis, scilicet Ric. *le Bigot*, Hug. de Monteforti, Johannes de Bosco-Bernardi, Johannes de Spata, Pagano *de Mosterol*, Willelmo de Humeto. Ex parte vero Radulfi, Gihello de Meduana, Guidone *de Laval*, Hasculfo de Polineio, Alano de Castro Gyonis, Willelmo de Filgueriis, Herveo de Vitone, Roberto de Apigneio, Willelmo de Monteforti. B

LITTERÆ CAPITULI generalis ordinis Cisterciensis, quibus admittit fundationem Campaniensis monasterii in diœcesi Cenomanensi.

[a] Anno 1189. Ex cartario S. Petri de Cultura.

EGo W. (*a*) dictu[illegible]bbas Cistercii, & totus abbatum con[illegible]s capituli generalis omnibus ad quos litteræ istæ pervenerint, salutem in eo qui est salus omnium.

Noverit universitas vestra, quod dilecti coabbates nostri H. (*b*) de Curia Dei & A. C de (*c*) Barzella ex mandato nostro perrexerunt ad partes Cenomanicas, ut locum illum, quem nobilis vir FULCO RIBOLA abbati & fratribus de Savigneio ad statuendam ibidem abbatiam dare proposuerat, viderent, præsentibus ibi domino pontifice Cenomanico aliisque authenticis personis; & diligenter situ loci inspecto, ostenso & determinato ab ipso Fulcone quod in præsenti dabat, & quod in futuro se daturum promittebat, ex consilio multorum nostri ordinis & jam dicti præsulis, donum illud ad honorem nostri ordinis decreverunt admittendum. D Cum autem abbas & fratres de Savigneio illud recipere vellent, affuerunt abbas & monachi de Cultura super decimas, quas sicut certum est diu habuerunt, reclamantes. Cui reclamationi illi satisfacientes, ita præfatam eleemosynam fecerunt admitti, quod jura monachorum Culturæ eis integra & illibata servarentur. Hanc autem pactionem sicut ab illis abbatibus determinata est, & sicut ex testimonio vivæ vocis eorum eam præsentialiter audivimus, probavimus, & confirmamus sigilli nostri caractere munientes. E Actum anno ab Incarnatione Domini MCLXXXIX.

(*a*) Vvido Pare qui Petro abbati Cistercii anno 1187. defuncto successit, fuitque S. R. E. cardinalis Prænestinus.

(*b*) Hugo Curiæ-Dei in diœcesi Aurelianensi abbas, cujus nondum nomen extat in serie abbatum illius monasterii.

[*c*] Barzella est abbatia diœcesis Bituricensis, cujus abbas prima nominis littera hic designatus est Aymericus.

LIBERTAS CONCESSA a Fulcone Andegavorum comite super eleemosynas apud Parentiam sitas.

Circa 1120. Ex cartario S. Vincentii Cenomanensis.

NOtum sit omnibus quod ego FULCO Andegavorum & Cenomannorum nec non & Turonorum comes, atque AREMBURGIS uxor mea comitissa cum filiis nostris GOFRIDO scilicet & HELIA, absolvimus & liberamus terram eleemosynæ S. Vincentii de Parencia * ab omni consuetudine & villicatione, insuper quicquid ibi habebamus, eidem eleemosynæ donamus & concedimus. Hoc viderunt & audierunt isti. Gofridus de Ramoforti, Gofridus Garini, Gervasius de Troea, Robertus Rager, Bigotus camerarius, Fulcoius capellanus, Paganus de Fontibus capellanus. Balgeii vero fuit hoc factum VIII. idus Januarii.

* Parcée.

CARTA PHILIPPI AUGUSTI regis de capellanis Elisabeth reginæ.

Anno 1196. Ex ms. Colbertino.

PHILIPPUS, &c. Auctoritate sacra attestante didicimus, quod orationes quæ in eclesia ad Deum pro defunctis fiunt, animabus fidelium subveniant & conferant suffragia: quod nos pia intentione considerantes, certi etiam quod ille cujus solius est medicinam animæ præstare post mortem, intercessionibus justorum placatur. Notum facimus universis præsentibus pariter & futuris, quod ob remedium carissimæ uxoris nostræ ELISABETH quondam reginæ & animæ nostræ, & animæ patris nostri piæ recordationis regis LUDOVICI, & animarum prædecessorum nostrorum, tres sacerdotes qui singulis diebus pro defunctis ob memoriam prædictæ Elisabeth reginæ, & orationes & vota Deo offerant, constituimus, quorum duo in ecclesia beatæ Mariæ erunt, in qua corpus ejusdem ab amicis & fidelibus nostris MAURICIO venerabili episcopo & canonicis loci illius cum summo honore & reverentia quantacumque, prout nos decuit, ibidem sepultum quiescit, & singulis diebus missam pro fidelibus Dei defunctis & nominatim pro anima ipsius uterque eorum celebrabit, nisi justa necessitas intervenerit. Tertius vero erit in ecclesia B. Mariæ Silvanectensis secundum institutionem eorumdem. Sed quoniam dignus est operarius mercede sua; idcirco instituimus quod duo sacerdotes in ecclesia B. Mariæ substituti singulis annis in die festi S. Johannis Baptistæ viginti quinque libras Parisienses in censu nostro, qui Parisius eo die recipitur, in perpetuum habebunt, unus duodecim libras & dimidiam, alter tantumdem. Si vero census noster decresceret, ita

quod non sufficeret ad viginti quinque li- A
bras persolvendas die prædicto, residuum vel totum, si nihil esset in censu de præpositura nostra, & de aliis reditibus nostris redderetur. Unde ballivis nostris qui censum nostrum recipiunt, & præpositis nostris præcipimus, quatenus sine contradictione aliqua singulis presbyterorum vel eorum nunciis die statuta reditus prætaxatos solvant: sciituri pro certo, quia quodcumque diebus ipsorum detinuerunt, tot diebus pro emendatione decem solidos sacerdotibus dabunt. Volumus etiam ne alicui aliquod beneficiorum illorum detur, nisi sacerdoti, vel qui B
in brevi sacerdos fieri possit, & qui residentiam ecclesiæ & officium bona fide, sicut supra dictum est, se celebraturum juret. Quod ut perpetuum, &c. Actum Parisius, anno Domini MCXC. regni vero nostri XI.

CARTA PHILIPPI AUGUSTI regis pro episcopo Parisiensi.

Ne vacante episcopatu exactio in diœcesi a regiis ministris exigatur. C

Anno 1190. *Ex ms. Colbertino.*

PHILIPPUS Dei gratia Francorum rex, &c. Quoniam genitor noster piæ recordationis Francorum rex LUDOVICUS THEOBALDO quondam Parisiensi episcopo & successoribus suis episcopis in perpetuum concessit, quod vacante episcopatu Parisiensi, non liceret sibi & successoribus suis Francorum regibus, ab hominibus qui sunt in terra episcopi Parisiensis & extra Parisius exactionem & talliam requirere, excepto quod quando episcopatus in manu domini regis venerit, consuetos reditus & talliam D
statuto tempore episcopo debitam ministeriales nostri & successorum nostrorum ex regis mandato possint accipere, ac sine contradictione ecclesiæ Parisiensis habere; ac ne etiam hujus talliæ summa ad gravamen ecclesiæ supra modum ullis occasionibus augeatur, certa sibi assignatione genitor noster LUDOVICUS rex statuit, & modis omnibus inhibuit, ne tallia LX. librarum numerum excederet. Nos igitur genitoris nostri vestigiis misericorditer inhærentes, prædictam concessionem a patre nostro Parisiensi episcopo factam ad petitionem amici E
nostri & fidelis (a) M. Parisiensis episcopi confirmavimus. Volumus etiam ut ea quæ prædictus M. episcopus tempore patris nostri vel nostro pacifice tenuit, in perpetuum ipse & successores sui Parisienses episcopi inconcusse & sine calumnia possideant. Quod ut ratum, &c. Actum Parisius, &c. anno Domini MCXC. regni nostri XI. Signum, &c. vacante cancellaria.

[a] Mauritii qui Petro Lombardo in sede Parisiensi successit.

CARTA RICHARDI REGIS Angliæ pro Richardo de Humeto.

Confirmat ei Popevillam & Vvarrevillam sub se & heredibus suis tenendas.

Anno 1190. *Ex ms. Colbertino.*

RICHARDUS Dei gratia rex Angliæ, dux Normanniæ & Aquitaniæ, comes Andegaviæ, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, comitibus, baronibus, judiciariis, vicecomitibus, senescallis, præpositis, & omnibus ministris & fidelibus suis totius terræ suæ salutem.

Sciatis nos dedisse & reddidisse, & præsenti carta nostra confirmasse dilecto & familiari nostro RICHARDO de Humeto pro servitio & homagio suo, & GILÆ uxori suæ, & heredibus eorum Popevillam & Warrevillam, cum pertinentiis suis & omnibus tenendis de nobis & heredibus nostris, cum baronia sua, sicut jus & hereditatem suam ex parte prædictæ Gilæ uxoris suæ; quare volumus & firmiter præcipimus, quod prædictus Richardus & prædicta G. uxor sua & heredes eorum habeant & teneant de nobis & heredibus nostris prædictas villas cum omnibus pertinentiis suis bene & in pace, libere & quiete, integre, plenarie, & honorifice, in bosco & plano, in pratis & pasturis, in aquis & molendinis, in viis & semitis, in vinariis & stagnis, in mariciis & piscariis, & omnibus aliis locis & aliis rebus ad prædicta maneria pertinentibus, cum servitiis & homagiis & releveiis, & cum omnibus libertatibus & liberis consuetudinibus suis, & cum omnibus integritatibus suis; testibus GOD. Wintoniensi episcopo, Guillelmo senescallo, Rad. filio senescalli Normanniæ, Pagano *de Rochefort* senescallo Andegaviæ, Roberto *Harene*, Ph. de Columbis, Gaufrido de Cella, Guillelmus de S. Mariæ ecclesia decanus Moreti. Datum per manum Johannis *de Alanc.* Luxoviensis archidiaconi, vicecancellarii nostri XX. die Junii apud *Chinon*, anno primo regni nostri.

CARTA RICHARDI REGIS Angliæ pro Guillelmo de Humeto.

Concedit ei constabulariam & alia sub se & heredibus suis tenenda.

Anno 1190. *Ex ms. Colbertino.*

RICHARDUS Dei gratia, &c. Sciatis nos concessisse & præsenti carta confirmasse Guillelmo *de Humet* constabulariam nostram, quam Richardus pater suus habebat de HENRICO rege patre nostro, sibi & heredibus suis tenendam de nobis & heredibus nostris in feodo & hereditate; confidimus etiam eidem Guillelmo & confirmamus omnia subscripta, quæ HENRICUS

rex pater noster præfato Richardo de Humeto patri prædicti Guillelmi de Humeto concessit, & dedit pro servitio suo & cartis suis confirmavit sibi & heredibus suis in feodo & hereditate tenenda, videlicet *Stanfort* cum omnibus pertinentiis castelli & burgi quæ ibi habebat Henricus rex pater noster. Concedimus & confirmavimus * *Kecen* cum pertinentiis suis, & Dodintoniam cum suis pertinentiis & de feodo comitis GIFARDI, * Gisambergiam, & Sirvigeham, & terram de *Vvahdon*, & de *Vvichedon* in *North*, & in Normannia *Meysi* & Hayam de Lalutemere, & terram de Apergardo cum incremento quod ei addidit H. pater noster, & cum omnibus pertinentiis prædictarum terrarum tenenda in feodo & hereditate sibi & heredibus suis, de nobis & heredibus nostris. Quare volumus & firmiter præcipimus, quod idem Guillelmus & heredes sui post eum constabulariam nostram & omnia prædicta habeant & teneant de nobis & heredibus nostris bene & in pace, libere & quiete, &c. teste GODEFRIDO episcopo Wintoniensi, &c. Datum per manum, &c. anno primo regni nostri XXV. die Junii apud Turon.

* In alia carta *Kathen.*

al. Risembergam. *al.* Rembergam. * *al.* Sirigcham.

LITTERÆ RICHARDI I. regis Anglorum, ad archiepiscopos, episcopos, comites, &c.

Declarat se Cenomanense S. Vincentii monasterium sub sua protectione suscepisse.

Anno 1190. Ex cartario S Vincentii Cenomanensis.

RICHARDUS Dei gratia rex Anglorum, dux Normanniæ, Aquitaniæ comes, archiepiscopis, episcopis, comitibus, baronibus, justiciariis, vicecomitibus, & omnibus ministris, & fidelibus suis salutem.

Sciatis nos suscepisse in manum & custodiam & protectionem nostram, abbatiam S. Vincentii Cenomanensis, & omnes res & possessiones suas, tam ecclesiasticas quam laicas. Et ideo præcipimus, quod eamdem abbatiam cum universis obedientiis suis, & omnes res & possessiones suas custodiatis, protegatis, manuteneatis sicut meas proprias; ita quod nullam violentiam, vel injuriam, aut gravamen eis inde faciatis, nec fieri permittatis. Et si quis ei super hoc in aliquo forifacere præsumserit, plenariam ei inde justitiam sine dilatione fieri faciatis. Et prohibemus ne de ullo tenemento suo quod pacifice possederunt, die qua iter Jerusalem arripuimus, ponantur in placitum coram nobis. T. Roger. de Pratell. apud Ludunum super Rodanum x. die Julii.

CARTA PHILIPPI AUGUSTI pro monasterio Corbeiensi.

Revocat quidquid in monasterii præjudicium fecerat post patris mortem.

IN nomine, &c. PHILIPPUS, &c. Notum, &c. quod jura & libertates monasterii beati Petri Corbeiensis illibatas conservare volentes, decrevimus & præcise volumus, quod communia Corbeiensis in eo statu & puncto deinceps remaneat in perpetuum; in quo erat quando genitor noster rex LUDOVICUS migravit a sæculo, & si quid post mortem ejus in ecclesiæ exheredatione a nobis innovatum est, omnino quassavimus & revocamus in irritum: hoc salvo quod si Deus nos ab hac peregrinatione reduxerit, nobis liceat emendare consilio sapientium, si quid emendandum viderimus, absque exheredatione ecclesiæ. Si vero in hac peregrinatione Jerosolymitana aliquid nobis humanitus accideret, præcipimus carissimo filio nostro LUDOVICO, & per fidem quam filius patri debet, requirimus, ut inviolabiliter faciat id quod de ecclesia diximus in perpetuum inviolabiliter observari. Idipsum volumus firmiter observari a quocumque successore nostro, qui regni gubernacula post nos & post filium nostrum, si Deus & Dominus noster de nobis & de filio nostro suam faceret voluntatem, habiturus est. Quod ut perpetuum, &c. Actum Messanæ, anno Domini MCXC. regni vero nostri * VII.

Anno 1190. Ex ms. Colbertino.

* l. XI.

BULLA CLEMENTIS PAPÆ III. pro ecclesia Thenensi.

Collata ab Alberto archidiacono ipsi confirmat.

Anno 1190. Ex schedis Cl. V. Bar. de Crassier.

CLEMENS episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis præposito & canonicis Thenensis ecclesiæ S. & A. B.

Etsi de omnium tranquillitate ex debito commissi nobis officii esse solliciti non immerito debeamus, major tamen cura de ecclesiarum libertate manutenenda nos de ratione sollicitat, ut per nostræ dispositionis providentiam temporaliter & spiritualiter recipiant incrementum, & quæ bene in eis ordinata sunt & disposita, ne ipsis valeant deperire, apostolicæ confirmationis munimine roborentur. Ea propter dilecti in Domino filii, vestris postulationibus annuentes, canonicam ordinationem & dispositionem ipsius ecclesiæ, & rationabiles constitutiones ratas habemus, & quæcumque vobis & ecclesiæ vestræ a dilecto filio ALBERTO Leodiensi archidiacono filio nobilis viri ducis Lovaniensis collata sunt, sicut ipsa justo & sine controversia possidetis, vobis & per vos ecclesiæ vestræ auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus, statuentes ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ

træ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Lateranis III. cal. Aprilis, pontificatus nostri anno (a) tertio.

LITTERÆ ALBERTI EPISCOPI Leodiensis.

De dispositione ecclesiæ Thenensis.

Ex schedis cl. V. Baronis de Crassier.

ALBERTUS Dei gratia Leodiensis episcopus omnibus in perpetuum. Notum sit tam posteris quam præsentibus, quod cum nos archidiaconatus dignitate fulti, personatum Thenensis ecclesiæ tenuissemus, cujus ordinatio specialiter spectat ad beati Johannis in insula ecclesiam, cui quidem ex præpositurae officio præfuimus, apud CLEMENTEM Romanæ sedis apostolicum ore ad os obtinuimus, ut quicquid in prædicta Thenensi ecclesia ordinaremus, ratum & inconvulsum perpetuo haberetur; cujus quidem freti auctoritate & nostra, præbendas in ea a Baldrico beati Johannis decano, & a toto ejus capitulo, & domino Rixone dispositas & ordinatas, clericis nostris vacantes, eo jure quo prædecessoribus suis collatæ fuerant, dictæ ecclesiæ consensu contulimus; Baldrico autem clerico nostro & Engelberto quem decanum chori constituimus, circa stipendia quæ prædecessores sui, quousque vixerunt, quiete possederant, tertiam scilicet partem omnium oblationum per totum annum & omnium visitationum infirmorum, ac in Nativitate Domini, & in Pascha quartam partem, & omnis juris exequiarum tertiam partem in perpetuum dedimus, nil tamen de ecclesiæ decimatione: Engelberto autem quicquid de nuptiarum vel partus purificatione contingebat ad decaniam contulimus; scholasque a præfato Baldrico & ejus capitulo & dicto Rixone magistro Sygero collatas ipsi confirmavimus. Canonicas horas in ecclesia celebrari instituimus, pro quarum quidem frequentatione dicto Sygero VII. curtes & singulis dominicis diebus singulos denarios, & in Nativitate XII. denarios, & in Pascha totidem, in Pentecoste totidem, & in festo omnium sanctorum totidem, de nostra parte altaris perpetuo contulimus; omnes etiam candelas purificationis & alias.... ecclesiæ dedimus; Loduicoque præbendam sanctæ Crucis, Wigero vero sancti Johannis contulimus; ita quod, ut quanto citius potuerint, in sacerdotium promoveantur, & interim præbendam ipsorum sacerdotes subserviant; Heliam ecclesiæ custodem fecimus. Prædicta itaque omnia cum præbenda Gerardi sacerdotis apostolica & nostra auctoritate confirmata si quis infringere attentaverit, ipsum indissolubili anathemate percussimus. Hæc ergo archidiaconatus nostri tempore acta in nostro præsulatu plenarie confirmavimus.

(a) Incidit in annum Christi 1190.

EPISTOLA WITHMANNI archiepiscopi Magdeburgensis ad Widikindum abbatem Corbeiensem.

Benedictionis munus proxime se ipsi impensurum promittit.

Anno 1190. Ex ms. Corbeia nova.

VVITHMANNUS Dei gratia Magdeburgensis ecclesiæ archiepiscopus, dilecto amico suo WIDIKINDO venerabili Corbeiæ abbati, orationis & intimæ dilectionis obsequium.

Petitionem honestatis vestræ super consecratione vestra, prompta voluntate ac benigno affectu suscepimus, utpote de eo quem sincero corde amplectimur, cujus obsequio libenter operam nostram impendimus. In proxima igitur dominica die ex concilio ecclesiæ nostræ manum vobis imponere disponimus, ad quem diem sanctitatem vestram invitamus, rogantes ut proximo sabbato Calve ad nos veniatis, consecrationem a nobis proxima die sequenti accepturi.

EPISTOLA WIDIKINDI abbatis Corbeiensis ad suos Corbeienses.

Significat eis se benedictionis munus ab archiepiscopo suscepisse.

Anno 1190. Ex ms. Corbeia nova.

VVIDIKINDUS Dei gratia Corbeiensis ecclesiæ humilis minister, dilectis in Christo fratribus, F. priori, M. præposito, totique ejusdem ecclesiæ capitulo salutem & paternam dilectionem.

Significamus vobis, quod nuncios nostros ad dominum Magdeburgensem transmisimus, ut benedictionis nostræ ab ipso gratiam tamquam a viro probato reciperemus, eumque ad nostræ petitionis effectum paratum invenimus. Sed ne quid quod ad cautelam & suam & nostram spectaret omitteret; quia exemtam ecclesiam nostram a juridictione omnium episcoporum nondum ex instrumentis nostris plene cognoverat, exemtionis nostræ exhiberi sibi privilegium postulavit: quod cum in audientia Mersburgensis EVERHARDI, Nuwembergensis BERTHOLDI, Brandenburgensis ALEXI, Missinensis THIDERICI episcoporum, abbatum & diversarum ecclesiarum prælatorum in ecclesia quæ *Godesgenathe* dicitur, publice fuisset recitatum, ecclesiæ nostræ libertas ab omnibus est comprobata, & sic

ex omnium prædictorum consilio episcoporum, & cum eis domnus archiepiscopus manum nobis in die B. Praxedis imposuit. Hæc vobis indicanda judicavimus, ut & ecclesiæ vestræ & nostro honori congratulemini.

CARTA PHILIPPI AUGUSTI regis.

De ecclesia B. Jacobi apostoli Stampensi.

Anno 1191. *Ex ms. Colbertino.*

NOtum, &c. quod nos pro remedio animæ nostræ & genitoris & antecessorum nostrorum, in honorem gloriosæ Virginis Mariæ, & in memoriam beati Jacobi apostoli, instituimus in ecclesia ejusdem apostoli apud Stampas duos presbyteros, qui divina pro nobis & antecessoribus nostris celebrent, & sua apud Deum nos adjuvent intercessione. Sed quia dignus est operarius mercede sua, volumus ut unusquisque presbyterorum habeat duodecim libras & dimidiam Parisiensis monetæ in reditibus molendinorum nostrorum fullonariorum apud Stampas : unde præcipimus illi qui recipiet denarios de reditibus molendinorum, quod sine dilatione & contradictione aliqua duobus presbyteris, quos in jam dicta ecclesia instituimus, vel eorum certis nunciis, in octavis Paschæ reddat singulis annis XII. libras & dimidiam, uni VI. libras & V. solidos, & alii VI. libras & V. solidos ; & alias XII. libras & dimidiam singulis annis in festo S. Remigii sub hac pœna, quod ille qui reditus reciperet, nisi ad staturos terminos reddat sacerdotibus vel eorum certis nunciis, præcipimus quod totiens quinque solidos pro emendatione sacerdotibus donet, quot diebus prædictos reditus reddere differet. Et si ita contingeret, quod reditus molendinorum non sufficeret ad prætaxatam pecuniam persolvendam, vel omnino deficeret, volumus ut ille qui reditus præpositurræ recipiet apud Stampas, illud quod de summa prætaxatæ pecuniæ deficeret, sive pars, sive totum esset, sub prædicta pœna sacerdotibus vel eorum certis nunciis reddat. Volumus autem ut nullus aliquem illorum redituum habeat, nisi sit presbyter, vel in tali gradu sit, quod in brevi possit sacerdos fieri vel fiat. Quod ut, &c. Actum anno Domini MCXCI. regni vero nostri XIII. mense Februarii.

CARTA RICHARDI REGIS Anglorum de dotalitio Berengariæ reginæ.

Anno 1191. *Ex ms. Colbertino.*

RICARDUS Dei gratia rex Anglorum, omnibus, &c. Universitati vestræ notum facimus, quod nos assignavimus in dotalitium BERENGARIÆ (a) uxori nostræ reginæ Angliæ, ducissæ Normanniæ, comitissæ Andegaviæ, ea omnia quæ habemus in Wasconia ultra Guaronam, civitates, castra, villas & omnia dominia nostra, ut ea habeat & possideat in vita matris nostræ ALIENOR reginæ illustris, bene & in pace, integre & plenarie, & honorifice, sicut ea modo tenemus in manu nostra. Post decessum vero jam dictæ matris nostræ, si eadem uxor nostra superstes fuerit, prædicta omnia ultra Guaronam sibi assignata in pace dimittet ; & assignavimus ei in Anglia tunc habendum dotalitium reginarum, illud videlicet quod pater noster HENRICUS rex sæpedictæ matri nostræ assignavit ibidem : in Normannia castrum nostrum Falesiæ & villam cum appenditiis suis ; castrum *de Danfront*, & villam cum appenditiis suis ; in Turonia castrum de Lochiis, & villam cum omnibus appenditiis suis : in Pictavia villam de *Jasnai* cum omnibus appenditiis suis, castrum de *Merevant*, & villam cum omnibus appenditiis suis, & Cleronum cum omnibus appenditiis suis. Supradicta omnia ei concessimus, & assignavimus in dotalitiis, cum forestis, & cum omnibus appenditiis suis, volumusque ea habeat & possideat, bene & in pace, libere & quiete, integre & plene, & honorifice. Ut autem ratum & stabile habeatur, præsenti carta illud duximus confirmandum, testibus meipso, & episcopo Ebroiensi, Garnerio de Neapoli magistro hospitalis de Jerusalem, Andreas de *Chaliron*, Gaurifidus de Partico, Roberto de Sabl. Datum apud *Limmaʒon* per manum magistri Philippi clerici cameræ nostræ duodecimo die Maii.

Quædam additio est respiciens litteras præcedentes.

Alioquin ex tunc in *Sumersetscire* manerium de *Yncestre*, & manerium de *Merctoë* cum pertinentiis eorumdem & totam Rotelandam cum pertinentiis ejus, & manerium de *Recene* cum tota Scotia, cum *Bradecost* & *Norlusham* cum pertinentiis eorumdem, & in *Barchescire* manerium de Lamburna cum pertinentiis ejus, & in *Vvilcescire* Westebum Wliton, & Malmesburi cum pertinentiis eorumdem, & in *Subzen* villam *Harundelle* cum honore ac pertinentiis, & civitatem Cicestriæ cum ipsius pertinentiis, & in *Oxenefortscire* villam de Stanton cum pertinentiis suis, & in *Norhantonscire* Roglingliam cum pertinentiis ejus, & villam de *Norhanton* in *Devenescire* manerium de Kenton & Leston cum pertinentiis suis, ac manerium de *Aluchescot* cum villa *Slocombe* & *Kenevvke* cum pertinentiis suis, & civitatem Exoniæ & *Subdhantonscire*, mane-

(a) Filiæ regis Navarræ, quam teste Matthæo Paride uxorem duxit anno 1191. dimissa sorore regis Franciæ, quam desponsaturum se juraverat.

rium de *Vulfinton* cum pertinentiis suis, & in *Herefordscire Berkanmestede* cum toto honore & pertinentiis ejus; ac in *Excesse* villam de *Vualtham* cum pertinentiis ejus, & in Londonia, Eia reginæ, & in *Lincelenscire* Graham cum pertinentiis suis, & villam de *Stanford* cum pertinentiis suis, ac in *Glovvescestrescire*, honorem de Berkeleia cum pertinentiis ejus, cum omnibus aliis maneriis, villis & castris, quæ ad dotalitium præfatæ reginæ spectare noscuntur; nec non domania maneria regis ipsius in prædictis civitatibus constituta, de quibus sæpefata regina lanam debet habere.

EPISTOLA CONRADI Moguntinensis archiepiscopi ad suffraganeos suos.

De pretioso sanguine Christi in quodam vase miraculose invento.

Anno 1191. Ex ms. Liesborn.

CONRADUS Moguntinus archiepiscopus omnibus suffraganeis suis salutem. Fraternitati vestræ significandum duximus, qualiter in villula quadam fere ad II. milliaria ab *Erphord* distante, casus quidam ante Nativitatem Domini inopinatus emersit. Accidit quorumdam pauperum in eadem villa degentium duas filias virgines adhuc tenellas graviter ægrotare, in tantum ut pater sacerdotem ejusdem villæ vocaret secundum devotionem fidei nostræ, ad exhibendam puellis eucharistiam: qua consummata, sacerdos juxta consuetudinem generalem fecit ablutionem in bicarium deforme quidem, &, ut rem usquequaque exprimamus, nigredine sordidum, sordibus nigrum, qualia nimirum solent esse vascula pauperum; sed inde movemur minus, scientes quia cum humilibus sermocinatio ejus. Inquirentibus igitur parentibus quidnam de contenta in bicario ablutione faciendum esset; respondit præfatus sacerdos, ut infirmis potum petentibus præberetur, quod semel factum est. Dum ergo secunda vice præberetur, quod mirabile & miserabile relatu est, apparuit in bicario caruncula cruenta, quasi ad formam digiti accedens, ipsa vero ablutionis aqua jam cœperat esse rubicunda, & repente tota facta est sanguinolenta, immo sanguis. Stupentes ergo ob inauditam novitatem facti, jam dicti pauperes retulerunt hæc sacerdoti. Ille vero timens ne forte negligentiæ & culpæ suæ ascriberetur, voluit ut occultatum amoveretur; quod statim intelligens matrona quædam de eadem villa vidua plurimum devota Deo, ne hoc fieret instanter dissuasit; cujus, ut compendio verborum utamur, occasione & consilio servatum est vas, & contentum intra vas sacramentum, negligentius tamen quam deberet vel deceret. Brevi post tempore id factum archipresbyter agnovit, sed & ille referre negligens, tantum ad instantiam supradictæ viduæ majori reverentia disposuit custodiri. His ita factis nos accessimus ad partes illas, pervenientes *Erphord* in dominica *Invocavit*, relatione quamplurium omnia, sicut ex ordine recitata sunt, intelleximus, & destinavimus illo ex prælatis nostris duos viros religiosos, abbatem de *Volcoldrod* & præpositum *Vetrigeshusen*, qui reversi ad nos affirmabant se, sicut relatum fuerat, ita certissime invenisse & vidisse. Misimus ergo prælatos nostros quos tunc habere poteramus, videlicet majorem præpositum Moguntinum, & majorem ejusdem ecclesiæ decanum, abbatem de Monte S. Petri, abbatem de Valle sancti Georgii, abbatem de Cella Paulinæ, abbatem de *Volcoldrod*, & aliquot religiosos præpositos, & habito consilio, ad quoddam sanctimonialium cœnobium vicinum, illud sacramentum jam tunc sigillo firmatum, cum debita veneratione transportari ordinavimus. Acta sunt hæc anno MCXCI. Ipso anno in vigilia Johannis-Baptistæ facta est eclypsis solis media die.

LITTERÆ PHILIPPI REGIS II. pro monasterio Calensi.

De numero monialium statuto a rege Francorum & a papa confirmato.

Anno 1192. Ex cartario Calensi.

PHILIPPUS Dei gratia Francorum rex. Noverint universi ad quos præsentes litteræ pervenerint, quod propter multitudines monialium Kalæ, quibus facultates illius ecclesiæ sufficere non poterant, statuimus & decrevimus, ut de cetero in eadem ecclesia non recipiatur monialis aliqua, usque dum moniales ibidem commorantes ad numerum octoginta redigantur, & postmodum quando aliqua infra octoginta decedere contigerit, alia substituatur, & non aliter. Quod ut firmum & inconcussum permaneat, præsentem paginam sigilli nostri auctoritate præcepimus confirmari. Actum Meleduni anno incarnati Verbi MC. nonagesimo secundo, mense Martio.

DIPLOMA PHILIPPI II. regis Francorum pro monasterio S. Vedasti.

Eleemosynam Philippi comitis Flandrensis ad comparandam divini sacrificii materiam confirmat.

Anno 1192. Ex cartario Vedastino.

PH. Dei gratia Francorum rex. Noverint universi præsentes pariter & futuri, quod sicut ex authentico scripto PHILIPPI quondam Flandriarum comitis intelleximus, idem comes pro salute animæ suæ

dedit in eleemosynam ecclesiæ S. Vedasti Attrebatensis LX. solidos singulis annis accipiendos in dominica palmarum Balpamis, ut de hiis denariis emeretur panis & vinum ad conficiendum sacrificium altaris. Nos igitur pro salute animæ nostræ & genitoris nostri piæ recordationis regis quondam LUDOVICI, & carissimi filii nostri LUDOVICI, & antecessorum & successorum nostrorum, prædictam eleemosynam confirmamus, baillivo nostro Balpamarum mandantes, quod prædictam pecuniam prædictæ ecclesiæ ad præfixum terminum sine contradictione persolvat. Quod ut perpetuam obtineat stabilitatem, sigilli nostri auctoritate præsens scriptum præcepimus communiri. Actum Hesdini, anno Incarnati Verbi MC. nonagesimo secundo, mense Augusto.

CARTA FUNDATIONIS Oigniacensis monasterii.

Anno 1192. Ex Autographo.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Ego HENRICUS Dei miseratione Fossensis ecclesiæ præpositus, R. decanus totusque ejusdem ecclesiæ conventus, notum facimus præsentibus & futuris, quod Balduinus miles de *Lopon*, & venerabilis uxor ejus Oda, cognatis & amicis qui consentire debebant approbantibus, decimam de villa quæ *Foulz* dicitur, & terram Curturiolam dictam, & decimam fœni de *Oingnies*, & licentiam acquirendi circumquaque bonarium terræ ecclesiæ beati Nicolai contiguæ, & jus patronatus in ecclesia de *Moulnies* pro remedio animarum suarum super altare B. Foillani Fossensis ecclesiæ ad usum fratrum in ecclesia beati Nicolai *de Oingnies* Domino famulantium reportaverunt, sub testimonio nobilium virorum & clericorum, quorum nomina subscripta sunt, approbante etiam hanc donationem & confirmante domino ALBERTO Leodiensi episcopo. Ea etiam conditione quod fratres in ecclesia B. Nicolai *de Ongnies* Domino in perpetuum famulaturi, prædictam decimam & cetera quæ sibi libere concessit, plenarie & sine calumnia possiderent. Adjunctum est etiam, quod ecclesia B. Nicolai ecclesiæ Fossensis singulis annis aureum denarium XII. denarios publicæ monetæ valentem in capite jejunii exsolveret, & ecclesia Fossensis prædictæ ecclesiæ *de Oingnies* in expensis ei patrocinium & defensionem exhiberet. Statutum est etiam quod fratres beati Nicolai priorem sibi eligant idoneum & priorem sive quemcumque prælatum idoneum prædicta ecclesia Fossensis sibi præsentatum sine contradictione confirmet. Prior etiam sacerdotem in ecclesia de *Moulnies* instituet, institutum autem Fossensis ecclesia archidiacono præsentabit. Ceterum prior fratres quos sibi noverit idoneos, cum consensu fratrum in prædicta recipiet ecclesia, nusquam eos nisi fratribus ejusdem loci præsentaturus. Ut autem prædicta rationabiliter ordinata firmiter perseverent, præsentis sigilli nostri munimine roboramus, auctoritate beati Foillani episcopi & martyris & nostra prohibentes, ne aliquis prædictæ ecclesiæ jura vel factum istud audeat perturbare. Hujus autem rei testes sunt Henricus Fossensis ecclesiæ præpositus, magister Anselmus decanus, magister Robertus ecclesiæ sancti Petri in Namurco præpositus, magister Bernardus, Balduinus Faber, Balduinus de Foro, Foillanus, Johannes *da Aysau*, Henricus de *Marbais*. Milites autem hujus rei testes sunt Manasses de *Prelle*, Walterus de *Marbais*, Jacobus de *Sombreffe*, Sigerus de *Ham*, & Johannes filius ejus, Johannes de *Aveloez*, Philippus de *Tamines*. Actum est autem hoc publice anno ab Incarnatione Domini MCXCII.

MAGISTER GAUFRIDUS Anglicus ad imperatorem pro liberatione regis Angliæ Richardi.

Anno 1193. Ex cartario Elnonensi.

IMPERIALIS apex, cui servit poplite flexo
Roma caput mundi, cujus prudentia Remus
Totius imperii, qui plenus nectare dulci
Musarum redoles conditus aromate morum,
Pace tua pauci loquar hic, cum plurima possis
Posse modum servare velis, hoc imprime menti.
Quando nocere potes, noli, satis est potuisse
Posse nocere nihil, facies quod postmodo velles
Non fieri? sit mens præcauta, præambula facti
Nonne vides si vera noces in principe nostro?
Et crucis est servus, & Christi miles, & ensis
Totius ecclesiæ: devotio talis amorem,
Non odium; laudem, non culpam; præmia poscit,
Non pœnam. Toleres igitur, qui cetera vincis,
Te vinci vertique velis, regemque reverti.
Flos & apex cleri solita dulcedine stillent.
Prædulcis ex corde favi mihi porrige partem
De mellis dulcore tui, pro principe nostro
Supplico: sum minimus, es maximus, attamen esto
Flexilis, & stet ei melius ratione petentis.

DIPLOMA PHILIPPI II. REGIS Francorum pro monasterio Vedastino.

Monasterium sancti Vedasti sub sua protectione suscipit

Anno 1193. Ex cartario Vedastino.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Amen. PHILIPPUS Dei gratia Francorum rex. Noverint universi præsentes pariter & futuri, quod cum ecclesia S. Vedasti Attrebatensis a nostris antecessoribus Francorum regibus fundata, & ex eorum munificentia honorifice dotata, retroactis temporibus in B nostra & prædecessorum nostrorum fuerit protectione & custodia, & ab injuriis, molestationibus & incursu malignorum defensata: nos ex prærogativa dilectionis qua dictam ecclesiam & personas ejusdem amplectimur, dictam ecclesiam cum personis & bonis ejusdem expressius in nostra suscepimus, & suscipimus custodia speciali, ipsos super hoc per præsens regale privilegium munientes, salvo jure in omnibus alieno, volentes, & tenore præsentium præcipientes omnibus baillivis, præpositis, & aliis justitiariis nostris, ut ipsi dictam ecclesiam, C personas & bona ejusdem, sicut prædictum est, custodiant & defendant. Quæ ut perpetuæ stabilitatis robur obtineant, præsentem paginam sigilli nostri auctoritate & regii nominis caractere inferius annotato fecimus communiri. Actum Parisius anno dominicæ Incarnationis MCXCIII. mense Januario, regni vero nostri anno tertio decimo, astantibus in palatio nostro quorum nomina supposita sunt & signa, dapifero nullo. S. JOHANNIS buticularii, S. ROBERTI ducis Burgundiæ camerarii, S. YMBERTI D constabularii. Data vacante cancellaria.

CARTA PHILIPPI AUGUSTI regis.

De quittatione gisti Morinensis.

Anno 1193. Ex ms. Colbertino.

IN nomine summæ & individuæ Trinitatis. Amen. PHILIPPUS Dei gratia Francorum rex. Noverint universi præsentes pariter & futuri, quod LAMBERTUS Morinensis episcopus nos & successores nostros absolvit, & in perpetuum quittos dimisit ab E homagio quod sibi facere debebamus de feodo *Hesdin*, quod prædecessores nostri domini de *Hesdin* antecessoribus suis episcopis Morinensis ecclesiæ fecisse dinoscuntur. Nos vero dictum episcopum & successores suos quittavimus in perpetuum, quod nec ab illo episcopo, nec a successoribus suis poterimus exigere procurationem, aut successores nostri, aut servientes, aut nuncii nostri Tervenam venientes, sive ibidem moram facientes. Quod ut ratum, &c. Actum A Compendii anno incarnati Verbi MCXCIII. regni vero nostri XIV. astantibus, &c.

DIPLOMA HENRICI VI. imperatoris pro monasterio Corbeiæ novæ.

Facultatem tribuit quærendi aurum aut argentum, aut aliud metallum in fodinis.

Anno 1193. Ex ms. Corbeiæ novæ.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. HENRICUS Dei gratia Romanorum imperator & semper augustus. Quoniam naturale jus est; & omnis speciem continet æquitatis, ut qui a Deo plus accipit, plus eum diligere teneatur, juxta illud responsum evangelii dicentis: *Quis eum plus diligit? æstimo quia is cui plus donavit.* Et quia ab omnipotente, cujus est terra & plenitudo ejus, in quo sunt omnes thesauri reconditi, ex quo emanant omnia bona transfusa in donatorios, secundum mensuram donationis gratiæ suæ, reges plus ceteris accepisse notissimum est, constat eos plus Deo teneri obnoxios; & tam in debitis quam in voluntariis sacrificiis astrictius omnium conditori obligatos existere. Cum itaque inter cetera caritatis opera ecclesiis Dei & maxime religiosis locis in posterum providere sit gratius & acceptabilius Deo holocaustum, idcirco nos HENRICUS Dei gratia Romanorum imperator & semper augustus, intuitu & amore omnipotentis, a quo omnia quæ habemus, suscepimus; ratione ergo multorum obsequiorum a monasterio Corbeiensi nostræ magnitudini collatorum, concedimus, damus & tradimus tibi WIDIKINDO venerabili abbati antedicti monasterii Corbeiensis, & tuæ ecclesiæ, tuisque omnibus in posterum successoribus, auctoritatem & potestatem plenam regio jure sine diminutione a nostra serenitate collato in aurifodinis, vel aurifluentis, argenti fodinis, & ceteris quoque metallorum generibus, cum decima, advocatia, & omni utilitate, ut ubicumque in tenimento monasterii tui, sive de jure possessorio, sive de jure sit proprietatis, sive utriusque inveniantur aurifodinæ, vel aurifluentæ, argentifodinæ, vel cujuslibet alius metalli fodinæ, potestatem habeatis, tu & successores tui omni tempore in fodiendo & exquirendo aurum, argentum, & cetera metalla, quandocumque & quomodocumque volueritis, per vos & per interpositas personas a vobis utilitatem vestri monasterii integre & sine alicujus contradictione exercere. Hac nostræ liberalitatis sanctione super hoc promulgata in perpetuum valitura, cassatis omnibus scriptis, sive epistolis, sive annotationibus, seu pragmaticis sanctionibus, hanc nostræ liberalitatem celsitudinis præcedentibus. Si quis autem huic nostræ largitioni seu donationi contraire

vel interrumpere tentaverit, obligamus A eum, & suos fautores, vel suos heredes, culpæ vitio obligatos, centum libras auri nostro fisco,& totidem præfato monasterio soluturos, omnibus eorum propositis & inceptis cassatis. Ad perpetuam autem securitatem monasterii Corbeiensis, hoc privilegium fieri fecimus: & nostro sigillo jussimus communiri. Hujus rei testes sunt Liudulfus Magdeburgensis archiepiscopus, Merspurgensis episcopus, Berno Hildenesheimensis episcopus, Thidericus Halberstadiensis episcopus, Bernhardus dux Saxoniæ, Athelbertus marchio de B Misne, & frater ejus Thidericus, comes Hernricus de Regensten & frater suus, comes Sifridus de Blankenburc, comes Tritericus de Bichlinge, comes Athelbertus de Everstein, & alii quamplures. Acta sunt hæc anno dominicæ Incarnationis MCXCIII. indictione XI. anno imperii nostri post mortem serenissimi patris nostri III. Data *Northusen* XII. cal. Novembris.

CARTA PHILIPPI AUGUSTI C regis.

De dotalitio Aelidis de Castellione uxoris Guillelmi de Garlanda.

Anno 1193. Ex ms. Colbertino.

PHILIPPUS, &c. Notum, &c. quod dilectus miles noster GUILLELMUS de *Garlande* dedit in dotalitium A. uxori suæ domum suam de Livreio, & omnem possessum, & medietatem terræ suæ, & medietatem acquisitionis suæ quocumque modo acquirat,& medietatem omnium rerum quæ ei accident, quocumque modo accidant; & quia domum suam de Livreio uxori suæ, D matre sua vivente, dare non potest: quoniam de dotalitio matris suæ est, interim donat & concedit uxori suæ domum suam de *Cruissi* cum omni terra, pro excangio domus de Livreio, donec mater sua illam reliquerit, quocumque modo eam relinquet, & tunc prædicta A. ad dictum dotalitium redeat, *Cruissi* autem Guillelmo remaneat, ita quod non sit de dotalitio uxoris suæ. ROBERTUS autem de *Garlande* frater dicti Guillelmi habet in parte terram de Silvanectensio, & vineam de *Rugten*, TH. vero terram de *Marbuc*, & de *Lomac* habet E in parte. Quod autem remanet totum est Guillelmi de *Gallande*. Hoc tenendum laudaverunt & fiduciaverunt prædicti fratres Guillelmi Robertus & Theobaldus, & id tenendum fiduciaverunt Droco de Melloto, & Galterius de sancto Dionysio. Nos autem,&c. Actum anno Domini MCXCIII.

CARTA PHILIPPI AUGUSTI regis.

De excambio facto cum Galcherio de Castellione.

Anno 1193. Ex ms. Colbertino.

PHILIPPUS, &c. Notum, &c. quod nos pro excambio de Petrafonte assignamus GALCHERO DE CASTELLIONE cognato nostro octoginta libras de redditibus apud Clichiacum juxta Parisius, tali conditione, quod si Clichiacum non valeret octoginta libras singulis annis, residuum acciperetur apud Mosterolium juxta Parisius. Prædictus autem Galcherus dedit in maritagio assensu & voluntate nostra AELIDI sorori suæ uxori Guillelmi de Garlanda dilecti ac familiaris militis nostri... Præterea noverint universi quod nos intuitu dilectionis, quam erga prædictum Guillelmum habemus, & propter servitium quod nobis sæpissime fideliter exhibuit, & adhuc exhibere non cessat, eidem Willelmo & liberis suis ex ipso & uxore sua Monsteriolum juxta Parisius cum pertinentiis, sicut Constantia amica nostra ipsum tenuit, donavimus in perpetuum habendum in feodum & homagium. Quæ omnia, &c. Actum Medontæ anno Domini MCXCIII.

EPISTOLA CELESTINI papæ III. W. Remensi archiepiscopo & suffraganeis ejus.

Rescissionem divortii regis Philippi Augusti cum J. regina sua ipsis notificat, eosque monet, ut ne aliam superducat, prohibeant.

[a] Anno 1195. Ex ms. cod. Elnonensi.

CELESTINUS (a) episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus W. Remensi archiepiscopo sanctæ Sabinæ cardinali apostolicæ sedis legato & suffraganeis ejus, salutem & apostolicam benedictionem.

Cum in regno Galliæ Catholici semper æquitatis cultores divina fuerint principes institutione promoti, a sacrosancta Romana ecclesia, cujus fidem & unitatem servarunt, quadam sint prærogativa privilegium benedictionis & gratiæ consecuti, quorum quidem exaltationem & gratiam nos etiam adhuc in minori officio constituti & libenter promovimus, & libentius consuluimus promovendam. Nunc autem in apostolatus culmine divinitus provocati, carissimum in Christo filium nostrum PH. regem Franciæ recolendæ memoriæ prædecessorum suorum tam bonitate quam prudentia successorem, paternæ sumus caritatis brachiis amplexati,

(a) Hanc epistolam referimus ad annum 1195. quo similem scriptam fuisse ad Senonensem archiepiscopum narrat Matthæus Paris.

dignis eum titulis honorare & quantum cum A Deo possumus exaltare propensius cupientes. Ceterum cum fama hilaris & jocunda de matrimonio inter carissimos in Christo filios nostros Ph. illustrem Franciæ regem, & J.* reginam illustrem, sororem carissimi in Christo filii nostri * Ka. regis Danorum illustris, solemniter & rite contracto, prius ad notitiam sedis apostolicæ pervenisset, postmodum de ipso matrimonio ad suggestionem quorumdam, tale quid, ordine turbato, non sine honestatis ecclesiasticæ læsione, fuisse præsumtum audivimus, de quo B & propter injuriam & propter infamiam consulentibus & consentientibus irrogatam, non modicum contristamur. Et quidem si magnitudo regia considerasset attentius, audissent & secum nihilominus qui hujus præsumtionis cooperatores fuerunt, quantum sit matrimonii sacramentum; non fuisset, ut credimus, hoc modo processum. Constat enim cuique divinam paginam revolventi, quod ipse Dominus matrimonium instituit, & in paradiso ante peccatum ad officium propter sobolem propagandam dicendo: *Crescite & multiplicamini*, *& replete terram*, & extra paradisum post peccatum propter fornicationem vitandam. Unde C primus homo spiritu afflatus, inquit: *Propter hæc relinquet homo patrem & matrem & adhærebit uxori, & erunt duo in carne una.* Quanta sit etiam matrimonii dignitas, & quam circumspecta debeat ad tractandum de ea procedere gravitas Dominus innuit, qui cum interrogatus fuisset, si licitum esset uxorem dimittere, & quæsitum esset ab eo super hereditate duorum fratrum communiter dividenda, in uno tacens, & in altero sic respondens: Quicumque dimiserit D uxorem suam propter causam fornicationis, mœchatur. Per hoc nimirum ostendit, quod ecclesia in cognitione matrimoniorum, quasi ceteris difficiliori, cum majori quam in aliis procedere debeat gravitate; & cum ipse alibi dicat: *Quod Deus conjunxit homo non separet*; adverti potest quam graviter ille delinquat, & quantum sit ei ab ira ventura timendum, per quem tanti sacramenti Christi & ecclesiæ religio perturbatur. Præterea non est a temeritatis vitio alienum, E quod in tam arduo & difficili negotio non fuit censura sedis apostolicæ requisita, per quam vel ipsum canonice finiretur vel committeretur aliquibus, qui idem servato juris ordine secundum statuta canonica terminarent. Hic revera contra veneranda sanctorum patrum consilia processum est manifeste, qui majores & difficiliores quæstiones ab universis ad sedem apostolicam censuerunt debere perferri, quod usque in hodiernum diem non solum a Gallicana ecclesia, præter quam in præsenti articulo, verum etiam a longe remotioribus devotissime observatur.

* Ingeburgam.
* Kanuti.

Ut autem inde aliquantulum ordiamur, nonne hoc negotium de præcipuis & magis arduis negotiis unum esse dinoscitur, ut pote quod inter tam eximias regales personas, & a progenitorum regali prosapia descendentes, super causa tam difficili vertitur, ut secundum statuta patrum, deberet auditorio Romanæ ecclesiæ reservari? Si hoc & alia privilegia hujus sedis beati Petri, cui nos licet immeriti præsidemus, quæque remotissimi etiam barbari custodiunt illibata; quanto diligentius ea servare tenentur constituti propius & Latini, & qui de beneficiis prædictæ sedis copiosius & frequentius sustentantur? Non utique mediocriter errat, qui privilegio beati Petri obviare non timet, & canonicis sanctionibus contraire. Verum prælati ecclesiæ, qui huic rei favorem aut consilium præbuerunt, & si non ob aliud, saltem metu pœnæ debuerunt ab hujusmodi abstinere, & illud specialiter sollicita mente revolvere, quod in sacris canonibus de THEUGALDO Trevirensi & GONTARIO Coloniensi archiepiscopis legitur, qui depositionis sententia meruere percelli, pro eo quod in matrimoniali causa LOTHARII regis & THEBERGÆ uxoris ipsius, normam æquitatis nequiter temerantes, sanctiones canonicas excesserunt. Quod vero hic fuerit æque vel magis excessum, ex ipsa rei evidentia demonstratur: nam cum regina per verba præsentis temporis, expresso utrimque consensu, hinc inde primo præstitis juramentis, sacerdotali benedictione, sicut est consuetudinis, accedente, postquam fuit in reginam inuncta & honorifice coronata, præfato regi copulata matrimonialiter fuerit, & etiam cognita, sicut fertur, nihil debuit contra ipsam indefensam & ignorantem quid penitus ageretur, utpote linguæ Francorum ignaram, tam inordinabiliter a quolibet attentari. Nos vero qui ipsum regem Catholicum & ecclesiæ Romanæ valde devotum ab inclytæ memoriæ progenitoribus suis specialiter in visceribus caritatis habemus, magis volentes animæ suæ saluti, & integritati famæ consulere, quam ei male suadentium satisfacere voluntati; per dilectum filium * Centen. subdiaconum, notarium nostrum, apostolicæ sedis legatum, ad hoc specialiter missum, & litteras nostras, rogavimus excellentiam ejus, monuimus & attentius fuimus exhortati, ac ei in remissionem injunximus peccatorum, ut illud evangelii attenta consideratione revolvens quo dicitur: *Nil prodest homini, si mundum universum lucretur, anima vero sua detrimentum patiatur.* Dum tempus haberet, de animæ suæ salute esset sollicitus, & prædictam uxorem suam, quam a se consilio iniquo amoverat, quamque generositatis egregiæ ac multæ decus honestatis adornat, maritali affectione tractaret; nec illis aures contra

* f. Centium.

hanc accommodaret, qui quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi quærentes, ad imitationem hominis inimici, qui in agro bene seminato zizania respersit, pro lucro reputant, si possunt inter aliquos odium & discordiam seminare. Sed idem rex prædictum legatum & litteras nostras devotione qua decuit, sicut accepimus, non recepit. Nos autem, sicut novit Dominus, licet propter hoc simus plurimum conturbati; pro salute tamen animæ ejus, de qua nos oportet propensius cogitare, amplius contristamur, volentes ipsum ea semper efficere, quæ creatori suo placere debeant, & animæ suæ dispendium non incurrat. Inde est quod publicum instrumentum super ipsa genealogia, ex parte venerabilium fratrum nostrorum Lundensis archiepiscopi & suffraganeorum ejus nobis transmissum, & famam publicam attendentes, sententiam illam divortii contra ordinem juris prolatam, de fratrum nostrorum consilio cassantes, & penitus irritantes, fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus, quatinus si forte præfatus rex conditionis oblitus, ea vivente aliam superducere voluerit, vos auctoritate freti apostolica id eidem inhibere firmiter procuretis.

EJUSDEM
illustri regi Francorum.

Ejusdem argumenti.

Celestinus, &c.

Cum in regno Galliæ, &c. *ut supra fere in eumdem modum usque* discordiam seminare. Nos autem publicum instrumentum super ipsa genealogia ex parte venerabilium fratrum nostrorum Lundensis archiepiscopi & suffraganeorum ejus nobis transmissum & famam publicam attendentes; sententiam illam divortii, contra ordinem juris prolatam, de fratrum nostrorum consilio penitus irritamus atque cassamus. Rogamus igitur regiam excellentiam, monemus, consulimus, & in remissionem tibi injungimus peccatorum, quatinus prædictam uxorem tuam pro Deo & salute animæ tuæ recipias, & maritali affectione pertractes. Nos enim si quam propter hoc quod eam taliter dimisisti, videris maculam peccati contraxisse; id de beatorum Petri & Pauli auctoritate tibi misericorditer condonamus.

Sane regiam celsitudinem volumus non latere, quod eam circa personam tuam in Domino gerimus voluntatem, quod si factum istud cum honestate nostra & salute animæ tuæ possemus aliquatinus sustinere, nequaquam per nos in eo tantum fuisset processum: sed licet tu ipse, prout credimus, non ignoras, id salva conscientia, & absque animæ tuæ periculo non potuimus clausis oculis pertransire.

CARTA PHILIPPI AUGUSTI
regis pro Guillelmo de *Guallande.*

Philippus, &c. Notum, &c. quod Guillelmo de *Guallande* amico & fideli nostro in augmentum feodi sui, tam ipsi quam heredibus suis in perpetuum dedimus & concessimus Novum-mercatum & Castellaniam in perpetuum, &c. Actum Aneti, anno MCXCV. Anno 1195. Ex ms. Colbertino.

CARTA PHILIPPI AUGUSTI
regis de Galchero de Castelliolo.

Philippus, &c. Notum, &c. quod Galcherus de Castelliolo concessit & donavit Aelidi sorori suæ, sponsoque Guillelmo de *Guallande* in maritagio omne illud quod habebat apud Wermandos, & quod consanguinei sui ibi habent, habendum eidem Aelidi & Willelmo & heredibus eorum in perpetuum. Si vero consanguinei Galcheri eos super hoc mitterent in pœnam & placitum in aliquo tempore, prædictus Galcherus debet consanguineis suis dare tale excambium, quod dicta A- & sui heredes in pace de hac re erga suos consanguineos remaneant. Nos autem ad petitionem dicti Galcheri id confirmamus. Actum Vernone anno Domini MCXCV. Anno 1195. Ex ms. Colbertino.

CARTA PHILIPPI AUGUSTI
regis de Vernone.

Philippus, &c. Notum, &c. quod Richardus de Vernone & filius ejus quittaverunt nobis & heredibus nostris in perpetuum, & abjuraverunt de mandato Richardi regis Angliæ Vernonem cum Castellania & omnibus pertinentiis ejus; & Longam-Villam cum omnibus pertinentiis ipsius, & quæcumque in eis habebant, tam feodum, quam domanium. Nos autem pro hoc excambio, Richardo filio & heredibus ejus dedimus tenenda a nobis & hominibus nostris in feodum & in hominagium ligium per servitium quinque militum ad usus & consuetudines Franciæ pro octingentis libris Parisiensibus, & de reditibus hæc quæ inferius sunt nominata, videlicet Montem-Meliandi, Plailiacum, *Gouvilz*, *Auvers*, Rober-Vallis, & quidquid in eis habebamus, & hospites nostros quos habebamus apud Louras, & avenam nostram quam habebamus ibidem, & quindecim libras, & xv. solidos apud Pontisaram, & in præpositura nostra reddendas eidem R. singulis annis in festo S. Remigii, & eumdem Richardum de his in hominem nostrum ligium Anno 1195. Ex ms. Colbertino.

gium recepimus. Idem autem R. reddet buticulario singulis annis pro Monte-Meliandi XVII. libras Parisienses, & reddet de *Auvers* B. Mariæ de Campis XX. solidos, & S. Germano de Loya duos modios & dimidium bladi, & duos modios & dimidium de avena, & Adæ de Insula unum sextarium avenæ, & servientibus villæ quinque sextaria bladi. Quod ut perpetuam, &c. Actum anno Domini MCXCV. regni nostri XVI.

CARTA PHILIPPI REGIS Francorum, de variis donis Alienordis comitissæ S. Quintini & dominæ Valesiæ pro suo anniversario.

Anno 1195. Ex ms. Colbertino.

IN nomine sanctæ, &c. PHILIPPUS Dei gratia Francorum rex. Noverint, &c. quòd ALIENORDIS comitissa S. Quintini, & domina Valesiæ grangiam suam de *Fevix*, & totam terram arabilem quæ ad eamdem grangiam pertinet, & campi partem XIIII. arpentorum, quæ pertinent ad ecclesiam Longi-prati ecclesiæ... dedit: in qua grangia in constitutione ejusdem ecclesiæ, prout alibi in scripto comitissæ continetur autentico, L. modios frumenti diu ante pacem factam inter nos & comitissam de terra Viromandensi, pro salute animæ suæ & prædecessorum suorum ibidem Deo famulantibus in perpetuum percipiendos erogavit. Deinceps eidem ecclesiæ dedit XX. modios segetis in molendino de Veio annuatim inter festum S. Remigii & Pascha percipiendos, cum vivario ejusdem villæ. Præterea usuarium per totam forestam *de Rest.* ad ædificandum de vivo bosco, ad comburendum de mortuo, vel de residuis sive branchiis, excepta silva. Panes quoque consuetudinum de Betigniaco, panesque & cannabum de Marolio, & de Cohi, & panes de Haramonte, & de *Lergni*, prænominatæ in perpetuum dedit ecclesiæ & concessit.

[a] Item, eadem ecclesiæ (a) Longi-pontis dedit in perpetuam eleemosynam decem modios segetis in molendino de *Lergni*.

[b] Valli-serenæ (b) duos modios segetis in grangia *de Villers*.

[c] Loco-restaurato (c) duos modios segetis in grangia de Betigniaco.

Ecclesiæ S. Genovefæ Parisiensi duos modios segetis ad molendinum de *Choi*, & panes de Haramonte & de *Lergni* in grangia de Firmitate.

Leprosis de Firmitate tres arpentos prati juxta eorumdem domum, & duos modios segetis in grangia de Marolia, & unam quadrigam ligni singulis hebdomadis de mortuo nemore, sive de residuis, vel de branchis.

Leprosis *de Hollou* duos modios segetis in eadem grangia, & unam quadrigam lignorum singulis hebdomadis de mortuo nemore, sive de residuis, sive de branchis.

Ecclesiæ de Colonanciis duos modios segetis, & quinque modios avenæ, quos eadem ecclesia debebat comitissæ singulis annis apud Antilliacum de grangia sua, & de terragio suo XXXIII. arpentorum terræ.

Leprosis de *Crespi* duos modios segetis ad mensuram de *Crespi*.

Hospitali Domus-Dei de sancto Thoma quinque modios segetis ad molendinum de *Crespi*.

Ecclesiæ S. Thomæ de Crespiaco quinque modios segetis ad molendinum de *Crespi*, & piscariam in vivario de *Antelli* per duos dies annuatim in anniversario suo.

Ecclesiæ S. Arnulfi (d) de Crespiaco tres modios segetis ad molendinum de *Crespi*, & piscariam in vivario Pontis-rotundi annuatim per duos dies in anniversario. [d]

Monialibus de Mornenvalle duos modios segetis ad molendinum de Mornenvalle.

Monialibus (e) S. Johannis in nemore unum modium segetis ad molendinum de Mornenvalle. [e]

S. Agathæ *de Crespi* unum modium segetis ad molendinum de *Dyuni*.

Monachis *de Villers* unum modium segetis ad molendinum de *Villers*.

Item S. Leonio de Bello-monte unum modium segetis ad molendinum de *Crespi*.

Leprosis de *Chambli* duos modios segetis ibidem.

Monialibus de Bosreno duos modios segetis ibidem.

Item, hospitalitati de Firmitate sex modios frumenti in grangia de Firmitate, & quatuor quadrigatas lignorum singulis hebdomadis de mortuo nemore, sive de residuis, sive de branchis.

Et sciendum quod supradicti modii tam segetis quam avenæ, tam apud Firmitatem quam alibi ad mensuram de Crispiaco reddentur.

Item, in perpetuum dedit comitissa Templo decem libras Parisienses annuatim in pedagio de *Crespi*.

Hospitali decem libras Parisienses annuatim ibidem.

Ecclesiæ de *Noefort* (f) XX. solidos Pari- [f]

(a) Longi-pontis ecclesia est insignis abbatia ordinis Cisterciensis in diœcesi Suessionensi.

(b) Vallis-serena abbatia ordinis Præmonstratensis in diœcesi item Suessionensi, vulgo *Valseri*.

[c] Locus-restauratus ordinis Præmonstratensis monasterium in eadem diœcesi a Radulfo Viromandensi comite instauratum, unde Loci-restaurati nomen accepit.

(d) Cella est ordinis Cluniacensis in diœcesi Silvanectensi olim abbatia a Roberto rege fundata, ut docet Helgaldus in ejus vita.

[e] Ordinis S. Benedicti ad Regalem-locum, prope Compendium, ex commutatione cum canonicis regularibus Vallis-scholarium facta translatis.

[f] Vulgo *Nonfort*, prope Meldas, ubi cella a Trecensi abbatia Paracliti dependens.

sienses annuatim in telonio de Firmitate Milonis.

[a] Ecclesiæ de (a) Fontanis LX solidos fortium annuatim ibidem.

Ecclesiæ de Charmo LX solidos fortium annuatim ibidem.

Item, ecclesiæ S. Mariæ de *Chauni* & S. Eligii-fonti xx. solidos Parisienses annuatim in duodenis de *Chauni*.

Monialibus de *Roviez* xx. solidos Parisienses annuatim in duodenis de *Chauni*.

Canonicis S. Quintini Viromandensis LX. solidos Parisienses annuatim ad tabulas ejusdem villæ pro anniversario: ita quod nullus canonicorum inde aliquid habebit, nisi qui interfuerit anniversario comitissæ.

Item, eleemosynæ reddentur annuatim a festo S. Remigii, usque ad Natale, exceptis æditibus Longi-prati, qui sicut supra dictum est, reddentur.

Et sciendum, quod omnes ecclesiæ prænominatæ anniversarium comitissæ post ipsius decessum celebrabunt; & quamdiu comitissa vixerit, singulis annis pro anima patris sui anniversarium facient. In die anniversarii comitissæ omnes prædictæ ecclesiæ habebunt pitantiam de prætaxata eleemosyna.

Item, ecclesiæ B. Mariæ Parisiensis tale jus in Viriaco-villa, quale tempore comitis RADULFI patris sui in villa habuit, ut canonici ejusdem ecclesiæ singulis annis anniversarium ejus faciant, habendum concedit: quæ omnia concedimus. Ut autem ista omnia in perpetuum inconvulsa permaneant, præsentem cartam sigilli nostri auctoritate, & regii nominis caractere annotato inferius communimus. Actum Parisius anno Domini MCXCV. regni vero nostri XVI. astantibus, &c. Data vacante cancellaria.

CARTA BALDUINI COMITIS Flandriæ.

De compositione inter ipsum & reginam.

Anno 1195. *Ex ms. Colbertino.*

EGo BALDUINUS (a) comes Flandriæ & Haynonensis, marchio Namurcensis. [b] Notum, &c. quod contentiones quæ inter me & uxorem meam, & liberos meos, & [c] MATHILDAM (b) reginam, Flandriæ comitissam, quondam PHILIPPI comitis Flandriæ uxorem, hoc modo terminatæ sunt. Comitissa restrinxit se ad primum dotalitium suum. S. Audomarus & Area, si exierint de manu domini regis, ad dotalitium reginæ redibunt. De pertinentiis castellaniarum quæ sunt in dotalitio comitissæ, si fuerit contentio, per quatuor homines de parte comitis, & per quatuor de parte mea terminabitur contentio, si illi octo potuerint convenire; & si non convenerint, res inter duos clericos vel laicos, & ibi concordabunt illi duo, finita erit contentio illa. Sic ego & uxor mea ac liberi mei quittavimus comitissam super omnibus querelis per hanc conventionem tam de mobilibus quam de terra, & ego faciam reddi comitissæ omnia castella sua, & omnes emendationes quæ finitæ erant usque ad mortem comitissæ Flandriæ de terra quam modo habeo, & faciam ei emendari quicquid interceptum est de suo in terra quam habet de dotalitio suo. Et comitissa quittavit mihi excambium primi dotalitii sui. Et si conventiones istæ observatæ non fuerint, & si emendationem non fecero infra XV. dies, postquam submonitus fuero, dominus rex poterit assignare ad terram meam, quam ab eo teneo absque fide mentita & perjurio, & uxoris meæ & liberorum meorum, qui mecum juraverunt, secundum judicium curiæ domini regis: has conventiones tenendas & observandas a me affidavi & juravi domino regi & comitissæ eadem etiam tenenda & observanda, & uxor mea juravit domino regi & comitissæ, & BALDUINUS filius meus affidavit & juravit, & filii mei PH. & HENRICUS affidaverunt & juraverunt. Quod ut ratum, &c.

CARTA RICHARDI REGIS Angliæ.

De anniversario suo in ecclesia Rotomagensi celebrando.

Anno 1195. *Ex ms. Colbertino.*

RICHARDUS, &c. Sciatis nos concessisse & in perpetuam eleemosynam dedisse Deo & ecclesiæ B. Mariæ de Rotomago, pro anima mea & antecessorum nostrorum & successorum, & pro anniversario nostro & restauratione amissorum & damnorum, quæ dominus noster PHILIPPUS rex Franciæ fecit archiepiscopo & ecclesiæ Rotomagensi tempore guerræ inter nos & præfatum regem, trecentos modios vini percipiendos singulis annis in modiatione nostra Rotomagensi per integra dolia, sicut ea recipere solemus in modiatione nostra. Ita videlicet quod archiepiscopus ad usus proprios habebit de eodem vino centum modios singulis annis, & canonici ad usus suos & communiam suam habebunt reliquos ducentos modios vini. Si vero præfata modiatio nostra non poterit sufficere ad perficiendos trecentos modios vini, præfatus archiepiscopus & canonici percipient pro singulis modiis vini qui defuerint, viginti solidos And. a nobis & heredibus nostris, donec integre perficiantur trecenti modii

[a] Ubi conventus monialium ordinis Fontis-Ebraldi.
(b) Hic est inclytus ille Balduinus comes, qui postea factus fuit imperator Constantinopolitanus.
(c) De qua plura rerum Belgicarum scriptores, obiit Furnis anno 1218. sepulta apud Claram-vallem, uti scribit Johannes Iperius in Chron. c. 46. part. 18.

vini, & illos denarios percipient de reditu nostro Rotomagensi. Actum anno regni nostri sexto. A

CARTA ROBERTI ABBATIS S. Victoris Parisiensis & Reginaldi sancti Marcelli decani pro priore de Marcociis.

Jus patronatus ecclesiæ de Marcociis a Mauricio episcopo Parisiensi violatum ei restituunt.

Anno 1196. Ex veteri registro prioratus de Marcociis. [a]

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Amen. Ego (a) ROBERTUS S. Victoris abbas, & ego REGINALDUS S. Marcelli decanus. Notum facimus universis præsentibus & futuris, quod cum bonæ memoriæ MAURICIUS quondam Parisiensis episcopus ad extrema vitæ suæ tempora devenisset, in lecto ægritudinis positus, antequam in fata concederet, recordatus est, quia occupatione alieni juris aliquos læsisse potuerat, & quia in aliquas episcopatus sui ecclesias, consuetudines earum immutando, libertates imminuendo, vel contra agendo fortasse contigerat eum aliquando offendisse. Unde si qui super hujusmodi conquerentes apparerent, noluit illud animæ suæ superesse periculum: sed nobis quos devotos suos credidit & fideles, talibus audiendis propter infirmitatem suam vacare ipse non valens, curam audiendi & cognoscendi quid esset, & vices suas in hac parte cum * honore correctionis imposuit, ut si qua nobis correctione digna constarent, ea loco suo ad justas consuetudines, & ad statum debitum reducere studeremus. Cum itaque Ricardus prior de Marcociis ad nos veniens, patronatum ecclesiæ ejusdem villæ & præsentationem ad se pertinere nomine abbatis S. Wandregisili vindicaret, & ob hoc de concessione ipsius ecclesiæ, quam episcopus sine ipso alii fecerat, sæpius reclamasset: nos ex officio nobis commisso curavimus, eorum quæ proponebat cognoscere veritatem, & per sufficientes testes ab illo productos, juratos, & diligenter inquisitos, didicimus tam patronatum quam donationem præfatæ ecclesiæ cum vacaret & præsentationem personæ quæ deserviret, episcopo & archidiacono faciendam, ad ipsum priorem loci debere spectare; sicque fuisse antiquis temporibus legitime observatum. Ubi examinationi testium & prolatis attestationibus affuerunt Mauritius Parisiensis archidiaconus, frater Haymerici archidiaconi, & ipse Haymericus archidiaconus, Nicolaus Parisiensis canonicus & sacerdos, frater Haymericus canonicus sancti Victoris, magister Galterus Theologus, & magister Garidus cum quibusdam aliis de familia ipsius episcopi, quidam autem de nostris fratribus astiterunt. At nos sufficienter instructi respectu justitiæ conservandæ, & intuitu salutis ipsius episcopi, noluimus jam dictum priorem super hiis quæ justo titulo repetebat, molestiam ulterius sustinere: sed eorum omnium ei & successoribus suis in pace & integra libertate pristinam, sicut debuimus, vice episcopi restituimus potestatem. Quod ne cui deinceps venire possit in dubium, rei negotium sicut discussum est, & decisum litteris tradere, & sigillis nostris subtus impressis duximus communire. Huic autem facto & concessioni litterarum nostrarum testes affuerunt: prior S. Victoris, magister Ægidius Parisiensis, Wilhelmus de Caprosia diaconus, pluresque alii qui vocati fuerunt. Actum Parisius apud S. Victorem anno Incarnati Verbi MC. nonagesimo sexto. Amen, amen, amen.

* f. onere.

CARTA COMITIS PONTIVI

De maritagio uxoris suæ sororis domini regis.

Anno 1196. Ex ms Colbertino.

IN nomine patris, &c. Ego GUILLERMUS comes Pontivi, notum facio tam præsentibus quam futuris, quod PHILIPPUS Dei gratia rex Francorum AALES sororem suam, filiam LUDOVICI regis Francorum mihi in uxorem dedit, & cum ea in maritagio quicquid habebat apud *Vilers*, & quicquid apud Ruam habebat, & quicquid apud S. Walaricum habebat, præter regale abbatiæ S. Walarici, & salvo domini THI. hominagio, & quicquid apud Abbatis-villam, & quicquid apud S. Richarium habebat, præter regale S. Richarii: ea tamen consideratione, quod si præfata AALEZ uxor mea absque herede ab hoc sæculo migraverit, quod Deus gratia sua avertat, omnia præmemorata pro matrimonio ipsius Aaliz mihi concessa domino regi Francorum omni posthabita occasione libere & quiete cedent. Ut autem istud ratum & illibatum habeatur, &c. Actum apud S. Richarium, anno Domini MCXCVI. mense Aprili.

EPISTOLA A. MONACHI ad Odonem episcopum Parisiensem.

Arguit ipsum quod suæ diœcesis presbyteris tallias imposuerit.

[a] [b] Anno 1196. Ex ms Vedastino.

PAtri in Christo carissimo (b) O. Dei gratia Parisiensi episcopo frater (c) A.

(a) Hic Robertus Guarino Parisiensis S. Victoris monasterii abbati anno 1194. mense Novembri defuncto omnium fratrum calculis suffectus, ut bonus, immo ut optimus abbas laudatur.

(b) Odo de Sulleio, qui defuncto anno 1196. Mauricio episcopo Parisiensi successit.

[c] Designatus prima nominis littera non alius mihi videtur quam Adam Persenniæ abbas, cujus jam plures epistolas edidimus tom. I. Anecdotorum, ex quibus una est ad Odonem Parisiensem.

omnium monachorum minimus salutem in A Spiritu scientiæ & pietatis.

Quotiens scribit amicus meus, amicitiæ ratio & amoris pristini usus ad memoriam redit: non ita, fateor, venerabilis pater, affectio mea te sibi sentit accommodum, sicut ante consuevit aliquotiens experiri. Verum non hoc amici vitio, sed affectioni potius vitiosæ adscripserim, licet occurrat mihi aliquid unde non immerito alterari dilectio videatur. Pro vario sane rerum statu amoris natura se variat, & erga causas dissimiles, dissimilesque materias solet dissimiliter æstuare. Cum igitur in uno eodemque homine amicum attendo & epis- B copum, & alterum familiari gaudeat diligentia, alterum vero pro dignitate sibi & exigat reverentiam, amor reverentiæ nescius dominiique impatiens, tantæ diffidentiæ non consentit. Ubi nimirum in amoris negotio intervenit necessitas reverentiæ, amor patitur de inæqualitate dispendium, seque suo jure caritas spoliari conqueritur, ubi exulat a contubernio unitatis. Dum igitur honori impenditur debitum reverentiæ, nescia necessitatis dilectio, dum egredi terminos vicariæ connectionis compellitur, in affectu procul dubio minoratur. C Ex hoc efficitur ad visitandum tardior, verecundior ad colloquium, ad salutandum timoratior, ad petendum timidior, tenacior ad præstandum. Cum ego itaque sim inter modicos minimus, tu magnus inter maximos, quæ obsecro rerum tam diffidentium potest esse conventio, ut in rebus tam disparibus amica sibi paritate dilectio delectetur? Non hæc idcirco, pater venerande, dixerim, quod te desistam aliquando venerari & diligere, dummodo apud te conversari virtus & veritas non desistant. Illas enim diligere ad quamcumque se officinam con- D tulerint, mei est omnino, Jesu opitulante, propositi; nec illi potero per affectum deesse, quem gratia voluerit tantis splendoribus illustrare. Et certe licet amor gratuitus omnem pene habeat necessitatem reverentiæ suspectam, non potest amator virtutis ista affectuose non diligere etiam in episcopis, licet satagat castigare affectum, ne se per effectum prodat foris. Applausus quippe contemtibilium erga spectabiles facillime de conventu arguitur, unde consultius intra E affectum puritas amoris se continet, quam se foris aliquibus inditiis manifestet. Ego proinde incola claustri dulcius & securius elegi frequentare Cisterciensis philosophiæ tugurium, quam amicum sequi & per urbes invisere, quem me lugeo pene in episcopo perdidisse. Verumtamen damni hujus in hoc idoneam recompensationem recipio, si per venerationem tuam misericordia & veritas apud alios & maxime subditos faciunt quid faciendum tibi per sacerdotii ministerium injunxerunt. Statua salis es, pastui & profectui animalium communem te exhibe, ut qui de modio erectus es super candelabri eminentiam, universis ardeas in lucernam. Venit tempus, ut si quæ est gloriæ tuæ, magis splendor elucescat, dum de firmamento ecclesiæ ille lucifer occidit, qui vitæ suæ radiis & doctrinæ splendoribus tum totiens emisperium illustravit. Te arbitror intelligere. Sapienti enim loquor, quia de piæ memoriæ (a) cantore Parisiensi id dixerim, & [a] utinam de tanti viri morte doleas, qui secundum quorumdam opinionem minime de ejus dolebas absentia, cui tamen rei fidem non potuit adhibere. Omittenda sunt interim alia quæ famæ tuæ imputat communis vulgi opinio duriori quidem invectione dignissima, si esset qui te vere diligeret, & vera esse illa inveniens, te vere accessibilem amicis correctionibus inveniret. Sed forte causaris me irreverentius loqui, nec omnino humilitatem id sapere, quod invehor in episcopum tam audacter. Sed hoc est revera quod dixeram, quia amor reverentiam nescit, immo sicut sibi animus, sic secure loquitur cum amico. Oblitus sum, fateor, episcopalis reverentiæ, de antiquo amore adhuc quid retinens, nec absens potero umquam parcere tibi, quantalibet debeatur reverentia dignitati, zelus vitiis, amor debetur virtutibus, & utinam æmulatio nostra in amico non inveniat, unde vulnus ferat vel inferat, sed quod potius ipsum lætificet, se delectet. Ceterum cum paternitatem tuam videre per memetipsum meruero, exprimam tibi viva voce quæ nunc melius arbitratus sum reticere. Silentio tamen prætereundum non censeo, quod fere omnium opinione vulgatissimum, te videlicet diœcesis tuæ talliasse presbyteros, quod non modo a perfectione, verum etiam a pietate & justitia videtur esse penitus alienum. In hoc, venerande pater, grave fecisti scandalum te amantibus, & qui de lucerna super candelabrum posita flammam potius expectabant quam fumum, te mirantur & dolent in hac parte potius fumare quam flammare. Fumus quippe oculis molestus esse solet & naribus, & qui de te exempla lucis videre, & olfactum bonæ spei concipere se sperabant, in utroque de contrariis molestiam patiuntur. O quid vera dilectione fidelius? quid sincerius caritate quæ firma est? quæ dum ex modico fermenti totam massam corrumpi non dubitat, aliquo malo quod evitari valeat cauteriari conscientiam non permittit. Utinam malum istud nec tu in consuetudinem ducas, nec exemplo tuo miser mundus ad consecutiam trahat, quin potius remediis manifestæ pœnitentiæ non esse fa-

[a] Innuere videtur Petrum cantorem Parisiensem scriptis suis illustrem, qui factus monachus Cisterciensis in Longipontis monasterio, non sine opinione sanctitatis decessit.

ciendum dedoceas, quod exemplo tui operis minus esse culpabile docuisti. Tantus quippe episcopus, tantum desideratus ab omnibus, tantis sanctorum omnium votis a Domino expetitus, tantis fidelium lacrymis ad proferenda germina perfectionis irrigatus, non debet habere in conscientia, multominus agere debet in evidentia, unde sua lædatur opinio, unde tam devota omnium expectatio defraudetur. Quod si, ut dicitur ab aliquibus, te multis debitis obligatum necessitas aliquid agere compulit, ubi tamen tyrannica non intervenit extortio aut potestativa exactio, sed humilis ac supplex necessitatis insinuatio, aliquid benigne rogaverit, certe non hoc tam talliationem dixerim quam collectam. Licet enim & hoc perfectionem non redoleat, satius tamen fuit hoc semel in vita agere, quam præpediente incertæ mortis articulo, multa debita impersoluta dimittere in grave debitoris periculum & damnum irreparabile creditoris. Sæpissime enim, immo fere semper istud solet evenire episcopis, illis obeuntibus, sic a potestate terrena bona eorum diripi, ut quod debuerint vel ordinaverint non patiatur exsolvi. In meliorem partem caritas interpretari solet ambigua, quam conscientiam habueris in facto tu videris, ne forte, quod absit, idolorum (servitus) avaritia, de Christianorum episcopo cultorem fecerit idolorum. Verumtamen etsi te non reprehendat cor tuum, species tamen mala facta est universis in scandalum, dum & malis insultandi præstatur occasio, & boni se dolent in te perdere quod sperabant. De cetero, pater, aliqua in corde habeo, quæ longum & forte indignum erat scribere, quæ cum nuntius noster vel nuntii vivæ vocis ministerio venerationi tuæ expresserint, si exauditione digna judicaveris, humiliter & obnixe postulo adimplere.

PACTUM INTER PHILIPPUM Romanorum regem & Philippum augustum regem Francorum.

Anno 1198. *Ex ms. Colbertino.*

PHILIPPUS Dei gratia Romanorum rex semper augustus, &c. Notum, &c. quod propter dilectionem quam mutuo habuerunt erga dominum PHILIPPUM regem Francorum genitor noster FRIDERICUS & HENRICUS frater noster piæ recordationis Romanorum imperatores, hanc confœderationem propter bonum pacis & publicam auctoritatem cum carissimo amico nostro PHILIPPO illustri rege Francorum duximus ineundam in hunc modum, quod nos ei adjutores erimus nominatim contra RICHARDUM regem Angliæ & comitem OTHONEM nepotem nostrum, & BALDUINUM comitem Flandriæ & HAVILPHUM (*a*) archiepiscopum Coloniæ, & contra omnes alios inimicos ejus, ubicumque cum honore nostro id facere poterimus, bona fide & sine malo ingenio, quando locum & tempus id faciendi habebimus. Si aliquis de imperio nostro faceret eidem PHILIPPO regi Francorum malum vel ipsius regno; si ille qui deliquisset non emendaret, hoc per nos vel per nuntios nostros, per pacem vel per rectum in marchia competenti, infra XL. dies postquam scíverimus per prædictum regem Francorum, si fuerimus citra montes; vel episcopus Metensis hoc sciverit, si fuerimus ultra montes, dominus rex Francorum poterit se vindicare de eo sine interceptione, & nos eum juvabimus bona fide. Nos non retinebimus in imperio nostro aliquem hominem de regno Franciæ sive clericum sive laicum contra voluntatem carissimi amici nostri prædicti regis Franciæ, & quandocumque voluerit dictus rex poterit se vindicare de comite Flandriæ de terra quam idem comes tenet in imperio tam in feodo quam in dominio, & hoc sine interceptione, nos bona fide promittimus, quod si sciremus quod aliquis quæreret malum PHILIPPI regis Franciæ, vel ejus regno, nos bona fide id disturbaremus; & si non possemus, id nunciaremus eidem regi: & quando, Deo volente, in imperatorem fuerimus coronati, has conventiones regi Franciæ renovabimus, & sigillo nostro confirmabimus. Nos autem in manu NEVELONIS venerabilis Suessionensis episcopi fiduciavimus, quod omnia prædicta bona fide observabimus. Id etiam de mandato nostro dilecti principes nostri CONRAUDUS Witeburensis, B. Metensis, DITHELMUS Constantiensis episcopi, THEODERICUS quoque de *Greuch*, FRIDERICUS *Ecolre*, HARTEMANNUS de *Kireberch*, GODEFRIDUS de *Vehingre*, EVERHARDUS de *Enresten* comites de latere nostro, TRUSARDUS camerarius noster, Garnerus de *Rassevac*, Garnerus de Bollanda, Garnerus *Ceangue* milites juraverunt, quod bona fide studebunt, quod hæc a nobis observentur & teneantur. Id quoque unum archiepiscopum & unum episcopum jurare faciemus. Data *Vvannac* III. calendas Julii anno Domini MCXCVIII. regni vero nostri primo per manum CONRAUDI imperialis aulæ cancellarii.

[*a*] Vulgo Adolphum.

LITTERÆ GOSSUINI præpositi capituli Senogiensis.

De institutione officii B. Mariæ & anniversario comitis Balduini & Mariæ comitissæ in ecclesia Senogiensi.

Anno 1198. *Ex Hasnoniensi cartario dominorum de Avesnis.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Gossuinus præpositus, Nicolaus decanus & totum Senogiense capitulum, universis

tam præsentibus quam futuris in perpetuum. A Cum in ecclesia nostra inter ceteras divinorum officiorum exercitationes satis congruas & honestas, horarum gloriosæ Dei genitricis ac perpetuæ virginis MARIÆ assidue canendarum institutio vel consuetudo nequaquam haberetur; nos gratiæ & benignitatis copia præveniente, & carissimi domini & principis nostri BALDUINI Flandriæ & Hannoniæ comitis illustris petitione interveniente, diligenter decrevimus, per quotidianam horarum illarum celebrationem, institutum divinorum laborem officiorum augmentare: dominus equidem comes prædictus piam circa honorem & incrementum ecclesiæ nostræ gerens curam & sollicitudi- B nem, omnia quæ in *Hornes* & in illius appendiciis, & in tota illa parrochia habebat, ecclesiæ nostræ in eleemosynam perpetuam donavit, conferens ea propriis manibus cum nobilissima uxore sua MARIA Flandriæ & Hannoniæ comitissa, per cespitem terræ & per ramum arboris ad altare beati Vincentii legitima donatione, sub testimonio quamplurium virorum nobilium, nihil proprietatis seu alicujus dominationis sibi vel suis successoribus retinens in his, excepta gen- C te ex servili conditione seu advocatia ad ejus jurisdictionem pertinente. In hujus siquidem elemosynæ collatione ipse dominus comes communi consensu & consilio nostro firmavit, ut omnes prædictorum prædiorum & bonorum in eleemosynam ecclesiæ assignatorum fructus & proventus in opera ecclesiæ & ornatus ejus, ordinatione nostra & dispositione, perpetuo convertantur: assignatis inde sexaginta solidis denariorum ad anniversaria sæpedictorum comitis & comitissæ in ecclesia nostra perpetuo recolenda, & viginti solidis denariorum custodi ecclesiæ nostræ quoquo anno in natali Domini per ma- D num nostram administrandis in subsidium luminaris cereorum, quæ custos ad omnes horas beatæ Mariæ debet administrare, & candelæ ad quotidianam missam pro anima nobilissimi principis BALDUINI comitis Hannoniæ & marchionis Namurcensis, patris, inquam, sæpedicti comitis Flandriæ & Hannoniæ, per capellanum ad hoc institutum celebrandam, a custode eodem administrandæ. Nos itaque considerata sæpenominati BALDUINI Flandriæ & Hannoniæ comitis & ejus conjugis MARIÆ comitissæ pia erga ecclesiam nostram intentione & de- E votione, concessimus eis de gratia & caritate, firmantes & statuentes, quod post eorum decessum perpetuo pro animabus suis recolemus cum veneratione anniversaria, & in cujus anniversarii celebratione triginta solidi de prædictis denariis ordinatione nostra in canonicos nostros & in vicarios distribuentur. Quod autem de satis dictis prædiis & bonis ecclesiæ nostræ in eleemosynam perpetuam assignatis, in fructibus & proventibus supercreverit, quoquo anno denariis anniversariorum prædictis & luminarium in opera ecclesiæ & ornatus ejus dispositione capituli nostri semper converteretur. Ut autem omnes supradictæ institutiones & ordinationes conscriptæ, tam a domino comite sæpedicto & ejus successoribus, quam a nobis & nostris successoribus ratæ habeantur, & inviolate conserventur, scripti annotatione, & sigilli nostri impressione eas ad perpetuitatem confirmari decrevimus. Testes ecclesiæ nostræ Senogiensis canonici. Ego Gossuinus præpositus, Nicolaus decanus, Balduinus custos, Godefridus Cameracensis archidiaconus, Eustorius *Berc*, Waldeddus in Montibus præpositus, Gilebertus sancti Germani in Montibus præpositus, Renerus decanus sancti Germani in Montibus, magister Elias, Johannes capellanus de *Hannon Chaisnoit*, Johannes Tornacensis canonicus, Johannes magister scholarum, Johannes Alduini, Johannes de *Morbeinvveis*, Romondus Montensis, Balduinus agnomine Molendinarius, Thomas *de Enghien*, Haimericus de Horvetis, Nicolaus de Jacta, Nicolaus *de Suvri*, Nicolaus *de Rues*, Nicolaus de Nasta, Rasso de Lara, Radulfus de Brena, Egidius *de Hornut*, Clemens de Gamapia, Alardus prædicti custodis frater. Actum anno Verbi incarnati MCXCVIII.

STATUTUM MAINERII abbatis S. Victoris Massiliensis pro Bibliotheca.

Anno 1198. Ex archivio S. Victoris eruit D. Furnerius.

CUm in universis locis necessaria pacis unitas habeatur, propensius in his locis in quibus plures in unum associat Christi amor, providendum est ne quisquam digne possit congregationis scrupulus suboriri, & si forte aliquando pullulare videatur, summa cum diligentia debet extirpari. Sane conquerentibus monasterii nostri fratribus universis, quod quidam prædecessores nostri armario ipsius ecclesiæ, quod provida & diligenti antiquorum patrum & abbatum cura instructum est, & diversarum artium libris ornatum, libros legum qui ad ipsum armarium sicut alii libri spectant, cum forte aliquorum devotione monasterio legabantur, vel quacumque causa perveniebant, pro sua voluntate auferebant & capiebant. Ego MAINERIUS Dei gratia ejusdem monasterii Massiliensis abbas, majorum nostrorum usus consilio, conquestiones ipsas perpetua pace & concordia terminare & pacificare decrevi. Justis igitur totius conventus benigno faventes assensu postulationibus, libros legum, seu cujuslibet alterius facultatis, aut artis universos, qui aliquo

modo vel qualibet ratione monasterio legati vel largiti fuerint ad manus cujuscumque abbatis, vel officialis, seu claustralis, aut prioris deveniant, sine aliqua contradictione armario monasterii assignandos, & fideliter reddendos esse perpetua & firma stabilitate volumus, & mandamus, & cum præsentis scripti auctoritate concedimus. Excepimus tamen ex ipsa concessione breviaria, quæ proprie ad abbates pertinent, & missales qui ecclesiæ servitiis deputati sunt. Et ne in posterum alicujus successorum vel fratrum nostrorum possit arbitrio seu voluntate infringi ipsa concessio, nostri & conventus sigillorum eam impressione firmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Actum in capitulo generali infra monasterium, anno dominicæ Incarnationis MCXCVIII. indictione prima, mense Decembri.

FOEDUS PACIS
inter Philippum regem Francorum & Balduinum comitem Flandriæ & Hannoniæ.

Anno 1199. Ex ms. Colbertino.

EGo BALDUINUS comes Flandriæ & Hannoniæ omnibus notum facio quod hæc est forma pacis inter dominum PHILIPPUM regem Franciæ & me hoc modo. Quod ipse dimittit mihi S. Audomarum cum pertinentiis suis, & Aream cum pertinentiis suis, & feodum comitis Guimari, & feodum de Larda, & feodum de Lileis, & *Rachebort*, & Gorgam, & aliam terram quam advocatus Bethunæ tenet ultra fossatum versus Flandriam. Omnia vero alia de quibus contentio erat inter dominum regem & me, scilicet feoda & dominia remanent in manu domini regis & filii sui nepotis mei LUDOVICI, & heredi suo, & omnia alia quæcumque tenebat dominus rex ante guerram, exceptis supradictis quæ remanent mihi; & si contingeret quod dominus LUDOVICUS filius domini regis moreretur absque herede sua ex carne; tota terra quæ est de Flandria & de Attrebatesia, quæ non movet de Viromandia, redibit ad me absque rachato, & ad heredem meum, salvo rachato domini regis. Si vero contingeret M. quæ fuit uxor comitis PHILIPPI mori, dominus rex vult quod tota terra de dotalitio reveniat ad me, & ipse quittat mihi rachatum de terra. Si etiam contingeret quod comitissa superviveret mihi, tota terra prædicta reveniet ad heredem meum, salvo rachato domini regis. De Mauritania sic erit, quod si quid dominus rex habebat in ea, quittat mihi salvo jure episcopi Tornacensis ubique. Dominus etiam rex faciet dominum LUDOVICUM filium suum hanc pacem concedere, & si forte hoc nollet facere quando habebit ætatem; dominus rex neque de terra illa, neque de alia partem faceret ei donec id concessisset. Hanc pacem concessi tenendam bona fide & sine malo ingenio, & partem hominum meorum jurare feci, & partem... faciam. Et si contingeret quod morerer, heres meus juraret hanc pacem tenendam domino regi bona fide & sine malo ingenio. Quod ut firmum sit & stabile, sigillo meo confirmo. Actum Peronæ, anno Domini MCXCIX. mense Januario. (a)

CARTA ERMENGARDIS
de *Taus*.

De pluribus castris ab ea concessis Arnallo de Castro-bono, Arnallæ filiæ suæ, & Ermensen nepti suæ.

Anno 1199. Ex ms. Colbertino.

ARtifex est præsens ætas malignandi, & ut venetur sibi lucrum, non veretur aliis inferre damnum. Testimonio igitur hujus paginæ tam præsentibus quam futuris pateat, quod ego domina ERMENGARDS de *Taus* dono vobis, Arnallo de Castro-bono, & Arnallæ filiæ meæ, & filiæ vestræ Ermensen, nepti meæ, castrum de *Taus*, & castrum de *Castels*, & castrum de *Sanched* & de *Chauchadel*, & castrum de Guardia & de *Malgrad*, & omnem honorem, quem ego habeo ubique terrarum, & quicquid juris ego habeo in prædictis possessionibus, tali pacto, ut ego habeam usumfructum & dominium in vita mea in præfatis possessionibus; post obitum meum finito usufructu habeatis plenam proprietatem, & teneatis prædictum honorem pro comite & aliis dominis meis, sicut ego habeo. Et ego A. de Castro-bono promitto tibi, Ermengardis de *Taus*, bona fide, qui defendam te & possessiones tuas, & manu teneam contra cunctos homines; & si forte volueris relinquere præfatum honorem in vita tua, quod dem tibi mille solidos, usque ad duos menses postquam quæsieris mihi.

Actum est hoc anno MCXCIX. calendas Aprilis. Sig✝num Ermengardis de *Taus*, qui hanc donationem spontanea voluntate feci & propriis manibus firmavi. Sig✝num Arnalli de Castro-bono. Sig✝num dominæ Arnallæ. Sig✝num Raymundi de Castello. Sig✝num Raymundi de *Castels*, Sig✝num Bernardi *de Miramion*. Sig✝num Raymundi de *Taus*. Sig✝num Bernardi de *Belpug*.

Petrus presbyter scripsit die & anno quibus supra.

(a) Scribit Rigordus ad hunc annum *firmatas esse treugas mense Octobris* inter comitem Flandriæ Balduinum & regem Francorum Philippum.

CESSIO FACTA ARNALDO de Castro-bono de pluribus juribus ab Arnalla de Castro-bono.

Anno 1199. Ex ms. Colbertino.

NOtificetur cunctis quod ego ARNALLA DE CASTRO BONO cedo tibi Arnallus de Castro-bono, marito meo omnia jura & actiones, quod habeo & habere debes, & mihi competunt, vel competere possunt super valle de *Cabood*, & ejus finibus, & valle de S. Johanne & ejus finibus, & super hereditate paterna vel materna, & in his omnibus te procreatorem facio ad agendum & expediendum in judicio & extra judicium, & sicut ego, tu agere & experiri ubique possis; habens liberam & generalem administrationem omnium rerum & negotiorum ad me aliquo modo pertinentium. Actum est hoc VI. cal. Novembris, anno ab incarnatione Christi MCXCIX. Sig†num Arnalla qui ista carta mando scribere, & ad testes rogo firmare, firmarique rogavi. Sig†num Guillelmus de Lorda. Sig†num Bernardus de Juncera. Sig†num Arnallus de *Stamand*. Petrus Clericum qui hoc scripsi, & hoc signum fecit die & anno quod supra.

CARTA PHILIPPI AUGUSTI regis.

De dono facto Juhello de Meduana ab Arturo duce Britanniæ.

Anno 1199. Ex ms. Colbertino.

PHILIPPUS, &c. Notum &c. quod sicut amicus & fidelis noster ARTURUS dux Britanniæ, comes Andegaviæ & Richelmontis, castella de *Gorren* & de Ambieriis & Castellum-novum desuper Cosmum, & castellum de Carcere libere & plenarie cum totis castellaniis & omnibus pertinentiis, & forestam de Fossa-Lovam, quæ ad castellaniam de Erneia pertinere dinoscitur, JUHELLO de Meduana dilecto nostro & heredibus suis reddidit & concessit, & sigillo suo confirmavit in perpetuum habenda. Nos ad petitionem ejusdem ARTURI supradicta eidem Juhello & heredibus ejus sigilli nostri auctoritate præcipimus confirmari. Actum apud Montem-landum, anno Domini MCXCIX. mense Maio.

CARTA JOHANNIS REGIS Angliæ pro Lexoviensi episcopo.

De jure quod habebat in vicecomitatu Lexoviensi.

Anno 1199. Ex ms. Colbertino.

JOHANNES rex, &c. Inter ea quæ ad conservationem justitiæ pertinere noscuntur, nihil specialius regibus & principibus A incumbit, quam dignitates ecclesiasticas in sua stabilitate tueri, & ne forte per obliviones hominum, rerumque aut temporum mutabilitates ea quæ pia consideratione gesta sunt, & præcipue per judicium diffinita novis in posterum possint implicari calumniis, necesse est authenticorum scriptorum ea patrocinio communiri. Cum autem inter nos & dilectum nostrum in Christo GUILLELMUM DE RUPETRA Lexoviensem episcopum super jure & potestate ab antiquis prædecessorum nostrorum temporibus in B civitate & banleuga Lexoviensi ad nos pertinente contentio verteretur; tandem ne quid de jure episcopi & ecclesiæ Lexoviensis videremur nobis aliquatenus usurpasse, fecimus per multitudinem legitimorum & antiquorum militum de vicinia illa, juramentis interpositis, recognosci, quantum juris ad nos in civitate & banleuca prædicta quantum ad episcopum Lexoviensem, & quantum ad militem quemdam, ROBERTUM scilicet cognominatum, vicecomitatum pertinebat sibi apud Lexovienses hereditario C jure competere. Recognitum est autem in curia nostra coram nobis & baronibus nostris per testimonium XVIII. militum juratorum, nos tantummodo tria placita, quæ de Spata vocantur, in illa civitate & banleuca habere, videlicet de submonitione exercitus nostri, de via curiæ nostræ & de moneta; quæ etiam tria placita per manum episcopi vel ballivorum suorum ante nos vel senescallum nostrum, vel massias nostras debent adduci: ita etiam quod nihil de emendis alicujus trium placitorum sibi potest episcopus vindicare; sed eas per manum ipD sius vel ballivorum suorum debemus habere, & præter illa tria placita nihil nobis in prædicta civitate remanet in banleuga. Cetera autem omnia jura & placita tam de Spata quam alia, quibuscumque modis vel causis eveniant, cum eorum emendis ad episcopum sine omni contradictione pertinent & querela. Recognitum etiam per eosdem milites, quod prædictus ROBERTUS nihil habuit in vicecomitatu prædicto juris vel hereditatis, ipseque postmodum in curia nostra coram nobis & baronibus nostris in perE petuum remisit ipsi episcopo & successoribus suis totum jus quod sibi clamaverat & vindicaverat in vicecomitatu prædicto. Testibus H. Cantuariensi & G. Ebrocensi archiepiscopis, ROGERIO de S. Andrea de Scotia episcopo, &c. Datum apud Roth. per manum H. Cantuariensis archiepiscopi cancellarii nostri, tertia die Septembris, regni nostri anno primo.

EPISTOLA

EPISTOLA ADÆ ABBATIS Persenniæ, ad Blancam comitissam Campaniæ.

Sermones suos quos petierat ei mittit, declaratque quatuor esse necessaria ad gratiam promerendam.

Circa 1200 Ex ms. Marchianensi.

Dilectæ & prædilectæ, semperque in Christo diligendæ B. illustri comitissæ Campaniæ frater A. servus servorum Dei, qui apud Persenniam Christo serviunt, salutem, & ad ea quæ Dei sunt devotam semper gerere voluntatem.

Instanter, filia, tuæ dilectionis devotio postulavit, quatenus sermunculos meos tibi transcriptos dirigerem, & hoc quippe ex multo desiderio deposcere videbaris. Digna plane & laudanda petitio, si quæ Latine (a) dicta sunt per te posses intelligere, aut si eo modo dicta essent, quo ex eis tibi posset ædificationis beneficium provenire. Ad hoc enim, ut arbitror, sermones ipsos expostulas, ut ex eorum lectione ædificata proficias, dummodo tibi interdum forte vacanti ab aliquo exponantur. Scito, filia, quod sententia cujuslibet dicti, si de lingua in linguam translata fuerit, vix in peregrino idiomate, sua ei sapiditas vel compositio remanebit. Liquor enim cum de vase transfunditur, aut in colore, aut in sapore, & odore aliquatenus alteratur. Verum quibuscumque modis possem, tuæ ex animo ædificationi intenderem, & utinam tu catholicis exhortationibus & hiis quæ dicta sunt, tam studiose intenderes, ut coram Deo & hominibus gratiam invenires. Sane ad id gratiæ obtinendum quatuor esse necessaria liquet, quibus habendis cito cordis ambitu te insistere oporteret. Primum est fidei non dubiæ rectitudo, quæ cum te orthodoxam reddiderit, ad cognoscendos & devitandos errores & figmenta qualibet vera te scientia illustrabit. Rectitudo fidei est, cum & Deus creditur quod verax sit, & mente creditur quod summum bonum sit, quod est illi uniri, quod est vere Christi membrum effici, vere in Dei filium adoptari. Soli qui in Deum credunt, spiritum adoptionis recipiunt, ac per hoc dum Christo incorporantur, adoptionis non immerito filii appellantur. *Omnis*, inquit Apostolus, *qui credit in illum non confundetur.* Et procul dubio in illum credere est se a confusionis operibus penitus extraneis exhibere. Si tenueris hanc rectitudinem fidei, reputaberis inter filios Dei, ac per hoc heres Dei & coheres Christi efficieris, & nullatenus in æternum, sicut ab ipso dictum est, morieris. *Qui credit*, inquit, *in me, non morietur in æternum.* Filiorum quippe Dei transitus ex hac vita non vere est mors, sed magis natalis dicitur, quia in transitu suo a mortalibus exuti corporibus, ad veræ vitæ refrigerium renascuntur. Secundum, est innocentia morum, quæ dum ministratio fidei per confessionem & pœnitentiam reparatur, tutissime deinceps divini timoris custodiæ delegatur. Felix plane sollicitudo timoris, quæ dum fidei obedire solerter satagit, & punire quod amissum est per pœnitentiam non omittit, & ad reparationem intendit innocentiæ, dum omni vigilantia...eorum custodit. Igitur de fide timor nascitur, quia nisi crediderit, quid timeret? De timore pœnitentia nascitur, quia nisi timor pœnæ mentem afficeret, quis se de suis excessibus emendaret? Horrendum quippe est incidere in manu Dei viventis, quem horrorem dum menti assidue fidelis timor inculcat & intutit, eligit se potius de suis reatibus pœnitendo corrigere, quam ipsos reatus puniendos Dei viventis manibus reservare. Sic dum pœnitentia agitur, dum per timoris officium mens puncta & compuncta, quod male absorbuerat confitetur; dum tegitur noxa, restituitur innocentia, & sic boni efficiuntur mores, dum exclusis quibuslibet noxiis; incipiunt esse innocentes. Vides, filia, quia de fide qua in Deum creditur, iniquitas ab animo omnis excluditur, bellum vitiis desideriisque pravis indicitur, quæ etsi sentiuntur in nobis invitis, nihilominus obsistendum est eis, ne saltem valeant dominari. *Non regnet*, ut ait Apostolus, *peccatum in nostro mortali corpore.* Peccatum quidem inesse non prohibuit, sed ne regnum, vel dominationem habeat in nobis indixit. Si itaque inesse in nobis vitia & desideria nihilominus sentimus, sed non consentimus, nihil ex his in Christo JESU damnationis habemus. Quamdiu enim sentimus & consensum negamus, tamdiu de illis cum Dei adjutorio triumphamus: consentire enim est succumbere & amittere innocentiam, quam tamdiu per Dei gratiam custodimus, quamdiu negato eis consensu, eorum certamina toleramus. De innocentia morum sequitur justitia operum, quam necessariam esse ad operandam Dei gratiam loco tertio collocamus; quatuor enim supra esse diximus, quibus necessario Dei gratia acquiritur & servatur. Duo postrema operum justitia, & perseverantia virtutum: justitia est non modo metu gehennæ de se Deo pro illatis sibi injuriis justitiam exhibere, sed etiam est virtus ipsius justitiæ omnibus quæ præcipit Deus, fideliter & filialiter obedire. Ad hanc justitiam pertinet operum afferre fructum, aliud trigesimum, aliud sexagesimum, aliud centesimum, se-

(a) Hinc patet Cistercienses olim non gallice sed latine sermones suos coram fratribus in capitulo pronuntiasse; qua de re vide, si lubet, Mabillonii observationes in sermones S. Bernardi.

cundum quod in bonam terram ceciderit A semen sanctum. An non semen sanctum est fides, qua in Deum creditur? An non innocentia morum bona terra est, quæ sancti timoris officio diligenter extollitur. Inde provenit ille triplex fructus, tricesimus scilicet qui intelligitur in fidelitate castimoniæ conjugalis, & sexagesimus, qui fructus est continentiæ vidualis; & centesimus, quem profert excellentia virginalis. Tricesimus & sexagesimus fructus a te exigitur; quia & fidelis in conjugio extitisti, & nunc ad libertatem vidualis continentiæ pervenisti. Ex centesimo fructu quem facit virginitas, B nihil interim tibi dico, qui tamen ante vinculum conjugii te tantæ rei ferventissimum habuisse desiderium non ignoro: ille qui de voluntatibus judicat, propositum illum tibi faciat fructuosissimum; licet ab ipso nolens deducta sis compulsa consiliis amicorum. Age ergo, recompensanda recupera, in executione fructus tricesimi & sexagesimi, qui interim minus de centesimo peregisti. Insiste operibus justitiæ, sive de te Deo exhibente justitiam pœnitendo, sive mandatis & justificationibus ejus adimplendis filialiter intendendo. Nota quod hujus justitiæ C quadriforme est exercitium: primum est in inspectione sacræ lectionis; secundum est in studio sacræ meditationis; tertium est in instantia devotæ orationis; quartum est in religiosa sollicitudine activæ conversationis. Sacra lectio tamquam speculum intendit quid tibi sit faciendum: in studio meditationis quæris & invenis quem in faciendo teneas modum. Instantia orationis impetrat cælitus faciendi adjutorium. Activa conversatio de Dei confidens adjutorio aggreditur opus bonum. Quatuor ista tradu- D cta ferunt in usum & consuetudinem, purificatum perducunt animum ad cælestium contemplationem. Sed heu quid tibi & cælestium contemplationi, quam per occasionem terreni & transitorii principatus totum pene mundanæ vanitatis demersit pelagus. Hinc damnabilis in vidua curiositas vestium, sumptuum superfluitas, numerositas ferculorum, collectarum multiplicitas, pompa equitantium, pauperum spoliatio, multifaria declinatio obsequentium, cupiditatis intuitu impunita perfidia Judæorum, scelerata licentia fœneratorum, assidua tumultua- E tio in judiciis litigantium, quæ omnia quantumlibet sint contraria divinæ justitiæ, & saluti animæ, si in hoc statu posita, a te amovere curaveris, derisiones & opprobria hominum patieris. Quid est igitur infelicius, quam ibi contra conscientiam remorari, ubi necesse est periclitari, & scienter tenere transitoria, quæ & quotidie fugiunt, & fugiendo in animo amorem æternitatis aut minuunt, aut extinguunt. Cogita igitur, carissima mea, cogita sæpius de justitia operum & de perseverantia virtutum, quia ille solus ad portum salutis applicat, qui in justitia operum & virtutum patientia perseverat. Sic enim bona terra fructum affert in patientia, cum innocentia morum semen fidei suscipit & bonos fructus opera justitiæ facit, & eosdem fructus ad retributionis æternæ coronam perseverantia per patientiam promovet & perducit. Ceterum, amantissima, meos in hoc libro transmitto tibi sermones, qualescumque sint, quos tantopere postulasti, ut si eis usa fueris, & aliquam tibi conferant meliorationem, & per occasionem ipsorum tuum in memoriam habeas dilectorem. Vale.

CARTA ARCHEMBALDI de Borbonio.

De juramento suo.

EGo ARCHEMBALDUS dominus de Borbonio notum facio præsentibus & futuris, quod ego juravi super sacrosancta, & fiduciavi carissimo domino meo PHILIPPO Francorum regi, quod ego terram de Alvernia cum fortericiis, quas ipse mihi custodiendas tradidit, ei bona fide conservabo, & faciam jurare tam milites quam servientes omnes quos ibidem ponam ad custodiendas dictas fortericias, quod quicquid de me contingat, sive de morte, sive de prisonia, nulli alii, nisi dicto domino regi eas reddent, vel illi quem mihi ore ad os nominabit, & hoc ei creantavi super totam terram meam, & super totum feodum quod ab ipso teneo, & insuper hos fidejussores constitui, videlicet Iterum de Tociaco super totam terram suam, & Guillelmum de Melloto, & Droconem fratrem ejus super totas terras suas tali modo, quod si dictas fortericias non redderem, sicut est prænotatum, dominus rex ad totam terram meam & ad totum feodum quod ab ipso teneo, & ad totas terras prædictorum fidejussorum exinde se posset capere sine forisfacere alicui, & ea tenere in manu sua, quousque id esset emendatum ad voluntatem suam. Si vero de domino rege humanitus accideret, ego tenerer reddere dictas fortericias filio domini regis. Actum anno Dominini MCC. mense Martio.

Anno 1200. Ex ms. Colbertino.

JURAMENTUM PHILIPPO regi præstitum a Blancha Campaniæ comitissa.

EGo comitissa B. Trecensis Palatina, notum facio præsentibus & futuris, quod ego propria mea voluntate juravi domino meo PHILIPPO illustri regi Francorum, ut melius mihi crederet, & de me

Anno 1201. Ex ms. Colbertino.

securus esset, has conventiones, quæ in hac carta continentur, bona fide tenere, & sine malo ingenio observare, nec impetrabo per me vel per alium, nec impetrari sustinebo, quod ab his conventionibus sim liberata, nec per apostolicum, nec per clericum, nec per laicum, nec per aliquem alium: & si inde fieret mihi aliqua absolutio, juravi quod illam non reciperem, nec me propter hoc absolutam haberem a subsequentibus conventionibus. Istæ autem sunt conventiones. Ego propria mea voluntate juravi, quod sine consilio & assensu & propria voluntate domini mei PHILIPPI regis Francorum non acciperem maritum, & quod ei tradam filiam meam, & alium infantem meum, si ego remanserim gravida de marito meo comite TH. & præterea forteritias de Braio & de Mosterolis eidem tradam, & securitatem omnium hominum meorum mansionariorum in eisdem castellis & omnium militum qui sunt exinde feodati: ita quod si ego resilirem ab his conventionibus, omnes supradicti homines tenerent se cum domino meo illustri rege Francorum, & juvarent eum contra meipsam, & contra omnem hominem vel feminam. Eamdem vero securitatem faciet dominus Merroliarum domino regi de suo castello Merroliarum, de se, & omnes milites feodati de Pruvino, & omnes homines de Pruvino, & eodem modo omnes homines de Latiniaco & Meldis, & omnes homines milites exinde feodati. Comes vero LUD. mihi faciet hominagium sicut de ballio, salvis conventionibus, quas ego habeo cum domino meo rege Franciæ, & faciam eidem Ludovico comiti jurare quod si ego a prædictis conventionibus resilirem, ipse tenebit se cum domino Philippo rege Francorum, & de se & de omnibus feodis quæ de comite Campaniæ THEOBALDO tenuit; eodem modo faciam jurare W. comiti Joviniaci, & W. comiti Sacro-cæsaris, & GUIDONI de Dampetra, & GALCHERUM de *Castellon*, & GAUFRIDUM de Jovis-villa, & H. comitem Registensem, & comitem Grandis-prati, & dominum Trianguli, & dominum *Maurigni* vel successores istorum prædictorum, si aliquos ex eis infra completionem istarum conventionum mori contigerit, GUILLELMUS vero Remensis archiepiscopus me recepit in feminam tamquam de ballio, salvis conventionibus quas habeo cum domino meo PHILIPPO rege Francorum eodem. Has siquidem conventiones bona fide & sine malo ingenio domino meo regi Franciæ prosequar infra dies competentes, quos mihi nominabit quam citius potero, & ego faciam domino meo PHILIPPO regi Franciæ hominagium ligium, sicut de ballio, & sicut feoda apportant, quod ego portabo ei bonam fidem, sicut domino meo ligio contra omnes qui possunt vivere & mori: & ego singulis annis domino meo PHILIPPO regi Franciæ reddam quingentas libras Pruvinenses pro custodia Braii & Mosterolii, videlicet medietatem in Nativitate Domini, & aliam medietatem in festo S. Johannis Baptistæ. De Judæis sic erit, quod illos de quibus terra domini regis saisita erat, de corporibus eorum post mortem mariti mei comitis Theobaldi tenebo ad censam & pactiones, quas idem comes Judæis statuerat, nec ab eis aliquid amplius per vim extorquebo. Quod ut ratum, &c. Actum Senonis, anno Domini MCC. mense Maio.

EPISTOLA INNOCENTII papæ III. ad abbatem S. Martini & decanum Trecensem.

Ut monachi Vallis-lucentis decimas ex bonis quæ acquisierunt, solvant ecclesiæ de Laisiaco.

INNOCENTIUS episcopus servus servorum Dei dilectis filiis abbati S. Martini & decano Trecensi S. & A. B. Anno 1200. *Ex ms. Cambero-nensi.*

Proposita nobis ex parte dilecti filii nostri . . . clerici cruce signati, curati ecclesiæ de Laysiaco Senonensis diœcesis petitio declaravit, quod cum dilecti filii abbas & monachi Vallis-lucentis Cisterciensis ordinis infra finem decimationis dictæ ecclesiæ, tam eleemosynæ quam emtionis titulo terras plurimas acquisierunt, quorumdam privilegiorum munimine se tuentes, de terris illis decimas reddere contradicunt: & licet memorata ecclesia præfatas decimas possederit ab antiquo, eas nihilominus contra justitiam detinent occupatas, & cimiterium illius ecclesiæ sic & sic suis decimis spoliant, & boum pedibus conculcantes, jam fere maceriam cornibus attentarunt. Volentes igitur eidem ecclesiæ in suo jure adesse, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatinus inquiratis super præmissis diligentius veritatem, & si rem noveritis taliter se habere; dictos abbatem & monachos ad solvendas integre decimas ecclesiæ prætaxatæ præterquam de novalibus, quæ in præsentiarum rationabiliter propriis sumtibus excolunt, vel excolent in futurum, aut in præsentia nostra justitiam exhibendam, nonobstantibus privilegiis, si qua sunt in ejusdem ecclesiæ præjudicium impetrata, per censuram ecclesiasticam sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo, sicut justum fuerit, compellatis, nihilominus eidem ecclesiæ, decimis hucusque subtractis, exhibentes justitiæ complementum. Testes autem quos idem in assertionem suæ partis duxerit evocandos, si se gratia, odio, sive timore subtraxerint, quo-

minus testimonium perhibeant veritati, vos eos ad id per censuram ecclesiasticam, appellatione remota cogatis. Datum Laterani, IV. idus Maii; pontificatus nostri anno III.

EPISTOLA INNOCENTII papæ III. ad eosdem.

Declarat præcedentes litteras falsitatis esse suspectas.

Anno 1200. *Ex ms. Camberonensi.*

INNOCENTIUS episcopus servus servorum Dei venerabili fratri P. archiepiscopo Senonensi & dilectis filiis abbati S. Martini & decano Trecensi S. & A. B.

Licet olim contra fratres Cisterciensis ordinis aliqui crederent nos commotos, numquam tamen, sicut novit Dominus, qui scrutator est cordium & cognitor secretorum, religioni eorum voluimus derogare, vel concessam eis a patribus & prædecessoribus nostris ac nobis ipsis infringere libertatem. Nuper autem transcriptum litterarum quarumdam in perniciem ejusdem ordinis, ad vos, filii, abbas S. Martini & decane Trecensis, quasi obtentarum a nobis nostro fuit apostolatui præsentatum, quod diligentius intuens habuimus certa ratione suspectum. Continebatur enim in eo quod Milo clericus crucesignatus ecclesiæ de Laisiaco petitionem nobis obtulerat continentem, quod terras plurimas acquisierint, quorumdam privilegiorum munimine se tuentes, de ipsis decimas non solvebant, unde mandare vobis per easdem litteras videbamur, ut abbatem & monachos memoratos ad solvendas integre decimas ecclesiæ memoratæ, præterquam de novalibus, vel justitiam exhibendam, nonobstantibus privilegiis, si qua essent in præjudicium ejusdem ecclesiæ impetrata, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita cogeretis. Cum igitur pro certo sciamus hujusmodi litteras de conscientia nostra minime processisse, ac credamus a cancellaria nostra nullatenus emanasse, devotioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus revocato prorsus in irritum, si quid earum occasione vos filii abbas & decane fecistis, & per eas in nullo penitus procedentes, eum qui litteris ipsis est usus, ad exhibendas eas vobis per censuram ecclesiasticam compellatis, conferatis eas diligentius cum transcripto, quod sub bulla nostra vobis mittimus interclusum, & bullam diligenter examinare curetis in punctis, quantitate, & forma, & si etiam vera esset, utrum litteris per vitium falsitatis inserta, & si per vos certum inveneritis indicium falsitatis, tam eum qui impetravit easdem, quam illum qui usus est illis, secundum institutionem nostram, quam vobis dirigimus, sublato appellationis obstaculo, puniatis. Quod si forsan per vos deprehendere non poteritis vitium falsitatis, litteras ipsas cum eo qui usus est eis, & illo etiam qui impetravit easdem, ad sedem apostolicam destinetis, litteras tamen non per eos, sed per fideles nuncios dirigentes. Quod si omnes his exequendis nequiveritis interesse, tu frater arch. cum eorum altero, vel etiam per te ipsum ea nihilominus exequaris. Datum Lateranis, V. idus Aprilis, pontificatus nostri anno IV.

LITTERÆ MATTHÆI Lotharingiæ ducis, quibus declarat Blancham comitissam, natumque ejus Theobaldum obsides se pro eo erga Agnetem matrem suam dedisse.

Anno 1200. *Ex ms. reginæ Sueciæ eruit Mabillonius.*

EGo MATTHÆUS dux Lotharingiæ & marchio, notum facio universis præsentes litteras inspecturis, quod cum carissima domina mea BLANCHA comitissa Trecensis, & carissimus dominus meus THEOBADUS comes natus ejus, ad preces & instantiam meam, se pro me erga dominam & matrem meam AGNETEM ducissam Lotharingiæ obsides & ostagios constituissent, de hoc videlicet quod dictæ matri meæ nullam violentiam in aliquo vel injuriam irrogarem, nec ab aliquo de meis irrogari permitterem, ego ei concessi bona fide, quod si propter hoc damnum aliquod incurrerint vel gravamen, ego eis tenerer integrum restaurare. Quod si non facerem, concessi eis & concedo, ut de meo capere possint sine messacere, & sine fidem mentiri. Datum anno Incarnati Verbi MCC. mense Junio.

DOTALITIUM (a) ISABELLÆ reginæ Anglorum.

Anno 1200. *Ex ms. Colbertino.*

JOHANNES Dei gratia, &c. archiepiscopis, abbatibus, comitibus, baronibus, justiciariis, senescallis, ballivis, & omnibus hanc cartam visuris & audituris salutem.

Sciatis nos dedisse & concessisse ISABELLI uxori nostræ in dotem civitatem Xantonensem, Niortum, Salmurium, Fissam, *Beaufort*, *Baugi*, Castrum-Ligdi & *Trou*, cum omnibus pertinentiis & libertatibus suis. Et ut hoc stabile sit & firmum, præsenti carta & sigilli nostri testimonio id confirmavimus, testibus E. Burdegalensi archiepiscopo, H. Xantonensi, I. Engolismensi, R. Petragoricensi, I. Lemovicensi, R. Wan-

(a) Extant apud Thomam Rymer tom. I. ad annum 1203. aliæ litteræ Johannis regis de dotalitio Isabellæ reginæ, in quibus aliæ ipsi assignantur civitates.

terford episcopis, Radulfo Cestriæ, R. Leicestriæ, W. Maresc. de Pambtoria, W. Sar. comitibus, W. de *Homet* constabulario Normanniæ, R. Tesson. Fulcon. Pagan. Gaufredo de Cella, Ranulfo S. Eparchii, Ernaudo, Reimundo *de Bornez* abbatibus, Fulcaudo de Rupe, Aldoeno de *Berbezi*, Amico de Rupe, Petro, Roberto Landr. *Barbot*, Guidone Flomag. Segino Cerdano. Datum per manum JOHANNIS archiepiscopi *Vigorniensis & Hugonis *de Vvelles*, apud *Chinon*, tricesima die Augusti, regni nostri anno secundo.

* f. archidiaconi.

CARTA PHILIPPI REGIS de hominio sibi a Blancha Campaniæ comitissa facto.

Anno 1100 *Ex ms. Colbertino.*

IN nomine Patris, &c. PHILIPPUS Dei gratia, &c. Notum, &c. quod de feodo illo integro quod carissimus nepos & fidelis TH. quondam comes Trecensis de nobis tenebat, B. uxorem ejus comitissam Trecensem, in feminam ligiam recepimus, sicut de baillio & de dotalitio suo ad vitam suam, salvis conventionibus quæ in carta ejusdem comitissæ continentur, quam supra hoc habemus. Juravimus siquidem ei quod conventiones illas, quæ scriptæ sunt in carta ista ei bona fide tenebimus & servabimus, sicut feminæ nostræ ligiæ, videlicet quod filiam suam quam nobis tradidit, custodiemus & nutriemus bona fide & sine malo ingenio, nec eam poterimus maritare, donec ad ætatem XII. annorum pervenerit. Elapsis vero XII. annis, prædicta filia maritabitur consilio & assensu & voluntate nostra, & carissimæ matris nostræ & matris suæ, & baronum, quorum nomina scripta sunt in hac carta, vel illorum qui terras eorum tenebunt, si ipsi decesserint. Hi sunt barones, GUILLELMUS Remensis archiepiscopus, episcopus O. Parisiensis, dux Burgundiæ, comes LUD. GUIDO de Dampetra, GAUCHERUS de *Castellon*, GAUFRIDUS de Jovisvilla, GAUFRIDUS de Monte-mirabili, GAUFRIDUS Marescallus Campaniæ, CLAREMBALDUS de Capis, GUILLELMUS comes Jovigniaci. Et si prædicti barones nequiverint concordare de illa maritanda, ubi major pars prædictorum concordabit, maritabitur: ita tamen, quod prædicti homines securos nos faciant, quod nullum damnum sive nocumentum de maritagio illo nobis vel regno Franciæ poterit evenire, immo servitium nostrum habebimus, sicut de aliis feodis nostris habere debemus. Has easdem conventiones prosequemur & tenebimus de alio infante, quem dicta comitissa nobis tradet, si de marito suo gravida esset, si infans filia fuerit; si vero filius, cum ad ætatem tenendi terram pervenerit, reddemus ei vel justo heredi castella quæ pro his conventionibus tenemus, & conventiones nobis propter hoc factas quittabimus, salvo rachato nostro. Hæc sunt castella, Bravini & Mosterolium, in quibus dicta comitissa percipit omnes reditus & proventus, in quibus ponet & deponet præpositos & ballivos, & omnem justitiam exercebit, salvis conventionibus inter nos & ipsam factis. Si vero de prædictis conventionibus, quas nobis præfata comitissa facere debet per barones suos, aliquis baronum contrarius esset; comitissa illis faceret malum pro posse suo, & nos inde juvaremus eam bona fide; sicut qui eam & terram suam bona fide & sine malo ingenio custodire tenemur, sicut alios barones & homines nostros ligios, nisi relaxaremus comitem a conventione illius qui contrarius esset. Easdem vero conventiones, quas inter nos & præfatum comitem Trecensem nepotem nostrum habebamus de Judæis nostris & suis per cartas exinde factas ipsi comitissæ servabimus & tenebimus: & si aliqui de Judæis suis a tempore illo quo cartæ super hoc factæ fuerunt, sub nobis venerit, nos illos comitissæ reddemus, nec de cetero retinebimus. Illos vero Judæos de quibus terra nostra saisita erat, de corporibus eorum post mortem præfati comitis, tenebit comitissa ad causam & conventiones quas TH. maritus ejus eis statuit, nec aliquid amplius ab eis per vim extorquebit. Hæc autem omnia juravimus tenere & servare bona fide & sine malo ingenio, & fecimus jurari a baronibus nostris subscriptis, videlicet O. duce Burgundiæ, H. comite Nivernensi, G. comite Pertici, R. comite Drocensi, R. comite Suessionensi, S. de Monte-forti, M. de Monte-Mauriaci, D. de Melloto, G. de Guarlandia, G. de Barris. Si vero ab istis conventionibus resiliremus, omnes barones isti tenerent captionem apud Trecen. infra XL. dies postquam fuerint submoniti, donec prædictæ conventiones adimpleantur. Quod ut ratum, &c.

EPISTOLA CAPITULI sancti Martini Turonensis ad Leodienses canonicos S. Martini.

Renovant inter utramque ecclesiam fraternitatem, mittuntque eis juncturam digiti S. Bricii & de sepulcro S. Martini

Anno 1100 *Ex ms. Cl. V. D. de Louvrex.*

THEOBALDUS decanus, Petrus thesaurarius totumque capitulum ecclesiæ B. Martini Turonensis, dilectis in Christo fratribus Lamberto præposito, Ewardo decano totique capitulo beati Martini in Leodio, salutem & fraternæ caritatis vinculum indissolubile.

Accedentes ad ecclesiam nostram Ewar-

dus decanus & Henricus cantor, cum quibusdam aliis ecclesiæ vestræ canonicis, prudenter & eleganter nobis proposuerunt antiquam utriusque ecclesiæ fraternitatem a [a] tempore (a) Eurachii quondam Leodiensis episcopi, ab incurabili morbo, qui lupus dicitur, per gratiam Dei ob merita B. Martini in ecclesia nostra Turonensi sanati, & tunc in canonicum recepti, adstrictam fuisse & confirmatam. Fuit etiam a Deo & B. Martino ordinatum, ut omnes successores prædicti episcopi nostri essent in perpetuum canonici. Prædictus vero episcopus beneficii a Deo per merita sibi collati non immemor, basilicam in honore ejusdem confessoris in urbe Leodiensi construxit, quam dotavit nobiliter & ditavit, & canonicos triginta nostri ordinis ad serviendum Deo & beato Martino in eadem ecclesia collocavit, postmodum per revelationem Dei & beati Martini ab ecclesia nostra petiit, quod fraternitas inter utramque ecclesiam fieret indissolubilis; quæ per Dei misericordiam usque in præsens viguit, quam gloriosam fraternitatem timentes, ne per negligentiam dissolveretur, petierunt innovari, adjicientes quod singulis annis in festo beatæ Barbaræ virginis fieret memoria generalis pro fratribus vestris defunctis in ecclesia nostra, & pro nostris in vestra. Sane si fratres vestri ad ecclesiam nostram aliquando causa visitationis cum testimonio litterarum vestrarum accederent, reciperentur in choro nostro, & præbendam quotidianam acciperent. Quod si fratres nostros ad ecclesiam vestram cum testimonio litterarum nostrarum contingeret accedere, honorabiliter reciperentur, & in choro vestro, sicut hactenus observatum est, locum supremum obtinerent. Additum etiam fuit quod de septennio in septennium nostram ecclesiam visitarent. Postulaverunt etiam de reliquiis egregii confessoris vestræ ecclesiæ concedi. Sed quoniam de corpore ejus nihil umquam exceptum fuit, in memoriam mutuæ caritatis ecclesiæ vestræ juncturam digiti beati Bricii confessoris, successoris beati Martini, & de sepulcro beati Martini vobis transmisimus, & omnia prout postulata sunt benigno animo & unanimi voluntate ad laudem Dei & honorem beati Martini concessimus, & sigilli nostri munimine fecimus roborari. Actum anno Domini MCC.

HOMINIUM DIONYSIÆ Castri-Radulfi dominæ exhibitum Bartholomæo Turonensi archiepiscopo

Anno 1200 Ex ms. reginæ Sueciæ eruit Mabillonius.

EGo DIONYSIA domina & heres Castri-Radulfi omnibus ad quos litteræ istæ pervenerint notum facio, quod cum venerabilis pater BARTHOLOMÆUS Turonensis archiepiscopus, post decessum bonæ memoriæ mariti mei ANDREÆ DE CALVINIACO apud Castrum-Radulfi venisset, in aula mea ejusdem castri, sicut archiepiscopo Turonensi debetur de consuetudine, hospitatus, accessi ad eum præsentibus venerabilibus RADULFO Dolensi, STEPHANO S. Gildasii, PETRO S. Genulfi, JOHANNE (b) Millebecensi abbatibus, ipsum postulans attentius [b] & exorans, ut quia prægnans eram, & mihi ad Turonicas partes tutus non patebat viarum transitus, meo gravamini parceret & labori, ibi recipiendo a me hominagium, quod heres Castri-Radulfi tenetur facere archiepiscopo Turonensi. Domino autem archiepiscopo assensum meis precibus non præbente, ne id in consuetudinem traheretur, & ecclesiæ suæ præjudicium generaret, ego ne ex liberalitate mihi impensa damnum incurreret, antiquam ita esse consuetudinem recognovi, quod heres Castri-Radulfi pro faciendo dicto hominagio, tenetur adire archiepiscopi Turonensis præsensentiam, archiepiscopus vero propter hoc ad partes nostras accedere non tenetur, & factam mihi tam de propinquitate loci misericordiam trahi in consuetudinem non debere. Et sic dominus archiepiscopus gravitati meæ & laboribus parcens, hominagium a me recepit, me concedente quod omnia servitia ei facerem quæ antecessores mei facere consueverant archiepiscopo Turonensi. Et ipse similiter mihi promisit, quod ea quæ antecessores sui antecessoribus meis facere consueverant mihi liberaliter exhibebit. Actum hoc fuit hoc anno gratiæ MCC. assistentibus domino archiepiscopo magistro Guillelmo *Socrates*, Thoma de Sabolis, Philippo de Friaco, Richardo notario ipsius canonicis Turonensibus, Guillelmo *Boquerre*, Guillelmo *Isoré*, Philippo priore sancti Vincentii, Rogerio presbytero *de la Riche*, magistro Johanne Anglico clericis & pluribus aliis. Mihi autem assistentibus cum prædictis abbatibus, Emorando priore de Leproso, Guillelmo de Araio senescaulo meo, Petro Gaurini, magistro Herveo capellano meo, Philippo clerico meo & aliis pluribus. Et ne aliqua in posterum oriatur contentionis materia, id feci præsentibus adnotari litteris sigilli mei munimine roboratis.

NOTITIA De repressa advocatorum Corbeiensis monasterii violentia.

Circa 1200 Ex cartario Corbeiensi.

FULCO secundus abbas hujus loci conquestus est domino PHILIPPO regi

(a) Vulgo Euraclus qui sæculo X. Leodiensem administrabat ecclesiam. Quomodo autem ad S. Martini tumulum sanatus fuerit, ipse narrat in carta fundationis collegiatæ S. Martini Leodiensis ecclesiæ, quam refert Chapeavilla tom. I. pag. 194.

(b) Hic Johannes in serie abbatum Millobecensium desideratur in nova Gallia Christiana, Stephanus vero S. Gildasii abbas prima dumtaxat nominis sui littera designatur.

Francorum de domino Ingeranno Bovensi & de domino Hugone *Campdavaine* de Encra, quod ipsi in pluribus erga ecclesiam Corbeiensem, & quod in advocaturis suis plura adjungebant injuste, quod facere non debuerant. Unde dominus rex respondit & dixit se ipsum esse dominum summum & advocatum de omnibus bonis Corbeiensis ecclesiæ, ubi possunt inveniri. Dictos autem milites appellavit famulos & alios similiter. Dixit etiam rex quod dicti advocati in locis unde sunt advocati, ire, venire, nec morari, nec restare, nisi vocati fuerint a domno abbate, vel a præposito ejus, sive a monacho ecclesiæ: & bene sciant omnes quod homines villarum nostrarum ad petitionem, ad citationem, ad præceptum dictorum advocatorum de locis suis, de domibus suis nullo modo debent exire.

CARTA R. FILII JOHANNIS comitis Cenomanensis de quittatione Moutonagii de *Soone*.

Anno 1200 Ex cartario S Vincentii. Cenomanensis.

PRo certo habeant tam præsentes quam futuri, quod ego R. filius JOHANNIS comitis, quittavi in perpetuum abbatiæ B. Vincentii & fratribus ibidem degentibus illud servitium quod motunagium vocatur, quod antecessores mei habebant de suis hominibus in Sagonensio. Ipse vero G. abbas in cujus præsentia hoc feci donum, cum assensu capituli concessit JOHANNEM fratrem meum participem esse totius beneficii abbatiæ, & quod pro ejus anima per singulos annos celebrabunt anniversarium ejus cum classico, cum pane & vino & generali, sicut pro episcopo vel abbate, & facient annuatim unum trigesimale pro eo, & quod annuatim in mandato quod fit in cœna Domini, mittent pro eo unum pauperem.

Hoc factum est in capitulo abbatiæ beatæ Mariæ de Persegnia in die qua fuit humatus prædictus Johannes. Inde sunt testes (a) L. episcopus Sagii, H. abbas S. Martini Sagii, A. abbas S. Mariæ de Persegnia, G. abbas be *Tironel*, R. vicecomes Bellomontis, Odo de Clincampo, R. *Cartel* tunc senescallus, Odo *Cotinel*, R. de S. Petro, Herbertus de Pilemio monachus. Petrus.

CARTA PETRI REGIS Aragonum.

De pluribus castris ab eo concessis Guillelmo Raimundi.

Anno 1202. Ex ms. Colbertino.

MAnifestum sit cunctis quod ego PETRUS Dei gratia rex Aragonum & comes Barchinonæ, dono, laudo, & concedo tibi Guillelmo de Monte-Cathano omnia castella, villas, honores, & possessiones quas pater tuus Guillelmus Raymundi per me habet & tenet, aut aliqui antecessores ejus tenuerunt & habere & tenere debuerunt; videlicet castrum de Monte-Cathano, castrum de Todela, castrum de Stella, castrum de *Ffornoils*, castrum de Supreporta, castrum de Bosora, castrum de *Cornyl*, castrum de Corilione, castrum de Meala, castrum de Cona, castrum de Obairano, castrum de *Vangricos*, castrum de *Monte-caden*, castrum de Rappacaillada, castrum de *Casteilar*, & si qua alia castra aut villæ inventæ fuerint ipsos habuisse & tenuisse per antecessores meos. Hujusmodi autem donativum facio tibi præfato Guillelmo de Monte-Cathano in hunc modum; quod post obitum patris tui Guillelmi Raymundi prædicta omnia castella cum villis, honoribus, & possessionibus, sicut superius dictum est, habeas, teneas atque possideas per me & meos successores in feudum & ad servitium & fidelitatem mearum & meorum, & facias inde mihi & meis ostes, cavalcatas, curtes, placita & sequimenta, & cetera servitia, sicut antecessores tui nostris antecessoribus facere consueverunt, & sis inde mihi & meis subditus contra omnes homines & feminas Ut autem hoc donum firmius sit & magis stabile, te Guillelmum recipio in hominem manibus propriis commendatum. Datum Montispessulani per manum Johannis de Binx domini regis notarii & mandato ejus scripta a Petro scriptore sub anno Domini MCCII. Signum † regis Aragonum & comitis Barchinonæ. Sig†num Alberti de Castro-Veteri. Sig†num A. de Fuxano, sig†num Geraldi de Monte-Rotundo, sig†num Guillelmi de Solerio, sig†num Garciæ Rummi, sig†num Petri scriptoris, qui hoc scripsit mandato domini regis.

CARTA ERCHEMBALDI de Soliaco.

Blancha Campaniæ comitissa remittit reditum quem Theobaldus comes Blesensis dederat avo suo.

Anno 1202 Ex ms. reginæ Sueciæ eruit Mabillonius.

EGo ERCHEMBAUDUS dominus Soliaci notum facio omnibus ad quos præsentes litteræ pervenerint, quod ego quittavi in perpetuum dominam BLANCHAM comitissam Campaniæ ab omni querela seu jure quod requirere poteram super reditu quem bonæ memoriæ THEOBALDUS comes Blesensis dedit domino ERCHEMBALDO de Soliaco avo meo, quem etiam idem ERCHEMBALDUS postmodum comiti HENRICO filio supradicti THEOBALDI consanguineo suo pignori obligavit: ita quod BLAN-

(a) Forte S. Silvester scilicet, cujus tempore præerat S. Martini Sagiensi monasterio Henricus de Claromonte & B. Mariæ de Persegnia Adam.

CHA domina comitissa inde sine omni contradictione omne beneplacitum suum faciat & statuat. In hujus igitur quittationis testimonium, quam dictæ comitissæ feci & suis, præsentem cartam sigilli mei impressione feci signari. Actum incarnati Verbi anno MCCII.

CARTA JOHANNIS domini de *Honecort* pro advocatia villæ de Vallibus super Summam.

Anno 1202. *Ex cartario Vedastino.*

EGo JOHANNES miseratione divina de *Honecort* & de *Vilers* dominus, & Lucia uxor mea, universis Christi fidelibus præsentem paginam inspecturis in perpetuum. Apostolico mandato monemur & instruimur operari bonum dum tempus habemus, operari utique non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam. Attendentes ne tenebræ illæ & nox illa ex improviso nos operiat, in qua nemo poterit operari. Hoc igitur salutari consilio & mandato moniti & instructi, ego Johannes & Lucia uxor mea, dominica cruce signati, & Jerosolymitanum iter arrepturi in proximo, ad omnium tam præsentium quam futurorum volumus pervenire notitiam, quod domina HADUIDIS viri nobilis ACHARDI quondam domini de *Hadecort* vidua, & domini GALTERI prædecessoris mei, cujus ego filiam heredem terræ & domini de *Honecort* duco in uxorem, soror & Eustachius filius ejus dominus de *Hadecort* dominica cruce signatus, in nostra & domini REMUNDI abbatis sancti Vedasti Atrebatensis, domini etiam GALTERII abbatis de Monte sancti Quintini fratris prædicti Eustachii & multorum nobilium virorum præsentia constituti, medietatem advocaturæ villæ S. Vedasti Atrebatensis, quæ dicitur Vallis super Summam, quam de nobis in feodum tenebant, prædicto abbati S. Vedasti cognoverunt ad Jerosolymitani itineris sumtus agendos ipsius Eustachii, &c. anno Verbi incarnati MCCII.

CONFIRMATIO FUNDATIONIS monasterii Veteris-pediculi.

Anno 1202. *Ex autographo communicavit R. P. Prior Veteris-Pedicu-li.*

EGo DROCO DE MELLOTO dominus Locarum & Meduani, & de S. Mauricio, notum facio omnibus præsentes litteras inspecturis, quod dominus DROCO DE MELLOTO pater meus, & domina EMENGARDIS mater mea, dederunt Deo & beatæ Mariæ, & fratribus Grandimontis ordinis commorantibus juxta sanctum Mauricium, *Thisouailles* pro salute animarum suarum, omnimodam justitiam altam & bassam, & omne dominium, gruariam, gardiam, & garennam, quidquid habuerunt vel habere potuerunt temporibus futuris occasione quacumque infra fossata, ex quibus monstra eorumdem fratrum cingitur, exteriora cum reparatione fossatorum; dederunt etiam eisdem fratribus annuatim in crastino S. Martini hyemalis reddendum & solvendum I. modium annonæ in tertiis de Aillantoe recipiendum & percipiendum videlicet dimidium modii frumenti boni & optimi: & tres sextarios siliginis, & tres sextarios ordei boni & legalis: & si aliqua causa seu aliquo casu aliquid de summa dicti bladi in prædictis tertiis defecerit, requisierunt & præceperunt ut residuum repleatur de tertiis & aliis redditibus sancti Mauricii. Item dederunt eisdem fratribus duos modios avenæ de prima quæ recipietur in granario suo de sancto Mauricio cujusque redditus fuerit. Item dederunt fratribus prædictis quinque modios vini puri in cellario suo de sancto Mauritio percipiendos, & dimidiam summam olei: ad sanctum Priscum autem dederunt fratribus nominatis octo modios vini puri & boni in cellario suo de sancto Prisco recipiendos & percipiendos annuatim tempore vindemiarum, & sexaginta solidos in pullanis de sancto Prisco percipiendos pro vestimentis eorum & pro ceteris domus suæ negotiis faciendis. Hæc prædicta dona voluerunt & laudaverunt & præceperunt dictus dominus Droco de Melloto & domina Emengardis mater mea, ut ab heredibus seu successoribus annuatim & in perpetuum fratribus memoratis libere, quiete & pacifice sine aliqua diminutione redderentur ac etiam solverentur. Præterea dederunt fratribus supradictis duos homines bonos & sufficientes, liberos & immunes erga dominum ab omni modo, consuetudine & servitio & exactione quacumque, unum videlicet ad S. Priscum & alium ad sanctum Mauritium, qui de negotiis suis eisdem providebunt. Item dederunt prænominatis fratribus furnum de S. Mauritio, & quidquid juris de dicto furnagio exierit, & usuarium in nemoribus suis circa sanctum Mauritium ad dictum furnum calefaciendum. Si quis autem maligno spiritu imbutus in his prædictis donis fratribus supradictis injuriam in aliquo fecerit, rogaverunt dominum regem Franciæ, ut eos & eorum bona defendat, ac etiam custodiat. Item rogaverunt dominum archiepiscopum Senonensem ac dominum episcopum Autissiodorensem, ut prædicta dona fratribus nominatis jure ecclesiastico defendant & conservent. Unde ego DROCO DE MELLOTO dominus de Lochis & de sancto Prisco, & de sancto Mauritio, attendens devotionem prædicti domini Droconis patris mei & dominæ Emengardis matris meæ, dedi, confirmavi, concessi, & quittavi in puram & perpetuam eleemosynam pro mea meorumque salute, Deo & beatæ Mariæ, & fratribus

bus supradictis, omnia dona superius nominata, & specialem omnimodam justitiam altam & bassam, & omne dominium, grueriam, guardiam & garenam, & quidquid habebant vel habere poterant occasione quacumque temporibus futuris, tam ipse quam heredes seu successores mei, juris, consuetudinis, vel dominii, seu justitiæ altæ & bassæ, vel forestagii, vel gruariæ juxta clausuram eorumdem fratrum, seu infra fossata de quibus monstra eorumdem cingitur cum reparatione fossatorum. Præterea dedi & concessi supradictis fratribus quidquid habebant vel habere poterant occasione quacumque in molendinis de Bonello & Potercllo, & in pertinentiis eorum, juris, dominii, justitiæ, consuetudinis, vel qualicumque evenerit modo in molendinis seu eorum pertinentiis. Item quod nullus heredum vel successorum meorum nihil juris, dominii, justitiæ, consuetudinis de cetero poterunt acclamare. Hæc autem omnia prædicta dona, ego prædictus Droco de Melloto dominus Locharum & de S. Prisco, & de sancto Mauritio, dedi, concessi, quitavi, confirmavi prædictis fratribus in perpetuum in pace possidendum, implorantes humiliter divinam clementiam, quod quicumque contra prædictas donationes quoquo modo venire contenderit, illam maledictionem quam Dathan & Abiron sortiti fuerunt, quos terra vivos absorbuit, mereantur habere, & gloriam amittere civium supernorum; & ut superius nominata melius & tutius rata, inviolata & indiscussa temporibus futuris ab heredibus seu successoribus meis habeantur, præsentem paginam sigilli mei feci munimine roborari. Actum anno Domini millesimo ducentesimo secundo IV. nonas Aprilis.

CARTA PHILIPPI AUGUSTI REGIS pro vicecomite Thoarcensi.

Circa 1201. Ex ms Colbertino.

NOtum, &c. quod nos A. vicecomitem Thoarcensem. . . fecit nobis homagium ligium, & nos in augmentum feodi sui dedimus ei Lodunum cum pertinentiis suis, & heredi suo de uxore desponsata, cui illud castrum in morte sua dederat, salvo jure ARTURI, si idem Arturus liberatus fuerit & conventiones nostras tenuerit, & salva senescallia Andegavensi, salvo etiam jure Hugonis de Bauceyo, & salvo jure omnium militum feodatorum, sicut inde tenentes erant, quando nos illud castrum dedimus eidem vicecomiti, & salvis consuetudinibus ejusdem castri, quas nos eis tenere creantavimus quando nobis reddiderunt castrum.

LITTERÆ PHILIPPI REGIS II. pro monasterio Lyrensi.

Ut reditus apud Paciacum Lyrensibus reddantur.

Anno 1203. Ex cartario B. Mariæ de Lyra.

PHILIPPUS Dei gratia Francorum rex, præposito Paciaci salutem.

Mandamus tibi quatinus monachis de Lyra facias reddi plenarie redditus suos, quos hactenus habuerunt apud Paciacum, tantum inde faciens, quod super hoc de cetero querimoniam non audiamus. Actum Meduntæ, anno Domini MCC. III. mense Augusto.

ITEM LITTERÆ EJUSDEM

De rebus monachorum apud Bellum-montem reddendis.

PHILIPPUS Dei gratia Francorum rex, amico & fideli suo Guidoni de Rupe, vel ballivis ejus salutem & dilectionem.

Mandamus vobis & præcipimus, ut monachis de Lyra reddatis eleemosynas, quas debent habere apud Bellum-montem, sicut cartæ Roberti comitis Mellenti, quas super hoc habet, testantur: provideatis autem ne propter hoc illos iterum ad nos oporteat laborare.

CARTA PHILIPPI AUGUSTI regis.

De regalibus episcopatus Attrebatensis.

Anno 1203. Ex ms. Colbertino.

NOtum, &c. quod vacante quocumque modo sede Attrebatensi, medio tempore capitulum Attrebatense reservabit penes se ad opus episcopi qui substituetur eidem, omnia regalia, & omnes reditus & proventus regalium, & quicquid ad episcopatum noscitur pertinere: ita quod nos nec in res, nec in homines episcopi, nec in res eorum pro aliquo quod pertineat ad regalia manum mittemus. Et si medio tempore aliquam præbendam vel plures præbendas vacare contigerit, similiter reservabuntur, substituendo episcopo ab ipso conferendæ. Postmodum cum ad electionem fuerit perventum, canonici prædictæ ecclesiæ libere poterunt eligere, non requisita a nobis vel successoribus nostris licentia eligendi, & electum suum confirmatum nobis præsentabunt, ut nobis fidelitatem faciat, sicut alii episcopi nostri facere consueverunt. Quia vero (a) RADULFUS ipsius ecclesiæ electus & canonici Attrebatenses nos humiliter rogaverunt, ut intuitu Dei expeditionem & exercitum nostrum ipsi electo

(a) Hic successit Petro episcopo Attrebatensi, qui teste Alberico obiit anno 1203.

& suis successoribus quittaremus, nos amore Dei & ob remedium animæ nostræ ipsi electo & successoribus ejus id ipsum remisimus & quittavimus. Has autem supradictas libertates episcopo & ecclesiæ Attrebatensi in perpetuum concedimus, retenta tamen nobis procuratione nostra, quam episcopus Attrebatensis nobis debet singulis annis, si ad locum illum accesserimus.

CARTA PHILIPPI AUGUSTI regis.

De Villa Uns *Guillelmo de Garlanda concessa.*

Anno 1203. Ex ms. Colbertino.

PHILIPPUS, &c. Notum, &c. quod nos dilecto militi & fideli nostro WILLELMO DE GUALLANDA, & heredibus suis dedimus in perpetuum villam quæ dicitur *Uns* integre & pacifice ab ipso & suis heredibus possidendam: ita quod quidquid fecerimus de *Girberoi*, præfatam villam de *Uns* de manu prænominati Willelmi non removebimus, nisi per bonam voluntatem ipsius, neque de manu heredum suorum post decessum ejus, nisi per bonam voluntatem eorum, neque heredes nostri similiter eam de manu ipsius vel heredum suorum post decessum ipsius removebunt, nisi per bonam voluntatem eorum. Quod ut, &c. Actum ante Gallardum, anno Domini MCCIII.

CARTA PHILIPPI AUGUSTI regis.

De Senescallia Pictaviensi data vicecomiti Toarcensi.

Anno 1203. Ex ms. Colbertino.

NOtum, &c. quod nos amico & fideli nostro A. vicecomiti Toarcensi dedimus in homagium ligium senescalliam Pictaviensem & ducatus Aquitaniæ ultra Ligerim, quando Deus eam nobis dederit vel per nos vel per amicos nostros acquirere, in perpetuum tenendam ab eodem vicecomite & herede suo de uxore sua desponsata, cui eam in morte sua dederit. Actum anno Domini MCCIII.

LITTERÆ MILONIS ABBATIS de Castriciis, quibus sub sacramento declarat se nolle separari a congregatione Aroasiensi.

Anno 1204. Ex codice Aroasiensi.

MIlo Dei permissione ecclesiæ S. Mariæ de Castriciis dictus abbas, totumque ejusdem ecclesiæ capitulum universis præsentibus & futuris, constans haberi vo- A lumus & ratum, quod in ecclesia nostra a prima sua fundatione usque ad tempora nostra, ordo Arroasiæ & ejusdem ordinis consuetudines obedienter & absque contradictione receptæ sint & observatæ, nos quoque prædicti ordinis instituta & observationes & a nobis toto tempore videlicet nostro observanda esse decernimus, & posteris nostris, ut ea nihilominus immutabiliter observent, quanta possumus injunctione mandamus. Ne igitur aliquo casu aut alicujus persuasu nos vel posteri nostri a (a) consortio & unitate ordinis prædicti B recedere aliquo in futurum tempore tentaremus, utpote qui ab aliis ecclesiis ejusdem ordinis longe remoti sumus; communi assensu & consilio tactis sacrosanctis evangeliis, a majore usque ad minorem sacramentum præstitimus, quod prædictum ordinem Arroasiæ numquam in ecclesia nostra patiemur immutari; sed habitum & mores secundum quod vel a prædecessoribus nostris accepimus, vel per generalis capituli statuta mandatum fuerit, omni firmitate in perpetuum faciemus observari. Et ne aliquis C nostrum tam præsentium quam futurorum hoc in futurum perturbare præsumeret, R. abbas Arroasiæ ceterique abbates ordinis qui præsentes fuerunt & aderant, quorum nomina subscripta sunt, auctoritate domini papæ & totius ordinis, sententiam excommunicationis protulerunt, singulis etiam sacerdotibus & nobis similiter excommunicantibus, ceterisque inferioris ordinis, amen, amen, fiat, fiat respondentibus. Nomina autem tam abbatum quam canonicorum, tam nostrorum quam aliorum qui interfuerunt, hi sunt, dominus R. abbas D Arroasiæ, dominus B. abbas Hinniaci, dominus S. abbas S. Eligii.... dominus P. abbas S. Crispini in Cavea, dominus I. abbas de Phalempin, Odo canonicus Arr. B. canonicus de Hennin. G. & P. canonici de Elzi-fonte, Ph. de Phalempin, P. prior de Castriciis...... sacerdotes tres diaconi, quinque subdiaconi & alii. Actum anno ab incarnatione Domini MCCIV. mense Januario.

E CARTA PHILIPPI AUGUSTI regis, pro Roberto episcopo Claromontensi.

Anno 1204. Ex ms. Colbertino.

NOtum, &c. quod propter clamorem, quem dilectus & fidelis noster ROTH. (b) Claromontensis episcopus nobis fecit de Pontio & de Captol. & de Jarentona uxore ejus, nos ore proprio submonuimus eos apud Silviniacum, & assignavimus diem,

(a) Hic notare videtur aliquot proxima Castriciis monasteria, quæ ab ordine Aroasiensi defecerant & ad Cistercienses transierant. Est autem Castriciense cœnobium in diœcesi Catalaunensi situm, hodie sub reformata congregatione Gallicana canonicorum regularium militans.

(b) Robertus de Arvernia.

A ad quem ipse & uxor ejus coram nobis comparerent, responsuri sufficienter ad clamorem ipsius episcopi, ad quem non venerunt, nec pro se miserunt. Secundo autem cum essemus apud Castrum-Radulfi, fecimus eos submoneri, & eis diem assignavimus propter clamorem; ad quem diem prædictus Pontius non venit; sed ejus uxor venit, sed non sicut debuit, venit. Tertio vero eamdem viva voce submonuimus, & Pontium maritum ejus fecimus submoneri per certum nuncium, & certum diem dedimus, ad quem ipsi venirent responsuri coram Hugone de Capella ballivo nostro; B ad quem ipsi non venerunt, nec miserunt, sed nobis per litteras mandaverunt, quod coram rege Aragonum responderent super clamore isto. Episcopus autem ad singulos dies ante nominatos comparuit in propria persona, paratus probare quod ipsi scilicet P. homo ligius episcopi & JA. uxor ejus in castro Varanzonis quod ab eo tenebant, & ea juraverunt in proditione & dolo, capitales inimicos episcopi, nocte receperunt ad capiendum ipsum & suos perdendos. C Unde propter hoc communicato cum baronibus nostris consilio, ipsum castrum & pertinentia adjudicavimus episcopo & ecclesiæ Claromontensi, ut a nobis & heredibus nostris ea perpetuo jure teneant sicut alia regalia nostra, dominium sicut dominium, feodum sicut feodum, & tam de castro quam de pertinentiis ipsum episcopum publice saisivimus de dominio sicut de dominio, de feodo sicut de feodo. Actum Parisius anno Domini MCCIIII. mense Januarii.

D

CARTA BERENGARIÆ reginæ.

De creantatione facta domino regi.

Anno 1204. *Ex ms. Colbertino.*

EGo BERENGARIA humilis Angliæ regina, omnibus ad quos litteræ istæ pervenerint, notum esse volumus, nos creantasse carissimo domino nostro PHILIPPO illustri Francorum regi, quod nullo tempore eum trahemus in causam vel aliquo modo trahi procurabimus de Lochiis, nisi ipse Lochias tenuerit in dominio. Libebit enim E omnem hominem & feminam trahere in causam de Lochiis, quem de hiis videremus aut sciremus tenentem aut saisitum, & dominus rex ex hoc contra nos non esset. Actum Parisius anno gratiæ MCCIV. mense Januario.

CARTA REGINÆ BERENGARIÆ super suis conventionibus.

Anno 1204. *Ex ms. Colbertino.*

BERENGARIA regina Angliæ universis, &c. Noverit universitas vestra, quod hæ sunt conventiones inter nos & dominum nostrum PHILIPPUM illustrem regem Franciæ, quod nos castrum Falesiæ & villam cum appenditiis suis, castrum de *Danfront* & villam cum appenditiis, castrum & villam de Bona-villa super *Tosque* cum appenditiis & omnibus forestis trium castellorum, quita clamamus ipsi & heredibus suis in perpetuum: quæ RICHARDUS quondam rex Anglorum maritus meus nobis assignavit in dotalitium: ita quod nec in prædictis castris, nec in eorum appendiciis; nec in forestis aliquid reclamabimus, nec per nos nec per alium, & insuper omnibus instrumentis, cartis & scriptis, quæ de dotalitio præscripto trium castrorum, sicut prædictum est, habebamus; renuntiavimus. Dominus autem rex noster PHILIPPUS rex Franciæ in civitate Cenomanensi & ejus adjacentiis & forestis tenendum; sicut domina tenet dotalitium debet nobis excambire redituum prædictorum valorem trium castrorum & appenditiorum, quæ valebant in tempore quo rex Angliæ R. maritus noster iter arripuit in partes Jerosolymitanas, sicut idem rex RICHARDUS cum matre sua ea tenebat quando iter arripuit: valentia autem redituum prædictorum castrorum & appenditiorum æstimabitur per juramentum ballivorum, qui erant ballivi in prædictis castris, quando rex Richardus iter illud arripuit. Si autem valentia civitatis Cenomanensis & adjacentiarum valeret minus quam æstimantur, sicut prædictum est, dominus rex Francorum nobis competenter suppleret defectum in Andegavia & Turonia; si autem valeret plus valentia illa, dominus Francorum rex haberet illud quod amplius esset, & id in adjacentiis prædictæ civitatis sibi retineret: dominus autem noster rex Francorum PHILIPPUS propter quittantiam omnium prædictorum tam castrorum quam appenditiorum & forestarum, donavit nobis civitatem Cenomanensem, sicut eam possidebat, excepto episcopatu, & his quæ pertinent ad episcopatum tantum, exceptis feodis baronum & castellanorum. Vavassores autem illius civitatis facient nobis homagium ligium contra omnes homines, salva fidelitate domini regis & heredum suorum. Fecimus autem eidem domino regi Francorum homagium ligium contra omnes homines; & ipse recepit nos in feminam suam ligiam, & guarentizabit nos sicut alios homines suos. Si autem contigerit ipsum vel heredem ejus auferre no-

bis prædictum excambium, nos de repetendo dotalitio nostro erimus in eodem puncto in quo eramus quando præsens carta fuit facta. Actum Parisius, anno Domini MCCIV.

CARTA DE DONATIONE quam fecit dominus rex comiti Boloniensi de castro Albæ-marlæ, de villa S. Richerii & castro Damfrontis.

Anno 1203. Ex mſ. Colbertino.

NOtum, &c. quod nos dilecto & fideli nostro REN. comiti Boloniensi & heredibus suis damus & concedimus in perpetuum castrum Albæ-marlæ cum feodis & dominiis, & omnibus pertinentiis ejusdem citra forestam *Ewrvil*, excepto *Arguel* & feodis & pertinentiis ejusdem Arguelis. Damus etiam & concedimus in perpetuum dicto comiti Boloniensi & heredibus suis villam S. Richerii cum omnibus pertinentiis, quæ est inter Augum & *Fulcasmont*, quæ fuit Rogerii de Mortuo-mari. Damus insuper eidem comiti & heredibus suis in perpetuum castrum de *Damfront* in Passeis cum feodis & dominiis & omnibus pertinentiis & forestam de *Andemit*. Idem autem comes nobis & heredibus nostris quittat in perpetuum castrum de Mortuo-mari cum omnibus pertinentiis ejus, & totam terram Anglicorum & Normannorum, quam tenebat & justitiabat per castellum & in castellania Mortui-maris. Hæc autem omnia quæ prædiximus comiti Boloniæ & heredibus ita damus & concedimus, quod ipse & heredes sui a nobis & heredibus nostris ea tenebunt in feodum & homagium ligium contra omnes homines. Quod ut, &c. Actum Parisius, anno Domini MCCIV.

CARTA PHILIPPI AUGUSTI regis.

De cessione Montis-Argi sibi facta à Petro Nivernensi comite.

Ex mſ. Colbertino.

IN nomine, &c. Notum, &c. quod propter multa servitia quæ poteramus habere a multis nobilibus terræ nostræ pro comitatu Nivernensi & Altissiodorensi, qui in manus nostras venerant, PETRUS consanguineus noster, qui nunc est comes Nivernensis, concessit & quittavit nobis in perpetuum & heredibus nostris Montem-Argi, cum pertinentiis suis, in augmentum coronæ; & nos donavimus ei comitatum Nivernensem, & dedimus comitissam in uxorem, tali conditione, quod si prædictus comes comitatum perderet, morte heredis sui & comitissæ interveniente, & comitissa moreretur, nos redderemus Montem-Argi, &c. Quod, &c.

CARTA PHILIPPI AUGUSTI regis.

De cessione Britolii sibi facta ab Amicia sorore comitis Leicestriæ.

Anno 1203. Ex mſ. Colbertino.

NOtum, &c. quod AMICIA soror comitis Leicestriæ quittavit nobis & heredibus nostris in perpetuum Britolium cum pertinentiis suis, & quicquid comes Leicestriæ habebat citra mare Anglicanum, & quicquid de excasura ipsius comitis ad eam jure hereditario devenit, & poterat devenire citra mare Anglicum. Propter hoc autem nos eidem & heredibus suis damus in perpetuum castrum S. Leodegarii in Aquilina & totam Aquilinam, & quicquid pertinet ad præposituram ipsius castri in feodo & dominico, excepto feodo Guillelmi de Guarlandia & feodo Johannis de Roboreto. Damus etiam A. feodum Bordatum & de Follesio, & quicquid habemus in venditione nemorum de *Gaseran*. Quod ut ratum, &c. salvo nostro servitio confirmamus. Actum Parisius MCCIII.

CARTA ROGERII DE MELLENTO super quittatione vicecomitatus Ebroïcensis.

Anno 1204. Ex mſ. Colbertino.

EGo ROGERIUS DE MELLENTO universis ad quos litteræ præsentes pervenerint, notum fieri volo, quod ego quitto in perpetuum & heredes mei domino meo PHILIPPO regi Francorum & heredibus suis totum vicecomitatum Ebroicensem integre cum pertinentiis, & quicquid in illo vicecomitatu tam ego quam heredes mei possumus reclamare. Propter hoc autem dominus meus PHILIPPUS rex Francorum dat mihi & heredibus meis in feodum & homagium ligium villam quæ dicitur *Guidebone* cum pertinentiis suis, & feoda de Crovilla & de Francherolis ad usus & consuetudines Normannorum possidenda. Quod ut ratum sit, præsentem paginam sigillo nostro confirmo. Actum Medontæ anno Domini MCCIII.

CARTA PHILIPPI AUGUSTI regis pro Henrico Clemente marescallo.

De dono Argentonii.

Anno 1204. Ex mſ. Colbertino.

PHILIPPUS, &c. Notum, &c. quod propter fidele servitium quod HENRICUS CLEMENS marescallus noster nobis fecit, nos eidem H. & heredibus suis de uxore sua desponsata, in perpetuum damus & concedimus in feodum & homagium ligium castellum Argentonii cum omnibus pertinentiis suis. nos vero ad opus nostrum

servientes forestam Argentonii tali modo; quod ipse & heredes sui de uxore sua desponsata in ea habebunt venationem & custodiam; & de ea capient de viridi & de sicco ad ardendum, & ad hospitandum, & omnes reditus & omnia expleta per servitium quinque militum & totam justitiam ejusdem forestæ Argentonii habebunt: ita quod non ipse, nec heredes sui poterunt eam dare vel vendere sine assensu nostro. Quod ut ratum, &c. salvo jure nostro. Actum apud Rothomagum anno Domini MCCIII. mense Junio.

CARTA PHILIPPI AUGUSTI regis.

De dono villæ Pontis-sancti Petri facto Alberto de Angesto.

Anno 1204. *Ex mſ. Colbertino.* PHILIPPUS, &c. Notum, &c. quod nos amico & fideli nostro Alberto de Angesto & heredi suo masculo de uxore sua desponsata damus & concedimus in perpetuum villam quæ dicitur Pons-sancti Petri cum pertinentiis suis ad usus & consuetudines Normanniæ, sicut P. quondam comes Leicestriæ illam tenebat, eo termino quo eadem villa in manum nostram devenit: ita quod idem Albertus tale servitium exinde nobis reddat, quale feodum apportat. Quod ut, &c. salvo jure nostro confirmavimus. Actum Parisius anno dominicæ Incarnationis MCCIIII. regni vero nostri XXVI.

CARTA PHILIPPI regis.

De juribus vicecomitis Thoarcensis in senescallia Pictaviensi & ducatu Aquitaniæ.

Anno 1204. *Ex mſ. Colbertino.* NOTUM, &c. quod hæc sunt jura quæ vicecomes Thoarcensis senescalcus Pictaviensis habebit in senescalcia Pictavensi & ducatu Aquitaniæ. Senescalcus Pictaviensis nihil capiet in dominicis reditibus nostris in senescalcia Pictaviensi & ducatu Aquitaniæ; sed idem senescalcus habere debet de proprio & de præposituris de singulis quinquaginta libras, unam marcham argenti ad pondus Turonense, quam ipsi persolvent pro præposituris. Si nos venderemus nemora nostra, nihil de venditione nemorum habebit. Præterea nullam coustumam in forestis nostris habebit; & si nos fecerimus demandam vel talliam in Christianis vel Judæis in senescalcia Pictavensi & ducatu Aquitaniæ, illa demanda vel tallia levabitur per manum senescalci ad opus nostrum per legitimum compotum & scriptum. Sed idem senescalcus nihil habebit de demanda & tallia illa. De omnibus aliis tam forisfactis, quam expletis & servitiis quæ A sunt prædicto senescalco, habebimus duas partes, & idem senescallus tertiam partem. Præterea sciendum est, quod dictus senescallus neque per feodum, neque per consuetudinem potest quærere custodiam castellorum vel forterciarum nostrarum: & si nos forte eidem senescallo aliquod castellum aut forterciam tradiderimus ad custodiendum, vel aliquis ex parte nostra, ipse reddet nobis vel heredibus nostris vel certo mandato nostro cui credi debeat, & qui litteras nostras patentes super hoc afferat, castella & fortericias integre, quotiens nos B vel heres noster ea requisierimus. Hæc omnia bona fide juravit fideliter servanda nobis & heredibus nostris in perpetuum, & nos de omnibus supradictis, sicut supradictum est, eum recipimus in hominem ligium: ita quod ipse & heredes ejus de uxore sua desponsata tenebunt hæc omnia a nobis & heredibus vestris, sicut prædictum est in hominagium ligium. Quod ut perfectum robur, &c. Actum Pictavis anno MCCIV. mense Augusto.

C
CARTA FUNDATIONIS Parthenonis Portus-regii ordinis Cisterciensis.

EGO GUILLELMUS DE FIRMITATE notum facio præsentibus & futuris, quod illud feodum *en Porrois* quod dominus Milo de *Voisins* tenebat de me, & quod idem Milo emerat a priore *Bonel*, concessi & quittavi in perpetuum domino ODONI venerabili Parisiorum episcopo & dominæ MATHILDÆ de Malliaco ad instituendas ibidem religiosas personas ad serviendum Deo, & inde me devestivi in manu ejusdem D episcopi, & fidem interposui me servaturum hoc in perpetuum & garantiam laturum. In cujus rei perpetuam firmitatem præsentem cartam sigilli mei munimine feci roborari. Actum anno Incarnati Verbi MCCIV. Anno 1204. *Ex cartario Portus-regii.*

DIPLOMA WIDIKINDI abbatis Corbeiensis.

Certos reditus ad sancti Viti sarcophagi & monasterii reparationem assignat.

E
IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. WIDIKINDUS Dei gratia Corbeiensis abbas. Quantæ sollicitudinis studio, & quam sinceræ nostræ devotionis affectu, circa honorem, commodum, & omnem profectum nostræ ecclesiæ, pro posse nostro semper fuerimus intenti, & propter ipsam variis expositi tribulationibus & angustiis, novit ille quem nihil latet Deus, noverint & præsentes, sicut credimus, juxta parvitatem Anno 1204. *Ex mſ. Corbeia nova.*

nostram per operis probationem aliquando, licet non quotiens desideravimus, nostræ intentionis affectum ostendisse. Inde est quod circa sarcofagi S. Viti & ipsius monasterii reparationem firmissimum diu propositum habuimus, illo tamen ne majorem haberet processum, per varias multorum injurias & similia his impedimenta prorogato. Huic igitur eidem proposito nostro in aliqua parte & in pluribus adhuc vita comite per miserationem satisfacere cupientes, & ad consilia de novo reparanda conferimus, quæ a nobis propriis laboribus & expensis sunt acquisita, hæc scilicet: censum novum villæ in Corbeia, omnes denarios qui dantur trans aquam de novalibus circa *Tezechusen*, advocatias insuper bonorum quorumdam ecclesiæ nostræ quas a domino Godeschalco *de Peremundt* producentes & sexaginta marcis tenemus oppignoratas, scilicet advocatiam in *Volckmarssen*, advocatiam in *Luttmarssen*, advocatiam in *Mutlenhusen*, advocatiam in *Dasberg*, advocatiam in *Papenheimb*, advocatiam in *Diatessen*. Hæc autem ecclesiæ nostræ custodi ad eorum tantum impensas quæ supradicta sunt, & non ad aliqua ex his quæ custodiæ vel alicujus officii ratione sunt comparanda decrevimus exhiberi, & juxta capituli consilium in usus monasterii erogari. Ut autem donatio stabilis, firma & in perpetuum valitura consistat, præsentem paginam sigilli nostri munimine fecimus insigniri, successores nostros per tremendum Dei judicium rogantes & contestantes, ne quis temere infringere præsumat, quod nos pia devotione in usus monasterii constat rite obtulisse. Testes hi sunt Albertus prior, Johannes præpositus & totus conventus Corbeiensis, & canonici novæ ecclesiæ, laici Frithericus de *Peremundt*, Luidolphus dapifer junior, Thiedericus pincerna, Walstmoldus marchalcus, Conradus *de Amelungossen* & filii ejus Hereboldus, Arnoldus de Porta, Henricus de *Scherve*, Conradus *de Bossessen*, Conradus *de Luithardessen*, Henricus & Widilo filius ejus *de Boterfedt*, Bertrammus *de Stamme*, & alii quamplures.

CARTA PHILIPPI AUGUSTI regis.

De matrimonio Isabellæ filiæ Guillelmi cambellani de Tanquarvilla.

Anno 1205. *Ex ms. Colbertino.*

PHILIPPUS, &c. Notum, &c. quod GUILLELMUS cambellanus de Tanquarvilla dat & concedit cum ISABELLA filia sua ADÆ filio dilecti & fidelis nostri GALTERII junioris camerarii nostri in maritagium cc. terræ libratas monetæ currentis in terris & reditibus apud *Villers*, & II. feoda militum in eadem terra, tali conditione, quod si terra, quam idem Guillelmus cambellanus habet ididem, non poterit sufficere ad perficiendas illas cc. libratas, quod de hoc deficiet assignabit dictus Guillelmus eidem Adæ in terra quam habet viciniorem eidem villæ. Tenementum autem quod Alexius de *Villers* habet ibidem in laico feodo extra illam assignationem eidem Guillelmo remanebit. Si autem ipsum Guillelmum cambellanum contigerit habere masculum heredem ex ALLIZ uxore sua desponsata, alias cc. libratas terræ prædicto Adæ dabit & assignabit apud Moncevillam, & in honore ejusdem villæ, & duo feoda militum, si MARSILIA sororia ipsius esset mortua. Si autem vixerit illas cc. libratas, & duo feoda militum assignabit eidem Adæ apud *Turvon* & *Hostreau* usque dum dicta Marsilia moriatur: & post ejus decessum, istæ cc. libratæ & duo feoda militum assignabuntur eidem Adæ, sicut dictum est, apud Moncevillam & in honore illius villæ; sed has cc. libratas ultimo determinatas per totam vitam suam tenebit idem Guillelmus cambellanus, & post decessum ejus prædictus Adam illas quiete habebit, sicut prædictum est. Si vero contigerit Isabellam filiam ipsius mori sine herede de prædicto Ada, terra præassignata libere & quiete redibit ad eumdem Guillelmum, salvis mobilibus quæ de eadem terra erunt. Et si contigerit dictum Adam mori sine herede de prædicta Isabella, terra prædicta remanebit libere & quiete ad prædictam filiam ejusdem Guillelmi, salvis mobilibus illius terræ. Ut autem hæc supradicta perpetuam obtineant fidelitatem, nos ad petitionem utriusque partis sigilli nostri auctoritate & regii nominis caractere inferius annotato ad usus & consuetudines Normanniæ præsentem paginam, salvo jure nostro, confirmamus. Actum Aneti anno Domini MCCV. regni nostri anno XXVI.

CARTA PHILIPPI AUGUSTI regis.

Super conventionibus inter Robertum comitem Alenconii & Barth. de Roia.

Anno 1205. *Ex ms. Colbertino.*

IN nomine, &c. PHILIPPUS. Notum, &c. quod hæ sunt conventiones inter comitem ROBERTUM Alenchonii & BARTH. de Roia super matrimonio JOHANNIS filii prædicti comitis, & AALIZ filiæ dicti Barth. Prædictus siquidem comes Alenchonii Johannem filium suum tamquam filium & heredem suum saisivit de omni terra sua, & nos inde eum recepimus in hominem ad petitionem ejusdem comitis: ita tamen quod comes illam habeat toto tempore vitæ suæ. Si autem filium suum consentire non poterit, vel idem Johannes cum ipso comite manere noluerit; ipse comes dat ei *Almenesch*

cum pertinentiis, & Bernaium cum pertinentiis. Et si *Almenech* & Bernaium cum pertinentiis non valerent per annum nongentas libras Turonenses, illas ei perficiet in terra assisa. Concessit etiam prædictus comes, quod dictus Johannes dedit prædictæ Aalix dotalitium quingentas libratas terræ assisas in Bernaio. Et si Bernaium ad hoc non sufficeret, illud quod deesset de valore quingentarum librarum perficiet in *Almenech*, & post decessum prædicti comitis habebit dicta Aaliz in dotalitium tertiam totius terræ ipsius comitis in feodum & dominiis, & omnibus aliis ad usus & consuetudines Normanniæ, salvo dotalitio comitissæ uxoris prædicti comitis. Sed ista, scilicet *Almanesch* & Bernaium computabuntur in valore tertiæ partis. Si autem contigerit prædictam Aaliz mori infra annum & diem, postquam Johannes carnaliter eam cognoverit, vel habebit ætatem cognoscendi, dictus Barth. totam terram prædictam tenebit, usquedum duo millia librarum Parisiensium rehabuerint. Hoc siquidem dictus comes bona fide tenendum in manu nostra & in manu dicti B. de Roia affidavi. RADULFUS autem vicecomes sanctæ Susannæ & GUILLELMUS de Pratellis, & ROBERTUS de Erneis, & GUARINUS de Nuelli, & FULQUEIUS de Cormeran & ROBERTUS de Mesnilio, & MATTHÆUS Viarius & plures alii ad tenendum bona fide affidaverunt, ex parte Roberti dicti comitis. Dictus autem Barth. de Roia dat eidem Johanni cum filia sua Aaliz in maritagium duo millia librarum Parisiensium: post decessum vero suum dat eidem Johanni cum filia sua in maritagium medium totius terræ suæ de Francia & de Normannia, & totam terram suam de Viromandesio, salvo in omnibus dotalitio Petronillæ uxoris suæ, & salvo eo quod si contigerit eum habere heredem masculum, filia ejus dicta Aaliz tantum habebit tertiam partem terræ suæ, ubicumque eam habebit. Idem autem BARTH. & ROBERTUS de Cortenaio, & URSIO camerarius noster, & JOHANNES de Rouraio, & CAD. castellanus Gallertonis ex parte dicti B. archidiaconi istud tenendum affiduciaverunt. Quod ut perpetuæ stabilitatis, &c. Actum apud Vallem-Rodolii anno Domini MCCV. regni vero nostri anno XXVI. astantibus, &c.

CARTA PHILIPPI AUGUSTI regis.

De donatione Lochiarum facta Droconi de Melloto.

Anno 1205 Ex ms. Colbertino.

NOtum, &c quod nos ad preces dilectorum & fidelium nostrorum GUIDONIS DE DONNA-PETRA & DROCONIS DE MELLOTO, DROCONI filio ejusdem Droconis constabularii nostri in feodum & hominagium ligium dedimus castellum Lochiarum, & castellaniam ejusdem, & Castellionem super Andriam & castellaniam ejus, salvis feodis baronum & castellanorum de eisdem castellanis, quæ nobis & heredibus nostris retinemus, & salvo nobis & heredibus nostris jure regalium abbatiarum earumdem castellaniarum, tali modo quod ipse DROCO erit custos & advocatus abbatiarum de eisdem castellaniis, & ibi faciet quod debebit. Idem autem DROCO constabularius noster & Droco filius ejus nobis juraverunt quod prædicta nobis & heredibus nostris redderet ad magnam vim & ad parvam, quotiescumque ab eis requisierimus, & exinde nobis & heredibus nostris contra omnes homines servient bona fide. Actum apud Bellum-locum (a) anno Domini MCCV. mense Aprili.

CARTA DE QUITTATIONE Belli-montis facta à Guidone de Rupibus.

GUIDO DE RUPE, &c. quia pro eo quod locutus fui cum Galtero de Mandrevilla proditore & latrone domini mei regis Francorum, & propter verbum quod dixi eidem Galtero qui proditor erat domini mei regis Franciæ, domino regi feci emendam, & propter emendam illam domino regi & heredibus ejus quittavi in perpetuum Bellum-montem, & quidquid ibi possidebam, & quidquid juris habebam vel habere poteram: ita quod ego de cetero nihil ibi reclamabo vel heres meus, & id eidem tenendum juravi super sacro-sancta evangelia. Præterea juravi domino meo regi quod ego de cetero non transibo Eocham, nec Auduram causa eundi in Normanniam, sine licentia vel mandato domini regis, & quod ipsi tradam omnes alias fortericias meas, ad faciendum voluntatem suam, quotiens super hoc vel ab eo vel ipsius mandato fuero requisitus. Præterea a militibus meis, quorum nomina subscripta sunt super sacro-sancta evangelia jurari feci, quod si aliquo modo scirent, quod ego aliquid perquirerem contra dominum meum regem, id ei in continenti significarent, & eidem ex tunc contra me se tenerent; videlicet Ph. de *Blaru*, Amalricus frater ejusdem, Herbertus de *Behiu*, Ric. de Capella, Amalricus de *Vilers*, Rad. *de Limez*, St. *de Lammuiré*. Idipsum etiam domino regi jurari faciam ab aliis hominibus meis universis, quotiens ab ipso vel ipsius mandato super hoc fuero requisitus. Actum Aneti anno Domini MCCV.

(a) Bellus-locus abbatia est ordinis sancti Benedicti, cum oppido Lochensi urbi conjuncto.

EPISTOLA A. PRIORIS Cluniacensis ad Blancham Campaniæ comitissam.

Precum suffragia in toto Cluniacensi ordine ei concedit.

Anno 1205 Ex ms. reginæ Sueciæ eruit Mabillonius.

ILlustri comitissæ Campaniæ, carissimæ dominæ nostræ frater A. prior Cluniacensis & ejusdem loci conventus æternam in Domino salutem.

Cum erga Cluniacensem ecclesiam dilectionis plurimum innatam vobis pietatem evidenter habere cognoverimus, vobis vices quas possumus in hoc referre volumus & tenemur. Inde est quod in recompensatione devotionis vestræ, vos in sororem Cluniacensem ordinis recepimus, facientes participem & consortem omnium beneficiorum, quæ de cetero fient in ecclesia Cluniacensi, & in omnibus membris ejus, sive pro vivis, sive pro defunctis agantur. Concedimus etiam vobis, quod cum de transitu vestro Cluniaci nunciatum fuerit, solemne officium cum missis & aliis beneficiis fiet, sicut si in aliquo monasteriorum nostrorum cum sororibus nostris contingeret obiisse. Tricenarium fiet etiam in conventu nostro pro vobis, & nomen vestrum scribetur in brevibus, quæ per domos congregationis nostræ ex consuetudine transmittuntur, ut ubique in locis nostris pro vobis fiat officium & consueta beneficia persolvantur. Insuper scribetur in catalogo defunctorum nomen vestrum in regula in die anniversarii vestri singulis annis perpetuo in capitulo recitandum, ut pro vobis fiat officium, & anima vestra absolutionem & debita beneficia consequatur. Rogamus autem dilectionem vestram & monemus in Domino, ut interim dum in hac luce fueritis, in qua per donum gratiæ Dei longo tempore vos esse cupimus, & oramus ecclesiam Cluniacensem & omnia loca ad eam pertinentia, & fratres totius congregationis sicut sororem Cluniacensis ordinis affectuose diligere, & eorum negotia cum vobis occurrerint curetis secundum Deum liberaliter promovere. Actum anno Domini MCCV. mense Maio.

EPISTOLA DECANI, CAPITULI & ecclesiæ Cenomanensis ad præpositum, decanum & capitulum majoris ecclesiæ Paderbornensis.

De sanctis Liborio & S. Juliano episcopis præfatæ Cenomanensis ecclesiæ, solemni officio colendis.

Anno 1205. Ex ms. codice Bodekensi. * Lamberto.

REverendis in Christo dominis suis carissimis fratribus & amicis * L. Dei A gratia præposito, decano & capitulo majoris ecclesiæ Paterburnensis, N. decanus indignus & capitulum Cenomanense salutem in Domino, & sinceram cum devotis orationibus & obsequiis caritatem.

Summo patri Deo & ejus Unigenito cum Spiritu principali honor & gloria & gratiarum actio plenius referatur, cujus Unigenitus plenus gratiæ & veritatis apparuit matri nostræ ecclesiæ primitivæ, & de plenitudine ejus, quam fons vitæ in plurimas derivavit areolas, qui fueramus prius steriles fœcundati, simul natura tam loco quam B animo fideles accepimus universi. Hoc certe nascentis ecclesiæ rudimenta poscebant, ut granum sinapis in arborem magnam surgeret, & fermentum mulieris in tribus farinæ satis absconditum, novam conspersionem altius elevaret, sic granum frumenti mortuum fœneravit, sic Joseph Ægyptum nobili Israëlitarum semine augmentavit. Quando Sapientia Dei humanitus corporata radicavit in populo honorificato, & in electis populis Christianis mittens radices, vineam suam novis agricolis tradidit, & non jam C labruscas a parricidis, sed botros Cypri a fidelibus accepit custodibus, & ex eis bibit vinum dignum dilecto labiis & dentibus ruminandum. Ex tunc vere vineæ florentes dederunt odorem suum. Sed quæ est ista speciosa inter alias spirans ad nos præ ceteris odorem suavitatis. Ecce odor ejus sicut odor agri pleni, quem benedixit Dominus?. Quænam, inquam, est ista tam prudens inter filias suo tam humilis, nostro judicio tam sublimis? Quomodo tam prudenter primordia sua meminit & singula recolit incrementa? etiam quando erat par- D vula, & ubera nondum habens, & cum stillarent montes dulcedinem, & colles fluerent lac & mel; tamdiu lactabatur, donec vidit sterilem habitare in domo matrem filiorum lætantem. Sic carissima soror nostra a primis exorsa cunabulis ordinem progreditur, & primo unitas cordis & animæ in multitudine credentium & rerum omnium communitas recensetur, quando sub apostolico duodenario, septenario levitico ministrante, illa prior christiana fraternitas lingua & manu alternis panibus pascebatur. Cujus siquidem de medio caritatis fulgur E egrediens, & scintillæ quasi aspectus æris candentis: simili zelo plurimas ecclesias accenderunt, & sic est inter eas insolubilis germanitas confirmata, ut unanimes passionum & consolationum participes permanerent, sive locali confinio contiguæ, sive spaciosis terrarum tractibus separatæ. Sic prudentissima soror nostra Paterburnensis ecclesia stilo altiloquo & contornato sermone matris suæ primitivæ ecclesiæ statum feliciorem commemorat, ut sorores commoneat, ut corda patrum in filios convertat,

tat, ut quod consuevit facere ipsa doceat, quasi utens voce & vice veræ lucis, quæ illuminat omnem hominem, dicat: ignem veni in terram mittere, & quid volo nisi ut ardeat? Est revera sororis nostræ humilitas multis laudibus prosequenda, quæ suos ita dissimulat titulos, ita a se excelsa abstulit, quæ præconia sua alienis ascribit, & aliena incommoda suis excusat commodis & obnubit, ut illud sibi competeret: Laudet te alienus & non os tuum & alterum non deesset. Justifica magnum similiter & pusillum. Vos etenim patres Paterburnenses revera magni estis, uno & eodem pignore, nos pusilli: nostro vos estis deaurati thesauro, nos vero transmigrante ad vos glorioso confessore nostro & episcopo LIBORIO quasi luce aurea, sumus forsitan obscurati: vos honore nostro divinitas dignata est, quo forsitan fuimus nos indigni. Verumtamen per divinam gratiam nostræ Cenomanensi ecclesiæ id solaminis est relictum, ut inclytum confessorem Liborium & nostrum prædicare semper debeamus & vestrum. In nobis cœpit, sed vos ipse perfecit: nos sanctificavit in terris, vobis præsidet jam cœlestis: nobis ad tempus est datus, vobis sine tempore destinatus: nos corporali præsentia destituit, sed utrisque numquam deerit dono beneficii spiritalis. Quid igitur faciemus sorori nostræ die isto quando alloquenda est? Summum patrem, a quo cœpimus cum timore & reverentia filiali pariter collaudemus in beati Liborii meritis gloriosis, cujus sanctissimum corpus, Cenomanensi ecclesia concedente, posteaquam Paterburnensis soror nostra carissima sibi meruit, spiritualis effecta est, Saxonica circa id locorum durities emollita, hiems infidelitatis transiit, imber persecutionis abiit & recessit, flores virtutum & miraculorum apparuerunt, & vox turturis audita est in terra illa, maxime quando virtus mirifica eximii confessoris astruxit, quicquid fides christiani dogmatis allegavit. Vobis ergo, Paterburnenses, honor iste præcipuus & peculiaris gloria consecratur, qui patrem nostrum tanto celebratis honore, studio colitis, affectu intimo complectimini, ut dicatis: Inveni quem desiderabat anima mea, tenui illum, nec dimittam. Cedit etiam ad cumulum laudis vestræ quod pro pignore tanto, cum vobis plurimas debeamus, humiles gratias nobis solvitis, affectum propensius exhibetis, & offertis obsequium; nec verbis ostendi, sed rei executione flagitatis aliquando exhiberi. Epistolaris continentia deinceps quod nos valde delectat annexuit prospere permanere, nec fuisse translatam sedem vestræ cathedralis ecclesiæ, de quo rumor levis nobis quæstionem moverat & conquestum, quo jam vestra assertione destructo, auditui nostro dedistis gaudium & lætitiam in laudibus Salvatoris. Ad extremum vero quasi fimbriis aureis vestræ epistolæ jam ponendis, acceptabiles & honestæ petitiones vestræ, quid sint apud Dominum innotescunt. Nihil enim aliud quam quod animarum saluti & honori divino inserviat postulant ac intendunt, ut fervor mutuæ caritatis de igne sancti Spiritus olim accensus quotidie convalescat, flagret ardentius & ignescat, ut servantes mutuo unitatem spiritus, in vinculo pacis, & fraternæ dilectionis unam sanctam communionem, prout fieri poterit, & rempublicam habeamus concilii, officii, substantiæ, voluntatis. Insuper ut epistolam vestram, cui sicut magistræ & dominæ hæc nostra humilis ancillatur, & librum vestrum de vita & translatione eximii Liborii in nostris memoriter reponamus archivis, tertio & ultimo, instantius & obnixius supplicatis, ut natalitium diem magnifici patris nostri Liborii & patroni solemni cantu & cultu celebriter illustremus. Quibus siquidem postulatis gratissimo & libentissimo concurrentes assensu, gratias etiam vobis subjicimus pleniores, devotissimo vobis animo respondentes, quod aquæ nullæ nostram erga vos poterunt extinguere caritatem, nec flumina obruent eam, quam Deus verus stabiliat super petram. Vestram vero epistolam vel sanctissimi libellum Liborii nulla delebit oblivio, nec oblitterabit antiquitas, sed in domo Domini & apud nostros posteros permanebunt. Et justus Liborius qui apud nos floruit, Domino largiente, cultu ampliore florebit & multiplicabitur in domo Domini, & beatissimi & apostolici Juliani, cui scilicet quartus gloriosus successit Liborius, aliis duobus viris quoque apostolicis intermediis, Thuribio archipresbytero & Pavacio archidiacono Cenomanensi cathedræ per ordinem præstitutis. Hic etenim Julianus primus Cenomanorum apostolus, velut Abraham patriarcha, pater sequentium præsulum, & Cenomanensium gentium in Christo quadam functus auctoritate apostolica usque in hodiernum diem extitit & existit missus, comitantibus illis a beato Clemente Petri apostoli successore: unde fraternitati vestræ humiliter supplicat Cenomanensis ecclesia soror vestra, quatenus librum de vita ipsius eleganter exaratum, reverenter & memoriter apud vos in perpetuum habeatis, & apostoli nostri beatissimi Juliani natalitium diem sexto calendas Februarii solemniter celebretis, ut qui clarus signis & miraculis regno Franciæ suffragatur, suæ quodammodo Paterburnensi ecclesiæ, & populis Saxoniæ, sicut per ipsum & propter ipsum facere magna potens est Dominus, abundantius suffragetur; nosque & vos suffulti tantis intercessoribus, utrique ecclesiæ combinatis

divino munere geminato eorum suffragio utramque stolam possimus facilius a Domino consequi in tempore tribulationis. Amen. Valete in Domino, & manete in dilectione nostra. Data anno Domini millesimo ducentesimo quinto pridie calendas Octobris.

INQUISITIO
de juribus quæ reges Angliæ habuerunt in Normannia adversus clericos.

Anno 1205 Ex ms. Colbertino.

EGo REGINALDUS comes Boloniæ, ego Guillelmus *Marcel*, ego H. de Estotevillis, ego Willelmus Cambellus de Tranquarvilla, & Rad. *Teffon*, & Johannes de Pratellis, Henricus de Ferr. Ph. *de Vauce*, Willelmus de Mortuo-mari, Robertus *de Corcy*, Willelmus *de Serans*, Fulco Paganelli, Willelmus *de Homes*, Stephanus de Longo-campo, Hugo *de Colunces*, Robertus *de Vvesneval*, Willelmus de Pratellis, Johannes de Roboreto castellanus Belvaci, Nicolaus de Montegniaco, Thomas de Pavillis, Rogerius de Mellento notum facimus universis ad quos præsens scriptum pervenerit, quod nos juravimus super sacro-sancta, quod jura quæ HENRICUS & RICHARDUS quondam reges Angliæ habuerunt in Normannia adversus clerum, & apud Lexovium, & alibi, & jura nostra diceremus. Nos autem per sacramentum nostrum diximus, quod vidimus tempore Henrici & Richardi quondam regum Angliæ, quod si ecclesia pertinens ad donationem laicæ personæ vacaret, si ille ad quem donatio illius ecclesiæ pertinebat, idoneam personam archiepiscopo vel episcopo in cujus diœcesi sita esset ecclesia illa præsentaret, eamdem personam de jure recipere tenebantur, nisi alius ostenderet præsentationem illius ecclesiæ ad se pertinere. Si vero de jure patronatus contentio oriretur, archiepiscopus vel episcopus numquam posset alicui ecclesiam illam conferre, nec aliquem ad ecclesiam illam recipere, donec contentio in curia regis, vel illius de cujus feodo movet illa ecclesia, terminetur. Quando vero causa illa terminaretur in curia domini regis, aut in curia illius de cujus feodo movebat ecclesia, archiepiscopus vel episcopus ad testimonium litterarum regis vel baillivi sui in cujus curia esset terminata, vel illius de cujus feodo movebat ecclesia, debet recipere idoneam personam quam præsentaret ille, cui adjudicatus esset patronatus illius ecclesiæ.

Item, diximus per sacramentum nostrum, quod archiepiscopus vel episcopus, vel alia inferior ecclesiastica persona non debet ferre sententiam excommunicationis in barones, vel in ballivos, vel in servientes regis, aut in clericos domus suæ, rege A non requisito vel suo senescallo.

Item, diximus per sacramentum nostrum, quod nulla ecclesiastica persona debet aliquem tradere in causam pro fide vel sacramento quod fiat de laico feodo vel catallo hominis laici: sed si fides data fuerit de catallo maritagii, vel de legato mortui, vel de catallo clerici, vel cruce signati, de causa illa potest bene judicare.

Item, diximus per sacramentum nostrum, quod numquam vidimus tempore HENRICI & RICHARDI quondam regum B Anglorum quod aliquis redderet decimas de fœnis, vel de genestis, aut de boscis, nisi prius fuerint eleemosynatæ.

Item, diximus per sacramentum nostrum, quod vidimus HENRICUM & RICHARDUM quondam reges Anglorum, tenentes placitum spatæ in civitate & banleuga Lexovii, postquam ARNULFUS Lexoviensis episcopus recessit a Normannia exsul hac de causa.

Item, diximus per sacramentum nostrum, quod in feodo terræ, Gorna, & Feritate, & Gosleni-fonte, non debet archiepiscopus tenere nisi tantum duo placita, scilicet C de maritagio, de legato mortui, & catallo clerici.

Item, diximus per sacramentum nostrum super hoc quod archiepiscopus petit apud *Lovers*, quod RICHARDUS quondam rex Anglorum fecit ei excambium, & inde dedit ei cartam suam, & dominus rex faciet ei justitiam secundum tenorem cartæ suæ, si ei placuerit.

Item, diximus per sacramentum nostrum de clerico qui tenet laicum feodum, quod si clericus injuriosus existit domino a quo tenet feodum illud, dominus feodi potest saisire omnia catalla clerici, quæ invenerit D super feodis, de quocumque loco venerint, donec ei satisfecerit, de his quæ pertinent ad laicum feodum.

Item, diximus per sacramentum nostrum, quod si clericus teneat aliquid de quo laicus conqueratur, & clericus dicat se tenere illud nomine eleemosynæ per sacramentum legalium hominum patriæ, recognoscetur utrum illud sit laicum feodum, an eleemosyna: & hoc in curia domini regis. Similiter si laicus teneat rem, quam clericus dicat esse suam nomine eleemosynæ, recognoscetur in curia domini regis per sacramentum legalium hominum patriæ.

E Item, diximus per sacramentum nostrum de rebus usurarii, quod quamdiu usurarius est in lecto ægritudinis, si distribuat res suas propria manu sua, stabile est. Post mortem vero usurarii, omnes res suæ domini regis erunt, si probatum fuerit ante mortem, quod infra annum mutaverit ad usuram.

Item, dicimus de illo qui moriturus in-

testatus, si jacuerit in lecto ægritudinis per tres dies aut quatuor, omnia mobilia ipsius domini regis debent esse, aut illius in cujus terra est. Et sic est de illo qui se interfecit spontaneus.

Item, diximus de treuga, quod si quis vulnerat alium, unde debeat membrum perdere aut vitam, placitum remanebit in curia domini regis, si conquerens vult causam prosequi, & ecclesia habebit emendam suam usque ad novem libras, si accusatus convictus fuerit, & dominus rex habebit totum residuum suum. Treuga vero a die sabbati sero usque ad diem lunæ mane.

Item, dicimus quod si clericus capiatur quacumque ex causa, & ecclesia eum requirat, reddi debet ecclesiæ; & si convictus fuerit de furto vel homicidio, degradabitur, & abjurabit terram, nec aliter pro delicto suo punietur, nec poterit postea intrare terram sine licentia domini regis, quin de eo fiat justitia. Si vero postea aliquid forisfecerit, dominus rex de eo faciet justitiam sicut de laico.

Notum facimus præterea, quod jura domini regis & nostra quæ nobis memoriæ occurrebant, sicut vidimus tempore HENRICI & RICHARDI regum ea observari, advocato consilio prudentum virorum, scilicet Richardi *de Villequir*, Richardi de Argentiis, Richardi de Fonteneto, Rad. abbatis, & quorumdam aliorum bona fide: scripsimus pro jure domini regis & nostro conservando; & quia quidam de baronibus Normanniæ præsentes non erant, decrevimus quod ad aliam diem conveniremus, & barones absentes convocaremus, si domino regi placeret, & tunc jura domini regis & nostra quæ hic scripta non sunt, per sacramentum nostrum scriberemus. Huic autem scripto sigilla nostra apposuimus. Actum Rothomagi anno Domini MCCV. mense Novembri dominica post octavam omnium sanctorum.

RECOGNITIO
de firmitate villæ Ebroicensis.

Ex ms. Colbertino.

Recognitio facta inter dominum regem & episcopum Ebroicensem super missione de firmitate villæ per istos juratos, scilicet Richardum de Argentiis, Stephanum de Longo-campo, Rogerum *Pescheveron*, Guillelmum Sisi milites, Gauterum Anglicum, Amicum *Veillertes*, Joscelinum Peliti, Renoldum fabrum burgensem domini regis, Hugonem de Aurilleio, Rogerium *Havart*, Robertum de Bello-monte, Richardum *Caran*, burgenses episcopi, Rogerium *de Ponte-Landre*, Radulfum *Podagre*, Gilbertum *de Brisson*, Lucam *Berrenger* burgenses abbatis S. Taurini, qui jurati dixerunt unanimiter, quod quando rex RICHARDUS captus erat in Alemannia, JOHANNE episcopo mortuo, electo GARINO Ebroicensi in Alemanniam profecto cum rege Richardo, comite Ebroicense mortuo, senescallus Normanniæ jussit fieri communiam apud Ebroicas, & viderunt quod Adam Anglicus major erat ejusdem communiæ; & viderunt quod communi assensu ejusdem communiæ juratæ sine alia justitia fecerunt fossatum in illa villa per medium terræ episcopi Ebroicensis, & cœperunt operari die dominica propter timorem regis Galliæ, & archidiaconus absolvit eos, & viderunt quod timorem habuerunt de obsidione, & attornati fuerunt quatuor homines de communia ad unumquemque quernellum custodiendum & hurdandum eum. Et dicunt quod comes Ebroicensis non poterat talliam facere in terra episcopi, nec propter guerram, nec propter exercitum, nec propter nubendam filiam, nec propter filium faciendum militem, nec ullo modo, nec aliquid aliud ibi capiebat præter consueta quæ tunc currebant & adhuc currunt. Et dicunt quod dux Normanniæ habebat talem justitiam super episcopum Ebroicensem, qualem habebat super archiepiscopum, & alios episcopos Normanniæ.

LITTERÆ TESTIMONIALES
abbatum Metensium.

Hasterienses Walciodorensibus subjectos esse.

Anno 1155. Communicavit reverendissimus abbas Walciodorensis.

Omnibus ad quos litteræ istæ pervenerint. P. Dei dignatione Gorziensis, H. S. Arnulphi, D. sancti Vincentii, R. sancti Symphoriani, W. sancti Clementis, & S. Martini de ultra Mosellam abbates, salutem & orationes in Christo.

Ut eis quæ vidimus & indubitanter novimus nostrum, prout nostræ saluti expedit, accommodemus testimonium, constanter in auribus vestris asserimus, quod nobis in generali synodo Mettis existentibus, dominus & pater noster B. venerabilis episcopus Metensis, secundum apostolica & imperialia ac etiam prædecessorum ipsius privilegia subjectionem Hasteriensis ecclesiæ ad Walciodorensem, cum suæ jurisdictionis ambæ sint ecclesiæ innovavit, eam quoque sua confirmans auctoritate, hoc quidem sicut in ejusdem episcopi scripto continetur autentico verum esse novimus & testamur. *Et appendebant sigilla sex quorum quinque supersunt, & repræsentat unumquodque effigiem abbatis gestantis pedum abbatiale. Primum quidem cum hac inscriptione.* PETRUS *abbas Garziensis. Secundi talis est. S.* HUGONIS *abbatis sancti Arnulphi. Tertii* DROGO *abbas sancti Vincentii Met.... Quarti S. W. S. Clementis. Quinti denique* RICHARDUS *abbas S. Symphoriani.*

EPISTOLA BERTRANDI episcopi Metensis ad Libertum abbatem Walciodorensem.

Hasterienses monachos abbati Vualciodorensi esse subjectos, nec proprium abbatem aut sigillum habere debere.

Circa 1205 *Communicavit R. abbas Vualciodorensis.*

B. Dei gratia Metensis episcopus dilecto ac fideli suo Liberto venerabili Walciodorensi abbati, salutem & sinceram dilectionem.

Sicut in vita & gestis beatæ memoriæ domini THEODERICI *de Hamelland* episcopi Metensis & ecclesiæ sancti Vincentii de ultra Mosellam fundatoris accepimus, cum ELBERTUS comes cognatus ipsius Walciodorense monasterium construxisset, pro amore viri sancti, ipsum ecclesiæ Metensi testamento delegatum decreto quidem imperiali fecit eidem ecclesiæ perpetuo confirmari. Ille vero non ingratus tanto gratis ecclesiæ suæ collato beneficio, Hasteriam villam quamdam suæ ditionis prædicto loco contiguam, cum suis appendititiis Walciodorensi cœnobio copulavit. Nunc autem fratres in loco Hasteriensi manentes sigillum quod numquam hactenus habuisse noscuntur sibi novum fecisse, & nomen abbatis sibi quoque novimus assumsisse imprudenter, se filios inobedientiæ facientes. Cum itaque Saülis sacrificium sciatis à Domino propter inobedientiam reprobatum, vos ad obedientiam matris ne eis simile contingat, filios revocetis eosque cessare faciatis. Et si quid juris in hoc se crediderint habere, ad nostram veniant præsentiam, & nos qui utrique loco principaliter dominamur, huic causæ finem debitum imponemus. *Et appendebat sigillum cereum effigiem episcopi representans.*

EPISTOLA BERTRANDI EPISCOPI Metensis ad episcopum Leodiensem

Monet eum de Hasteriensium monachorum ad sedem apostolicam appellatione, ut jugum Vualciodorensium excutiant, narratque qua ratione Hasteria Vualciodoro fuerit subjecta.

[a] Circa 1205. *Communicavit reverendissimus abbas Vualciodorensis.*

DOmino & amico suo (a) H. venerabili episcopo & unanimitati totius capituli Leodiensis B. Metensis ecclesiæ humilis minister, salutem & pium in Domino obsequium.

Præsidentibus nobis in synodo generali, convenerunt ante præsentiam nostram abbas Walciodorensis & monachi ipsius tam
A Walciodorenses quam Hasterienses super controversia quæ inter ipsos versabatur responsuri. Et cum utriusque ecclesiæ paci, salvo singularum jure, teneamur ex debito consulere: communicato cum viris prudentibus consilio, ne se virus fraterni odii latius diffunderet, pacem inter ipsarum ecclesiarum fratres totis viribus intendimus reformare. Sed cum pacis consilium sequi & concordiæ bonum amplecti Walciodorenses vellent, Hasterienses magis contentionibus deservire eligentes, cum nullum eis gravamen inferre vellemus, ad sedem apostolicam ante litis ingressum appellaverunt,
B litteras quasdam in multis notabiles & falsas a sede Romana, sicut dicebant, impetratas; quarum auctoritate subjectionem quam ecclesiæ Walciodorensi ab antiquo debent a cervice sua excutere intendebant, proferentes; quæ bene consideratæ magis ad impedimentum eis quam ad solatium erant. Unde ne vestra prudentia aliqua falsitate valeat circumveniri, paucis vobis assertionem Walciodorensium veritate subnixam monstrabimus, sicut multorum authenticorum auctoritate docemur. Legimus enim in
C vita felicis recordationis THEODERICI Metensis episcopi, quod Hasteriam cum omnibus appendiciis suis Walciodorensi cœnobio legitima donatione contradidit, & eamdem donationem tam Romanorum pontificum, quam etiam imperatorum privilegiis roborari fecit. Conservatur etiam in ecclesia nostra, sicut vidimus & testamur, privilegium in quo lucide monstratur, quod Hasteria Walciodorensi cœnobio sicut cella vel præpositura, vel quocumque inferiori nomine dicatur, ut suo superiori debet adjacere, & in omnibus obedire. Ea propter vestram dominationem attentius rogamus,
D ut veritati & justitiæ adhærentes, Walciodorenses in suo jure foveatis, & errorem Hasteriensium, imo noxiam & religioni penitus contrariam libertatem, quam sibi arrogare in præjudicium disciplinæ regularis nituntur, quantum potueritis reprimatis, & Hasteriam ad debitam Walciodorensis ecclesiæ obedientiam, cujus membrum esse debet, revocetis. . . . . . *Et huic scripto in pergameno appendebat sigillum in cera rubra exprimens personam episcopi Pontificalibus induti, in sella sedentis, dextra pedum, sinistra librum tenentis cum his circum litteris*
E Bertr. Dei gratia Metens. episcopus.

(a) Hugoni de Petra-ponte, qui, teste Alberico, annis 28. episcopatum Leodiensem rexit, ab anno scilicet 1200. ad 1228.

LITTERÆ BERTRANNI Metensis episcopi.

De subjectione Hasteriensis monasterii abbati Walciodorensi, & de falsitate bullæ Clementis papæ ab Hasteriensibus productæ.

Circa 1205 Communicavit R. abbas Walciodorensis.

OMnibus Christi fidelibus ad quorum notitiam hoc scriptum pervenerit, BERTRANNUS divina miseratione Mettensis episcopus, veritatis acceptare testimonium. Tempora quidem mala sunt, & ita temporibus fragilitas humana conformatur, quod etiam religiosæ personæ rebus propriis non contentæ, jura plerumque vendicant aliena, & retro respicientes ab aratro, ad ea quæ sua non sunt manus extendere nullatenus erubescunt. Quod tempore domni STEPHANI bonæ memoriæ prædecessoris nostri ex ipsius privilegio monachos Hasterienses aggredi voluisse didicimus. Pares enim se monachis abbatiæ Walciodorensis facere, & ecclesiam suam ab illa, cujus ipsa membrum esse domni BENEDICTI papæ septimi & domni OTTONIS Romani imperatoris antiqua demonstrant privilegia, segregare volebant. Idem vero felicis recordationis prædecessor noster domnus STEPHANUS, prout suum nobis super hoc rescriptum patefecit, ad pacem & concordiam utriusque fratres ecclesiæ revocans, & tam institutioni domni THEODERICI jam dudum episcopi Mettensis, a quo Hasteriensis locus cum omnibus quæ ad eum intus & foris de jure spectant, Walciodorensi ecclesiæ datus & concessus agnoscitur, quoniam prædictis apostolicis & imperialibus ac aliis scriptis autenticis innitens, sua decrevit auctoritate præfatam Hasteriam, sicut membrum suo capiti, Walciodorensi scilicet ecclesiæ subjacere, & sub uno abbate, uno quoque titulo, & uno tantum capitulo & regimine, & uno dumtaxat sigillo perpetuo eas manere: ita ut Walciodorensi abbati viam universæ carnis ingresso, locum Walciodorensem monachi Hasterienses adeant, & ipsis in ejusdem loci capitulo cum Walciodorensi conventu congregatis & auditis omnium sententiis, eum quem secundum Dei timorem & canonicam auctoritatem fratres Walciodorenses elegerint, Hasterienses omni sopita lite absque ulla contradictione recipiant. Walciodorensi quippe cœnobio liberam electionem & quietam Hasteriæ renovavit possessionem. Cujus nos sequentes vestigia prædicta omnia Walciodorensi ecclesiæ & confirmamus & renovamus. Cum autem pax & institutio illa a sæpius dicto domino STEPHANO facta, hucusque duraverit inconvulsa, nunc litem ab eo supradicto jam olim decisam FREDERICUS & alii quidam Hasterienses monachi suis adinventionibus suscitare conantur. Qui coram nobis in generali synodo constituti, quoniam nostræ jurisdictioni ambæ sunt ecclesiæ, litteras pro se protenderunt apostolicas sub hac forma: CLEMENS episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis PETRO abbati Hasteriensis ecclesiæ ejusque fratribus tam futuris quam præsentibus. Ex litteris sigillatis domni STEPHANI Mettensis episcopi & conventus ejusdem ecclesiæ didicimus, cartas sigillis BENEDICTI papæ septimi & EUGENII papæ tertii, & imperatorum OTTONIS primi & CONRADI confirmatas, & contra antiquam libertatem Hasteriensis ecclesiæ falsa suggestione acquisitas, Mettis judicio esse damnatas. Quod juste & canonice factum esse approbantes, & prædictas cartas & quicquid libertati vestræ obviare potest in perpetuum damnamus, & ecclesiam vestram in omni jure conventualis ecclesiæ liberam esse per se apostolica auctoritate & præsentis scripti patrocinio confirmamus. Statuentes ut nulli omnino hominum liceat huic confirmationi ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, in extremo examine divinæ ultioni subjaceat. Data Lateranis IIII. nonas Junii, pontificatus nostri anno secundo. Quas diligentius audientes, una cum viris discretis & litteratis in synodo residentibus, arguimus falsitatis, eo quod stylum Romanæ curiæ minime redolerent. Etenim Petrum illum quem Hasterienses vocant abbatem, sub hujus tituli appellatione sicut nec alium aliquem ibi præfuisse confidenter asserimus, eo quod ille locus a prima fundatione sua liber numquam fuisse certissime sciatur, ut proprio prælati nomine censeretur. Præterea summus pontifex sine salutatione scribere, & episcopos domnos appellare, & regi tantum imperatoris nomen imponere, & quod rationabiliter ordinatum est sine diligenti inquisitione præcipitanter damnare minime consuevit. Hasterienses etiam cum ab ipsis litteræ domni STEPHANI episcopi Metensis super prædictam damnationem, & etiam testimoniales litteræ capituli Metensis peterentur, eas summum pontificem retinuisse simulabant. Dominus quoque CLEMENS papa & domnus STEPHANUS episcopus Metensis contemporanei non fuerunt, domno STEPHANO jam a quadraginta annis & amplius mortuo. Vestræ proinde notum facimus distretioni, quod confirmationem privilegiorum & munimina Walciodorensis monasterii in nostra reperimus ecclesia, in quibus contineri protestamur, quod Hasteriensis locus Walciodorensi ecclesiæ tamquam cella, vel præpositura, vel quocumque inferiori nomine dicatur, ut suo superiori debet adjacere, & in omnibus obedire. De damnatione nihil audivimus, nihil scimus, nec nostrum Metense capitulum contra Walciodorensem ec-

clesiam suum umquam audivimus probavisse A testimonium. Multi quidem sunt canonici superstites, qui tempore domni STEPHANI bonæ memoriæ Metensis episcopi fuerunt, nec aliquid de damnatione privilegiorum Walciodorensis ecclesiæ audierunt. Hasterienses itaque quasi de jure suo diffidentes, ante litis ingressum, a nullo prorsus gravamine subterfugium quærentes, ad sedem apostolicam appellaverunt, & nos appellationi prout est appellationibus deferendum detulimus. *Appendebat sigillum cereum impressum imagine ejusdem Bertranni dextra baculum pastoralem, læva librum gestantis* B *cum hac inscriptione*: Bertran. Dei gratia Mettensis episcopus.

Extant & aliæ litteræ Gerardi primicerii & Theoderici decani, atque totius capituli idem omnino continentes.

CARTA PHILIPPI AUGUSTI regis pro Guidone de Torciaco.

Anno 1206 Ex ms. Colbertino.

NOtum, &c. quod nos dilecto & fideli nostro Guidoni de Torciaco damus & ad vitam suam concedimus *Broheret* cum pertinentiis suis & Cornubiam cum suis appenditiis, & *Poucher* cum suis appenditiis. Hæc autem omnia, quamdiu vixerit, tenebit nobis in feodum & hominagium ligium, reddendo nobis servitium quod feoda illa apportant. Ipse vero propter hoc nobis quittavit in perpetuum quicquid habebat in Normannia. Actum apud *Cande*, anno Domini MCCVI.

CARTA PHILIPPI AUGUSTI regis, pro Andrea de Vitreo.

Anno 1206 Ex ms. Colbertino.

NOtum, &c. quod nos dilecto & fideli nostro Andreæ de Vitriaco & R. cantori Parisiensi fratri ejus damus S. Severum prope castrum de Vira cum omnibus pertinentiis tenendis ab ipsis & heredibus ipsius Andreæ in perpetuum de nobis & heredibus nostris in feodum & hominagium ligium. Hoc autem totum ipsis damus & concedimus pro fideli servitio, & in excambium *de Langes*, de quo dilectus & fidelis noster prædictus ROBERTUS frater dicti Andreæ cartam Arturi habebat, quam nobis resignavit. Sciendum vero quod si post assignationem ducentarum librarum reditus in terra Garrandæ aliquid superfuerit, de eodem residuo nostram faciemus voluntatem. Actum apud *Cande* anno Domini MCCVI. regni nostri, &c.

CARTA PHILIPPI AUGUSTI regis, pro Nicolao de Montigniaco.

Anno 1206 Ex ms. Colbertino.

NOtum, &c. quod in augmentum feodi quod nos dedimus dilecto & fideli nostro Nicolao de Montigniaco in terra de Matiaco, sicut carta nostra, quam super hoc habet, testatur, eidem N. & heredi ejus de uxore sua desponsata damus & concedimus in perpetuum terram Petri de *Nichole* apud Leomer-villam & apud Mesnillos, & terram Galterii de *Trailli* apud *Manetot*, & terram Guillelmi Crassi apud Rochevillam, & decem acras bosci: ita quod omnia supradicta tam de terra Maciaci, quam de aliis prænominatis terris cum ipsarum pertinentiis idem *Nicol.* & heres ejus de uxore sua desponsata ad usus & consuetudines Normanniæ teneant de nobis & heredibus nostris in feodum & hominagium ligium per servitium duorum militum ad sumtus suos. Volumus etiam & concedimus C ut quidquid in eisdem terris per jus acquisierit in augmentum feodi sui teneat per prædictum servitium duorum militum. Actum apud Vallem-Rodolii anno Domini MCCVI.

CARTA PHILIPPI AUGUSTI regis, pro Johanne de Monte Gumberti.

Dat ei terram de Sottevilla.

Anno 1206 Ex ms. Colbertino.

NOtum, &c. quod nos dilecto & fideli D nostro Johanni de Monte Gumberti & heredi ejus de uxore sua desponsata damus & concedimus in perpetuum terram de Sottevilla, quam Hugo de Gornaio dedit in maritagium filiæ suæ comitissæ Ebroicensi, & decem libratas terræ, quas Galterus de Donestonvillis habebat apud Sotevillam: ita quod idem Johannes & heres ejus de uxore sua desponsata hæc supradicta ad usus & consuetudines Normanniæ teneat de nobis & heredibus nostris in feodum & hominagium ligium per servitium unius militis ad sumtus suos. De his autem E singulis annis reddent B. Mariæ de Becco decem libras Turonenses de eleemosyna, sicut ei reddi consueverunt. Volumus etiam & concedimus, ut quicquid ibi per jus acquisierit idem Johannes vel heres ejus in augmentum feodi sui, illud teneant per prædictum servitium unius militis. Actum apud Rodolium anno Domini MCCVI.

CARTA PHILIPPI AUGUSTI regis, pro Ada vicecomite Meledunensi, &c.

Dat ei & Simoni de Pissiaco & Johanni Briardi Bellum-Fortem in feodum.

Anno 1206. Ex mss. Colbertino.

IN nomine, &c. Noverint, &c. quod nos dilectis & fidelibus nostris ADÆ vicecomiti Meledunensi & Simoni de Pissiaco & Johanni Briardi, propter terram quam ARTURUS eis dederat, damus & concedimus in feodum & hominagium ligium Bellum-Fortem cum pertinentiis ejus, tenenda ab B eis & eorum heredibus de uxoribus eorum desponsatis de nobis & heredibus nostris per servitium quod terra illa debet ad usus & consuetudines Andegavenses: ita tamen quod si dictam terram Belli-Fortis cum ipsius pertinentiis amitterent, nos nullum restauramentum eis facere teneremur extra comitatum Andegavensem. Quod ut ratum, &c. Actum anno Domini MCCVI. regni XXVIII. Datum vacante cancellaria per manum fratris Guarini.

HOMINIUM ERMENGALDO C comiti Urgellensi præstitum ab Arnaldo de Castro-bono, pro castro de Estamarido, &c.

Anno 1206 Ex mss. Colbertino.

IN Christi nomine, notum sit cunctis præsentibus & futuris, quod ego ARNALDUS DE CASTRO-BONO, per me & per omnes successores meos in perpetuum recognosco vobis domino meo ERMENGAUDO Dei gratia Urgellensi comiti omnem fidelitatem & dominium, & solidantiam, quam vobis facere debeo, & omnes potestates illas quas vobis dare debeo, scilicet de castro d'*Estamarid* & de omnibus ejus ter- D minis, & de omnibus fortiis, quæ modo ibi sunt vel erunt umquam, & de castro de *Ciutad*, & de omnibus ejus terminis, & de omnibus fortiis, quæ modo ibi sunt, vel umquam erunt, & de Laroqua, de Laguda, & de omnibus ejus terminis, & de omnibus fortiis quæ modo ibi sunt vel umquam erunt, & de Laroqua de *Aguilar*, & de Valde, & de omnibus ejus terminis & de omnibus fortiis, quæ modo ibi sunt vel umquam erunt, & de Castro-bono, & de E omnibus ejus terminis, & de omnibus fortiis, quæ modo ibi sunt, vel umquam erunt, exceptis castrum S. Andreæ & castrum de *Salent*, sicut in instrumentis, quos inter me & vos sunt, continetur, quos fuerunt factos apud Populetum, & si quæ alia carta facta fuit inter me & vos, quæ contra illa instrumenta veniat, non possit vobis nocere.

A Actum est hoc XVI. calendas Aprilis sub anno Domini MCCVI. Sig † num Arnaldi de Castro-bono, qui hoc firmo & concedo, & testibus firmare rogo. Sig † num Guillelmi de Peralta. Sig † num Guillelmi de *Heril*. Sig † num Jordani de Peralta. Sig † num Pontii *Pinel*. Sig † num Raimundi de Apilia de Almonte. Sig † num Ferrarii de Basilia, hujus rei testes. Signum Petri de Coschone domini comitis notarii qui scripsit. (*a*) [a]

CARTA ERMENGAUDI comitis Urgellensis, de matrimonio contrahendo inter Arnaldum de Castro-bono vicecomitem & Eliesendam de Cordona neptem suam.

Anno 1206 Ex mss. Colbertino.

AD tam præsentium quam futurorum ostendatur notitiam, quod nos ERMENGAUDUS Dei gratia comes Urgellensis convenimus vobis ARNALDO de CASTRO-BONO vicecomiti dare ELIESENDAM de Cardona neptem nostram in uxorem, & cum illa in * exovario decem millia solidorum Barchinonensium, & si forte obierimus sine prole, damus vobis & dictæ Eliesendi, & infantibus quos de ea habueritis, si per uxorem eam habetis, post nostrum obitum totum nostrum honorem, quod pro nobis tenetis de Nargonensis per omnia loca ad alodium liberum. Tamen si forte illam in uxorem habebitis, donatio ista non possit nobis nocere, nec vestris, neque vobis valere, sed per compositionem illius captionis vestræ & plurimorum malorum quod vobis fecimus, convenimus vobis dare & emendare quadraginta millia solidorum Barchinonensium, quos volumus & concedimus, ut habeatis illos post obitum nostrum & Alviræ comitissæ uxoris nostræ super illas potestates, quas pro nobis tenetis omnibus locis, & cum nostri successores vobis dictos quadraginta millia persolverint, vos vel vestri donetis illis illas potestates, sicut nobis facere debetis, & sicut in cartis & convenientiis a nostris & a vestris antecessoribus, & a nobis & a vobis factis continetur. Item, totum factum nostrum de compositione nostra & comitis de Fox mittimus in vestrum posse & unius nostri amici, ut faciamus ita, sicut dicetis & pro bono videtis. Et ego A. de Castro-bono convenio vobis domino meo E. comiti Urgellensi, ut sim vobis bonus & legalis in hoc facto & aliis pro posse meo, & cum hac præsenti carta definio vobis & vestris omnia illa, injurias & maleficia, quæ usque in hunc diem

* id est in dotem.

(*a*) Sacramentalia Arnalli vicecomitis de Castro-bono & Ermengaudi vicecomitis Urgellensis anno Christi 1185. facta edidit Balusius in appendice Marcæ Hispanicæ, & conventiones inter eos factas anno 1190.

mihi fecistis, & quod nullo modo possim vos vel vestros de cetero de aliquo prædictorum demandare aliquo modo vel ratione. Factum est hoc XIII. calendas Maii anno Domini MCCVI. Sig†num comitis Urgellensis. Sig†num ARNALDI DE CASTRO-BONO, qui hoc firmamus & concedimus, & testes firmare rogamus. Sig†num Bernardi Desportella majoris. Sig†num P. de Pinello. Sig†num P. de Mediano. Sig†num Guillelmi de Lordano, testes fuimus. Sig†num Petri Coschoni domini comitis notarii, qui præcepto illius scripsit.

PACTUM MATRIMONII inter Arnaldum de Castro-bono vicecomitem & Eliesendam de Cardona.

Anno 1206. Ex ms. Colbertino.

NOtum sit cunctis præsentibus & futuris quod ego GUILLERMUS Dei gratia vicecomes de Cardona, & ego ERMENGAUDUS Dei gratia Urgellensis comes, donamus vobis ARNALDO DE CASTRO-BONO vicecomiti filiam seu neptem nostram nomine ELIESENDAM in uxorem, sicut lex Christi præcepit, & damus vobis cum ea in exovar decem millia solidorum Barchinonensium ad forum & consuetudinem terræ. Et ego ARNALDUS DE CASTRO-BONO bono animo & bona voluntate accipio amore creandorum filiorum ipsam Eliesendam in uxorem, & convenio vobis & ei bona fide, & sine omni dolo & ingenio me circa illam in vita & in morte bene habere, & dono ei in sponsalitium decem millia solidorum Barchinonensium, & laudo vobis & illi, & concedo prædictos decem millia solidorum suæ dotis sive exovar, & illa decem millia solidorum sui sponsalitii, ut habeat super omnem meum honorem, quem ego habeo vel habere debeo in comitatu de Ceritania, & ad majorem securitatem vestram, si quid sinistrum fuerit vel contigerit, quod Deus avertat, dono vobis duobus & illi dominum regem Aragonum fidejussorem, qui vobis & illi faciat in pace & secure tenere, & habere omnem supradictum honorem de Cerdonia, donec millia solidorum solvantur. Et ego P. Dei gratia rex Aragonum facio vobis E. Urgellensi comiti, & ipsi Eliesendæ libenter prædictam fidantiam, & convenio vobis omnibus attendere, sicut superius dictum est, sine omni malo ingenio vestro & vestrorum.

Facta carta XVI. calendas Apriles sub anno Domini MCCVI. Sig†num GUILLELMI vicecomitis Cardonæ, sig†num ERMENGAUDI Urgellensis comitis, sig†num ARNALDI DE CASTRO-BONO qui hoc firmavimus & concedimus, testibusque firmare rogamus. Sig†num Guillelmi de *Heril*, sig†num Guillelmi de Peralta, sig†num Po... sig†num Jordane de Peralta, sig†num Raimundi de Apilia de Acrimonte, sig†num Ferrarii de Basilia testes hujus rei. Sig†num Petri de Coschone domini comitis notarii qui præcepto illorum scripsit.

CARTA ERMENGAUDI comitis Urgellensis.

*De construendo castro de Civitate **

* Civitat.

Anno 1206. Ex ms. Colbertino.

NOtum sit cunctis quod ego E. Dei gratia comes Urgellensis volo, rogo & mando vobis * A. de Castro-bono, ut operetis & construatis castrum de Civitate, & habeatis super illam potestatem dicti castri, illam missionem illius operis, & cum dictum castrum constructum & operatum fuerit, ego vel mei successores persolvamus vobis dictam missionem, tamen a vobis fideliter & bona fide computatam, & tunc vos vel vestri donetis mihi vel meis illam potestatem, sicut facere debetis, & sicut in cartis & convenientiis a meis & a vestris antecessoribus, & a me & a vobis factis plenius continetur, & ero vobis defensor & (a) valitor de illa opere, si aliquis voluerit vobis illam contrastare.

* Arnaldo.

Factum est hoc XIII. calendas Maii anno Domini MCCVI. Sig†num ERMENGAUDI comitis Urgellensis, qui hoc firmo & concedo, & testibus firmare rogo. Sig†num B. de Portella majoris. Signum P. de Pinello, Sig†num P. de Mediano. Sig†num Guillelmi de Lordano, testes hujus rei. Sig†num Petri de Coschone domini comitis notarii, qui mandato illius scripsit.

CARTA PHILIPPI AUGUSTI regis pro ecclesia Altissiodorensi.

Dimittit ei regalia sede vacante.

Anno 1206. Ex ms. Colbertino.

NOtum, &c. quod nos intuitu pietatis & ob remedium animæ nostræ & parentum nostrorum, concedimus & donamus in perpetuum ecclesiæ Altissiodorensi, quicquid habebamus in regalibus Altissiodorensibus, vacante sede: ita quod decanus & capitulum ejusdem ecclesiæ custodiant regalia eadem sede vacante, & omnes proventus qui exinde procederent, & præbendas, si quas interim vacare contigerit, ad opus futuri episcopi, salvo servitio nostro equitationis, exercitus & submonitionis, sicut episcopi Altissiodorenses nobis fecerunt. Actum anno Domini MCCVI. mense Aprili.

(a) Id est adjutor, voce Catalanis satis usitata.

EPIS-

EPISTOLA HENRICI imperatoris CP. ad Godefridum sancti Amati Duaci præpositum.

De victoriis infidelium in Christianos, deque sua in imperatorem electione, &c.

Anno 1206. Ex mss. Aquicinctensi.

H. Dei gratia fidelissimus in Christo imperator a Deo coronatus Romanorum moderator & semper augustus, carissimo fratri suo G. S. Amati in Duaco præposito salutem & fraternæ dilectionis affectum.

Quantum honorem, quantamve gloriam B terra Flandriæ & Hainoniæ, totaque progenies nostra in æternum in captione Constantinopolitani imperii sit adepta, non solum in terram nostram, verum etiam per quatuor mundi climata divina potentia credimus esse delatum. Et hoc a Domino factum est, & est mirabile in oculis nostris, cum unus persecutus est mille, & duo dena millia fugarent & transmoverent. Nullis etiam prædecessoribus nostris tantam contulit gloriam & honorem, quantum Domino & fratri nostro B. imperatori & nobis tradidit & donavit: de quo tanto ipsi Domino, a quo omnis virtus & victoria venit, C immensas tenemur grates referre, quanto nullis nostris meritis præcedentibus de tam magno & excellentissimo imperio ex insperato victoriam dedit. Et quia non minor est virtus quam quærere parta tueri, licet Deus miraculose nobis tradiderit imperium Romanum, non tamen illud possumus absque consilio & auxilio amicorum nostrorum conservare, præsertim cum eis præ omnibus aliis totius christianitatis incumbat manu tenere & defendere præfatum imperium ad honorem Dei & nostræ propaginis exaltationem & gloriam, ad ulciscendum sanguinem domini & fratris nostri imperatoris & alio- D rum consanguineorum nostrorum ac principum crudeliter effusum: ad hæc fraternitati vestræ credimus non latere, qualiter peccatis nostris exigentibus, dominus imperator CP. BALDUINUS frater & prædecessor noster, occisa & capta magna parte suorum, quod sine cordis amaritudine & dolore maximo dicere non possumus, a Conmannis in bello ante Adrianopolim captus fuerit & detentus, & a Johannicio S. Crucis inimico crudeliter incarceratus. Postmodum cum principes & barones & milites nos in imperii bajulum elegissent, E egressi ab urbe regia cum exercitu nostro civitates & castella plurima, quæ nobis rebellia fuerant, imperio subjugavimus, & ..... marchiis nostris circa festum sancti Remigii constanter reversi fuimus. In munitione vero cujusdam civitatis quæ Rossa dicitur, Th. *de Tenremonde* utique strenuum

A & discretum cum multis militibus, serjantis reliquimus, & dum morarentur ibidem, circa purificationem B. Mariæ nuntiatum est eis Blacos prope Rossam castrum quoddam occupasse, qui de Rossa nocte recedentes armati, Blacos quos illic invenerunt, occiderunt, & castro dejecto, cum præda & equitaturis Blacorum versus civitatem suam rediere, quibus reedeuntibus, ex insidiis prope Rossam occurrit multitudo Blacorum & Conmannorum, & congressu facto, ex utraque parte, proh dolor! ultione divina nostri fere omnes occisi sunt vel capti. Illi vero quibus custodia civitatis deputata fuerat, circiter XL. milites de nocte cum serjantis suis recedentes ad nos sani rediere; & sic Dominus flagello flagellum adjiciens, meritis nostris perversis exigentibus, ibi multum indignationis suæ nobis ostendit. Inter hæc autem & alia infortunia nostra, cum Philippopolis civitas maxima & munitissima terræ Johannicii vicina ad mandatum imperatoris B. fratris & prædecessoris nostri, RAINERIUM DE THRIT virum famosissimum in dominum recepisset, auditis infortuniis nostris, contra eum dolose insurrexit, & tandem a civibus civitatis extra eam ejectus, in quoddam castrum jam dictæ civitati vicinum, quod ante callide præmuniverat, labore non modico mediante cum suis paucis tamen se recepit. Postmodum dicti cives pacem cum Johannicio juraverunt, deinde malitiam ejus præsentientes, ab ejus dominio se subtrahentes, unum ex seipsis imperatorem creaverunt: quod factum cum ad Johannicium pervenisset, Johannicius cum infinita Blacorum & Conmannorum multitudine, ad prælibatam civitatem veniens eam obsedit. Cives vero ejus minime resistere potentes, tam civitatem quam seipsos, interposito tam ab eo quam ab ejus patriarcha juramento, super hoc quod nullam eis vel civitati inferret molestiam, voluntati ejus exposuerunt. Qui dum potestatem super eos haberet, civitatem ingressus, religionem juramenti, sicut de consuetudine habet, contemnendo, quoscumque in civitate invenit, a majori usque ad minimum, diversis tormentorum generibus affecit, nobiles universos, quosdam suspendio, quosdam aqua bullienti, quosdam aliis tormentorum pœnis, quæ vix ab homine excogitari possent, subjiciens, nequiter interfecit; deinde omnes plebeios tam masculos quam feminas in terram suam mittens, civitatem funditus subvertit, & paulo post cum centum millibus hominum & eo amplius, ut puta Blacorum & Conmannorum, qui cum omni lege careant, Saracenis deteriores sunt, universam Romaniam discurrens, tam castra, quam civitates, quarum inhabitatoribus tam super securitate, quam & fidelitate juramentum

præstiterat, prosternens, tandem Didimotichum obsedit, & nobilibus omnibus, quos vi vel fraude opprimere potuit, interfectis, universos plebeios cum universa præda sua & omnibus eorum mobilibus in Blakiam transmisit: cives vero de Adrianopoli & de Didimoticho, qui ei primitus juraverant, ejus nequitiam & infidelitatem considerantes, nuncios suos ad nos quamcitius destinaverunt, nobis ex parte sua pacem, subjectionem & perseverantem concordiam offerentes: nos vero qui eos ad amorem nostrum reciperemus, immo in brevi succurreremus, casum terræ imminentem procul dubio præsentientes, quicquid in nos deliquerant eis benigne remisimus. Ad hæc consilio cum consiliariis & baronibus inito, super exitu nostro deliberavimus, & de communi consilio nostro regiam civitatem exeuntes, minimo tamen comitatu suffulti, proditionem semper Græcorum dubitantes, inimicum nostrum innumera multitudine gentium munitum versus Didimoticum, quem jam fere expugnaverat, festinanter fuimus insecuti, qui adventum nostrum præsentiens, castrum quod obsederat derelinquens, in fugam cum universo exercitu suo se convertit. Nos vero divino fulti subsidio, Adrianopolim & maximam partem Bulgariæ transeuntes, usque ad castrum in quo REINERIUS DE THRIT quasi incarceratus morabatur, in manu potenti viriliter fuimus insecuti, & ibidem tam per nominatum Rainerum, quam per certos nuntios & famam publicam, quam nefande & nequiter dominum & fratrem nostrum imperatorem, & universos quos de nostris captivos tenebat, quod sine cordis amaritudine dicere non possumus, Johannicius crucis inimicus interfecerat, veraciter didicimus. Deinde dicto Rainero & sano & incolume viriliter recuperato, de communi baronum nostrorum consilio apud Constantinopolim, quibusdam de nostris, paucis tamen in Adrianopolim terræ adjacentis ob munitionem relictis, cum maximo triumpho per Dei gratiam sumus reversi. Verum cum principes & barones, & totus populus Franciæ in Constantinopolitano imperio commorantes, de obitu imperatoris essent certificati, & jugiter videretur Johannicius cum multitudine magna Blacorum & Conmannorum universam discurrere Romaniam, & castella civitatesque destruere, circumquaque petebant instanter caput habere & rectorem, qui de consilio domini B. venerabilis cardinalis apostolicæ sedis legati, ad patriarcham accedentes, postulaverunt ab eo ut nobis daret coronam, præsertim cum nullus esset in imperio Romano, cui de jure dari oporteret, nisi nobis. Patriarcha vero una cum populo Venetorum, licet in principio contra nos disputaret, tamen ad persuasionem domini B. venerabilis cardinalis apostolicæ sedis legati, cujus patrocinium & favorem semper invenimus, gratia sua nobis & toti imperio non modicum esse paratum, & ad nostram & baronum nostrorum instantiam dominica post assumtionem B. Mariæ nos in imperatorem benigne & coronavit & inunxit. Sane die tertia post coronationem nostram veraciter audivimus Johannicium terram nostram iterato intrasse, & cum innumera populi multitudine Adrianopolim obsedisse. His auditis, cum exercitu nostro modico, tamen regiam exivimus civitatem, & cum prædictæ civitati appropinquassemus, prænominatus curiæ & S. R. E. inimicus, dictam civitatem fugiens, quam citius dereliquit: nos vero in compositione præsentium adhuc eum per Bulgariam insequebamur; de eius dejectione & exaltatione nostra divina mediante gratia & amicorum nostrorum subsidio confidentes. Ergo ut ipsum imperium possimus ad honorem & obedientiam S. R. ecclesiæ & ad salutem totius christianitatis regere, fraternitati vestræ mandamus, monemus & sicut possumus exoramus, quatenus non solum in nostrum, sed & terræ sanctæ & totius christianitatis succursum, nec non & ad ulciscendum sanguinem domini & fratris nostri nequiter effusum, & aliorum qui in Romaniam ad exaltationem S. R. E. militabant, quorum corpora bestiis terræ & volatilibus cœli in escam posita sunt, & ad dedecus nostrum vindicandum, & tunicam Domini inconsutilem scissam uniendam, consilium & auxilium vestrum modis quibuscumque potestis, diligenter adhibeatis, maxime fratrem nostrum PHILIPPUM marchionem Namurcensem & omnes quoscumque poteritis ad hoc inducatis, scituri pro certo, quod cum sexcentis militibus & decem millibus serjantorum per universum Romaniæ imperium, divino mediante subsidio, negotium Dei procul dubio plenarie promoveremus, & sanguinem domini & fratris nostri, pariter & dedecus nostrum vindicare possemus. Datum apud Adrianopolim, in exercitu nostro, anno Domini MCCVI. mense Septembri.

CARTA PHILIPPI AUGUSTI REGIS pro episcopo Parisiensi.

De exactione non exigenda ab hominibus Parisiensis episcopi ultra summam sexaginta librarum.

NOtum, &c. quod nos inspeximus cartas patris nostri & nostram, in quibus continebatur, quod nos in hominibus episcopi Parisiensis extra Parisius non poteramus talliam accipere, vel exactionem facere, quæ excederet numerum LX. libras Pa- *Anno 1206. Ex ms. Colbertino.*

risienses, nec illam recipere poteramus, nisi statuto tempore & episcopo debitam. Quia vero vacante sede Parisiensi, defuncto bonæ memoriæ M. Parisiensi episcopo, in hominibus episcopi accepimus summam ducentarum & quadraginta librarum aut amplius ultra prædictas LX. libras, ad petitionem dilecti & fidelis consanguinei nostri ODONIS Parisiensis episcopi concessimus, quod quando regalia in manum nostram vel successorum nostrorum devenient, ea quæ nos aut ministeriales nostri accipiendo ultra prædictam summam LX. librarum facimus, nullum episcopo vel ecclesiæ Parisiensi possint in posterum inferre præjudicium aut gravamen, nec in hominibus episcopi Parisiensis extra Parisius, sicut scriptum est, nos vel successores nostri aliquid de cetero poterimus accipere vel requirere ultra prædictam summam LX. librarum pro tallia & exactione. Quod ut perpetuum, &c. Actum apud S. Germanum in Loia anno Domini MCCVII. regni vero XXVII. dapifero nullo. Signum GUIDONIS buticularii, S. MATTHÆI camerarii, S. DROGONIS constabularii. Data vacante cancellaria per manum fratris GARINI.

LITTERÆ ROBERTI Lingonensis episcopi & Arnaldi abbatis Cisterciensis de domo de *Morans* ab Adamo abbate & conventu sancti Benigni Divionensis, vendita comitissæ Campaniæ ad solvenda monasterii debita.

Anno 1207 Ex ms. reginæ Sueciæ ornit Mabillonius.

EGo ROBERTUS Dei gratia episcopus Lingonensis, & ego frater ARNALDUS abbas Cistercii notum facimus universis præsentibus & futuris, quod abbas ADAM & totus conventus ecclesiæ sancti Benigni Divionensis dederunt & concesserunt de assensu nostro, qui plenam habebamus auctoritatem apostolica potestate tam in capite quam in membris ecclesiæ sancti Benigni, super venditione possessionum suarum, ad solutionem debitorum ejusdem ecclesiæ faciendam, nobili dominæ BLANCHÆ illustri comitissæ Trecensi palatinæ domum de *Morans* cum omnibus tenementis & appendiciis suis, pro mille & septingentis libris Pruvinensibus & usuris earum, quæ concurrerant per XI. annos, & unaquæque libra tres denarios per hebdomadam lucrabatur in manu Vallini Judæi. Nos autem attendentes tantam esse paupertatem ecclesiæ quod alio competentiori modo, nec minus damnoso non posset memoratum debitum & lucrum solvi, hanc donationem ratam habemus, & auctoritate apostolica qua fungimur confirmamus. Actum mense Februario apud Divionem anno ab Incarnat. Domini MCCVII. (a) [*]

DIPLOMA PHILIPPI regis Francorum, pactum matrimonii inter Nivelonem filium Nivelonis marescalci, & Luciam filiam Girardi domini de *Squaiencort* approbantis.

Anno 1208. Ex autographo.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Amen. PHILIPPUS Dei gratia Francorum rex. Noverint universi præsentes pariter & futuri, quod sicut ex autentico roborato sigillo Girardi domini de *Squaiencort* & Nivelonis marescalli cognovimus, hæc est conventio super matrimonio inter Nivelonem filium dicti Nivelonis marescalli & Luciam filiam prædicti Girardi, scilicet quod ipse Girardus & Ydonea uxor sua contulerunt in matrimonio prædicto Niveloni quicquid habent apud *Chanle* cum ejus proventibus & pertinentiis, & quicquid habent apud *Miseri* & in ejus pertinentiis quæ pertinent ad ejusdem villæ districtum, & insuper quicquid habent apud *Moileins* cum omnibus ejus pertinentiis & proventibus, ita quod in universis jam dictis locis supradicto Girardo vel uxori suæ nihil remansit, & præter hæc contulerunt eidem Niveloni duos vavassatores quos habebant apud *Lyons*, scilicet Bernardum *Torel* & Radulphum *Bricart*. Prædictus autem Nivelo marescallus post mortem suam & Mariæ uxoris suæ contulit prætaxato Niveloni filio suo & jam dictæ Luciæ uxori ejus in matrimonio, quicquid habet apud *Chanle*, & apud *Fonches*, & apud Peronam cum omnibus eorum proventibus, & cum pratis *de Hale*. Si vero contingeret præfatum Nivelonem vel Luciam uxorem mori sine herede de carne sua, prædictæ hereditates ad rectos redirent heredes. Præter hæc autem quæ continebantur in prædicto autentico, Simo de Marcevilla miles in præsentia nostra constitutus, sæpedicto Niveloni & Luciæ uxori suæ donavit, & in perpetuum quittavit quicquid habebat apud *Chanle*. Nos vero ad petitionem prædictorum Girardi de *Squaiencort* & Nivelonis marescalli, sigilli nostri auctoritate & regii nominis karactere inferius annotato, prædictas conventiones salvo servitio nostro confirmamus.

Actum Meduntæ ab Incarnatione Domini MCC. octavo, regni vero nostri anno vicesimo nono, mense Februario, astantibus in palatio nostro quorum nomina supposita sunt & signa, dapifero nullo, S. GUIDONIS buticularii, S. BARTHOLOMÆI camerarii, S. DROGONIS constabularii. Data

(a) Domum *de Morans* sic emptam donavit Blancha Claravallensi monasterio in puram eleemosynam, quam Vvido abbas eidem anno 1208. reddidit pro vita duntaxat sua utendam.

vacante cancellaria per manum fratris GA- A RINI. (a)

BERTRANDI METENSIS & Hugonis Leodiensis episcoporum ordinationes pro Hasteriensi Walciodorensique monasteriis.

Anno 1208. Communicavit R. abbas Walciodorensis.

B. Dei gratia Metensis & H. eadem gratia Leodiensis episcopi, universitati fidelium has litteras intuentium, audire & credere quod testantur.

Ad tollendam a Walciodorensibus & Hasteriensibus monachis rixarum & discordiæ materiam, hæc ambo simul pro bono pacis ordinavimus ab ipsis observanda, habita prius consideratione, quod hæc ab eis bene posset ordinatio tolerari. Monachi quidem Hasterienses tam capitulo quam sigilli sui obtentu & puerorum nutrimento simul & doctrina gaudebunt, in majoribus autem solemnitatibus, excepta Paschali, abbatis habebunt præsentiam, ei tamquam patri ac domino in omnibus obedientes & subjecti, in festis vero Paschalibus in ecclesia Walciodorensi abbas esse, & in sigillo suo solum ejusdem ecclesiæ titulum habere tenebitur, in qua tamquam in principali ac præcipua semper erit abbatum electio facienda, Hasteriensibus monachis ad electionem vocatis. Auctoritate ergo communi hæc ambo decrevimus ab utraque partium observari. Actum apud Hoium VIII. idus Aprilis anno dominicæ Incarnationis MCCVIII. *E pergameno duplex appendet sigillum, unum effigiem Metensis, alterum Leodiensis episcoporum repræsentans.*

EPISTOLA PHILIPPI Augusti regis Francorum ad Innocentium papam III.

Declarat se nullam injuriam intulisse episcopo Cameracensi; nec adhærere Philippo imperatori adversus sedem apostolicam, sed posse fœdus inire cum adversariis Ottonis.

Anno 1208. Ex ms. Colbertino.

REverendo in Christo patri ac domino INNOCENTIO Dei gratia summo & universali pontifici, PHILIPPUS eadem gratia rex Francorum, salutem & tam debitam, quam devotam reverentiam.

Super eo quod nobis mandastis de episcopo Cameracensi, ut ei restitueremus ablata, & injurias emendari faceremus, quæ Cameracensi eidem gentes nostræ intulerunt, pro certo noverit vestra paternitas, quod nos de rebus ejusdem episcopi nihil aut gentes nostræ habuimus vel habemus, nec civitas Cameracensis de regno est, sed de imperio; neque nos debemus emendare facta illorum qui sunt de imperio, sicut nec nos vellemus quod ipsi emendarent facta illa quæ fiunt in regno nostro. Ad illud autem quod significastis, quia amorem vestrum relinquimus, & adhæsimus PHILIPPO regi Alemanniæ, noveritis indubitanter, quod dilectioni ejusdem Philippi contra vos non adhæremus, quamvis pluries super hoc fuerimus requisiti, nec adhuc in mente habemus, & Dominus ponat in corde vestro & in mente, quod nos ad hoc non inducatis, quod alicui contra vos adhærere debeamus. B Ceterum noveritis quod omnibus illis de jure confœderari possumus, qui regem OTHONEM inquietant & ei adversantur. Idem enim OTHO dum esset comes Pictaviæ, terram nostram & ecclesias terræ nostræ combussit & deprædatus est, nec postea nobis exinde satisfecit, neque nos treugam aut pacem post illa malefacta habuimus, & quando cum JOHANNE rege Angliæ pacem habuimus, ipsum a pace illa exclusimus. Unde mirari non debetis, si nos ipsum odio habebamus. Solus enim C Deus nobis potest inspirare, ut malefactores nostros diligamus. Ad illud autem quod nobis mandastis, quod episcopum Cameracensem odio habemus, vobis respondemus, quod nos nullum sacerdotem odio habemus, nec alicui sacerdoti malum faceremus, maxime illi qui est episcopus & sacerdos.

CARTA PHILIPPI AUGUSTI REGIS de regalibus Nivernensibus.

Anno 1208. Ex ms. Colbertino.

PHILIPPUS rex, &c. Notum, &c. quod D nos dilecto & fideli nostro W. Nivernensi episcopo totum jus illud quod habebam in regalibus Nivernensibus, concedimus & quittamus in perpetuum ipsi & successoribus suis, & donationem insuper præbendarum: ita quod sede vacante nihil de mobilibus vel de immobilibus per nos vel alium capiemus in domibus episcopi, necnon in castellis aut villis ejusdem; nec in hominibus regalium, vel in rebus eorumdem, neque in prædictis regalibus aliquod prorsus retinemus præter exercitum & pro- E curationes, sicut nos & prædecessores nostri ea solent & debent habere. Concedimus etiam, ut vacante ea sede, regalia sint in manu decani & capituli Nivernensis, ut tam ea quam præbendæ seu dignitates, si quæ interim vacaverint, ad opus futuri episcopi salvæ & integræ reserventur. Quod ut perpetuæ stabilitatis robur, &c. Actum apud Fontem-bleaudum anno Domini MCCVIII. regni vero nostri anno XXX. astantibus, &c. Data vacante cancellaria.

(a) Hospitalis Hierosolymitani professi, qui postea fuit episcopus Silvanectensis, & cancellarius, laudatus a Rigordo in vita Philippi augusti.

INQUISITIO FACTA de regalia ecclesiæ Rotomagensis.

Ex ms. Colbertino

JOHANNES de Pratellis, Richardus *de Tui*, Richardus de *Villaquier*, Robertus de *Fresquetres*, Guillelmus de Vinario, Ragin. de Petravilla, Robertus de Gilliolo, Gaufridus de Mesvilio, Gauterius de sancto Johanne, Guillelmus *Pantol*, Gilebertus de Remenfrevilla, Adam de *Maretot*, Richardus *de Sahors*, Guillelmus de Riparia milites jurati dixerunt, quod mortuo ROTRODO [a] Rotomagensi archiepiscopo, rex HENRICUS cepit regalia in manu sua, & posuit custodes suos ad custodienda ea. Cum autem GAUTERIUS de Constantia, qui erat familiaris domini regis in archiepiscopum promoveretur, rex reddidit ea illi: Sed dixerunt se nescire utrum amore reddiderit ei, vel de jure, vel aliquo alio modo. De electione dicunt se vidisse ROTRODUM & GALTERIUM de Constantia recipi in archiepiscopatum Rothomagi ad preces & ad voluntatem regis HENRICI. Cum archiepiscopus ROTRODUS mortuus esset, orta est lis & contentio inter regem & capitulum: ita quod capitulum elegit ROBERTUM DE NOVO-BURGO & alios suos de capitulo suo, volentes quod R. de Novo-burgo esset archiepiscopus. Rex vero timens ne iret contra suam voluntatem, noluit hoc sustinere, & elegit GALTERIUM de Constantia, & duos alios episcopos de Anglia, volens quod idem Galterius esset episcopus. Capitulum vero pro posse suo regi contradixit. Tandem canonici videntes regem turbatum, interrogaverunt eum, utrum hoc fieri vellet de jure regio, vel precibus. Rex vero dixit: volo & precor ut ita fiat. Capitulum vero acquiescens voluntati regis, receperunt eumdem GALTERUM & constituerunt archiepiscopum. De donatione autem præbendarum dicunt se nescire utrum rex debeat eas dare vel capitulum, nec sunt memores se vidisse regem dedisse præbendam ibi. Item Henricus *Vvaspal*, Clarembaldus Ruffus, Robertus Belli-filius, Rad. *Groiguiz*, Robertus filius Guidonis cives Rothomagi dixerunt idem quod milites de regalibus. Guillelmus de Offrevillis, Clarembaldus Ruffus addiderunt dicentes, quod Willelmus Mara jussu senescalli Normanniæ cepit in manu sua Balenvillam ad opus regis, & dedit eam dicto Clarembaldo ad firmam: unde contigit quod canonici Rothomagi receperunt a dicto Guillelmo de Mara centum solidos quos percipere solebant ab archiepiscopo Rotomagi annuatim ad terminos. Robertus de Casteneio & Ancelinus *Dinebaut* & Renoldus *le Brumen* dicunt idem de regalibus quod supradicti milites. Omnes vero isti dicunt de electione & donatione præbendarum sicut alii prædicti. Gilebertus *Belet* major de Andeliaeo, Jocelinus de *Corni*, Robertus *Rabot*, Ingerrannus de Martona, Guillelmus de Bernayo, Hugo *de Anesies*, Osmundus de Barra, Radulfus Agnetis burgenses de villa jurati dixerunt, quod mortuo ROTRODO Rotomagi archiepiscopo, Guillelmus de Mara ex parte regis cepit forestam in manu sua, & omnia quæ archiepiscopus habebat apud Andeliacum, & posuit custodes suos in eis. De electione dicunt idem quod milites, de donatione præbendarum nesciunt. Abbas Fiscanni dixit super sacramentum suum, quod fecit domino regi, quod mortuo archiepiscopo ROTRODO, vidit quod rex HENRICUS habuit regalia Rotomagi in manu sua, usque dum archiepiscopus ibi fuit constitutus, & tunc archiepiscopus recepit regalia de manu regis. Richardus Silvanectensis miles juratus dixit idem. De donatione autem præbendarum, dicit quod credit quod si præbenda vacaret, vacante sede, donatio spectaret ad regem, sicut aliorum episcopatuum. Abbas Cadomi super sacramentum suum dixit, quod vidit quando archiepiscopus ROTRODUS mortuus fuit, quod Guillelmus de Mala * plaude tunc vicecomes Rotomagi cepit in manu sua Andeliacum cum pertinentiis suis, & omnia regalia tam apud Rotomagum quam alibi, & Willelmus Rad. tunc senescallus Normanniæ tradidit illa omnia custodienda ex parte regis quibus voluit, sine contradictione, & vacavit sedes per XIIII. menses, & si præbenda vel personatus tunc vacavit, excepto decanatu, rex contulit quibus voluit. Episcopus Abrincensis dixit, quod vidit Guillelmum de Mara militem, & Robertum archidiaconum *de Notingen* filium senescalli Normanniæ custodientes regalia Rotomagi ex parte regis, & compotum inde reddentes ad scaccarium. Durandus *Bolet* juratus dixit, quod vidit quando ROTRODUS archiepiscopus migravit a sæculo, quod Guillelmus de Mara miles ex parte regis venit Andeliacum, & omnes reditus, qui ad prædictam villam spectabant in omnibus saisivit, & diu servavit. Aliquando Petrus *Bouic* cantor Rotomagi veniebat Andeliacum, & moram faciebat cum prædicto milite; sed ipse nescit an cantor ibi erat ex parte regis vel capituli. De donatione præbendarum & electione archiepiscopi nihil scit. De firmis segetum audivit pluries dicere quod GUILLELMUS comes illas fecit deferri in castrum Gisortii, & nummos quos de segetibus habuit in valle Rodolii habuit, sed nescit cui.

* paludе.

[a] Obiit secundum Albericum anno 1183. septimo calendas Decembris.

DE FOAGIO NORMANNIÆ.

Ex ms. Colbertino.

FOagium capiendum est in Normannia in tertio anno : ita videlicet quod duo anni præmittuntur sine foagio, & in tertio anno capitur. Tali autem modo accipitur, de unaquaque villa secundum hoc quod villa est, submonentur quatuor homines vel sex, vel plures, si opus est, & illi submoniti jurant quod fideliter colligent foagium, videlicet de quolibet foco XII. denarios; & si in eadem domo manserint quatuor homines, vel plures sive pauciores, de quibus unusquisque vivat de suo proprio & habeat de catallo XX. solidos aut amplius, quilibet eorum reddit foagium. Vidua etiam si habeat de mobili quadraginta solidos aut amplius dat foagium ; si non habet quadraginta solidos, non reddit. De foagio autem quiti sunt omnes presbyteri & diaconi, & milites, & omnes personæ quæ habent ecclesias : molendinarii etiam & furnarii episcoporum & abbatum, & baronum & omnium militum, qui deserviunt dominis suis per membrum loricæ exinde quiti sunt. Et præterea quilibet episcopus & abbas & baro habet septem servientes quoscumque voluerit quitos a foagio. Sciendum est etiam quod duo ex juratoribus de singulis villis afferent ad ballivos regis foagium, & illi duo habebunt XII. denarios de quitantia de foagio suo pro illis afferendis. Illi autem ipsi colligent foagium de hominibus Templariorum & Hospitaliorum & similiter afferent ad ballivos regis, & per manum ballivorum reddetur ad scacarium Templariis & Hospitalariis. Sciendum vero quod hæ terræ quitæ sunt de foagio : videlicet totum feodum Britolii quicumque illud teneat, & Vallis-Moritolii usque ad Petras Albas, usque ad Doet-herberti, & & tota terra de Passais & Alenconii & Alenconesium usque ad Pissotum Eraudi, & *Molins*, & *Pons-Molins*, & terra ad ea pertinens, & castrum de *Aumenesche* in ballia de *Argenton*. In civitate Lexoviensi capietur foagium per manum episcopi Lexoviensis, & extra civitatem ut alibi capietur.

CAPITULA
de interceptionibus clericorum adversus jurisdictionem domini regis.

Ex ms. Colbertino.

PRIMUM CAPITULUM est quod clerici trahunt causam feodorum in curiam Christianitatis, propter hoc quod dicunt quod fiduciæ vel juramentum fuerunt inter eos in quos causa vertitur, & propter hanc occasionem perdunt domini justitiam feodorum suorum.

A RESPONSIO. In hoc concordati sunt rex & barones, quod bene volunt, quod ipsi cognoscant de perjurio & transgressione fidei ; sed nolunt quod cognoscant de feodo, & si convictus fuerit de perjurio, vel de transgressione fidei, injungant ei pœnitentiam ; sed propter hoc non amittat dominus feodi justitiam feodi, nec propter hoc se capient ad feodum. Præterea volunt rex & barones, quod vidua possit conqueri regi vel ecclesiæ, si voluerit, de dotalitio suo, si non moveat de feodo, & si conquesta fuerit ecclesiæ, & ille a quo petit B dotalitium dicat, quod respondebit coram domino, de quo feodum movet ; ecclesia potest cogere ipsum ad respondendum, & decidere causam inter eos de jure.

SECUNDUM CAPITULUM. Quando clericus capitur pro aliquo forisfacto unde aliquis debet vitam vel membrum perdere, & traditur clero ad degradandum, clerici volunt eum degradatum omnino liberare. Ad quod respondetur, quod clerici non debent eum degradatum reddere curiæ ; sed non debent eum liberare, neque ponere in tali loco ubi capi non possit ; sed justitiarii C possunt illum capere extra ecclesiam vel cimiterium, & facere justitiam de eo, nec inde possunt trahi in causam.

De decimis ita statutum est, quod decimæ reddantur, sicut hactenus redditæ fuerunt, & sicut debent reddi.

QUARTUM CAPITULUM EST. Quod nullus burgensis vel villanus potest filio suo clerico medietatem terræ suæ, vel plus quam medietatem donare, si habuerit filium vel filios, & si dederit ei partem terræ citra medietatem, clericus debet reddere tale servitium & auxilium, quale terra debebat dominis quibus debebatur, sed non D poterit talliari, nisi fuerit usurarius vel mercator ; & post decessum terra redibit ad proximos parentes, & nullus clericus potest emere terram, quin reddat domino terræ tale servitium quale terra debet.

QUINTUM. Quod episcopi vel archiepiscopi non debent requirere a burgensibus vel ab aliis terræ quod numquam præstaverint ad usuram, neque præstabunt.

Si clericus deprehensus fuerit in raptu, E tradetur ecclesiæ ad degradandum, & post degradationem poterit eum capere rex vel justitiarius extra ecclesiam vel atrium, & facere justitiam de eo, nec poterit inde causari.

Si clericus aliquem traxerit in causam super aliqua possessione de qua numquam fuit tenens, non debet eum trahere in causam Christianitatis, sed in curia domini ad quem spectat justitia, nisi ratione fundi terræ ad Chistianitatem spectet justitia.

Item, clerici non debent excommunica-

re eos qui vendunt blada vel alias merces diebus dominicis, neque illos qui vendunt Judæis, vel emunt ab illis, vel qui opera illorum faciunt; sed bene volunt, quod nutrices Judæorum excommunicent.

Item, super eo quod quando aliquis de voluntate sua mittit se in carcerem regis vel alterius ubi rex vel alius habet capitale, sive vitam vel membrum perdere, ut redimatur, vel quando rex vel aliquis alius capit aliquem pro redimendo sive vitam vel membrum perdere, & evadit de carcere, & fugit ad ecclesiam, & ecclesia vult eum liberare & auferre domino redemtionem. RESPONDENT quod ex quo aliquis de voluntate sua mittit se in carcerem alicujus ut redimatur, vel quando aliquis capitur pro catallo, sive membrum aut vitam perdere, ecclesia non debet domino auferre catallum, vel redemtionem suam, neque illum liberare, si fugerit ad ecclesiam; sed potest custodiri extra ecclesiam & extra atrium, nec custodes ex hoc possunt causari de jure.

Item, clerici non possunt de jure excommunicare aliquem propter forisfactum servientis sui, neque interdicere terram ejus, priusquam dominus fuerit super hoc requisitus vel dominus ballivus, si dominus fuerit *forpaisez*.

Item, si aliquis scienter vel ignoranter forisfecerit ecclesiæ, non debet excommunicari vel ejus terra interdici, donec super hoc fuerit requisitus, vel ballivus ejus, si dominus fuerit extra patriam.

Item, quando aliquis citatur coram ecclesiastico judice, & judices compellunt eum in prima citatione jurare quod stabit juri, quamvis de jure non defecerit, vel quamvis non sit excommunicatus. RESPONDETUR quod hoc non debet fieri.

Item, super hoc quod quando clerici aliquem trahunt in causam de servitute, & ille dicit se esse servum alterius, volunt quod ille respondeat in curia eorum, quamvis dicat se non esse servum illorum, & cogunt ipsum ad respondendum coram ipsis per excommunicationem, vel ipsos excommunicant, qui ipsum manu tenent. Ad quod respondemus, quod ille respondere debet in curia illius, cujus se esse servum profitetur. (a)

(a) In ms. sequitur constitutio Guillelmi regis Angliæ super Normanniam, hoc est concilium apud Lillebonam editum a Labbeo, unde suspicor hoc in folio contenta respicere Normanniam.

EPISTOLA HENRICI de Soliaco ad Philippum Augustum regem Francorum.

Declarat se paratum esse ad omnia ejus obsequia.

Ex ms. Colbertino.

ILlustrissimo domino suo PHILIPPO Dei gratia Francorum regi, HENRICUS de Soliaco salutem & paratum ad omnia famulatum.

Noveritis, mi domine, quod super hoc quod vobis mandavi per dominum Guillelmum de Calviniaco ad posse meum vestram sum paratus penitus facere voluntatem. Paratus sum etiam solvere nummos quos mercatores perdiderunt in terra mea. Super turre quam fieri fecistis apud Soliacum ad voluntatem vestram illud paratus sum persolvere quod constabit ad terminos quos nobis placuerit assignare. Et vobis computare placeat proventus quos habuistis de terra mea. Insuper paratus sum, quod, sicut vobis placuerit, homo vester ero. Paratus sum insuper vos securum facere usque ad quinquaginta marchas argenti vel amplius, si vobis placuerit, quod bene & fideliter vobis serviam, & de his supradictis vos securum faciam per comitem Nivernensem, per comitem Joviniaci Galcherum de Joviniaco, Archembaldum de *Borbon*, Guillelmum de Melloto, Drochonem de Melloto, Johannem de Artiis, Gaucherum *de Bar*, Milonem *de Noers*, dominam de *Trienel*, Hugonem de Verano, Guillelmum de Calviniaco, Herveum de Virsone, Ren. de Monte Falconis, Odonem *de Clins*, Ebonem de Castro-Melant, Amalricum *de Creon*, Gaufridum *de Pruilli*, Johannem *de Montigni*, Johannem *de Aurel*. Gibant de *Antri*, Petrum *de Livron*, Petrum *de Charenton* & per Stephanum de S. Palladio, & Robertum *de Boniez*.

CARTA REGIS PHILIPPI

Super donatione præbendarum Cæsaris-Burgi facta ecclesiæ Constantiensi.

Anno 1109. Ex ms. Colbertino.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Amen. PHILIPPUS Dei gratia Francorum rex. Noverint universi præsentes pariter & futuri, nos divinæ pietatis intuitu, & in compensatione damnorum quæ passa est ecclesia Constantiensis pro nobis, concessisse & donasse dilecto & fideli nostro HUGONI Constantiensi episcopo & successoribus ejus in puram & perpetuam eleemosynam omnes præbendas Cæsaris-burgi cum pertinentiis suis in augmentum ecclesiæ Constantiensis, salvo jure eorum qui possident: ita quod ipsis cedentibus vel decedentibus, idem

episcopus vel successores ejus earumdem A præbendarum liberam & plenariam habeant ordinationem, tamquam veri domini & patroni, salvo etiam quod possimus custodire fortelitiam nostram ad securitatem regni nostri & castri. Quod ut perpetuum robur obtineat, sigilli nostri auctoritate & regii nominis caractere inferius annotato præsentem paginam roboramus. Actum apud Gisortium, anno ab incarnatione Domini MCCIX. regni vero nostri anno XXX. astantibus in palatio nostro quorum nomina supposita sunt & signa, dapifero nullo, &c.

B

CARTA PHILIPPI AUGUSTI regis.

De regalibus Matisconensibus.

Anno 1209. Ex ms. Colbertino.

PHILIPPUS Dei gratia rex, &c. Noverint, &c. quod nos dilecto & fideli nostro PONTIO Matisconensi episcopo & successoribus ejus in perpetuum concedimus & quittamus quicquid juris habebamus in regalibus Matisconensibus, ita quod vacante sede nihil de mobilibus vel immobilibus per nos vel per alium capiemus in domibus episcopi, nec in villis aut castellis ejusdem, neque in hominibus regalium, neque in rebus eorumdem: nec in prædictis regalibus aliquid prorsus retinemus, præter procurationes nostras, sicut antecessores nostri eas solent & debent habere: exercitus etiam in prædictis regalibus non simpliciter, sed tantum hoc modo retinemus: si nos, vel filius noster, vel marescallus, vel senescallus, vel constabularius Franciæ de mandato nostro versus partes illas duceret, dictus Matisconensis episcopus usque Divionem & non ultra in nostrum exercitum cum armis & militibus venire teneretur. Concedimus etiam quod vacante eadem sede regalia sint in manu decani & capituli Matisconensis, ut ea ad opus futuri episcopi salva & integre conserventur. Ne autem propter locorum distantiam aliquod Matisconensi ecclesiæ damnum vel periculum immineret, si canonici mortuo episcopo suo eligere non possent, nisi prius a nobis peterent licentiam eligendi; volumus & concedimus, ut dicti canonici libere eligant, non petita a nobis licentia eligendi. Electus vero quando confirmatus fuerit, ad nos venire debet, facta nobis fidelitate, de manu nostra regalia recepturus. Hoc autem totum volumus esse ratum, non obstantibus litteris, si quas nobis dicti episcopi & capitulum Matisconense post electionem ipsius episcopi tradiderunt. Præsentibus enim litteris per alias litteras prius obtentas nullum volumus præjudicium generari. Quod ut, &c. Actum Parisius, anno Domini MCCIX. regni vero nostri XXX.

CONVENTIO inter Philippum Augustum regem, & Savaricum de Malo-Leone.

NOtum, &c. quod hæ sunt conventiones inter nos & Savaricum de Malo-Leone, quod ipse infra instans Natale Domini debet esse noster homo ligius contra omnes homines qui possunt vivere & mori, & facere bonum servitium & fidele contra JOHANNEM regem Anglorum, & contra omnes homines qui possunt vivere & mori, & nos juvare fideliter de tota terra sua, & de hoc dedit nobis plegios, comitem marchiæ de M. libris, comitem Augi de M. libris, Gaufridum de Lezignano de M. libris, Hugonem *de Beaucai* de M. libris, Willelmum de Malo-Leone de M. libris. Nos autem eidem Savarico in conventione habemus, quod nos ab instante decollatione S. Johannis Baptistæ usque ad instans festum S. Martini, ipsum juvabimus de liberatione centum militum & centum servientium equitum, quorum liberatio erit pro singulis militibus per diem VI. solidos Parisienses, & tali modo, quod si nos illuc milites mitteremus, pro singulis militibus sex solidi per diem de liberatione illa quamdiu ibi essent. Concedimus etiam eidem Savarico, quod si Rupella capi poterit, erit ipsius propria, & ipsam de nobis tenebit. Similiter eidem concedimus *Coignac*, si capi poterit, & *Banaon* cum pertinentiis suis: ita quod ea de nobis teneat. Insuper creantavimus eidem Savarico, quod nec cum Johanne rege Angliæ, nec cum vicecomite Toarchii, nec cum Hugone de Toarcio, nec cum Ren. de Pontibus, sine eodem Savarico pacem faciemus. Actum apud S. Germanum in Loia, &c. * Ex ms. Colbertino.

C

D

CARTA GUIDONIS COMITIS Claromontensis.

De dotalicio Petronillæ de Chambon uxoris suæ.

NOscant præsentes & posteri, quod ego GUIDO comes Clarimontis versus partes Albigenses volens ire contra hæreticos, dedi & concessi PETRONILLÆ dominæ Chamboni uxori meæ comitissæ Claromontis in dotalitio, scilicet Buillonium cum pertinentiis, & *Leex* cum pertinentiis, & Jusartum cum pertinentiis, & *Buisserol* cum pertinentiis, & *Albuaxie* cum pertinentiis, & *Pontinoe*, & Varones, scilicet duas villas, & Villam-novam, & *Claecompde* cum pertinentiis, & villam de *Lesunatres* & *Barromac* & *Foiac* & sanctum *Laure*, & Mascium, & sanctum Bautirum cum pertinentiis, Anno 1209. Ex ms. Colbertino.

E

nentiis, & *Telere* cum pertinentiis suis, & A Teillondum & *Lesnaux de Theillond* & Amaiardum cum pertinentiis, & *Combrode* cum pertinentiis suis, & Castrum-Guidonis, & Sanctum Gervasium cum pertinentiis, & apud Nanciacum *Lesmiades* & *Lesagrums* annuatim reddendas, & vallum quod est subtus vicum. Et ut hoc firmius habeatur, GUILLELMUS primogenitus meus concessit præfatæ comitissæ matri suæ, & eidem se sacramento obligavit, ut pro posse suo defenderet & servaret sine omni calumnia ex parte ipsius ventura, quamdiu ipsa tenere voluerit terram memoratam, & si forte fuerit ei divinitus inspiratum quod assumat habitum religionis, tam ego quam B primogenitus meus concessimus, quatenus c. libras Claromontenses & tria millia solidorum Giemensis monetæ, qui terram prædictam possidebit, persolvat eidem comitissæ annuatim dum vixerit. Et præterea concessimus ei quod pro salute animæ suæ & pro nostra & parentum nostrorum, xx. libras Claromontenses, & xxx. libras Giemenses debilitatis in eleemosynam distribuere possit ubicumque vellet. Hoc & concessimus ut quicquid infra nostri comitatus C vel in terra de Combralia de suo proprio emerit vel acquisierit in eleemosynam possit dare ubi placuerit. Hæc vero antedictus GUILLELMUS juramento firmavit, & ego præsentem cartam cum sigillo meo & eorum hominibus, qui cum hæc fierent astiterunt, confirmavi, & quorum nomina sunt subarrata, scilicet ÆGIDIUS abbas de *Albrohot*, capellanus de Wacas, Samson magister Hospitalis in Alvernia constitutus. S. capellanus dictæ comitissæ, J. Charr. capellanus de *Morriloc*, Rad. *de Velay*, Brochardus de Vicaro, Rogerius *Gonos*, Hugo prior S. Andreæ, P. Bress. sacrista de D *Albochot*, & plures alii. Actum apud Mercurum anno Domini MCCIX. VI. calendas Maii.

VALOR DOTALITII comitissæ.

HUGO Ravellus juratus dixit quod *Buillon* cum pertinentiis valet XC. libras Claromontenses reditus, & tenet illum Guillelmus de *Marcuel* miles, & *Ghatane de Copes* miles tenet *Virsac*, quod est de castellania dictæ villæ. Item *de Loex* dixit E per sacramentum quod valet L. libras, & tenet illum episcopus Claromontanus. Item *de Buisseroles* dixit quod valet C. libras, & Petrus *Dras* tenet.

Guido niger de Combrondis juratus dixit quod quando dominus rex assedit *Combrond.* cum pertinentiis Stephano *Contour*, eidem assedit pro C. libris & modo valet LXXX. libras.

Ombraudus miles castellanus *Turnolle* juratus dixit quod Castrum-Guidoni, & *Pomoter* & Varenna cum pertinentiis valet LX libras, & tenet dominus rex.

Giraudus *Corbivay* juratus dixit, quod Villa-nova, & Masciacum & *Saunac* assessæ fuerunt Radulfo Bochardo militi pro XX. libris.

Stephanus Girus juratus dixit, quod sanctus Bamiris valet LXXX. libras, & dominus rex tenet. J. *de Glenet.* can. juratus dixit, quod *Celeres* cum pertinentiis valet LX. libras, & tenet comitissa Montis-fortis. Item dixit Guido niger de *Telede*, & de *Vaux*, quod valet LXX. libras & tenet Stephanus *Conteur* miles. Hoc idem juraverunt Bonus Celer & Bernardus Celer de *Telede* & de *Vaux*.

Honellus clericus juratus dixit, quod S. Gervasius cum pertinentiis valet LXX. libras, & omnes isti dixerunt quod *Lesurvades* & Liagium valet XXX. modios vini, & decem libras. Sunt DXXXV. libræ.

CARTA LUDOVICI PHILIPPI regis primogeniti.

De tenendis Pissiaco & Loriaco, quamdiu dominus rex voluerit.

Anno 1209. Ex ms. Colbertino.

EGO LUDOVICUS domini regis Franciæ primogenitus, notum facio universis præsentibus pariter & futuris, quod carissimus genitor noster PHILIPPUS rex Franciæ tradidit nobis, quamdiu ipsi placuerit, reditus suos Pissiaci, Lorriaci, Castri-Nantonis, Faiaci, Vitriaci in Legio, & Bosci communis, & omnia herbagia sua, quæ habet in prædictis villis cum piscatariis earum pro formanda expensa nostra & uxoris nostræ tali modo, quod non poterimus boscum vendere, neque prisiam aut talliam in eis facere, neque hominagia recipere: ita etiam quod dominus rex genitor noster omnia prædicta, quandocumque voluerit, poterit capere in manu sua. Juravimus autem quod non ibimus ad torneamenta: ita quod ea quæramus, nisi forte aliquod fuerit prope nos, ad quod poterimus ire ad videndum, neque feremus ibidem arma sicut miles: sed induti haubergeolo & capello ferreo poterimus illa videre. Præterea juravimus quod nullam vim faciemus burgensibus vel catallis vel communiis domini regis tradendi mutuum nobis vel accipiendi res eorum sine mandato domini regis. Juravimus etiam quod nullum militem vel servientem qui habeat officium in manu nostra retinebimus, quin juret fidelitatem domino regi; & si sciremus damna ejus vel malum, diceremus eidem & disturbaremus pro posse nostro. Actum Compendii, anno Domini MCCIX. mense Maio.

CARTA BERTRANDI de Saga & sociorum ejus.

De destructione murorum Aristost.

Anno 1209. Ex ms. Colbertino.

NOtum sit cunctis quod nos insimul Bertrandus de Saga, Bernardus de *Aragal*, & Petrus Raymundi, & Bernardus Ermengaudi convenimus tibi Arnaldo de Castro-bono, & tuis in bona fide, & sine vestro vestrorumque damno atque inganno, ut usque ad terminum quod Arnaldus de Saga convenit muros de *Aristost* destruere, & valla rasare, tunc nos faciemus destruere ipsum bastimentum quod super ecclesia de *Aristot* noviter est ædificatum, de fusto videlicet & petra, & ut magis sit firmum, ego Bertrandus de Saga convenio tibi A. de Castro-bono in bona fide, sicut bono & fideli amico atque consanguineo, in bona amicitia, quod procul dubio, ita tibi, ut dictum est, plenarie attendam: quod si non ita tibi attendero, licitum sit tibi in omni curia me raptare. Et ego Bernardus de *Aragal* convenio tibi A. de Castro-bono domino meo, quod hoc quod superius dictum est, attendam: sin autem in omni curia possis me raptare, & pro majori firmitate, nos omnes jam dicti convenimus tibi A. de Castro-bono præfato, quod hoc prædictum ita attendere faciemus; quod nisi fecerimus, dabimus tibi pignora de CCC. morabatinis boni auri & justi ponderis. Actum est hoc IV. calendas Julii, anno Domini MCCIX. Sig†num Bertrandi de Saga, Sig†num B. de *Aragal*, Sig†num B. Raimundi, Sig†num B. Ermengaudi, qui hoc laudamus & firmamus. R. *de Vilamur*, Sig†num B. de Castro Arnaldi, Sig†num R. de Karomenit. Guillelmus monachus qui hoc scripsit die & anno quo supra.

CHIROGRAPHUM

De concordia inter Blancham Campaniæ comitissam, & Simonem dominum de *Passavant*, super villa de Musterolio.

Anno 1209 Ex ms. reginæ Sueciæ eruit Mabillonius.

NOverint universi præsentis Chirographi inspectores, quod cum inter mulierem nobilem BLANCHAM comitissam Campaniæ ex una parte, & SIMONEM dominum de *Passavant* ex altera, super villa quæ dicitur Montigniacum discordia verteretur, tandem pax & concordia inter eos facta est in hunc modum, videlicet quod prædictus SIMON & WISCARDUS frater ejus quittaverunt dictæ comitissæ & heredibus suis dominis Campaniæ in perpetuum quicquid juris habebant in præfata villa de Musterolio; verum de omni finagio Musterolii fecit idem Simon homagium comitissæ eo modo; quo Wiscardus pater ejus fecit comiti HENRICO patri. Comitissa autem dedit ei ducentas libras pro Musterolio firmando, quas Odo de Granciaco debet tenere in manu sua, donec Simon expendat illas ad firmitatem Musterolii faciendam. Juravit siquidem dictus Simon quod Musterolium bona fide pro posse suo firmabit, & quod illud reddet comitissæ & successoribus suis vel mandato eorum ad magnam vim & parvam, quandocumque opus fuerit. Comitissa vero jurari fecit super animam suam, quod ipsa & successores sui domini Campaniæ infra quadraginta dies, postquam ab (a) essonio suo fuerint expediti, reddet Simoni vel heredibus suis Musteriolum in eo statu, in quo eos illud constiterit accepisse. Si quis vero contradixerit, ne Musterolium firmetur, & per vim operarios amoverit, si Simon ad vim illam repellendam indiguerit auxilio comitissæ, requiret auxilium illius, & si comitissa non fuerit requisita de eo juvando, cumque non juvaret infra XL. dies postquam ab ipso fuerit requisita, ex tunc Simon habebit prædictas ducentas libras sine aliqua contradictione. Ut autem hæc omnia nota permaneant & rata teneantur, ego GUILLELMUS Dei gratia Lingonensis electus, ego BLANCHA comitissa Trecensis Palatina, & ego SIMON de *Passavant* utramque partem præsentis chirographi sigillorum nostrorum munimine voluimus roborari. Actum anno gratiæ MCCIX. mense Julio.

HOMINIUM GUILLELMO episcopo Avenionensi pro castro Barbentana a consulibus ejusdem castri exhibitum.

Anno 1209 Ex archivio ecclesiæ Avenionensis.

NOtum sit omnibus præsentibus & futuris, quod anno dominicæ Incarnationis MCCVIIII. mense Augusto, scilicet III. nonas ejusdem mensis, regnante OTTONE Romanorum imperatore, primo anno imperii sui, existentibus in civitate Avenionensi consulibus Petro *de Soz*, Pontio Augerio, Ugone Bremundo, Bertrando de Avinione, Petro de S. Michaële, Willelmo Cavallerio, Petro Rosta, & Raimundo Fulquerio, & Judice Isnardo Aldegario, cum domnus GUILLELMUS Avenionensis episcopus de novo consecratus ad castrum Barbentanæ venisset, & in ipso castro sicut dominus cum magno honore & reverentia solemniter receptus fuisset, convenit dominos milites & homines ejusdem castri, & habito cum eis colloquio super hiis quæ ecclesia & episcopus Avenionensis in prædicto castro Berbentanæ & in ejusdem castri

(a) Essonium impedimentum significat propter quod aliquis excusatur ab aliquo promisso.

pertinentiis & tenemento habebat jure dominii, vel habere debebat, licet evidenter constaret, inter cetera tamen reduxit eis ad memoriam, quod dominus ILDEFONSUS comes Provinciæ, domni Ildefonsi regis Aragonum quondam filius, dominium & jus totum, quod in ipso castro Berbentanæ & in ejusdem castri pertinentiis, eo quod in comitatu suo esset, vel alia quacumque ratione habebat vel habere poterat, cavalcata excepta, totum domno ROSTAGNO Avenionensi episcopo, prædicti domni GUILLELMI episcopi prædecessori, & per eum ecclesiæ Avenionensi jam donavit, & perpetuo habendum & possidendum concessit, & quod tempore sequenti post prædictam donationem a præfato comite factam, præmemoratus Rostagnus episcopus Berbentanam venit, & sicut dominus ipsum castrum a dominis ejusdem castri sibi traditum & recognitum accepit, & ad ipsius rei memoriam vexillum suum in cacumine turris apponi mandavit, & quantum ei placuit ibi teneri fecit a dominis omnibus ipsius castri qui præsentes aderant, hominio sibi facto, & ab eisdem sacramento præstito, ut vitam & membra custodirent ei & servarent, & pro guerra & pro placito munitiones suas ejusdem castri ei & ecclesiæ redderent, & fideles ei semper existerent, & contra omnes homines in guerra & in placito eum juvarent contra quoscumque, tamen ipse dominus episcopus cognosceret eos hoc posse facere vel debere recordari. Præterea domnus W. episcopus non prætermisit Rostagnum episcopum præmemoratum jam emisse & ecclesiæ Avenionensi sibi & suis successoribus juste acquisisse portorium & jus totum quod Guillelmus de Berbentana frater quondam Rostagni & Petri Ugonis in castro Berbentanæ villæ & tenemento intus & extra habuit, vel habere debuit. Hæc autem supra memorata sicut domnus W. episcopus dixit dominis militibus & aliis hominibus castri Berbentanæ, qui præsentes affuerunt, omnia vera esse confitentibus, & quidquid in ipso castro intus & extra habebant nomine ecclesiæ & episcopi Avenionensis se habere recognoscentibus, Gaufredus de Berbentana, & Petrus Ugo frater ejus, & Raimundus de Bulbone, & Petrus Albericus rector liberorum Rostagni de Berbentana, nomine ipsorum liberorum, ut quamdiu tamen tutelam gereret, sic servaret, hominium domino W. episcopo stipulanti fecerunt, & vita & membra ei se custodire & fidelitatem servare, & contra omnes homines contra quos hoc posse facere vel debere domnus episcopus cognosceret, in guerra & in placito opem & auxilium ei & ecclesiæ conferre, bona fide & sine dolo promiserunt, & super sacra evangelia juraverunt, & liberos suos & successores episcopo & episcopis Avenionensis ecclesiæ eodem modo semper debere facere recognoverunt. Actum est hoc apud Barbentanam in camera turris in præsentia Pontii Augerii & Remundi Fulquerii consulum, & Isnardi Aldegarii judicis. Testes alii interfuerunt, W. de Costa, & Bertrandus Ugo canonici, Bertrandus de Aquis, Petrus Guillelmus Malvicinus, W. *de Sez*, W. Malvicinus, Isnardus Augerius, Petrus Rostagnus, B. de Salva-terra, Laugerius *de Cedar*, Petrus Rancurellus, Bt. de Meseo, Aga Escaoius, Bt. Barbarinus, P. Ricanus, & Raimundus Ricanus frater ejus, Bt. *de Causidas*.

CARTA CONVENTIONUM domini regis & comitissæ Campaniæ.

Anno 1209. *Ex inst. Colbertino.*

EGo comitissa B. Trecensis Palatina, notum facio universis præsentes litteras inspecturis, quod hæ sunt conventiones, inter dominum meum PHILIPPUM regem Francorum illustrem, scilicet quod ipse Th. filium meum tenebit ab instanti festo purificationis B. Mariæ usque ad quatuor annos, & ex tunc inantea habebo dictum filium meum quandocumque voluero. Dominus autem rex tenebit Braium & Musterolium, sicut modò tenet, & per eas conventiones quibus nunc tenet, usquedum THEOBALDUS filius meus habeat viginti & unum annum, & insuper securitatem baronum & civitatum, castrorum terræ meæ domino regi Francorum volo ei teneri, quousque dictus filius meus habeat viginti & unum annos. Quando vero ad dictum terminum meum habere voluero filium, si dominus rex habere voluerit securitates terræ meæ, quod tam ego quam filius meus erimus fideliter ad servitium suum, nos eum amplius habere faciemus. Cum dictus filius meus viginti & unum annos habuerit, dominus rex recipiet eum in hominem ligium de terra de qua pater ejus tenens erat quando decessit, salvo jure alterius, nec ipsum ante in hominem recipiet, sicut dictum est, quamdiu ego vixero, nisi per me ipsam. Et si filiæ comitis HENRICI, vel aliquis alius dictum filium meum vel meipsam traherent in causam de comitatu Campaniæ, priusquam filius meus viginti & unum annos complesset, filius meus vel ego non teneremur exinde respondere infra prædictum terminum, quamdiu idem filius viveret, nec dominus rex audiret inde causam: quia usus & consuetudo Franciæ talis est, quod nullus ante vigesimum primum annum respondere debet super hereditate, de qua pater ejus tenens esset sine placito cum decederet. Propter conventiones supradictas tenendas ego debeo dare domino regi quin-

decim millia librarum his terminis, in instanti festo S. Andreæ duo millia & quingentas libras, ad octavas Paschæ subsequentis duo millia & quingentas libras, in octavis S. Remigii subsequentibus duo millia & quingentas libras, in festivitate S. Andreæ subsequentis duo millia & * quindecim libras. Si vero, quod absit, dictus filius meus Th. moreretur infra terminum, qui est ab hac instanti purificatione B. Mariæ in quatuor annos; si dominus rex teneret comitatum in manu sua, ipse mihi gratum meum faceret infra annum de prædictis xv. millibus; & si dominus rex comitatum tradere vellet alii, nullum de eo saisiret, quousque me ad gratum meum securam faceret de prædictis xv. millibus mihi reddendis infra annum; & si prænominato termino, qui est ab instanti purificatione B. Mariæ in quatuor annos in antea, nullus, nec dominus, nec rex, nec alii qui tenerent comitatum Campaniæ, teneatur reddere dicta xv. millia librarum. Omnes istas conventiones assecuravit mihi dominus rex tenendas, & ego ipsi, & eas dominus rex debet assecurari a domino LUDOVICO filio suo. Actum anno Domini MCCIX. mense Augusto.

* f. quingentas.

CARTA
De fideli servitio Odonis de Dolis.

[a] Anno 1209. *Ex ms. Colbertino.*

EGo RADULFUS filius ODONIS de (a) Dolis, dominus Castri-Meliandi, notum facio universis, quod ego continebo me omnino ad voluntatem domini regis de omnibus, & si poterit inquirere quod sim culpabilis de mercatoribus captis in Biturensio, super hoc faciam omnino voluntatem suam. Si autem de his conventionibus deficerem, concedo ut quicquid ad me pertinere debet de prædicto Castro-Meliandi, & toto feodo quod est de feodo domini regis, sit mihi in depertitum erga dominum regem. De castro autem de Boraco, concedo, quod si episcopus Lemovicensis vellet eum mittere ad feodum alterius, non reciperem illud nisi de episcopo Lemovicensi. Et si idem episcopus contrarius vellet esse in hoc domino regi, ego super hoc ad totum posse meum essem domini regis adjutor contra omnes homines. Actum apud Castrum-Meliandi, anno Domini MCCIX. mense Septembri.

(a) Extat in comitatu Burgundiæ Dola urbs insignis, extat & in minori Britannia Dolum urbs episcopalis, extat & in pago Bituricensi Dolum, ubi inclytum ordinis S. Benedicti cœnobium vulgo Burgidolense dictum, haud procul a Castro-Rodulfi, de quo hic locus intelligendus.

LITTERÆ HUGONIS
abbatis Majoris-monasterii.

De damnis resarcitis a domino Juhello de Meduana.

Anno 1210. *Ex archivis Majoris-monasterii.*

FR. H. Dei gratia Majoris-monasterii humilis minister, & totus ejusdem loci conventus, omnibus ad quos præsens carta pervenerit, in Domino salutem. Noveritis universi, quod cum dominus JUELLUS de Meduana ad majorem castri sui fortitudinem calciatam erexisset de novo juxta aliam calciatam, subtus quam quoddam molendinum pridem habere solebamus, scilicet in calciata superioris stagni, quod tempore guerræ regum Franciæ & Angliæ fuerat penitus destructum, & novum stagnum ibidem fecisset; & cum sic propter restagnationem aquæ præjudicium factum fuerit nobis, prædictus JUELLUS animæ suæ consulens ad resarciendum proprium damnum nostrum, quod nobis propter exaltationem superioris stagni proveniebat, statuit quod de cetero quicumque præpositus Meduanæ fuerit, in nundinis sanctæ Mariæ Magdalenæ tresdecim solidos Cenomanenses persolvet. Nos etiam molendinum in pristino loco libere poterimus construere vel reædificare. Et si forte per restagnationem stagni inferioris impeditum fuerit molendinum vel deterioratum, dominus JUELLUS ad arbitrium bonorum virorum damna nobis restituet, & faciet emendari, vel quicumque post eum castrum Meduanæ habebit. Ut ergo hoc totum, sicut prænotatum est, de cetero in perpetuum firmiter observetur, nos idem annotari, & sigillorum nostrorum impressionibus fecimus communiri. Actum anno Domini MCCX. mense Februario. Insuper dictum fuit quod vetus stagnum nulli poterit dari vel vendi nisi nobis.

CARTA CASTELLANI
Belli-mansi.

Anno 1210. *Ex ms. Colbertino.*

EGo castellanus Belli-mansi notum facio universis quod ego domino meo PHILIPPO illustri regi Francorum promisi & creantavi, quod ego bona fide pacem tenebo ipsi & filio ejus domino meo LUDOVICO; & terris & hominibus eorum, & de hoc firmiter tenendo posui erga dominum regem fidejussores de mille marchis, quorum nomina inferius subscribuntur; hoc modo, quod si contra hoc irem, & inde convictus essem, per curiam Francorum vel per curiam Atrebatensi, quamcumque dominus meus rex vellet, vel exinde de jure deficerem, plegii mei qui subscripti sunt, infra XL. dies ex quo de parte domini regis exinde submoniti essent, gratum ejus facerent de prædictis mille marchis, videlicet unus-

quisque de tanto pro quanto est a me in fidejussione constitutus, scilicet episcopus Belvacensis de centum marchis, comes ROBERTUS Drocensis de c. marchis; comes S. Pauli de c. marchis; comitissa de Cuciaco de cc. marchis, HUGO frater meus de centum marchis, GILO de Marceriis de centum marchis, W. de Buceio de c. marchis, GIR. de Roffecio de c. marchis, Adam de *Gomecort*, Poncius de Bello-manso, Hugo de Monte sancti Ægidii, W. de Marchesio isti quatuor de centum marchis. Dominus vero Ludovicus de terra & hereditate mea tenetur me constituere in ea saisina, in qua eram antequam essem abjuratus, excepto de hoc quod non tenetur restituere damna quæ mihi fecit propter meum forisfactum, & postea dictus dominus meus LUDOVICUS debet me ducere per jus ad usus & consuetudines Attrebatenses. Quod ut firmum, &c. Actum Parisius anno Domini MCCX. mense Junio.

CARTA PHILIPPI AUGUSTI regis.

De venditione Braii a castellano Peronæ.

Anno 1210. *Ex ms. Colbertino.*

IN nomine, &c. PHILIPPUS, &c. Notum, &c. quod dilectus & fidelis noster castellanus Peronæ vendidit nobis Braium super Sommam fluvium & *Praaz* cum pertinentiis eorum, & quicquid in eis habebat, pro quatuor millibus & centum libris Parisiensis monetæ, quas propter hoc ei dedimus. Præterea dedimus eidem propter hoc Bodiacum cum pertinentiis, & quicquid in eadem villa habebamus in assignamentum cxx. librarum dictæ monetæ annui reditus tenendum de nobis & heredibus nostris ab ipso & heredibus suis in perpetuum in feodum & hominagium ligium, excepto quod nos retinemus ad opus nostrum & heredum nostrorum in eadem villa Bodiacum transversum, Calceiam & medietatem nemoris ejusdem villæ, & quadraginta solidos de advocatia *de Jehancort* juxta Bodiacum, & justitiam ad illos XL. solidos pertinentem. Si vero prædictus castellanus priusquam uxor ejus decederet moreretur, quantum ipsa habet in Braio jure dotalitii, tantum teneremus de terra ejusdem castellani quamdiu ipsa viveret, & post decessum ejus, eadem terra ad heredes castellani rediret, & quicquid uxor ejus jure dotalitii teneret in Braio ad nos integre perveniret. Dictus siquidem castellanus debet nobis guarantire contra omnes prædictam Braii & *Praaz* cum eorum pertinentiis venditionem. Hanc autem venditionem laudaverunt fratres sui Rogerus & Guillelmus, & sorores ejus *Beniviane* & Gila. Quod ut firmum, &c. Actum apud Peronam anno Domini MCCX. regni nostri XXXI. astantibus, &c.

CARTA PHILIPPI AUGUSTI regis.

De concessione facta comitissæ Campaniæ.

Anno 1210. *Ex ms. Colbertino.*

PHILIPPUS Dei gratia Francorum rex, &c. Noveritis quod nos creantavimus dilectæ & fideli nostræ B. comitissæ Trecensi; quod nullum hominem neque feminam qui sit de domaniis suis, aut de custodiis, aut de communiis, sive de franchisiis; aut de villis in quibus habet persias suas, recipiemus, aut in domaniis, aut in custodiis, aut in communiis, sive in franchis villis nostris, aut in villis in quibus habeamus prisias nostras, quousque Th. filius ejus habeat viginti & unum annos. Illi autem homines qui erant sub dicta comitissa anno Domini millesimo ducentesimo nono mense Septembri tertia die ejusdem mensis habebunt omnia tenementa sua quæ sunt sub ipsa, quousque THEOBALDUS filius ejus vigesimum primum annum impleverit. Cum autem idem filius ejus habuerit viginti unum annum, si ipse nos requisierit de jure sibi super hoc exhibendo in curia nostra, nos tenemur ei exinde jus facere. Homines vero prædicti non poterunt reverti ad residendum in terra nostra, de qua recesserunt antequam prædictus filius ejus habeat XXI. annos. Actum Meleduni anno MCCX. mense Septembri.

DONATIO REGINALDI de Poliaco facta monasterio Veteris-pediculi.

Anno 1181. *Ex autographo.*

EGO DROGO DE MELLOTO notum facio omnibus tam præsentibus quam futuris, quod Reginaldus domicellus de Poliaco, qui cognominatur Diabolus, & omnes fratres sui dederunt in eleemosynam Deo & fratribus Grandimontis qui morantur juxta sanctum Mauritium, pro salute sua & parentum suorum, censum videlicet tredecim solidos & duos denarios, de quibus Reginaldus de Mortuo-fonte debet sex solidos & unum denarium, & Geraldus de Rivo tres solidos, & Costandus *des Planches*, & Curaldus gener suus duos solidos & unum denarium, & Stephanus *Potiers* decem & octo denarios, & Johannes *Beseneaux* sex solidos, singulis annis ad festum sancti Johannis-Baptistæ reddendum in perpetuum & in pace possidendum. Omnes vero superius nominati censum quod supradiximus quod debebant sæpedicto R. pro quibusdam terris quas de eo censualiter possidebant, tenentur de cetero ad supra nominatum terminum reddere. . . . . Bonis-hominibus superius nominatis, prout supradicto R. tenebantur reddere. Quoniam

vero Guillelmus *Libeisiers* de cujus feodo præfata dinoscuntur esse, juraverat quod ipse non poterat laudare illam venditionem quam R. superius nominatus fecisset coram me & dominum de Melloto fratrem meum, bona fide promisit quod ipse vel aliquis pro eo de cetero non contrairet venditioni prænominatæ. Et ut hoc ratum haberetur, ad rogationem & petitionem supradictorum fratrum & assensu supradicti Guillelmi præsentem cartulam sigilli munimine roborari præcepi. Actum anno incarnati Verbi millesimo ducentesimo undecimo.

CARTA AMALRICI DE CREDONE super forterícia de *Chantoucé*.

Anno 1211. Ex ms. Colbertino.

EGO AMALRICUS DE CREDONE Notum facio universis, quod domino meo PHILIPPO illustri Francorum regi bona fide promisi & juramento corporaliter præstito firmiter creantavi, quod de forterícia mea *de Chantocé*, & de tota terra mea & de corpore meo faciam ei bonum servitium & fidele, & eam ipsi vel mandato suo tradam ad juvandum se contra inimicos suos ad magnam vim & ad parvam, quotiens super hoc ex parte ipsius fuero requisitus. Quod si ita non facerem, idem dominus meus rex infra XL. dies postquam exinde defecero, ad totam terram meam poterit assignare, & eam tenere sine interceptione, donec de tribus millibus marcharum habeat exinde gratum suum. Actum Cenomanis anno Domini MCCI. mense Februario. Plegii Amalrici R. comes *de Alençon* de mille libris Parisiensibus, Juhellus de Meduana de M. libris. Senescallus Andegavensis de M. lib. Bernardus de Feritate de CCC. lib. vicecomes Bellimontis de D. lib. Rob. de Pronaio de CCC. lib. Rotrodus de Monte-forti de D. libris, Gervasius de CCC. lib. Hamelinus de Roorta, & Guido *Turpin* uterque de CC. libris.

PHILIPPI AUGUSTI de privilegiis S. Martini Turonensis.

Anno 12 1. Ex archivis monasterii Cormeriacensis.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Amen. PHILIPPUS Dei gratia Francorum rex amicis & fidelibus suis, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, comitibus, baronibus, senescallis, justitiariis, vicecomitibus, ballivis & præpositis, & universis fidelibus ad quorum intuitum vel auditum præsens carta pervenerit, perpetuam in salutis auctore salutem. Noverit universitas vestra, quod cum nos in capitulum beati Martini Turonensis intrassemus, voluimus & præcepimus, ut convocatis tam clericis quam burgensibus antiquioribus, ex his electi honestiores jurarent, quod veritatem dicerent super his quæ viderant, vel ab antecessoribus suis audierant, de his quæ in villa Turonensi vel circa ad jus nostrum, quod tam decanus quam thesaurarius, quam alii canonici beati Martini a nobis habent, vel ad jus comitis Andegavensis pertinent, de quibus contentio tunc erat, ne aliquid falsitatis pro nobis vel pro comite Andegavensi scienter adjungerent. Jurati itaque dixerunt de his quæ ad memoriam poterunt reducere hæc quæ sequuntur. Ab era sancti Venantii usque ad cuneum muri per viam pratorum sancti Juliani, & a cuneo muri usque ad Ligerim, totum est de eleemosyna regum Franciæ, & de jure beati Martini: ita quod medietas viæ in ballivia hinc spectat ad jus beati Martini, inde ad feodum comitis Andegavensis. Quantum autem ambitus claustri durat, totum gaudet eadem libertate & immunitate, qua & ipsa ecclesia B. Martini: ita quod si quis aliqua ductus necessitate illuc confugerit, vel captus inventus fuerit, liber debet esse & immunis. Si quis autem contra hanc libertatem venerit, debet puniri secundum formam quæ continetur in privilegiis ejusdem ecclesiæ regum Francorum. Nec omittendum est quod abbatia Cormeriacensis cum tota villa & multis possessionibus. Item abbatia beatæ Mariæ de Bello-monte cum tota villa & multis aliis possessionibus. Item ecclesia sancti Cosmæ cum tota insula & multis aliis possessionibus, de eleemosyna regum Franciæ sunt, & ad ecclesiam beati Martini spectant. Ad hæc quando Ligeris vel Carus ita excreverit, quod per pontes transiri non possit, omne emolumentum quod ex navigio provenerit, ad ecclesiam beati Martini pertinet. In nemore Vernisenio habent canonici beati Martini a rege Francorum calfagium suum de bosco vivo. Quod si aliquid de nemore illo extirpari contigerit; census, terragium, & decimæ debent esse ecclesiæ B. Martini: homines autem beati Martini de præpositura de Varenna non debent ire ad expeditionem vel exercitum comitis Andegavensis, nisi per præpositum vel alium ministrum comitis in capitulo beati Martini requisiti fuerint. Solet autem præpositus civitatis exigere in quadragesima a quolibet hominum beati Martini de ultra Ligerim duodecim denarios, quod de novo contra libertatem & privilegia beati Martini usurpatum est, nec debet fieri. Item, si aliquem hominum beati Martini de præpositura de Varenna contra quemcumque etiam contra ipsum præpositum civitatis delinquere contigerit, in curia præpositi beati Martini debet emendari, nec præpositus civitatis debet aut potest illum justiciare, quamdiu præpositus beati Martini illum justitiare voluerit, nisi præpositus civitatis in forisfacto chimini eum invenerit: viarii comitis vel

aliqui ejus ministri non debent habere mestivam in eadem præpositura, nec in alodio de *Thesse*. Et qualiter totum claustrum B. Martini cum omni justitia ejus est integre beati Martini & clericorum; ita quod comes Andegavensis nullam prorsus ibi habet consuetudinem vel justitiam. Et si in claustrum adjudicatum fuerit duellum, tenebitur in curia decani: viarii autem comitis infra ambitum claustri nullam habent umquam jurisdictionem. Vinagium vero vel vinum quod de propriis vineis capituli beati Martini sumitur extra Ligerim, per Ligegerim liberum debet habere transitum: ita quod pro eo nihil debet dari, exceptis consuetis festagiis, quæ dat decanus. Vinum autem alicujus canonicorum speciale liberum transitum habebit per Ligerim dando secundum consuetudinem logiarii unam lagenam vini & duas nummatas panis. Omnes clerici beati Martini cum servientibus suis eundo & redeundo liberum habent transitum, nihil dando nisi festagia, quæ a præposito de Nogento pontonariis debentur pro canonicis & servientibus suis transvehendis, & pro annona canonicorum de Nogento & de Genestolio. Si vero pons fractus fuerit, similiter debent habere liberam per navem transvectionem, nihil dando, nisi quod propter hoc pro reparatione pontis datur annua consolatio tredecim solidorum & quatuor denariorum. Infra burgum sancti Petri Puellaris comes Andegavensis nullam prorsus justitiam habet, nisi duobus temporibus infra determinandis, quando scilicet viarii comitis sunt in Castro-novo; & tunc eamdem habent consuetudinem ibi, quam alibi in Castro-novo; sed qui habet burgum, habet de omni pedagio tam civitatis, quam capitis pontis, quam Castri-novi sextum denarium; & debent partiri qualibet quinta decima die similiter sextam minam salis navigio allati in transverso burgi Brenuosi: tantum capit ecclesia sancti Martini quantum comes: & qui ea recipiunt debent esse per fidem constricti servientibus beati Martini, & qualibet septimana eadem ecclesia debet habere consuetudinem muiblorum & costuciæ carnificum. De sexaginta solidis quos Judæi civitatis debent ad Pascha, ecclesia beati Martini debet habere triginta solidos in porta sancti Cirici, tantum habet ecclesia beati Martini, quantum & comes: & habet ibi ecclesia eadem servientem suum, & de communitate nummorum præpositus comitis habet procurationem competentem, & duodecim denarios qualibet feria sexta, quamdiu logia durat in explenta, quæ dicitur regis Francorum, habet B. Martinus dimidium & comes dimidium pro custodia; & neuter potest inde dare seu vendere sine alio. In panagio omnium habet B. Martinus dimidium & comes dimidium. Carnifices & piscatores civitatis debent canonicis beati Martini in Ramis palmarum singulis singulas lampredas, sicut & illi qui sunt de Castro-novo. Canonici autem debent singulis candelam in Purificatione B. Mariæ, & ipsi debent interesse canonicorum processioni in eadem die, sicut & illi de Castro-novo. Quando autem reddunt lampredas, unusquisque debet habere à canonicis lagenam vini & nummatam panis, sicut & illi de Castro-novo. Terra autem illa quæ contigua est & adhæret Prato-maledicto, quod pacifice possident canonici B. Martini, in quo fuit quondam pratum B. Martini, est de eleemosyna regis Franciæ, & ad ecclesiam B. Martini spectans. De pane qui in Castro-novo venit vendendus, non debet dari costuma comiti Andegavensi seu alicui, nisi thesaurario; nec comes, nec alius potest advectorem panis impedire nec prohibere ne panis afferatur in castrum, nec debet esse porta panis in civitate. Illa medietas vici de banliva quæ est versus castrum, est ecclesiæ B. Martini, altera medietas comitis. Mina salis mensurandi juris thesaurarii est. Si capud planchæ fuerit ad terram, viarii civitatis bis in anno veniunt in castrum ad justitiam castri tenendam cum serviente regis Franciæ, vel ejus qui ab eo habet thesaurariam: & est primus terminus in festo beatorum apostolorum Petri & Pauli. Ipsa enim die post magnam missam ad hoc veniunt in Castrum novum, & hanc justitiam tenent usque in proximum festum B. Martini post magnam missam: qua finita, recedunt. Alius terminus eorum adventus ad justitiam similiter tenendam cum servientibus regis Franciæ vel thesauraria est in hyeme, & incipit in festo omnium sanctorum post magnam missam, & durat usque ad festum sancti Bricii post magnam missam. Tunc temporis serviens regis Franciæ, vel thesaurarius & serviens comitis justitiam tenent Castri-novi communiter, & quicquid inde provenit communiter accipiunt. Si tamen eo tempore latronem capi contigerit, vel aliquem alium pro forisfacto suo ille cum universis qui cum eo capientur, ad domum thesaurarii ducentur, & ibidem judicabit; & serviens regis Franciæ sive thesaurarius, & serviens comitis communiter quod inde provenerit partientur. Judicabunt autem secundum consuetudinem Castri-novi. Si vero eo tempore duellum fuerit adjudicatum, in gravia castri tenebitur. Si judicium aquæ vel ignis portandum fuerit; apud sanctum Petrum Puellaris portabitur. Justitia regis Franciæ sive illius qui eam ab eo habuerit protenditur usque juxta ad Beram S. Venantii, & usque Malmordam juxta prata lineæ, & a Malmorda usque ad pontem Auveri, & a ponte Auveri inferius sicut trames distinguit

usque subtus insulam Petri Auveri, & in aqua & in terra chiminus terræ comitis; magnus chiminus terræ a ponte Auveri inferius est comitis. Comes vel ejus serviens non debet vel potest capere in Castro-novo aliquem, sive terminum ei ponere, nisi in duobus temporibus supra determinatis, sicut dictum est, nec etiam hominem manentem in Castro-novo extra castrum potest capere, nisi forte in præsenti forisfacto eum deprehenderit extra metas regis Franciæ, vel ejus qui ab eo habet, vel diem ei præfigere pro forisfacto. Potest tamen ei diem præfigere, si tenuerit censivam vel feodum comitis. Si clamor fuerit de feodo, sive de censiva, non debet etiam res alicujus manentium in castro detineri vel impediri pro forisfacto ejus, quamdiu voluerit stare justitiæ regis Franciæ, vel illius qui eam ab illo habet, vel illius in cujus burgo manet, comes non debet nec potest aliquem impedire pro forisfacto alterius, nisi tantummodo illum qui forisfactum fecit. Judicatum fuit in curia bonæ memoriæ LUDOVICI regis patris nostri Gaufredo Mario quod pro suo forisfacto ipse & heredes sui amittent universa quæ tenebant de thesaurario, unde exigente justitia de mandato patris nostri prædicti, Girardus tunc thesaurarius fecit dirui domum, quam prædictus Gaufridus in castro habebat; ex tunc prædictus thesaurarius tenuit Mariam Gaufredi & heredum ejus adjudicatam, sicut dictum est. Tenuit etiam multa quæ ad Mariam pertinebant, & universi qui postea thesaurariam habuerunt continue & quiete ea quæ prædicimus tenuerunt; & adhuc Petrus thesaurarius qui thesaurariam habet, a rege Francorum tenet. Comes non debet homines de Castro-novo ducere in exercitum sive equitationem, nisi forte causa & nomine belli, ita tamen quod vexillum B. Martini præcedat. Contra vero regem Francorum nullo modo potest eos ducere. Supradictis addendum est, quod si serviens regis Franciæ vel ejus qui ab eo habet justitiam, citationem aliquam fecerit antequam viarii comitis veniant ad justitiam in Castronovo, sicut dictum est, tenendam, serviens regis Franciæ, vel illius qui ab eo habet justitiam, illud placitum tenebit & terminabit, & emendationem solus sine serviente regis Franciæ comes habebit; sed postquam venerint de novo, nullo modo per se facient citationem, nisi de his quæ ad feodum vel censivam spectant thesaurarii; de quibus comes vel ejus viarii nullam habet justitiam. De duellis quæ judicantur in curia thesaurarii, si pugnaturos baulivam exire contigerit pro duello faciendo, & pax inde facta fuerit, comes inde habebit septem solidos & dimidium de præsenti. Si autem pugnaturi, antequam baulivam tran-

A sierint, inter se pacem fecerint, comes inde nihil habebit, sed thesaurarius vel serviens ejus solus septem solidos & dimidium de præsenti. Si autem duellum factum fuerit, de victo sexaginta solidos habebit comes & non plus: & ille quietus recedet, nisi forte pœnam corporis sui meruerit: quod si in corpore fuerit puniendus, per comitem punietur. Comes autem sine aliqua emendatione & dilatione tenebit duellum, sicut in curia thesaurarii, aut in curiis aliorum de castro, de quorum curiis duellum in curia comitis venire debeat.

B adjudicatum. Dixerunt etiam jurati se audisse statutum fuisse, ut duodecim homines de Castro-novo pro se & pro aliis facerent homagium comiti pro custodia corporum & rerum hominum de Castro-novo, salva fidelitate regum Franciæ & ecclesiæ; quod tamen in privilegiis B. Martini non continetur, nec per ecclesiam dicitur approbatum; & hoc introductum esse dicitur, ut homines de castro cum rebus suis salvi essent etiam per guerram regis Franciæ & comitis. Comes nec in claustro B. Martini nec in castro potest aut debet violentiam sive taliam, sive aliquam exactionem facere. Viarii comitis in nullo affidamento habent

C justitiam, littus & aqua & incrementa ripæ, & inventiones, & census aquæ sunt juris regis Francorum, vel ejus qui ab eo habet potestatem infra metas assignatas. Homines de Castro-novo & claustro nihil prorsus debent de vineis sive annonis suis quæ percipiunt de propriis reditibus sive de possessionibus, si ea voluerint adducere in claustrum, sive in Castrum-novum, nisi forte per aquam duxerint: quia tunc de duabus summis dabunt unum obolum. Si vero per aquam non duxerint, nihil dabunt. Si vero homo manens in claustro vel extra clau-

D strum aliunde adduxerit vinum venale; de unoquoque modio dabit regi Franciæ, vel ei qui ab eo habet justitiam sex denarios, & cauponi unoquoque die, quamdiu vinum vendet, precationem vel duos denarios. Comes autem nec pro guerra, nec pro alia causa, potest aut debet saisire ecclesiam B. Martini, aut domos, aut quascumque res ad ecclesiam B. Martini spectantes, vel possessiones, vel jura decani, vel thesaurarii, vel alicujus canonicorum B. Martini, ubicumque fuerint in villa Turonensi vel ex-

E tra. Quod si forte super aliquo articulo de jure ecclesiæ B. Martini vel comitis hinc inde quæstionem emergere contigerit; partes apud S. Julianum debent convenire, & ibi de querelis suis tractare. Hæc sunt super quibus jus regis Franciæ, & eorum qui per eum habent potestates per ministros comitis Andegavensis frequentius consueverunt impediri & perturbari, & quæ homines jurati ad memoriam revocare potuerunt,

runt, in his dumtaxat quæ personæ vel canonici B. Martini in villa Turonensi vel circa a rege Franciæ habent: hoc viri honesti antiquiores tam clerici quam laici jurati dixerunt. Volumus ergo & firmiter præcipimus, quod hæc sicut prænominata sunt amodo firmiter observentur. Quod si forte in his vel in aliis quæ prædictæ personæ, vel canonici habent a rege Francorum aliquid quod per oblivionem omissum est, nolumus propter hoc aliquod præjudicium fieri vel regi Francorum, vel eis qui ab eo habent. Præterea quæcumque in privilegiis B. Martini ab antecessoribus nostris indultis continetur, volumus & firmiter præcipimus illibata observari. Sed si quis de prænotatis articulis contra ecclesiæ aliquam libertatem, vel contra prædecessorum nostrorum privilegia per comitem Andegavensem vel ejus ministros usurpatum est, nolumus illud occasione hujus rescripti nostri aliquam vim obtinere: sed si quando ad debitum statum poterit revocari, non obstante hujus rescripti nostri auctoritate, ad honorem Dei & beati Martini revocetur. Hæc omnia supradicta concessimus decano, thesaurario, & aliis canonicis beati Martini, nos & rex RICHARDUS, rex Angliæ per instrumentum quod penes se habuerunt burgenses de Castro-novo apud Corbiniacum impetratum, anno Domini MCXC. mense Julio. Et nos ut prædicta firma & inconcussa permaneant, ad petitionem fidelium nostrorum OD. decani, & Roberti thesaurarii, & aliorum canonicorum B. Martini, sigilli nostri auctoritate & regii nominis caractere inferius annotato confirmamus. Actum Parisius, anno dominicæ Incarnationis MCCXI. regni vero nostri anno XXXIII. astantibus in palatio nostro quorum nomina supposita sunt & signa, dapifero nullo. S. GUIDONIS buticularii. S. BARTHOLOMEI camerarii. S. DROCONIS constabularii. Data vacante cancellaria.

CARTA SIMONIS DE PISSIACO.

De venditione forestæ Loiæ.

Anno 1212. Ex mss. Colbertino.

EGo Simon de Pissiaco, notum, &c. quod ego domino meo illustri Francorum regi & heredibus ejus quitto in perpetuum omne jus, & quicquid habebam in venditione forestæ Loiæ: ita quod nec ego, nec heres meus aliquid juris de cetero poterimus reclamare in prædictæ forestæ venditione. Præterea eidem domino regi & heredibus ejus quitto in perpetuum omnem chaiciam ejusdem forestæ, & bestiam mortuam. Dominus autem rex in hujus excambium & in augmentum feodi mei quod de ipso teneo, dedit mihi & heredibus meis totum nemus cum terra quod habebat in Cuvia, & quicquid in illo habebat, sicut illud possidebat, videlicet a metis terræ domini Bartholomei de Roya usque ad stagna comitis ROBERTI, & usque ad terras arabiles circumadjacentes, & sicut cheminum Chamborciaci comportat, usque ad metas domini Bartholomæi & per deversus *Bettemont* usque ad boscos militum, ego debeo custodire cum tribus servientibus meis forestam prædictam, & dominus rex ponit servientes suos ad eamdem forestam custodiendam: & si ego & servientes mei invenerimus in eadem foresta forisfactum aliquod sine servientibus domini regis, forisfactum est nostrum. Et similiter si domini regis servientes invenerint forisfactum sine me & servientibus meis, forisfactum erit domini regis: & si servientes domini regis forisfactum invenerint cum servientibus meis, domini regis servientes possunt finem facere de forisfacto, & ego inde habebo medietatem, neque servientes domini regis possunt penitus quittare forisfactum sine assensu meo vel servientium meorum. Ego etiam retineo in prædicta foresta mortuum nemus ad opus furni & hominum meorum de Acheriis, sicut illud a viginti annis habuerunt usque nunc. Retineo etiam mihi & heredibus meis quercum mortuam ad ardendum, sive vendere & donare sicut illam debeo habere, & sicut antecessores mei semper eam habuerunt, & potero illam ducere in domum meam de Acrimonte vel de Pissiaco, in quacumque earum fecero mansionem. Præterea retinebo mihi & heredibus meis in eadem foresta medietatem reditus herbagii, sicut ego & antecessores mei illum semper habuerunt. Excambium autem quod dominus rex mihi & heredibus meis fecit pro quittatione Griariæ dictæ forestæ Loiæ dedit & concessit mihi & heredibus meis libere & quiete in augmentum feodi quod de ipso teneo, excepto quod Robertus de Pissiaco in boscis prædictis ex me habet, & quod eos non potero essartare sine ejus licentia & assensu. Quod ut ratum, &c. Actum anno Domini MCCXII.

CARTA DE JURAMENTO & fidelitate Guillelmi de Calvigniaco.

Anno 1212. Ex mss. Colbertino.

EGo Guillelmus de Calvigniaco notum facio, &c. quod ego juravi domino meo ligio Franciæ regi illustri, quod ei bene & fideliter serviam, tamquam domino meo ligio, contra omnes homines qui possunt vivere & mori, & ita quod si ab his conventionibus resilirem, quod ei bene & fideliter servirem, volo & concedo quod dominus meus PHILIPPUS rex Francorum possit capere totum feodum suum, quod

Herveus de Virsone de me & uxore mea A tenet, & remaneat eidem domino regi in departito, & heredibus suis in perpetuum, sine aliqua interceptione. Similiter totum feodum quod R. dominus Montis-Falconis tenet de me & uxore mea M. Similiter totum feodum quod R. de *Bosmez* tenet de me & M. uxore mea. Præterea juravi eidem domino meo Francorum regi, & creantavi super totum feodum, quod de ipso teneo, quod villam Exolduni neque muris neque fossatis infortiabo sine ejus voluntate & assensu; & quod dominus rex PHILIPPUS turrim Exolduni custodiri faciat sicut ante faciebat, & habeat in eadem vel milites B vel servientes suos ad eam custodiendam, quamdiu ipsi placuerit; & eidem domino regi reddam singulis annis centum libras ad ipsam turrim custodiendam, quamdiu domino regi in manu sua eam tenere placuerit. Juravi etiam domino meo PHILIPPO Francorum regi quod eum habere faciam omnia juramenta militum & burgensium castellanorum Exolduni, quod bene & fideliter serviam ei, sicut supradictum est; & quod si ab ejusdem servitio recederem, quod bene & fideliter ei, sicut dictum est, C non servirem, ipsi contra me essent in auxilium domino regi & mihi in nocumentum: quod nisi ipsum dominum regem contra me juvarent, ipse posset capere omnia bona tam mobilia quam immobilia prædictorum militum & burgensium, & ea in manu sua tenere, quamdiu ei placuerit, donec esset ei emendatum ad gratum suum. Similiter & feoda prædictorum Hervei de Virsone & R. domini Montis-Falconis & domini de Charrotio, & Roberti de *Bosmez* in manu sua tenebit, quamdiu ei placuerit, si ab ejusdem domini regis servitio recederem. D Eodem modo faciam eum habere omnia juramenta militum & burgensium de castellaniis Castri-Radulfi, Castri-novi, & Marolii, salvo dotalitio filiæ comitis PETRI, quod habet apud Castrum-novum & Marolium, ita quod si domino regi bene & fideliter servirem, & ipsum contra me non juvarent, dominus rex posset capere sine aliqua interceptione omnia bona militum & burgensium de prædictis castellaniis tam mobilia quam immobilia, & ea tenere in manu sua, donec esset emendatum ad gratum suum. Insuper de his conventionibus, sicut supra dictum est, tenendis fideliter & servandis E do eidem regi dominum de Lineriis plegium de centum marchis argenti. Actum Parisius, anno Domini MCCXII. mense Martio.

CARTA PHILIPPI AUGUSTI regis pro Roberto de Cortiniaco.

NOverint, &c. quod nos dilecto ac fideli ac carissimo consanguineo nostro ROBERTO de Corteniaco & heredi suo de uxore sua desponsata damus & concedimus in perpetuum castrum de Conchis, & villam & forestam cum pertinentiis ejusdem castri in feodum & hominagium ligium. Præterea damus ei R. castrum de Nonancuria cum foresta & nemoribus & aliis pertinentiis ejusdem castri in hominagium ligium, tali conditione quod idem R. habebit hominagia militum & hominum castrorum prædictorum, salva fidelitate nostra, & milites & homines eorumdem castrorum debent jurare, quod si idem R. vel heres suus interciperet contra nos vel contra heredes nostros & non emendaret per judicium curiæ nostræ, prædicti milites, & homines nos ex toto juvarent contra ipsum, donec esset penitus emendatum. Præterea sciendum est, quod idem R. & heres ejus prædictus nobis & heredibus nostris tenentur tradere fortericias prædictorum castrorum ad guerreandum, & ad magnam vim & parvam. Facto autem negotio nostro, eas rehabebunt. De castris supradictis & terris ad eadem castra spectantibus, idem R. vel heres ejus de uxore sua desponsata non poterit dare, vel vendere, vel invadiare aliquid sine assensu nostro vel heredum nostrorum. De nemoribus & forestis dedimus ei licentiam vendendi pro voluntate sua, quotienscumque voluerit. Si autem contingeret, quod idem R. non haberet heredem de uxore sua prædicta, castra cum pertinentiis suis ad nos & heredes nostros post decessum ipsius R. integre redibunt.

Ex mss. Colbertinis.

CARTA Quam fecit dominus Robertus de Cortiniaco domino regi super Conchiis.

NOverint, &c. quod ego R. de Cortiniaco domino meo illustri Francorum regi PH. concessi, quod de castro Conchensi & Nonancuriæ, quæ ipse mihi dedit, & de terris ad eadem castra pertinentibus non possum vendere, vel dare, vel etiam invadiare aliquid sine assensu domini regis ejusdem vel heredum suorum. De forestis autem & nemoribus potero vendere ego & heres meus pro voluntate mea, quotienscumque voluero. Si vero contingeret me non habere heredem de uxore mea desponsata, castra prædicta cum pertinentiis ad dominum regem, & ad heredes suos post decessum meum cum omni integritate redirent.

CARTA PHILIPPI AUGUSTI regis pro Guillelmo Nivernensi episcopo.

Anno 1212. Ex ms. Colbertino.

PHILIPPUS, &c. Noverint, &c. quod nos dilecto & fideli nostro W. Nivernensi episcopo concessimus, quod si aliquis hominum suorum de corpore quem ipse modo tenet ab ipso recederet, & in dominium nostrum sive carissimi filii nostri LUDOVICI veniret, nos eum caperemus, & per legitimam inquisitionem, cui fides de jure debeat adhiberi, Nivernensi episcopo redderemus: ita quod medietatem redemtionis ipsius haberemus, & episcopus aliam medietatem haberet, salvis conventionibus quas nobis fecit de hominibus suis, qui erant tunc temporis Bitur. & Albiniac. quos quittavit nobis in perpetuum. Actum apud sanctum Germanum in Laia, anno Domini millesimo ducentesimo duodecimo mense Junio.

CARTA HOMAGII THEOBALDI comitis Blesensis.

Anno 1212. Ex ms. Colbertino.

PHILIPPUS Dei gratia, &c. Noveritis quod nos dilectum nepotem nostrum TH. Blesensem recepimus in hominem nostrum tamquam rectum heredem de terra illa quam pater illius LUDOVICUS quondam comes Blesensis tenuit de nobis, & in tali puncto, in quo prædictus pater ipsius eam tenuit de nobis, salvo dotalitio matris suæ, & salvo rachato nostro, quod nos & comitissa Campaniæ exinde debemus habere, scilicet novem millia librarum Parisiensium: unde nos habere debemus quinque millia, & comitissa quatuor millia: tertiam scilicet partem ad instantem purificationem beatæ Mariæ, & aliam tertiam ad proxime sequens festum sancti Johannis Baptistæ, & aliam tertiam partem in nundinis sanct Aygulfi. Actum Moreti anno Domini millesimo ducentesimo decimo secundo mense Augusto.

CARTA PHILIPPI AUGUSTI regis.

De relaxatione episcopi Altissiodorensis Guillermi super exercitu.

Anno 1212. Ex ms. Colbertino.

PHILIPPUS Dei gratia Francorum rex, &c. Noveritis quod nos personam dilecti ac fidelis nostri WILLELMI Altissiodorensis episcopi relaxamus ab exercitu nostro quamdiu vixerit: ita tamen quod ipse faciet nobis servitium exercitus nostri per milites suos, sicut commune episcoporum & baronum nostrorum debet. Actum Meleduno anno Domini millesimo ducentesimo decimo secundo mense Augusto.

CARTA GUILLELMI EPISCOPI Altissiodorensis.

De recognitione exercitus domini regis sicut alii episcopi.

Anno 1212. Ex ms. Colbertino.

GUILLELMUS Dei gratia Altissiodorensis episcopus omnibus, &c. Noveritis quod confitemur nos debere domino nostro PHILIPPO regi Francorum illustri exercitum suum, sicut commune episcoporum & baronum debet, & illum de cetero per nostros milites, sicut alii, faciemus. Idem enim dominus rex personam nostram a servitio exercitus quamdiu vixerimus relaxavit. Et nos pro hac relaxatione & pro amore ipsius & gratia habenda concedimus & volumus, quod ipse de proventibus regalium nostrorum, quos percepit usque ad festum S. Johannis Baptistæ nuper præteritum, pro sua retineat voluntate. Super eo autem quod exinde retinebit, ipsum vel causam, & heredem suum vel alium non trahemus in causam, & relaxabimus interdictum. In cujus rei testimonium, &c. Actum apud Meledunum, anno Domini millesimo ducentesimo decimo secundo mense Augusto.

CARTA MANASSERI EPISCOPI Aurelianensis.

De recognitione exercitus domini regis.

Anno 1212. Ex ms. Colbertino.

MANASSES Dei gratia Aurelianensis episcopus, &c. Noveritis quod nos confitemur debere domino nostro PHILIPPO regi Francorum illustri exercitum suum, sicut commune baronum & episcoporum debet, & illum sicut alii de cetero faciemus. Pro habendo autem amore suo & gratia, & pro habendis litteris de quittatione procurationum de Piveris & de Magduno pro sexaginta libris Parisiensibus annuatim reddendis præposito domini regis Aurelianensi in festo omnium sanctorum, volumus & concedimus, quod ipse de proventibus regalium nostrorum, quos ipse percepit usque ad festum S. Johannis Baptistæ nuper præteritum, pro sua retineat voluntate. Super eo autem quod exinde retinebit ipsum vel heredem suum vel alium pro ipso per-

nos vel per alium in causam non trahemus & relaxabimus interdictum. In cujus rei memoriam præsentes litteras fecimus annotari, & sigilli nostri munimine roborari. Actum apud Meledunum, anno Domini millesimo ducentesimo decimo secundo mense Augusto.

CARTA MANASSERI Aurelianensis & Guillelmi Autissiodorensis episcoporum.

Anno 1212. Ex ms. Colbertino.

MANASSE Aurelianensis & GUILLELMUS Autissiodorensis Dei gratia episcopi omnibus, &c. Noveritis nos concessisse domino nostro PHILIPPO regi Francorum illustri, quod nullum hominem vel feminam in causam trahemus super matrimonio contracto secundum formam ecclesiæ & consuetudinem approbatam, post relaxationem interdicti factam ab archiepiscopo Senonensi, nisi causa esset adeo rationabilis, quod accusari posset matrimonium, si non fuisset positum interdictum in nostris diœcesibus, vel pro quocumque alio facto pertinente ad ecclesiæ sacramenta facto secundum consuetudinem ecclesiæ approbatam. Promittimus etiam bona fide, quod occasione domini regis nihil faciemus contra canonicos B. Aniani, quod non faceremus, si querelam haberemus contra alium, & quod nullum clericum aut laicum gravabimus occasione domini regis. In cujus rei memoriam, &c. Actum apud Meledunum, anno Domini millesimo ducentesimo decimo secundo mense Augusto.

FOEDUS FRIDERICI II. imperatoris cum Philippo Augusto Francorum rege.

Anno 1211. Ex ms. Colbertino.

FRIDERICUS Dei gratia Romanorum imperator electus & semper augustus, rex Siciliæ, ducatus Apuliæ, principatus Cupuæ. Notum facimus universis præsentem paginam inspecturis, quod nos propter mutuam dilectionem & confœderationem quam carissimus frater noster PHILIPPUS Francorum rex illustris habuit ad progenitores nostros Romanos imperatores, confœderationem cum eodem PHILIPPO rege Francorum inivimus in hunc modum, quod nos cum OTHONE quondam dicto imperatore & JOHANNE rege Angliæ & eorum auxiliatoribus manifestis nullam pacem faciemus sine assensu ejusdem regis, nullum etiam de illis qui eumdem inquietant manifeste recipiemus in terra nostra, ut scilicet potestatem habeamus eum amovendi bona fide, ad cujus rei certam in posterum memoriam præsentem paginam conscribi jussimus, & majestatis nostræ bulla aurea consignari. Datum apud Tullum, anno gratiæ millesimo ducentesimo decimo secundo, tertio decimo calendas Decembris, indictione prima.

CARTA PHILIPPI AUGUSTI regis pro episcopo Noviomensi.

Quoniam reges Francorum nulli præstant hominium, pro eo quod Viromandenses domini præstabant episcopo Noviomensi, ei concedit regalium augmentum.

Anno 1213. Ex ms. Colbertino.

IN nomine, &c. PHILIPPUS Dei gratia, &c. Noverint, quod secundum consuetudinem regum Francorum hactenus approbatam, prædecessores nostri reges Franciæ nulli consueverunt hominagium facere, sed in recompensationem hominagii quod domini Viromandenses debebant episcopo & ecclesiæ Noviomensi, nos amico & fideli nostro saltem ejusdem ecclesiæ Noviomensis episcopo, ejusdemque successoribus Noviomensibus episcopis damus & concedimus in perpetuum augmentum regalium, quicquid habebamus apud Laceniacum cum pertinentiis suis, & apud villam *de Cui*: ita tamen quod prædictus episcopus & successores ejus debent reddere singulis annis Florentio de Villa & heredibus ejus quatuordecim modios bladi, quos idem *Florentius* tenet de nobis in hommagium ligium, quos idem *Florentius* recipit in granchia *de Cui*, ad Noviomensem mansuram. Præterea eidem episcopo & successoribus suis concedimus apud Laceniacum feodum, quod Odo de Perona & heredes ejus de comitibus Viromandiæ tenuerunt, & feodum Wichardi majoris Laceniaci, & Johannis de Dammeri. Quod ut perpetuum, &c. Actum apud Peronam anno Domini millesimo ducentesimo decimo tertio, regni nostri trigesimo quarto.

CARTA PHILIPPI AUGUSTI regis.

De donatione villæ sancti Andreæ facta Petro Mali-vicini.

Anno 1213. Ex ms. Colbertino.

IN nomine, &c. quod cum nos acquisissemus terram Normanniæ, pro fideli servitio, quod dilectus & fidelis noster PETRUS MALUS-VICINUS nobis exhibuerat, sicut propriam acquisitionem nostram dedimus & concessimus in hominagium ligium ad usus & consuetudines Normanniæ eidem P. & heredi suo masculo de uxore sua desponsata villam S. Andreæ in episcopatu Ebroi-

censi, cum pertinentiis suis, perpetuo possi- A dendam, & totam terram, quam ROGERUS quondam dominus dictæ villæ tenuerat de domino Ibriaci, sicut idem P. modo eam tenet: ita quod idem Petrus & heres ejus legitimus reddat domino Ibriaci tale servicium, quale servicium dictus Rogerus olim reddebat domino Ibriaci pro eadem terra. Actum apud Paciacum anno Domini MCCXIII. mense Julio.

CARTA FIDEJUSSIONIS Guidonis de Dampetra.

Anno 1213. Ex ms. Colbertino.

EGo GUIDO DE DAMPETRA notum, &c. quod ego me obligavi fidejussorem erga dominum regem Franciæ de XX. B millibus libris Parisiensibus pro carissima domina mea B. comitissa Campaniæ tali modo, quod nisi dicta domina teneret domino regi ultimas conventiones in carta ejusdem comitissæ facta Compendii die Martis proxima post octabas sancti Martini hyemalis, & easdem conventiones infra quindenam nativitatis Domini non compleverit, sicut continetur in carta sua, dominus rex sine C forisfacere alicui exinde se poterit capere ad totam terram suam, & eam in manu sua tenere, quo usque mille libræ ei redditæ fuerint. Actum Compendii anno Domini MCCXIII. mense Decembri.

CARTA JURAMENTI ejusdem pro comitissa Campaniæ.

Anno 1213. Ex ms. Colbertino.

GUIDO DE DAMPETRA omnibus, &c. Noverit universitas vestra, quod ego D domino regi super sacro-sancta juravi, quod si domina mea B. comitissa Campaniæ & Th. filius ejus non tenerent domino regi conventiones suas sicut in extrema carta, quæ Compendii facta est super deliberatione dicti Th. continetur, ego cum omnibus feodis meis, & tota terra ad dominum regem venirem, & ipsum ad voluntatem suam contra dominam comitissam & Th. filium ejus juvarem, quousque domino regi ad gratum suum esset emendatum. Et si forte de hac conventione, quam juravi erga dominum regem deficerem, dominus rex exin- E de ad totam terram meam & feoda mea se posset capere absque alicui forisfacere, & tamdiu in manu sua tenere, quousque esset ei ad voluntatem suam emendatum. Actum Compendii anno Domini MCCXIII. mense Novembri.

EPISTOLA GUIDONIS de Dampetra ad Philippum augustum regem.

De munitionibus quas a Galerانno de Corbeles & Roberto accepit.

Anno 1213. Ex ms. Colbertino.

DOmino regi GUIDO DE DAMPETRA. Noverit serenitas vestra, quod Gualerannus *de Corbelles* & Robertus tradiderunt mihi de munitione *de Tornoil les* hæc quæ sequuntur. XI. balistas corneas, VII. ad estrivium, & III. ad duos pedes & unam ad tor. & X. ligneas, & VIII. capellos, & duas loricas, & X. scuta longa, & II. targias, & duas archas quarrellorum, unam ad estrif, & alteram ad duos pedes, & II. tors, & II. cros, & II. glomos fili, & C. libras ceræ, & quatuor sextaria salis, & XII. bacones & III. tarerios, & unam goiam, & VI. Pis. & unum mortarium de cupro, & VI. martellos, II. chaables, VI. culcitras, II. pulvinaria. Novi frumenti LIII. sextaria, fabarum X. sextaria, & I. minam & unum dolium vini de XIII. modiis, & III. sextaria fabarum veterum, & duo molendina in turre, & dolia ad C. modios vini, & III. cuvas. Actum apud Riomum anno Domini MCCXIII. proxima die Veneris ante natale Domini.

EPISTOLA GUIDONIS de Dampetra ad Philippum augustum regem.

De munitionibus quas a G. de Gaubertem accepit.

Anno 1213. Ex ms. Colbertino.

DOmino regi G. DE DAMPETRA. Noverit serenitas vestra, quod G. de Gaubertem tradidit mihi in turri de Riomo hæc quæ sequuntur: XXXI. sextaria frumenti, VI. sextaria fabarum, X. bacones? XL. libras ceræ, VI. libras piperis, XX. libras de sepo, duo molendina ad manum, IV. archas, XX. summas lignorum, II. sextaria salis, II. situlas ad puteum, duo ferra ad coquendum panem, II. secures, III dolia vini ad modium sancti Porciani, duas loricas, II. *hauberguns*, IV. capella ferri, IV. balistas corneas, II. ad estrivium, duas ad duos pedes, V. balistas ligneas, XI. M. quarellorum, & CCC. quarellos ad duos II. cros, IIII. pis. II. martellos, VIII. parvas targias, & IV. magnas, & I. Jaable, & IV. glomos fili. Actum apud Riomum anno Domini MCCXIII. vigilia beati Thomæ apostoli.

EPISTOLA GUIDONIS de Dampetra ad Philippum augustum regem.

De munitionibus quas a Milone de Livores accepit.

Anno 1113. Ex ms. Colbertino.

CArissimo domino suo PHILIPPO Dei gratia illustri Francorum regi GUIDO DE DAMPETRA, salutem.

Noverit serenitas vestra, quod dominus Milo *de Livores* tradidit mihi de munitione Nonedæ hæc quæ sequuntur: novem solidas balistas corneas, unam ad tornum, aliam ad duos pedes, & septem ad estrivium, & XIX. balistas de as, quinque loricas, quinque *bauberjons*, quinque galeas, & quinque capellos ferreos, XVI. bacones, XVII. culcitras, XVIII. pulvinaria, IX. tapeta, XL. modios vini, quinque modios frumenti, XVIII. sextaria frumenti & siliginis, L. sextaria avenæ, VI. sextaria fabarum, IV. sextaria salis, LXXXIIII. quartellos, XV. libras, X. solidos pro cera, pipere & cepo. Actum anno Domini MCCXIII. ipso die S. Thomæ apostoli.

EPISTOLA O. COLONIENSIS scholastici & sedis apostolicæ legati illustri comiti Namucensi.

De variis crucis apparitionibus dum crucem prædicaret, deque multitudine crucesignatorum in provincia Coloniensi.

Anno 1214. Ex ms. S. Laurentii Leodiensis. [a]

ILlustri comiti Namucensi & nobili uxori ejus (a) O. Coloniensis scholasticus, apostolicæ sedis legatus, salutem præsentem & futuram.

Cum essem juxta oceanum in fine provinciæ Coloniensis in diœcesi Monasteriensi feria sexta ante Pentecosten, anno gratiæ MCCXIV. (b) & pro reverentia domini papæ [b] mecum essent abbates Cisterciensis, Præmonstratensis, & Cluniacensis ordinis, & alii multi religiosi, feci decantari missam solemniter de sancta Cruce. Principium sermonis mihi erat, *absit mihi gloriari*, *&c.* cum multa hominum millia & mulierum, quæ ad sermonem convenerant, sederent in prato extra villam * Frisiæ quæ dicitur *Bethdum*, & aer satis esset serenus, apparuit nubes candida, & in ea crux alba sine humana imagine ab aquilone, postea crux alia ad austrum ejusdem coloris & schematis; tertio lux magna inter illas & super illas medio colore colorata habens formam humani corporis, ut videbatur, ad quantitatem hominis, cujus nuda erat forma, caput habens sursum, & pedes deorsum, caput inclinatum ad humerum & brachia non in directum extensa, sed sursum elevata, clavi per manus & pedes visibiliter apparebant eo schemate quo apparet in ecclesia ab artifice parata. Et cum multi ad crucem recipiendam accurrerent, miles quidam qui ante crucem recusaverat accipere, tum una cruce visa, statim crucem accepit. Quidam de incolis terræ hoc viso velociter ad me currebat, dicens: nunc Terra sancta recuperata est, quasi prophetica certitudine præteritum ponens pro futuro. Puella quædam dives XI. annorum aduratura surrexit, sed compulsa sedere a turba, demonstravit matri suæ & aviæ, & multis circumsedentibus, qui multa veneratione sursum aspicientes adorabant, quamdiu signum apparebat. Durabat hæc visio per spatium competentis missæ circa horam tertiam. Hoc miraculum plures quam centum viderunt. Procedente tempore in alia statione ejusdem terræ apparuit crux sine forma humani corporis, habens colorem hiris non contra solem, quam vidit abbas de Valle (c) sancti Petri & monachus ejus & [c] plures de populo, quam *Bethdum*. Deinde in alia statione in die sancti Bonifacii apud portum Frisiæ, qui *Dochum* nominatur, ubi beatus Bonifacius martyrio fuit coronatus, apparuit crux magna qui eramus in statione Aprilis plus quam decem millia, ut creditur. Albi coloris erat crux, quæ paulatim movebatur in aere, ac si traheretur per funiculum, quasi iter demonstraret peregrinis navigaturis ad Terram promissionis inter Europam & Affricam. In gente autem illa in qua hæc contigerunt, computantur quinquaginta millia signatorum, octo millia scutariorum & mille loricatorum. Sciatis autem tot naves præparari ad expeditionem JESU CHRISTI, quod credimus de sola provincia Coloniensi amplius quam trecentas naves onerarias profecturas, replendas viris bellatoribus, armis & victualibus, ac instrumentis bellicis. Hæc autem scripsimus vobis quoniam ad militiam JESU CHRISTI vobis salubriter & Terræ sanctæ, ut speramus, utiliter signati estis, obnixe rogantes ut cruce signatis propitii sitis, & judicibus quos apud Namurcum constituimus favorabiles. Valete.

* l. Frisiæ.

(a) Oliverius scholasticus Coloniensis vir admodum pius, & facundus, qui summi pontificis auctoritate crucem in Frisia, Brabantia, Flandria, vicinisque provinciis magno cum fructu una cum Arnoldo discipulo prædicavit, cujus extat apud Bongartium epistola ad Engelbertum Coloniensem archiepiscopum, *De expugnatione Diamiatæ*. De quo Cæsarius Heisterbacensis & Albertus Stadensis.

[b] Ad hunc annum refert Odoricus Rainaldus ex Petro Vallisarnensi Historiæ suæ capite sexagesimo abbatem Bonæ-vallis Cisterciensis ordinis *dum in Ruthenensi diœcesi pro foribus ecclesiæ, quod loci angustia multitudinem non caperent, populum ad cruce-signata militia adscribendum nomen pro concione ardenti zelo inflammaret; subito videntibus cunctis, apparuisse crucem in aere, quæ versus partes Tolosanas tendere videbatur.*

(c) Vallis S. Petri est insigne monasterium ordinis Cisterciensis in diœcesi Coloniensi, duabus circiter horis a Bunna civitate distans, vulgo *Eisterbach*.

A

CARTA THOMÆ PERTICENSIS comitis de quatuor talliis.

Anno 1214. Ex autographo in archivis Majoris-monasterii.

THOMAS comes Pertici, omnibus ad quos præsentes litteræ pervenerint, salutem in Domino. Ad universorum notitiam volumus pervenire, quod milites nostri de castellario Beilimensi talliam de feodis suis & hominibus suis nobis debent tantummodo feodaliter pro his quatuor rebus quæ sequuntur. Pro prima militia nostra, pro prima captione nostra de guerra, pro militia filii nostri primogeniti viventis, & pro prima filia nostra maritanda. Præter has tallias nec a militum feodis, nec ab eorum hominibus tallias possumus feodaliter extorquere. Et ne hujusmodi libertas ab aliquo heredum nostrorum in posterum infringatur, eam sigilli caractere fecimus communiri. Actum anno gratiæ MCCXIIII. mense Februario.

LITTERÆ STEPHANI Noviomensis episcopi.

De vadiis episcopi Meldensis a comitissa restitutis.

Anno 1214. Ex ms. reginæ Sueciæ eruit Mabillonius.

STEPHANUS Dei gratia Noviomensis episcopus, omnibus præsentes litteras inspecturis in Domino salutem. Noveritis quod cum pro quibusdam negotiis fratris (a) nostri Meldensis episcopi Meldas accessissemus, nos pro quibusdam vadiis Meldensis ecclesiæ, quæ præpositus comitissæ detinebat, villam invenimus suppositam interdicto. Cum vero comitissa præsens esset in villa, nos ad ipsam venientes eam rogavimus, & bona fide consuluimus, ut dicta vadia redderet, quæ precibus nostris acquiescens, ecclesiæ Meldensi ea libere reddidit & absolute, salva tamen quantum ad hoc in omnibus jure suo. Et nos ad petitionem ipsius comitissæ litteras nostras super hoc exhibuimus testimoniales. Datum die Dominica qua cantatur (b) *Oculi mei*, anno gratiæ MCCXIV. mense Martio.

(a) Guillelmi *de Nemours*, qui fuit etiam frater Petri episcopi Parisiensis, de quibus Rigordus de gestis Philippi Augusti. *Fuerunt tres fratres uterini simul episcopi & sibi contemporanei, Stephanus Noviomensis, Petrus Parisiensis, & Guillelmus Meldensis, filii Galterii Franciæ quondam camerarii, &c.*

(b) Id est dominica III. quadragesimæ, in qua missæ introitus ab his verbis incipit, *Oculi mei*.

CARTA PETRI EPISCOPI Parisiensis.

De dono Burchardi de Malliaco & Matthæi fratris ejus ad erigendum in abbatiam parthenonem Portus-regii.

Anno 1214. Ex cartario Portus-regii.

PETRUS, Dei gratia Parisiorum episcopus, omnibus præsentes litteras inspecturis salutem in Domino. Ad universitatis vestræ notitiam volumus pervenire, quod locus *de Porrois* ea fuit Deo intentione devotus, quod ibi fieret Albarum monialium abbatia, & eligeretur quæ præesset aliis abbatissa, si tamen locus ille eatenus excrevisset, quod conventus abbatiæ illius posset de bonis suis & reditibus sustentari. Attendentes vero nobiles viri BURCHARDUS de Malliaco & MATTHÆUS frater ejus hoc eis non modicum proficere ad salutem, si diebus suis ibidem institui contingeret abbatissam, ad sustentationem conventus prædictæ abbatiæ, decreverunt pro salute animarum suarum, & parentum suorum, necnon & amicorum suas eleemosynas elargiri. Dictus autem BURCHARDUS & MATHILDIS uxor sua dederunt & concesserunt domui *de Porrois* in puram & perpetuam eleemosynam quicquid post primam donationem jam dudum eidem domui factam ab ipsis possidebant in nemore *de Molerai*, quod pertinebat ad hereditatem præfatæ Mathildis, usque ad viam magnam que vocatur *La chevée de Bulloher*, quæ dividit dictum nemus *de Deffes* de Romevilla: ita tamen quod dicta domus *de Porrois* annuatim ei persolveret in festo sancti Dionysii viginti solidos Parisienses censuales. Si vero dicta domus *de Porrois* in terra sua decem arpennos vinearum emtione vel donatione, vel quocumque alio modo acquirere poterit, concesserunt eidem domui, quod possit eos sine coactione vendendi pacifice possidere. Ceterum præfata MATHILDIS uxor domini Burchardi hanc eleemosynam concessit coram dilectis nostris Ernaudo & Stephano archidiaconis Parisiensibus, & fide interposita repromisit se ipsam eleemosynam servaturam & in perpetuum defensuram. MATTHÆUS vero de Malliaco consensu domni Burchardi fratris sui primogeniti dedit & concessit pro salute animæ suæ & patrum & amicorum suorum prædictæ domui *de Porrois* in perpetuam eleemosynam centum solidos Parisienses percipiendos in censu suo de Malliaco annuatim in die sancti Dionysii persolvendos, & totam vineam suam de Pruneio. Si autem aliquando dictos centum solidos vel æquivalens in partibus istis sine damno dictæ domus assignare voluerit, eidem licebit ad consilium & assensum abba-

[a] tis (a) Vallium & abbatissæ loci prædicti. Si vero in vita vel in morte sibi placuerit, quintam partem hereditatis suæ computabuntur. Præterea concesserunt prædictæ domui xv. libras Parisienses in reditibus suis de Meullento de eleemosyna parentum eorum, videlicet Matthæi & Mathildis, percipiendos in prima die Martii quinquaginta solidos, & in prima Junii quinquaginta solidos, & prima die Septembris c. solidos, & prima die Decembris c. solidos, & x. modios bladi in molendinis de Galardone, in molendinis scilicet Mathildis matris suæ, videlicet in molendino *de Richeborc*, & in molendino *de Archenouc*: quos x. modios & plures alios dicta Mathildis ibidem de conquestu suo possidens acquisivit: & si contigerit quod prædicti x. modii bladi de præfatis molendinis non possint exsolvi, de molendino de Fonte & de molendino de *Freiteval*, in quibus eadem Mathildis suum habet similiter conquestum, totum residuum suppleatur. Has quidem eleemosynas dicti Burchardus & Matthæus frater ejus fide interposita coram nobis firmantes, promiserunt se eas perpetuis temporibus servaturos. Ne igitur istæ donationes possint in irritum processu temporis revocari, has litteras fecimus ad petitionem partium nostri sigilli munimine roborari. Actum anno Domini MCCXIIII. mense Martio, pontificatus nostri anno VII.

EPISTOLA RADULFI Savigniensis & Thomæ Vallis-Sernaii abbatum ad Petrum episcopum Parisiensem.

Assensum præbent erectioni Portus-regii in abbatiam.

Ex cartario Portus-regii.

VEnerabili patri & domino P. Dei gratia Parisiorum episcopo frater (a) R. de Savigniaco & frater Th. de Vallibus (b) [b] abbates, salutem & orationes in Domino.

Ex tenore litterarum vestrarum accepimus, quod sicut ex bonorum testimonio didicistis, domus monialium ea intentione fuit fundata, ut cum sufficerent facultates præficeretur sororibus abbatissa. Adjecit quoque vestra paternitas, quod cum ad domum illam personaliter accessissetis, invenistis ita reditus ampliatos, quod inde possint tredecim moniales vel quatuordecim sustentari. Unde auctoritas vestra considerato voto fundatorum, petiit ut gratum habeamus quod domus illa gaudeat dignitate abbatissæ. Nos autem pugnare nolentes desiderio fundatorum parati semper ad petitionem vestram quantum de jure poterimus exaudire, præsentibus litteris vobis significamus & mandamus, quod gratum habemus quod petitis, & gratanter accipimus, ut voluntas fundatorum effectui mancipetur. Super hoc sermonem habuimus cum reverendo patre nostro abbate Cistercii, & in hoc voluntas ejus vestræ voluntati concordat. Valeat paternitas vestra.

EPISTOLA EORUMDEM ad Mathildem de Malliaco.

Ejusdem argumenti.

Ex cartario Portus-regii.

DIlectis in Christo dominæ Mathildi & filiis ejus frater R. de Savigniaco & frater Th. de Vallibus abbates, salutem & orationes in Domino.

Ex litteris domini Parisiensis episcopi accepimus, quod vestrum desiderium & ejus petitio in hoc conveniunt, ut in domo monialium *de Porrois* præficiatur abbatissa, cum jam ad præsens ad sustentationem sororum suppetant facultates. Hoc idem, si bene recolimus, accepimus ex ore vestro. Nos autem cum vestram præsentiam haberemus, petitioni vestræ acquievimus, sub hac tamen conditione, ut tunc pura esset nostra voluntas, si dominus Cisterciensis nobis sine consideratione aliqua consentiret. Unde quia ejus assensum habuimus, præsentibus litteris nostrum significamus assensum, volentes & petentes, ut votum vestrum effectui mancipetur. Valete.

LITTERÆ GUILLELMI abbatis Luræ ad Blancham Campaniæ comitissam ejusque filium Theobaldum

Ad suffragiorum participationem eos admitiit.

Circa 1215. Ex ms. Reginæ Sueciæ eruit Mabillonius. [c]

GUILLELMUS Dei gratia dictus abbas domus (c) Luræ, & ejusdem domus humilis conventus, BLANCHÆ Dei gratia comitissæ Campaniæ & filio ejus, salutem in eo qui salvat sperantes in se.

Gratiarum actiones Deo & vobis referimus multimodas de beneficiis, quæ pietatis intuitu vestra nostræ ecclesiæ largiri dignata est benignitas. Verum quia bona intentione & maxima devotione beneficiis domus nostræ postulatis associari, preces vestras exaudibiles, quas ex parte vestra nobis attulit Bernardus prior noster læta mente hilarique pietate suscepimus. Vestræ igitur

(a) Radulfus, qui ex archidiacono Bajocensi factus monachus, non multo post abbas Savigniensis creatus est. Est autem Savigneium insigne monasterium ordinis Cisterciensis in diœcesi Abrincensi.

(b) Duplex est hoc nomine ordinis Cisterciensis abbatia in diœcesi Parisiensi, una simpliciter Vallis appellata, filia Curiæ-Dei, de linea Cistercii, altera Vallis-Sernaii appellata, filia Savigniaci, de linea Claræ-Vallis, cui præerat hoc tempore Thomas abbas hic designatus.

(c) Lura ordinis S. Benedicti monasterium olim haud ignobile in diœcesi Brisuntina, quatuor horis a Luxovio distans, quod nunc Morbacensi monasterio unitum est.

igitur condignæ petitioni satisfacere cupientes, concedimus vobis tam in eleemosynis, quam in orationibus, in vigiliis, & in omnibus aliis beneficiis, quæ in domo nostra fiunt, fient, & facta sunt, eamdem partem quam nobis habere desideramus, ut Deus per ista bona & alia quæ feceritis salutem mentis & corporis vobis & filio vestro conferre dignetur. Amen.

CARTA PHILIPPI AUGUSTI regis pro abbatia de Dunis.

Vadem se pro ea constituit super deposito comitis Boloniensis.

Anno 1215. Ex ms. Colbertino. [a]

PHILIPPUS, &c. universis, &c. Noveritis quod nos abbatem de (a) Dunis guarantizabimus adversus comitem Boloniensem & uxorem ejus & omnes alios de sexcentis libris sterlingorum, vel de eo quod nobis vel mandato nostro tradet de deposito comitis Boloniensis, neque comes Boloniensis de prisione nostra (b) exibit, donec [b] dictum abbatem & domum omnino super hoc quittaverit. Actum Parisius anno Domini MCCXV. mense Aprili.

CARTA CONVENTIONUM comitis Nivernensis.

De tradenda filia sua ad opus Philippi primogeniti domini Ludovici.

Anno 1215. Ex ms. Colbertino.

IN nomine Domini. Amen. Notum sit omnibus tam præsentibus quam futuris, quod ego HERVEUS comes Nivernensis infra octavam instantis festi B. Mariæ Magdalenæ teneor tradere AGNETEM filiam meam domino meo Philippo Dei gratia Francorum regi serenissimo per conventiones quæ inferius continentur, videlicet quod PHILIPPUS filius domini Lodovici domini Francorum regis primogeniti, cum prædicta filia mea contrahet sponsalia secundum consuetudinem sanctæ ecclesiæ, ab instante festo nativitatis beatæ Mariæ in Septembri in duos annos, & eadem die qua sponsalitia contrahentur dabo præfato Philippo domini Ludovici primogenito, Aloiam, Montem-mirabilem, *Braiou*, Basochiam, Froisiam, Autonum cum omnibus pertinentiis eorumdem, tam in aquis quam in villis & forestis. Eadem vero die tenetur dominus Lodovicus dare Agneti supradictæ in dotalitium duo castra *Lens*, & Ariam cum pertinentiis eorumdem. Si autem MATHILDIS uxor nostra ante obitum comitis PETRI de Autissiodoro sine herede masculo decederet, præfatus Philippus, mortuo comite Petro totum comitatum Autissiodorensem & Tornodorensem haberet, eo excepto quod comes debet ibi habere jure hereditario, & ego comes HERVEUS terram supradictam in Carnotensi diœcesi constitutam, integre & sine omni dilatione rehaberem. Et si etiam prædicta comitissa uxor mea sine masculo herede decederet, tota terra prædicta quæ jure hereditario me contingit, ad me integre & sine omni dilatione redibit, & præfatus Philippus comitatum Autissiodorensem & Tornodorensem habebit, sicut supra dictum est, si cum præfata Agnete filia mea sponsalia contraxerit & prolem susceperit ex eadem, vel eam duxerit in uxorem. Si vero de præfata M. uxore nostra heredem susciperem masculum, præfatus Philippus terram prædictam in diœcesi Carnotensi constitutam habebit, & post decessum meum totam terram sancti Aniani cum pertinentiis suis, sicut superius est expressum, & his debet esse contentus. Totum autem comitatum Nivernensem ego HERVEUS comes quamdiu vixero tenebo, excepto comitatu Autissiodorensi & Tornodorensi, quem dictus Philippus, sicut prædictum est, habebit. Quod si dictum Philippum mori contigerit antequam sponsalia contrahat cum prædicta Agnete filia mea, Ludovicus frater ejus contrahet sponsalia cum eadem Agnete omnibus conventionibus supradictis in omnibus & per omnia observandis. Quod si dictus Philippus & Ludovicus frater ejus sine herede de præfata Agnete suscepto, vel ante sponsalia contracta decederet, ego comes HERVEUS totam terram meam & filiam sine omni contradictione integre & pacifice rehabebo. Et si etiam præfata filia mea sine herede decesserit, ego totam terram meam integram & sine omni contradictione rehabebo. Has autem conventiones fecit jurare bona fide dominus meus Philippus rex Franciæ in animam suam per duos milites hoc modo. Nam si contingeret quod dominus Ludovicus vel ejus filius a prædictis conventionibus resilirent, & requisiti infra XL. dies hoc emendare nollent, dominus rex Philippus nec auxilium nec consilium prædicto filio suo Ludovico vel ejus filio præstaret, nisi de prædictis conventionibus observandis, & bona fide me juvaret, & omnia quæ dedit ei dominus rex, de quibus inveniret eum tenentem, occuparet & teneret, salvo hereditagio suo quod movet ex parte matris suæ, nec inde prædictus Ludovicus aliquod emolumentum perciperet, donec sicut in præsenti carta continetur, esset penitus emendatum. Dominus autem Ludovicus manu propria juravit se firmiter observaturum omnes conventiones prædictas modis omnibus bona fide, & constituit super hoc fidejussores ODONEM ducem Burgundiæ, dominam BLAN-

(a) Dunæ insignis abbatia ordinis Cisterciensis in diœcesi Iprensi, hodie in Brugensem civitatem translata.
(b) In qua captivus factus est in celebri pugna Bovinarum.

CHAM comitissam Campaniæ, PETRUM comitem Brit. GALCHERUM comitem S. Pauli, ROBERTUM comitem Drocensem, & GUIDONEM DE DAMPETRA sub hac forma, quod omnes isti juraverunt, quod nec auxilium nec servitium aliquo modo prædicto domino Ludovico vel ejus filio præstabunt, quousque id esset plenius & penitus emendatum, & inde litteras suas patentes confecerunt. Præterea venerabilis pater Dei gratia Remensis archiepiscopus, & Attrebatensis & Morinensis episcopi suas patentes litteras concesserunt sub hac forma, quod ipsi & eorum successores ad petitionem meam vel certi nuntii mei, totam terram quam idem dominus Ludovicus, vel ejus filius haberent in diocesibus suis supponerent interdicto, nec interdictum relaxabunt, donec in integrum fuerit emendatum. Si prædictus dominus Ludovicus vel ejus filius a prænominatis conventionibus in aliquo resilirent, & requisiti infra XL. dies nollent hoc emendare, eodem modo facient Bituricensis, & Turonensis archiepiscopi, Belvacensis, Carnotensis & Altissiodorensis & Aurelianensis episcopi, supponerent interdicto totam terram, quam dominus Ludovicus haberet in diocesibus suis, sicut superius est expressum, & super hoc litteras suas patentes confecerunt ad instantiam domini mei regis Philippi & domini Ludovici & meam. De his autem conventionibus tenendis & firmiter observandis præstiti corporaliter juramentum, & dedi fidejussores GUIDONEM DE DAMPETRA, ODONEM dominum Castellionis, HUGONEM dominum Ulmi, HUGONEM dominum de *Molins*, SIMONEM dominum de Luziaco, CELDERONEM dominum de Feritate, HUGONEM dominum S. Verani, ITERIUM dominum Tociaci, W. de Barris juvenem, FULCONEM de *Villantras* comitem Joviniaci: qui omnes juraverunt, quod nec auxilium, nec consilium, nec servitium aliquo modo mihi præstarent, si a prædictis conventionibus resilirem, donec id esset plenius & penitus emendatum, & inde litteras suas patentes ad instantiam meam confecerunt, & insuper fidejussionis garentitorem, & præscriptarum conventionum ab utraque parte dominum meum Philippum regem constituo. Si vero ego Herveus comes & Mathildis uxor mea sine herede masculo decesserimus, prædicti domini Ludovici filius, qui cum dicta Agnete filia mea sponsalia contrahet, utrumque comitatum tam Nivernensem quam Autissiodorensem & Tornodorensem sine contradictione habebit, eo excepto sicut superius dictum est, quod comes Petrus debet habere in comitatu Altissiodorensi jure hereditario: ita tamen, quod si ego a dicta Mathilda uxore mea filiam vel filias suscepero, prædicti domini Ludovici filius, qui cum dicta Agnete filia mea sponsalia contrahet, eam vel eas post mortem meam & uxoris meæ maritabit per terram vel per denarios sine dispergamento. Statutum est etiam in conventionibus supradictis & prædictis juramentis firmatum, quod si sponsalia vel matrimonium inter prædictas personas quoquo modo contingeret non fieri, ego totam terram meam in integrum, & filiam meam, si viveret, rehaberem: ita quod eam non maritarem sine assensu domini regis: & hoc super sacro-sancta juravi. Quod ut perpetuum, &c. Actum Meleduno anno Domini MCCXV. mense Julio.

CARTA ISABELLIS dominæ Ambasiæ.

Anno 1215. Ex ms. Colbertino.

EGo ISABELLIS domina Ambasiæ notum facio universis præsentibus pariter & futuris, quod ego juramento astricta concessi domino & carissimo avunculo meo PHILIPPO Dei gratia Francorum regi, quod ego sine ipsius assensu & voluntate, nulli me possum maritare. Quod ut ratum, &c. Actum apud Montem-*Trichard* anno gratiæ MCCXV. mense Julio.

CARTA JOHANNIS de Baugenciaco in gratiam domini regis.

Anno 1215. Ex ms. Colbertino.

EGo JOHANNES DE BAUGENCIACO, &c. quod domino meo PHILIPPO illustri Francorum regi & heredibus suis concedo donationem illam, quam ALIENOR quondam comitissa Viromandensis fecit de terra quam habebat in Valesio & Veromandesio, pro tribus rachatis, quæ ibi dominus rex habebat, & pro magnis expensis & missis, quas ibi fecerat & in firmitatibus, & in aliis, & si aliquid habere deberem jure hereditario in illa donatione, illud ei & heredibus suis concedo in perpetuum, & hoc firmiter tenendum fiduciavi. Hujus rei testes sunt, G. Silvanectensis episcopus, H. comes Nivernensis, B. Franciæ camerarius, G. Juven. Guillelmus Men. Guillelmus de Capella, Hugo de *Aties*, Galterius Cornutus, Lebertus decanus Jargol. prior sancti Aniani in Bituresio, Robertus miles de Calvo-monte. Actum Parisius anno Domini MCCXV. mense Julio.

CARTA PHILIPPI FILII PHILIPPI Augusti regis.

De hominio ligio quod fecit domino regi.

Anno 1215. Ex ms. Colbertino.

EGo PHILIPPUS domini regis Francorum filius notum facio universis tam præsentibus quam futuris, me fecisse ho-

magium ligium contra omnes homines & feminas carissimo domino & genitori meo PHILIPPO illustri Francorum regi de terra & reditibus & proventibus balliviæ quam Milo *de Levies* tenet : ita quod dominus rex retinet in manu sua fortericias *Gaurai* & Moritolii tenendas ad custum suum, tali conditione, quod quandocumque dominus rex rehabere voluerit terram illam cum reditibus & proventibus ipsius terræ, eam capiet in manu sua cum reditibus & proventibus ipsius terræ, & terram aliam æquivalentem, ubi voluerit mihi assignabit, nisi taliter, quod absit, erga eum me continuero, quod nec illam terram, nec aliam debeat mihi dare. Dominus autem rex vult quod post ejus decessum, terram prædictam cum proventibus & reditibus ipsius terræ teneam & habeam jure hereditario, cum terra uxoris meæ, quæ spectat ad eam jure hereditario, si uxor mea vixerit. Ego vero juravi super sacro-sancta carissimo domino & genitori meo, quod arma non feram ad torneamenta quamdiu dominus rex vivet, nisi pro voluntate ipsius; & quod manum non mittam pro vi inferenda in castra domini regis, nec in catalla sua, nec in burgenses, nec in Judæos suos, nec in res burgensium & Judæorum domini regis, & quod non retinebo mihi de familia militem, nec alium equitem, nisi per dominum regem.

CARTA GALCHERI de Castellione.

De capella comitis apud Creciacum.

Anno 1216. Ex ms. Colbertino.

EGo GAUCHERUS DE CASTELLIONE comes S. Pauli notum facio præsentibus & futuris, quod cum venerabilis pater (a) AB. Dei gratia Meldensis episcopus mihi misericorditer concesserit, ut super altare constructum in domo mea de Creciaco præsentibus me & uxore mea vel nostrum altero celebrentur divina, salvo jure matricis ecclesiæ loci, donec concessionem hujusmodi sibi placeat revocare, eidem grates referre quantas possum, nullum super revocatione ista quam ipsi placuit damnum impensurus. Datum anno Domini MCCXVI. mense Aprilis.

FORMA JURAMENTI comitissæ Campaniæ de tenendis conventionibus factis domino regi.

Circa 1216. Ex ms. Colbertino.

COmitissa jurabit super sacrosancta, quod nullo modo sustinebit, quod Th. filius ejus capiat hominagia de tota terra sua, vel faciat alteri, nisi salvis conventionibus hic scriptis inter dominum regem & ipsos barones, milites & homines villarum qui hic subscripti sunt, jurabunt super sacrosancta, quod ipsi dicto Th. non facient hominagium, nec fidelitatem, nisi salvis conventionibus subscriptis inter ipsos & dominum regem. Jurabunt etiam & litteras suas dabunt inde patentes, quod si comitissa vel Th. filius ejus non tenerent domino regi conventiones suas, sicut hic continentur, quotiens comitissa vel Th. interciperent erga dominum regem, ipsi cum feodis & domaniis suis se bona fide tenerent cum domino rege, donec esset emendatum ad gratum suum. Tales sunt conventiones, quod comitissa & Th. filius ejus non deficient domino regi de bono & legitimo servitio, quamdiu viveret, contra omnes homines & feminas qui possunt vivere & mori. Talis est etiam conventio, quod comitissa vel Th. filius ejus non possunt firmare quatuor villas, scilicet Meldis, Latiniacum, Pruvinum & *Columers*, nisi per gratum domini regis; donec dictus Th. compleverit viginti & unum annos, & dominus rex tenere debet Branum, & Mosterolium, donec idem Th. viginti & unum annos compleverit per conventiones illas, per quas dominus rex easdem villas antea tenebat, sicut scriptæ sunt in carta comitissæ quam dominus rex habet; & dominus rex non tenetur Th. recipere in hominem, donec viginti & unum annos compleverit, nisi per voluntatem domini regis. Et cum idem Th. viginti & unum annos compleverit, ipse jurabit super sacrosancta has conventiones domino regi tenendas, & inde dabit domino regi litteras suas patentes, & faciet renovari domino regi juramenta & litteras patentes baronum, militum & hominum villarum, sicut hic scripti sunt super conventionibus istis tenendis. Cum vero dominus rex dominum Th. in hominem recipiet, ipsum recipiet salvo jure alieno : & cum Th. has conventiones sicut hic scriptæ sunt compleverit, dominus rex reddet ei Branum & Mosterolium. Has conventiones tenendas jurabunt, & inde facient litteras suas patentes, sicut dictum est, qui subscribuntur : GUIDO DE DAMPETRA, comes S. Pauli, comes Blesensis, comes Sacri-cæsaris, comes Joviniacensis, comes Grandisprati, comes Registetensis, dominus Marigniaci, dominus Trianguli, dominus de Merreolis, milites & homines de potestate Meldensi, milites & homines de potestate Latiniaci, milites & homines de potestate *Colummiers*. Si vero aliquis istorum qui nominati sunt, moreretur, dicti comitissa & Th. facerent quod heres illius qui moreretur, faciet domino regi tale juramentum, quale ille qui mortuus fuerit, domino regi

(a) In serie episcoporum Meldensium nullus reperitur, cujus nomen incipiat hoc modo. Sed tunc præfuisse dicitur Guillelmus de *Nemours* cujus obitum ad annum 1221. consignant. Successorem sortitus est Amalricum qui diu non sedit.

fecerat, & inde litteras suas patentes domino regi exhibebit. Sciendum est præterea quod nemo potest trahere in placitum dominum Th. in curiam meam de re unde comitissa sit modo saisita, donec ipse viginti & unum annos compleverit. Omnes conventiones autem supradictas comitissa faciet habere dominum regem bona fide infra quindenam instantis nativitatis Domini, & si aliquis de supranominatis nollet assecurare domino regi dictas conventiones aliqua occasione, dicta comitissa se continebit super hoc ad voluntatem & laudem domini regis.

CARTA COMITIS HERVEI.

De non maritanda filia sua sine consensu regis.

Circa 1216. Ex ms. Colbertino.

EGo Herveus comes Nivernensis notum facimus omnibus, quod nos juravimus super sacrosancta domino nostro Philippo illustri Francorum regi, quod Agnetem filiam nostram nulli trademus uxorem sine assensu & licentia domini regis, & maxime alicui filiorum Johannis quondam regis Angliæ, nec Theobaldo de Campania, nec filio ducis Burgundiæ, nec Inguerranno de Cuciaco: & de hoc constituimus plegios erga dominum regem Hugonem dominum Ulmi, Hugonem de S. Verano, Renaldum de Monte-Falconis, Gaufridum de Bulli, Petrum de *Livron*, Ansellum Bridaste, super feoda quæ tenent de nobis. Præter hos autem plegios faciemus dominum regem habere juramenta villarum terræ nostræ, de quibus ea dominus rex habere voluerit, & etiam juramenta militum terræ nostræ cum litteris eorum patentibus, de quibus habere voluerit. Robertum vero de Corteniaco constituemus terminis competentibus in plegium erga dominum regem super feodo quod tenet de nobis, si pro nobis jurare voluerit in plevinam erga dominum regem, & si intrat in plevinam ad preces domini regis vel nostras, tenebitur de plevina. Et sciendum quod prænominati plegii, & alii quos dominus rex plegios habebit, plegiabunt; quod si nos veniremus aliquo modo contra conventiones prædictas, ipsi plegii juvarent dominum regem de seipsis & de omnibus quæ tenerent de nobis contra nos sine se meffacere, & tamdiu quousque id esset emendatum ad voluntatem domini regis: & dominus rex sine meffacere posset assignare omnia feoda & dominia quæ tenemus de eo, & tamdiu ea in manu sua tenere, donec id esset emendatum ad voluntatem domini regis. Quando autem conventiones prædictas perfecerimus, habebimus filiam nostram, quousque maritetur per assensum domini regis & voluntatem nostram, salvo jure & fidelitate domini regis in omnibus. Actum, &c.

LITTERÆ CONRADI Coloniensis archiepiscopi.

Carrata vini Theoderico de Huenlinburch abs abbate Corbeiæ nova fendi titulo concessa confirmatur.

CONRADUS Dei gratia Coloniensis archiepiscopus sacrum per imperium archicancellarius, notum facimus universis quod dilectus consanguineus noster abbas Corbeiensis venerabilis, ad preces nostras dilecto & consanguineo fideli nostro viro nobili Theodorico *Huenlinburch* in feudo concessit unam carratam vini, quam sibi assignavit recipiendam annuatim in vino apud *Kestenach* crescente, cum idem abbas vinum ipsum inde deduci faciet versus Corbeiam. Si vero propter defectum vini contingeret familiam curtis in *Kestenach* redimere, vinum ipsum a prædicto abbate pro certa aliqua pecuniæ quantitate prædictus Theodoricus tantum pecuniæ pro carrata vini prædicta recipiet, quantum ipse abbas pro una recipiet carrata. Prædictus vero Theodoricus promisit, quod ipsi abbati vina sua versus Corbeiam deducenda conducet de *Busburch* usque *Munighusen*, in cujus rei testimonium præsens littera est nostro prædictorum abbatis & Theoderici de *Nuenlinburch*, nec non Adolphi de Monte communi nobilium virorum sigillo communita. Data in Castris apud *Salciter*, anno Domini MCCXVII. idus Aprilis.

Anno 1217. Ex ms. Corbeiæ novæ.

CARTA PHILIPPI AUGUSTI regis.

Pro Elia de Culent, & Stephano de S. Palladio.

Anno 1217. Ex ms. Colbertino.

PHILIPPUS Dei gratia, &c. Noveritis quod nos dilectis & fidelibus nostris Heliæ de *Culent* & Stephano de S. Palesio divisimus in partem feodum de Virsone, & sicut dominus de Virsone illud tenebat & tenere debebat a domino Exolduni, ita illud teneat ab Helia & Stephano prædictis. Et tenebunt *Vestan* sicut dominus Exolduni illud tenebat a comite Blesis: ita quod ipsi facient fidem de rachato de *Vestan* adversus comitem Blesis, & de tertia parte rachati satisfaciemus comiti Blesis. De* terrio autem de *Vestan*, & illius pertinentiis ita fiet, quod tertiam partem pertinentium & redituum de *Vestan* nobis integre reddet, vel tantum valens reditus nobis assignabunt apud Exoldunum. Si vero tertiam partem redituum & proventuum de *Vestan* nobis

* f. castro.

integre non redderent, nos sine messacere possemus ad partem illam assignare quam habent apud Exoldunum usque ad tantum valens reditus, quantum valet tertia pars redituum & proventuum de *Vestan*. Ipsi autem sicut dicti heredes nobis & heredibus nostris in perpetuum dimiserunt feodum de Charrotio, sicut dominus de Charrotio illud tenebat a domino Exolduni, & feodum de Lineriis, sicut domini de Lineriis illud tenuerunt a domino Exolduni, & illud quod Robertus *de Besmez* tenuit de dominis Exolduni. Reliqua autem feoda quæ movent de dominis Exolduni venient in partem sicut debent. Quod ut perpetuæ, &c. Actum Parisius, anno Domini MCCXVII. mense Maio.

RADULFI EPISCOPI Atrebatensis mandatum, quo promulgat directas Honorii III. papæ litteras ad Albericum Remensem archiepiscopum & suffraganeos ejus de faciendis processionibus pro felici belli sacri successu.

Anno 1217 *Ex ms. Aquicinctensi.*

R. divina permissione Atrebatensis ecclesiæ sacerdos humilis, dilectis in Christo abbatibus, prioribus, præpositis & decanis ecclesiarum conventualium per Atrebatensem diœcesim constitutis, salutem & dilectionem.

Placuit domno papæ venerabili patri A. Remensi archiepiscopo & ejus suffraganeis, ceterisque ecclesiarum prælatis per Remensem provinciam constitutis conscribere in hunc modum: HONORIUS episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus Remensi archiepiscopo & universis episcopis & omnibus ecclesiarum prælatis tam exemtis quam aliis per Remensem provinciam constitutis, S. & A. B.

Adversus hostes visibiles invisibilibus armis, &c. *ut apud Odericum Raynaldum.*

Hujus igitur auctoritate mandati vobis firmiter præcipiendo mandamus, quatenus processiones faciatis solemniter & cum devotione magna & orationibus, sicut in litteris apostolicis est expressum, & nuntietis ubicumque videritis expedire ea quæ domnus papa mandat. Præcipimus etiam vobis, ut transcribi ipsas litteras faciatis antequam nuncius noster a vobis recedat, ut semper ad memoriam revocetis quid inde agere debeatis.

POST SEQUENTEM EPISTOLAM SEQUITUR ALTERA, SED ANTIQUA MANU.

VEri rumores, quia de partibus terræ sanctæ, quos retulit Richardus miles de Jerico.

Rex Barbariæ collegit exercitum, & fecit fabricari catenas trecentas & triginta, quibus æterno carcere Christianos compediret, & cum applicaret alas suas innumerabiles, ut vallaret Damiatum, patriarcha Jerosolymitanus, episcopus de Achon, & legatus domini papæ, episcopus de Bethleem, episcopus de Nazareth, episcopus de Damiato, magister Oliverus, prior de Josaphat, patriarcha Aquileiensis: isti octo tulerunt crucem dominicæ passionis ante exercitum Christianorum in paramentis pontificalibus, & aggredientes Barbaros, in die ascensionis Domini, duabus diebus habuerunt conflictum, & crux viridis illustrabat ab aëre exercitum Christianorum. Tunc ex Barbaris ceciderunt c. mille & XL. octo; ex Christianis vero sex mille: & tunc cessit victoria Christianis. Captus est rex Barbariæ, & centum satrapæ sui, & propriis compedibus suis vinculati sunt, & in castello Mergardis relegati. Longum est & infinitum enumerare quanta fuerit gloria Christianorum, & confusio Sarracenorum. Rex Barbariæ offert pro deliberatione sua octo castra meliora quæ habet, & Christianos quos habet in sex civitatibus suis, vel pro his omnibus dare perpetuos denarios tot, ut de his possit dimidium imlariæ in latitudine unius agri totaliter cooperire. In die Pentecostes baptizata fuit regina Persiæ cum CCC. millibus matronarum, & uxor Soldani de *Baldac*, quæ caput erat in Damiata. Item filius Salfadini CORADINUS baptizatus est cum CCC. principibus, octo diebus ante Pentecosten vallata Alexandria; episcopus novus in Damiata habet in redditibus mille talenta & XL. canonicos & quælibet præbenda est ad centum talenta. Sancta Katherina decus civitatis capta fuit in festo Philippi & Jacobi. Hæc sunt summatim excepta de quodam prolixiori scripto super hoc confecto.

VISITATIO ET CORRECTIO monasterii Vabrensis per B. abbatem S. Victoris anno 1217.

Anno 1217 *Ex archivis S. Victoris eruit D. Furnerius.* [a]

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Cum nos frater (a) B. miseratione divina Massiliensis abbas, anno Verbi Incarnati MCCXVII. pridie idus Januarii, visitationis gratia & correctionis ad Vabrense monasterium personaliter venissemus, videntes oculata fide monasterium ipsum tam in temporalibus, quam in spiritualibus plurimum deformatum; audita nihilominus infamia gravi facta, etiam nobis a quibusdam fide dignis insinuatione clamosa super inhonesta vita & conversatione irregulari quorumdam fratrum ejusdem monasterii, advocato insuper venerabili patre Ruthenensi episcopo, ipsius litteras recepimus in hunc modum.

(a) Bonifilius qui ab anno 1213 ad 1238. præfuit.

A Reverendo patri ac domino B. Dei gratia Massiliensi abbati P.* Dei miseratione Ruthenensis episcopus salutem, gratiam, & honorem. Notum facimus discretioni vestræ, quod nos in procinctu sumus eundi versus Tolosam, quare ad vos die dominica non valemus venire, unde dolemus quia voluntatem vestram & mandatum desideramus implere. Rogamus itaque dilectionem vestram, de qua multum confidimus, ut super his nos habeatis excusatos. Insuper attentius vos deprecamur, quatenus si placet, corrigatis in monasterio Vabrensi corrigenda; multa enim sunt ibi quæ correctione indigent & reformatione, nos enim ea quæ ibi statueritis, firmiter observari faciemus. Valete.

* Petrus.

Recepta igitur excusatione prædicta, de consilio venerabilis patris abbatis Castrensis, & magistri Roberti, & aliorum fratrum qui nobiscum aderant, inquisitionem in ipso monasterio duximus faciendam: acceptis itaque sacramentis, sicut moris & juris est, ab abbate, priore & fratribus universis, ut super his quæ reformanda in toto monasterio videbantur in capite videlicet & in membris, veritatem nobis plenius aperi-C rent; depositiones eorum diligenter audivimus, & in scriptis redactas sub sigillis nostris includere volebamus, habitis super ipsis ante publicationem consiliis sapientum; nisi patres ipsi omnes concorditer a nobis cum omni instantia postulassent, ut paupertati & desolationi ejusdem monasterii pie compatientes, ante recessum nostrum sententiam sive mandatum formare modis omnibus curaremus. Quia vero cognovimus inter abbatem & fratres gravem & quasi implacabilem discordiam ortam esse, eumdem abbatem admonere curavimus diligen-D ter, ut propter bonum pacis, & ut reformationi dicti monasterii efficacius intendere valeremus, spontaneam faceret cessionem.

[a] (a) Qui admonitionem nostram suscipiens humiliter & devote, non curans de temporali honore, sed cum Paulo pro fratribus suis anathema fieri cupiens, sponte cessit. Et quoniam constitit nobis alios quosdam fratres esse in ipso monasterio, quorum præsentia, ut graviora quæ de eis audivimus taceamus, ipsi monasterio non esset utilis, sed damnosa: eos inde ad tempus E duximus removendos, & aliis locis ubi ad salutem animarum suarum Deo servire, & consuetudines nostras possint addiscere, collocandos sub excommunicationis pœna & debito præstiti juramenti, firmiter prohibentes, ne umquam ad idem monasterium redeant, donec per nos vel successores nostros fuerint revocati. Hos autem propriis nominibus duximus subscribendos, videlicet A. de Castlucio, cui locum in Castrensi monasterio assignavimus, vel in societate nostra, si nobis maluerit adhærere, donec, Deo propitio, possemus eum Massiliæ ponere in conventu, B. de Creissello qui in Chiriacensi monasterio, G. de Curvalla qui in Domo Verniæ, Sicardum Alamandum qui apud Alsonem, G. de Viridario qui apud Ambuletum, G. de Rivo quem in domo S. Amantii Ruthenensis volumus ac præcipimus permanere, admonentes eos, & in Domino, quantum possumus, obsecrantes, ut & tales se studeant exhibere, quod facile mereantur reconciliationis gratiam B invenire.

Ad hæc præcipimus, quod omnia quæ venerabilis frater noster P. quondam abbas habebat adhuc penes se ad abbatiam pertinentia, statim restitueret, retenta sibi domo de Vernia, & mulo majori, & uno lecto. Restituenda vero erant, sicut audivimus ex confessione ejus, tres archæ plenæ blado, & duo muli, & una mula infirma, & fere omnes panni monasterii, & LX. solidi, & annulus quidam quem habebat in pignore. Priorem vero jussimus restituere dolium unum, & c. solidos quos habebat. Item præcepimus tam ipsi quam sacristæ remittere monasterio quod sibi deberi a monasterio afferebant. Item Aimerico præcepimus restituere duodecim heminas frumenti & duas (b) civatæ, quas dixit in monasterio se habere. [b] Item de Ferreto jussimus ad monasterium afferri quicquid ibi supererit, deductis necessariis expensis ipsius domus, & asinum, & roncinum, & XX. oves, nisi constiterit eas ad S. Johannis ecclesiam pertinere, & nisi idem A. lateri nostro voluerit adhærere, quo casu roncinus necessarius sibi esset.

Prædicta vero omnia jussimus poni in communi, & usque ad adventum futuri abbatis per priorem diligentius custodiri: ita tamen quod inde fratribus competenter necessaria ministraret, & generaliter præcepimus sacristiam, domum de Ferreto, de S. Severo, de Octabiano, de Ponto, de Biarns & alia omnia tam infra quam extra monasterium ad ipsum pertinentia in custodia, & diligenti cura dicti prioris interim permanere.

Ad hæc quia sicuti audivimus XX. sol. ex consuetudine annuatim singulis monachis pro vestibus præstabantur, quod indubitanter dabat eis occasionem peculium retinendi, ipsam consuetudinem penitus destruentes, statuimus ut dicti denarii per camerarium insimul colligantur, ad emendos pannos, de quibus iidem fratres juxta possibilitatem monasterii vestiantur, statuentes nihilominus, ut consuetudines monasterii nostri, quæ de novo sunt in scriptis redactæ, conscribi faciant sine mora, eas tam NOTA.

(a) Is vocabatur Bernardus de Arulis.

(b) Civata in vulgari Provinciæ & Occitaniæ est avena.

in divinis officiis, quam in alia ordinis observantia fideliter & inviolabiliter serventur.* A

* l. servaturi.

Præterea districte præcipimus, ut in ecclesia, dormitorio, refectorio juge silentium observetur, & in claustro temporibus constitutis.

Item, ut juxta regulam a carnibus abstineant, & singulis dominicis diebus processionem faciant, & ut saltem reliquias mensæ fratrum pauperibus erogent, & ut mandatum pauperum quotidie, mandatum vero fratrum faciant in sabbatis, juxta consuetudinem regularem. Hebdomadariorum mensæ, ecclesiæ & coquinæ nomina in capitulo de tabula in sabbato recitentur, qui sequenti dominica, sicut moris est, benedictionem accipiant, pro suis negligentiis veniam postulantibus egressuris. Ne sine licentia de monasterio exeant. Ne soli incedant tam prioribus quam claustralibus omnibus, sub quanta districtione potuimus, prohibentes.

NOTA.

B

Hæc idcirco significavimus, quia in his præcipue perpendimus ordinem violari: alia vero multa quæ emendatione digna vidimus, prioris cui curam commisimus, & postmodum futuri abbatis sollicitudini relinquimus emendanda.

C

CARTA MANASSIS EPISCOPI Aurelianensis.

De turre Soliaci.

Anno 1218. Ex ms. Colbertino.

MANASSES Dei gratia Aurelianensis episcopus, omnibus præsentes litteras inspecturis salutem in Domino.

Noverit universitas vestra, quod nos & successores nostri Aurelianenses episcopi, D vel illi qui loco nostro erunt, excellentissimo domino nostro PHILIPPO illustri Francorum regi vel ejus certo mandato tenemur reddere ad magnam vim & parvam, turrim novam quam ædificari fecit apud Soliacum, quotiescumque voluerit, cum nos vel successores nostri vel illi qui loco nostri erunt ab ipso vel ejus mandato super hoc fuerimus requisiti: ita tamen quod cessante negotio pro quo tradita fuerit, turrim eamdem cum omni integritate qua eam receperit, nobis & successoribus nostris vel nostro vel successorum nostrorum mandato restituet. Actum anno gratiæ MCCXVIII. mense Junio.

CARTA GUILLELMI EPISCOPI Lingonensis.

De castro de Joinvilla ipsi tradendo, donec Simon frater ipsius conditiones pacis ipsum inter & comitem Campaniæ & ejus matrem adimpleret.

Anno 1218 Ex ms. regina Sueciæ eruit Mabillonius.

EGO GUILLELMUS Lingonensis episcopus universis præsentes litteras inspecturis in Domino salutem.

Notum facio quod per conventiones, quæ sunt inter dilectos & fideles meos BLANCHAM comitissam Campaniæ & THEOBALDUM filium ejus ex una parte, & SIMONEM dominum Joinvillæ fratrem meum ex altera, super pace reformata inter ipsos, tenetur idem Simon frater meus mihi tradere castrum suum de Joinvilla, & ego postquam essem saisitus ex eo, non redderem ei, nec alicui ex parte sua, donec conventiones inter eos habitæ, essent in integrum adimpletæ: & si dictus Simon conventiones, sicut in litteris ejusdem continetur, infra XL. dies submonitus non observaret, ego tenerer castrum Joinvillæ reddere Blanchæ comitissæ, & Theobaldo filio ejus supradictis tenendum, donec plenius esset emendatum, & cum emendatum esset, dictum castrum in manum meam rediret. Si autem me decedere contingeret, SIMON dominus Castri-villani teneret castrum prædictum loco meo, & teneretur observare omnes conventiones sicut superius sunt expressæ. In cujus rei testimonium præsentes litteras sigilli mei munimine roboravi. Actum anno Domini MCCXVIII. mense Junio.

EPISTOLA H. EPISCOPI Suessionensis, R. abbatis S. Johannis de Vineis & G. decani ad Guillelmum episcopum Lingonensem.

Ut Simonem de Castro-villano denuntiet absolutum ab excommunicatione, & relaxet interdictum in terras ejus.

Anno 1218. Ex ms. reginæ Sueciæ eruit Mabillonius.

REverendo patri ac domino GUILLELMO Dei gratia Lingonensi episcopo, ejusque officiantibus, H. eadem gratia Suessionensis episcopus, R. abbas S. Johannis E in vineis, & G. decanus Suessionensis salutem in vero salutari.

Cum vobis alias dederimus in mandatis, ut SIMONEM de Castro-villano auctoritate apostolica nobis commissa excommunicatum denunciaretis, & terram ipsius supponeretis interdicto, pro eo videlicet quod guerram movebat contra dominam comitissam Campaniæ & THEOBALDUM natum ejus: modo autem revertens ad cor suum

& pœnitens de commissis dominæ comitissæ & Theobaldo nato ejus satisfecit, sicut nobis per suas litteras intimavit: inde est quod vobis auctoritate apostolica mandamus, & mandando injungimus, quatenus ipsum Simonem auctoritate prædicta denuncietis absolutum, & denunciari faciatis, & terram ipsius ab interdicto penitus relaxetis, recepta ab eo primitus sufficienti cautione, quod stabit mandato ecclesiæ & nostro, quod de cetero terram Campaniæ per se vel per alios non molestabit, nec ab aliis faciet molestari, nec guerram contra comitissam Campaniæ vel natum ejus Theobaldum movebit propter causam domini Erardi vel uxoris ejus. Retinemus nobis nihilominus potestatem, quam in ipsum habebamus ante istam compositionem, sicut nobis per suas patentes litteras intimavit, & hæc omnia sibi in cautione præstanda intimetis. Si vero episcopum deesse contigerit, vos officiales id exequi nullatenus differatis. Datum anno Domini MCCXVIII. sexta feria post festum S. Barnabæ apostoli.

CARTA PHILIPPI AUGUSTI regis pro Hugone de Botegniaco castellano de Gauraii.

Ut filiæ suæ matrimonio conjungendæ terram de Bella-valle possit dare.

Anno 1218.

PHILIPPUS Dei gratia, &c. Notum, &c. quod nos dilecto & fideli nostro Hugoni de Botegniaco castellano nostro de Gauraii concedimus, ut ipse filiæ suæ donet in maritagium terram suam de Bella-valle, quam nos ei dedimus, & quæ fuit eidem assignata pro XXVIII. libratis terræ: ita quod de terra illa reddatur nobis & heredibus nostris tale servitium, quale terra illa debet ad usus & consuetudines Normanniæ. Quod ut perpetuum, &c. Actum Ebroicis anno Domini MCCVIII.

CARTA PHILIPPI AUGUSTI REGIS pro Galterio juvene camerario.

Anno 1218. Ex ms. Colbertino.

NOtum, &c. quod nos dilecto & fideli nostro Galtero juveni camerario propter fidele servitium quod nobis impendit ejusque heredibus de uxore sua desponsata donamus in perpetuum Fontanas *la Gerart*, Fretevillam & Hugnevillam cum pertinentiis suis, & omnia domania, & feoda & servitium, quæ Rogerius de Toomaco habebat in Wlquasino Normanniæ, quæ dictus Galterus tenuit in Wlquasino usque in hodiernum diem, faciendo nobis servitia duorum militum ad usus & consuetudines Normanniæ. Quod ut perpetuum, &c. Actum Parisius anno Domini MCCXVIII. regni nostri XXXIX. dapifero nullo, &c.

BULLA LUCII PAPÆ III. ad Manassem episcopum Trecensem.

Ne laici in claustro canonicorum habitare permittantur.

Communicavit D. Brayer canonicus Trecensis.

LUCIUS episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Manassæ Trecensi episcopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Audivimus, & audientes nequivimus non mirari quod laici quidam in claustro vestro domos jure hereditario possidentes, tales personas plerumque admittunt, per quas clericorum quies inhonesto strepitu sæpe turbatur, & devotio populi ne divinis intendat officiis præpeditur, joculatoribus quidem aleatoribus, cauponibus, & mulieribus impudicis præscriptæ domus de consuetudine prava locantur. Volentes igitur communi ecclesiæ honestati consulere, auctoritate apostolica prohibemus, ne domus canonicales ulterius laicis vel gratis dentur, aut etiam sub quacumque occasione locentur. Constituimus etiam de domibus quas laici in claustro jure hereditario tenent, si eas in personis propriis cum honesta familia, exclusis inhonestis personis, per quas clericis molestia generetur, & honestas ecclesiæ decoloretur, inhabitare noluerint, nonnisi clericis gratis vel pro pretio concedantur. Si vero prohibitioni tuæ contraire præsumpserint, personas alias, quas domos ipsas contra mandatum nostrum inveneris habitare, contradictione & appellatione cessante, vinculo excommunicationis astringas, & donec cesserint, facias ab omnibus artius evitari. Datum Anagniæ quinto calendas Decembris.

BULLA HONORII PAPÆ III. ad decanum & capitulum Trecense S. Stephani.

Ut canonicorum & clericorum suorum excessus per capitulum corrigantur.

Anno 1219. Communicavit dominus Brayer canonicus Trecensis. [a]

HONORIUS episcopus servus servorum Dei dilectis filiis decano & capitulo B. Stephani Trecensis, salutem & apostolicam benedictionem.

Cum in concilio (a) generali provida fuerit deliberatione statutum, ut canonicorum cathedralium ecclesiarum excessus, qui consueverunt corrigi per capitulum, per ipsum in illis ecclesiis quæ talem hactenus consuetudinem habuerunt, ad commonitionem & jussionem episcopi corrigantur infra terminum competentem ab episcopo præfigendum: alioquin ex tunc episcopus Deum habens

(a) Lateranensi sub Innocentio III. anno 1215. celebrato capite 7.

bens præ oculis, ipsos prout animarum cura requirit, per censuram canonicam corrigere non postponat; præsentium vobis auctoritate concedimus, ut circa canonicos & clericos ecclesiæ vestræ forma correctionis hujusmodi observetur, præsertim cum per capitulum hactenus corrigi consueverint canonicorum & clericorum vestrorum excessus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. B Datum Laterani XIII. calendas Februarii pontificatus nostri anno III.

CARTA PHILIPPI AUGUSTI regis.

De capella S. Nicolai de Parco juxta Augum.

Anno 1219. Ex ms. Colbertino.

PHILIPPUS, &c. Noverint universi quod nos pietatis intuitu, & ob remedium animæ nostræ, necnon & omnium prædecessorum nostrorum ecclesiæ B. (a) [a] Mariæ de Augo dedimus & concessimus in C perpetuum capellam B. Nicolai de Parco juxta Augum, in qua comes RADULFUS Augi proposuerat ponere mulieres leprosas, quas nec umquam ibi posuit, nec nos eas volumus ibi esse. Dedimus etiam eidem ecclesiæ cum eadem capella centum viginti libras Parisienses annui reditus, quas percipient a nobis in vicecomitatu Augi ad hos terminos, videlicet ad nativitatem B. Johannis-Baptistæ XXX. libras, ad nativitatem Domini XXX. libras, & ad Pascha triginta libras. Dedimus etiam canonicis B. Mariæ de Augo totum nemus de Parco integre, quod habebamus juxta dictam capellam ad D usum eorumdem canonicorum: ita quod nemus illud vendere non poterunt, quamdiu vendas faciemus in vicecomitatu Augi: & ipsi canonici propter hoc nobis quittaverunt & heredibus nostris in perpetuum usuarium, quod habebant in foresta Augi, & dedimus eisdem culturam, in qua nundinæ celebrantur ante portam domus illorum canonicorum, salva nobis justitia in eadem cultura, & in nemore prædicto, & salvis nobis nundinis quas in eadem habemus cultura, & ipsi canonici non poterunt facere E in dicta cultura, nec in nemore prædicto villam, nec ponere hospites. Canonici autem ecclesiæ beatæ Mariæ de Augo debent constituere in capella prædicta beati Nicolai de Parco sex canonicos presbyteros de ordine suo, qui continue & perpetuo ibidem Deo serviant, divina pro nobis & nostris prædecessoribus celebrantes. Ut autem prædicta donatio nostra perpetuæ, &c. Actum apud Pontem-Archæ anno Domini MCCXVIII. mense Martio.

(a) Abbatia est canonicorum regularium ordinis S. Augustini in diœcesi Rothomagensi vulgo *Notre-Dame d'Eu*.

CARTA PACIS INTER ROBERTUM de Pissiaco & Johannem de Moreto & fratrem ejus.

Anno 1219. Ex ms. Colbertino.

PHILIPPUS, &c. Notum, &c. quod contentio, quæ vertebatur inter dilectum & fidelem nostrum Robertum de Pissiaco ex una parte, & Johannem de Moreto fratrem suum ex alia, terminata est & sopita coram nobis in hunc modum; videlicet quod forteritia Radepontis funditus prosternetur, nec ibidem de cetero fiet forteritia, nisi de nostro assensu: ita etiam quod quilibet eorum habebit medietatem in Radeponte & ejus pertinentiis, scilicet in villis, boscis, terris, aquis & pratis & in omnibus pertinentibus ei proventibus, tam in feodis quam in domaniis, de quibus dictus Johannes tenens erat & capiens, ea die qua pax ista fuit facta, salvis dicto Johanni donis quæ fecimus patri suo, quæ non sunt de pertinentiis Radepontis, & propter hanc pacem quittavit idem Johannes dictum Robertum de omnibus illis de quibus idem Robertus tenens erat in Franciam & in Normanniam. Et humiliter idem Robertus quittavit dictum Johannem de omnibus illis, de quibus idem Johannes tenens erat in Francia & in Normannia: & si ipsi possent recuperare aliquid quod esset de jure Radepontis, illud esset commune eis duobus. Nos autem utrumque eorum recepimus in hominem de rebus prædictis pro parte sua. Quod ut robur, &c. Actum apud Pontem-Archæ anno Domini MCCXVIII. mense Martio.

CARTA PHILIPPI AUGUSTI REGIS,

De Domo-Dei de Gonessa.

Anno 1219. Ex ms. Colbertino.

PHILIPPUS, &c. Notum, &c. quod nos Domum-Dei de Gonessa fundatam per manum dilecti & fidelis nostri P. de Tillia cum omni porprisio ejusdem domus pro salute animæ nostræ & antecessorum nostrorum ab omni sæculari potestate & dominio tamquam eleemosynam in perpetuum liberam esse concedimus & immunem: volentes ut protectione regia & perpetua gaudeat libertate. Ea autem quæ dictæ domui intuitu caritatis ab eodem Petro, sicut in carta ejusdem Petri continetur, & ab aliis fuerint rationabiliter collata & deinceps conferenda tam in reditibus quam vineis & terris arabilibus concedimus, salvis reditibus nostris, & justitia nostra, & salvo jure alieno. Ita etiam quod in terris non poterit fieri

villa, nec ibidem poterunt hospites poni. Quod ut ratum, &c. Actum apud Pontem-Archæ anno Domini MCCXIX. mense Aprili.

CARTA JUHELLI DE MEDUANA pro monachis Majoris-monasterii.

Confirmat eorum libertates.

Anno 1219. Ex archivis Majoris-monasterii.

EGo JUHELLUS de Meduana omnibus baillivis & fidelibus meis ceteris præsentes litteras inspecturis salutem in Domino.

Quoniam dignum est, ut ea quæ pie geruntur, debitum sortiantur effectum; ego pro salute animæ meæ contra Albigenses peregre proficiscens, volo, præcipio, statuo, & concedo, ut omnes donationes & libertates, quas monachi B. Martini Majoris-monasterii quocumque modo, quocumque loco, ex largitione antecessorum meorum & mea etiam habuerunt, libere eis & inconcusse permaneant, & cartæ inde confectæ sine diminutione qualibet & contradictione firmiter observentur; nec mihi liceat nec successoribus meis contra eas venire, vel aliquid attentare. Actum anno gratiæ MCCXIX. Quod ut ratum permaneat, dictis monachis præsentes litteras indulsi, sigilli mei munimine roboratas.

EPISTOLA SIMONIS domini Clarimontis ad episcopum Suessionensem, abbatem S. Johannis de Vineis, & decanum ecclesiæ Suessionensis.

Orat absolvi ab excommunicationis, & terram suam ab interdicti sententiis, quas ob denegatum comiti & comitissæ Trecensi hominium incurrerat.

Anno 1219. Ex ms. Reginæ Sueciæ eruit D. Mabillonius.

VEnerabili patri in Christo carissimo (a) H. divina providentia Suessionensi episcopo, & dilectis suis abbati S. Johannis in vineis, & G. decano Suessionensi SIMON dominus Clarimontis salutem & sinceram in Domino dilectionem.

Noverit prudentia vestra, quod cum iniquo malignorum consilio ab homagio nobilis dominæ BLANCHÆ comitissæ Trecensis & THEOBALDI comitis nati ejus temere recessissem, & postmodum reversus ad cor, & ductus pœnitentia, ad eorum homagia spontaneus sum reversus, petens humiliter & requirens, ut sententiam excommunicationis, quam in me auctoritate apostolica, & interdicti in terram meam propter hoc promulgastis, velletis misericorditer relaxare. Ego enim coram domino rege & Lingonensi episcopo juravi super sanctos, quod mandato stabo ecclesiæ, & promitto sub testimonio præsentium litterarum, quod id servabo firmiter, quod mihi secundum formam ecclesiæ duxeritis injungendum. Concedo etiam quod si illud non observarem, eamdem in me & in terram meam habeatis potestatem, quam ante istam pacem habebatis. Actum anno gratiæ MCCXIX. mense Aprili.

CARTA PHILIPPI AUGUSTI regis.

De cereo in ecclesia B. Mariæ Silvanectensis perpetuo arsuro.

Anno 1219. Ex ms. Colbertino.

PHILIPPUS, &c. Notum, &c. quod nos pro salute animæ nostræ & animarum antecessorum nostrorum ad preces carissimi & fidelis nostri GARINI Silvanectensis episcopi, donamus in perpetuum ecclesiæ B. Mariæ Silvanectensis ad opus cujusdam cerei, qui in ecclesia ante majus altare B. Mariæ tam de die quam de nocte continue ardeat in perpetuum, decem libras Parisiensis monetæ percipiendas annuatim in præpositura nostra Silvanectis, ad terminos præpositurarum nostrarum: ita quod si populus Silvanectensis dictam pecuniam solvere differret ultra terminos prædictos pro singulis diebus, quibus ultra terminos prædictos dictum reditum solvere differret, quinque solidos nobis solvere teneretur pro emenda. Et sciendum quod reditus prænominatus in alios usus expendi non potest vel poni: quod si forte in alios usus poneretur, nos & heredes nostri reditum illum in manu nostra saisiremus. Quod ut perpetuum robur, &c. Actum apud S. Germanum in Loia anno Domini MCCXIX. mense Aprili.

LITTERÆ GUILLELMI de Dampetra ad Blancham comitissam Campaniæ.

Reddit ei vicecomitatum Trecensem.

Anno 1219. Ex ms. reginæ Sueciæ eruit Mabillonius.

REverendæ & carissimæ dominæ suæ BLANCHÆ illustri comitissæ Campaniæ Palatinæ, GUILLELMUS de Dampetra suus salutem & paratum in omnibus cum honore & reverentia famulatum.

Noveritis quod ego reddo & concedo carissimæ dominæ & matri meæ vicecomitatum Trecensem, & eamdem de eo investio & me devestio pro denariis quos eidem

(a) In serie episcoporum Suessionensium nullus reperitur sæculo XIII. quo hæc scripta est epistola, cujus nomen incipiat a littera H. sed anno 1219. sedebat Aimardus de Pruvino, qui hoc eodem anno cessit episcopatui factus canonicus regularis apud sanctum Johannem de Vineis, & successorem sortitus Jacobum de *Basochis*.

assignaveram & debebam singulis annis secundum formam compositionis, quæ fuit tractata & definita coram nobis, tali siquidem conditione, quod dicta domina & mater mea possidebit vicecomitatum quamdiu tenebit terram. Postquam vero terram non teneret, dictus vicecomitatus reverteretur ad me, vel ad heredes meos integer, immunis, & absolutus. Inde est quod vobis mando & vos rogo, quatenus eamdem super dicto vicecomitatu investiatis, & faciatis illum ab eadem domina & matre mea, vel a mandato suo quiete & pacifice possideri. Actum anno MCCXIX. mense Maio.

RICHARDI ABBATIS BECCENSIS statuta edita in capitulo generali MCCXIX.

Ex ms. Belimontis cella eruit D. Richardus Housfaye.

R. Dei gratia abbas & conventus de Becco universis monachis Beccensis ordinis salutem, gratiam & benedictionem.

Ad vestram volumus pervenire notitiam, quod anno Domini 1219. in vigilia B. Johannis Baptistæ more solito, generale celebravimus capitulum: in quo præsentibus universis prioribus transmarinis, voluntate & assensu totius capituli, quædam renovavimus, quædam abrogavimus, quædam statuimus, volentes & firmiter præcipientes, ut tam renovata quam statuta firmiter & immobiliter observentur; ab eis autem quibus abrogatum est modis omnibus abstineatur.

Priores igitur in primis se sciant esse monachos, non dominos; sic monachos quasi monachos honorent, ut ipsi priores a monachis honorem reportent. Non sint elati, non avari, non effusi, non crudeles, non remissi: gregibus igitur commissis omnem quam decet adhibeant tutelæ tam spiritalis quam corporalis sollicitudinem & diligentiam: inquietos corripiant, elatos coërceant, tumidos castigent, infirmos tolerent, humiles extollant, proficientes adjuvent, provectis congaudeant, juste judicent, stateram in manu gestent, in utroque penso justitiam & misericordiam portent, per justitiam reddant punitatis sententiam. Per misericordiam temperent peccati pœnam, ut justo libramine quædam per æquitatem corrigant, quædam vero per miserationem indulgeant: sit amor, sed non emolliens; sit rigor, sed non exasperans; sit zelus, sed non immoderate sæviens; sit pietas, sed non plusquam expediat parcens. Et si quid est quod aut corrigere nequeant, aut corrigendi juridictionem non obtinent, nobis corrigendum modis omnibus reservent; videlicet pænam gravis culpæ, vel carceris, vel expulsionis. Infligenda autem pæna gravis culpæ pro violenta injectione manuum in monachum vel presbyterum, vel clericum vel hominem alium; pro sola insurrectione in monachum cum certo signo violentiæ, etsi non sequatur violentia; pro inobedientia: sed distinguendum est, quia inobedientia vel facta est in capitulo vel extra capitulum. Si in capitulo & monachus antequam idem capitulum dissolvatur, promittat obedientiam & emendationem, debet recipi. Si extra capitulum, & monachus in sequenti capitulo spontanea voluntate cum omni humilitate & emendationis sponsione postulat veniam; & potest & debet consequi beneficium, nisi crimen enorme comitans inobedientiam videatur obviare. Et firmiter teneatur & nullatenus dubitent priores, quod si quis monachus, quod absit, ita innorme crimen perpetraverit, quod eorum juridictionem transcendat, nullo modo debent eum punire; sed tantum ad nos cum causa sua conventus testimonio probata honeste & cum societate secura debent eum destinare, nisi forte prius super facto crimine diffinitum a nobis susceperint mandatum.

Volumus igitur & firmiter præcipimus, ut monachis in infirmitate manifesta gravatis priores sollicite provideant, in lumine, in servientibus honestis, in cibariis infirmitatibus eorum sufficientibus & congruis, in visitatione frequenti.

Item, si monachus in via fuerit dirigendus pro domus utilitate vel propria petitione vel quacumque occasione, prior provideat ut monachus habeat vecturam sufficientem & idoneam, servientes honestos, & sumptus necessarios. Item si quis monachus præcepto domni abbatis vel occasione alia locum ad commanendum fuerit mutaturus: non cogatur egredi donec vestes suas sibi debitas sufficientes & idoneas cum rebus aliis sibi debitis & etiam expensas secundum æstimationem majorum domus a priore suo recipiat. Sicut autem monachus tenetur ad obediendum ut recedat, ita & prior tenetur, ut ei quæ secundum ordinem necessaria sunt inveniat. Item si pater, vel mater, vel soror, vel frater, vel aliquis alius de quo monachus de ratione sit sollicitus, ad locum accesserit in quo idem monachus manserit: per unam diem & unam noctem.

Cetera desiderantur.

CARTA COMITISSÆ AUGI.

De reddito sibi Augi comitatu.

Anno 1219. Ex ms. Colbertino.

EGO AILIDIS comitissa Augi notum facio universis præsentibus pariter & futuris, quod ego cum carissimo domino meo PHILIPPO Dei gratia illustri Francorum rege sua gratia finem feci de comitatu Augi

in hunc modum, videlicet quod dominus rex mihi reddidit comitatum Augi, salvo sibi placito ensis & Judæis suis, & aliis justitiis salvis & servitiis & jure, quæ comitatus Augi debet domino Normanniæ, sicut pater meus & antecessores ejus ea fecerunt & reddiderunt, HENRICO & RICHARDO quondam regibus Angliæ & antecessoribus eorum: ita quod ego in *Driencort* & ejus pertinentiis tam in feodo quam in domanio de *Driencort* nihil reclamabo, nec heredes mei aliquid reclamabimus in Mortuo-mari, nec in ejus pertinentiis, nec in haia, nec in nemoribus, nec in feodis, nec domaniis, nec aliis ad Mortuummare pertinentibus, sicut dominus rex est inde saisitus & tenens, nec in archiis, nec in aliquo quod ad archias pertineat. Præterea dominus rex reddidit mihi id quod comes Augi quondam maritus meus tenebat de terra de *Roumare*, quando ivit ad JOHANNEM quondam regem Angliæ, salva domino regi Franciæ foresta de *Romare* & novo mercato, in quibus nihil reclamo, & salvo domino regi placito ensis & aliis justitiis, & servitiis, & jure sicut debent domino Normanni, & salvo jure alieno. Et sciendum quod dominus rex retinet sibi feodum de Bulli, quod Robertus de Mellevilla tenet de eo in ballivia novi castri de *Driencort*. Ego autem faciam domino regi securitatem per me & homines meos, quod me non maritabo, nisi per eum, & dominus rex me non effortiabit de me maritanda, nec heredes mei firmabimus, nec infortiabimus fortericias aliquas a puncto in quo sunt modo, nisi per dominum regem: & de hoc faciam domino regi securitatem per me & homines meos: propter hæc facienda teneor dare domino regi quindecim millia marcharum ad pondus Trecense, videlicet quinque millia marcharum in instanti festo assumtionis B. Mariæ, & quinque millia marcharum in sequenti festo omnium sanctorum, & quinque millia marcharum in sequenti festo S. Remigii, & de hoc bonam domino regi dare teneor securitatem. Et sciendum quod Gaufridus de Capella ex parte domini regis & Robertus ex parte mea recipient omnes reditus & proventus comitatus Augi ad me pertinentes: ita quod illi reditus & proventus computabuntur in solutionem debiti mei supradicti. Actum Meleduno, anno Domini MCCXIX. mense Augusto.

CONVENTIONES TREUGÆ quam dominus rex ad preces domini papæ concessit Henrico regi Angliæ.

Anno 1220. Ex ms. Colbertino.

HENRICUS rex Angliæ, &c. Noveritis quod PHILIPPUS Dei gratia Franciæ rex illustris pro honore Dei, & Terræ sanctæ transmarinæ, & terræ Albigensis succursu, & obtentu precum domini papæ, nobis & hominibus & imprisiis nostris, qui aperte guerreaverunt de hac ultima terra, quæ fuit inter eumdem dominum PHILIPPUM regem Franciæ & dominum regem quondam regem Angliæ patrem nostrum, dedit rectas treugas de se & hominibus suis ab instanti Paschate, quod erit anno Domini MCCXX. in quatuor annos completos, salvis prisionibus nostris, quos penes se habet, & salvo juramento quod villæ Flandriæ & Hainoniæ, & milites alii homines Flandriæ & Hainoniæ ei fecerunt, & nos eidem domino PHILIPPO regi Franciæ & hominibus & imprisiis suis qui aperte guerreaverunt de hac ultima guerra quæ fuit inter ipsum & JOHANNEM regem Angliæ patrem nostrum, dedimus rectas treugas de nobis & hominibus nostris ab instanti supradicto Paschate in quatuor annos completos, salvis prisionibus nostris quos penes nos habemus. Idem autem rex Franciæ & homines & imprisii sui erunt in ea teneatura in qua sunt modo, & in qua fuerunt tempore primæ treugæ firmatæ inter ipsum regem Franciæ & dictum patrem nostrum, & nos & homines & imprisii nostri erimus in ea teneatura in qua sumus modo, & in qua dictus JOHANNES pater noster & homines & imprisii sui fuerunt tempore primæ treugæ firmatæ inter regem Franciæ & dictum Jo. patrem nostrum. Nullus (a) mulctrarius, nec aliquis qui fuerit forbannitus a prædicto rege Franciæ a tempore datæ treugæ inter ipsum regem Franciæ, & prædictum JOHANNEM patrem nostrum, usque ad prædictum terminum poterit intrare terram prædicti regis Franciæ, nisi de voluntate ejusdem regis. Similiter nullus mulctrarius, nec aliquis qui fuerit forbannitus a prædicto JOHANNE patre nostro, a tempore dictæ treugæ inter ipsum regem Francorum, & jam dictum patrem nostrum usque ad prædictum terminum, poterit intrare terram nostram, nisi de voluntate nostra. Si autem aliquis cujus terram idem rex Philippus habeat in manu sua, venerit in terram prædicti regis Franciæ, non poterit in terra ejusdem Philippi regis facere moram, nisi jaceat in lecto ægritudinis, præterquam ad portum maris ubi ventum poterit expectare usque ad tempus competens. Si quis de comitatu Andegavensi vel Britanniæ prædicto patri nostro tunc adhærebat, quando data fuit treuga inter ipsum regem Francorum & sæpedictum patrem nostrum, vel nobis nunc adhæreat, & voluerit facere moram in comitatu Andegavensi vel Britanniæ, non poterit morari in comitatu Andegavensi, nisi de voluntate

(a) Id est homicida, seu qui hominem occiderit a gallica voce *meurtrier*.

prædicti regis Francorum & senescalli Andegavensis, nec in comitatu Britanniæ, nisi de voluntate ipsius regis Francorum & comitatus Britanniæ. Nos non capiemus malam toltam in terra nostra de hominibus & imprisiis prædicti regis Franciæ; nec idem rex Franciæ in terra sua de hominibus & imprisiis nostris. Rex autem Romanorum & Siciliæ FRIDERICUS erit in ista treuga si voluerit. Si autem aliquis de hominibus prædicti regis Franciæ interciperet in hac treuga, idem rex moneret eum bona fide, quod interceptiones emendaret. Quod si ad monitionem eas infra sexaginta dies nollet emendare, gentes nostræ possent in ipsum interceptorem vindicare de interceptionibus, & supradictus rex Franciæ exinde se non intromitteret, & nos de hominibus & imprisiis nostris similiter facere debemus, & dominus rex sine meffacere poterit interceptiones emendare, si ei placuerit, & nos exinde non intromitteremus. Et sciendum quod carissimus & fidelis suus LUDOVICUS primogenitus creantavit eidem patri suo bona fide, quod treugam istam tenebit, quamdiu dictus pater suus eam tenebit. Hanc autem treugam dictus rex Franciæ bona fide & sine malo ingenio tenebit, & a suis bona fide & sine malo ingenio faciet teneri. Et hanc treugam juraverunt ex parte nostra archiepiscopus Cantuariensis, episcopus Wintoniensis, Hubertus de Burgo justitiarius Angliæ, comes Garennæ, & comes Salesberiensis, quod eam toto posse suo bona fide observabunt, & facient observari. Et nos prædictam treugam creantavimus quod sine malo ingenio & bona fide eam tenebimus & faciemus teneri. Quod ut firmum, &c. Actum apud Londoniam anno Domini MCCXIX. tertia die Martii, anno vero regni nostri quarto.

EPISTOLA....
ad Philippum Augustum regem Francorum.

De modo levandi impositionem ab hominibus Cormeriacensis abbatis.

Anno 1220. *Ex ms. Colbertino.*

EXcellentissimo, &c. Dominationi vestræ significo, me secundum tenorem litterarum vestrarum, coram præsente PHILIPPO, tactis sacrosanctis, juravisse, quod ego cum eodem Philippo inquirerem per sacramenta Petri Savarici, GUILLELMI DE ARAIO abbatis de *Cegonges* militum & majoris de *Loave* & de S. Quintino, & Girardi *Moissant*, utrum tallia vel demanda facta a vobis ab hominibus ecclesiæ (a) Cormeriacensis & membrorum ejus, levetur per manum abbatis Cormeriaci vel per manum ballivorum vestrorum; qui jurati unanimiter dixerunt, quod quando exigitis talliam seu demandam ab hominibus ecclesiæ Cormeriacensis per ballivum vestrum litteras vestras abbati Cormeriaci destinatis: quibus perceptis, abbas convocat homines Cormeriaci, & aperit eis mandatum vestrum, & in continenti quatuor vel plures eorum bonæ opinionis jurant, quod bene & fideliter dictam talliam assidebunt. Postmodum illi jurati levant & recipiunt illam talliam, & si in levanda tallia facta fuerit violentia, abbas requiritur illam violentiam removere: quam si removere non potest, per ballivum vestrum debet removere. Tallia vero levata & recepta, dicti jurati deferunt eam & tradunt mandato vestro cum mandato abbatis Cormeriaci. Nullus autem habet talliam apud Cormeriacum, nisi nos solus, neque auxilium nisi de beneplacito & voluntate dictorum hominum Cormeriaci, anno Domini MCCXX. mense Septembri.

CARTA PHILIPPI AUGUSTI
regis, pro monasterio Dolensi.

Abbatiam Dolensem cum ejus burgo esse de eleemosyna Guillelmi de Calviniaco.

PHILIPPUS Dei gratia, &c. Noverint &c. quod dilectus noster JOHANNES abbas (b) Dolensis in nostra præsentia constitutus recognovit pro se & pro conventu suo, quod abbatia cum Burgo Dolensi sunt de eleemosyna dilecti & fidelis nostri GUILLELMI de Calviniaco & antecessorum suorum, & sunt in custodia ejusdem Guillelmi: ita quod ad utilitatem ejusdem abbatiæ tenetur ipsam abbatiam & Burgum Dolense & res eorum custodire & defendere bona fide. Idem etiam Guillelmus de Calviniaco recognovit quod eamdem custodiam de nobis tenebat. In cujus rei perpetuam memoriam, &c. Actum Meleduno, anno Domini MCCXX. mense Septembri. Anno 1220. *Ex ms. Colbertino.*

EPISTOLA HONORII
papæ tertii.

De studiis juxta generalis concilii statuta instituendis.

HONORIUS, &c. Super speculam Domini immeriti constituti, dum diligenter multo intuitu contemplamur statum ecclesiæ generalis, dolemus plurimum & tristamur, quod cum albæ sint regiones ad messem plurimam, & operarii sint perpauci, plerique vigiles qui tenentur custodire Domini vineam, dormiunt somnum suum, Anno 1220. *Ex ms. codice Himerodensi.*

(a) Cormeriacum est ordinis S. Benedicti monasterium in diœcesi Turonensi ab Itherio S. Martini abbate fundatum.

(b) Abbatia Dolensis insignis in diœcesi Bituricensi, haud procul a Castro-Rodulfi vulgo *le Bourg-Dieu* ordinis S. Benedicti.

nec zizania nimium excrescentia in manipulos ad comburendum colligunt, quamvis ea jugiter superseminat inimicus. Cumque lactens & parvulus deficiat in plateis, vix est qui frangat panem parvulis, aut propinet sitientibus aquam sapientiæ salutaris, eo quod modica est in terra Domini scientia, quia plures videntur illusores filii. Accepta non modica portione substantiæ Jesu-Christi comparant sibi de ipsa siliquas vacuas & sonoras, quæ non satiant & aquam hauriunt cum situla Samaritanæ, de puteo vel torrente aquarum infidelium, qua sitim hydropici non relevant, sed irritant. Tales equidem hortum conclusum, cui non communicat alienus, ubi fons est & puteus aquarum viventium, deserentes, ac fodientes sibi cisternas quæ aquam non prævalent continere, quasi non invenientes pascua. Fastidito manna, dum suspirant ad Ægypti pepones & allia, currunt ad sacras litteraturas, statuentes ad terram suos oculos declinare. Ut igitur per interpretationes validas tamquam per patris verba filii aberrantes ad matris ubera revocati, videlicet pulli aquilarum queant expeditius advolare, ac inoffense atque libentius velint & valeant currere in odorem fragrantis gratiæ Jesu-Christi, ad hauriendum aquas vivas in gaudio de fontibus Salvatoris, quosdam obices amovere cupimus huic itineri obsistentes, & necessaria quædam annectere hiis, quæ ab antecessoribus nostris edita sunt ab olim, ad propagationem propaginis * vitæ ve.

* f. vitis vestræ.

Cum itaque de singulis provinciis puellæ speciosæ ac virgines pro rege Assuero, qui beatitudo dicitur, per ancillas quæri debeant, & adduci ad arcem & mœnia civitatis, & per manus Agei mundum muliebrem accipere, necessariorum videlicet fulcimenta. Volumus & mandamus, ut statutum editum in concilio generali de magistris Theologis per singulas metropoles statuendis, inviolabiliter observetur. Decernentes insuper de consilio fratrum nostrorum ac discrete præcipiendo mandantes, ut quia super hoc propter raritatem magistrorum se possent aliqui forsitan excusare, ab earum prælatis & capitulis ad theologicæ professionis studium aliqui docibiles destinentur, qui cum docti fuerint in Dei ecclesia, velut splendor fulgeant firmamenti, ex quibus postmodum copia possit haberi doctorum, qui velut stellæ in perpetuas æternitates mansuri, ad justitiam valeant plurimos erudire, quibus si proprii proventus ecclesiastici non sufficiunt, prædicti necessaria subministrent. Docentes vero in theologica facultate, dum in scolis docuerint, & studentes in ipsa integre per annos quinque percipiant de licentia sedis apostolicæ proventus præbendarum & beneficiorum suorum, non obstante aliqua contraria A consuetudine, vel mandato statuto: cum denario defraudari non debeant in vinea Domini operantes. Hæc autem inconcusse volumus observari, firmiter disponentes, quod feriamus pœna debita transgressores. Sane licet fallax sit gratia ceterarum scientiarum, & vana etiam pulchritudo, quia tamen regulares quidam claustrale silentium & legem Domini animas convertentem, & sapientiam dantem parvulis, quam super aurum & topazion amare debuerant, respuentes, abeunt post vestigia gregum, & illicite se convertunt ad pedissequas B amplectendas, quæ plausum desiderant populorum: contra hujusmodi præsumtores exeuntes ad audiendum leges vel physicam, felicis memoriæ A. (a) prædecessor noster olim statuit in concilio Turonensi, ut nisi infra duorum mensium spatium ad claustrum redierint, sicut excommunicati ab omnibus evitentur, & in nulla causa, si patrocinium parare voluerint, audiantur. Reversi autem, in choro, capitulo, mensa, & ceteris, ultimi permaneant fratrum, & nisi forte ex misericordia sedis apostolicæ, totius C spem promotionis amittant. Verum quia nonnulli ex talibus propter quorumdam opiniones diversas excusationis aliquid præsumebant, nos volentes ut tales de cetero ipso facto sententiam excommunicationis incurrant, districte præcipiendo mandamus, quatinus tam a diocesanis & capitulis ipsorum, quam etiam a ceteris episcopis in quorum diocesibus in hujusmodi student, tales, sublato appellationis obstaculo, excommunicati & prædictis pœnis obnoxii publice nuntientur. Quia vero theologiæ cupimus studium ampliari, ut dilatato tentorii D sui loco, funiculos suos faciat longiores, & sit fides catholica circumcincta muro inexplicabili bellatorum, quibus resistere valeat ascendentibus ex adverso, ad archidiaconos, decanos, præpositos, plebanos, cantores, & alios clericos personatus habentes, necnon & presbyteros, nisi ab his infra spatium præscriptum destiterint, hoc extendi volumus, & appellatione postposita inviolabiliter observari. Nam cum sint multi caupones aquam vino miscentes, qui non solum involvere falsa veris, sed E etiam diem in noctem vertere moliuntur, in firmamento Dei plantare luminaria dividentia diem a nocte valide affectamus, summopere satagentes, ut ad capiendas vulpes parvulas quæ demoliuntur vineas, bonorum habeamus copiam venatorum, qui manus mittentes ad fortia, contra perversores fidei sint potentes opere & sermone. Hi vestiti duplicibus ut mereantur duplicia possidere, cum videbunt in die novissimo, ad judicandum cum terræ senatoribus concessuri. Por-

[a] (a) Alexander papa III. in Concilio Turonensi anno 1163. celebrato.

ro cum argentum alibi habeat venarum suarum principia, quam unde ferrum tollitur, & auro locus in quo conflетur, sit jam dudum Parisius deputatus, ubi turris David cum suis propugnaculis constitui consuevit, ex qua non solum dependent mille clypei, sed omnis fere armatura fortium, dum indesinenter exinde fortes ex fortissimis prodeunt tenentes gladios, & ad bella doctissimi, qui ambiunt per orbem undique lectulum Salomonis. Quidam suis divitiis invidentes dicere videntur patri quid generas? & matri quid parturis? ... secus altare plantare lucum, & ancillam heredem suæ dominæ subrogare, quamquam ancillæ filius cum filio liberæ non debeat heres esse. Currunt enim illuc improbi cum traditionibus sæcularium principum quasi rarefacere velint verbi fabrum ferrarium acuentem gladium aut lanceam, vomerem vel ligonem. Et cum in locis plurimis plures habeant sui studii professores, ultro ingerunt filiorum oculis merces suas, ut illecti ipsarum phaleris, & dulcedine provocati, a matris pulchritudine ac sapidis uberibus abstrahantur, non attendentes quod angustatum est illis stratum & fere arctus est locus ibidem filiis prophetarum. Sane licet sancta ecclesia legum sæcularium non respuat famulatum, quæ sanæ æquitatis & justitiæ vestigia imitantur: quia tamen in Francia & nonnullis provinciis laici Romanorum imperatorum legibus non utuntur, & occurrunt raro ecclesiastico causæ tales, quæ non possint statutis canonicis expediri, ut plenius sacræ paginæ insistatur, & discipuli Helisei liberius juxta fluenta plenissima resideant ut columbæ, dum in januis scalas non invenerint, ad aquas divaricare valeant pedes suos, firmiter interdicimus & districtius inhibemus, ne Parisius vel in civitatibus seu aliis locis vicinis quisquam docere vel audire jus civile præsumat. Et qui contra fecerit, non solum a causarum patrociniis interim excludatur, verum etiam per episcopum loci, appellatione postposita, excommunicationis vinculo innodetur.

HONORII PAPÆ III. EPISTOLA ad archiepiscopum Bituricensem.

De corruptis sacerdotum moribus emendandis.

Ex ms. codice monasterii Himerodensis.

HONORIUS, &c. archiepiscopo Bituricensi, &c. Expectavimus hactenus expectantes si monitis & statutis concilii generalis exculta Domini sabaoth vinea floruisset, si Aaron virga turgentibus gemmis erupisset in flores, & dilatatis foliis amigdala produxisset, si germinassent mala punica, & ficus produceret grossos suos, quia ficus præcoquas anima sponsi desiderat, & sponsa diligit botros cypri. Sed ecce quod dolentes dicimus, ante messem seges effloruit, & vinea fere tota, & ficus, & virga magis aruit, & vindemiator manus ad cartallum non revocat, sed sic semper vindemiat, quod per vindemiatores racemos aliquos colligere vix valemus. Nam unusquisque fere in viam suam abiit, & ad suam negotiationem revolat, a regiis nuptiis damnabiliter se excusans. Jam quidam ministri altaris sicut jumenta non solum stercore computrescunt, sed peccatum suum, sicut Sodoma, prædicant, nec abscondunt, facti ruina & laqueus populorum. Quidam ecclesiarum prælati qui gladios ancipites in suis manibus acceperunt ad faciendam vindictam & increpationes in populis, errantes non corrigunt, membra putrida non excidunt, a caulis oves contagiosas & morbidas non *excidunt, vulnus, livorem & plagam tumentem non ligant, nec curant, neque fovent oleo vel emplastro, propter quod quia cicatrix populi non obducitur, in Galaaz non censetur esse medicus, vel resina. Proinde in consilium subditorum venire anima prælatorum convincitur, dum iidem proximorum vitiis non resistunt, sicque manus mulieres mis. . . . , parvulos suos cogunt. Hi etiam bona sibi commissa dissipant & consumunt, dispergunt sanctuarii lapides in capite omnium platearum, indignos promovent, pernitiosis stipendia ecclesiastica largiuntur, in suis ecclesiis conventicula de sanguinibus congregantes. Tales equidem non attendunt, quod Heli filios suos palpans, de sella retrorsum cecidit; & principes populorum, quia non cohibebant Hebræos initiantes Beelphegor & cum Madianitis in eorum oculis coeuntes, præcepto Domini suspensi sunt in patibulo contra solem, quia cum de manibus prælatorum negligentium sanguis requiritur pereuntium subditorum, dum fortioribus fortior instat cruciatus, fit durum judicium his qui præsunt. Claustrales autem plurimi qui fregerunt jugum, rumpunt vincula, qui etiam sicut stercus jam contemtibiles sunt effecti, se non corrigunt, subditos non castigant. Capitula juxta concilii generalis statutum non celebrant, ne in lucem prodeant opera tenebrarum, & a lumine arguantur. Propter hoc siquidem hæreses invalescunt, quia cum perpauci homines murus æneus vel columna ferrea sint prælati, vix est qui se opponat murum pro domo Domini ascendentibus ex adverso, eo quod conscientia remordente, dum canes muti projectum dum in os habent & sunt quasi baculus arundineus jam confractus, nec latratu nec baculo arcent lupos dilacerantes ecclesias, & in ipsam ululatus validos emittentes. Cum igitur non possimus dissimulare de cetero vel conniventibus oculis pertransire tantum cleri contagium, & populi Christiani discrimen quod procedit & proficit ex negligentia prælato-

* f. expellunt.

rum evacuantium per incuriam & torporem A sanctiones canonicas, & statuta salubria concilii generalis, increpationis securim comminantem excidium, nunc radicibus infructuosæ arboris applicamus, confossæ ficulneæ cophinum stercoris apponentes, antequam maledictionis gladio feriatur, & areat si fructum non fecerit in futurum jam diutius expectatum. Quocirca universitati vestræ per apostolica scripta mandamus, & districte præcipimus, quatinus præteritam negligentiam novo studio redimentes, per sollicitudinem geminatam sic præfati statuta B concilii, & illa præsertim quæ salutem respiciunt animarum, deinceps conservantes, & faciatis a vestris subditis inviolabiliter observari, quod possitis inde laudem consequi, & æterna præmia promereri. Ne quemquam vestrum pœnam oporteat formidare, ad quam exhinc potenter accingimur contra desides & remissos. Invigiletis autem propensius ad hæreticam pravitatem de vestris finibus, si forsitan irrepserit, penitus extirpandam, quia serpit ut cancer, capita ut hydra multiplicat, & ut draco de cœlo stellas detrahit, & mulieri tendit insidias, cupiens filium quem concipit devorare. Ponat C etiam unusquisque gladium suum super femur, per medium castrorum transiens de porta in portam, non parcat fratri proximo vel amico, qui statutis vilipensis morum vel vitæ abjicit honestatem, vel non observat in tonsura, vestibus, & aliis modestiam clericalem, præcaventes sollicite ne beneficia conferatis indignis, nec quemquam permittatis habere plures personatus seu parochiales ecclesias habitas post concilium generale, quibus cura sit animarum annexa, nisi forsan super hoc habeant indulgentiam sedis apostolicæ specialem. D Abbates vero nigri ordinis celebrare hoc anno provincialia concilia non omittant, prout extitit in prædicto concilio stabilitum. Et ut bonorum studium commendare possimus, & punire negligentiam perversorum, super hoc ab illis certiorari volumus & mandamus. Attendat igitur unusquisque ut sic mandatum nostrum juxta susceptum officium exequatur, quod nemo coronam ejus accipiat, vel de suo loco ejus candelabrum amoveri contingat, sed potius mereatur coronari gloria & honore.

EPISTOLA (a) CÆSARII ad Hartmannum priorem de Claustro. [a]

De transfiguratione.

DIlecto domino & amico suo præcordiali H. priori de (b) Claustro, frater C. quicquid potest devotionis cum affectu caritatis & orationum obsequio. Circa 1220. Ex ms. Himerodensi. [b]

Cum nuper inter nos esset collatio de transfiguratione Salvatoris in monte Thabor celebrata, in qua & ipsius & omnium nostrum fuit & est gloria futuræ resurrectionis declarata, sicut nostis, valde humiliter multumque instanter supplicasti parvitati meæ, ut eamdem lectionem evangelicam exponere vellem, & ea præcipue replicare, quæ circa corporum resurrectionem & futuræ vitæ statum inquiri & per disputationes ventilari solent. Placuit etiam vobis ad majorem intelligentiam hoc fieret sub typo dialogi, ita ut vos personam interrogantis, & ego personam assumerem respondentis. Ad quod opus cum scirem me prorsus insufficientem, caritatem tamen vestram offendere pertimescens, si non obedirem, petitioni vestræ adquievi. Et quia circa corpora glorificata dotesque eorum, multa in disputationibus versari solent, quæ auctoritatibus divinæ scripturæ solvi nequeunt, magis ad interrogata studui opinando respondere, quam aliquid assertive diffinire. Etiamsi Deus aliquid mihi super his revelasset, quis mihi crederet ubi sancti patres tacent, ubi doctores inter se non concordant, valde temerarium judicaretur, immo detrahentibus materia daretur mihi obloquendi, si aliquid ibi dicerem pro sententia. Adjuvate igitur orationibus insufficientiam meam, ut & Dominus scribentis stylum sua inspiratione promoveat, & in cordibus audientium sive legentium quæ scribenda sunt fructuosa efficiat.

EPISTOLA CÆSARII ad H. abbatem Vallis S. Petri.

In moralitates anni.

DIlecto patri & domino H. venerabili abbati in valle S. Petri, frater C. monachus ejus novissimus cum obedientia filialem in Christo caritatem. Circa 1220. Ex ms. Himerodensi. E

Quæ hortatu vestro & prioris mei, nec non & aliorum quorumdam fratrum instantia super lectiones evangelicas Christi gratia inspirante per ministerium meum sunt conscripta,

(a) Duo extitere hujus nominis monachi in Valle S. Petri ordinis Cisterciensis in diœcesi Coloniensi, alter qui noviis instituendis præpositus fuit, alter qui abdicata abbatiali dignitate Prumiensis monasterii eo se recepit. Priorem Cæsarium hujus epistolæ auctorem & sequentium existimamus, utpote qui plura scripserit.

(b) Claustrum celeberrimum ordinis Cisterciensis monasterium in diœcesi Trevirensi ab Alberone archiepiscopo fundatum, vulgo Himeroda appellatum, ad quod cum accessisset S. Bernardus, & illud undique montibus circumdatum conspexisset, exclamasse dicitur: Vere hic est Claustrum, unde Claustri nomen ei remansit.

conscripta, caritati vestræ devotus offero corrigenda: quod si forte ibi alicui occurrerit, quod merito legentes offendere poterit, ut emendetis suppliciter exoro. Omne siquidem opus in tres partes distinxi. Prima incipit ab eo loco, ubi angelus mittitur ad Mariam, & in nuptiis ubi aquam in vinum mutavit salvator, terminatur, continens homilias XVIII. secunda pars homilias continet dominicales numero LXIIII. tertia vero de solemnitatibus sanctorum, in quibus XII. lectiones habentur in ordine nostro, tractat, homilias habens XXXIII.

EPISTOLA CÆSARII ad Alexandrum de Claustro & Petrum de Loco S. Mariæ priores.

In expositionem moralem super Passionem Christi, secundum omnes evangelistas.

Circa 1220. Ex mſ. Himmerodenſi.

VIris religiosis & dominis in Christo carissimis Alexandro de Claustro & Petro de Loco S. Mariæ prioribus frater C. sic Christi participare Passioni, ut in futuro consortes esse mereamini gloriosæ ejus resurrectionis.

Diu est quod petere cœpistis & suadere in quantum potuistis, quatenus ad multorum, ut dicebatis, utilitatem, Passionem Domini nostri JESU CHRISTI moraliter exponerem: quod quidem jam diu distuli ac protraxi, non vestram parvipendendo petitionem, sed propriam ad hoc considerando insufficientiam, operisque difficultatem. Nondum enim legisse me memini aliquam moralem expositionem super Salvatoris Passionem. Præterea in homiliis moralibus de solemnitatibus diversorum sanctorum dictandis ita occupabar, quod huic operi nisi illis prius expletis vacare non potui. Nam quidam easdem homilias jam ex parte transcripserant, & cum non parvo desiderio adhuc superstites expectabant. Quibus expletis, postulationibus vestris satisfacere dignum duxi, malens minus eleganter scribendo irrisionibus subjacere, quam caritati vestræ desiderata negare. Et quia unus ex vobis exponi petivit Passionem Domini secundum Lucam, alius vero secundum Johannem, eo quod nimis tædiosum longumque esset singulos per ordinem exponere, maxime quia in plurimis locis concordant, quorumdam usus consilio Passionem secundum Matthæum, qui plenius ordinem rei gestæ prosequi videtur, explanare studui; quod minus ille dixit vel omnino tacuit, ex aliorum trium evangelistarum scriptis supplevi; sicque modicum puto neglectum quod non sit expositum. Quod si minus satisfactum est desiderio vestro per insulsam atque insufficientem vel incautam expositionem, magis imputandum est vobis, qui me coëgistis atque insipienter fecistis, spem habens in orationibus vestris sanctis, opus quod supra vires meas fuit aggressus sum, verborum continens faleras, quia non decet rethoricis floribus sermonem pingere, ubi de humillima Christi tractatur Passione. Omnem tractatum in septem homelias distinxi, ne prolixitas legentibus fastidium generaret.

SENTENTIA excommunicationis ab Hugone cardinali & apostolicæ sedis legato in potestatem & consilium Mediolanense, qui archiepiscopum suum in banno posuerant.

Anno 1221. Ex mſ. Colbertino.

HUGO miseratione divina Ostiensis & Velletrensis episcopus, apostolicæ sedis legatus, nobili viro A. potestati & consilio Mediolanensi spiritum consilii sanioris.

Quis dabit capiti meo aquam & oculis meis fontes & flumina lacrymarum? lugens lugeat David manu fortis interitum Absalonis. Rachelis super filiorum nece lugentis adveniant ululatus. Jeremias qui destructionem Jerusalem præsentem vidit, futuram prædixit, præteritam deploravit, lamentetur cum matre ecclesia sponsa filii Dei vivi. Ploret cum matre fidelium cujus vox auditur semper in alto, extollitur in excelso super interfectos populi redempti pretioso sanguine Nazareni, & quia peccaverunt & non sunt, consolationis beneficium non admittit. Sponsi sui passiones & supplicia, tormenta & vulnera renovantur. Cernit filiorum suorum jugulum, horrendum facinus, triste spectaculum, piaculare flagitium. Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia ejus; facti sunt hostes ejus in capite, & inimici ipsius de pauperum patrimonio & egenorum substantia locupletes. Admiremini ergo vos omnes qui transitis per viam, admiremini & obstupescite, state in gentibus & videte, considerate vehementer & attendite, si est dolor sicut dolor ecclesiæ matris vestræ. Astutia dæmonum, hæreticorum perfidia, sævitia tyrannorum, matrem fidei, Christi sponsam impugnant hostiliter & invadunt: ipsius vestitum deauratum conscindunt, crines lacerant, auferunt de capite suo diadema decoris, quo decorata fuerat ab unigenito summi regis, falsorum fratrum nequitia nova contra eam exquirit genera præliorum, quanto plus indebita, tanto ultra quam exprimi valeat graviora. Admiremini ergo & obstupescite, state in gentibus & videte, si est dolor sicut dolor matris vestræ. Attendentes igitur & non sine magna cordis amaritudine recolentes, quanto sinceritatis affectu, quanto devotionis ardore consuevistis ecclesiam revereri, & eidem tempore

tribulationis potenter assistere, tamquam filii carissimi & sinceræ devotionis alumni ad Deum gemitus emittere, & magnis cogimur vocibus exclamare, pro eo quod effecti filii alieni, conversi in arcum perversum, recedentes ab eo qui vos temporali beneficiorum munificentia multipliciter exaltavit, erexit, & posuit in sublimi, contra Deum, & contra canonicas sanctiones, contra novum statutum summi pontificis, per quod ipso jure jam excommunicationis sententiam incurristis, contra leges & bannum imperatoriæ celsitudinis, licet litteris & a B nuncio nostro frequenter moniti, preces, monita, inhibitiones, & mandatum nostrum penitus contemnentes, nolentes a nobis sine præjudicio partium absolutionem Modociensium exhiberi, nec de venerabili patre Mediolanensi archiepiscopo conqueri coram nobis, cum carissimus filius magister Raynaldus domni papæ subdiaconus, capellanus noster, vobis & Modociensibus ex parte nostra justitiæ plenitudinem obtulisset; eumdem archiepiscopum præsente ipso capellano nostro in banno ponere præsumsistis, qui nulla ratione Modocienses absol- C vere potuisset sine juratoria cautione, ac forma ecclesiæ diligentius observata. Debueratis saltem deferre nobis, qui civitatem vestram tam speciali affectione, tantaque prærogativa dileximus caritatis. Sed hæc fuit hora vestra & tenebrarum potestas. An forte in potentia & virtute confiditis temporali, sicut Nabucodonosor, qui in corde elatus de gloria decoris & robore regni sui sublatus ab hominibus subito bestiis per septennium sociatur? Herodes rex, qui misit ad affligendos quosdam de ecclesia manum suam, cum populus laudes ei Deo & non D homini debitas acclamaret, mox percussus divinitus, consumtus a vermibus expiravit. Pharaonem autem nolumus trahere in exemplum, qui per flagella potius induratus, condignam ipse ac populo divinæ animadversionis pertulit ultionem; contra Deum & ecclesiam suam, quam constituit Dominus super gentes & regna, fortitudo vestra ut favilla stupæ, & opus vestrum quasi scintilla, succendetur utrumque simul, & non erit aliquis qui extinguat. An forsan de obsequiis indigne præsumitis quæ Ro- E manæ ecclesiæ studuistis hactenus exhibere? Certe si magna sint obsequia, non minora vobis ab ecclesia sunt collata. Nos autem qui tantum excessum nulla ratione possumus sine dispendio nostræ salutis æquanimiter sustinere, in opprobrium maximum apostolicæ sedis & detrimentum ecclesiasticæ libertatis, volentes post patris monita adhibere flagella debita castigantis, te potestas, consules Mottæ & Credentiæ, illamque partem consilii quæ tibi super hoc consilium suum dedit, sed & ceteros qui super hoc

A præstiterunt vel præstiterint de cetero consilium, auxilium & favorem, publice excommunicationis sententia duximus innodandos, & excommunicatos denuntiamus propter statutum summi pontificis memoratum. Volentes tamen experiri si in vobis devotionis scintilla remansit, venerabiles fratres nostros Pergamensem & Laudensem episcopos ad vos nostros nuncios destinamus, rogantes, monentes, & districte præcipientes ex parte Dei omnipotentis, & ex parte domini papæ, domini imperatoris & B nostra, ut redeuntes ad cor & considerantes attentius & destructionem vestram & periculum animarum, usque ad terminum quem iidem episcopi vobis dabunt, bannum contra memoratum archiepiscopum revocetis, & ad matris ecclesiæ beneplacitum & mandatum humiliter redeatis: alioquin extunc subjicientes procul dubio civitatem vestram ecclesiastico interdicto, venerabilibus patribus Aquilegiensi & Gradensi patriarchis, Ravennensi & Januensi archiepiscopis, eorumque suffraganeis, nec non universis episcopis provinciæ districte C nostris dabimus litteris in mandatis, ut vos singulis diebus dominicis & festivis excommunicatos denuncient, & faciant publice nunciari, quanto ferventius vos dileximus, tanto durius alias spiritualiter contra vos & temporaliter processuri. Datum Bononiæ II. calendas Augusti.

EPISTOLA JO. PERGAMENSIS & O. Laudensis episcoporum ad Hugolinum cardinalem apostolicæ sedis legatum.

D *Rationem reddunt de actis cum Mediolanensibus.*

REverendo patri ac domino (a) HUGOLINO Dei gratia Ostiensi & Velletrensi episcopo, apostolicæ sedis legato Jo. Pergamensis & O. Laudensis divina miseratione episcopi salutem & debitæ subjectionis & reverentiæ famulatum. [a] Anno 1221. *Ex ms. Colbertino.*

Sanctitatis vestræ litteras cum debita devotione recepimus, & earum tenorem intelleximus diligenter. Juxta itaque earumdem litterarum tenorem personaliter Mediolanum accessimus, & prima die potestatem vocavimus, & causa adventus nostri ei exposita, super hoc propter quod ivimus, eum studiose curavimus ammonere. Postea sequenti die consules Mottæ & Credentiæ ad nos vocavimus: qui cum maxima multitudine majorum & potentiorum de societatibus suis ad nostram præsentiam accesserunt, quos caute reprehendimus super his

(a) Is est Hugolinus cardinalis, qui anno 1227. defuncto Honorio III. suffectus est summus pontifex Gregorius IX. appellatus.

quæ facta erant; qua reprehensione & etiam monitione & exhortatione præmissa, litteras eisdem exponere & legere voluimus, quas potestati & Mediolanensi consilio destinastis: sed ipsi noluerunt recipere, vel audire, ne contra eos aliqua gravamina continerent; sed nihilominus litterarum ipsarum continentiam viva voce inter cetera eis studuimus aperire. Postmodum vero potestati, quod de his quæ acta sunt plurimum dolere videretur, prædictarum litterarum sensu exposito, & lectis etiam per quemdam suum advocatum coram eo easdem ei porreximus; sed eas recipere noluit, asserens firmiter, quod si in consilio legeretur, periculum non modicum immineret, nec postea de facili ad concordiam veniret. Præterea juxta mandatum vestrum ei diem statuimus usque ad octavas assumtionis beatæ Virginis, infra quas octavas satisfaceret, & bannum penitus revocaret. Hoc acto, pro certo noverit paternitas vestra, quod potestas maxime ob reverentiam vestram nos semper benigne & liberaliter audivit, & studuit modis omnibus, ut res ad concordiam deveniret, & bannum sicut credimus revocasset libenter, si aliquod velamen contra populum invenisset. Vestræ sanctitatis prudentia in brevi provideat propter periculum imminens, quid super hoc fuerit faciendum. Datum MCCXXI. indictione VIIII. die XIIII. intrante Augusto.

EPISTOLA PHILIPPI AUGUSTI ad Theobaldum comitem Campaniæ.

De negotio Albigensium.

Ex mſ. Colbertino.

PHILIPPUS comiti THEOBALDO Trecensi.

Misistis ad nos litteras vestras de credentia per Lambertum Bochutum, qui nobis dixit quod legatus Albigensis locutus fuerat cum comitissa matre vestra, ut vos intromitteretis de negotio terræ Albigensium, & caperetis super vos affarium Albigensium, & vos multa & magna haberetis auxilia a legato & clero & ecclesiis ad istud factum faciendum. Nos autem ad hoc respondemus, quod commodum & honorem vestrum volumus: & si gentes vestræ & consilium vestrum * dederit vobis quod de hoc vos intromittatis, id nobis non displicebit, salvis tamen nobis in omnibus feodis & servitiis nostris, seu quocumque & quando ea habere volemus. Et sciatis quod de nulla promissione volumus in hoc affario nos ligari, quia guerra nostra quasi in promptu est, vel treuga non duret inter nos & regem Angliæ, nisi in instanti Pascha in unum annum, nec decet nos ut aliquas imprisias faciamus, quin ad defensionem nostram &

* f. dixerit.

A regni summopere intendere valeamus, omnia alia negotia prætermittentes.

LITTERÆ ILLUSTRISSIMI Philippi regis, pro monasterio Lyrensi.

Concedit monachis facultatem eligendi abbatis.

Anno 1221. Ex cartario B. Mariæ de Lyra.

PHILIPPUS Dei gratia Francorum rex, ballivis suis Normanniæ ad quos litteræ istæ pervenerint, salutem.

B Accesserunt ad nos nuntii Lyrensis conventus, abbatis sui nobis significantes decessum, & eligendi sibi pastoris licentiam a nobis humiliter requirentes: super quo vobis significamus, quod nos prædictis nuntiis licentiam concessimus eligendi eo modo quo temporibus comitis Liecestriæ eam consueverunt obtinere: vobis mandantes, quatenus res eorum ubicumque fuerint in potestatibus vestris, eis in pace dimittatis. Actum apud S. Germanum in Leya, anno Domini MCCXXI. mense Augusto.

C

CARTA PHILIPPI AUGUSTI regis.

De heredibus de Culent.

Anno 1221. Ex mſ. Colbertino.

PHILIPPUS, &c. Noverint, &c. quod Radulfus de *Culent* prior Wastignensis, avunculus & tutor heredum de *Culent*, assensu & consilio amicorum & parentum heredum de *Culent*, videlicet dilectorum & fidelium nostrorum SIMONIS Bituricensis archiepiscopi, ARCHEMBALDI de Borbonio, ROBERTI de *Bomes*, ODONIS *Trossebois*, RADULFI de *Pacoc*, PETRI de *Crevant*, JOHANNIS de *Bornais*, pro utilitate heredum de *Culent*, ipse prior & heredes de *Culent* quittaverunt & donaverunt in perpetuum nobis & heredibus nostris quicquid juris habebant in castro Exolduni, & ejusdem pertinentiis, tam feodis quam domaniis & omnibus aliis, & nos propter hanc quittationem & donationem ipsi priori, & heredibus de *Culent*, quittavimus & donavimus in perpetuum tertiam partem Castri-novi super Karum fluvium, & tertiam partem Marolii super *Arnon* fluvium, sicut RADULFUS quondam dominus Exolduni ea tenuit & possedit ab ipsis & eorum heredibus habenda & possidenda in perpetuum, post decessum dilectæ consanguineæ nostræ quondam uxoris prædicti Radulfi quondam domini Exolduni, quæ fuit filia PETRI comitis quondam Nivernensis consanguinei nostri. Insuper propter hanc quittationem & donationem quam dicti prior & heredes de *Culent* nobis fecerunt, dedimus eisdem mille libras Parisienses, de quibus mille nobis reddendis, si forte dicti he-

redes de *Culent*, cum ad ætatem adultam A pervenerint, ab hac quittatione & donatione resilirent, idem RADULFUS de *Culent* prior Wastignensis constituit erga nos plegios sive debitores dilectos & fideles nostros ARCHEMBALDUM Borboniensem pro ccc. libris Parisiensibus, Hamonem dominum de Karrosis de c. libris Parisiensibus, Henricum dominum Soliaci de c. libris Parisiensibus, Guillelmum *de Coldremores* de c. libris Parisiensibus, Stephanum de S. Palladio de cc. libris Parisiensibus, Galcherum de Corcellis de c. libris Parisiensibus, Odonem *Trossebois* de L. libris, Guillelmum de Lineriis de L. libris Parisiensibus. Actum apud S. Germanum in Laia anno Domini B MCCXXI. regni vero nostri XLII.

EPISTOLA WILLELMI marchionis Montisferrati ad Honorium papam tertium.

Filialem ei promittit obedientiam, seque suaque ei commendat.

Anno 1221. Ex ms. Colbertino.

SAnctissimo patri domino suo carissimo, C metuendo, HONORIO sacro-sanctæ Romanæ ecclesiæ summo pontifici WILLELMUS marchio Montisferrati, tam debitum quam devotionis obsequium.

Litteras quidem paternitatis vestræ læta facie & alacri vultu vidimus & recepimus diligenter, & de hoc quod mihi placuit vestra sanctitas intimare, vobis ut domino referimus innumeras grates: significantes vobis quod pro posse nostro in omnibus & per omnia vestris obediam mandatis, & nullatenus deviabo a præcepto vestro. Cum autem totam meam spem habeam D in vobis, paternitatem vestram, de qua non modicum confido, vobis humiliter & devote flexis genibus exoramus, quatenus intuitu Dei amoris supra negotiis nostris memor estote, & cum legato vestro antequam ad partes nostras veniat taliter ordinare dignemini, ut negotia & facta nostra promovere debeat, & prout Deus dederit ei gratiam effectui mancipare intendat, ita ut per vos valeam obtinere: quia vero speramus & credimus per vos ad bonam pacem cum inimicis nostris pervenire: & si quid est quod vultis ut faciam, mihi vestro fideli in- E timate: quia paratus & intentus sum vestris obedire mandatis.

EPISTOLA HUGONIS episcopi Hostiensis ad Honorium papam tertium.

Significat summo pontifici subsidium a Florentinis oblatum pro Terra-sancta negotio, eosque sedi apostolicæ commendat.

SAnctissimo in Christo patri domino HONORIO divina providentia summo pontifici, HUGO miseratione divina Hostiensis & Velletrensis episcopus, salutem & tam debitæ quam devotæ reverentiæ famulatum. Anno 1221. Ex ms. Colbertino.

Noverit serenitas vestra, quod Florentini licet eos in banno Metensis episcopus domini imperatoris cancellarius posuisset, & Pisani, sicut asserunt, magnam pecuniam detineant eorumdem, & alias plurimum sint gravati, recipientes tamen pro reverentia Dei & sedis apostolicæ verbum Dei, dederunt & concesserunt mihi per militem viginti solidos illius monetæ, & decem solidos per quodlibet foculare peditis ad subsidium Terræ-sanctæ: quæ pecunia per totum mensem Junii colligetur, mihi vel nuncio meo cui voluero assignanda militibus Florentinis, quorum multi parati sunt recipere signum crucis, si tot fuerint & tales quibus conferri valeat pecunia supradicta, vel aliis crucesignatis, sicut videro expedire, confecto ex his omnibus publico instrumento: unde quia oportet me ingredi provinciam Lombardiæ propter marchionem Montisferrati, qui volebat transire ad regnum Arelatense, quod ei commisit dominus imperator, sicut a plurimis dicebatur, & ego per suas litteras intellexi, nec moram potui facere apud eos. Sanctitatem vestram precor attentius, quatenus Florentinos prædictos, qui ad vos tamquam tutissimum portum salutis recurrunt, habeatis propensius commendatos, & ne impediatur Terræ-sanctæ succursus, ad quem magnifice præparantur. In eorum negotiis vestra dignetur dominatio providere, ut per studium apostolicæ pietatis ab hujusmodi gravaminibus liberentur.

EPISTOLA RE. DE NOXA potestatis Cremonensis ad Hugonem episcopum Hostiensem apostolicæ sedis legatum.

Se optare pacem cum Placentinis significat.

VEnerabili patri & domino HUGONI Dei gratia Hostiensi & Velletrensi episcopo apostolicæ sedis legato RE. de Noxa Cremonensis potestas cum populo & militia reverentiam & devotionem in omnibus. Anno 1221. Ex ms. Colbertino.

Deus sit nobis testis, cui omnia manife-

sta existunt, quia pacem & concordiam in Lombardia diligimus, & de werra Placentinorum dolemus, ut multis potest indiciis manifeste perpendi. Et si nobis aliquod indicium appareret, quo eos pacificare possemus, modis omnibus operam præstaremus. Et ut vere loquamur contra populum habemus movere querelam, qui nobis nescientibus & invitis potestatem & judicem de nostra civitate accipere præsumsit, occulte etiam per latrocinium inthronizantes eosdem. Quod cum nobis patuisset in banno quingentis libris potestatem & trecentis libris judicem posuimus, & omnia bona sua in civitate & extra distraximus, & utrique parti Placentinæ interdiximus, ne ad nostram civitatem accedant, ne coadjutores ibi acquirant, suæ discordiæ præstantes favorem, & populares qui præsumserunt de nostris potestatem accipere, nostro supposuimus banno. Deinde nostris civibus districte præcepimus, ne in armis vel personis alicui partium debeat præbere succursum. Et si vestra providentia, pater sancte, viam aliquam poterit invenire, per quam inter Placentinos & alios Lombardos pacis semina seminare possimus & discordias sepelire, nos aliquo sollicitetis indicio: quia tam in hoc quam in aliis vobis & Romanæ ecclesiæ invenietis nos modis omnibus præparatos: & quæ vobis lator præsentium Jacobus de Magistro-bono vir sapiens & discretus ex nostra parte vobis dixerit, indubitanter credatis, & fidem verbis ipsius adhibeatis.

CARTA MATHILDIS comitissæ Nivernensis.

Super juramento quod fecit domino regi.

Anno 1221. *Ex ms. Colbertino.*

EGo MATHILDIS comitissa Nivernensis notum facio universis præsentes litteras inspecturis, quod ego juravi super sacrosancta carissimo domino meo PHILIPPO Dei gratia illustri Francorum regi, quod ego faciam eidem bonum & fidele servitium contra omnes homines & feminas qui possunt vivere & mori, & quod me non maritabo nisi per gratum & voluntatem ipsius. De his autem conventionibus tenendis firmiter dedi plegios domino regi meos homines quosquos mecum habebam per sacramentum eorum, tali modo, quod si ego, quod absit, deficerem de dictis conventionibus tenendis domino regi; ipsi tenerentur venire ad dominum regem cum omnibus terris & feodis suis quæ de me tenent, & ipsum contra me juvare, donec esset ei emendatum ad gratum suum, & quotiens dominus rex me requisierit, ego faciam ei habere talia sacramenta meorum hominum, qui non fuerunt mecum coram domino rege præsentes, de omnibus illis scilicet quos habere potero bona fide & sine malo ingenio, & similiter fidelitates villarum mearum. Quod ut firmum, &c. Actum Meleduno, anno Domini MCCXXI. mense Februario.

LITTERÆ ROBERTI de Cortenaio, & eorum qui cum comitissa juraverunt sub hac forma, quorum nomina subscribuntur.

Anno 1221. *Ex ms. Colbertino.*

EGo ROBERTUS de Cortenaio notum facio, &c. quod ego juravi super sacrosancta carissimo domino meo PHILIPPO Dei gratia illustri Francorum regi, quod si dilecta neptis mea MATHILDIS comitissa Nivernensis deficeret de bono & fideli servitio faciendo domino regi, & quod se maritaret sine voluntate & licentia ejusdem, ego tenerer venire ad dominum regem cum omni terra & feodis quæ teneo de ipsa, & ipsum juvare contra dictam comitissam, donec idem esset emendatum ad gratum & voluntatem domini regis. Quod ut, &c. Actum, &c. Guillelmus de Merloto, Ugo de S. Verano, Guido de S. Paulo, Stephanus de Sacro-Cæsaris, Jacobus de Chascenaio, Petrus de Barris, Ugo de Arte vicecomes de Clameciaco, Ansellus *Brideine*, Gaufridus de *Bulli*.

HÆC SUNT VERBA quæ tractata fuerunt inter dominum regem & nuncios comitis Marchiæ.

Anno 1222. *Ex ms. Colbertino.*

PEtit comes Marchiæ, quod singulis annis dentur ei duo millia librarum Parisiensium in tribus terminis, quousque Niortium & Rupella & aliæ terræ sint acquisitæ, nisi dominus rex eas ei interim assignaret citra Rupellam in acquisitione, & quando faciet idem comes domino regi hominagium de reditibus Salmurii, quos regina Angliæ habet in dotalitium, petit habere proventus & reditus Langesti. Quod si reditus & proventus Langesti non valuerint reditus Salmurii, apud Langestum ipsi perficientur: ita quod non potest ibi forteritiam facere. Petit etiam idem comes, quod post acquisitionem Niortii & Rupellæ & aliarum terrarum, assignet dominus rex eidem comiti & heredibus suis in perpetuum apud Burdigalim, si acquisitum esset, valorem redituum Salmurii & Niortii, & dotalitii quod regina Angliæ uxor ejus habet in Anglia, salvis feudis baronum & regalibus, & quando haberet prædictum assignamentum apud Burdigalim, ea quæ assignata ei essent apud Langestum, & alibi ad dominum regem & heredes suos reverterentur. Petit etiam idem comes quod ei-

vitas Xantonensis, de qua modo est tenens, A remaneat in perpetuum ipsi & heredibus suis, eo modo quo nunc de illa tenens est, cum insula d'*Enleron*, quando erit acquisita. Vult etiam idem comes, quod hiis completis, dominus rex & heredes sui rehabeant Langestum & omnes proventus & reditus ibidem assignatos, & aliud assignamentum quod ei factum esset citra Rupellam, idemque comes quittat in perpetuum domino regi & heredibus suis quidquid juris reclamat & reclamare potest in castro Exolduni. Et si dominus rex aliquo forte impedimento detentus non posset ire in propria persona B sua in acquisitionem præmissorum, esset super episcopum Silvanectensem, (a) comitem ROBERTUM, comitem Britanniæ & ROBERTUM DE CORTENAIO de solutione ducentorum militum & sexcentorum servientium peditum per quinque menses: ita quod de hoc erit in arbitrio ipsorum, nisi rex Angliæ transiret in propria persona citra mare. Dominus autem rex petit qualem securitatem dictus comes faciet de hac imprisia tenenda, & vult etiam dominus rex habere consilium de hiis omnibus petitionibus supradictis.

(a) Guarinum qui fuit regis cancellarius.

JUDICIUM FACTUM VERNONI de eschaeta comitatus Belli-montis.

Anno 1221. Ex ms. Colbertino.

JOHANNES comes Belli-montis habuit unum consanguineum germanum IVONEM nomine, & duas consanguineas germanas sorores ejusdem Ivonis, BEATRICEM & MARIAM. De Ivone exivit Theobaldus de Villiaco, de Beatrice exierunt Guido de *Andelli*, Hugo, Radulphus, Adam. De Maria Johannes de Buxeria, & Theobaldus. Mortuo dicto Johanne comite, nullo herede relicto de uxore sua, Theo- D baldus de Villiaco dicebat totam eschaetam dicti comitatus cum pertinentiis sibi accidisse jure hereditario & successionis; quia filius erat masculi, qui si supervixisset, totus comitatus cum pertinentiis ad ipsum devolutus esset, prædictis Maria & Beatrice sororibus exclusis omnino a successione hereditatis dicti comitatus secundum usus & consuetudines Franciæ. Præfati vero Guido de *Andeli* & fratres ejus, Johannes & Theobaldus de Buxeria asserebant e contrario, quod comitatus ille cum pertinentiis E debebat æqualiter dividi ipsis sex & dicto Theobaldo: quia eschaeta illa invenerat illos in eodem sexu & in eodem gradu consanguinitatis. Theobaldus vero de Villiaco dicebat quod identitas gradus nihil in hoc operabatur; nam si pater ejusdem Theobaldi & matres prædictorum viverent, matres eorum in prædicto comitatu nihil perciperent secundum consuetudinem Francorum, sed totus comitatus ad patrem suum jure successionis devolveretur. Super prædictis autem petiit utraque pars sibi judicium in curia domini regis; judicatumque fuit in curia domini regis apud Vernonem ab ipso domino rege & ab archiepiscopo Turonensi, episcopo Andegavensi, & episcopo Silvanectensi, domino LUDOVICO, & domino PHILIPPO filiis domini regis, B. de Roia camerario Franciæ, MATTHÆO de Monte-Morentiaco constabulario Franciæ, INGELRANNO de Cociaco, ARCHEMBALDO de Borbonio, GUIDONE comite S. Pauli, DROCONE de Melloto, RADULFO vicecomite Belli-montis & S. Susannæ, GUILLELMO de Dampetra, GALCHERO de Nantolio, ALBERTO *de Hangest*, JOHANNE de Roboreto, Theobaldo Macro, Henrico thesaurario Belvacensi, Roberto Balbo, Jacobo de *Dinant*, Milone de Crocsaco clericis, Roberto de Boua, Gilberto *Loüet*, Milone *de Lyuves*, Ursione Cambellano, Petro Barone & pluribus aliis; judicatumque fuit concorditer ab omnibus, quod ad dictum Theobaldum de Villiaco, quia est filius C masculi, scilicet Ivonis de Bello-monte, ad quem tota eschaeta, si viveret, devolveretur, debebat totus comitatus cum pertinentiis devolvi, & in eumdem comitatum succedere, tamquam rectus heres, omnibus aliis, scilicet Guidone de *Andeli* & fratribus suis, Johanne de Buxeria & Theobaldo fratre suo exclusis ab hereditate dicti comitatus cum pertinentiis, & in nullo participantibus cum prædicto Theobaldo de Villiaco, præterquam in censivis & in terris provenientibus de Villenagio, in quibus participabunt omnes tam dictus Theobaldus, quam alii sex prædicti.

CARTA SIMONIS DE PISSIACO.

De forteritia Aigremont.

Anno 1222. Ex ms. Colbertino.

EGo Simon de Pissiaco notum facio tam præsentibus quam futuris universis, quod de fortericia mea de *Aigremont* feci homagium ligium carissimo meo PHILIPPO illustri Francorum regi, & eam ligie tenebo tam ego, quam heredes mei de domino rege & heredibus suis in perpetuum cum aliis feodis, quæ de domino rege teneo: ita etiam quod forteriçiam illam teneor ego & heredes mei reddere domino regi & heredibus suis ad magnam vim & parvam, quotiens ego & heredes mei exinde fuerimus requisiti ex parte domini regis vel heredum suorum post ejus decessum. Actum anno Domini MCCXXII. mense Februario.

LITTERÆ ROBERTI de Ivriaco.

Fidejussorem se constituit erga regem pro Galeranno filio suo.

Anno 1221. *Ex ms. Colbertino.*

EGo Robertus de Ivriaco notum facio universis tam præsentibus quam futuris, me plegium constituisse erga carissimum dominum meum PHILIPPUM illustrem Franciæ regem, quod filius meus Galerannus de Ivriaco bene & fideliter serviet domino regi & heredibus suis, & castrum Monsterelii bene & fideliter domino regi custodiet. Quod si forte domino regi vel heredibus suis de bono ac fideli servitio deficeret, quod absit, vel de custodia Musterelii, sicut dictum est, dominus rex vel heredes sui possent sine meffacere assignare ad totam terram meam, & eam tamdiu in manu sua tenere, donec id fuerit emendatum ad voluntatem suam. Actum anno Domini MCCXXI. mense Martio.

CARTA PHILIPPI AUGUSTI regis.

De escocheio concesso Elæ sorori quondam R. comitis de Alenconio.

Anno 1222. *Ex ms. Colbertino.*

PHILIPPUS Dei gratia Francorum rex, &c. Notum &c. quod nos ELÆ sorori quondam comitis de *Alençon* concedimus Escocheyum tenendum in proprium, sicut fuit assignatum heredibus dicti comitis pro escambio de Essayo: ita quod dicta ELA & heredes sui tenebunt Eschocheium de nobis & heredibus nostris, sicut dominus Eschocheii ipsum Eschocheium tenere solebat ad usus & consuetudinem Normanniæ. Et præterea concedimus eidem ELÆ quatuor feoda militum inferius annotata, quæ sunt de dicto escambio, feodum videlicet movens de feodo castri Gouteri, quod Oliverius de S. Audoëno tenet, & unum feodum castri Gouteri, quod Girardus *Boël* tenet, & unum feodum de feodo *Braosch*, quod Johannes *de Laquerneille* tenet, & aliud feodum de feodo *Braosch*, quod Robertus *Poistel* tenet: ita quod domini quatuor feodorum prædictorum servient Alæ prædictæ, sicut servire debent & solent dominis suis, salvo jure nostro ad usus & consuetudinem Normanniæ. Actum Medunta anno Domini MCCXXII. regni nostri XLIII. mense Aprili.

BULLA HONORII PAPÆ III. pro collegiata sancti Martini Leodiensis ecclesia.

Ad relevandam illius inopiam concessas jam ecclesias ipsi confirmat.

Anno 1221. *Ex ms. V. D. de Louvrex.*

HONORIUS episcopus servus servorum Dei dilectis filiis decano & capitulo S. Martini Leodiensis salutem & apostolicam benedictionem.

Sane significastis nobis, quod a longis retro temporibus ecclesia vestra superior in temporalibus inter alias habebatur, sed invalescentibus contra eam variis & diversis persecutionibus, ad tantam devenerat inopiam, quod de præbendis ipsius ecclesiæ non poteratis sustentari, & consuetum eidem impendere famulatum. Unde venerabilis frater noster Coloniensis archiepiscopus metropolitanus, & episcopus Leodiensis diocesanus loci, miserabili ejusdem ecclesiæ statu pensato, ad relevamen ipsius & cultum in ea pristinum reparandum de *Milehem* cum pertinentiis suis, de Famala, de Berreste, de *Usei*, & de Marciis ecclesias, capitulorum suorum accedente consensu, vobis & eidem loco, pietatis intuitu concesserunt. Nos ergo vestris supplicationibus annuentes, quod per archiepiscopum, & episcopum, & capitula su pradicta pie super hoc & provide factum est, vobis & per vos ecclesiæ vestræ auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c. Datum Laterani XVII. cal. Junii pontificatus nostri anno VI.

CARTA PHILIPPI AUGUSTI regis pro Amalrico de Credone.

Concedit ei Andegavos & Baugeium cum pertinentiis eorum.

Anno 1222. *Ex ms. Colbertino.*

PHILIPPUS Dei gratia, &c. Notum, &c. quod de gratia & mera liberalitate nostra concessimus dilecto & fideli nostro Amaurico de Credona (a), ut ipse teneat quamdiu nobis placuerit Andegavum & Baugerium cum pertinentiis eorum, & omnia de quibus dilectus & fidelis noster WILLELMUS DE RUPIBUS senescallus Andegavensis erat tenens die qua fecimus eidem istam concessionem, & nos retinemus nobis totam Turoniam cum tota senescalcia, & Chinonem cum præpositura & senescalcia, Burgolium & Losoinium cum præpositura & senescalcia. Si autem nos caperemus in manu nostra Andegavum & Baugeium cum pertinentiis eorum, & ea quæ prædicto di-

(a) Anno 1226. excessit e vita idibus Maii, & in abbatia Andegavensi quæ Rota dicitur, honorifice sepultus fuit.

mittimus Amalrico tenenda quamdiu nobis placuerit, nos reddemus eidem Amalrico ſeneſcalciam, ſicut eam tenere ſolebat dictus Willelmus de Rupibus ſeneſcallus Andegavenſis. Actum apud S. Germanum in Laia anno Domini MCCXXII. menſe Julio.

CARTA CONRADI epiſcopi Metenſis & Spirenſis.

Quod in coronatione imperatorum capitulo B. Mariæ Aquiſgranenſis duæ carratæ vini capitulo vero ſancti Adalberti una, veſtes vero regiæ eccleſiæ B. Mariæ debeantur.

[a] Anno 1222. *Ex ſchedis Cl. V. Baronis de Craſſier.*

CONRADUS (a) Dei gratia Metenſis ac Spirenſis epiſcopus imperialis aulæ cancellarius ac totius Italiæ legatus, univerſis ad quos hoc ſcriptum pervenerit ſalutem in Domino.

Quoniam ad noſtræ dignitatis ſpecialiter pertinet officium, quod honeſtas imperii conſuetudines eccleſiis ſuis faciamus obſervatas, ne ex progreſſu temporum in oblivionem deveniant, aut aliquo modo infringantur, poſterorum memoriæ per ſcriptum noſtrum tranſmittimus. Notum facimus univerſis & præſenti ſcripto declaramus, quod cum rex Romanorum in regia ſede inthroniſandus Aquiſgrani coronatur, capitulum B. Mariæ Virginis duas carratas, & capitulum S. Adalberti unam carratam vini, quia ſimul ejus receptioni intereſſe debent, de ſui munificentia ex antiqua conſuetudine debent percipere. Eccleſia vero B. Mariæ veſtes regias, in quibus conſecratur, ut ad Dei ſervitium præparentur, habere conſuevit. Ut igitur hæc inviolabiliter obſerventur, præſens inde ſcriptum ſigillo noſtro communimus. Datum Aquiſgrani anno Domini MCCXXII. cal. Junii.

DIPLOMA HUGONIS EPISCOPI Leodienſis pro collegiata ſancti Johannis eccleſia Leodienſi.

Camerariæ & carpentariæ officium aſſignat ad opus refectorii.

Anno 1222. *Ex ſchedis cl. v. baronis de Craſſier.*

HUGO Dei gratia Leodienſis epiſcopus omnibus præſentem paginam inſpicientibus in perpetuum. Cum ad curam omnium eccleſiarum in noſtra diœceſi conſiſtentium aciem noſtræ conſiderationis extendere teneamur, ea nos corrigere oportet, quæ interdum ad gravamen ipſarum temere ſeu etiam improvide attentantur. Sane ad noſtram audientiam dilectis filiis canonicis ſancti Johannis in Leodio ſæpius conquerentibus eſt delatum, quod ipſi gravia damna & intolerabiles injurias & rixas occaſione camerarii villici & carpentarii in ſuis officiis male adminiſtrantium frequenter ſunt perpeſſi. Quapropter ex parte dictorum canonicorum nobis humiliter fuit ſupplicatum, quod eiſdem indulgere dignaremur, ut camerariam villicationem & carpentariam quæ de manu præpoſiti deſcendebant, dicti canonici ad ampliationem refectorii ſui in ſuos uſus converterent, ſibique ex ſupradictis officiis pro ſua voluntate & ordinatione ſerviri facerent: Nos igitur paci & utilitati ipſorum, & eccleſiæ ſuæ providere volentes, eorumdem petitionibus inclinati, de conſenſu Radulphi Leodienſis archidiaconi & ejuſdem eccleſiæ præpoſiti de prædictis officiis quod petebant eiſdem indulſimus, & dicti præpoſiti conceſſionem confirmavimus, concedentes eis quod de ſæpedictis officiis pro voluntate ſua ordinent & diſponant. Sub pœna etiam excommunicationis inhibentes, ne quis eos ſuper hac conceſſione & confirmatione noſtra ſigilli noſtri munimine roborata, de cetero moleſtare præſumat. Quod ſi fecerit indignationem Dei omnipotentis & noſtræ excommunicationis ſententiam ſe noverit incurriſſe. Actum anno gratiæ milleſimo ducenteſimo vigeſimo ſecundo, menſe Septembri.

CODICILLUS HENRICI comitis Ruthenenſis.

[b] Anno 1222. *Ex mſ. Colbertino.*

ANno Domini MCCXXII. (b) indictione IX... calendas Novembris, manifeſtum ſit cunctis, quod ego HENRICUS comes Ruthenenſis gravi detentus infirmitate, compos tamen bonæ mentis, & ordinator, volo & mando quod teſtamentum quod feci in partibus meis, firmum ſit & validum, & omnia quæ in ipſo continentur recto jure teſtamenti valere volo. Addo tamen & volo & lego corpus meum hoſpitali ſancti Johannis pro fratre ejuſdem domus, & lego & dono eidem hoſpitali pro Dei amore & peccatorum meorum & anteceſſorum & ſucceſſorum meorum redemtione, villam meam de Caneto cum omnibus pertinentiis ſuis, ſicut mihi & meis pertinet & pertinuit, & lego eidem hoſpitali omnes manſos meos de Fontignano, & lego etiam eidem hoſpitali quicquid habeo & habere debeo in baſtida de Larnonea: ita quod de cetero habeat eam hoſpitale libere & quiete, ſine omni contradictione, & lego etiam eidem hoſpitali homines quos ibidem habeo, & manſos quos ibidem juxta eamdem & circa baſtidam habeo, & lego eidem hoſpitali manſos

(a) Conradus baro a *Scharpfeneck* in coadjutorem Spirenſem cooptatus eſt anno 1199. decedente vero Ottone epiſcopo 1202. ejus in locum confirmatur epiſcopus: Bertranno autem epiſcopo Metenſi defuncto anno 1210. ſubrogatus, utrumque epiſcopatum tenuit ad annum 1224. quo fato functus eſt.

(b) Indictioni IX. convenit annus MCCXXI. non MCCXXII.

meos

meos omnes qui sunt juxta & circa Canobaras, & mansos omnes meos qui sunt circa & juxta Bonum-locum, & circa & juxta bastidam. Lego præterea eidem hospitali medietatem totius terræ, quam comparavi ab Hugone de Launhaco, & vineam totam quam ab eodem comparavi. Lego præterea domui Templi unum de equis meis, illum videlicet qui fuit Guillelmo de Rochalora, & frumentum quod mihi debebat, & volo quod de contentione, quam habebam cum Templo de facto de Badaleco, quod frater Johannes de Fontanis credatur de toto, & Mir. de Rupe faciat aptari contentionem illam ad voluntatem Templi. Lego & eidem domui Templi allodium & herbagium, quod habeo circa & juxta Limosam. Præterea volo, quod comitissa & filius meus & successores mei omnes sciant, quod ego multum me laudo de domo Templi, eo quod multum servivit mihi in partibus istis: unde rogo dominam comitissam, & puerum, & omnes successores meos & posteros, quod dictam domum Templi dirigant, defendant, protegant & custodiant, prout poterunt. Et est sciendum, quod ego debeo Arnaldo Gareberto de Gordono, & Petro *Donadeu* C. marchas argenti, quas in servitio JESU CHRISTI mihi mutuo tradiderunt, & volo quod solvantur eis in proximo venienti festo sancti Hilarii, de vaccis & ovibus meis, & debeo Guillermo d'*Haurac* triginta marcas argenti, & volo quod satisfaciat ei de reditibus meis primo venturis. Et debeo Geraldo de Roca-forti mille solidos Turonenses, qui de reditibus meis sibi reddantur. Et debeo Petro *Braidu* ducentos bisantios Sarracenos, qui scilicet de redditibus meis sibi reddantur. Volo & mando quod omnibus meis creditoribus plene satisfaciat. Præterea dimitto & parco pro Dei amore Deodato *de Castlus*, & Jordanencis, & illis de Salis, & omnibus aliis militibus & hominibus qui contra me in aliquo peccaverunt. Et volo & mando quod turris addatur domno de Salis, & tota terra sua, & domina comitissa, & filii mei faciant sibi bonum & honorem. Et lego abbati de . . . . . quam mihi dederat ad ædificandum, & omnia ea de quibus mecum contentionem habebat. Et lego præposito de Monte-salvo Calmetam, & ecclesiæ sanctæ Mariæ de Indos lego omnes purpuras, & ecclesiæ sancti Armandi lego duas purpuras. Et est sciendum quod debeo Miro de Rupe quinquaginta bisantios Sarracenos, & volo quod ei hoc satisfiat. Et lego Girberto *de Bor* quinquaginta bisantios Sarracenos, & volo quod ei hoc satisfiat. Lego & eidem Guirberto usque ad decem annos bailiviam de Escorrala, & S. Christophori, & de *Suffac*, & de Marmeissa, & de *Tourcac*: ita quod usque ad decem annos eam habeat & teneat ad sui utilitatem, fructus bajuliæ suos faciendo: post decem vero annos libere filio meo revertantur. Lego præterea Bertrando de Massereolis equum meum qui fuit Guillermi Arnaldi, & XXX. bisantios Sarracenos, & volo quod hoc ei satisfiat. Et debeo XL. bisantios Sarracenos, & volo quod domina comitissa & filius meus satisfaciant. Præterea volo & mando quod filius meus faciat ipsum militem, & det ei arnesium, & semper teneat eum, & dicti sexaginta bisantii quos lego, & XL. quos ei debeo, non computentur ei in militia. Et lego Bernardo roncinum suum quem habet meum, & XXX. bisantios Sarracenos, & volo quod hoc ei satisfiat. Et lego Petro Cornuto XXX. bisantios Sarracenos, & mea indumenta, excepto mantello viridi cum pelle varia. Et lego Hugueto XX. bisantios Sarracenos, & volo quod istis omnibus hoc satisfiat. Et lego Gerardo XXV. bisantios Sarracenos, & Santio Ortic L. bisantios Sarracenos, & volo quod hoc eis satisfiat. Et lego Johanninæ X. bisantios. Et lego magistro Bernardo notario meo L. bisantios Sarracenos & mantellum meum de viridi cum varia, & volo quod hoc ei satisfiat. Et lego cuilibet de scutiferis meis aliis decem bisantios Sarracenos, & volo quod hoc eis plane satisfiat. Et lego Bertrando de Provincia X. bisantios, & volo quod hoc ei satisfiat. Præterea lego monasterio de Bonis-vallibus borias meas de inter aquis & mille solidos Turonenses pro emenda de equabus quas etiam habuit. Et lego Raymundo de Arnaldo equum quem habet meum. Et lego cuilibet suarum sororum M. solidos Turonenses pro maritis, & volo quod hominibus de quibus erant orti, qui erant juxta vineam meam, fiat emenda pro hortis, quos ei abstuli de prima collata vineæ, & dimitto & parco Petro Durando de *Amisau*, & volo quod puer filius meus donet Petro de *Peicols* X. solidos Rodanenses, pro uno equo. Et lego Stephano Calca XX. bisantios Sarracenos, & volo quod ei hoc satisfiat. Volo etiam quod filius meus det ei quinque solidos Caturcenses, pro uno equo. Præterea volo quod Gibelino transigatur ad voluntatem suam de contentione quam mecum habebat. Et Emblardo de Cairaco dimitto & finio in perpetuum totum illud quod ab eo petebam, & dimitto sub custodia & protectione Dei, & ratione ecclesiæ & episcopi Ruthenensis, & abbatis d'Orlaco, dominam comitissam, & filium meum, & totam terram meam. Et volo quod ipsi duo accipiant de reditibus meis centum marcas argenti, & volo quod illas dent pauperibus, hominibus & feminis, qui de me querimoniam rapinæ vel alterius injuriæ exponent, de quibus non recordor. Volo tamen quod de istis C. marchis argenti episcopus & abbas dent domui Bonæcumbæ decem solidos quos ei lego, &

[a] domui (a) Nonencæ decem solidos Rodanenses quos ei lego, & Loco-Dei x. solidos Rodanenses, & Bello-loco ccc. solidos Rodanenses, & canonicis de *Cabriels* co. solidos Caturcenses. Et lego Petro *Storge de Salern* x. solidos Caturcenses. Volo præterea quod cepella reddatur bono homini de Aurenca, & volo quod crux & reliquiæ dentur ecclesiæ sancti Michaëlis de Rodenla. Et lego archiepiscopo Burdigalensi unum saphirum de meis quem voluerit. Et volo quod balsamum & aliæ meæ joyæ deferantur filiæ meæ. Et lego presbytero meo x. bisantios, & volo quod hoc ei satisfiat, & Geraldo Baucapeis x. bisantios. Lego præterea monachabus de Nonenca *Cançede*, *Agarge*, quod B frater meus eis dimiserat. Et volo quod maritetur Bernarda, & dentur ei decem solidi Turonenses, quos ei lego super strata de Monte-salvo. Et lego Berardo omnes bestias quas habet, excepto meo mulo monoculo, & mulo bagio, & puer hereditet illum, & semper teneat pro socio: & lego Raymundo de Malo-castello mulum monoculum & bagium, & puer teneat eum semper, & benefaciat ei: & lego Geraldo Alberto ccc. solidos, quos habebat in strata de Monte-salvo. Et est sciendum quod ego C debeo Guidoni de Valentia & Berlo L. bisantios Sarracenos, & volo quod hoc eis satisfiat. & lego eis parvum equum bagium, & volo quod Mir. de Rupe aptet factum Guillermi de Viscanis cum consilio Bernardi d'*Eusés*, sicut eis videbitur. Et volo quod Girbertus *de Vecet* solvat Stephano Calca x. bisantios, quos ei debet. Præterea est sciendum quod ego debeo Petro Arces LVIII. solidos realium de *Accon*, & VII. bisantios Sarracenos, & volo quod hoc ei satisfiat. Et lego hominibus de Monte-amato sazinam, quam eis feceram, sicut tenuerant in vita patris mei. Et volo quod ista omnia prædic- D ta, exceptis istis quæ hic solvi debent, solvantur de reditibus meis de Castladas. Dimitto præterea in domo hospitalis omnes res meas & equos & omnia alia, quæ hic habeo, & magister hospitalis satisfaciat hic toti meæ familiæ in legatis, sicut prædictum est; & si res meæ non sufficerent, volo & rogo magistrum hospitalis, quod bonis domus hospitalis satisfaciat hic dictæ meæ familiæ, sicut prædictum est, & volo quod de omnibus missionibus & expensis, quas do- E mus hospitalis in me & in solvenda mea familia fecerit, integre & plenarie ei satisfiat de terra mea & reditibus meis omnibus, & de facto de Alverasa, & rogo & mando dominæ comitissæ & filio meo, quod domui hospitalis pro magnis servitiis & honoribus, quos mihi in partibus Suriæ contulit, in omnibus prædictis plenarie satisfaciant in legatis videlicet & in expensis omnibus & missionibus, quas in me & in familia mea fecerit, istam præsentem scripturam laudo & volo firmam esse & perpetuo valere jure codicillorum; & si non valet jure codicillorum, volo quod valeat quocumque alio jure valere potest. Actum apud *Accon* in domo hospitalis. Hujus rei sunt testes vocati & rogati magister Bertrandus, magister Petrus, Maurinus Phisici, frater Pontius draperius domus hospitalis, frater Marsilius, & frater Stephanus de Malavilla, & Bertrandus de Macerolis, & Gilbertus de *Boi*, & magister de Rupe milites, & Bernardonus, & Berardus, & Petrus Cornutus, & Gerardus servientes domini comitis, & venerabilis GUILLELMUS Burdegalensis archiepiscopus, qui propria persona interfuit. Ego Bernardus de Villa-francha imperialis aulæ publicus notarius interfui & rogatus scripsi, & suis sigillis ambobus dicti comitis præcepto firmiter roboravi.

(a) Nonenca seu Elnonenca insigne est monialium monasterium ordinis Cisterciensis in diœcesi Vabrensi, quod a rivulo Elnone traxit appellationem.

CARTA MAURICII episcopi Cenomanensis

De jurata ab ipso regi fidelitate, & ab aliis episcopis Cenomanensibus juranda.

MAURITIUS Dei gratia Cenomanensis episcopus universis præsentes litteras inspecturis salutem. Noverit universitas vestra, quod nos carissimo domino nostro LUDOVICO Dei gratia Francorum regi fecimus sacramentum fidelitatis, sicut alii episcopi regni Francorum ipsi faciunt, & ipse recognovit nobis quod non tenemur ire in exercitum vel equitationem ejus in propria persona nostra, vel mittere aliquem sumtibus nostris, neque occasione istius sacramenti fidelitatis ullum onus novum aut gravamen imponetur nobis aut ecclesiæ nostræ; sed nos & ecclesia nostra manebimus in illis libertatibus quas habuimus tempore felicis memoriæ PHILIPPI quondam regis Francorum patris sui & regum Angliæ HENRICI & RICHARDI. Item, recognovit quod electus Cenomanensis erit confirmatus a metropolitano, vel ab eo qui potestatem habet confirmandi: ipse tradet ei regalia sua, per nuncios deferentes litteras patentes de confirmatione ejus. Ipse tamen electus tenebitur bona fide adire dominum regem infra XL. dies, si fuerit in regno, post susceptionem regalium, & eidem sacramentum fidelitatis præstare. Et si infra XL. dies ad dominum regem, sicut dictum est, non venerit, dominus rex poterit saisire regalia sua, & ea tamdiu tenere, quousque domino regi fidelitatem suam fecerit. Et sciendum quod si comitatus Cenomanensis separetur a regno, non tenebitur facere comiti Cenomanensi

Anno 1231 Ex ms. Colbertino.

hujusmodi sacramentum. Actum anno gratiæ MCCXXIII. mense Novembri.

CARTA BERNARDI III. episcopi Paterbornensis pro parthenone Gerdinensi.

Propter summam virginum sacrarum pietatem confirmat eis prædium in Burch emptum a Meinrico.

Anno 1222 *Ex ms. Gerdinensi*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. BERNARDUS tertius Dei gratia Paderburnensis episcopus omnibus Christi fidelibus salutem in vero salutari. Quia omnis ætas prona est ad malum ab adolescentia sua, & certam præsens vix habet hora fidem, ea quæ in diebus nostris aguntur litteris mandare curamus, ne umquam effugiant cum tempore res memoria dignæ. Ea propter universis Christi fidelibus præsenti scripto attestamur, quod prior & conventus ancillarum Christi in *Gerden* prædium in *Burch* quod alteri prædio pridem ab eis possesso adjacet, a Meinrico ministeriali nostro, qui illud a nobis feodali jure tenuerat, viginti marcis comparaverunt, nostro mediante favore. Nam cum idem Meinricus prædium jam dictum in manus nostras resignasset, nos ipsum sanctis apostolis Petro & Paulo & virginibus Deo sacratis *in Gerden* devota contulimus liberalitate, sperantes, immo pro certo scientes ecclesiam Paderbornensem nullo laicorum ministerio tantum posse juvari, quantum indefessis virginum Christi orationibus defendi. Cum tamen nobis aliena non sint quo ad emolumentum temporale, quæcumque prædia quibuscumque monasteriis nostræ diœcesis tali modo collata. (NOTA.) Ut igitur hoc factum nostrum a nullo penitus in irritum revocetur, nec etiam retractetur Dei omnipotentis & nostra auctoritate mandamus, & propter hoc huic scripturæ inde confectæ bullam nostram appendimus & testes annotamus. Acta sunt hæc anno gratiæ MCCXXII. Hujus rei testes sunt Johannes scholasticus ecclesiæ majoris, Conradus custos, Wernherus *de Arnheim* Mindensis canonicus.

CARTA PHILIPPI AUGUSTI regis pro Theobaldo de Villiaco filio Ivonis de Bello-monte.

Anno 1223 *Ex ms. Colbertino.*

PHILIPPUS, &c. Notum, &c. quod nos dilecto & fideli nostro Theobaldo quondam Ivonis de Bello-monte filio, & heredibus suis dedimus in perpetuum & concessimus pro quittantia partium & villarum comitatus Belli-montis inferius descriptarum facta nobis & heredibus nostris in perpetuum ab ipso Theobaldo, partes ejusdem comitatus inferius annotatas. Theobaldo igitur præfato dedimus & assignavimus has villas, scilicet Soiacum villam, quæ est inter insulam Adam; & Campanias, *Corbelessart*, Hadevillam, Majoriam, conductum, minutos reditus, & talliam *de Borranc*, decimam vini *de Borranc*, & residuum decimarum bladi *de Borranc*, deductis eleemosynis JOHANNIS comitis quondam comitis Belli-montis, & domo *de Borranc*, quæ fuit ipsius comitis, cum clausura ejusdem domus, remanentibus in perpetuum dilecto & fideli nostro MILONI episcopo & decano & capitulo Belvacensi pro quittantia feodi, quod dictus comes & ejus antecessores de dictis episcopo & capitulo Belvacensi tenuerant, pedagio vero de *Borranc*, quod ad Bellum-montem pertinet, nobis & heredibus nostris in perpetuum remanente. Item, dedimus & assignavimus eidem Theobaldo passagium *Boonel*, Bellam ecclesiam, & *Meru* cum quatuor feodis militum. Præterea dedimus & assignavimus eidem Theobaldo nemora *de Boonel*, de Pressiaco & de *Meru*, & insuper quatuor vinaria apud Joiacum antedictum. Hæc autem omnia sæpedicto dedimus & assignavimus Theobaldo & heredibus suis in perpetuum, cum omni eorumdem justitia & expletis. Si vero ipse Theobaldus aut heres ejus in præscriptis partibus suis, sibi aliquo justo modo aliquid possent acquirere, aut aliquid eisdem per aliquod forisfactum accideret, id in perpetuum suum esset, & hæc omnia præscripta tenebunt de nobis & heredibus nostris ligie idem Theobaldus & heres ejus per servitium se tertio milite. Præter hæc autem omnia dedimus ei Theobaldo pro prædicta quittantia VII. millia librarum Parisiensium. Ipse vero Theobaldus nobis & heredibus nostris, ut dictum est, in perpetuum quittavit omnes has partes & villas comitatus Belli-montis inferius scriptas, scilicet Bellum-montem, Chambeliacum, Asnerias, Campanias, Ballolium, Monteigniacum, *Croy*, *Joi* juxta *Baenne*, & *Baenne*, & alias villas quæ sunt inter *Borranc* & Bellum-montem, item sanctum Martinum in colle, Nervillam, Pratellas, *Maffflers*, *Baalay*, & quod nobis remanet apud *Masnil* cum omnibus eorum pertinentiis & villarum justitiis, & universis earumdem pertinentiis in planis boscis, & aquis, & aliis quibuscumque rebus pertinentibus ad easdem. Sciendum autem quod omnia feoda comitatus Belli-montis nostra sunt & heredum nostrorum in perpetuum, exceptis illis quatuor feodis quæ dicto assignavimus Th. apud *Meru*, & similiter vivarium de *Goignonru* & omnia alia vivaria comitatus Belli-montis pertinentia ad prædictas partes & villas, nobis & heredibus nostris remanent in perpetuum, exceptis illis quatuor vivariis, quæ nos apud Joyacum

villam, quæ est inter insulam-Adam & Campanias, eidem Theobaldo assignavimus. Insuper sciendum quod dictus Theobaldus feoda & eleemosynas dictarum villarum, quas ipsi & ejus heredibus assignavimus, & dedimus, illis quibus debentur persolvet in perpetuum annuatim. Actum apud sanctum Germanum in Laia anno Dominicæ Incarnationis MCCXXIII.

CARTA PHILIPPI AUGUSTI regis pro monasterio Columbensi.

De Capella S. Germani in Laya.

Anno 1223. Ex ms. Colbertino.

NOtum, &c. quod nos intuitu Dei & ob remedium animæ & animarum piissimi regis LUDOVICI patris nostri & ALÆ venerabilis matris nostræ, dedimus & concessimus in perpetuam eleemosynam dilectis nostris abbati & conventui (a) Columbensi, [a] quatuordecim libratas reditus percipiendas singulis annis in præpositura nostra Parisiensi, medietatem in Pascha, & medietatem in festo omnium Sanctorum: ita quod unus ex monachis eorumdem in suo prioratu S. Germani in Laia commorantibus pro anima nostra & præfati genitoris nostri LUDOVICI, & memoratæ ALÆ matris nostræ animabus, in capella nostra quam in honore beatæ Mariæ in domo nostra S. Germani in Laya fundavimus, diebus singulis missam & vesperas tenebitur celebrare: ita siquidem quod prænominati abbas & conventus Columbensis dictum reditum percipient & habebunt, quamdiu, sicut prædictum est, in præfata capella nostra divina facient opera celebrare. Si vero id non facerent, sicut superius est expressum, memoratum reditum non haberent. Quod ut, &c. Actum apud S. Germanum in Laya, anno gratiæ MCCXXIII. mense Aprili.

CARTA JOHANNIS marescalli super marescallia sua.

Anno 1223. Ex ms. Colbertino.

EGo JOHANNES marescallus domini Ludovici regis illustris notum facio universis præsentes litteras inspecturis, me super sacrosancta jurasse ipsi domino regi, quod non retinebo equos, nec palefridos, nec roncinos redditos ad opus meum ratione ministerii mei, quod habeo de dono ipsius domini regis, nec ego, nec heredes mei reclamabimus marescalliam jure hereditario tenendam & habendam. In cujus rei memoriam & testimonium præsentes litteras sigillo meo feci muniri. Actum apud Suessionem anno Domini MCCXXIII. mense Augusto.

CARTA LUDOVICI VIII. regis Francorum pro Domo-Dei Parisiensi.

Concedit ei CCCLXVI. libras annui reditus, juxta extremam patris sui voluntatem.

Anno 1223. Ex ms. Colbertino.

LUDOVICUS, &c. Noverint, &c. quod nos devotionem, quam felicis recordationis carissimus progenitor noster PHILIPPUS rex Francorum habuit vita comite ad pauperes Domus-Dei Parisiensis, desiderantes grato fine concludere juxta pium ipsius extremæ voluntatis desiderium vel arbitrium, concedimus ei & donamus in perpetuam eleemosynam trecentas & sexaginta sex libras annui reditus percipiendas annis singulis in præpositura nostra Parisiensi, & distribuendas ipsius domus pauperibus per manum duorum proborum hominum burgensium nostrorum Parisiensium, qui ad hoc faciendum eligentur pro tempore a magistro & fratribus domus ejusdem. Tali videlicet in hac nostra concessione & donatione, conditione apposita, secundum quod noster progenitor in voluntate ordinavit extrema, quod si aliquis episcopus Parisiensis aut alia persona ecclesiastica aliquo umquam in tempore in reddito nominato manum apponeret, occasione qualibet ipsum reditum occupando, detinendo, vel modo aliquo ordinationem hujusmodi perturbando; nos aut heredes nostri libere & sine contradictione aliqua, absque nos messfacere, dictum reditum poterimus a dicta domo retrahere, & ad manum & proprietatem nostram quiete & libere revocare: ita tamen quod dictus episcopus vel alia ecclesiastica persona ab illa occupatione, detentione & perturbatione cessabit, nos aut heredes nostri restituere tenebimur eumdem reditum pauperibus domus præfatæ, & quicquid medio tempore dicta occupatione, detentione, aut perturbatione pendente, fuerit de reditu memorato perceptum. Sciendum etiam quod nos volumus & præcipimus, ut semper de cetero singulis quindecim diebus reddantur quindecim libræ burgensibus provisoribus Domus-Dei a nostro Parisiensi præposito: ita quod quicumque fuerit præpositus, teneatur nobis ad pœnam quinque solidorum reddendorum singulis diebus quibus dictum differret facere pagamentum. Quod ut perpetuæ stabilitatis robur obtineat, præsentem paginam sigilli nostri auctoritate & regii nominis caractere inferius annotatis fecimus roborari.

Actum apud Meledunum, anno Domini MCCXXIII. regni vero nostri anno primo, astantibus in palatio nostro quorum nomina

(a) Columbense monasterium ordinis S. Benedicti in diœcesi Carnotensi a Fulberto episcopo & Gilduino vicecomite ac Rogerio Belvacensi instauratum, a quo sancti Germani de Laia prioratus pendebat, ut supra vidimus.

subscripta sunt & signa; dapifero nullo, Signum ROBERTI buticularii, S. BARTHOLOMÆI camerarii, Signum MATTHÆI constabularii.

LITTERÆ GUILLELMI CATELLI domorum Templi citra mare magistri.

De quinquaginta millibus marchis argenti a Philippo Augusto legatis pro subsidio Terræ-sanctæ.

Anno 1223. Ex ms. Colbertino.

UNiversis litteras inspecturis, frater Guillelmus Catelli, domorum Templi citra mare magister humilis salutem in Domino.

Noverit universitas vestra, nos fidem dedisse corporalem in manu venerabilis patris G. * Silvanectensis episcopi Franciæ cancellarii, quod de quinquaginta millibus marcarum argenti, quas piæ recordationis PHILIPPUS quondam rex Francorum illustris legavit, expendendas in subsidio Terræ-sanctæ per manum Templi, non expendetur aliquid citra mare, nec ultra mare aliquid de eis ponetur in emtionibus, nec in aliquibus batissamentis, cujuscumque laboris. Sed inde tenebuntur centum milites stipendiarii in partibus transmarinis de meliori quod fieri poterit, ad subsidium Terræ-sanctæ per triennium, secundum quod melius videbitur expedire subsidio Terræ-sanctæ, bona fide & secundum fidelitatem ordinis Templi. Residuum totum expendetur in militibus Turcopoli servientibus, galeis, ingeniis & omnibus aliis ad subsidium & defensionem & promotionem Terræ-sanctæ specialiter pertinentibus, secundum quod ipsi Terræ-sanctæ melius videbitur. Hæc autem omnia firmiter observanda & fideliter exequenda bona fide & super ordinem nostrum creantavimus, tam pro nobis quam pro universitate fratrum militiæ Templi. Actum Parisius anno Domini MCCXXIII. mense Augusto.

* Guarini.

CARTA DROGONIS de Melloto.

De justitia domini regis quam habet in tota terra abbatiæ Cormeriacensis.

Anno 1223. Ex ms. Colbertino.

EGo DROGO DE MELLOTO notum facio universis tam præsentibus quam futuris, quod in præsentia carissimi domini mei regis Francorum LUDOVICI, baronum, militum, & multorum aliorum declaratum est apud Salmurium, quod dominus rex habet in tota terra regaliam abbatiæ Cormeriaci, raptum, multrum, & quatuor denarios de singulis (a) albanis, & exercitum, & equitationem. Et hæc omnia debeo fideliter custodire domino regi & heredibus suis, & eis reddere quicquid de prædictis recepero ego vel alius ex parte mea. Custodiam autem & advocatiam abbatiæ jam dictæ teneo de domino rege in feodum & homagium ligium, de dono reverendæ memoriæ PHILIPPI quondam regis Francorum eodem modo quo prædictum est. Actum apud Salmurium, anno Domini MCCXXIII. mense Septembri.

[a]

CARTA TREUGÆ inter dominum regem & A. vice-comitem Thoartii.

Anno 1223. Ex ms. Colbertino.

EGo HAIMERICUS vicecomes Thoarcensis notum facio universis quod domino LUDOVICO regi Francorum & suis dono & firmo rectas treugas de me, & de meis, & de castellis meis, usque ad octabas instantis Paschæ: ita quod dominus rex & sui remanebunt usque ad dictum terminum in ea teneura, in qua erant quando ultima treuga capta fuit inter dominum PHILIPPUM regem Franciæ ex una parte & me ex alia, & ego & mei similiter remanebimus usque ad eumdem terminum in ea teneura, in qua eramus quando ultima treuga firmata fuit inter dominum PH. regem Franciæ ex una parte & me ex alia. Has autem treugas super sacrosancta juravi bona fide tenendas & inviolabiliter observandas. Actum anno Domini MCCXXIII. mense Septembri.

Ex parte domini regis sunt dictatores & emendatores treugæ Galterus de Monte-Sorelli, & senescallus Turonensis, quicumque fuerit senescallus.

Ex parte vicecomitis sunt emendatores Briencius de Monte-acuto & P. de Moleeris ballivus vicecomitis.

EPISTOLA ELIÆ RIDELLI ad senescallum Pictavensem & Johannem de Bello-monte.

De illatis sibi injuriis recusata satisfactione, recusat etiam regi hominium.

Anno 1223. Ex ms. Colbertino.

SEnescallo Pictavensi & Johanni de Bello-monte.

Sciatis quod cum nos essemus in servitio domini regis Francorum, & honori suo pro posse nostro intenderemus sine querimonia, quam de nobis senescallus, ut ipse manifeste confessus est, non habebat; ipse senescallus villam nostram, scilicet Brigeriacum prodere attentavit, & nos morti tradere, aut in perpetuam ducere captivi-

(a) Albani sunt advenæ, alienigenæ, adventitiique, ut constat ex carta Molismensis monasterii: *Omnibus autem extraneis hominibus undecumque advenientibus, quos Albanos vocant, amore Sancti illic manere cupientibus dedit in totum usuarium.* De Albanis fusius agit Cangius.

tatem, & super hoc vobis, domine Johannes, & aliis baronibus ego feci clamorem meum, ut mihi fieret de præmissis plenaria satisfactio & integra emenda. Sicut vero cum mihi promisissetis plenam mihi fieri satisfactionem, pro qua complenda vel etiam ad regem vos missuros festinanter promisistis; expectavi jam tribus septimanis elapsis & amplius, nec aliquod responsum congruum mihi fecistis: unde cum pessima mala pro posse vestro mihi intulissetis, credo firmiter, quod si possetis mihi interiora auferretis, præsertim cum villam meam Bregeriacum vobis tradiderim, præstitis juramentis quod nullum malum meis nocumentum inferretis, vos mihi & meis in villa mea & extra villam damna usque ad decem millia solidorum intulistis. Præterea, quod gravius sustineo, cum curia regis & suorum dicatur esse legitima, nunc video quod apud vos præsentialiter & apud sanctum *Emel*, & in alia terra regis proditores meos tenetis & receptatis. Hinc est quod cum non haberem consilium, quod amplius sub tali dubio & tam gravi periculo permaneam, vobis significo quod domino regi de aliquo homagio non teneor, nec amplius cum eo aut suis ero sub aliqua dominatione. Notum quoque facio vobis, domine Johannes, & aliis baronibus, quod propter gravamen & dolum quem volebat mihi facere senescallus, ego substituo me a dominio regis Francorum, quod super aliquo ei amplius non tenebor.

LITTERÆ COMITIS MARCHIÆ de Treuga.

Anno 1223. Ex ms. Colbertino.

EGo HUGO de *Livegnon* comes marchiæ, notum facio universis tam præsentibus quam futuris, quod dono domino regi LUDOVICO Francorum illustri & suis rectas treugas usque ad octavas instantis Paschæ: ita quod ego & mei remanebimus usque ad dictum terminum in ea teneura, in qua sumus modo secundum formam treugæ, quam reverendæ memoriæ PHILIPPUS rex quondam Francorum illustris mecum firmavit, dominusque rex LUDOVICUS & sui remanebunt usque ad dictum terminum in ea teneura, in qua sunt modo, secundum formam treugæ firmatæ inter dictum regem PHILIPPUM & me. Hanc autem treugam fiduciavi bona fide & inviolabiliter observandam. Actum anno Domini MCCXXIII. mense Septembri.

EPISTOLA JOHANNIS COMITIS Spanheimensis Hugoldo abbati Corbeiæ-novæ.

Petit ab eo veniam de illatis injuriis, pro quibus satisfactionem facit & emendam promittit.

Anno 1223. Ex ms. Corbeiæ novæ.

VEnerabili domino H. Dei gratia abbati in Corbeia, comes de *Spanheim*, tam promptum quam debitum in omnibus obsequium.

Licet propter malitiam dierum modernorum, pater venerande, vestra ecclesia satis frequenter & nimis indebite læsa fuerit hactenus a nostra familia; scire tamen debet indubitanter caritas vestra, quod nos eamdem ecclesiam vestram, tamquam matrem & beneficiatricem nostram miro affectu diligimus, & ipsi merito dignas gratiarum actiones referimus, optime recognoscentes, quod ab ipsa sumus competenter ditati & sublimiter honestati. Cum igitur pro læsione memorata per litteras vestras preces nobis fuderitis aliquam vobis fieri, ut dignum est, satisfactionem; nos justæ petitioni vestræ voluntarium præbentes assensum, talem inter nos & ecclesiam vestram facimus compositionem, quod decem & octo solidi Colonienses, quos annuatim curia vestra in *Letiche* nobis juste persolvere consuevit, per decem annos nobis non solvantur: & hanc compositionem factam esse de collateralium nostrorum consilio & nuntiorum nostrorum assensu voluntario cognoscatis. Præterea vobis, quantum possumus, firmissime promittimus, quod de cetero damna vobis aliqua non inferemus, sed ducatum & defensionem debitam vobis exhibebimus temporibus opportunis. Et quoniam universa negotia obfuscare solet oblivio, si non illa firmentur stabili caractere litterarum, præsentem paginam scribi fecimus, & eamdem præcepimus sigilli nostri munimine roborari. Facta est autem hæc compositio anno dominicæ incarnationis MCCXXIII. (a) in die SS. apostolorum Simonis & Judæ, præsentibus viris discretis & honestis, domino JOHANNE comite, CONRADO (b) Trevirensi Prædicatore verbi Dei, Friderico milite de *Vvalholt*, Isenbardo capellano *de Starckunburg*, Temone monacho, Henrico converso & pluribus aliis. Hinc est quod ego JOHANNES comes de *Spanheim* benignitatem vestram omni diligentia, quacumque possum, suppliciter exoro, quatenus injurias & damna vobis a me & a meis hactenus illata divinæ mer-

(a) Hic emendandi Annales Corbeiæ à Paulino editi, ubi hæc satisfactio legitur facta anno 1233. his verbis: *Anno 1223. culpam suam deprecatur Johannes comes Spanheim offensor ecclesiæ nostræ.*

(b) Hic est celeberrimus ille Conradus de *Marburc* insignis verbi Dei prædicator, qui memoratur in epistola Gregorii papæ IX ad Fridericum imperatorem, a nobis edita tom. 1. Anecdotorum, pag. 951.

cedis & nostræ servitutis intuitu, libera mente & corde voluntario remittatis, & mihi & uxori meæ tam defunctæ quam vivæ plenam fraternitatem & omnium bonorum quæ fuerint apud vos per factam communionem conferatis, & de hoc litteras vestras patentes sigillo vestro roboratas mihi transmittere nullatenus obmittatis. Valete.

CARTA RADULFI de Claro-monte.

De compositione facta inter dominum regem & ipsum super eo quod habere debet in comitatu Clari-montis.

Anno 1223. Ex ms. Colbertino.

EGo RADULFUS de Claromonte notum facio, &c. quod ego quittavi in perpetuum quicquid habeo juris & habere possum aliquo modo in comitatu Clarimontis, & in ejus pertinentiis, tam feodis quam domaniis carissimo domino meo PHILIPPO comiti Boloniensi & Clari-montis, & heredibus suis de carne sua, & carissimo domino meo LUDOVICO Dei gratia regi Francorum illustri, ac heredibus suis in perpetuum, si comes sine herede decesserit de carne sua. Hanc autem quittationem super sacrosancta juravi firmiter in perpetuum observandam, & quod super hoc de cetero non traham in placitum, nec in alium vexationis modum, nec per me, nec per alium comitem prædictum, nec per aliquem ex parte sua, nec dominum regem, nec heredes suos, si dictus comitatus ad dominum regem vel ad ejus heredes, eo modo quo prædictum est, devenerit. Hanc autem quittationem juraverunt inviolabiliter observandam JOHANNES & SIMON filii mei. Pro hac autem quittatione dedit mihi bonæ memoriæ PHILIPPUS quondam rex illustris quatuor millia librarum Parisiensium. Dominus vero rex LUDOVICUS propter hanc quittationem quittavit mihi rachatum escheatæ Amiciæ dominæ Britolii de terra Britolii & ejus pertinentiis tam feodis quam domaniis, & de feodo domini regis moventibus, quantum ad dominum regem pertinet, si vixero post decessum Amiciæ prædictæ. Quod ut ratum, &c. Actum apud *Chaumont*, anno Domini MCCXXIII. mense Novembri.

CARTA DE SIGILLO Judæorum & de conventionibus Christianorum cum ipsis.

Ex ms. Colbertino.

UNiversis per Franciam & Normanniam constitutis mandantes vobis præcipimus, quatenus de unaquaque villa eligatis duos legitimos homines, qui per juramentum suum fideliter custodiant sigillum Judæorum, & in sigillo suo sigillabunt per assensum utriusque partis conventiones præstitorum, quæ fient inter Christianos & Judæos a LX. solidis & supra; & illi jurati rescripta illarum conventionum penes se ad opus nostrum retinebunt. Hic est autem modus conventionis, videlicet quod si ad primum terminum qui ponetur in carta, Christianus debitum suum Judæo non reddiderit, ex tunc post ipsum terminum elapsum Christianus tenebitur reddere Judæo per hebdomadam pro unaquaque libra duos denarios usque ad unum annum tantum: si tamen Christianus tamdiu voluerit debitum retinere, & Judæus voluerit ei dimittere; neque ultra illum annum Judæus a Christiano usuras exigere poterit occasione illius debiti, cum amplius quam per annum debitum ipsum non possit currere ad usuram. Volumus autem & præcipimus ut ad probanda debita Judæorum contra Christianos vel Christianorum contra Judæos, non admittantur in testimonium tam Christiani quam Judæi, nisi eo modo quo statutum est ab antiquo, & sicut solent circa hoc testes admitti. Vobis autem præcipimus, quatenus ipsis Judæis cum ab eis fueritis requisiti, debita sua per jus absque omni dilatione in vestris balliviis reddi faciatis: ita quod exinde verbum amplius non audiamus.

STABILIMENTUM JUDÆORUM

Factum Parisius anno Domini MCCXXIII. mense Novembri.

Anno 1223. Ex ms. Colbertino.

NUllum debitum Judæorum curret ad usuram ab hac die omnium sanctorum inantea, nec nos nec barones nostri faciemus de cetero reddi Judæis usuras, quæ current ab hac die omnium sanctorum inantea.

Debita omnia quæ debentur Judæis sunt atterminata ad novem pagas infra tres annos, ad reddendum dominis quibus subsunt Judæi singulis annis tertiam partem debitorum tribus terminis; tertium sit videlicet in instanti festo purificationis B. MARIÆ, & tertium in ascensione Domini, & tertium in festo omnium sanctorum subsequenti, & sic in aliis duobus annis sequentibus.

Et sciendum quod nos & barones nostri statuimus & ordinavimus de statu Judæorum, quod nullus nostrum alterius Judæos recipere potest vel retinere, & hoc intelligendum est tam de hiis qui stabilimentum juraverint, quam de illis qui non juraverint.

Judæi de cetero sigilla non habebunt ad sigillandum debita sua: debent etiam Judæi

facere irrotulari auctoritate dominorum quibus subsunt, universa debita sua infra instans festum purificationis B. MARIÆ: ita quod de debitis, quæ tunc irrotulata non fuerint, sicut dictum est, non respondebitur Judæis de cetero, nec eis reddentur.

Si quas autem litteras exhibuerint Judæi de debitis suis continentes longius & remotius suæ confectionis tempus, quam a quinque annis proximo & ultimo præteritis, eas statuimus non valere, & debita in litteris illis contenta reddi non debere. Et hoc ultimum capitulum sic est intelligendum: si quas litteras exhibuerint Judæi continentes, &c. quas per quinque annos celaverunt Judæi in fraudem, nec ullam de eis mentionem fecerunt infra quinque annos proximo & ultimo præteritos, eas dicimus non valere, & debita in illis contenta reddi non debere.

Si infra quinque annos de litteris illis mentionem fecerint Judæi, & debita illa quæ in illis litteris continentur petierint interim, sicut debuerunt, & ubi litteras illas non dicimus non valere: immo debita in illis contenta præcipimus & volumus eis reddi.

CONFOEDERATIO
imperatoris Friderici Alemanniæ & domini regis Ludovici Francorum.

Anno 1223. Ex ms. Colbertino.

FRIDERICUS Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, & rex Siciliæ universis præsentem paginam inspecturis, salutem.

Noveritis quod propter dilectionem, quam nos & progenitores nostri habuimus & habemus erga carissimum amicum nostrum & fratrem LUDOVICUM illustrem regem Francorum & ipsius progenitores & antecessores, hanc confœderationem cum eodem rege bona fide duximus iniendam, quod nos homines regni sui vel ad regnum suum pertinentes, contumaces vel eidem rebellantes seu moventes guerram contra ipsum regem, vel foris-bannitos regni sui non receptabimus, nec receptari sustinebimus in imperio nostro, ubi potestatem habeamus, neque aliquam confœderationem cum eis faciemus, postquam idipsum ab eodem rege nobis fuerit intimatum. Et hanc similiter confœderationem fecit bona fide nobiscum idem rex Ludovicus, qui homines imperii nostri vel pertinentes ad imperium nostrum contumaces, & nobis rebellantes, seu moventes nobis guerram, & foris-bannitos regni nostri non receptabit, nec receptari permittet, bona fide, in regno suo ubi potestatem habeat, nec aliquam confœderationem cum eis faciet postquam idipsum fuerit significatum eidem regi. De rege Angliæ sic erit, quod nullam cum eo faciemus confœderationem, nec cum heredibus suis, nec a nostris fieri permittemus, ubicumque impediendi habeamus potestatem. Hanc autem confœderationem præcipimus & injunximus jurandam pro nobis in anima nostra a RENALDO duce Spoleti dilecto familiari, & Johanne de Trajecto, curiæ nostræ notario fidelibus nostris, coram magistro Sim. de Domibus clerico & Guillelmo de Balneolis dicti regis legatis. Actum Cathanæ, anno Incarnationis dominicæ MCCXXIII. mense Novembri. (a)

CONVENTIONES
Inter Ludovicum regem VIII. & Hugonem de Lezignano comitem Marchiæ.

Anno 1224. Ex ms. Colbertino.

LUDOVICUS, &c. Notum, &c. quod nos dabimus dilecto & fideli nostro HUGONI de *Lezignen* comiti Marchiæ singulis annis duo millia librarum Parisiensium in tribus terminis, videlicet in festo omnium sanctorum, in festo purificationis beatæ Mariæ, & in festo ascensionis Domini, pro dotalitio quod regina uxor ejusdem comitis habet in Anglia, quousque illa duo millia librarum assignaverim eidem in acquisitione de novo facienda in comitatu Pictavis. Pro dotalitio autem quod eadem regina habet apud Salmurium, dedimus eidem comiti Langestum, ita quod ibi facere non poterit fortericiam, nisi de voluntate nostra: & si reditus Langesti non valuerint reditus Salmurii, deductis feodis & eleemosynis, perficientur apud Langestum; & hoc facto comes Marchiæ quittavit nobis & heredibus nostris in perpetuum quicquid juris clamat & habet in castro Exolduni. Quod si civitas Burdigalensis *fuerit* acquisita, assignabimus comiti *Marchiæ* civitatem Burdigalensem cum pertinentiis, deductis feodis & eleem. ita quod nos exinde retinemus nobis & heredibus nostris regalia civitatis Burdegalensis & hominagium baronum qui distant a civitate Burdegalensi per spatium trium leugarum & amplius. Et tunc assignamentum factum comiti Marchiæ apud Langestum integre redibit ad nos & heredes nostros, & ex tunc remanebimus quiti & liberi in perpetuum a solutione dictorum duorum millium librarum: quia

(a) Eamdem iisdem verbis confœderationem cum Ludovico rege inivit Henricus rex Romanorum prædicti Friderici filius apud Tridentum anno MCCXXVI. III. idus Junii indictione XIIII. quam jurare fecit ab HERMANNO venerabili Herbipolensi episcopo & Gerlaco de Boutingero coram MILONE venerabili Belvacensi episcopo & Roberto de Bovis regis Franciæ legatis.

quia civitas Burdigalensis assignabitur dicto comiti pro toto dotalitio reginæ uxoris suæ & pro Langesto. Civitas Xantonensis de qua idem comes est tenens ad præsens remanebit eidem ipsi & heredibus suis cum insula *de Leron*, quando fuerit acquisita. Si autem nos aliquo impedimento detenti personaliter non iremus in acquisitionem prædictorum, providemus dicto comiti ducentos milites & sexcentos servientes pedites, vel eorum stipendia per quatuor menses anni, sicut dare consuevimus militibus nostris stipendiariis, & eorum perdita reddemus sicut reddere consuevimus, & servientibus daremus, sicut dare consuevimus; milites autem & servientes prædictos providebimus ei, vel eorum stipendia, sicut dictum est, per VII. annos, nisi interim capta fuerit civitas Burdigalensis: sed ex quo capta fuerit, in nullo tenebimur dicto comiti de dictis militibus & servientibus vel eorum stipendiis, & quando nos personaliter erimus in acquisitione prædictorum, tantum temporis computabitur in illis quatuor mensibus, quantum erimus in exercitu illius acquisitionis, & in residuo temporis quatuor mensium providebimus eidem, sicut dictum est, de dictis ducentis militibus & sexcentis servientibus peditibus vel eorum stipendiis, donec quatuor menses perficiantur. De prædictis siquidem, & terris aliis, omnibusque fortericiis, quas tenet dictus comes in comitatu Pictavensi, & in comitatu Marchiæ & Angolismensi, & in episcopatu Xantonensi, exceptis feodis quæ tenet de ecclesiis, fecit nobis hominagium ligium contra omnes homines & feminas, qui possunt vivere & mori; & similiter facient heredes sui nobis & heredibus nostris. Et nos & heredes nostri garantizabimus hæc omnia ipsi & heredibus suis bona fide, sicut aliis hominibus garantizare debemus feoda quæ tenent de nobis. Sciendum autem quod nos non faciemus pacem nec treugam cum rege Angliæ sine assensu suo. Et sciendum quod id quod supradictum est de assignamento dicto comiti faciendo pro dotalitio reginæ uxoris suæ, intelligimus & volumus intelligi de dotalitio, quod dicta regina habebat in Anglia, & quod nos possidemus. Quæ omnia, &c. Actum Bituricis anno Domini MCCXXIIII. mense Maio, anno regni nostri primo.

CARTA LUDOVICI REGIS Francorum VIII.

De conventione facta cum comite Marchiæ de castro Lezignano.

Anno 1224. Ex ms. Colbertino.

LUDOVICUS Dei gratia Francorum rex. Notum facimus quod dilectus & fidelis noster comes Marchiæ tenetur ponere castrum suum de *Lezeignan* in manu dilecti & fidelis nostri PETRI comitis Brit. quamdiu nos erimus in partibus Pictaviæ; quando nos recedemus de partibus Pictaviæ dictus comes rehabebit castrum suum de *Lezegnan*. Et sciendum quod ipse constituit nobis plegios dilectos & fideles nostros PETRUM comitem Brit. ROBERTUM de Cortenaio Franciæ buticularium de rehabendo castro suo de *Lezegnan*, sicut superius dictum est, quotiens & quando nos redibimus in partes Pictaviæ. De hac siquidem conventione & aliis factis inter nos & ipsum firmiter & fideliter observandis, sicut in cartis exinde confectis plenius continetur, tenetur dictus comes facere præstari nobis vel mandato nostro juramenta quadraginta hominum suorum, de quibus ea habere voluerimus, & eorum litteras patentes & continentes, quod si prædictus comes veniret contra conventiones de quibus supra facta est mentio, ipsi fideliter adhærebunt nobis contra dictum comitem, donec id esset competenter emendatum. Nos autem prædictas conventiones dicto comiti fecimus assecurari per prædictos P. comitem Britanniæ, Robertum de Cortenaio, & per Matthæum de Monte-Maurenciaco Franciæ constabularium. Actum, &c. anno Domini MCCXXIIII. mense Maio.

CARTA LUDOVICI VIII. regis Francorum pro Gaufrido de Lezegnan.

De vice-comitatu Castri-Eraudi.

LUDOVICUS, &c. Notum, &c. quod nos dilectum & fidelem nostrum Gaufridum de *Lezegnan*, salvo rachato nostro, recipiemus in hominem ligium de vicecomitatu Castri-Eraudi, qui provenit ei ex parte CLEMENTIÆ uxoris suæ filiæ HUGONIS quondam vicecomitis Castri-Eraudi, quando suam adducet ad nos uxorem prædictam: & si forte contingeret eam sine herede decedere, vicecomitatus ille rediret ad heredes proximiores, salvo rachato nostro. Et sciendum, quod nec idem GAUFRIDUS nec alius poterit apud Castrum-Eraudi facere forteritiam, nisi de voluntate nostra, & de hoc vicecomitatu tenetur idem Gaufridus & heredes sui de uxore sua prædicta facere nobis & heredibus nostris hominagium ligium contra omnes homines, fecitque idem Gaufridus nobis hominagium de alia terra quam pater suus tenuit de bonæ memoriæ PHILIPPO genitore nostro, quamdiu fuit in ejus servitio, & similiter tenentur heredes dicti Gaufridi facere hominagium de eadem terra nobis & heredibus nostris. Quotiens autem & quando ierimus in partibus illis, tenetur idem

Anno 1224. Ex ms. Colbertino.

Gaufridus tradere castrum suum de *Vovent* nobis vel mandato ad ponendum in eo garnisionem nostram quamdiu erimus in partibus illis, & in recessu nostro rehabebit idem Gaufridus castrum suum de *Vovent* : ita quod si idem Gaufridus de hoc faciendo deficeret, nos sine messacere possemus assignare ad quicquid tenet, vel tenere debet in manu nostra, donec id fuerit emendatum ad judicium curiæ nostræ. Et sciendum quod conventionem quam fecit idem Gaufridus de castro de *Vovent*, sicut dictum est, fecit de voluntate & præcepto comitis Marchiæ, de quo idem Gaufridus tenet castrum Voventi, idemque Gaufridus quittavit nobis & heredibus nostris in perpetuum quicquid juris clamare vel habere potest ex parte dictæ uxoris suæ in toto eo quod tenemus de comitatu *Alençon*, & hanc quittationem faciet fieri a dicta uxore sua. Actum Bituris anno Domini MCCXXIV. mense Maio.

CARTA AIMERICI vicecomitis Thoarcensis.

De treuga.

Anno 1224. Ex ms. Colbertino.

OMnibus Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis AIMERICUS vicecomes Thoarcii salutem in Domino.

Noveritis quod ego dedi domino LUDOVICO regi Francorum & heredi suo, si ipse decederet, & domaniis ac feodis suis rectas & firmas treugas sub eadem forma, qua eas olim dedi bonæ memoriæ PHILIPPO regi Francorum, ab hac nativitate beati Johannis Baptistæ celebrata anno Domini MCCXXIIII. usque ad unum annum completum in hunc modum, quod infra quindenam post dictum terminum finitum ero suus homo ligius contra omnes homines & feminas qui vivere possunt & mori, & ab ipso tenebo integre terras meas, & feoda mea, sicut tenui a rege Angliæ citra mare, & homines mei ab ipso tenebunt feoda & reditus quos a rege Angliæ tenuerunt, Guif. *de Argençon* centum quadraginta libras Turonenses, Gaufredo Bursardi centum libras Turonenses, & aliis hominibus meis reddet dominus rex prædictus annuatim CLX. libras Turonenses, quoadusque ipse eisdem hominibus terras suas deliberaverit, quas amiserunt quando de servitio domini Philippi regis Francorum recessi : & homines mei facient domino Ludovico regi Francorum hominagia, sicut regi Angliæ fecerunt, & conventiones istas prænotatas prosequar ego & homines mei erga dominum regem, & ipse dominus rex erga me & homines meos, nisi rex Angliæ interim me ab ipso rege Francorum aliquo modo possit liberare, & mihi litteras meas fecerit rehaberi : & tunc ego tenerer domino regi reddere litteras suas super eisdem conventionibus. De supradictis siquidem conventionibus firmiter observandis tales pro me dedi plegios : HUGONEM de Thoarcio fratrem meum, GUIDONEM & AYMERICUM de Thoarcio filios meos, GAUFRIDUM de *Argençon* nepotem meum, GUILLELMUM Archiepiscopi dominum Pertiniaci, THEOBALDUM de Bello-monte dominum Berterii, BRIENTIUM de Monte-acuto, Gaufridum Bursandi, Guillelmum filium Aufredi, Petrum Episcopi dominum S. Hermeniæ, REG. de Malo-leprario, Rogonem de Monte-rebelli, P. *Brule*, Johannem de *Cambray*, SIMONEM de Caliga-rubea nepotem meum, Gaufridum præpositum Thoarcensem, Aymericum de Lizegniaco, Theobaldum *Leger*, Reg. de *Benric*, & Theobaldum de Monte-Falconis : ita quod si a prædictis conventionibus resilirem, ipse se redderet in prisoniam domini regis Franciæ apud Salmurium vel apud Chinonem, donec id esset emendatum, sicut in præsentibus litteris continetur. Tempore autem dictarum treugarum mercatores & omnes aliæ gentes de terra domini regis Francorum salvæ & securæ poterunt ire & venire per terram meam & feoda mea, & inde habere victualia, & alia necessaria per emtionem, nec infra prædictas treugas homines mei ibunt contra regem Francorum prænominatum. Istas vero conventiones prænominatus ego & homines mei, quorum nomina in præsentibus litteris continentur, bona fide juravimus firmiter observare, & ad earum confirmationem præsentes litteras sigilli mei munimine roboravi, & dicti homines mei sigilla habentes similiter ad earumdem conventionum confirmationem sæpedicto regi Francorum litteras suas patentes tradiderunt. De hominagio autem faciendo & aliis conventionibus persequendis teneor ego & plegii mei prænominati dicti regis heredi, si dominus rex decederet. Actum anno Domini MCCXXIIII. mense Junio.

INSTRUMENTUM PUBLICUM an episcopi Normanniæ exercitum regi debeant in propriis personis.

Anno 1224. Ex ms. Colbertino.

ANno Domini MCCXXIV. regni regis LUDOVICI primo, die festi S. Johannis-Baptistæ apud Turonen. ita recesserunt de exercitu domini regis Constanciensis, Abrincensis, & Lexoviensis episcopi, quod si dominus rex per inquisitionem suam invenerit, quod episcopi prædicti & alii episcopi Normanniæ non debeant ei exercitum in propriis suis personis, ipsi quitti remaneant de exercitu, quantum pertinet ad per-

sonas eorum. Et si invenerit quod dicti episcopi debeant ei exercitum in propriis personis suis, ipsi exercitum domino regi reddent in propriis personis cum emenda de eo quod huic exercitui domini regis personaliter non interfuerunt. Actum præsentibus & testibus his rege JOHANNE Jerosolymitano. G. Silvanectensi episcopo Franciæ cancellario, B. de Roia Franciæ camerario, MATTHÆO de Monte-Morenciaco Franciæ constabulario, archiepiscopo GALTERIO Senonensi, episcopo PETRO Meldensi, episcopo MILONE Belvacensi, episcopo ROBERTO Trecensi, episcopo RENALDO Nivernensi, episcopo JACOBO Suessionensi, URSINO cambellano, INGERRANNO de Cociaco, ADA de Bello-monte, GUIDONE de Merevilla, JOHANNE de Osmaco, PETRO de Ulriaco, GUILLELMO Meri.

LITTERÆ HUGONIS comitis Marchiæ.

De Mausiaco.

Anno 1224. Ex ms. Colbertino.

EGo HUGO de Lisegnano comes Marchiæ & Engolismensis, notum facio universis tam præsentimus quam futuris, quod cum tenerem Mausiacum pro dotalitio AGATHÆ neptis meæ, & super Mausiacum haberem quinquaginta libras Turonenses, quas dederam dictæ nepti meæ in maritagium, & sexcentas libras & LXVI. libras Turonenses, quas posueram in forteritia Mausiaci facienda, & dicerem me debere Ballum Mausiacum habere usque ad decennium, carissimus dominus meus LUDOVICUS rex Francorum illustris, quia recepit Guillelmum de Aspero-monte in hominem ligium de Mausiaco, volens jus meum illæsum conservari, tradidit mihi fructus Lemovicensis episcopatus habendos & percipiendos, quamdiu domino regi placuerit. Si autem contingeret quod dominus rex fructus dictorum regalium ad manum suam revocaret, vel quod eos propria voluntate mea dimitterem, ego redirem ad demandam meam de Mausiaco, & dominus rex facere teneretur quod inde dictarent nobiles viri ING. Cociaci, ROBERTUS de Cortenaio Franciæ buticularius, MATTHÆUS de Monte-Morenciaco Franciæ constabularius, in quo dominus rex & ego super præmissis fecimus compromissionem, ita quod si dicti tres interesse non possent huic dicto proferendo, dominus rex & ego staremus dicto duorum dictatorum ex ipsis, & quicquid recepero de fructibus regalium Lemovicensis episcopatus computabitur mihi in eo quod tenetur mihi facere dominus rex per dictum dictorum trium dictatorum vel duorum ex ipsis, si tres interesse non possint. Vult etiam dominus rex ut dominus Mausiaci & homines ejusdem loci reddant mihi debita quæ debent mihi & hominibus meis, si tamen eadem debita recognita fuerint vel probata. Actum apud Rupellam anno Domini MCCXXIIII. mense Augusto.

CARTA LUDOVICI VIII. regis Francorum continens litteras Alienordis reginæ Anglorum pro parthenone Fontis-Ebraldi.

Anno 1224. Ex ms. Colbertino.

LUDOVICUS, &c. Notum, &c. nos vidisse cartam reginæ Alienors sub hac forma. ALIENORS Dei gratia humilis regina Anglorum, ducissa Normanniæ, Aquitaniæ, & comitissa Andegaviæ, archiepiscopis, episcopis, comitibus, vicecomitibus, baronibus, senescallis, præpositis, justitiariis, ballivis & universis tam præsentibus quam futuris, ad quoscumque litteræ istæ pervenerint salutem. Sciatis nos dedisse in puram, liberam & perpetuam eleemosynam, & in perpetuum concessisse Deo & ecclesiæ Fontis-Evraudi ad servitium religiosarum ancillarum Christi ibidem Deo servientium pro salute animarum illustrissimorum regum Anglorum, videlicet domini HENRICI viri nostri, domini RICHARDI filii nostri, & nostræ, dilectum & fidelem hominem nostrum Petrum Fulcherii de Rochella & heredes suos liberos in perpetuum & immunes ab omnibus talliatis, quæstis, exactionibus, exercitibus, equitationibus, & omnibus aliis consuetudinibus, & servitiis quæ domino Pictaviæ in terra sua fieri consueverunt. Volumus igitur, præcipimus, & statuimus, ut Petrus Fulcherii & heredes ejus libertatem suam, perpetuam, plenariam & quietam habeant, sicut ipsis eam libera voluntate donavimus, & præsenti carta nostra confirmavimus, nec ulli hominum liceat libertatis istius integritatem aliquandiu lædere, nec minuere, nec in aliquo violare. Quod si quis attentare præsumserit, periculum corporis & rerum tantumdem incurrat in manu domini Pictavensis, ac si ipsum sanctæ ecclesiæ oratorium violasset. Ut autem hæc nostra eleemosyna juste & licite & libere facta maneat in posterum inconcussa, nos cartam istam ad perpetuæ robur auctoritatis sigilli nostri munimine fecimus insigniri. Datum apud Rochellam anno Incarnati Verbi MCXCIX. Ut igitur donationes & concessiones prædictæ perpetuæ stabilitatis robur obtineant, eo modo quo factæ fuerunt, præsentem paginam sigilli nostri auctoritate & regii nominis caractere inferius annotato confirmavimus. Actum apud Rupellam anno Domini MCCXXIIII. mense Augusto, regni nostri anno II.

A

CARTA LUDOVICI VIII. REGIS.

Castrum-Celsum, &c. Petro comiti Britanniæ ad homagium ligium donat.

Anno 1224. Ex ms. Colbertino.

LUDOVICUS, &c. Notum, &c. quod nos carissimo consanguineo & fideli nostro P. comiti Britanniæ donavimus in feodum & hominagium ligium Castrum-Celsi & Monfalconis cum pertinentiis eorum, & totam terram quæ fuit Theb. Coispini per servitium quod terra deberet ad usus & B consuetudines Andegavenses ipsi & heredibus suis de nobis & heredibus nostris in perpetuum possidendum; tali modo, quod prædictus comes & heredes sui teneantur de dicta terra & ejus pertinentiis jure stare & respondere in curia nostra cuilibet conquerenti, & se super prædictis justitiabiles exhibere, tamquam de dono nostro. Prædictus vero comes Britanniæ aut heredes sui in tota prædicta terra numquam poterunt de novo constituere malam toltam, aut constitutam malam tenere, nisi de voluntate C nostra, aut heredum nostrorum. Actum anno Domini MCCXXIIII. mense Octobri.

CARTA LUDOVICI VIII. regis Francorum.

De Emerico de Caturco burgensi Rupellæ dato Stephano archiepiscopo & ecclesiæ Cantuariensi.

Anno 1224. Ex ms. Colbertino.

LUDOVICUS, &c. Notum, &c. quod nos pro amore Dei & pro reverentia beati THOMÆ martyris, dedimus & con- D cessimus Deo & ecclesiæ Cantuariensi, & venerabili patri STEPHANO Cantuariensi archiepiscopo & successoribus suis in perpetuum homagium & servitium Emerici de Chauurcio burgensis de Rupella & heredum suorum: ita quod idem Emericus & heredes sui sint in perpetuum intendentes & respondentes prædicto STEPHANO archiepiscopo & successoribus suis tamquam dominis suis, & eis servient, salva fide nostra & heredum nostrorum, & sint liberi & quieti per omnes terras nostras a taillagio, thelonio, passagio, & pontagio, & omnibus E aliis consuetudinibus & exactionibus ad nos & heredes nostros pertinentibus. Quare volumus & firmiter præcipimus, quod prædicta ecclesia Cantuariensis & prædictus STEPHANUS archiepiscopus & successores sui habeant & teneant in perpetuum prædictum homagium & prædictum servitium ejusdem Emerici & heredum suorum bene & in pace, libere & quiete, & integre, sicut dictum est. Quod ut perpetuum, &c. confirmamus. Actum apud Rupellam anno Domini millesimo ducentesimo vigesimo quarto mense Augusti, regni nostri secundo.

CARTA LUDOVICI VIII. regis.

De confirmatione dotalitii sui Blanchæ reginæ.

Anno 1224. Ex ms. Colbertino.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Amen. LUDOVICUS Dei gratia Francorum rex. Noverint universi præsentes pariter & futuri, quod cum nos contraxissemus matrimonium cum carissima uxore nostra BLANCHA filia regis Castellæ, dedimus ei in dotalitium Bapalmas, *Lens* & Hesdinum cum appenditiis eorum. Ipsa vero credens quod majorem obtineret firmitatem, si dotalitium illud cum regni gubernaculo susciperemus, confirmaremus & approbaremus, illud a nobis petiit confirmari & penitus innovari. Nos autem ejusdem uxoris nostræ BLANCHÆ volontati præbentes assensum, prædictum dotalitium, quod bene recognovimus nos eidem fecisse, videlicet Bapalmas, *Lens* & Hesdinum cum pertinentiis eorum eidem confirmavimus. Quod ut, &c. Actum apud S. Germanum in Laia anno dominicæ Incarnationis MCCXXIIII. regni vero nostri II. astantibus in palatio nostro quorum nomina sunt & signa. Dapifero nullo, signum ROBERTI buticularii, S. BARTHOLOMÆI camerarii, S. MATTHÆI constabularii.

CARTA LUDOVICI REGIS

De quibusdam consuetudinibus quas Lyrenses monachi per totam forestam Britolii habebant.

Anno 1224. Ex cartario Lyrensi.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Amen. LUDOVICUS Dei gratia Francorum rex. Noverint universi præsentes pariter & futuri, quod dilecti nostri abbas Lyræ totusque conventus ejusdem loci quitaverunt nobis & heredibus nostris in perpetuum totum usagium quod ipsi habebant pro capite & membris abbatiæ suæ in foresta Britolii propter pasnagium, herbagium & decimam de exitibus prædictæ forestæ, quæ sibi retinent sicut ea habuerunt usque modo. Retinent etiam sibi libertatem VII. servientium suorum qui eis serviunt, & VI. burgensium de Lyra qui sunt quiti de herbagio & pasnagio de propriis nutrituris suis sine mercandisia facienda, & habent usagium ad mortuum nemus in foresta Britolii extra defensa. Retinent etiam sibi omnes hospites suos tam de nova Lyra, quam de Lyra veteri, qui habent mortuum nemus & pasturam in eadem foresta extra defensa. De propriis nutrituris suis sine mercandisia facienda sicut burgenses nostri, & retinent sibi homines *de Ribamont*, de Trisaio, & de Bosco-Hugonis, de Cellis, de Hamello, de Monte-Runerii, qui quanti sunt erga

nos de pasnagio in dicta foresta de propriis porcis suis sine mercandisia facienda, & habent ibi pasturam animalium suorum & usagium ad mortuum nemus extra defensa, & quando mittimus bigros (a) in dictam forestam, abbas & conventus prædicti possunt ibidem mittere tres bigros; & habebunt abbas & conventus liberum transitum ad opus victualium suorum ducendorum per forestam Britolii, sicut hactenus habuerunt. Nos autem donamus & concedimus in perpetuum abbati & conventui prædictis pro quitatione usagii sui prædicta octingenta & octo arpenta nemoris ad perticam nostram in haya Lyræ, & in magno nemore tenente ad haiam prædictam infra metas positas, salvis viis & cheminis antiquis tenenda & habenda sibi libere & absolute sine retentione custodiæ, de quibus etiam suam omnino facient voluntatem, tamquam de re sua propria, sine facere villam & sine venari. Si vero cartas habeant aliquas contra tenorem cartæ præsentis existentes, volunt eas non valere, nec eis utentur, quantum pertinet ad articulos in præsenti pagina contentos. Quod ut perpetuæ stabilitatis robur obtineat, præsentem paginam sigilli nostri auctoritate & regii nostri caractere inferius annotato confirmamus. Actum apud Britolium anno dominicæ Incarnationis MCCXX quarto, regni vero nostri anno secundo, astantibus in palatio nostro quorum nomina supposita sunt & signa. Dapifero nullo. Signum ROBERTI buticularii. Signum BARTHOLOMÆI. Signum MATTHÆI constabularii. Data per manum GUARINI Silvanectensis episcopi cancellarii.

JUDICIUM FACTUM INTER comitissam Flandriæ & Johannem de Nigella, & judicium inter pares Franciæ & ministeriales hospitii domini regis.

Anno 1224. Ex ms. Colbertino.

CUm esset contentio inter JOHANNAM comitissam Flandriæ ex una parte, & JOHANNEM DE NIGELLA ex altera; idem Johannes appellavit comitissam de defectu ad curiam domini regis. Dominus rex fecit comitissam citari coram se per duos milites. Comitissa ad diem comparens, proposuit se sufficienter non fuisse citatam per duos milites, quia per pares suos citari debebat. Partibus appodiantibus se ad judicium super hoc, judicatum est in curia domini regis quod comitissa fuerat sufficienter & competenter citata per duos milites, & quod tenebat & valebat submonitio per eos facta de comitissa. Item, comitissa proposuit quod Johannes de Nigella pares habebat in Flandria, per quos debebat judicari in curia comitissæ, & quod parata erat ei facere jus in curia sua per pares ipsius Johannis, nec idem Johannes dicebat quod comitissa defecerit ei de jure per pares ipsius Johannis, per quos judicari debebat in curia comitissæ: & ita requirebat comitissa curiam suam de Johanne de Nigella. Johannes de Nigella e contrario respondebat, quod ad curiam comitissæ nullo modo reverti volebat: quia ipsa defecerat ei de jure, & de defectu juris appellaverat eam ad curiam domini regis, ubi paratus erat eam convincere de defectu juris ad considerationem curiæ domini regis. Super his judicatum est quod Johannes de Nigella non debebat reverti ad curiam comitissæ, & quod comitissa debebat ei respondere in curia domini regis, ubi eam appellaverat de defectu juris. Præterea cum pares Franciæ dicerent quod cancellarius, buticularius, camerarius, constabularius Franciæ, ministeriales hospicii domini regis non debebant cum eis interesse ad faciendum judicia super pares Franciæ; & dicti ministeriales hospitii domini regis e contrario dicerent se debere ad usus & consuetudines Franciæ observatas interesse cum paribus Franciæ ad judicandum pares. Judicatum fuit in curia domini regis, quod ministeriales prædicti de hospitio domini regis debent interesse cum paribus Franciæ ad judicandum pares, & tunc judicaverunt comitissam Flandriæ ministeriales prædicti cum paribus Franciæ, apud Parisius anno Domini MCCXXIV.

CARTA LUDOVICI REGIS Francorum VIII.

Confirmat donationem Guillelmi episcopi Catalaunensis in gratiam eorum qui in Adventu & Quadragesima missæ intererant.

Anno 1224. Ex ms. Colbertino.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, &c. LUDOVICUS Dei gratia Francorum rex, &c. Noverint universi præsentes nos vidisse litteras dilecti & consanguinei ac fidelis nostri Guillelmi Cathalaunensis episcopi in hæc verba: GUILLELMUS Dei gratia Cathalaunensis episcopus & comes Perticensis, omnibus præsentem paginam inspecturis in Domino salutem. Ad universorum notitiam volumus pervenire, nos dedisse & concessisse in perpetuum ecclesiæ S. Stephani Catalaunensis & ejusdem ecclesiæ capitulo pro salute animæ meæ & antecessorum meorum, quinque modios frumenti ad mensuram Catalaunensem pro pane faciendo, ad distribuendum canonicis qui missæ præsentes erunt in adventu & in quadragesima & in tempore subsequenti quod durabit. Quos videlicet modios assignamus cum consensu domini LUDOVICI Dei gratia illustris Francorum regis, in nostro minagio & in nostris furnis, & molendinis Catalau-

(a) Bigri seu Bigari sunt venatores.

nensibus, libere, quiete, & pacifice, sine aliquibus expensis annuatim capiendos, videlicet in dicto minagio tres modios, in furnis & molendinis duos modios, per hos terminos, in natali Domini viginti sextaria, in sequenti Pascha viginti sextaria, & in sequenti festo sancti Remigii viginti sextaria. Et præterea pro furni & furnagii prædicti panis faciendi pariter officiis unum servientem proprium tantummodo dicto capitulo concessimus in perpetuum ab omni exactione & servitute liberum & immunem: ita quod nec de ditioribus villæ erit, nec de pauperioribus. Quod ut tenaci memoriæ commendetur ratumque permaneat, in hujus rei testimonium præsentes litteras sigillo nostro auctorizavimus. Actum anno Domini MCCXXIV. mense Octobri. Nos igitur ad petitionem consanguinei nostri episcopi Catalaunensis prædictam donationem ratam habemus, & concedimus, & sigilli nostri auctoritate & regii nominis caractere inferius annotato confirmamus. Actum Catalaunis anno dominicæ Incarnationis MCCXXIV. regni vero nostri anno II. astantibus in palatio nostro quorum nomina supposita sunt & signa. Dapifero nullo. S. ROBERTI buticularii, S. BARTHOLOMÆI camerarii, S. MATTHÆI constabularii.

CONFOEDERATIO IMPERATORIS Friderici Alemanniæ & domini regis Ludovici Francorum.

Anno 1224. Ex ms. Colbertino.

FRIDERICUS Dei gratia Romanorum imperator semper augustus & rex Siciliæ, universis præsentem paginam inspecturis salutem. Noveritis quod propter dilectionem quam nos & progenitores nostri habuimus & habemus erga carissimum amicum nostrum & fratrem LUDOVICUM illustrem regem Francorum & ipsius progenitores & antecessores, hanc confœderationem cum eodem rege bona fide duximus iniendam, quod nos homines regni sui vel ad regnum suum pertinentes, contumaces & eidem rebellantes, seu moventes guerram contra ipsum regem, vel forisbannitos regni sui non receptabimus, nec receptari sustinebimus in imperio nostro, ubi potestatem habeamus, neque aliquam confœderationem cum eis faciemus, postquam id ipsum ab eodem rege nobis intimatum fuerit, & hanc similiter confœderationem fecit bona fide nobiscum idem rex Ludovicus, quod homines imperii nostri, vel pertinentes ad imperium nostrum, contumaces & rebellantes, seu moventes nobis guerram, & forisbannitos regni nostri non receptabit, nec receptari permittet bona fide in regno suo, ubi potestatem habeat, nec aliquam confœderationem cum eis faciet, postquam idipsum fuerit significatum eidem regi. De rege Angliæ sic erit, quod nullam cum eo faciemus confœderationem, nec cum heredibus suis, nec a nostris fieri permittemus, ubicumque impediendi habeamus potestatem. Hanc autem confœderationem præcepimus & injunximus jurandam pro nobis & in anima nostra a RENALDO duce Spoleti dilecto familiari, & JOHANNE de Trajecto curiæ nostræ notario fidelibus nostris coram magist. SAM. de Domibus clerico & GUILLELMO de Balneolis dicti regis legatis. Actum Chaten. anno Incarnationis dominicæ MCCXXIV. mense Novembri. (a)

CARTA LUDOVICI REGIS VIII.

De munitione in Bequerel *non facienda.*

Circa 1224. Ex ms. Colbertino.

LUDOVICUS, &c. Notum, &c. quod cum esset contentio inter dilectos & fideles nostros episcopum Altissiodorensem ex una parte & GALCHERUM de Jovigniaco ex altera, super forteria quadam, quam idem Galcherus faciebat apud *Bequerel*, qui locus situs est in castellania Varziaci castri ejusdem episcopi, nec distat per leugam ab eodem castro. Inquisitione facta super præmissis diligenti, de voluntate partium & omnibus rite peractis, judicatum est in curia nostra, quod locus ille qui dicitur *Bequerel* consistit in castellania Varziaci, nec distat per leugam a Varziaco, & quoniam aliæ fortericiæ quondam inceptæ in locis magis remotis de Varziaco quam sit locus qui dicitur *Bequerel* inhibitæ fuerunt a bonæ memoriæ rege PHILIPPO genitore nostro, sicut inquisitio ipsa plenius continebat, dictus Galcherus de Jovigniaco forteritiam facere non poterat nec debebat. Et judicatum est, & quod ad nos inhibere poteramus & debebamus ne ibi fieret fortericia, & nos in loco qui dicitur *Bequerel* fieri fortericiam inhibuimus & inhibemus.

CARTA VENDITIONIS castellaniæ Brugensis.

Anno 1225. Ex ms. Colbertino.

LUDOVICUS, &c. Notum, &c. nos vidisse cartam amici & fidelis nostri JOHANNIS domini Nigellæ in hæc verba: ego J. dominus Nigellæ, notum, &c. quod ego vendidi & quitavi hereditarie G. comitissæ Flandrensi & Haynoniensi castellaniam Brugensem, quicquid tenebam de ea in feodum & homagium, & me teneo pro pagato de to-

(a) Similem confœderationem anno MCCXXVII. cum S. Ludovico renovavit idem Fridericus. Dat. Melfiæ. Similem & Henricus rex Romanorum filius ejus juratam Tridenti ab Hermanno venerabili Herbipolensi episcopo, & Geriaco de *Bontengem* coram Milone episcopo Belvacensi & Roberto de Bovis regis Franciæ legatis anno MCCXXVII. tertio idus Junii.

ta summa pecuniæ, quam habere debebam A pro hac venditione. In cujus rei, &c. Actum anno Domini MCCXXIV. mense Februario. Nos igitur ut præmissa perpetuæ firmitatis robur obtineant, ad petitionem præfati Johannis præsentem paginam, salvo jure nostro & alieno confirmavimus. Actum anno Domini MCCXXIV. regni nostri II. astantibus, &c. Dapifero nullo. S. R. buticularii, S. B. Camerarii, S. M. constabularii. Datum per manum GUARINI Silvanectensis episcopi.

LITTERÆ GUILLERMI Claromontensis.

B

De matrimonio Katarinæ filiæ suæ.

Anno 1225 Ex ms. Colbertino.

LUDOVICUS, &c. Noveritis nos vidisse litteras dilecti & fidelis nostri GUILLELMI comitis Claromontis in hæc verba: ego G. comes Claromontis notum facio universis, quod promisi me daturum KATERINAM filiam meam in uxorem GUICHARDO domino Montis-Pancerii cum Monte-Ferrando cum pertinentiis suis post mortem meam, & cum Hermaneo & *Monteil*, & *Francot* cum pertinentiis eorumdem: ita C quod matrimonio contracto inter eos, dictum Guichardum de Hermaneo & *Monteil*, & *Francot* cum pertinentiis eorumdem secundum quod datum fuit in escambiis comiti Guidoni, debeo investire, excepto feodo *de Begolete* & de *Chalum*, quod retinui mihi & heredibus meis. Post mortem autem meam Montem-Ferrandum & cetera supra dicta habebit. Sed dum vixero ipse vel comitissa uxor mea, vel aliquis nomine eorumdem in dicta villa Montis-Ferrandi nihil petere poterunt: immo dictam villam & reditus & omnes proventus ipsius integre ple- D narieque ad vitam meam tenebo, & post si matrimonium constiterit ad dictum Guichardum redibit, vel si matrimonium morte vel casu aliquo dissolutum foret, quod Deus avertat, ad filiam meam supradictam pertinebit. Si forte, quod absit, filia mea supradicta vel filios aut filias non habuisset, ad Robertum filium meum libere & absolute rediret, salvo tamen dotalitio uxoris meæ comitissæ. Si de me aliquid humanitus contingeret. Rogavi autem carissimum domi- E num meum LUDOVICUM illustrem Francorum regem, ut super prædictis litteras suas in testimonium daret. In cujus rei testimonium præsentes litteras sigillo meo confirmavi. Actum Meleduno MCCXXIV. mense Februario. Nos autem ad petitionem partium prædictas conventiones testificamur, salvo rachato & jure nostro & jure alieno. Actum apud sanctum Germanum in Laia anno MCCXXIV. mense Februario.

CARTA LUDOVICI VIII. regis Francorum pro comitissa Pontivi.

Filios ejus maternæ hereditati idoneos restituit.

LUDOVICUS, &c. Ad regiam pietatem pertinere dinoscitur illos vel illas qui sunt minus legitime nati, quantum ad successionem hereditatis restituere natalibus, & successioni hereditariæ, si regiæ placuerit majestati. Ad hæc noverint universi præsentes pariter & futuri, quod veniens ad nos dilecta & consanguinea nostra MARIA comitissa Pontivi, nobis humiliter supplicavit, ut filios & filias quos susceperat a SIMONE fratre comitis REN. Boloniensis, post interceptiones quas idem SIMON fecerat adversus piæ recordationis regem PHILIPPUM genitorem nostrum, & adhuc erat susceptura, maternæ restitueremus successioni. Nos igitur motu pietatis ducti ejusdem consanguineæ nostræ precibus nostrum animum inclinantes, filios & filias a dicto Simone ipsi comitissæ natos & nascituros, maternæ duximus successioni jure hereditario restituendos: qui totam hereditatem cum proventibus ejus universis, tam ex parte patris, quam ex parte matris sibi provenientem secundum usus & consuetudines Franciæ hactenus usitatas & obtentas in manu nostra tenere possemus de jure, quamdiu dictus Simon viveret, si vellemus. Dicta vero comitissa voluntate spontanea & cum instanti petitione nobis & heredibus nostris donavit in perpetuum Albigniacum in Constantiensi cum pertinentiis suis, in feodis & domaniis quæ dictus genitor noster dederat patri dictæ comitissæ, & castrum de *Dollens* cum pertinentiis suis in feodis & domaniis, & villam sancti Richerii cum pertinentiis suis, in feodis & domaniis, & Avesnas cum pertinentiis suis in feodum dilecti & fidelis consanguinei nostri G. comitis S. Pauli, quod habet apud Avesnas, vel apud *Dollens*. Nos autem propter hanc donationem quittamus dictæ comitissæ rachatum suum quod nobis debebat de morte patris sui, videlicet de terra quam pater suus tenuit, & quittavimus eidem comitissæ omnes reditus quos genitor tenuit apud Abbatissunt & apud Ruam, & apud *Maresquie* terram, & apud Pontes ad *Villins*, & apud sanctum Gualericum, qui sunt de pertinentiis S. Richerii, & dedimus ei duo millia libratum Parisiensium in pecunia numerata, & recepimus eamdem comitissam in feminam ligiam de tota terra de qua pater ejusdem comitissæ erat tenens & saisitus die qua decessit, eo modo quo eam tenuit a dicto genitore nostro, exceptis illis quæ dicta comitissa dedit nobis & heredibus nostris, si-

Anno 1225 Ex ms. Colbert.

cut prædictum est. Et concedimus & volumus, quod filii & filiæ comitissæ sicut recti heredes succedant ei in tota hereditate de qua ipsa comitissa erit tenens & saisita die qua decederet. Comitissa vero tenetur nobis ad hoc quod juramenta communiarum totius terræ suæ Pontivi nobis præstari faciat sub hac forma, videlicet quod si comitissa vel heredes sui recederint a fideli servitio nostro vel heredum nostrorum, homines communiarum illarum universi nobis & heredibus nostris adhærerent contra comitissam & heredes suos, donec id esset competenter emendatum ad judicium curiæ nostræ vel heredum nostrorum. Comitissa vero nobis super sacro-sancta juravit, quod omnes fortericias suas totius terræ suæ Pontivi nobis & heredibus nostris reddet ipsa & heredes sui ad magnam vim & parvam, quotiens & quando super hoc fuerit requisita vel heredes sui ex parte nostra vel heredum nostrorum. Per has conventiones SIMON dictæ comitissæ maritus non intrabit quod possit comit.... in comitatum Pontivi nec in feoda nostra sine assensu nostro vel heredum nostrorum. Quod si dictus Simon facere præsumeret, nos de eo faceremus, sicut de inimico nostro. Dicta vero comitissa juravit, quod super parte comitatus de *Alençon* de qua sumus saisiti, non trahet ipsa comitissa vel heredes sui in causam vel pœnam aliquam nos, nec heredes nostros, vel aliquem quem inde garantizare debebamus per jus vel per conventiones a genitore nostro contractas: & si quas litteras habuit comitissa contra præsentis cartæ tenorem, nullam de cetero contra nos habere poterunt firmitatem. Ut igitur &c. Actum *Chinon* anno dominicæ Incarnationis MCCXXV. regni vero nostri anno II. astantibus in palatio nostro, &c. Eadem si quidem Maria comitissa Pontivensis litteras suas inde confectas nobis dedit sub hac forma.

CARTA LUDOVICI VIII. regis Francorum pro burgensibus Montis-Ferrandi.

Anno 1225 Ex ms. Colbertino.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Amen. LUDOVICUS, &c. Noverint universi præsentes pariter & futuri, quod nos propter sacramentum fidelitatis, quod dilecti & fideles nostri consules & burgenses Montis-Ferrandi in Alvernia nobis exhibuerunt, & munitionem nostram in villam nostram receperunt & juraverunt, quod nobis & heredibus nostris & gentibus nostris erunt fideliter adjuvantes erga omnes homines & feminas, qui possunt vivere & mori, salvo tamen jure GUILLELMI comitis Montis-Ferrandi, domini eorumdem, quamdiu eum pro homine nostro tenebimus vel tenere debebimus per judicium curiæ nostræ. Nos eisdem concessimus usus & consuetudines quas hactenus habebunt tenendas pacifice in perpetuum & habendas: ita tamen quod singulis annis nobis & heredibus nostris servient de una marcha auri in festo Purificationis B. Mariæ, & nos ipsos recipimus bona fide in custodia & tuitione ac defensione nostra, sicut alios burgenses nostros, nec servitium istud mittemus extra manum nostram aut heredum nostrorum. Quod ut ratum sit & firmum, præsentes litteras sigilli nostri auctoritate & regii nominis caractere inferius annotato præcipimus confirmari. Actum Parisius anno Domini MCCXXV. regni vero nostri anno III. astantibus in palatio nostro quorum nomina supposita sunt & signa, dapifero nullo. ROBERTUS buticularius, BARTHOLOMÆUS camerarius, MATTHÆUS constabularius. Data per manum GARINI Silvanectensis episcopi cancellarii.

CARTA LUDOVICI VIII. regis pro Roberto comite Drocarum.

Anno 1224 Ex ms. Colbertino.

LUDOVICUS, &c. Notum, &c. quod nos carissimo & consanguineo & fideli nostro ROBERTO comiti Drocarum & heredibus suis damus in cremento feodi sui Bonolium, sicut Robertus de Tornella illud tenuit; & Altam-Fontanam, sicut eam tenuit Bald. de Rem. & nos eum: ita quod in duobus locis prædictis non poterit idem comes nec heredes sui facere fortericiam, nisi de voluntate & licentia nostra. Quod ut perpetuum, &c. Actum Compendio, anno Dominicæ Incarnationis MCCXXV. mense Januarii.

LITTERÆ COMITIS MARCHIÆ. *De quittantia Mausiaci.*

Anno 1226. Ex ms. Colbertino.

EGo HUGO de Lizegniaco comes Marchiæ & Engolismensis, notum facio universis me quittasse carissimo domino meo LUDOVICO regi Francorum illustri & heredibus suis in perpetuum totum illud quod dicebam me habere apud Mausiacum pro ballo usque ad decennium, & pro dotalitio AGATHÆ neptis meæ, & vadium quod dicebam me habere super Mausiacum, de quingentis libris Turonensibus, quas dederam dictæ nepti meæ in maritagium, & sexcentas & sexaginta libras Turonenses quas posueram in fortericia Mausiaci facienda. Propter hanc autem quittationem dominus rex prædictus dedit mihi & assignavit quadringentas libras Turonenses percipiendas singulis annis in die Paschæ apud Pictavum, usque ab instante Pascha in quinque annos. Actum

Actum Aurel. anno Domini MCCXXV. mense Januario.

EPISTOLA BERTRANDI de Gordono ad Ludovicum VIII. regem Francorum.

Hominium ei præstat.

Anno 1226. Ex mss. Colbertino.

ILlustrissimo domino suo LUDOVICO Dei gratia regi Francorum B. de Gordono salutem & ipsius dominium observare.

Ego BERTRANDUS DE GORDONO recognosco dominium & hominagium vobis vestrisque successoribus super personam meam & castra mea, villas meas, & super omnia quæ possideo vestræ propriæ voluntati: idemque hominagium præstiti domino meo PHILIPPO bonæ memoriæ patri vestro, qui mihi promisit & concessit me semper immediate super potestate regia retenturum. Unde majestatem vestram exoro istud vestræ dignemini memoriæ commendare. Datum apud Gordonum mense Martio, anno Verbi incarnati MCCXXV.

LITTERÆ HUGONIS vicecomitis Thoarcii.

Fidelitatem regi jurat pro his quæ in Pictaviensi & Andegavensi comitatibus tenebat.

Anno 1226. Ex ms. Colbertino.

UNiversis præsentes litteras inspecturis, HUGO vicecomes Thoarcii salutem.

Noveritis quod ego domino meo LUDOVICO Francorum regi illustri feci homagium ligium contra omnes homines qui possunt vivere & mori de domaniis & feodis, quæ AMERICUS quondam vicecomes Thoartii frater meus tenebat in comitatu Pictavensi ea die qua diem clausit extremum, tenendis ab ipso domino rege & heredibus suis ad usus & consuetudines Pictavenses & ad servitia quæ feoda debent, & sicut feoda asportant, & de domaniis & feodis quæ idem AMERICUS quondam vicecomes Thoarcii frater meus tenebat in comitatu Andegavensi ea die qua clausit diem extremum, tenendis ab ipso domino rege & heredibus suis ad usus & consuetudines Andegavenses, & ad servitia quæ feoda debent, & sicut feoda asportant. Insuper domino regi prædicto super sacrosancta corporaliter juravi quod fidelitatem in homagio nostro promissam sibi & heredibus suis in perpetuum fideliter observabo. Quod ut robur obtineat perpetuæ firmitatis præsenti scripto & sigilli nostri testimonio, confirmavi. Actum anno Domini MCCXXVI. mense Aprili. Hæc sunt nomina eorum coram quibus vicecomes Thoartii HUGO fecit fidelitatem domino regi Ludovico. Bertoldus de Roia, Matthæus de Monte-Morentiaci, Ursus Camerarius, Bouchartus de Malliaco, Johannes de Bello-monte, Guillelmus Men. Hugo de *Atthier*, Petrus *de Viri*, Nicolaus *Lapie*, Vincentius capellanus, frater Simon, Gila clericus, Guillelmus *Crispin* eleemosynarius dicti regis, & multi alii.

CARTA LUDOVICI VIII. regis Francorum pro Philippo comite Boloniæ.

Anno 1226. Ex ms. Colbertino.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Amen. LUDOVICUS, &c. Noverint, &c. quod nos dilecto & fideli nostro PHILIPPO comiti Boloniensi & heredibus suis damus & concedimus in perpetuum in augmentum sui feodi pro sexaginta libratis terræ, quas eidem assidere debebamus pro dilecta consanguinea & fideli nostra M. comitissa Pontivi, Molleiam cum ejus pertinentiis, sicut eam tenuit defunctus Henricus de S. Dionysio, exceptis terra, censu & domo de Silvanecto, quæ piæ recordationis rex PHILIPPUS genitor noster dedit in perpetuam eleemosynam abbatiæ de (a) Victoria. [a] Dedimus etiam eidem testamentum de *Borres* & prata quæ fuerunt comitis de Bellomonte inter Molleiam & Coyam, exceptis pratis illis quæ idem genitor noster dedit abbatiæ, & XXX. solidos censuales sitos inter Molleiam & Coyam. Quod ut, &c. Actum Bituricis anno dominicæ Incarnationis MCCXXVI. mense Maio, astantibus, &c. Datum per manum GARINI Silvanectensis episcopi.

CARTA LUDOVICI VIII. regis Francorum.

Nunoni Sancii vicecomitatum Fenoliensem & Petræ-pertusæ in hominium ligium concedit.

Anno 1226. Ex ms. Colbertino.

LUDOVICUS, &c. Noverint universi præsentes pariter & futuri, quod nos donamus & concedimus dilecto & fideli nostro NUNIO SANCII comiti Roselionensi, Confluentii, & Vallis-Spurii & Ceritaniæ & heredibus suis in perpetuum, vicecomitatum Fenoleti & Petræ-pertusæ cum pertinentiis & juribus eorumdem. Et ipse comes NUNO fecit nobis de his hominagium ligium contra omnes homines & feminas qui possunt vivere & mori, & ipse & heredes sui similiter facere tenentur heredibus nostris, salva fidelitate regis Aragonum:

(a) Victoria est canonicorum regularium ordinis sancti Augustini abbatia, apud Silvanectum a Philippo Augusto fundata in gratiarum actionem reportatæ ab eo apud Bovinas victoriæ.

ita tamen quod si aliquo tempore, quod absit, guerra inter nos & dictum regem Aragonum moveretur, ipse Nuno vel heredes sui non juvarent dictum regem Aragonum contra nos & heredes nostros de eo quod tenent de nobis; sed totum illud nobis vel heredibus nostris, durante guerra, redderent, & illud teneremus, quousque guerra finiretur: qua finita, totum illud ad ipsum vel heredes suos sine contradictione aliqua revertetur. Quod ut &c. Actum in castris juxta Bellum-podium, anno dominicæ incarnationis MCCXXVI.

A

B

CARTA DROGONIS de Melloto domini Locharum & Meduanæ pro monasterio Veteris-Pediculi ordinis Grandimontensis.

Dat ipsi molendinum de Pontereau.

Anno 1226. *Ex autographo eruit Prior Veteris-Pediculi.*

EGo Drogo de Melloto Locharum dominus & Meduanæ, notum facio universis præsentibus ac futuris, quod ego donavi Deo, B. Mariæ & fratribus Grandimontensis ordinis juxta sanctum Mauritium manentibus in perpetuam eleemosynam pro salute animæ meæ & antecessorum meorum molendinum de *Pontereau*, situm apud Chaciacum cum ejusdem molendini pertinentiis, & quicquid juris dominii & excasuræ in dicto molendino & ejus pertinentiis habeo vel habere potero in posterum. Donavi præterea Deo & B. Mariæ & prædictis fratribus in perpetuam eleemosynam omnes hereditates liberas & quittas in terris, pratis & nucibus, quas apud Poliacum de excasura defuncti *Dancet* filii Geraldi *Dantocem* possidebam, excepta justitia. Quod ut ratum & firmum in posterum permaneat, præsentes litteras sigilli mei munimine feci roborari. Actum anno gratiæ MCCXXVI.

CARTA ISABELLIS de Melloto comitissæ Joigniaci, dominæque S. Mauricii, de donatione quam fecit monasterio Veteris-pediculi.

Anno 1226. *Ex Autographo eruit R. P. Prior Veteris-Pediculi.*

OMnibus præsentes litteras inspecturis Izabelis de Melloto comitissa Joigniaci, dominaque sancti Mauritii *Tireoaile* in Domino salutem.

Noverint universi quod ego compos mentis meæ, sanaque corpore & incolumis, spontanea, non coacta, nec in aliquo circumventa, sed fidei devotione mota, donatione inter vivos facta; dedi & concessi in perpetuum ob remedium animæ meæ & parentum meorum, ecclesiæ de Veteri-pediculo Grandimontensis ordinis & fratribus ibidem Deo servientibus centum solidos monetæ currentis super franca tallia mea de sancto Mauritio in octavis nativitatis dominicæ percipiendos annuatim ab eisdem fratribus vel de eorum dato mandato, volens & concedens, quod illi qui dictam talliam receperunt vel levaverunt, de supradicta solvant & reddant sine diminutione aliqua dictos centum solidos dictis fratribus vel certo mandato eorumdem. Qui receptores si forte defecerint in solutione dictæ pecuniæ, volo & præcipio, quod pro qualibet die termino supradicto elapso teneantur satisfacere de suo proprio de sex solidis monetæ currentis dictis fratribus pro emenda sive pœna. Super hoc autem ego propria manu fratrem Grimoaldum correctorem sive magistrum dictæ domus pro se & fratribus suis investivi de dicta re data quiete & pacifice possidenda, prout superius est expressum, promittens bona fide me contra dictam donationem & concessionem per me vel per alium non venire; renuncians super hoc firmiter & expresse omni juris auxilio canonici & civilis, & omni exceptioni, per quam solutio dictæ pecuniæ atque donatio possit aliquatenus impediri vel etiam retardari. In cujus rei testimonium & munimen præsentes litteras dictis fratribus dedi mei sigilli munimine roboratas. Actum & datum apud S. Mauritium die crastina beati Martini hyemalis, anno Domini MCCXXVI.

C

CARTA RAYMUNDI Berengarii marchionis Provinciæ pro Ludovico rege Francorum.

Anno 1226. *Ex ms. Colbertino.*

EGo RAYMUNDUS Berengarii & marchio Provinciæ & comes Folcalquerii, notum facio universis me jurasse illustri domino LUDOVICO regi Francorum quod ego juvabo bona fide, pro viribus nostris dominum regem & suos in partibus Provinciæ circa fluvium Rodani contra RAYMUNDUM dictum comitem Tholosanum & fautores suos, & defendam & faciam defendi pro posse meo terram quam dominus rex tenebit vicinam fluvio Rodani, salvo honore & salva fidelitate & reverentia imperatoriæ majestatis.

D

CARTA LUDOVICI VIII. regis Francorum pro Raymundo Berengarii marchione Provinciæ.

E

Anno 1226. *Ex ms. Colbertino.*

LUDOVICUS, &c. Noverit universitas vestra nos carissimo amico nostro Raymundo Berengarii comiti & marchioni Provinciæ & comiti Folcalquerii creantasse & per præsentes litteras concessisse, quod nec pacem nec treugam faciemus cum Raymundo filio Raymundi quondam co-

mitis Tolosani, quin ipse esset in treuga A & in pace. Actum in obsidione Avinionensi anno Domini MCCXXVI. mense Junio.

CARTA JOHANNÆ comitissæ Flandriæ & Hannoniæ.

De servitio facto ab hominibus de Haspera, quando Fernandus comes captus fuit.

Anno 1226 Ex cartario Vedastino.

EGo JOHANNA Dei gratia Flandriarum & Hannoniæ comitissa, universis quibus præsentes litteras videre contigerit, B notum facio, quod cum dominus & maritus meus comes FERRANDUS de manifesta guerra fuisset captus, abbas & conventus S. Vedasti Attrebatensis ad ipsum redimendum, amore & nullo jure vel violentia compulsi, de bonis ecclesiæ suæ mihi auxilium fecerunt misericorditer & benigne. Volo etiam & concedo quod auxilium a præfatis abbate & conventu ad redemtionem prædicti mariti mei tam liberaliter factum, non sit in præjudicium vel gravamen cartarum, quas ipsi habent meo & antecessorum meorum sigillis roboratas. Quod ut ratum permaneat, præsentes litteras præfatis C abbati & conventui concessi, sigilli mei munimine insignitas. Datum apud Attrebatum in die nativitatis Domini. Actum anno gratiæ MCCXXVI.

CARTA FRATRIS OGERII præceptoris domorum Templi in Francia.

De duabus præbendis a Philippo II. rege sibi concessis.

Anno 1227. Ex ms. Colbertino.

CArissimo domino suo in Christo LUDOVICO Dei gratia illustri regi Francorum, frater O. de Ruppe domorum militiæ Templi in Francia præceptor humilis salutem in Domino.

Serenitati vestræ significamus, quod nos de assensu & voluntate fratrum nostrorum, donationem quam fecit nobis bonæ memoriæ PHILIPPUS rex Francorum avus vester de duabus præbendis, videlicet de una in ecclesia S. Quintini de morte Thomæ custodis ejusdem ecclesiæ, & altera in ecclesia B. Fursei de Perona de morte magistri Ægidii de Duaco vacantibus vobis in perpetuum quittamus. In cujus rei testimonium præsentes litteras sigilli nostri munimine fecimus roborari. Actum anno Domini (a) MCCXXVI. dominica post festum Epiphaniæ.

(a) Incipiendo annum a Paschate.

CARTA LUDOVICI IX. regis Francorum, pro Berardo de Mercorio.

Anno 1227 Ex ms Colbertino.

LUDOVICUS, &c. Notum, &c. quod nos dilecto & fideli nostro Berardo de Mercorio concessimus castrum Gredonense cum omnibus pertinentiis ejus, & cum omnibus illis quæ pertinent ad vicecomitatum Gredonensem tenenda de nobis per totam vitam suam, & post decessum ipsius hæc omnia ad nos & heredes nostros quiete & libere sine omni contradictione revertentur. Dictus autem Berardus præfatum castrum tenetur nobis fideliter custodire & reddere ad magnam vim & ad parvam, sicut alia castra quæ tenet de nobis, cum a nobis vel a certo nostro nuncio super hoc fuerit requisitus: & si contingeret quod aliquis recuperaret castrum illud per judicium curiæ nostræ; sæpedictus Berardus ipsum redderet omni occasione remota, & si haberemus denarios de pignore quod R. comes Tholosanus habebat super Aurelianum & aliam terram regis Aragonum eidem Berardo daremus, quantum ad dictum castrum & ejus pertinentias pertinet. Actum Parisius anno Domini MCCXXVI. (a) mense Januario.

CARTA LUDOVICI IX. regis pro senescallia Andegavensi.

Anno 1227 Ex ms. Colbertino.

LUDOVICUS, &c. Notum, &c. quod nos dilectam & fidelem nostram JOHANNAM de Credona recepimus in feminam D ligiam nostram de senescaltia Andegaviæ, Cenomaniæ & Turoniæ tenenda de nobis & habenda, sicut bonæ memoriæ GUILLELMUS DE RUPIBUS pater ejus eam tenuit & habuit, antequam claræ memoriæ PHILIPPUS quondam rex Francorum illustris avus noster ei tradidisset civitatem Andegavensem & Baugiacum: volentes ut eo modo fiat pro ipsa tamquam pro senescaltia feodata, & si contentionem aliquam oriri contingeret inter nos & ipsam, quin dictam senescaltiam teneret & haberet, E sicut prædictum est, volumus ut per dilectos & fideles nostros B. de Roya Franciæ camerarium, & M. de Monte-Maurentiaco Franciæ constabularium, & Johannem de Bello-monte, & vicecomitem Castriduni, & vicecomitem Belli-montis, & Hugonem de Bauceyo ad inquisitionem eorum legitimam dicta contentio sopiatur. Actum Parisius, anno Domini MCCXXVI. mense Januario.

(a) Si incipiatur annus a Paschate, alioquin si a mense Januario, legendum foret MCCXXVII.

CONVENTIONES
inter dominum regem & Isabellim reginam Angliæ, comitissam Marchiæ.

Anno 1227 Ex ms. Colbertino.

ISABELLIS Dei gratia regina Anglorum, comitissa Marchiæ & Engolismi, universis præsentes litteras inspecturis salutem.

Noverint universi, quod carissimus dominus noster LUDOVICUS Dei gratia rex Francorum illustris, competentem nobis recompensationem fecerit de dotalitio nostro. Nos de consilio, voluntate, & assensu carissimi domini & mariti nostri HUGONIS de Lizigniaco comitis Marchiæ & Engolismi, quittamus domino regi & dominæ reginæ matri ejus, & heredibus ejus in perpetuum omnia ea unde dominus rex tenens est vel fuit, quæ ab ipso nomine dotalitii petere poteramus, & quod dicta recompensatio facta nobis ab eodem domino rege habebimus super conventionibus inter ipsum & nos de novo initis: nos abrenunciamus omnibus cartis & instrumentis, quæ de eodem dotalitio nostro habebamus, quoad ea videlicet unde idem dominus rex est tenens vel fuit: ita quod occasione dictarum cartarum vel aliorum instrumentorum, quæ numquam habuimus, vel alia de causa nihil de cetero petere poterimus ab eodem domino rege vel domina regina matre ejus vel ejus heredibus nomine dotalitii nostri, quod ab ipso nobis concessum est annuatim quamdiu vivemus, sicut in suis prædictis litteris continetur expressum. Hæc autem fideliter & bona fide a nobis observanda, voluntate & assensu prædicti nostri Hugonis comitis Marchiæ & Engolismi juramento firmavimus præstito corporali. Actum anno gratiæ MCCXXVI. mense Martio.

EPISTOLA COMMEDATITIA
abbatum S. Dionysii, &c. ad universos fideles.

Eos hortatur ut subveniant monasterio & ecclesiæ Calensi incendio consumptis.

Anno 1227 Ex autographo Calensi.

SANcti Dionysii, S. Germani a Pratis, sanctæ Genovefæ, S. Victoris, S. Maglorii, S. Mauri de Fossatis, sanctæ Mariæ de Livriaco abbates. Prior sancti Martini de Campis, beati Faronis Meldensis, beati Petri Latiniacensis, de Calmis, beati Petri de Meleduno, de *Rabeth*, Caro-loci, de Hermentariis, S. Vincentii Silvanectensis, S. Severini de Castro-Nantonis, de Sacracella, de Camera-fontis, beatæ Mariæ de Cagia, de *Herivaus*, beatæ Mariæ de Victoria, universis Christi fidelibus ad quos præsentes litteræ pervenerint, salutem in omnium Salvatore.

A Quoniam, ut ait Apostolus, omnes stabimus ante tribunal Christi, recepturi prout gessimus, sive bonum fuerit, sive malum, oportet nos diem messionis extremæ misericordiæ operibus prævenire, & æternorum intuitu seminare in terris, quod, reddente Domino, cum multiplicato fructu recolligere debeamus in cœlis, firmam spem fiduciamque tenentes, quoniam *qui parce seminat parce & metet, & qui seminat in benedictionibus de benedictionibus & metet vitam æternam*. Item quoniam juxta consilium Daniëlis prophetæ, eleemosynis redimenda sunt peccata, & dicente Domino: *Date* B *eleemosynam & ecce omnia munda sunt vobis*, sordes vitiorum nostrorum piis eleemosynarum largitionibus sunt extergendæ, ut sublatis iniquitatibus, quæ diviserunt inter nos & Deum nostrum in cordis munditia Dominum deprecemur, ut ipse nobis fontem suæ benignitatis merito & rore cœlestis benedictionis nos compleat abundanter. Cum igitur nobile olim monasterium Kalense, quod a longis retro temporibus religione ac præcipua honestate dicitur floruisse, admirabili modo. . . . . is ignis flamma C devorante adeo sit consumtum, quod abbatissa & conventus ejusdem loci vix habeant ubi capita sua possint reclinare. Ipsa autem ecclesia cum ornamentis & libris & aliis ædificiis redactis penitus in cineres & favillas, nec sit facultas eisdem ecclesiam & collapsa ædificia reparare, nisi fidelium subsidiis adjuventur. Ideo caritatem vestram rogamus, monemus & exhortamur in Domino, quatinus cum nuncii dicti monasterii ad vos accesserint, propter hoc fidelium eleemosynas & grata caritatis subsidia erogetis, ut per subventionem vestram ejus- D dem monasterii ruina miserabilis valeat, juvante Domino, relevari, & vos per hæc & alia bona opera quæ, Domino inspirante, feceritis, ad æternæ possitis felicitatis gaudia pervenire. Nos vero omnes illos qui ad hanc commonitionem nostram manum caritatis porrexerint, ad relevationem monasterii, communionem omnium bonorum quæ in ecclesiis & domibus nostris fiunt & de cetero fient usque ad diem judicii concedimus. Animabus etiam omnium fidelium defunctorum pro quibus eleemosyna ad ejusdem monasterii reparationem conferentur, E eamdem spiritualium bonorum participationem impendimus. Actum anno Domini MCCXXVI. mense Martio. *Et super plicam scriptum est.* Abbatissa sanctæ Mariæ Suessionensis, Jotri, Faremonasterii, Montis-martyrum, S. Antonii Parisiensis, de Hedera, de Nemore, S. Remigii Silvanectensis, S. Corentini, S. Cyrici, de Gif, de Valle-profunda, de *Hautebruiere*, & de Fontibus abbatissæ. Prior sancti Jacobi Parisiensis & minister ordinis Fratrum Minorum, & multi alii qui non sunt infra scripti.

LITTERÆ QUORUMDAM baronum.

De juramento præstito regi Francorum jussu Hugonis de Lesignano.

Anno 1227. Ex ms. Colbertino.

G. Vicecomes de Brut. G. vicecomes Castri-Ernaudi, Aymericus de Bosc. Simon de Cimall. & Rad. de Essuduni; universis præsentes litteras inspecturis salutem. Noveritis nos de voluntate & præcepto domini nostri HUGONIS de *Lesignan* comiti Marchiæ & Engolismi esse astrictos per propria juramenta domino LUDOVICO illustri regi Franciæ & dominæ reginæ matri ejus vel suis, quod si comes vel sui conventiones, sicut expressæ sunt in carta, quam dictus rex habet ab ipso comite, ipsi regi & reginæ vel suis infringere attentaret, quod infra XL. dies postquam requisiti fuerimus ab ipso rege vel regina vel suis, tenemur venire personaliter apud Bituricem, ibique tamdiu ut obsides mansionem facere, quousque conventiones infractæ domino regi vel reginæ, vel suis ad plenum fuerint emendatæ, nisi essemus propriorum corporum infirmitate detenti, & recepta sanitate statim ad prædictum locum, ut prædictum est, tenemur facere mansionem; dedimusque præfatis regi & reginæ & suis has litteras nostras in testimonium sigillorum nostrorum munimine roboratas. Actum Vindocini die Mercurii in dominica qua cantatur [a] (a) *Lætare Jerusalem*, mense Martio anno millesimo CCXXVI.

CARTA THEOBALDI comitis Campaniæ.

Regi cedit quidquid habebat in feodis Britolii, Millenceii & Remorentini.

Anno 1227 Ex ms. Colbertino.

Omnibus ad quos litteræ præsentes pervenerint, TH. Trecensis & Briæ comes palatinus salutem. Noverit universitas vestra, quod nos carissimo domino nostro LUDOVICO regi Francorum illustri & ipsius heredibus concessimus libere, & in perpetuum quittamus quicquid in feodis Britolii, Millenceii & Remorentini habebamus, vel reclamare in eis de jure poteramus. Ut autem hæc nostra concessio & quitatio perpetuam & stabilem obtineat firmitatem, præsentibus litteris & sigilli nostri munimine easdem duximus roborandas. Actum Parisius anno Domini MCCXXVI. mense Martio.

(a) Id est dominica quarta quadragesimæ, in qua missæ introitus incipit: *Lætare Jerusalem.*

HOMINIUM HUGONIS vicecomitis Thoarcensis.

Anno 1227. Ex ms. Colbertino.

Universis præsentes litteras inspecturis HUGO vicecomes Thoarcensis salutem. Noveritis quod ego domino meo LUDOVICO Francorum regi illustri feci homagium ligium contra omnes homines qui possunt vivere & mori de domaniis & feodis, quæ HAYMERICUS quondam vicecomes Thoarcensis frater meus tenebat in comitatu Pictavensi eadem die qua diem clausit extremum, tenendis ab ipso domino rege & heredibus suis ad usus & consuetudines Pictavenses ad servitia quæ feoda debent, & sicut feoda apportant, & de domaniis & feodis quæ idem HAYMERICUS quondam vicecomes Thoarcensis frater meus tenebat in comitatu Andegavensi ea die qua clausit extremum diem, tenendis ab ipso domino rege & heredibus suis ad usus & consuetudines Andegavenses, & ad servitia quæ feoda debent, & sic feoda apportant. Insuper domino regi prædicto super sacro-sancta juravi corporaliter, quod fidelitatem in homagio meo promissam sibi & heredibus suis in perpetuum observabo. Quod ut, &c. Actum apud S. Germanum in Laia anno Domini MCCXXVII. mense Aprili.

GREGORII PAPÆ IX. litteræ ad Ludovicum regem & Blancam reginam,

Laudato eorum in sedem apostolicam zelo, sub sua protectione eos suscipit.

Anno 1227. Ex ms. Colbertino.

GREGORIUS episcopus servus servorum Dei carissimis in Christo filiis LUDOVICO illustri regi Francorum ac B. matri & fratribus suis salutem & apostolicam benedictionem.

A memoria nostra non poterit, sicut nec debet, excidere fidei & devotionis sinceritas, quam reges & regnum Franciæ ad Deum & sacro-sanctam ecclesiam noscuntur hactenus habuisse: quorum sinceritatem sedes apostolica favorabiliter prosecuta, reges ipsos & regnum studuit semper multipliciter honorare. Vos quoque, propter commune debitum, quod debet prospicere viduis & pupillis, affectu tenemur prosequi speciali, ex eo quod tu, fili rex, devotione sicut sanguine tuorum successor & heres, negotium fidei prosequi diceris inchoatum contra Albigenses hæreticos a claræ memoriæ Meleder. patre nostro qui in servitio Dei & ecclesiæ dictum negotium prosequendo decessit. Hujusmodi ergo consideratione inducti, supplicationibus vestris clementer annuimus, & personas vestras cum ipso reg-

no, familiis, & omnibus bonis vestris sub beati Petri & nostra protectione suscipimus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Lateranis VI. idus Maii pontificatus nostri anno primo.

GREGORII PAPÆ IX. ad Romanum sancti Angeli cardinalem.

GREGORIUS episcopus servus servorum Dei dilecto filio R. sancti Angeli diacono cardinali apostolicæ sedis legato, S. & A. B.

Carissimum in Christo filium nostrum LUDOVICUM illustrem regem Francorum cum matre & fratribus suis, prout petierunt a nobis, sub protectione cum susceperimus apostolicæ sedis & nostra, sicut in ipsis protectionis litteris continetur, noverit dilectio tua, quod cum prædicti, donec revertaris, alio conservatore non egeant, eis ad præsens conservatores alios non duximus deputandos; sed cum redieris super hoc curabimus providere. Datum Laterani VI. idus Maii, pontificatus nostri anno primo.

CARTA R. EPISCOPI Ebroïcensis pro Lamberto Cadoco.

A rege liberatum e carcere Lambertum, cartas a Philippo & Ludovico regibus acceptas sponte resignare cum omnibus in eis contentis.

Anno 1227. Ex ms. Colbertino.

UNiversis Christi fidelibus ad quos præsens scriptum pervenerit R. [a] Dei gratia Ebroicensis episcopus salutem in Domino. Ad universitatis vestræ notitiam volumus pervenire, quod Lambertus Cadocus in præsentia domini LUDOVICI Dei gratia Francorum regis & dominæ BLANCHÆ reginæ Francorum, præsentibus etiam domino B. de Roia Franciæ camerario, domno abbate S. Dionysii, domno G. de Capella, domno G. *Menner*, & aliis pluribus regni magnatibus in nostra præsentia constitutus, de liberalitate & gratia dictorum domini regis & reginæ a prisona, in qua prius detentus fuerat, liberatus & absolutus, & libertati & arbitrio proprio restitutus, de mera & spontanea voluntate sua, nullo compulsus motu, coactione, vel violentia, omnes cartas quas habebat a bonæ memoriæ PHILIPPO & LUDOVICO quondam regibus Francorum, dictis domino regi & dominæ reginæ tradidit, & omnibus rebus, quæ in eis continebantur in perpetuum tam pro se quam pro heredibus suis omnino renunciavit, & tactis sacro-sanctis solemniter juravit, quod nec ipse nec heredes sui, nec alius aliquis nomine ipsorum in rebus prædictis cartis contentis aliquid juris de cetero reclamabunt, eodem etiam se astringens juramento, quod erga dominum regem & dominam reginam Francorum fideliter in perpetuum se habebit, & bona fide eis serviet. Uxor vero dicti Lamberti Cadulci ibidem constituta, nulla coactione, violentia, vel motu districta, sed mera & spontanea voluntate sua fidem suam nobis corporaliter præstitit, quod ipsa per se, nec per interpositam personam, in rebus a prædicto Lamberto domino regi & dominæ reginæ, ut prædictum est, resignatis, nihil juris ratione dotis, nec aliqua alia ratione de cetero clamabit. Dicti vero Lambertus & uxor ejus de libera & mera & spontanea voluntate sua nostræ se supposuit juridictioni, & si contra sacramenti & fidei suæ religionem, prout superius est expressum, venire præsumserint, & si ipsi vel heredes eorum in rebus prædictis a dicto Lamberto resignatis aliquid juris quacumque re reclamaverint, nos auctoritate nostra & eorum concessione in eorum personas & universam familiam suam excommunicationis feramus sententiam, & totam terram illorum ubicumque fuerit constituta, interdicto supponamus. Prænominati vero dominus rex & domina regina cartas memoratas, & rerum prædictarum resignationem a dicto Lamberto receperunt, non pro ipsius liberationis mercede, sed pro arreragiis forestarum Normanniæ, in quibus præfatus Lambertus a tempore quo ballivus extitit, domino regi debebatur. In cujus rei testimonium præsenti paginæ sigillum nostrum duximus apponendum. Actum Parisius anno Domini millesimi CCXXVII. in vigilia S. Laurentii.

(a) Richardus de sancto Leodegario cognominatus, primo Becci abbas, deinde ab anno 1223. ad 1236. episcopus Ebroicensis.

LITTERÆ GALTERI archiepiscopi Senonensis & Galterii episcopi Carnotensis.

De subsidio regi dando pro negotio Albigensium.

Anno 1227. Ex ms. Colbertino.

G. Dei gratia Senonensis archiepiscopus & G. eadem gratia episcopus Carnotensis omnibus præsentes litteras inspecturis salutem in domino. Notum facimus quod nos pro utilitate ecclesiarum nostrarum, & pro conservanda pace, & idemnitate ipsarum, & ne impediatur succursus negotii pacis & fidei in terra Albigensi, carissimo domino nostro regi Francorum illustri & no-

A biliſſimæ dominæ BLANCHÆ reginæ matri ejus promiſimus nos ſoluturos eis vel heredibus eorum ſingulis annis uſque ad quadriennium, ſi negotium terræ Albigenſium tantum duraverit, in manu domini regis vel heredum ſuorum, mille & quingentas libras Pariſienſes pro capitulis eccleſiarum cathedralium eccleſiæ Senonenſis vel provinciæ: ita quod unuſquiſque in ſolidum teneatur, ſed uno ſolvente alter liberabitur. Et ad hoc faciendum obligamus perſonas noſtras, & bona noſtra, & eccleſias etiam noſtras, & ſucceſſores noſtros, de aſſenſu etiam & auctoritate venerabilis patris domni ROMANI B S. Angeli diaconi cardinalis apoſtolicæ ſedis legati. Ita etiam quod ſi de altero noſtrum infra prædictum ſpatium aliquid humanitus contigerit, reliquus ad ſolutionem totius prædictæ ſummæ nihilominus teneatur, & bona ſua & eccleſiæ illius qui deceſſerit, erunt obligata, & ſucceſſores ipſorum eadem obligatione tenebuntur. Solutio autem hujus pecuniæ fiat in duobus terminis, medietas videlicet in feſto omnium ſanctorum, & medietas in Paſcha, & fiet Pariſius apud Templum, & fiet in inſtanti feſto omnium ſanctorum prima paga. In C cujus rei teſtimonium præſentes litteras ſigillis noſtris confirmavimus. Actum Pariſius anno Domini MCCXXVII. menſe Auguſto.

CARTA S. LUDOVICI regis Francorum de liberatione Lamberti Cadulci.

Anno 1227. Ex mſ. Colbertino.

LUDOVICUS, &c. Notum, &c. quod cum cariſſimus avus noſter claræ memoriæ PHILIPPUS rex illuſtris; quia contra dilectum & fidelem noſtrum Lambertum D Cadulci motus erat, quoniam de quadam ſumma pecuniæ, videlicet quatuordecim millibus & ducentis libris Pariſ. quas debebat eidem, non fecerat gratum ſuum, ipſum in ſuum carcerem poſuiſſet, tandem nobis & cariſſimæ matri noſtræ reginæ placuit ipſum a dicto carcere liberare, & idem liber & abſolutus a carcere nobis & matri noſtræ reginæ ſuper ſacro-ſancta manu propria juravit, quod nobis & heredibus noſtris & eidem matri noſtræ reginæ de cetero bene & fideliter ſerviet, & omnia quæ habebat, ſive terras, ſive villas, ſive poſſeſſiones E alias, ſive ex dono, ſive ex acquiſitione, ſive quocumque modo nobis quittavit libere & abſolute, & juravit quod in his nihil umquam de cetero reclamabit, niſi in his quæ nobis & reginæ matri noſtræ placeret eidem dimittere pro bona voluntate. Nobis autem & dictæ matri noſtræ reginæ placuit ea eidem dimittere, quæ de acquiſitione habuerat, videlicet granchiam & terram de *Torni*, duas domos Vernonis, pratum de *Hameillon*, granchiam Thyronis, Groolanum, molendinum de Bello-monte Rogerii, molendina Montis-fortis, prata domus Bernaii, Tenrayum, Tylenum, Paperotum & Alnetum. Cetera videlicet Gaillionum, Theomacum, Noam, molendinum & domum Pontis-Archæ, triginta & duos modios vini apud Longuevillam, & id quod habebat apud Lunare, terram & domum apud Pontem-Audomare, Freſneyum, *Fayel*, S. Anaſtaſiam, & Fontanas cum earum pertinentiis, & quicquid acquiſierit in eiſdem nobis & heredibus noſtris retinemus propter ſummam pecuniæ prædictam, & omnes curtes quas de hiis habebat in manu noſtra propria reſignavit. Requiſivit autem dilectum & fidelem noſtrum R. Ebroicenſem epiſcopum, ut ſi de bono & fideli ſervitio nobis vel heredibus noſtris, vel eidem matri noſtræ reginæ, aliquo umquam tempore deficeret, vel a prædictis quittationibus in aliquo reſiliret, idem epiſcopus in eumdem Lambertum & aſſiſtentes ſibi ferret ſententiam excommunicationis. Quod ut perpetuæ ſtabilitatis obtineat firmitatem, præſentem paginam ſigilli noſtri auctoritate confirmamus. Actum Pariſius anno dominicæ Incarnationis MCCXXVII. menſe Auguſto.

EPISTOLA ENGUERANNI de Couciaco ad ſanctum Ludovicum regem Francorum & Blancham reginam ipſius matrem.

Ut Johannem Roſciaci comitem in hominem recipiant de feodo Sueſſionis.

Anno 1227. Ex mſ. Colbertino.

EXcellentiſſimo domino ſuo, ac dominæ ſuæ excellentiſſimæ, domino regi Franciæ, ac dominæ reginæ, INGUERANNUS dominus Couciaci ſalutem & paratum in omnibus obſequium.

Excellentiæ veſtræ notum facio, quod vir nobilis JOHANNES comes Rouciaci creatum meum fecit ſuper omnibus conventionibus habitis inter me & ipſum pro Siſſonia. Quapropter excellentiæ veſtræ ſupplico, quatenus ipſum comitem de feodo Siſſoniæ in hominem recipiatis. Iſtud etiam volo & concedo, & laudo. Actum anno Domini MCCXXVII. menſe Septembri.

HÆ SUNT CONVENTIONES inter dominum regem & comitem Marchiæ.

Anno 1227. Ex mſ. Colbertino.

LUDOVICUS, &c. Notum, &c. quod nos de aſcenſu & voluntate cariſſimæ matris noſtræ B. reginæ Francorum dilecto & fideli noſtro HUGONI DE LESIGNANO comiti Marchiæ conceſſimus, quod cariſſimus frater noſter ALFONSUS comes Pictavenſis

ELIZABETH filiam dicti comitis Marchiæ, si Romana ecclesia concesserit, habeat in uxorem, & HUGO primogenitus ipsius comitis ducat in uxorem ELISABETH carissimam sororem nostram. Dominus ALFONSUS frater noster habebit in maritagium dictæ uxoris suæ Cumfromen. cum pertinentiis & insulam Oleronensem cum pertinentiis. De his quæ HUGO primogenitus comitis Marchiæ debet habere in maritagium Elisabeth sororis nostræ vult comes quod assignetur ad voluntatem nostram. Si autem Hugo primogenitus comitis forsitan decederet, nondum consummato matrimonio inter ipsum & dictam Isabellam sororem nostram, alius primogenitus comitis duceret in uxorem eamdem Isabellam, si sancta ecclesia consentiret, & assignaretur ei maritagium, sicut prædictum est de Hugone. Quando quatuor prædictæ personæ ad annos nubiles pervenerint, si per nos steterit, quod dicta matrimonia non fiant, & hæc matrimonia facienda Romana ecclesia concesserit, nos tenebimur prædicto comiti in decem millibus marchatum argenti. Præfatus comes Marchiæ habebit a nobis singulis annis usque ad decem annos decem millia & sexcentas libras Turonenses annuatim in tribus terminis, tertium in ascensione Domini, tertium in festo sancti Martini, & tertium in (a) Candelis, videlicet quinque millia trecentas libras pro conventionibus Burdegalensibus & quingentas libras Turonenses pro dotalitio reginæ uxoris suæ. Et si reginam uxorem suam infra decem annos mori contingeret, a die obitus sui cederent quinque millia librarum de dicta summa pro dotalitio ejus. Et si nos pacem faceremus cum rege Angliæ, & regina uxor comitis rehaberet dotalitium suum de Anglia, pro dotalirio ejus de Anglia duo millia & quingentas libras de dicta summa caderent annuatim. Completis autem decem annis, nihilominus habebit regina uxor comitis, quamdiu vixerit, pro suo dotalitio quinque millia librarum annuatim, nisi per pacem factam cum rege Angliæ cadere inde debeant annuatim duo millia & quingentas libras pro suo dotalitio de Anglia, sicut superius est expressum. Per has autem conventiones quitat comes & regina uxor ejus nobis & carissimæ matri nostræ reginæ & heredibus nostris in perpetuum, quicquid reclamabant vel reclamare poterant in Exolduno, in *Langest*, & in quadringentis libris Turonensibus, quas percipiebat apud Turonos annuatim: quittant & conventiones cum ipsis habitas de Burdigali, & omnia quæ petebant vel petere poterant a nobis nomine dotalitii, vel alia de causa: ita quod a nobis vel regina matre nostra, vel heredibus nostris nihil poterunt exigere amplius, nec in denariis, nec in terra occasione alicujus præteritæ conventionis, neque de aliquo arreragio, nec aliter præterquam ea quæ in præsentibus litteris continentur, comes nobis super sacro-sancta juravit, quod nos & dictam matrem nostram reginam & heredes nostros juvabit bona fide contra omnes qui possunt vivere & mori, & quod inimicos nostros non receptabit, nec receptari permittet ubi posse habuerit, & quod pro posse suo juvabit gentes nostras ad conducenda victualia, & alias mercandisias in castra nostra de terra sua, & de aliis: & si forte contingerit quod per violentiam oporteat deferri dicta victualia vel alias mercandisias in villas nostras, ad submonitionem senescalli nostri in Pictavia conduceret, vel conduci faceret idem comes pro posse suo bona fide ad castra nostra. Juravit etiam quod nullam faceret confœderationem, vel fieri permitteret cum inimicis nostris vel heredum nostrorum, sed nos & heredes nostros semper juvabit bona fide, & serviet nobis & heredibus nostris & dominæ reginæ matri nostræ, sicut debuerit, & sicut feoda asportant, & quod bona fide procurabit; ut illi qui nondum venerunt ad homagium nostrum, ad ipsum veniant, & faciant nobis homagium sicut debuerunt & sicut fecerunt patri nostro. Item, comes tenetur per has conventiones reddere, si qua saisivit vel fecit post obitum patris nostri. Si comes mefaceret hominibus vel terræ nostræ, jus inde faceret sicut debet, & coram senescallo nostro in Pictavia, & si de jurejurando deficeret coram dicto senescallo, coram nobis comparere teneretur pro jure faciendo & capiendo ad judicium curiæ nostræ. Si de comite contingat humanitus, poterit tradere ballum heredum suorum & totius terræ suæ in manu reginæ uxoris suæ, vel in manu cujuscumque voluerit, qui sit de regno nostro, nec sit contra nos vel regnum sine contradictione & impedimento nostro vel nostrorum salvo servitio & jure nostro in omnibus sicut feoda comitis asportant. Nos vero pacem nec treugam faciemus cum rege Angliæ sine assensu comitis. De omnibus terris & fortericiis quas comes tenet in comitatu Pictaviensi, & in comitatu Marchiæ, & Engolismi, & in episcopatu Xantonensi, & de Cogniaco, & de Merpin, exceptis feodis quæ tenet de ecclesiis, fecit comes homagium ligium nobis contra omnes homines & feminas quæ possunt vivere & mori, & similiter heredes comitis facient nobis & heredibus nostris; & nos & heredes nostri garantizabimus hæc omnia comiti & heredibus suis bona fide, sicut aliis hominibus nostris debemus garantizare feoda sua, quæ tenent de nobis. Hujusmodi conven-

(a) Id est in festo Purificationis Beatæ, dicto etiam festum Candelarum, a candelis seu cereis hac die benedicendis.

conventiones præscriptas tenemur observare, & heredes nostri, & domina regina mater nostra, prædicto comiti marchiæ & uxori ejus & heredibus eorum, & a dilecto & fideli nostro MATTHÆO de Monte-Morenciaco Franciæ constabulario eas in animam nostram fecimus jurari. Quæ omnia ut rata & firma permaneant, præsentem paginam sigilli nostri auctoritate præcepimus communiri. Actum Vindocino, &c.

CARTA BERNARDI COMITIS Convenarum.

De hominio ab eo regi præstito, &c.

Anno 1227 Ex mſ. Colbertino.

EGO BERNARDUS comes Convenarum notum facio universis præsentes litteras inspecturis, quod ego carissimo domino meo LUDOVICO regi Francorum illustri feci homagium ligium de terra illa qua vestitus eram & saisitus ipsa die, qua ei feci de bono & fideli servitio sibi & suis heredibus, faciendo contra omnes homines & feminas qui possunt vivere & mori. Et idem dominus rex hoc modo in hominem suum me recepit, salvo jure alieno. Præterea dominus rex mihi concessit quod si aliquis de hominibus meis, inimicis pacis & fidei adhæreret, terram ejus in manu mea caperem & tenerem tali modo, videlicet quod eidem terram suam non possim reddere, nec ipsum ad eamdem terram reducere, nisi de voluntate ejusdem domini regis. Promisi etiam domino regi & bona fide creantavi, quod ego per me aut meos villæ de sancto (a) Gauzentio aut hominibus ejusdem villæ nullum malum faciam aut perquiram. Si vero inter me & homines prædictæ villæ aliqua contentio intervenerit, ego inde starem arbitrio venerabilium patrum archiepiscopi Auxitani & episcopi Convenarum. Si autem comitissa Bigoritagiensis contra me vellet aliquid proponere, ego inde starem juri in curia domini regis. Actum Parisius anno Domini MCCXXVII. mense Octobri.

LITTERÆ JOHANNIS COMITIS Rouciaci.

De hominio ab eo præstito pro Suessione.

Anno 1228. Ex mſ. Colbertino.

EGO JOHANNES comes Rouciaci notum facio universis præsentes litteras inspecturis, quod ego carissimo domino meo LUDOVICO regi Francorum illustri feci hominagium de feodo de Sissonia, quod retraxi de nobili viro INGUERANNO de Couciaco, quod de eodem domino rege movet, sicut dictum feodum debet, salvo in omnibus jure domini regis & dicti Ingerranni, & salvo jure alieno. Actum apud Parisius, anno Domini MCCXXVII. mense Januario.

EPISTOLA HERMANNI Corbeiæ novæ abbatis ad Ludovicum Landgravium Thuringiæ.

Rogat ut sanctimoniales ex monasterio sanctæ Catharinæ in Ysenac *transferri permittat ad inhabitandum novum ordinis Cisterciensis quod fundaverat monasterium.*

Anno 1228. Ex mſ. Corbeiæ novæ.

HERMANNUS miseratione divina humilis & indignus abbas monasterii sanctorum martyrum Stephani & Viti in Corbeia, illustri principi & Landgravio Doringiæ LUDOVICO salutem & benedictionem in Domino sempiternam cum omnibus meæ tenuitatis & possibilitatis officiis & devotis precibus in sincera caritate.

Cum divina providentia me, nullis meis exigentibus meritis, ad regimen hujus ecclesiæ provexerit, & inter principes imperii collocaverit, justum & salutare est, omnia ad illius gloriam constanter dirigere, eamque omni meliore modo strenue promovere. Quoniam igitur pia intentione sororibus reformati ordinis nostri, communiter Cisterciensibus dictis, ob rigidam earum disciplinam etiam in diœcesi nostra locum deputavimus, ubi Deo famulari possent; & de probitate, castitate, modestia, & laudabili conversatione sororum apud sanctam Catharinam in *Ysenach*, dominus WINEMARUS venerabilis abbas in Porta, specialia nobis contulerit, habito cum metropolitano nostro consilio, & matura facta deliberatione, cum toto conventu meo unanimiter conclusum est, ex isto religioso monasterio quod regali prorsus munificentia & sacro compunctus spiritu parens tuus HERMANNUS, cujus anima triumphet in pace, in Dei & sanctæ Catharinæ honorem nuper gloriose fundavit, surculos aliquos vitæ illibatæ & bonæ spei in agrum (b) nostrum transplantare, ut a diffuso rigorosæ vitæ earum odore suavissimo tota vicinia repleatur, & eadem dulcedine ad similia pietatis opera in Domino inflammetur. Quæ nostra intentio, princeps devote, tamquam singulari pietatis sectatori non potest displicere. Rogo igitur humiliter, ut dimissio & transvectio ista sororum cum consensu & licentia & bona tua venia fiat in pace. Gratus ero cum tota congregatione mea in precibus & sacrificiis nostris a-

(a) Vulgo *Saint Gaudens* oppido duabus horis a Convenis distante.

(b) Hactenus perstat illud monasterium, una hora a Corbeia nova distans, *Brenckhausen* dictum a loco, ad quod ab Ottbergen translatum est, de cujus fundatione narrationem historicam mox exhibebimus. Plura etiam de eo in Annalibus excusis Corbeiensis monasterii auctore anonymo.

pud Deum tam in vita quam post discessum tuum. Pax Domini sit tecum in æternum. Corbeiæ ad Wisarah, anno Domini MCCXXVII. die sancti Polycarpi episcopi & martyris.

CARTA S. LUDOVICI REGIS Francorum, pro abbatia Joyenvalli.

Locum apud Pontisaram ad faciendum molendinum concedit.

Anno 1228. Ex ms. Colbertino.

IN nomine Patris, &c. Ludovicus, &c. &c. Notum, quod nos ob remedium & salutem animæ felicis memoriæ LUDOVICI carissimi genitoris nostri regis Francorum illustris, ac etiam pro anima carissimæ matris nostræ BLANCHÆ illustris Francorum reginæ, & nostra damus, & concedimus in puram & perpetuam eleemosynam abbatiæ Joenvallis, (a) & fratribus ibidem Deo servientibus, unam de archiis pontis Pontisaræ cum piscaria; illam videlicet quæ sita est inter molendinum leprosorum ad faciendum molendinum unum in eadem archia ad bladum molendum, seu ad tannum terendum, illud videlicet quod melius facere poterunt dicti fratres. Eadem enim abbatia prædictam archiam cum piscaria de nobis & heredibus nostris tenebit in perpetuum, & pacifice possidebit, reddendo nobis & heredibus nostris singulis annis de eadem archia in festo S. Remigii duodecim denarios censuales. In cujus rei testimonium perpetuum & memoriam, &c. Actum apud Meduntam, anno dominicæ incarnationis MCCXXVII. mense Martio.

FUNDATIO MONASTERII Ottenbergensis ordinis Cisterciensis ab Hermanno abbate Corbeiæ novæ.

Ex ms. hist. Corb. nova.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Amen. HERMANNUS Dei gratia Corbeiensis abbas, omnibus hujus paginæ inspectoribus salutem in Domino.

Verbum veritatis ex organo dominicæ vocis emissum, quoniam arbor quæ inutiliter terram occupat exscindenda est, & in ignem mittenda. Hujus consideratione nos & fratres (b) calendarii non immemores arborem incurvatæ consuetudinis eradicare decrevimus, novos surculos inserendo, videlicet matronas probatæ & consummatæ religionis, quæ per dulcedinem sui fructus aliquid perfectionis in ecclesia Dei possunt germinare. Hinc est quod cum ecclesia in *Ottbergen* collecta ex eleemosynis fratrum Kalendariorum diversis arctaretur erroribus, ita quod fratres inibi degentes propter frequentem incursionem prædonum Domino quiete non possent famulari, Corbeiensis ecclesia quæ merito illi loco ratione superpositionis providere debebat, communicato consilio fratrum Kalendariorum, aliorumque consilio prudentum, illi loco salubriter providere disponebat. Tandem cum multis annis trutinatum esset consilium, in eo convenit ecclesia Corbeiensis ut matronæ Cisterciensis ordinis ibi collocarentur, sperantes quod propter asperitatem ordinis & rationabile obsequium quod talis religio Domino fidelis consuevit exhibere, locus ille merito possit sublimari. Cum enim in isto cum fratribus Kalendariis convenisset ecclesia cum magno desiderio & diligenti expectatione, matronas talis ordinis collegerunt, assignantes ipsis secundum ordinis ipsarum rigorem bona ipsius ecclesiæ integra, adjicientes sibi bona & reditus sancti Ægidii ultra pontem Huxariæ siti. Præterea si nobis & fratribus Kalendariis locus ille videbitur incommodus, per nos & fratres Kalendarios in alium poterit transmutari, (c) ita tamen ut fines sive terminos nostri dominii non excedant. Quod si secus actum fuerit nobis inconsultis, omnia bona illius ecclesiæ, sicut a nobis donata sunt, simul & a fratribus Kalendariis ita ex integro ad nos & ad fratres memoratos revertantur. Volumus etiam ut nos eis & ipsæ nobis vinculo fraternitatis aggregentur, ita ut quicquid fratribus defunctis sive sororibus fieri solet, vicissim persolvamus. Ut autem hoc factum stabile, ratum & inconvulsum permaneat, & nulla oblivio deleat, præsentem paginam tam ecclesiæ nostræ quam nostri sigillorum appensione fecimus communiri. Testes hujus rei sunt Albertus prior, Eschewinus præpositus, Reinherus portarius, & totus conventus Corbeiensis. Canonici vero novæ ecclesiæ, Herbordus decanus, Henricus plebanus Huxariensis, & fratres Kalendarii. RICBODO abbas de monasterio. Conradus scholasticus Novæ ecclesiæ, Ernestus de *Brakelc*, Everhardus de *Amelunxen*, Albertus de *Godelheim* plebanus, Conradus de *Amelunxen*.

(a) Ordinis Præmonstratensis in diœcesi Carnotensi haud procul a sancto Germano de Laia, fundatæ a Bartholomæo de Roia Franciæ camerario.

(b) Fratres Calendarii vivebant ex eleemosynis. De quibus vide notas Paulini in fundationem monasterii *Brenckausen*.

(c) Cum propter sæcularium concursum incommodus esset ille locus, ad *Brenckhausen* translatus est conventus ab eodem Hermanno anno 1234.

CARTA S. LUDOVICI REGIS Francorum.

De quittatione culcitrarum facta hominibus de S. Germano in Laia.

Anno 1228. *Ex ms. Colbertino.* IN nomine &c. LUDOVICUS, &c. Notum &c. quod cum hospites nostri de sancto Germano in Laya & hospites monachorum ejusdem villæ, quos habent tam in eadem villa, quam apud *Aupec* & apud *Fillencort* tenerentur nobis providere de culcitris & de cuissinis quandocumque in eadem villa jacebamus: nos tam prædictos hospites nostros, quam hospites monachorum prædictorum in villis supranominatis ob remedium animæ claræ memoriæ LUDOVICI genitoris nostri quondam regis Francorum illustris, & pro anima etiam carissimæ matris nostræ BLANCHÆ illustris Francorum reginæ, & nostra, & pro quadraginta culcitris & totidem cuissinis quos Ren. Arcuarum dedit nobis, ab exactione & servitio culcitrarum, & cuissinorum prædictorum absolvimus in perpetuum, & omnino quitamus: volentes tam ipsos hospites nostros, quam hospites monachorum cum heredibus suis ab hujusmodi servitio culcitrarum & cuissinorum, quod nobis facere tenebantur, sicut præmissum est, permanere liberos & immunes. Quod ut perpetuæ stabilitatis obtineat firmitatem, præsentem paginam sigilli nostri auctoritate, & regii nominis caractere inferius annotato præcepimus roborari. Actum apud sanctum Germanum in Laia, anno dominicæ incarnationis millesimo ducentesimo vigesimo octavo, mense Aprili, astantibus in palatio, &c.

HÆ SUNT LITTERÆ quas rex Angliæ misit domino regi.

De belli induciis cum eo statuendis.

Anno 1228 CArissimo domino suo & consanguineo LUDOVICO regi Francorum, H. eadem gratia rex Anglorum, dominus Hyberniæ, dux Normanniæ & Aquitaniæ &.comes Andegaviæ salutem & debitum in omnibus servitium.

Mittimus ad vos dilectos & fideles nostros, nobilem virum Ph. de Albiniaco & Radulfum filium Nicolai senescallum nostrum ad capiendum & firmandum inter nos & vos treugas puras, firmas & rectas, sicut a domino papa GREGORIO IX. nobis est injunctum, & nos treugas ipsas pro nobis & omnibus hominibus & imprisiis nostris ratas & gratas habemus, & firmiter observari faciemus. In cujus rei testimonium has litteras nostras vobis patentes mittimus, teste meipso apud Westmonasterium sexta die Maii, anno regni nostri duodecimo.

LITTERÆ REGIS ANGLIÆ quas misit archiepiscopo Senonensi.

Ejusdem argumenti.

H. Dei gratia rex Anglorum, dominus Hyberniæ, dux Normanniæ & Aquitaniæ, comes Andegaviæ venerabili patri in Christo G. Dei gratia Senonensi archiepiscopo, R. eadem gratia episcopo Saar, magistro de Collemedio, & St. domini papæ capellanis salutem. Anno 1228

Sciatis quod nos misimus dilectos & fideles nostros nobilem virum Ph. de Albiniaco & Radulfum filium Nicolai senescallum nostrum ad carissimum dominum & consanguineum nostrum LUDOVICUM illustrem regem Francorum ad capiendas & firmandas inter ipsum & nos treugas, puras, firmas & rectas, sicut nobis a domino papa GREGORIO IX. est injunctum. Nos autem treugas ipsas pro nobis & omnibus hominibus nostris & imprisiis ratas & gratas habemus, & eas firmiter observari faciemus. Hoc autem vobis scire facimus. In cujus rei testimonium has litteras nostras vobis mittimus patentes. Teste meipso apud Westmonasterium VI. die Maii, anno regni nostrii XII.

STABILIMENTUM JUDÆORUM factum Parisius, anno Domini MCC. vigesimo octavo ultima die Maii.

NOtum, &c. quod nos volumus & statuimus quod stabilimentum factum de Judæis a claræ memoriæ genitore nostro anno primo regni sui super debitis contractis ante illud stabilimentum firmiter observetur. De novo autem statuimus & volumus de debitis post illud stabilimentum contractis usque ad festum S. Johannis præteritum, de quibus etiam litteræ inde confectæ testificantur, quod sint (a) catallum, adterminentur ad tres annos & novem terminos, sicut fuit stabilitum in stabilimento anni præcedentis: ita videlicet quod primus terminus fuit in festo omnium sanctorum præterito, secundus in purificatione B. Mariæ præterita, tertius in ascensione præterita: alii sex termini consimiliter in aliis sequentibus duobus annis. Si autem litteræ hujusmodi non compareant, quæ testificentur debitum esse catallum, & Christianis voluerit probare summam catalli, legitima probatione talium testium, qui non sint plegii Anno 1228. *Ex ms. Colbertino.* [a]

(a) Cangius catallum interpretatur capitale, atque ex *capitali* formatam esse vocem *Capitale* & ex *Capitale* catallum.

vel debitores illius debiti, eam reddet, si A voluerit, infra instans festum S. Dionysii & ita liberabitur, & si tunc non reddiderit catallum, ex tunc reddet totam summam debiti ad terminos hic contentos, sine currentibus usuris, & si Judæus voluerit probare aliam summam catalli per legitimas probationes Christianorum, melior probatio prævalebit, & recipient probationes istas in qualibet villa, in qua Judæi manebunt, duo boni viri legitimi & fideles electi de mandato nostro. Si autem Christianus voluerit solvere totam summam conventionis, B habebit terminos hic contentos. Debita autem post dictum festum S. Johannis contracta consimilia usque ad hanc primam diem Junii reddentur Judæis per conventiones habitas inter ipsos & Christianos sine usuris currentibus. Nullum debitum Judæorum curret ad usuram, nec faciemus reddi Judæis usuras, quæ currant ab hac prima die Junii inantea. De debitis Judæorum, quæ ab hac prima die Junii contrahentur, fient tria scripta cum chirographo, quorum medium per mandatum nostrum servabitur, aliud a debitore, aliud a Judæo C creditore.

LITTERÆ GALTERII archiepiscopi Senonensis, R. episcopi Sar. & Petri de Collemedio super treuga inter regem Franciæ & regem Angliæ.

Anno 1228. Ex ms. Colbertino.

G. Dei gratia Senonensis archiepiscopus, R. eadem gratia Sarr. episcopus, magister Petrus de Collemedio, & St. domini papæ capellani universis ad quos litteræ D præsentes pervenerint, salutem in Domino.

Notum facimus quod cum dominum regem Francorum illustrem LUDOVICUM de mandato domini papæ, pro utilitate negotii terræ sanctæ & etiam negotii pacis & fidei quod agitur in partibus Albigensibus, pro treugis inter ipsum & H. illustrem regem Angliæ faciendis attentissime rogassemus; idem dominus rex Francorum, pensata necessitate negotiorum sanctæ ecclesiæ & fidei christianæ ad preces domini papæ per nos factas, treugas inter ipsum & dictum regem Angliæ ab instanti festo B. Ma- E riæ Magdalenæ in annum conservandas voluntate spontanea & sine coactione aliqua concessit liberaliter & benigne. In cujus rei memoriam præsentes litteras sigillis nostris fecimus roborari & sigillari. Actum apud Nogentum Eremberti anno Domini millesimo ducentesimo vigesimo octavo, mense Junio.

LITTERÆ GUILLELMI archiepiscopi, de treugis initis cum Ludovico rege.

Anno 1228. Ex ms. Colbertino.

GUILLELMUS archiepiscopus dominus Parteniaci, universis præsentes litteras inspecturis salutem.

Noveritis nos iniisse treugas pro nobis & nostris cum LUDOVICO illustri rege Francorum & domina regina matre sua ab octavis instantis festi B. Mariæ Magdalenæ in annum duraturas: in quibus treugis si nos vel aliquis nostrorum hominum aliquid forisfaceremus supradicto regi vel reginæ vel alicui suorum promittimus, & bona fide concedimus nos emendaturos quod forisfactum fuerit, per manum reverendissimi & carissimi domini nostri de Lizigniano comitis Marchiæ, & hoc faciemus ei ad monitionem prædicti comitis infra tempus quadraginta dierum. Et in hujus rei testimonium has nostras patentes litteras dictas domino regi Francorum prædicto & dominæ reginæ ejus matri duximus concedendas. Actum anno Domini MCCXXVIII. mense Junio.

Sub hac forma habet idem Guillelmus litteras domini regis & dominæ reginæ, excepto eo quod domina regina in suis litteris mentionem facit de eodem domino rege.

LITTERÆ PHILIPPI COMITIS & Mathildis comitissæ Boloniensis,

De receptione episcopi Meldensis in castra Domni-Martini.

Anno 1228. Ex cartario Meldensi.

EGO PHILIPPUS comes Boloniæ & ego MATHILDIS uxor ejus comitissa Boloniæ universis præsentibus pariter & futuris præsentes litteras inspecturis, salutem in Domino.

Noverit universitas vestra, quod cum episcopus Meldensis diceret se habere tale jus in castello nostro de Domno-Martino, quod si contentio esset inter ipsum & comitem Campaniæ, debebat recipi in eodem castro ipse & sui, & nos tale jus nesciremus; tandem habito bonorum virorum consilio, concessimus pro bono pacis, quod quotienscumque talis contentio emergeret inter episcopum Meldensem & comitem Campaniæ, quod pro contentione illa episcopus non ausus esset morari apud Meldas, & nos aut heredes nostros dominos Domni-Martini per se vel per litteras suas patentes requireret, si essemus in regno Franciæ, & si essemus extra regnum illum, qui loco nostro esset vel heredum nostrorum, reciperetur in forterícia nostra Domni-Martini se octavo sine armis ad expensas suas, prius tamen promitteret in verbo veritatis, tam-

quam episcopus; & ab alia familia sua prius A præstito sacramento corporali nobis aut heredibus nostris, aut mandato nostro, aut heredum nostrorum, quod nec per se, nec per familiam suam malum nobis aut heredibus nostris aut castelleto nostro eveniret. Et præter istos concessimus quod posset hebere viginti alios de familia sua, in villa nostra Domni-Martini cum equis & harnesio sine armis, & per hoc homines nostri & heredum nostrorum de castello & villa Domni-Martini quiti sunt de obolis sancti Stephani & de synodis, & episcopus Meldensis quittavit nobis & heredibus nostris B Domni-Martini prædictum jus quod petebat. Quod ut perpetuæ firmitatis robur obtineat, præsentes litteras sigillorum nostrorum munimine fecimus sigillari. Actum anno MCCXXVIII. mense Octobri.

LITTERÆ AMALRICI COMITIS Montis-Fortis.

De cessione juris sui in comitatum Tholosanum & vicecomitatum Biterrensem facta ab eo Ludovico regi Francorum. C

Anno 1229 Ex ms. Reginæ Sueciæ eruit D. Mabillonius.

AMALRICUS comes Montis-fortis universis præsentes litteras inspecturis salutem in Domino.

Noverit universitas vestra, quod nos libere & absolute quittavimus claræ memoriæ domino nostro LUDOVICO Francorum regi illustri, & heredibus ejus in perpetuum, quidquid nobis juris competebat vel competere poterat in comitatu Tholosano, vicecomitatu Biterrensi, & in tota D conquesta de Albigesio: promittentes quod in rebus sæpedictis nihil juris nos vel heredes nostri de cetero poterimus reclamare, nec etiam pro pace quam dominus noster LUDOVICUS rex Francorum illustris filius supradicti domini nostri regis fecit cum R. comite Tholosæ, vel facturus sit in posterum cum aliis de terra, nec ipse dominus rex nobis propter hoc tenetur in aliquo, nisi ipse prædictam quittationem & fidele servitium nostrum respiciens de gratia & liberalitate sua nobis velit aliquid elargiri. E In cujus rei memoriam & testimonium præsentes litteras sigilli nostri munimine fecimus roborari. Actum anno Domini millesimo ducentesimo vigesimo nono mense Aprili.

LITTERÆ ROMANI LEGATI pro ecclesia Rothomagensi.

Anno 1228 Ex ms. Colbertino.

ROMANUS miseratione divina S. Angeli diaconus cardinalis apostolicæ sedis legatus, omnibus præsentes inspecturis salutem in Domino.

Noverit universitas vestra, quod cum LUDOVICUS rex Francorum illustris bona temporalia venerabilis patris TH. Rothomagensis archiepiscopi saisiri fecisset, occasione quarumdam causarum quæ vertebantur inter ipsos, ad preces nostras bona prædicta procuratoribus dicti archiepiscopi præsentibus nomine ipsius archiepiscopi in præsentia nostra recredidit: ita quod ex hac recredentia nullum jus, nec aliquod damnum vel præjudicium regi prædicto; nec archiepiscopo vel ecclesiæ Rothomagensi generetur. Utetur autem dictus archiepiscopus rebus suis. Si vero contigerit quod rex vellet res memoratas rehabere, non tenebitur archiepiscopus restituere res quibus usus fuerit, & tunc omnia tam ex parte regis, quam ex parte ipsius archiepiscopi, quantum ad interdicti & excommunicationis sententias erunt in eo statu, in quo erant antequam ab archiepiscopo suspensum fuisset interdictum, & excommunicationis relaxata sententia sub spe pacis, salva in omnibus jurisdictione nostra, videlicet quod per hoc non videamur approbare vel reprobare sententias memoratas, sed si causa ventiletur coram nobis, quod justum fuerit faciemus. In cujus rei testimonium sigillum nostrum, de consensu partium, præsentibus litteris duximus apponendum. Datum apud Meledunum anno gratiæ millesimo ducentesimo vigesimo octavo, XII. calendas Novembris.

CARTA S. LUDOVICI REGIS Francorum.

De nundinis apud Mirebellum concessis Theobaldo de Blazon.

Anno 1229. Ex ms. Colbertino.

LUDOVICUS Dei gratia Francorum rex. Noverint universi præsentes pariter & futuri, quod nos dilecto & fideli nostro Theobaldo de Blazonio in augmento feodorum suorum, quæ a nobis tenet, dedimus & concessimus quasdam nundinas apud Mirebellum, ad usus & consuetudines nundinarum Andegavensium, annis singulis per dies octo duraturas, & ipse nundinæ incipient octo diebus ante festum omnium sanctorum: dictas autem nundinas dicto Theobaldo & heredibus suis concessimus in perpetuum habendas, quiete & pacifice possidendas, salvo jure alieno. Quod ut ratum

& firmum permaneat, præsentem paginam sigilli nostri auctoritate fecimus roborari. Actum Parisius anno Domini MCCXXVIII. mense Februario.

EPISTOLA GUILLELMI de Calviniaco domini de Castro-Radulfi ad S. Ludovicum regem Francorum.

Petit confirmari compositionem inter eum & burgenses Castri-Radulfi.

Anno 1229. Ex ms. Colbertino.

EXcellentissimo domino suo LUDOVICO Dei gratia regi Francorum GUILLELMUS DE CALVINIACO dominus Castri-Radulfi suus fidelis salutem & debitam subjectionem.

Excellentiæ vestræ supplico, & vos tamquam fidelem dominum meum humiliter deprecor & requiro, quatenus cartam quam dedi dilectis meis burgensibus Castri Radulfi super quibusdam querelis inter me & eosdem motis, & modo per eamdem cartam, ut in ea continetur, pacificatis, sigillo vestro nobis placeat confirmare, salva tamen in omnibus & per omnia carta libertatis Castri-Radulfi, quam felicis memoriæ PHILIPPUS rex Franciæ avus & prædecessor vester dedit ad instantiam & petitionem meam dictis burgensibus, quam affectuose peto & bona fide desidero inviolabiliter observari. Datum anno gratiæ millesimo ducentesimo vigesimo octavo.

CONFIRMATIO compositionis inter Guillelmum de Calviniaco & burgenses Castri-Radulfi.

Anno 1229. Ex ms. Colbertino.

IN nomine sanctæ, &c. LUDOVICUS, &c. Noverint universi quod nos litteras dilecti & fidelis nostri GUILLELMI de Chalviniaco inspeximus in hæc verba. In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, ego G. de Chalviniaco dominus Castri-Radulfi notum facio universis præsentes litteras inspecturis, quod cum controversia mota esset inter me ex una parte, & dilectos meos burgenses de Castro-Radulfi ex altera, super libertatibus a me eisdem burgensibus quondam concessis, & super carta cum assensu meo a dictis burgensibus a felicis recordationis PHILIPPO rege Francorum super dictis libertatibus obtenta, eo videlicet quod dicti burgenses, sicut mihi videbatur verba illius cartæ latissime interpretando, minus juste dictas libertates volebant ultra debitum ampliare, & ego, prout burgensibus videbatur, sensum ipsius cartæ nimium restringendo, libertates jam dictas nimis arctare videbar: tandem bonis viris mediantibus, discordia inter me & prænominatos burgenses taliter ad concordiam est redacta, & de carta regis omnis ambiguitas est remota, sicut in sequentibus continetur, non quod per istam cartam cartæ regiæ in aliquo derogetur, sed ut quæ in illa obscura & ambiguo videbantur, per istam manifestius declararentur. Et ista sit subsequens expositio præcedentis. Ego siquidem habeo & habebo cum meis successoribus justitiam, merumque dominium apud Castrum-Radulfi. Homines de Castro-Radulfi debent mihi exercitum, equitatum, excubias, nisi forte sint aliqui, qui aliqua speciali de causa ab hujusmodi sint immunes. Burgenses * Castri-duni non possunt facere apud Castrum-Radulfi questam sive talliam vel levatam contra me, ad quam solvendam per ipsos aliquis per captionem pignoris vel alias possit cogi. Verum-tamen si burgenses questam aliquam fecerint, & aliquis illorum promissum solvere noluerit, per meipsum, postquam de promisso mihi constiterit, compelletur. Item, illi sex burgenses qui censam meam a singulis solvendam taxaverunt, collectam facient a comitate, prout ipsi dictaverint, persolvendam ad expensas necessarias faciendas pro vino regis solvendo, sicut est hactenus consuetum. Quod si aliquis summam sibi impositam sponte solvere recusaret, ego ipsum compellere tenerer. Item, ego ab hominibus vel feminis meis apud Castrum-Radulfi vel infra metas libertatis in carta regis contentas habitantibus, sive sint proprii, sive cum aliquo communes, sive homo meus feminam alterius dominii habuerit in uxorem, sive femina mea hominem alterius dominii habuerit in conjugem, occasione manus mortuæ, in casu aliquo nihil potero exigere vel habere; & minas & alias mensuras proprias singuli habitatores Castri-Radulfi habere poterunt, & cum illis bladum & alia ab ipsis emta vel vendita, tam ipsi quam quilibet extranei, salvo tamen carroeo meo de extraneis hominibus sine damno, & * occasio aliqua mensurare; dum tamen mensuræ signo meo sint signatæ. Sed & si mensura signo meo signata minor quam debuerit inventa fuerit, sive major, baillivo meo mensuram frangere licebit; sed nullum aliud damnum propter hoc poterit irrogari. Verum si signator mensurarum requisitus, vel etiam mandatum ipsius mensuram signare noluerit, major baillivus meus, qui apud Castrum-Radulfi inventus fuerit, super hoc requiretur, & si nec ipse mensuram signari fecerit, burgensis, cujus erit mensura ipsam faciet ad exemplum mensuræ signo meo signatæ: & si accusatus super hoc fuerit, jurabit cum altero se signaturum, vel ipsius mandatum, & etiam ballivum meum requisisse, & facto juramento amplius vexari non poterit; sed signabitur mensura, si eam noluerit mandatum meum signare. Ligna li-

* f. Castri-Radulfi.

* Hic videtur deesse aliquod verbum.

cebit cuilibet homini de Castro-Radulfi adducere apud Castrum-Radulfi, de quocumque bosco ad comburendum vel ædificandum, sive ad usus quoslibet alios omni die. Item, ego dimisi burgensibus universis & singulis omnem rancorem & quamlibet quæstionem, quæ usque hodie a me vel mandato meo, contra dictos burgenses vel aliquem illorum mota est: ita quod de cetero super jam motis quæstionibus molestari non possint de cetero vel vexari, meis tamen hereditatibus mihi salvis. Item, concedo & promitto quod de cetero equi vel jumenta vel quadrigæ burgensium per violentiam minime capientur, & si quis capere præsumserit, ego violentiam emendari faciam. Item, si quis impetat burgensem de Castro-Radulfi super homagio vel aliqua re alia, qui burgensis homo meus vel meorum antecessorum a retroactis temporibus extiterit, ego ero ei fidelis adjutor. Item, si quis burgensis causam habuerit in mea curia, ego consilium quod burgensis habere poterit, eidem non subtraham ullo modo. Hæc omnia promisi me servaturum inviolabiliter fide data, ceterisque in carta regis & in aliis cartis quæ a me vel meis prædecessoribus dictis burgensibus quondam concessis continentur, in omnibus obtinentibus suas vires. In cujus rei testimonium eisdem dedi burgensibus præsentem cartam sigilli mei munimine roboratam. Actum anno Domini MCCXXVIII. mense Decembri. Nos autem ad petitionem prædictorum Guillelmi de Chalvigniaco & burgensium Castri-Radulfi, salvo jure nostro & alieno, & salvis his quæ in carta claræ memoriæ avi nostri PHILIPPI quondam regis Francorum illustris continentur, compositionem prædictam volumus & approbamus, & sigilli nostri auctoritate & regii nominis caractere inferius annotato confirmamus. Actum Parisius anno dominicæ incarnationis MCCXXVIII. mense Martio, regni vero nostri anno III. astantibus in palatio nostro, &c.

LITTERÆ JOHANNIS EPISCOPI Leodiensis.

De fundatione (a) *Fratrum Prædicatorum Leodiensium.*

JOHANNES miseratione divina Leodiensis electus, viris venerabilibus magistro JORDANO Ordinis Prædicatorum, & priori provinciali Teutoniæ, totique capitulo ejusdem ordinis, cum veris cultoribus vineæ mercedem percipere æternæ gloriæ.

Quoniam diversorum frequentia negotiorum a cura spiritualium, quæ temporalibus esset præferenda, nos efficit tardiores; ne omnino vinea nobis commissa, in periculum animæ nostræ per nostram occupationem, vitiorum urticis & vepribus occupetur, a vobis cultores & extirpatores, omni qua possumus supplicatione requirimus; significantes dilectioni vestræ, quod nos pro salute animæ nostræ; & pro succursu animarum nobis commissarum, & pro religione in episcopatu Leodiensi promovenda & conservanda, de bonorum virorum consilio concessimus, quod in civitate Leodiensi recipiatur conventus fratrum ordinis vestri, qui ibi legant de theologia, & per totum episcopatum Leodiensem dissemiment verbum Dei, & confessiones audiant & absolvant confitentes; de his specialiter quæ ad forum pœnitentiale pertinent, salva nobis nihilominus jurisdictione nostra & nostrorum, salvis etiam sententiis nostris & nostrorum, inflictis & infligendis, conservandis & relaxandis, secundum quod nobis & ipsis justum visum fuerit. Sciatis etiam quod omnem libertatem qua gaudent viri religiosi in nostra diœcesi, vel gaudere debent, illæsam vobis & integram volumus observari, recipientes fratres quos ad nos transmiseritis, sub nostra & ecclesiæ nostræ protectione. Inducemus etiam diligenter subditos nostros, ut fratribus vestris tamquam animalibus onera nostra portantibus, manum liberalitatis in suis necessitatibus extendant. Datum apud Waremiam feria secunda ante festum beati Laurentii, anno Domini MCCXXIX.

CARTA S. LUDOVICI regis Francorum pro Guidone de Gornaio.

Excæcato ab Albigensibus X. libras quamdiu vixerit, annui reditus concedit.

LUDOVICUS, &c. Notum, &c. quod nos ad remedium animæ inclytæ memoriæ LUDOVICI genitoris nostri regis Francorum illustris, dedimus & assignavimus in puram eleemosynam Guidoni de Gornaio X. libras Margoliensis monetæ annuatim, quamdiu vixerit in villa nostra de Lymoso, ad duos terminos per annum recipiendas & eidem persolvendas, medium videlicet ad festum omnium sanctorum, & aliam medietatem ad Pascha post venturum: quas videlicet decem libras SIMON bonæ memoriæ quondam comes Montis-fortis, & dilectus ac fidelis noster ALMARICUS filius ejusdem Simonis eidem dederunt: quia in

Anno 1229. *Ex ms. Colbertino.*

(a) Anno Christi 1229. Hugo Petra-Pontius fratres Dominicanos advocare Leodium decreverat, idque negotii morti proximus Jacobo Acconensi episcopo & Johanni Appiano commendavit, scriptis litteris III. idus Aprilis, feria IV. post palmas, quæ litteræ editæ sunt a Chapeavilla. Eos igitur Johannes Appianus vix designatus successor sequentibus litteris ad magistrum ordinis denuo invitat.

negotio pacis & fidei ab inimicis Jesu Christi in Albigensium partibus fuerat excæcatus. Mandamus autem & præcipimus ballivo nostro, ut quicumque pro tempore ballivus noster extiterit in illis partibus, dicto Guidoni reddat annis singulis quibus vixerit, prædictas x. libras Margolienses ad terminos memoratos. Actum apud Fossatum anno Domini MCCXXIX. mense Augusto.

CARTA S. LUDOVICI regis Francorum.

De novis præbendis ab archiepiscopo Galterio in ecclesia Senonensi erectis.

Anno 1229. Ex ms. Colbertino.

LUdovicus Dei gratia, &c. Notum, &c. quod dilectus & fidelis noster G. Senonensis archiepiscopus numerum canonicorum ecclesiæ Senonensis pio motus desiderio proponens augmentare, auctoritate domini papæ, sicut intelleximus, portiones redituum quarumdam ecclesiarum parochialium, quæ præ aliis in proventibus exuberant, ad quatuor præbendas in ecclesia Senonensi de novo creandas, retentis in eisdem parochiis sufficientibus sustentationibus sacerdotum ibi deservientium, intendit assignare: sed quoniam ad præsens eædem parochiales ecclesiæ non vacant, humiliter postulavit a nobis, ut nos ad ejus devotam intentionem pio concurrentes assensu, concedere dignaremur, ut de hiis reditibus parochialium ecclesiarum, qui, prout supra dictum est, ad easdem præbendas fuerint assignati, usque ad valorem centum & viginti librarum Parisiensium annuatim canonicis de novo creandis, unicuique videlicet triginta libras valeat assignare. Quod nos intuitu pietatis & ad preces ejusdem archiepiscopi gratanter concedimus, & præsentibus litteris confirmamus: ita tamen quod assignationibus redituum de parochialibus ecclesiis, sicut supra dictum est, perfectis, reditus illi centum & viginti librarum ad regalia archiepiscopatus libere revertantur. Actum anno Domini millesimo ducentesimo vigesimo nono, mense Augusto.

CARTA S. LUDOVICI regis.

De confirmatione donationis Simonis Montis-fortis, factæ monialibus S. Pontii ordinis Cisterciensis in diœcesi Massiliensi.

Anno 1229. Ex ms. Colbertino.

LUdovicus Dei gratia, &c. Notum, &c. quod nos eleemosynam factam a bonæ memoriæ Simone quondam comite Montis-fortis, monialibus S. Pontii (a) Cisterciensis ordinis, Massiliensis diœcesis, de viginti libris Melgoriensibus annui reditus percipiendis annis singulis in pedagio S. Tiberii, pro remedio animæ patris nostri ratam habemus, & eam præsentibus litteris confirmamus. Actum Parisius, anno gratiæ MCCXXIX. mense Augusto.

CARTA S. LUDOVICI REGIS de pace comitis Fuxensis.

Anno 1229. Ex ms. Colbertino.

LUdovicus Dei gratia, &c. Notum facimus, quod cum Rogerius Bernardi comes Fuxensis tractatu habito cum dilectis nostris magistro Petro de Collemedio & Matthæo de Malliaco, supposuisset se & suos & sua, & suorum quæ tenet & habet nunc, & tenuit ipse & pater suus, bonæ miserationi nostræ, secundum tenorem litterarum suarum super hoc confectarum, & jurasset se mandatum nostrum super hoc per omnia servaturum. Nos misericordiam talem de consilio nostro pro se & suis ei fecimus ad præsens; quam misericordiam ad præsens dicimus esse bonam, videlicet quod ei & heredibus suis dedimus in perpetuum pro hereditagio mille libras Turonenses annuatim, quas mille libras annuentes ei assignavimus in hunc modum, quod dedimus ei ea quæ ipse & homines sui habuerunt, & quæ nos habemus & tenemus in nostro domanio in his villis, scilicet de Arrincho, Allaracho, Prissino, Fontiniano, & Interminio Vassetæ usque ad valorem reditus competenter bonorum arbitrio computati: residuum vero quod in assignatione prædictarum mille librarum defuerit, ei assignabimus in terra competenter bona fide. In episcopatu Carcassonensi extra villam Carcassonensem, & extra villas Limosii, Montis-regalis, Cabarci & Saxiaci & extra reditus ad dictas villas provenientes. Et si in Carcassesio in his quæ in manu nostra tenemus extra prædictas villas, & reditus quos excepimus, usque ad summam prædictarum mille librarum reditus non inveniretur, nos ei quod inde defuerit assignabimus alibi competenter, donec mille libræ Turonenses annui reditus inter præmissa omnia eidem & suis pro hereditagio compleantur, & ipse propter hoc homagium ligium nobis fecit, & tenetur facere heredibus nostris, & heredes ejus similiter. Cum autem ipse per prædictum tractatum cum prædictis magistro P. de Collemedio & Matthæo de Marliaco habitum, montem Granerii & Lordatum

(a) Abbatia S. Pontii de Gemenoso ordinis Cisterciensis, ex qua prodiere Almanarensis & de Monte-Sion abbatiæ, anno 1407. bulla pontificia Almanarensi monasterio unita est.

tradiderit,

tradiderit, & obligaverit pro ecclesia & pro nobis in manu nostra, quamdiu nobis placuerit tenenda, si contra promissa fecerit idem comes, sicut in carta sua super hoc confecta plenius continetur, & nos pro securitate ecclesiæ & nostra tenere debebamus prædicta castra, quantum placeret misericordiæ nostræ, & carissimi nostri R. * sancti Angeli diaconi cardinalis apostolicæ sedis legati, nos ei Lordatum reddere debemus libere & sine contradictione, in eo statu in quo tradidit illud nobis. Castrum Fuxi tenendum in manu nostra ad sumtus nostros a die qua tradetur nobis usque ad quinquennium, ita quod nos in villa Fuxi vel ejus terminis nihil penitus percipiemus, & elapso quinquennio, sine contradictione, absolute & libere ipsum castrum Fuxi eidem comiti vel suis nos vel nostri reddemus in eo statu in quo tradidit, illud ei tradidimus, restituet tenendum a nobis post illud quinquennium aliis quinque annis, sicut ipsum modo tenemus, & elapsis illis ultimis quinque annis, Lordatum cum Monte-Granerii sine aliqua exactione sumtuum restituemus eidem comiti in eo statu in quo tradidit ea nobis. Nos autem eidem usque ad quinque annos, quibus elapsis debemus ei reddere castrum Fuxi, concessimus quingentas libras Turonenses in præpositura nostra Carcassonensi singulis annis percipiendas, medietatem in festo omnium sanctorum, & medietatem in Pascha per manum ballivi nostri Carcassonensis, & elapso illo quinquennio dictas quingentas libras poterimus, si nobis placuerit, sine contradictione aliqua retinere. De burgo Fuxi taliter est ordinatum, quod idem comes exponit dispositioni & cognitioni dicti legati vel pro eo magistri P. de Collemedio, quod si forteritia murorum burgi Fuxi noceat, vel præstet impedimentum introitui vel exitui castri vel districtioni ipsius, posset inde diruere, secundum quod ei visum fuerit faciendum. Sed cum idem castrum restituerimus ei, dirutionem, si qua facta fuerit, restituemus sumtibus nostris in eodem statu, in quo illud nobis tradet idem comes. Et sciendum quod in terra quam idem comes tenet, vel in illa quam ei dedimus, non potest facere novam fortericiam, nec veteres fortericias sine mandato nostro infortiare, nec in his terris receptare scienter inimicos ecclesiæ sive nostros. Et si forte, ipso ignorante, aliqui de talibus receptarentur, ammonitus per nos vel per nuntium nostrum, vel per ballivum nostrum, aut nuntium ballivi nostri, eos expellere teneretur, & ex tunc capere tamquam proprios inimicos. Sciendum tamen quod illos reditus quos debebamus percipere in parochiis de Lordato de Monte-Granerii pro custodia ipsorum castrorum, secundum quod continetur in litteris inter eumdem comitem & magistrum P. de Collemedio & M. de Marloto confectis, ex nostra liberalitate remisimus comiti memorato. Hæc autem omnia ei concessimus, salvo jure ecclesiarum & catholicorum virorum & mulierum. Quod ut firmum & stabile perseveret, præsentem paginam sigilli nostri auctoritate fecimus roborari. Actum apud Meledunum, anno Domini MCCXXIX. mense Septembri.

* Roman.

CARTA S. LUDOVICI REGIS pro Attone Ernaudo.

LUDOVICUS, &c. Notum facimus quod nos Athoni Ernaudo de castro Verdunensi, qui supposuerat se bonæ miserationi nostræ & carissimi nostri R. S. Angeli diaconi cardinalis apostolicæ sedis legati, fecimus misericordiam in quinquaginta libras Turonenses annuatim de bursa nostra percipiendas, medietatem in festo omnium sanctorum, & medietatem in Pascha, donec illas sibi assederimus competenter, & propter hoc ipse hominagium ligium nobis fecit. Actum apud Meledunum anno Domini MCCXXIX. mense Septembri.

LITTERÆ EMENIARDIS abbatissæ & conventus Paracliti.

De numero monialium in prioratu de Noaforti instituto.

Anno 1229. *Ex cartario Meldensi.*

UNiversis præsentes litteras inspecturis EMENIARDIS humilis abbatissa Paracliti, totusque ejusdem loci conventus salutem in Domino.

Notum facimus quod venerabilis pater P. Dei gratia Meldensis episcopus, auctoritate domini papæ HONORII III. de assensu & voluntate nostra, instituit in prioratu nostro de Noaforti Meldensis diœcesis, propter paupertatem ipsius certum numerum monialium, videlicet viginti quinque: ita quod nulla fiat ibidem de cetero monialis, donec tot decesserint moniales, quod dictus numerus, videlicet viginti quinque monialium nullatenus de cetero excedatur, nisi processu temporis ejusdem loci evidenter in tantum excreverint facultates, quod plures possint commode sustentari. Volumus etiam & concedimus, quod episcopus Meldensis, qui fuerit pro tempore, statutum istud faciat observari, nisi per dominum papam fuerit revocatum. Quod ut perpetuam firmitatem obtineat, præsentes litteras sigillorum nostrorum munimine fecimus roborari. Actum anno Domini MCCXXIX. mense Octobri.

EPISTOLA BALDUINI de Corbolio ad S. Ludovicum regem Francorum.

De Guidone de Pruneto.

Ex ms. Colbertino.

REverendo patri domino LUDOVICO Dei gratia regi Francorum BALD. DE CORBOLIO miles ejus familiaris salutem & fidele obsequium.

Vestræ sublimitati notifico, quod Guido de Pruneto miles homo meus ligius est ex matrimonio sororis meæ. Et ego volo quod tale homagium & ligentiam vobis debeat, B quamdiu castellum quod servandum ei tradideritis, servabit, quale mihi debebat; & super hoc vos exoro, a vobis ut a nobis homagium illud & ligiam recipi; hoc scientes quod vos legitime servabit, & super me accipio indubitanter.

JURAMENTUM VALENTIÆ relictæ Theobaldi de *Blazon* S. Ludovico præstitum pro castris quæ tenebat vir ejus.

Anno 1229 Ex ms. Colbertino. [a]

EGo VALENTIA relicta Theobaldi (a) de *Blazon*, notum facio universis ad quos litteræ præsentes pervenerint, quod ego carissimo domino meo LUDOVICO regi Francorum illustri, tactis sacrosanctis evangeliis juravi, quod alicui de inimicis suis manifestis, vel alicui cum quo treugam habeat non me maritabo: immo eidem domino meo regi, & dominæ meæ BLANCHÆ reginæ matri ejus semper fideliter adhærebo contra omnem creaturam, quæ possit vivere & mori, & Mausiacum & omnia castella quæ tenebat defunctus Theobaldus de *Blazon* quondam maritus meus quando decessit, eidem vel ejus mandato tradam ad parvam vim & ad magnam, quoties ab ipso vel ejus certo nuntio fuero super hoc requisita. In cujus rei testimonium præsentes litteras feci sigilli mei munimine roborari. Actum apud Vicenas, anno Domini millesimo ducentesimo vigesimo nono, mense Decembri.

LITTERÆ JOHANNIS FILII comitis Suessionensis primogeniti.

Conventio cum rege de Judæis.

Anno 1230. Ex ms. Colbertino.

EGo JOHANNES filius comitis Suessionensis primogenitus, dominus de Cymi & de Turno notum facio universis, quod inter dominum regem Franciæ & me talis est habita conventio, quod dominus rex A Judæos meos detinere non potest ab hac die in posterum ad manendum sub se: & ego similiter Judæos domini regis ab hac die inantea ad manendum sub me non potero detinere. In cujus rei testimonium præsentes litteras emisi sigillo meo sigillatas. Actum anno Domini MCCXXX. mense Aprili.

(a) Is erat S. Ludovici in Pictavia senescallus ex alia S. Ludovici carta mox referenda.

CARTA HUGONIS DE LIZIGNANO comitis Marchiæ.

De conventione facta apud Clicionem.

HUGO de *Lezignan* comes Marchiæ & Engolismi universis præsentes litteras inspecturis salutem. Anno 1230 Ex ms. Colbertino.

Noveritis quod de assensu & voluntate dominæ BLANCHÆ illustris reginæ Francorum, ratione conventionum habitarum inter nos & dominum regem apud Vindocinum usque ad decem annos, de quibus tres sunt elapsi, & plene facta est solutio de illis tribus annis, habebimus a domino LUDOVICO illustri rege Francorum filio suo singulis annis usque ad septem annos decem millia & sexcentas libras *Turonenses* annuatim in tribus terminis, tertium in ascensione, tertium in festo omnium sanctorum, tertium in candelosa, & est facta nobis solutio primi termini de ascensione nuper præterita, videlicet quinque millia & sexcentas libras pro conventione Burdigalis, quinque millia librarum Turonensium pro dotalitio reginæ uxoris nostræ, & si eamdem uxorem nostram infra septem annos forte mori contingeret, a die obitus sui caderent annuatim de dicta summa quinque millia librarum pro dotalitio ejus: & si dominus rex Francorum pacem faceret cum rege Angliæ & regina, uxor nostra rehaberet dotalitium suum de Anglia, pro dotalitio de Anglia duo millia & quingentas libras de dicta summa caderent annuatim. Completis autem dictis septem annis, nihilominus habebit regina uxor nostra, quamdiu vixerit, pro dotalitio suo quinque millia librarum annuatim, nisi per pacem factam cum rege Angliæ cadere *mihi* debeant annuatim duo millia & quingentas libras pro suo dotalitio de Anglia, sicut superius est expressum. Per has autem conventiones quittamus nos & regina uxor nostra domino regi, & dominæ reginæ matri suæ, & heredibus suis in perpetuum, quidquid reclamabamus vel reclamare poteramus in Exolduno, in Langesto, salvis conditionibus de Langesto in aliis litteris domini regis, super matrimonio ISABELLÆ sororis suæ confectis, & in quadringentis libris Turonensibus, quas percipiebamus apud Turonos annuatim. Quittamus etiam conventiones habitas cum ipso rege de Burdigali, & omnia ea quæ petebamus vel pe-

tere poteramus ab ipso nomine dotalitii, vel alia de causa: ita quod ab ipsa, vel regina matre sua, vel heredibus nihil poterimus exigere amplius, nec in denariis, nec in terra occasione alicujus conventionis præteritæ, neque de aliquo areragio, nec aliter, præterquam ea quæ in præsentibus litteris, & aliis quas habemus ab ipso rege super Musterolio in Gastina *Langest*, sancto Johanne de Angeliaco, & terra de Almis continentur. Nos super sacrosancta juravimus, quod dictum regem & dominam reginam matrem suam, & heredes suos juvabimus bona fide contra omnes homines & feminas qui possunt vivere & mori, & quod inimicos suos non receptabimus, nec receptari permittemus ubi posse habuerimus, & quod pro posse nostro juvabimus gentes suas ad conducenda victualia, & alias mercandisias in castra sua de terra nostra, & de aliis, si forte contigerit quod per vim oporteat dicta victualia, & alias mercandisias in villas suas ad summonitionem senescalli sui in Pictavia conduceremus & conduci faceremus ea pro posse nostro bona fide ad costum suum. Juravimus etiam quod nullam faciemus confœderationem vel fieri permittemus cum inimicis suis vel heredum suorum, sed ipsum & heredes suos semper juvabimus bona fide, & serviemus ei & heredibus suis & dominæ reginæ matri suæ, sicut debuerimus, & sicut feoda nostra apportant, & quod bona fide procurabimus, ut illi qui nondum venerunt ad homagium suum ad ipsum veniant & faciant sibi homagium, sicut debent & sicut fecerunt patri suo. Item nos tenemur per has conventiones reddere, si qua saisivimus vel cepimus de feodis suis post obitum patris sui, nisi ex dono suo ea habeamus, sicut in litteris, de quibus supra fit mentio, est expressum. Si nos messaceremus hominibus suis vel terræ suæ, jus inde faceremus, sicut deberemus, coram senescallo suo in Pictavia; & si de jure faciendo deficeremus coram dicto senescallo, coram domino rege comparere teneremur pro jure faciendo ad judicium curiæ suæ. Si de nobis contingeret humanitus, poterimus tradere ballum nostrorum heredum & totius terræ nostræ in manu reginæ uxoris nostræ, vel in manu cujuscumque voluerimus, qui sit de regno Franciæ, nec sit contra regem Franciæ vel regnum sine contradictione vel impedimento suo vel suorum, salvo servitio & jure suo in omnibus, sicut feoda nostra apportant. Ipse vero rex nec pacem, nec treugam faciet cum rege Angliæ sine assensu nostro. De omnibus terris & fortericiis quas nos tenemus in comitatu Pictavensi, in comitatu Marchiæ & Engolismi, in episcopatu Xantonensi & de Corpniaco & Merpino, exceptis feodis quæ tenemus de ecclesiis, fecimus homagium ligium domino regi contra omnes homines & feminas qui possunt vivere & mori; & similiter heredes nostri facient ei & heredibus suis, & ipse rex & heredes sui garantizabunt hæc omnia nobis & heredibus nostris bona fide de se & fratribus suis, & insuper de omni alio homine, sicut aliis hominibus suis, debet garantire feoda sua quæ tenent de ipso. Hujusmodi autem conventiones præscriptas tenetur dominus rex & heredes sui observare nobis & uxori nostræ, & heredibus nostris; & domina regina, quamdiu dominum regem & terram suam habebit in manu sua, & postmodum etiam non veniet contra, immo domino regi consulet, quod observet prædicta, & hoc a dilecto & fideli suo Matthæo de Monte-Morenciaco Franciæ constabulario in præsentia sua super sacrosancta in animam suam fecit dominus rex jurare. Quæ omnia ut firma & rata permaneant, præsentem paginam sigilli nostri auctoritate fecimus communiri. Actum apud Clicionem, anno Domini MCCXXX. mense Maio.

CARTA COMITIS MARCHIÆ.

De matrimonio sororis regis & castro S. Johannis.

Anno 1230. *Ex ms. Colbertino.*

HUGO de Lizignano comes Marchiæ & Engolismi universis præsentes litteras inspecturis salutem.

Noveritis dominum LUDOVICUM Dei gratia regem Francorum illustrem dominum nostrum tradidisse nobis castellum suum de S. Johanne de Angeliaco, & quicquid juris habebat in villa & pertinentiis; & Musteriolum in Gastina, & quicquid juris possidebat ibidem & in pertinentiis Petrus de Marliaco, & Langestum cum pertinentiis, sub hac forma, quod si matrimonium possit fieri, tolerante sancta Romana ecclesia, de ELIZABETH sorore domini regis & HUGONE filio nostro primogenito, vel de alio subsequente, si de primogenito contingeret humanitus, rehabebit rex omnia supradicta, tradita nobis sorore sua: & si non possit fieri matrimonium, sicut prædictum est, omnia ista remanebunt nobis & I. reginæ Angliæ uxori nostræ & heredibus nostris habenda in perpetuum & pacifice possidenda: dum tamen nos vel filius noster non veniamus contra ne matrimonium fiat, & super agendo matrimonio dominus rex impetrare valeat dispensationem bona fide infra duos annos: quibus elapsis, non tenebimur nos vel filius noster dominum regem ulterius expectare. Immo ex tunc inantea omnia supradicta erunt nostra, & uxoris nostræ I.* reginæ Anglorum, & heredum nostrorum habenda in perpetuum

* Isabellæ.

& pacifice possidenda, de dono domini regis in remuneratione servitii nostri sibi fideliter impensi, in augmentationem feodi nostri quod ab ipso habemus. Et hoc tenebitur dominus rex nobis, & nostris garantire de se & fratribus suis, & maxime de illo qui erit comes Pictavensis, & insuper contra omnes alios homines tenetur garantire nobis, sicut aliis hominibus suis garantire deberet feoda quæ ab ipso tenent. Si autem sororem suam infra prædictos duos annos traderet in matrimonium alii quam filio nostro, vel etiam dispensatione habita per eum staret quominus matrimonium fieret, vel etiam dispensatione habita, si per eamdem sororem domini regis remaneret quin matrimonium fieret, quando ad annos nubiles pervenisset, eadem sorore domini regis in sua potestate remanente, ipse teneretur nobis solvere pro pœna quinque millia marcharum argenti vel heredibus nostris. Si vero eamdem sororem domini regis traderet nobis vel filio nostro dominus rex dispensatione habita, & ipsa in ætate nubili contradiceret matrimonio, non teneretur dominus rex ad pœnam prædictam. Et sciendum, quod si non impetraretur dispensatio infra prædictos duos annos, dum tamen per dominum regem non staret, quitus & immunis remaneret dominus rex de omnibus conventionibus supradicti matrimonii, per hoc quod nos retinemus nobis & prædictæ uxori nostræ & heredibus nostris dicta castella cum pertinentiis eorumdem, sicut prædictum est, & pro istis firmiter & inviolabiliter observandis fecit jurare dominus rex in animam suam dominum MATTHÆUM de Monte-Maurentiaco constabularium Franciæ. In cujus rei testimonium dedimus domino regi has litteras sigillo nostro sigillatas. Datum apud Clichionem anno Domini MCCXXX. mense Maio.

JUDICIUM
factum in castris juxta Ancenisum, contra comitem Britanniæ, anno Domini MCCXXX. mense Junio.

Anno 1230. Ex ms. Colbertino.

GALTERUS Dei gratia Senonensis archiepiscopus, GALTERUS eadem gratia Carnotensis, & GUILLELMUS Parisiensis episcopi, F. comes Flandriæ, Th. comes Campaniæ, comes Nivernensis, comes Blesensis, comes Carnotensis, comes Montisfortis, comes Vindocinensis, comes * Rout. MATTHÆUS de Monte-Morenciaco Franciæ constabularius, JOHANNES de Suessione, STEPHANUS de Sacro-Cæsare, vicecomes Belli-montis, & alii barones & milites, quorum præsenti scripto supposita sunt sigilla, universis tam præsentibus, quam futuris ad quos pervenerit præsens scriptum salutem in perpetuum. Notum facimus, quod nos coram carissimo domino nostro LUDOVICO rege Francorum illustri judicavimus unanimiter, quod PETRUS quondam comes Britanniæ, propter ea quæ eidem domino regi forifecerat, quæ pro majori parte coram omnibus nobis ibi dicta fuerunt, ballum Britanniæ per justitiam amisit, & quod barones Britanniæ & alii qui eidem fecerant homagium vel fidelitatem ratione illius balli, sunt penitus absoluti & quitti ab illa fidelitate & illo hominagio, nec tenentur ei obedire vel aliquid pro eo facere, quod pertineat ad rationem illius balli. In cujus rei testimonium præsens scriptum fecimus consignari nostris impressionibus sigillorum. Actum in castris juxta Ancenisum, anno MCCXXX. mense Junio.

* Conciaci.

LITTERÆ ANDREÆ de Vitreio.

De hominio facto ab eo domino regi.

Anno 1230. Ex ms. Colbertino.

EGo ANDREAS Vitriaci dominus notum facio universis præsentes litteras inspecturis, quod cum prælati & barones regni Franciæ, qui cum carissimo domino meo LUDOVICO rege Francorum illustri erant in exercitu apud *Ancenis*, unanimiter judicassent, quod PETRUS quondam comes Britanniæ propter ea quæ domino regi messfecerat, quæ pro parte coram omnibus ibi dicta fuerunt, ballum Britanniæ per justitiam amiserat, & quod barones Britanniæ & alii qui fecerant ei fidelitatem vel homagium, ratione illius balli erant penitus absoluti & quiti ab illa fidelitate & illo homagio, nec tenebantur ei obedire, vel aliquid pro eo facere quod pertineret ad rationem illius balli. Ego ad eumdem dominum regem accedens, feci ei homagium ligium de Vitriaco, Marciliaco, & de omnibus quæ tenere solebam a comite Britanniæ, salvo jure JOHANNIS filii supradicti Petri, & YOLENDIS filiæ ejusdem, quando venerint ad ætatem viginti & unius anni, dum tamen tunc facient eidem domino regi quod facere debebunt. Et juravi eidem domino regi, quod bona fide me tenebo ad eum & heredes suos, salvo eo quod dictum est de heredibus Britanniæ prædictis, & quod sine assensu ejusdem domini regis non faciam pacem vel treugam cum rege Angliæ vel prædicto PETRO quondam comite Britanniæ. Idem autem dominus rex pro fideli servitio quod ei impendi, & quod ei impendam in futurum, dedit mihi quingentas libratas (a) terræ ad Tu-

(a) Libratam terræ idem ac jugerum terræ integrum seu aripennem existimat Sirmondus in notis ad Gaufridum Vindocinensem. Sed de hujus vocis explicatione non consentire auctores animadvertit Cangius, qui de ea fusius differit in Gloss.

ron. assignandas mihi infra tempus sestar. A sui, quod est ad festum sancti Michaelis in Normannia prope terram meam quam ibi habeo; vel, si melius placuerit, domino regi, terram quam habeo in Normannia escambiet mihi in terra Andegavensi, & prope illud excambium assignabit mihi prædictas quingentas libratas terræ extra forteritiam; & de istis libratis terræ quingentis feci eidem domino regi hominagium ligium contra omnes homines, qui possunt vivere & mori. Promisit etiam mihi idem dominus rex, quod si per terram regis An- B gliæ vel prædicti PETRI quondam comitis Britanniæ, amitterem terram illam, vel imminuerentur reditus vel proventus ipsius terræ, dominus rex restituet mihi aliam terram in loco competenti ad valorem terræ in qua damnificatus essem, scilicet in amissionem vel diminutionem redituum vel proventuum ejusdem terræ. Et interim donec assignatio prædictæ terræ fiat, dabit mihi idem dominus rex in bursa sua annuatim secundum valorem redituum vel proventuum terræ meæ amissorum vel diminutorum. Secundum autem quod recuperabo de reditibus & proventibus amissis vel diminutis, C diminuetur de pensione bursæ domini regis, vel de terra, si propter hoc mihi fuerit assignata: in hac autem restitutione, quam mihi facere tenetur dominus rex, non intelligitur quod pro terra quam habere soleo in garenna vel in Anglia teneatur mihi facere aliquam restitutionem. Promisit etiam mihi, quod si Vitriacum vel Marciliacum, quæ sunt castella mea, obsiderentur per regem Angliæ, vel per dictum PETRUM, idem dominus rex levabit obsidionem bona fide, ac si idem castellum suum esset proprium. Et si forterícia alicujus eorumdem D duorum castellorum per eamdem guerram destrueretur; idem dominus rex reficeret eam in eodem statu in quo prius erat vel etiam in meliori. Tenetur etiam idem dominus rex munitiones ad sumtus suos tenere in prædictis castellis meis majores vel minores, secundum quod major vel minor necessitas apparebit. Fecit etiam idem dominus rex jurari mihi in animam suam per MATTHÆUM de Monte-Morenciaci Franciæ constabularium, quod cum prædicto PETRO quondam comite Britanniæ non faciet pacem sine assensu & voluntate mea. E Cum eodem etiam rege Angliæ vel cum prædicto PETRO non capiet idem dominus rex treugam in qua non sim ego: hoc ipsum fecit jurari in animam suam per eumdem Matthæum carissima domina mea BLANCHA regina Francorum illustris, quod hæc observabit bona fide, quamdiu tenebit ballum domini regis. Ego etiam teneor receptare in castellis meis eumdem dominum regem & gentes suas ad magnam vim & ad parvam, & servare bona fide, quousque prædicti heredes Britanniæ devenirent ad ætatem viginti & unius anni, & fecerint domino regi quod facere debebunt. In cujus rei testimonium præsentes litteras feci sigilli mei munimine roborari. Actum in castris ante Ancenisum, anno Domini millesimo ducentesimo trigesimo, mense Junio.

LITTERÆ S. LUDOVICI REGIS pro Raymundo vicecomite Thoarcensi.

Concedit ei quinquaginta libras annui reditus, donec castrum Marolii recuperet, &c.

LUDOVICUS Dei gratia Francorum rex universis ad quos præsentes litteræ pervenerint, salutem. *Anno 1230. Ex ms. Colbertino.*

Notum facimus quod nos dilecto & fideli nostro RAYMUNDO vicecomiti Thoarcensi dedimus quinquaginta libras annui reditus, reddendas medietatem in nativitate S. Johannis Baptistæ, & medietatem in nativitate Domini, quousque ipse vicecomes recuperaverit castrum Marolii vel per auxilium nostrum, vel alio modo, vel pacem de illo habuerit ad gratum suum. Et quando prædictum castrum recuperaverit, vel pacem de illo ad gratum suum habuerit, nos quiti erimus de quinquaginta libris Turonensibus annui reditus supradictis. Insuper homines dicti vicecomitis pro terra sua de Louduno debent habere centum & decem libras Turonensium annui reditus. Et sciendum quod si aliqua de feodis dicti vicecomitis acquireremus, ea dare seu tradere non possemus, nisi talibus, qui prædicto vicecomiti servitia facerent, qualia debent ipsa feoda & apportant. Et hoc etiam faceremus ad laudem & consilium dilecti & fidelis nostri H. de Lezignano comitis Marchiæ & vicecomitis supradicti. In cujus rei testimonium præsentes litteras sigilli nostri auctoritate fecimus communiri. Actum in castris juxta Pontem *de Say* anno Domini MCCXXX. mense Junio.

ACTA VISITATIONIS Lovaniensis S. Petri ecclesiæ.

VIris venerabilibus & in Christo dilectis præposito, decano totique capitulo beati Petri Lovaniensis, magister G. decanus S. Johannis in Leodio, & convisitatores sui salutem in Domino. *Anno 1230. Ex autographo Oigniensi.*

Quoniam ad visitandam ecclesiam vestram auctoritate domini legati accedentes, per inquisitionem factam statum ipsius ecclesiæ plenius cognovimus, ex injuncto nobis officio ad reformationem ecclesiæ vestræ diligentius intendentes, ordinamus & volumus, quod canonici vestri universi & sin-

guli residentiam faciant, aut si quis foraneus fuerit, tantum tertiam partem præbendæ suæ percipiat, vicarius ejus tertiam, & reliquam tertiam in usus cedat residentium. Singulis autem annis duo canonici a capitulo eligantur, qui hanc tertiam & proventus omnes communis præbendæ recipiant in communes usus residentium per eorum providentiam expendendos.

Talis autem ordo a canonicis in choro observetur, ut sacerdotes suprema stalla teneant, de ceteris qui superior est in ordine, superior sit in stallo.

Ut autem & conscientiæ consulatur & famæ, inhibemus ne canonicus sive vicarius, vel quicumque clericus alius suspectam personam in domo sua sive in loco suspecto retinere præsumat.

Ordinamus etiam ut canonici sacerdotales præbendas habentes eas in propriis personis deservire compellantur, alioquin ab officio & beneficio suspendantur.

Ordinamus etiam, ut quicumque vicarias habent vel capellanias in oppido Lovaniensi, vel extra, eas in propriis personis, non per vicarios deservire compellantur: alioquin illis privatis, aliis libere conferantur, qui eas in propriis personis & velint & valeant deservire.

Ordinamus etiam ut privilegia & instrumenta ecclesiæ communia in thesauraria reponantur.

Sigillum capituli sub duabus clavibus ibidem claudatur, quæ duobus canonicis continue residentibus reservandæ committantur.

Volumus etiam ut canonici vestri in minoribus ordinibus constituti infra annum ad ordinem subdiaconatus promoveantur, nec aliquis in vicarium admittatur, nisi saltem sit subdiaconus, vel ad eumdem ordinem in proximo velit & possit promoveri.

Hæc omnia auctoritate domini legati qua fungimur in hac parte præcipimus perpetuo & inviolabiliter observari. Unde etiam horum omnium executionem magistro Gaufrido & F. decano consilii Lovaniensis duximus committendam. Datum Wariæ, anno Domini MCCXXX. mense Julio.

Infra pendent sigilla tria.

CONVENTIO
inter S. Ludovicum regem & Mathildem comitissam Boloniensem.

Anno 1230. Ex ms. Colbertino.

UNiversis præsentes litteras inspecturis M. comitissa Boloniensis salutem. Notum facimus, quod cum contentio verteretur inter carissimum dominum nostrum regem Francorum illustrem LUDOVICUM pro se & filia nostra JOHANNA ex una parte, & nos ex altera, super eo quod nos petebamus ab ipso domino rege totam terram quam habebat pater noster REN. comes in Caleto, & apud Alisiacum, & comitatum Albæ-marlæ, quas terras dominus rex habebat in ballio suo nomine dictæ JOHANNÆ, quæ erat infra ætatem, exceptis terra de Alisiaco, & alia terra quam invenit in manu ROBERTI comitis, quas habebat de dono PHILIPPI comitis Boloniensis, ut dicitur, & nos dicebamus easdem terras ad nos pertinere, eo quod pater noster dederat in maritagio nobis, quando desponsata fuimus PHILIPPO filio claræ memoriæ regis Philippi, sicut dicebamus, & sicut dicebamus contineri in carta prædicti PHILIPPI regis, cujus forma hæc est:

PHILIPPUS Dei gratia Francorum rex. Noverint universi pariter præsentes & futuri, quod dilectus & fidelis noster REN. comes Boloniensis filio nostro PHILIPPO propter conventiones quæ erant inter nos & ipsum Philippum comitem super matrimonio ejusdem PHILIPPI & MATHILDIS filiæ suæ, dedit & assignavit totam terram quam habebat in Caleto tenendam & possidendam, excepta Insula-bona cum pertinentiis suis, & excepta terra de Alisiaco cum pertinentiis suis, quas dictus comes detinet tali modo, quod prædictæ terræ de Insula-bona cum pertinentiis suis, & de Alisio cum pertinentiis suis applicabuntur cum pretio rationabili, & dictus comes Boloniensis tenetur nobis reddere valorem terrarum illarum, unam medietatem scilicet ad quindenam Paschæ, & alteram medietatem ad festum S. Remigii singulis annis. Præterea dictus dominus Boloniensis dedit eidem PHILIPPO filio nostro totum comitatum Albæ-Marlæ, sicut illum tenebat possidendum, & retinet terram S. Richerii, quæ fuit Rogerii de Mortuo-mari & domum cum pertinentiis ejusdem, & quandocumque nos volemus, si nos non teneremus pro pagato de his partibus, poterimus reverti ad priores conventiones factas super maritagio dicti filii nostri PHILIPPI & MATHILDIS filiæ dicti comitis, sicut continebatur in cartis quæ exinde sunt conscriptæ, & idem comes tenetur illas nobis prosequi, quando eum exinde requisierimus, si de prædictis nos non haberemus pro pagato, sicut dictum est. Prædictus quoque comes Boloniensis, si vellet, ad easdem priores conventiones posset reverti sicut scriptæ sunt in cartis super maritagio illo factis, & nos tenemur illas prosequi eidem quando nos inde requireret. Et sciendum est quod si dictum assignamentum, quod dictus comes fecit PHILIPPO filio nostro, amplius valeret quam divisum sit in prioribus conventionibus, & in cartis exinde factis, tamen minus pagaret de eo quod pagare tenetur ad terminos qui præ-

scripti sunt de valore terrarum de Insula-bona & de Alisiaco, & eorum pertinentiis. Quod ut firmum habeatur & stabile, præsentem paginam sigilli nostri auctoritate roboramus. Actum apud S. Germanum in Laia anno ab Incarnatione Domini MCCX. mense Maio.

Et secundum verba prædictæ cartæ petebamus jus a domino nobis exhiberi, & judicium nos recipere in curia sua super hoc concessimus; renunciantes omnibus aliis cartis pertinentibus ad querelam supradictam, quæ domino regi possent nocere & nobis prodesse; & dominus rex super his debebat habere consilium respondendi & jus nobis faciendi. Super prædictis autem ante responsionem & judicium ipsius domini regis de consilio bonorum virorum, de voluntate sua & nostra fuit ordinatum & concessum usque ad duodecim annos completos, ut usque ad mortem ejusdem JOHANNÆ, si contingeret eam infra ætatem mori, quod dominus avertat, tali modo scilicet, quod nos recipiemus annuatim ad scaquarios suos per manum ballivi sui nobis super hoc jurati medietatem omnium proventuum dictarum terrarum, exceptis terra de Alisiaco & aliis terris, quas PHILIPPUS comes quondam Boloniensis dicitur dedisse Roberto comiti Drocarum, & Pilata-villa, & alia terra quæ fuit vicedomini de Pinquingniaco, quæ sitæ sunt in Normannia, & non sunt de ordinatione ista. Præterea sciendum est, quod de communibus proventibus dictarum terrarum, salvis penitus proventibus terrarum quæ sunt exceptæ, reddentur eleemosynæ & feoda, & fient expensæ ad conservationem dictarum terrarum, & nemorum, & castrorum, & ad reparationem domorum, molendinorum, furnorum, granchiarum & calceiarum, vivariorum & ballivorum, & servientium, & aliorum similium, quæ pertinent ad communem terræ sustentationem, sine constructione novorum ædificiorum. Completis autem XII. annis vel decedente dicta JOHANNA infra XII. annos, quod Deus avertat, omnia jura tam ipsius domini regis quam dictæ Johannæ, quam etiam nostra erunt in eo statu & puncto, in quo erant antequam ordinatio ista facta esset: ita scilicet quod propter ordinationem istam ex tunc nulli erit jus acquisitum vel diminutum. Hæc omnia supradicta ordinata fuerunt, salvo in omnibus jure domini regis & heredum suorum, & jure dictæ Johannæ filiæ nostræ, & jure nostro, & heredum nostrorum, qui in prædictis debent jus habere, & omni jure alieno. In cujus rei testimonium, de assensu ejusdem domini regis & nostro sigillum nostrum præsentibus litteris duximus apponendum. Actum Parisius anno Domini MCCXXX.

CARTA S. LUDOVICI REGIS Francorum.

De compositione cum burgensibus Rupellæ.

Anno 1231. *Ex ms. Colbertino.*

LUDOVICUS, &c. Notum, &c. quod cum contentio mota esset inter burgenses nostros de Rupella ex una parte, & alienos homines ex altera; super eo quod dicti burgenses nostri de Rupella dicebant ex antiqua consuetudine se habere vina aliena in eadem villa Rupellæ nullatenus receptare; tandem dilecti & fideles nostri comites H. Marchiæ & Theobaldus de *Blazon* senescallus noster in Pictavia, volentes indemnitati totius gentis nostræ terræ de partibus illis sollicite providere, proborum virorum consilio habito, tractaverunt super hoc cum dictis burgensibus in hunc modum; videlicet quod dicti burgenses de Rupella sustinebunt pacifice, & quiete quod omnes homines de terra nostra, & eorum hominum qui in nostro servitio sunt vel erunt, a tempore vindemiarum usque ad festum B. Andreæ singulis annis in prædicta villa de Rupella vina sua undecumque venerint deponent, & vina ibidem deposita licebit eis vendere, & de vinis suam facere voluntatem. Sed elapso illo termino ex tunc inantea nullus de terra nostra vel aliunde vina in sæpedicta villa de Rupella, nec per mare nec per terram deponet. Nos autem conventiones prædictas volumus in perpetuum permanere, & in hujus rei testimonium sigillum nostrum præsenti paginæ duximus apponendum. Actum apud Bellum-montem anno Domini MCCXXX. mense Februario.

CARTA S. LUDOVICI REGIS Francorum pro Radulfo Filgeriarum domino.

Anno 1231. *Ex ms. Colbertino.*

LUDOVICUS Dei gratia Francorum rex. Noverint universi præsentes pariter & futuri, quod nos RADULFO de Filgeriis reddidimus terram suam de Normannia, quam in manu nostra tenebamus, & pro eadem terra fecit nobis homagium ligium sicut feodum apportat ad usus & consuetudines Normanniæ. Præterea quoniam a prælatis & baronibus regni nostri erat judicatum, quod PETRUS quondam comes Britanniæ, propter ea quæ messecerat contra nos, amiserat per jus ballum Britanniæ, & quod omnes fidelitatem vel homagium ratione illius balli mihi pro eo facere tenebantur: idem RADULFUS ad nos accedens fecit nobis homagium ligium de Foucheriis, & de omnibus quæ tenere solebat a dicto P. quondam comite Britanniæ, salvo jure heredis Britanniæ quando venerit ad ætatem XXI. annorum, dum tamen

tunc faciat nobis dictus heres quod facere debebit. Tradidit etiam nobis idem Radulfus castrum de Fougeriis ad ponendum ibi garnisionem nostram, si velimus, & ad guerreandum regem Angliæ; & dictum P. quondam comitem Britanniæ & suos: ita tamen quod si treugæ caperentur inter nos & regem Angliæ & dictum Petrum quondam comitem Britanniæ, idem Radulfus rehahaberet idem castrum: & si guerra iterum moveretur, idem Radulfus nobis redderet dictum castrum, salvo eo quod dictum est, de herede Britanniæ supradicto. Nos autem in dicto castro Fougeriarum ponemus, si voluerimus, garnisionem nostram sive magnam sive parvam, prout viderimus opus esse, cum consilio dilecti & fidelis nostri Andreæ de Vitriaco. Tenebimus etiam eidem Radulfo ad denarios nostros usque ad triginta milites de militibus dicti Radulfi, quamdiu guerra nostra durabit usque ad prædictam ætatem heredis Britanniæ, vel in dicto castro, vel ubi viderimus expedire. Et idem Radulfus, si voluerit, erit in garnisione dicti castri: ita tamen quod gentes nostræ, si nobis placuerit, habeant potestatem ejusdem castri. Si etiam nobis placeret eidem Radulfo durante guerra tradere dictum castrum, ipse illud ad servitium nostrum bene & fideliter servare tenetur, & tamen inimicos nostros guerreare. Nos autem eidem Radulfo concessimus quod nec pacem nec treugam faciemus, per quam idem Radulfus ad homagium vel servitium regis Angliæ vel dicti P. revertatur. Si etiam idem castrum obsideretur a rege Angliæ, vel dicto P. quondam comite Britanniæ, vel suis; nos eidem tamquam feodo nostro succurreremus. Omnes autem conventiones nostras prædictas juravit super sancta dictus Radulfus se firmiter servaturum. Juravit etiam quod bene & fideliter serviet nobis, & quod forteritias suas tradet nobis, vel mandato nostro ad magnam vim & parvam, quotiens a nobis seu mandato fuerit super hoc requisitus, salvo eo quod dictum est de herede Britanniæ supradicto. Debet etiam idem Radulfus nobis facere haberi juramenta militum totius terræ suæ. Quod si idem Radulfus defecerit in aliqua prædictarum conventionum observanda, ipsi ad nos se tenebunt donec id fuerit emendatum. Super prædictis autem conventionibus ab eodem Radulfo firmiter observandis, dilectus & fidelis noster FULCO PAGANELLI erga nos pro eodem Radulfo se plegium obligavit, manu capiens super totum illud quod tenet de nobis quod prædictus Radulfus conventiones præmissas fideliter & firmiter observabit: ita quod si idem Radulfus defecerit in aliqua prædictarum conventionum observanda, nos ad totum illud, quod idem Fulco tenet de nobis sine messacere poterimus assignare. In cujus rei, &c. Actum apud Atheias anno Domini MCCXXX. mense Martio.

LITTERÆ JOHANNIS Leodiensis episcopi pro capitulo sancti Martini Leodiensis.

Ut in ecclesiis parrochialibus, in quibus jus personatus & patronatus habent, vicarios perpetuos ponere possint.

JOHANNES Dei gratia Leodiensis episcopus dilectis in Christo filiis decano & capitulo S. Martini Leodiensis, salutem & paternam in Domino dilectionem. Cum quasdam ecclesias parrochiales habeatis, in quibus deservire personaliter non potestis, nos animarum vestrarum & parrochianorum illarum ecclesiarum saluti providere volentes, auctoritate præsentium vobis indulgemus, ut in prædictis ecclesiis, in quibus jus personatus & patronatus dinoscemini obtinere, liceat vobis auctoritate nostra per vicarios perpetuos & idoneos deservire: ita quod ipsi curam suscipiant animarum, & juxta ordinationem prudentium aliquorum, de ipsarum ecclesiarum proventibus congruam recipiant portionem, videlicet VIII. marcarum Leodiensium & VI. modios speltæ, nobis & successoribus nostris & archidiaconis loci de suis juribus responsuri, nec alicui de canonicis vestris de cetero conferantur, vosque residuum in usibus vestris libere ad servitium horarum convertatis. Et si quid de aliquo vicariorum ipsorum humanitus contigerit, vel alio modo cesserit, volumus ut decedente uno vel cedente, alius per vos sub eadem provisione substituatur ibidem. Datum anno Domini MCCXXXI. mense Maio.

Anno 1231. Ex ms. Cl. V. domini de Louvrex.

LITTERÆ GUIDEMARI de Leonio.

De hominagio suo.

EGO Guidomarus de Leonio notum facio universis ad quos litteræ præsentes pervenerint, quod ego carissimo domino meo LUDOVICO regi Francorum illustri feci hominagium de toto feodo meo de Britannia: ita quod tenebo illud a domino rege usque ad legitimam ætatem heredis Britanniæ, scilicet viginti & unius annorum, dum tamen tunc faciat dictus heres domino regi de dicto feodo quod debebit, & dominus rex tenebit mihi quindecim milites ad denarios suos quamdiu guerra durabit, & dabit mihi mille libras Turonenses, si guerra sit: si vero treuga sit, idem dominus rex dabit mihi septem millia solidorum Turonensium; & cum guerra inceperit, perficientur mihi dictæ libræ mille ad terminos rationabiles persolvendæ. De prædicta vero pecunia jam recepi a domino rege septem mille

Anno 1231. Ex ms. Colbertino.

le solidos Turonenses, nec potest dominus rex facere pacem vel treugam cum PETRO comite Britanniæ: ita quod ego vel illi, qui se tenebunt mecum ad servitium domini regis, remaneamus in homagio & obedientia dicti Petri comitis Britanniæ, nec de cetero ego vel ipsi ad hominagium vel servitium ejusdem comitis revertemur. In cujus rei testimonium, &c. Actum anno Domini MCCXXXI. mense Maio.

LITTERÆ HENRICI DE AVAUGOR.

De eodem.

Anno 1231 Ex ms. Colbertino.

EGo Henricus de Avaugor notum facio universis ad quos litteræ præsentes pervenerint, quod ego carissimo domino meo LUDOVICO regi Francorum illustri feci hominagium de toto feodo meo de Britannia: ita quod illud tenebo ab eodem domino rege usque ad legitimam ætatem heredis Britanniæ, scilicet viginti & unius annorum, dum tamen tunc faciat dictus heres domino regi de dicto feodo suo quod debebit, & si dominus rex habuerit a domino Drocone de [a] Melloto castrum de (a) *Gaerclip*, traderet illud mihi, quamdiu guerra durabit, & ego tradam eidem domino regi duos filios meos primogenitos in hostagium: finita autem guerra, dominus rex habebit, si voluerit, dictum castrum, & ego filios meos rehabebo. Si autem dominus rex prædictum castrum non habuerit a dicto Drocone, providebit mihi dominus rex de alio securo receptaculo, ubi possimus ego & uxor mea & familia receptari. Præterea dominus rex debet mihi tenere ad denarios suos viginti quinque milites, quamdiu guerra durabit. Insuper dominus rex dabit mihi, si guerra fuerit, duo millia librarum Turonensium ad terminos rationabiles solvendarum, & duos equos. Si vero treuga sit, habebo trecentas marchas argenti, & cum guerra inceperit, perficientur mihi prædicta duo millia librarum ad terminos rationabiles solvendarum. De prædicta vero pecunia jam recepi a domino rege trecentas marchas argenti. Insuper dominus rex non potest facere pacem, nec treugam cum PETRO comite Britanniæ: ita quod ego vel illi, qui se tenebunt mecum ad servitium domini regis remaneamus in hominagium & obedientia dicti comitis, nec de cetero ad hominagium vel servitium dicti comitis revertemur. Præterea si dominus rex acquisierit terram, quam pater meus & ego post mortem ipsius tenuimus, reddet mihi jus meum, scilicet legitimam inquisitionem, quam super hoc faciet usque ad prædictam ætatem heredis Britanniæ, & tunc de ea suam faciet voluntatem. In cujus rei testimonium, &c. Actum anno Domini MCCXXXI. mense Maio.

(a) Forte *Guarplic*, de quo Rigordus in vita Philippi Augusti.

ALIÆ LITTERÆ HENRICI de Avaugor.

Anno 1231 Ex ms. Colbertino.

EGo HENRICUS de Avaugor miles, notum facio omnibus ad quos præsentes litteræ pervenerint, quod ego castrum *Guerclim*, quod carissimus dominus meus LUDOVICUS rex Francorum illustris mihi tradidit custodiendum, ipsi & heredibus ipsius vel eorum certo nuncio super hoc suas patentes litteras deferenti, reddere teneor, ac deliberare in eo statu & puncto, in quo erat quando illud mihi tradidit custodiendum, quotienscumque ab eodem domino rege vel heredibus suis super hoc fuero requisitus. Hoc autem promisi & super sacrosancta juravi me bona fide firmiter & fideliter observaturum. In cujus rei testimonium, &c. Actum apud Vicenas anno Domini MCCXXXI. mense Junio.

LITTERÆ TINGER FILII alterius.

De fideli servitio.

Anno 1231 Ex ms. Colbertino.

EGo Tinger filius alterius, notum facio omnibus præsentes litteras inspecturis, quod ego domino LUDOVICO regi Francorum illustri promisi firmiter & super sacrosancta juravi, quod ego bene & fideliter ei serviam in guerra sua, quamdiu durabit contra PETRUM dictum comitem Britanniæ usque ad legitimam ætatem heredis Britanniæ, videlicet viginti & unius annorum completorum, dum dictus heres tunc faciat eidem domino regi quod debebit. Juravi etiam quod toto posse meo dominum meum Gunnardum de Leonio in bono & fideli servitio ejusdem domini regis tenebo, & ad hoc quod in eo constanter laborabo. In cujus rei testimonium, &c. Actum Parisius anno Domini MCCXXXI. mense Junio.

LITTERÆ PETRI EPISCOPI Meldensis.

De promulgando interdicto ob collectum a Theobaldo comite pedagium.

Anno 1231. Ex cartario Meldensi.

P. Dei gratia Meldensis episcopus universis abbatibus, prioribus, decanis, presbyteris & aliis ecclesiarum prælatis in Meldensi diœcesi constitutis, salutem in Domino.

Cum nobilis vir THEOBALDUS comes Campaniæ de novo incœperit colligere pedagium Meldis ab hominibus nostris, & ab hominibus feodorum nostrorum, & ab hominibus capituli nostri, & ab hominibus aliarum ecclesiarum Meldensis diœcesis, & super hoc monitus noluerit desistere. Item

cum præpositus Meldensis cœperit nanta hominum dicti capituli Meldensis manentium, & monitus noluerit reddere vel recredere, & propter hoc sit excommunicatus, & dictus comes super hoc noluerit emendare; contra dictum comitem habito bonorum virorum consilio, ita duximus procedendum, quod nos homines communiæ comitis Meldensis, & alios ejusdem comitis homines Meldensis diœcesis, & loca ad quæ venerit quamdiu ibi erit, supposuimus interdicto. Quare vobis mandamus, quatinus dictos homines sub interdicto teneatis, & loca vestra cum ad ea dictus comes accesserit, similiter pro interdictis habeatis quamdiu ibi moram fecerit dictus comes in ipsius recessu organa vestra resumentes. Actum anno Domini MCCXXXI. die lunæ post festum S. Bernabæ apostoli.

LITTERÆ HENRICI archiepiscopi Coloniensis pro capitulo S. Martini Leodiensis.

Confirmat contenta in litteris Johannis Leodiensis episcopi.

Anno 1231. Ex ms. Cl. V. domini de Louvrex.

HENRICUS Dei gratia Coloniensis archiepiscopus omnibus præsentes litteras inspecturis salutem. Notum esse volumus, quod nos gratiam & indulgentiam, quam venerabilis frater Leodiensis episcopus decano & capitulo S. Martini in Leodio super parrochialibus ecclesiis quas conferunt, idoneis & perpetuis vicariis locandis & instituendis, qui curam animarum gerant, & congruam de fructibus earum percipiant portionem, sicut in litteris ejusdem, quas inspeximus, plenius continetur, ratam & firmam esse volentes, cum auctoritate nostra approbamus & confirmamus, inhibentes sub pœna excommunicationis, ne quis contra eam venire, vel aliquid immutare audeat vel præsumat. Datum anno Domini MCCXXXI. mense Julio die Processi & Martiniani.

LITTERÆ REGIS ANGLIÆ.

De treuga anno Domini MCCXXXI.

Anno 1231 Ex ms. Colbertino.

HENRICUS rex Angliæ, dominus Hiberniæ, dux Normanniæ & Aquitaniæ, comes Andegaviæ, omnibus ad quos præsentes litteræ pervenerint salutem. Noverint universi quod in præsentia B. prioris sancti Martini de Campis, quem LUDOVICUS rex Francorum illustris propter hoc ad nos destinavit, fecimus dilectum & fidelem nostrum Radulfum filium Nicolai senescalli nostri jurare in animam nostram, quod treugas nuper initas inter ipsum regem Francorum & nos per dilectos & fideles nostros PETRUM ducem Britanniæ & comitem Richemundiæ, & RANULFUM comitem Cestriæ & Lincolniæ bona fide faciemus observari, sicut continetur in litteris hinc inde confectis super prædictis treugis, prædictos comites & litteras ipsius senescalli patentes dicto domino regi transmisimus. Idem vero prior cui præfatus dominus rex Francorum dederat potestatem jurandi in animam ipsius regis, quod prædictas treugas ex parte sua bona fide faceret observari, sicut ipse rex per litteras suas nobis significavit, hoc idem in animam ipsius regis in præsentia nostra juravit. Fecimus etiam dilectos & fideles nostros RICHARDUM fratrem nostrum comitem Pictaviæ & Cornubiæ, & H. de Burgo comitem Ranc. justitiarium nostrum jurare. Ipsi inducent nos & monebunt bona fide & pro posse suo, quod treugas prædictas firmiter & bona fide faciemus observari, & eas per se & suos bona fide observabunt, & litteras ipsorum comitum patentes præfato domino regi transmisimus. In cujus rei testimonium has litteras nostras patentes fieri fecimus teste me ipso apud castrum anno regni nostri XV.

LITTERÆ COMITIS RICHARDI.

Pro eodem.

Anno 1231. Ex ms. Colbertino.

OMnibus Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis, R. comes Pictaviæ & Cornubiæ salutem. Noveritis quod nos præsente domino nostro H. rege Anglorum illustri, & præsente priore B. Martini de Campis nuncio domini regis Franciæ, tactis sacro-sanctis, juravimus quod nos ipsum dominum regem Anglorum monebimus, & pro posse nostro fideliter inducemus ad observandam treugam initam inter ipsum dominum regem Francorum & regem nostrum per P. comitem Britanniæ, & R. comitem Cestriæ, & quod ipsi eam fideliter tenebimus pro posse nostro, pro nobis & nostris. Valete.

LITTERÆ SENESCALLI ANGLIÆ.

De eodem.

Anno 1231. Ex ms. Colbertino.

OMnibus ad quos præsentes pervenerint RADULFUS filius Nicolai senescallus domini regis Anglorum salutem. Ad omnium notitiam volumus pervenire, me de præcepto domini mei HENRICI Anglorum regis illustris, in animam ejus jurasse, præsente B. priore sancti Martini de Campis nuncio LUDOVICI illustris regis Francorum, & prædictum dominum meum regem Angliæ per viros nobiles comitem Britanniæ & comitem Cestriæ nuper initas treugas firmiter & bona fide faciet observari: & in hu-

jus rei testimonium has litteras meas fieri A feci patentes. Valete.

LITTERÆ HUBERTI DE BURGO.

De eodem.

Anno 1231. Ex ms. Colbertino. Omnibus Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis, H. de Burgo comes Ranc. justitiarius Angliæ salutem. Noveritis quod nos præsente domino nostro H. rege Angliæ illustri, & præsente priore B. Martini de Campis nuncio domini regis Franciæ tactis sacro-sanctis juravimus, quod nos ipsum dominum regem nostrum Anglorum monebimus, & pro posse nostro fideliter inducemus ad observandam treugam initam inter ipsum dominum regem Francorum & regem nostrum per P. comitem Britanniæ & R. comitem Cestriæ, & quod nos ipsi eam fideliter tenebimus, pro posse nostro pro nobis & nostris. Teste meipso apud Castrum Mathild. tricesima prima die [a] Augusti, anno regni domini regis xv. (a)

CARTA JOHANNIS ABBATIS Alciacensis.

De commutatione facta cum rege pro terris quas in parco Hesdini includi fecit.

Anno 1231. Ex ms. Colbertino. [b] JOHANNES divina miseratione abbas (b) Alciacensis totusque ejusdem loci conventus, universis præsentes litteras inspecturis salutem in Domino. Noveritis quod cum claræ memoriæ LUDOVICUS primogenitus regis pro terra, aqua & nemore, quæ in parco Hesdini includi fecit, octo libras Parisienses annuatim ad reditus præposituræ Hesdini recipiendas nobis dedisset, & per cartam suam confirmasset, donec sufficiens excambium assignaret; tandem LUDOVICUS Franciæ rex illustris ejus filius excambium sufficiens, scilicet sexaginta mensuras terræ quas ad opus ecclesiæ fecit comparari, in comitatu Hesdini nobis assignavit, & pacifice in perpetuum nobis possidendas concessit. Nos autem prædictas octo libras nobis assignatas perpetuo quittamus, & cartam nostram super hoc confectam reddidimus, contenti de cetero escambio nobis assignato. In cujus rei, &c. Actum apud sanctum Audomarum anno Domini MCCXXXI. mense Septembri.

LITTERÆ SANCTI LUDOVICI regis Francorum.

De restauratione damnorum episcopo Abrincensi illatorum pro firmitate villæ facienda.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Amen. LUDOVICUS, &c. Noverint universi, quod nos in recompensationem damni illius quod dilectus & fidelis noster GUILLELMUS episcopus Abrincensis incurrit in jardino suo apud Abrincas sito, in quo fossata castri nostri ad eamdem villam infortiandam fieri fecimus, eidem dedimus & assignavimus duodecim libratas Turonensis monetæ percipiendas ab eodem & ejus successoribus libere & quiete singulis annis apud Abrincas, in præpositura nostra Abrincatensi, ipsa die festi S. Michaëlis, per manum præpositi nostri Abrincatensis. Quod ut perpetuæ firmitatis, &c. Actum Parisius anno dominicæ Incarnationis MCCXXXI. mense Novembri, regni vero nostri anno quinto, astantibus in palatio nostro quorum nomina supposita sunt & signa. Dapifero nullo, ROBERTO buticulario, S. BARTH. camerarii, S. AMAURICI constabularii. Data vacante cancellaria. Anno 1231. Ex ms. Colbertino.

HÆC EST FORMA DE STATU mortis (c) Lantgraviæ de Thuringia. [c]

DOminica ante octavam Martini post matutinas, confessionem ipsius audivit magister Conradus (d) de *Marburg* Prædicator. Tamen nihil inconfessum recogitavit. De testamento ipsius ordinando cumquæreret, ipsi respondit: « Mirabiliter quæritis, cum sciatis quod ipsa die, quando vobis » feci obedientiam, primum propriæ voluntati, postea pueris meis, deinceps omni » voluptati corporali & sæculo abrenunciavi; postea terrenas possessiones habendas » propter reddenda debita & largitiones » eleemosynarum promisi tantum retinere » secundum voluntatem vestram, unde » quandocumque potero a vobis habere licentiam, omnia libentissime relinquam; » ita quod de quotidiana eleemosyna vivam in recluso ab aliis pauperibus accipienda. » Et his dictis omnia quæ videbatur habere ipsius reliquit ordinationi, ut omnia quæ haberet ad usus pauperum converteret. Præmissum etiam votum & renuntiatio utique ipsa die facta est, quando post Anno 1231. Ex ms. Liesbornensi. [d]

(a) Has litteras in eodem codice sequitur Henrici regis Angliæ carta data apud *Vuillem* anno xi. regni sui de treuga inita cum rege Francorum usque ad festum sancti Johannis, quæ apud Reymerum extat.

(b) Alciacum abbatia ordinis sancti Benedicti in diœcesi Boloniensi a celebri olim monasterio Sithiensi seu S. Bertini dependens, de qua vide Johannem Iperium t. 3. Anecd.

(c) Sanctæ Elizabeth regis Hungarorum filiæ, cujus vitam prolixius descriptam habes apud Surium decima nona Novembris.

(d) Ipsius fit mentio in epistola Gregorii papæ IX. ad Henricum Friderici II. imperatoris filium tomo primo Anecdotorum.

mortem mariti sui habitum religionis assumsit. Postea prædicta dominica cantata missa corpus Domini accepit, quo accepto, tota die collationem habuit de evangeliis & optimis quæ in prædicationibus audierat. Tandem post vesperas seriatim cœpit recitare evangelium de suscitatione Lazari, & de vita & sermonibus Mariæ & Marthæ sororum ejus, sicut in evangelio continetur, postea quomodo Dominus ter flevit, scilicet in prædicta suscitatione Lazari, & super Jerusalem & in cruce, & per hæc verba quidam religiosi & quædam religiosæ circa eam sedentes in fletum excitabantur. Nam omnes sæculares personas duobus diebus ante suum obitum rogaverat excludi, ne impedirent ejus meditationem. Dixit enim se in mente velle revolvere de omnipotente Judice & de gloriosa societate, quam se speraret post hanc vitam habituram, assumto textu passionis, ubi Dominus crucem bajulavit & sequebantur eum mulieres a longe, hæc verba Domini sæpius circumsedentibus & plorantibus dixit: *Filiæ Jerusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas.* In talibus collationibus, ab hora tertia diem expendit usque paulo ante mediam noctem. Circa mediam noctem submissa voce, omnibus qui circa ipsam erant silentium indixit, & ita quasi suavissime obdormiendo expiravit. Sciatis etiam quod ipsa dixit tertio die ante mortem ejus, tantum se habere eximiam debilitatem, & non aliquem dolorem. Unde licet ægrotasset plusquam XV. diebus, tamen nulla signa mortis habuit, nisi tantum defectum naturæ. Dixerunt etiam quædam religiosæ, necnon & ejus filia, quod aliquot diebus ante ejus obitum dulcissimum cantum sine motu labiorum in gutture ejus audierunt circa eam fuisse. Sciatis etiam certissime quod ipsa magistro C. dum sana adhuc fuisset de morte sua prædixerat, & alia plura quæ scilicet digna essent relatione, & multos possent lætificare, quæ tamen expedit sub silentio præterire, donec videamus quid Dominus in futurum circa famulam suam velit operari.

Hæc miracula operatus est Dominus per Lantgraviam.

Secunda die post ejus sepulturam curatus est ad ejus sepulchrum quidam monachus ordinis Cisterciensis a morbo quem plusquam XL. annis habuerat.

In vigilia B. Sebastiani, quidam cœcus puer, cui carnes aspectu horribiles excreverant de oculis, ad ejus invocationem clarissimis sibi oculis restitutis est illuminatus.

Quædam femina rabida, ita quod dentitibus & manibus laniavit quidquid rapere potuerat, in octava sanctæ Agnetis curata est.

Quidam servus de caduco morbo est curatus.

Quidam nobilis de fluxu sanguinis, quem impetuosissime habebat, juxta capellam in qua quiescit ad ejus invocationem est curatus.

Quidam mutus & penitus insanus ad ejus invocationem est curatus.

Quædam habens vertiginem capitis, ita quod in pluribus annis raro obdormierit, per eam soporis gratiam recepit.

Quædam religiosa de *Marburg* quæ omnino fuit surda, in dominica *Exurge* auditum recepit.

In dominica *Invocavit* est curatus quidam puer contractus de *Burbach*, & ipso die vir quidam de *Medebach* uno crure claudus gressum recepit.

In dominica *Reminiscere* quædam surda est curata.

Sexta feria sequente quidam qui X. septimanis fuerat rabidus, quod dicitur vulgo *Abende*, ad ejus invocationem est curatus.

Quinta feria ante dominicam *Lætare* quidam puer qui a die nativitatis suæ præter quindecim dies cœcus effectus est, per ipsam visum recepit.

EPISTOLA INGELRANNI de Codiciaco ad Theobaldum comitem Campaniæ.

Ut Guillelmum de Dampetra ad suum servitium attrahere studeat, &c.

CHarissimo domino suo THEOBALDO comiti Campaniæ & Briæ palatino INGELRANNUS dominus Cociaci salutem & paratum in omnibus obsequium. *Ex ms. reginæ Sueciæ eruit Mabillonius.*

Sciatis quod si dominum GUILLELMUM DE DAMPETRA ad servitium vestrum possetis attrahere, multum vobis laudo, & multum vobis cederet ad honorem, si imprisam, quæ, sicut dicitur, adversum vos & nos incœpta erat, disrumpere possitis, & illud cederet ad dedecus, quæ imprisiam illam, ut dicitur, incœperant, nisi eis quibus imprisierant, auxilientur, & levius poteritis inimicos vestros quemque, quam simul omnes vincere. Sciatis autem quod super hoc inter me & comitem locuti fuimus super Suessu, quando dominus rex ibi fuit, & dominus comes prædictus, quæ diximus debebat vobis significare, & adhuc vobis laudo & consulo, ut cum comite supradicto super hoc loquamini, & consilio ejus uti velitis. Sciatis insuper quod ipsa die quando litteræ vestræ ad me venerunt, mihi verissime dictum fuit, quod dominus Guillelmus de Dampetra sororem comitissæ Flandrensis dominam Hannoniensem duxerat in uxorem. Ad mandatum autem vestrum, ut mihi mandastis, apud Sparnacum libenter accedam.

EPISTOLA ALANI de *Joincourt* ad Theobaldum Campaniæ comitem.

Quidquid dominus Turni apud Visiacum possidet ab ipso movere.

Ex ms. reginæ Sueciæ eruit Mabillonius.

CHarissimo domino suo viro illustri THEOBALDO Campaniæ & Briæ comiti Alanus de *Joincort* salutem & paratum in omnibus servitium.

Scire vos volo, quod quidquid dominus Turni habet apud Visiacum, est de nostro feodo & movet de vobis, quamvis JOHANNES filius domini comitis Suessionensis dominus Turni, dicat se illud tenere & movere a domino INGUERRANDO de Coci. Et hoc paratus sum ubique testari & retinere in curia vestra ubicumque debebo. De hoc etiam vobis ferent testimonium omnes milites feodati de Castellania castri Portuensis. Ego siquidem aliquoties ex mandato dominæ meæ matris vestræ saisivi terram de Turno, & habebam quamdiu saisina durabat apud Visiacum meos custodes proprios, qui propter saisinam tenebant & levabant omnes exitus & proventus, quos dominus Turni habebat in eadem villa. Propter hæc vobis laudo & consulo bona fide, sicut homo vester, quatenus non permittatis dictum JOHANNEM advocare feodum vestrum de alio quam de vobis, nec tenere. Istud enim vobis verteretur ad dedecus & damnum.

NOVA CONFOEDERATIO facta inter Fridericum imperatorem & Ludovicum regem Francorum filium illustris Ludovici.

Anno 1232. Ex ms. Colbertino.

FREDERICUS Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem & Siciliæ rex. Sinceræ dilectionis affectus, quem ad carissimum amicum nostrum & fratrem LUDOVICUM regem Francorum illustrem habuimus & habemus, sollicite nos admonet & inducit, ut verum amicitiæ fœdus, quod ei servavimus hactenus, illibatum stabilitate perpetua fortius roboremus & firmiter innovemus. Noverint igitur universi, præsentes pariter & futuri, quod nos subscriptam confœderationem & amicitiam cum præfato rege & ipsius heredibus postmodum duximus iniendam. In primis non erimus dicto, facto, vel assensu, qualiter idem rex, & heredes ejus vitam aut honorem amittant, seu captionem corporum habeant, & si aliquod istorum sciverimus, illud disturbabimus bona fide. Quod si disturbare non poterimus, significabimus eis, aut alicui vel aliquibus personis bona fide, quæ hoc valeant disturbare, seu per A aliquam vel per aliquas personas significabimus ipsis eisdem. Item, non consentiemus quod de imperio nostro, & hominibus ejusdem imperii nostri, alicui vel aliquibus, qui contra prædictum regem & ejus heredes in personis honoribus & terris eorum quicquam fecerint, vel facere attentaverint, tam de personis, quam de rebus aliquod subsidium tribuatur, sed prorsus inhibebimus, quod non fiat, & ne fiat disturbabimus bona fide. Insuper nos homines regni sui vel ad regnum suum pertinentes, contumaces, aut eidem rebelles, seu moventes B guerram contra ipsum regem & heredes ipsius, vel foribannitos regni sui non receptabimus, nec receptari faciemus, nec in imperio nostro ubi potestatem habeamus, per nos aut amicos nostros sustinebimus receptari, postquam idipsum ex parte ipsorum nobis fuerit intimatum, sed eos ubicumque inveniri poterunt per imperium nostrum capi faciemus in rebus pariter & personis bona fide, ubi potestatem super hoc habeamus. De rege Angliæ sic erit, quod nullam cum eo amicitiam seu confœderationem faciemus, nec a nostris fieri C permittemus, ubicumque potestatem impediendi habeamus sine voluntate prædicti regis Francorum, & hanc confœderationem fecit nobiscum bona fide idem rex LUDOVICUS, quod non erit dicto, facto, consilio, vel assensu, qualiter nos & heredes nostri vitam aut honorem amittant, seu captionem corporum habeamus, & si aliquid istorum sciunt, illud disturbabit bona fide, quod si disturbare non poterit, significabit nobis, aut alicui vel aliquibus personis bona fide, quæ hoc valeant disturbare, seu per aliquam seu aliquas personas, significabit nobis ipsis. Item, non consen-D tiet quod de regno suo & hominibus ejusdem regni sui vel aliquibus, qui circa nos & heredes nostros in personis, honoribus, terris nostris quicquam fecerint vel facere attentaverint, tam de personis quam de rebus aliquod subsidium tribuatur: sed prorsus inhibebit, quod non fiat, & ne fiat disturbabit bona fide. Insuper idem rex homines imperii nostri ad imperium nostrum pertinentes contumaces, aut nobis rebelles, seu moventes guerram contra nos & heredes nostros, vel foribannitos impe-E rii nostri non receptabit, nec receptari faciet, nec in regno suo ubi potestatem habeat per se aut homines suos sustinebit receptari, postquam idipsum ex parte nostra sibi fuerit intimatum; sed eos ubicumque inveniri poterunt per regnum suum capi faciet in rebus pariter & personis bona fide, ubi super hoc potestatem habeat prædictam. Itaque confœderationem præcepimus & injunximus jurandam pro nobis & in anima nostra a dilecto familiari nostro

magistro Henrico venerabili Catanensi A electo, & Henrico de Aquisgrani camerario fidelibus nostris. Acta sunt hæc anno dominicæ incarnationis MCCXXXII. mense Maii quintæ indictionis. Datum apud Portum-Naonis in Foro-julii, anno, mense & indictione intitulatis.

CARTA S. LUDOVICI REGIS.

De capella Nongenti.

Anno 1233. *Ex ms. Colbertino.*

IN nomine, &c. Ludovicus, &c. Notum, &c. quod cum dilecti nostri abbas & conventus Columbensis unum e suis monachis, quem vellemus qui in capella castri nostri de Nogento missam cum horis ca- B nonicis diebus singulis celebrabit, nobis liberaliter concessissent: quem monachum pro voluntate nostra, & quotiens nobis placuerit, poterimus amovere, alium ejusdem loci monachum, quem voluerimus substituentes ibidem. Nos devotione dictorum abbatis & conventus pensata, pro anima inclytæ recordationis Ludovici genitoris nostri regis Francorum illustris & nostra, eisdem ad opus suæ infirmariæ Columbensis concessimus & assignamus duodecim libras Parisienses in præpositura nostra de Nogento annuatim percipiendas, & a præposito nostro de Nogento, qui pro tempore C fuerit, sex videlicet libras in festo omnium sanctorum, & alias sex libras in festo beati Johannis-Baptistæ ipsi abbati & conventui persolvendas, parochiali presbytero de Nogento in recompensatione aliarum oblationum & aliorum proventuum, qui ex eadem capella sibi poterant obvenire, XL. solidos Parisienses annui reditus in eadem præpositura nostra de Nogento similiter assignantes, quorum medietatem in festo omnium sanctorum, & aliam medietatem in nativitate B. Johannis-Baptistæ a dicto præposito de Nogento recipiet & habebit. Quod ut, D &c. Actum apud Assuerum anno Domini MCCXXXII. mense Junio, regni vero nostri anno VI. astantibus, &c.

EPISTOLA ADEMARI abbatis Castrensis, ad Bonifilium abbatem Massiliensem S. Victoris.

Quosdam ab eo petit monachos, præsertim priorem & duos officiales.

Anno 1232. *Ex archivis S. Victoris eruit D. Furnerius.*

VEnerabili in Christo patri ac domino reverendo B. Dei gratia abbati monasterii sancti Victoris Massiliensis, sanctoque E conventui Massil. A. vocatus abbas monasterii sancti Benedicti Castrensis, cum debita reverentia & subjectione salutem.

Ego vester fidelis filius & devotus, quamvis debeo subjectionem humiliter recognoscens, ad vos sæpe laboravi clamando, ut ad vestrum monasterium Castrensem aliquos de vestris fratribus mitteretis pro solatio nostro, pro loco retinendo, pro religione fovenda: sed vos me hactenus non audistis. Adhuc tamen devotissima subjectione compulsus, vobis novissime duxi humiliter supplicandum, quatinus juxta mandatum domini (a) W. Tornacensis episcopi, [a] apostolicæ sedis legati, priorem, & alios saltem duos officiales ad prædictum monasterium mittere festinetis, quos post legatum ego eligo; scilicet P. de Sala, P. de Lum. Soë, B. de Monte-desiderio, & P. Bermundi qui prior existat, & mihi succedens in proximo, Deo dante, fit abbas, (b) [b] quia ego malitiam terræ ferre non sustinens, gravi & longo corporis languore percussus, in lecto ministrare non valens, quam a vobis habebam de facto abbatiam, renuntians penitus juri meo quod habebam a Deo, & a vobis ibidem. Verum quia ad se trahit periculum mora, non mihi, sed vobis amodo imputetis, si non sic, vel aliter præfato monasterio festinaveritis providere, scientes quod similiter & a monachis curritur ad legatum, qui conantur a vestra subjectione & obedientia resilire si possunt, maxime qui damnati sunt * cistmatici a legato. *l. schismatici. Quid autem super hiis vobis placuerit ordinare, mihi, si placet, celeriter rescribatis, dignantes me habere in vestris orationibus commendatum. Datum apud Saxum, in festo SS. Johannis & Pauli, anno Domini MCCXXXII.

CARTA S. LUDOVICI REGIS pro Domo-Dei Parisiensi.

Anno 1232. *Ex ms. Colbertino.*

IN nomine, &c. Ludovicus, &c. Notum, &c. quod nos intuitu pietatis, & pro salute animæ claræ memoriæ Ludovici genitoris nostri, & Philippi avi nostri regum Francorum illustrium, & nostra, & ob remedium etiam animæ carissimæ matris nostræ Blanchæ illustris Francorum reginæ, & prædecessorum nostrorum, dedimus & concessimus in puram & perpetuam eleemosynam Domui-Dei Parisiensis viginti libras Parisienses percipiendas singulis annis in præpositura nostra Parisiensi in festo octavarum omnium sanctorum pro coopertoriis emendis ad opus & usum pauperum ejusdem Domus-Dei deputatis. Quod ut, &c. Actum apud S. Germanum in Laya, anno dominicæ incarnationis MCCXXXII. mense Decembri, regni vero nostri anno

(a) Vualterii episcopi Tornacensis, qui teste Vuillelmo de Podio Laurentii capite quadragesimo primo adversus Albigenses legatus a summo pontifice missus est, vir magnæ probitatis & prudentiæ.

(b) Non P. Bermundi, sed Audoinus post eum abbas Castrensis extitit, defunctus anno 1236. & sepulturæ traditus x. cal. Augusti, successorem sortitus Helesiardum de Severiaco decretorum doctorem, priorem de Chiriaco & monachum Massiliensem, ex archivis S. Victoris: qui duo abbates desiderantur in serie abbatum Castrensium.

VII. astantibus in palatio nostro &c. Data A vacante cancellaria.

LITTERÆ
de castello Duaceno quod Flandriæ comitissa posuit in manu regis ob securitatem conventionum.

Ex ms. Colbertino.

NOtum facimus, quod nos castelletum Duaci, quod dilecta & fidelis consanguinea nostra I. comitissa Flandriæ propter securitatem conventionum quas nobiscum habet, in manu nostra posuit, a nobis B per annum tenendum, eidem comitissæ vel ejus certo nuncio suas patentes litteras deferenti, quod nos tenemur reddere ab hac die lunæ post dominicam in Ramis palmarum quæ est XIII. die mensis Aprilis in annum.

LITTERÆ GAUFRIDI
[a] de S. (a) Leonardo.

Pro plegiatione fratris sui.

Anno 1233. Ex ms. Colbertino.

EGo Gaufridus de S. Leodegario miles C notum facio universis ad quos litteræ præsentes pervenerint, quod ego constituo me plegium erga carissimum dominum meum LUDOVICUM regem Francorum illustrem pro carissimo fratre meo GALTERO de S. Leodegario milite, quod per dictum Galterum domino regi vel regno suo nullum malum veniet: imo eidem bene & fideliter serviet, & de hoc constituo me plegium super totam meam terram. In cujus rei testimonium præsentibus litteris sigillum meum duxi apponendum. Actum apud Nongentum anno Domini MCCXXXII. mense D Martio.

LITTERÆ STEPHANI ABBATIS
Savigniacensis ad sanctimoniales Portus-regii.

Declarat ultra sexaginta moniales in monasterio nullam in posterum admittendam.

Anno 1233 Ex cartario Portus-regii.

REligiosis in Christo dilectis filiabus abbatissæ & conventui de Portu-regis, frater STEPHANUS dictus abbas Savigniaci, salutem & continuos in religionis fervore E profectus.

Capitulum generale pro exigentiæ debito merito sollicitum quomodo status ordinis inconcussus perseveret, statuit ut in domibus ordinis taxetur numerus certus perso-
[b] narum, (b) & maxime monialium: ita quod si abbatissa vel priorissa numerum sibi taxatum præsumat excedere, absque retractatione in continenti deponatur. Cum igitur non ratione sola derivationis Savigniacensis, sed etiam speciali ordinatione capituli generalis nobis cura domus vestræ suprema fuerit commissa, maxime quantum ad receptionem personarum ibidem, convocatis apud Valles Sarnaii administratoribus, tam religiosis quam sæcularibus domus vestræ, intelleximus bona immobilia sæpedictæ domus vestræ vix posse sufficere ad monialium sexaginta sustentationem. Quapropter taxantes in domo vestra supradictum numerum monialium, auctoritate ordinis & capituli generalis districtius inhibemus, ne qua persona religiosa vel sæcularis dictum numerum taxatum præsumat excedere, assensu nostro speciali minime requisito & ordinate obtento: ne forte gente imprudenter multiplicata, compellantur filiæ Job in grave periculum animarum & famæ suæ læsionem non modicam mendicando inverecunde discurrere, vel sub prætextu necessitatis jura sibi vindicare proprietatis. In cujus rei testimonium litteras præsentes dedimus patentes. Datum anno Domini MCCXXXIII. mense Novembri.

CARTA HUGONIS DUCIS
Burgundiæ.

De emenda quam fecit domino regi apud Vicenas.

Anno 1234. Ex ms. Colbertino.

EGo dux Burgundiæ HUGO notum facio omnibus præsentes litteras inspecturis, quod ego carissimo domino meo LUDOVICO regi Francorum illustri emendavi ad voluntatem suam faciendam usque ad quinque millia marcharum argenti, hoc quod ego nobilem virum THEOBALDUM comitem Campaniæ ad mandatum ipsius volui assecurare, & de prædictis quinque millibus marcharum teneor eidem domino regi infra mensem Paschæ dare plegios competentes, tales scilicet carissimam dominam meam ducissam Burgundiæ pro duobus millibus marcharum, comitem Matisconensem, dominum Puisati, dominum Montis-regalis, Guillelmum de Monte S. Johannis, & dominum Montis-acuti, quemlibet horum pro sexcentis marcis. Et si aliquem vel aliquos illorum forsitan habere non possem, loco illorum quos habere non possem, teneor infra dictum terminum dare alios plegios competentes. Et sciendum quod si ego vel plegii mei deficeremus a solutione dictæ pecuniæ ad voluntatem

(a) Ita in ms. cum in carta legatur de S Leodegario.

(b) In capitulo generali anni 1233. statuto 7. hæc leguntur: *Patres abbates in visitationibus suis definitiones de ædificiis non faciendis & orationibus ordinatis, & de certo numero personarum faciant inviolabiliter observari.* Definitionem de certo numero personarum in monasteriis habemus in capitulo generali anni 1223. statuto 3. vide tom. 4. Thesauri Anecdot. pag. 1335.

ejusdem domini regis facienda, ipse post duos menses, ex quo ex parte ejus essemus super hoc requisiti, posset ad totum feodum meum quod de ipso teneo, sine se messacere, assignare, & in manu sua tenere, donec ipsi esset ad voluntatem suam plenarie emendatum, nisi ego in propria persona, pro eo quod deficeret ostagium tenerem Parisius. Eidem domino regi hæc omnia juravi super sacrosancta eidem domino regi a me bene & firmiter tenenda. Juravi etiam quod eidem & heredibus suis fidelis ero, & bene & fideliter ipsis serviam contra omnes gentes, & obediam ei sicut domino meo ligio. In cujus rei testimonium sigillum meum duxi præsentibus apponendum. Actum anno Domini MCCXXXIV. mense Aprili.

LITTERÆ HENRICI de Avaugor super castro de *Guerclin* tradendo avunculo suo.

Anno 1234. Ex ms. Colbertino.

EGo HENRICUS DE AVAUGOR notum facio omnibus præsentes litteras inspecturis, quod excellentissimus dominus meus LUDOVICUS Dei gratia Francorum rex illustris, de voluntate mea & ad petitionem meam domino JELINO avunculo meo castrum de *Guerclin* tradi fecit custodiendum per me & loco mei a domino Drocone de Melloto, & pro custodia ipsius ita me obligo versus dominum regem, quantum obligatus sum pro custodia mea per litteras meas & per plegios meos. Actum apud *Oudon*, anno gratiæ MCCXXXIIII. mense Augusto.

LITTERÆ G. ABBATIS S. Albini Andegavensis.

De concessione ecclesiæ S. Germani ad transferendos in eam canonicos S. Laudi.

Anno 1234. Ex ms. Colbertino.

UNiversis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis, G. divina miseratione humilis abbas, totusque conventus B. Albini Andegavensis salutem in Domino.

Noveritis quod cum decanus & capitulum ecclesiæ S. Laudi Andegavensis in ecclesia sua, quæ est infra clausuram castri Andegavensis, sine ejusdem castri periculo & divini officii detrimento, non possent commode commorari, excellentissimus dominus noster LUDOVICUS Dei gratia Francorum rex illustris, utilitati totius terræ & divinis officiis volens super hoc providere, dictos canonicos ad ecclesiam nostram S. Germani transtulit, nobis consentientibus, quibus super hoc porrexerat preces suas; & nos eidem suisque successoribus de communi assensu capituli nostri concessimus easdem libertates, & eumdem patronatum præbendarum & donum & idem posse per omnia in dicta ecclesia S. Germani, & in canonicis & in aliis personis ejusdem ecclesiæ, quæ ipse & antecessores sui in ecclesia S. Laudi hactenus habuerunt. In cujus rei testimonium dedimus eis præsentes litteras sigillorum nostrorum munimine roboratas. Actum anno Domini MCCXXXIV. mense Septembri.

NARRATIO de monialium *Brenckhausen* fundatione.

Anno 1234. Ex ms. Corb. nova.

ANno Domini MCCXXXIV. HERMANNUS Dei gratia abbas ecclesiæ Corbeiensis illustratus divino spiraculo, ut cultus divini numinis amplificaretur, de Yssenaco monasterio in *Turingen* situato, sanctimoniales accersiri procuravit, quibus ecclesiam in *Ottbergen* cum suis attinentiis est largitus. Porro cum ibidem Deo famulantes per biennium moram contraxissent, eisque locus ad habitandum displicuisset, ultra pontem Huxariæ ad S. Ægidium sese recipientes, per undecim annos sunt moratæ: quibus ibidem gratia Dei indesinenter adfuit, qui in se sperantes non relinquit. Odore sanctitatis earum auctoritatisque vitæ nonnumquam diffuso, cœperunt adolescentulæ nobilissimis ortæ natalibus post ipsas currere, eisque, spretis mundanis illecebris ac carnis voluptatibus, habitu vitaque conjungi; inter quas erat præcipue una canonica de *Heresin*, quæ in tantum in perfectione profecit Dei gratia, quod earum facta est abbatissa, quæ, ut præcessit ceteras prælatione, sic præcessit easdem austeritate vitæ & disciplinæ: nam virgines illas Deo sacratas sub arctissima tenuit custodia, ac rigore regularis disciplinæ, necnon afflictione corporali, & directione spirituali permaxima. Cumque ipsis soli Deo placere cupientibus, quibus nihil potest esse commune cum mundo, propter hominum sæcularium concursum, amicorum visitantium distentas... solatium, necnon propter joculatorum adventantium venenosum populum, ille locus displiceret ad habitandum, ne pedem quem jam de mundo traxerant, reponerent, usæ consilio amicorum devotorum, qui eis erant pro adminiculo spiritali, necnon auxilio hominum bonorum, qui eis erant pro adjutorio temporali, maluerunt pro Christo ob spirituale exercitium in paupertate fatigari, quam mundanis ludibriis maculari, seu bonis temporalibus prosperari, præfatum locum deserentes, & solitudinem mentali exercitationi congruam quærentes, in villam quæ *Brenckhausen* dicebatur, sese devotionis

contuitu

contuitu, divinis laudibus manciparunt, A ibique in siti, fame & frigore Christo servientes, monasterium construxerunt, nihilque habentes omnino proprium, illum imitari satagebant, qui veniens in hunc mundum, ubi caput reclinaret non habebat. Post triennium vero & amplius, solo pane & potu contentæ, expendebant provide quæ habere poterant, non in necessaria, sed in libros, & in alia ecclesiastica, ut possent benigne suis posteris necessaria divino cultui præparare; sed Christus Dominus amator hominum, sponsus virginum, & speciosus forma præ filiis hominum, cu- B jus odor trahit, caritas attrahit, volens suas imitatrices ipsum perfectius imitari, noluit ipsas in hoc mundo prosperari; nempe ipse suis dicebat: *Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos*. Et iterum: *Sicut misit me pater, & ego mitto vos*, qui non venit ministrari, sed ministrare, & animam suam pro multis dare, sed ipsum sicut ipse præcessit in tribulationibus hujus mundi defectum penuria & paupertate perpetuo imitari: sed ut mundus & ejus prosperitas ipsis & ipsæ mundo crucifigerentur, quod ut C expressius eis insinuaret, serius vel seriosius observandum in ipsismet signis multiplicibus ad hoc eas instigantibus demonstravit. Nam manu Domini super eas facta, quæ ipsas in omni perfectione immutaret in melius, cum ad præfatum locum, scilicet *Brenckhausen* pervenissent, primum per incendium fulguris omnia sunt destructa, sed non longe post per incendium infortunii universa bona sua, libri & alia multa valde necessaria sunt concremata; postremo vero a diversis damna innumera, vexationes plurimas, molestias, exactiones, a principibus, nobilibus, prædonibus, malis hominibus, & D ex intemperie grandinis, pluviæ & siccitate & pecorum amissione sunt perpessæ: atque hæc sunt quæ de fundatione monasterii Brenckhusani ex antiquis monumentis & mss. nostris suppetunt, quibus fundationis tabulas ab abbate Hermanno consignatas annectimus.

FUNDATIO PARTHENONIS Honschedensis ab Hermanno Corbeiæ-novæ abbate.

Anno 1235. Ex ms. Corbeia nova.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. HERMANNUS Dei gratia Corbeiensis abbas, universis hoc scriptum intuentibus notum esse cupimus, quod nos de consensu capituli nostri & prælatorum, necnon ad petitionem dilecti nostri præpositi Ludolphi de *Aroldessen* contulimus ecclesiam in *Honschede* cum dote & aliis pertinentiis, tam in hominibus ceræ censualibus, quam in agris, silvis, pratis & aquis, ecclesiæ Arol- densi; ita quod ecclesia Aroldensis construet ibi cœnobium dominarum sui ordinis, & istæ sub jugo tuitionis Corbeiensis ecclesiæ * sive advocato liberæ remanebunt. Adjicimus etiam, ut noster conventus & jam dictus mutuam inter se plenam fraternitatem servent, & in hujus recognitionem collationis, singulis annis in vigilia S. Viti duos cereos de quatuor talentis respondeant. Si quis vero præpositus successive in *Aroldessen* instituitur, ecclesiam prætaxatam tamen ab abbate Corbeiensi recipiet. Ut autem hoc factum stabile & inconvulsum permaneat, paginam hanc tam nostri quam capituli Corbeiensis sigillorum appensione fecimus communiri. Testes hujus rei sunt Albertus prior, Conradus præpositus major, Engelbertus præpositus, Tymmo præpositus Caminatensis, Ludolphus præpositus de ..... Reinerius portarius, Tymmo senex, & totus conventus, Herbordus decanus, Henricus plebanus, & conventus totus novæ ecclesiæ. Acta sunt hæc anno dominicæ incarnationis millesimo ducentesimo trigesimo quinto.

* f. sine

CARTA S. LUDOVICI REGIS.

De villa & castro Normervilla concessa Simoni de Pissiaco.

Anno 1235. Ex ms. Colbertino.

LUDOVICUS, &c. Notum, &c. quod nos dilecto & fideli nostro Simoni de Pissiaco & heredibus suis de uxore sua desponsata donamus Normervillam & forterlciam Normervillæ: ita quod fortericiam illam non poterit infortiare idem Simon, nec heredes sui sine assensu & voluntate nostra & heredum nostrorum; & XXXVIII. acras bosci Morm. & LIIII. acras nemoris de Esniac-villa, & viginti acras chesneiæ, & viginti acras bosci Normervillæ ultra aquam, & centum & viginti acras terræ arabilis circa Normervillam, & tria molendina apud Normervillam, & sexdecim libras & XVII. solidos & VIII. denarios Turonenses censuales in vineis Guillelmi Burgonelli, & aquam Normervillæ, & prata quæ habebamus apud Normervillam, & anseres, & ova, & dimidium modium vini, & capones, & gallinas, & quinque sextaria avenæ, quæ habebamus apud Normervil- E lam & justitias & emendas ad usus & consuetudines Normanniæ. Boscus autem qui est ultra prædictam aquam per deversus Ebroicen. nobis remanet & heredibus nostris. Prædicta vero quæ dicto Simoni & heredibus suis de uxore sua desponsata, donamus, tenebit idem Simon & heredes sui de uxore sua desponsata, de nobis & heredibus nostris in feodum & hominagium ligium ad usus & consuetudines Normanniæ. Propter hoc autem quittavit nobis & he-

redibus nostris idem Simon in perpetuum A quidquid habebat in *Biaufort*, in Valeya, & ejus pertinentiis. Quod ut, &c. Actum Parisius, anno dominicæ incarnationis millesimo ducentesimo trigesimo quinto.

CARTA S. LUDOVICI REGIS Francorum.

Exactiones Meledunensibus remittit.

Anno 1235. Ex ms. Colbertino.

LUDOVICUS Dei gratia rex, notum facimus quod nos pauperum hominum Meloduni & totius castellaniæ ejusdem ca- B stri, necnon & aliorum ad dictum castrum propter suas mercandias accedentium querimoniam audivimus, super eo quod præpositi nostri Meloduni in ingressu præpositura quasdam exactiones, quas vulgariter Bonitates appellabant, ab eis nomine servitii extorquebant; in quo dicebant ipsi homines injuste se gravatos. Nos autem circa hujusmodi exactiones, quæ Bonitates dicuntur, eisdem hominibus misericorditer providere volentes, pro eo quod timebamus & dubitabamus ne exigerentur injuste, pro salute animæ nostræ, & inclytæ recor- C dationis regis LUDOVICI carissimi genitoris nostri, & carissimæ matris nostræ B. reginæ & antecessorum nostrorum, exactiones sive servitia hujusmodi, quæ appellantur vulgariter Bonitates, prædictis hominibus omnino remittimus in perpetuum & quittamus: præcipientes, ut nullus amodo exactiones, sive Bonitates solvat hujusmodi, & nostris præpositis quicumque fuerint præpositi Meleduni firmiter inhibentes, ne aliquis eorum istas exactiones sive servitia, quæ appellantur, sicut prædiximus, Bonitates, ab aliquo de cetero recipiat vel extorquere præsumat. Quod si contra hoc facere attentaverit, offensam nostram se no- D verit incursurum. In cujus rei testimonium sigillum nostrum præsenti paginæ duximus appendendum. Actum apud Hospitale Corbolii, anno Domini MCCXXXV. mense Aprili.

CARTA S. LUDOVICI REGIS Francorum, pro monasterio Regalismontis.

Quingentas libras annui reditus ad fundationem monasterii addit. E

Anno 1235. Ex ms. Colbertino.

LUDOVICUS, &c. Notum facimus quod cum nos ob remedium animæ claræ memoriæ LUDOVICI genitoris nostri, & ob remedium animæ nostræ, illustris reginæ BLANCHÆ matris nostræ, & etiam antecessorum nostrorum, monasterium Regalismontis Cisterciensis ordinis fundari fecimus, & ædificia pro majori parte construximus, reditibus eidem monasterio assignatis; addimus quingentas libras Parisienses singulis annis apud Templum Parisius in tribus compotis persolvendas, videlicet in festo omnium sanctorum tertiam partem, in (a) candelis tertiam partem, & in ascensione Domini tertiam partem, donec assignaverimus eidem monasterio dictas quingentas libras in reditibus vel in terra ad æstimationem virorum bonorum, quos ad hoc instituemus. Subtrahetur autem tantum de solutione prædictarum D. librarum, quantum eis in reditibus vel in terra fuerit assignatum. Intelligimus siquidem quod de prædictis quingentis libris & aliis reditibus jam a nobis dicto monasterio assignatis, sexaginta monachi ad minus sustententur, qui resideant in monasterio prædicto. Quod ut, &c. Actum Parisius, anno Domini MCCXXXV. mense Octobri.

INSTITUTIO VICARIORUM in ecclesia Meldensi.

Anno 1236 Ex cartario Meldensi.

P. Dei gratia episcopus, G. decanus totumque capitulum Meldense omnibus præsentes litteras inspecturis salutem in Domino. Notum facimus quod nos instituimus vicarios in ecclesia beati Stephani Meldensis tali modo, quod nos episcopus dedimus, consentiente capitulo, sex modios bladi quos habebamus apud Belloriam. Item dedimus quintam partem quam habemus in decimis essartorum factorum & de cetero faciendorum in Medunto: ita quod cum ista quinta parte debent vicarii percipere in decima novalium factorum & faciendorum in Medunto medietatem, ex consentione capituli, dicta quinta parte computata in dicta medietate. Item, dedimus in perpetuum, quantum in nobis est, illam portionem quam habebamus in charreria de Triaportu in perpetuum possidendam, retentis nobis jure & justitia ratione feodi. Nos vero decanus & capitulum Meldense concessimus quod dicti vicarii capiant in omnibus distributionibus matutinarum unum denarium vel plures, si alii clerici non beneficiati in ecclesia plures recipiant, quandocumque tamen fiant retributiones in omnibus anniversariis, in quibus canonici percipient unum denarium, vicarii percipient, vel etiam plures si clerici non beneficiati in ecclesia plures recipiant. Debent etiam esse octo vicarii ad præsens, & percipient prædictos denarios cum fuerint ad matutinos & ad anniversaria. Præterea habebunt singuli vicarii, cum intererunt primæ, tertiæ, missæ, & sextæ tam diei quam B. Ma-

(a) Id est in festo Purificationis, in quo solemni ritu candelæ benedicuntur, & ad processionem deferuntur, ut supra observavimus.

riæ, unum denarium. Cum vero interesunt A nonæ & vesperis & completorio tam diei quam beatæ Mariæ, habebunt alium denarium. De processionibus vero habebunt sicut alii clerici non beneficiati in ecclesia. Si vero excreverint reditus, ita quod XII. vicarii possint percipere singulos prædictos denarios, usque ad duodecim instituentur ibidem. Et si postquam ibidem fuerint duodecim instituti, crescant reditus, augmentabitur numerus denariorum, & non numerus vicariorum, nisi postea ab episcopo & capitulo fuerit ordinatum aliter. Eligentur autem vicarii prædicti per duos canonicos, B unum ab episcopo & alium a capitulo deputatos, & per prædictos canonicos instituentur & destituentur vicarii a festo beati Stephani in aliud festum in capitulo generali, nisi ita enorme factum aliquis perpetraret, quod infra festum deberet amoveri. Prædicti vero canonici debent percipere reditus vicariorum, & distribuere & procurare secundum quod viderint expedire, & de eisdem computare bis in anno in capitulo, & tam episcopus, quam capitulum poterit amovere de anno in annum canonicum ab eo deputatum, prout viderit expedire. Item, ordinatum est quod nullus clericus, qui habet cibum & potum a canonico, poterit C esse vicarius, quamdiu habebit cibum & potum. Ponentur etiam ad emendos reditus ad opus vicariorum quinquaginta libræ Parisienses, quos donavit ad eosdem vicarios defunctus Thicelinus quondam decanus de Mon-Yvonis instituendos. In cujus rei testimonium, & ut robur obtineat firmitatis, nos episcopus & nos decanus & capitulum Meldense sigilla nostra præsentibus litteris apposuimus. Actum anno Domini MCCXXXVI. die crastina inventionis sancti Stephani. D

GREGORII PAPÆ IX. præfatio præmissa statutis ab eo compositis pro ordine S. Benedicti.

Anno 1237. Ex ms. Tornacensi S. Martini.

GREGORIUS episcopus servus servorum Dei dilectis filiis universis abbatibus tam exemtis quam non exemtis, & prioribus abbates proprios non habentibus, ordinis sancti Benedicti provinciæ Rothomagensis in communi capitulo congregatis salutem & apostolicam benedictionem. E

Licet olim intellecto quod religio vestra, quæ sicut ager plenus, cui benedixit Dominus, flores honoris & fructus afferre consueverat honestatis, facta mutatione dextræ in sinistram, spinas & tribulos germinaret: nos eam de invio ad viam regularis rectitudinis reducere cupientes, prout nobis incumbit ex officio pastorali, quædam ediderimus pro ipsius reformatione statuta, ipsaque mandaverimus observari; quia tamen in eis quædam vobis difficilia videbantur, ipsa de benignitate sedis apostolicæ temperantes, de fratrum nostrorum consilio super, hiis prout expedire vidimus, duximus ordinandum. Quocirca universitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus considerato prudenter quod subterfugiendi ulterius non est locus, facientes de necessitate virtutem, ordinationem hujusmodi, quam vobis sub bulla nostra mittimus interclusam, suscipiatis humiliter & servetis, ac faciatis a vestris subditis inviolabiliter observari. Personæ autem quæ ad visitanda monasteria ordinis vestri in provincia Rothomagensi fuerint in communi capitulo deputatæ, eas similiter faciant observari ab abbatibus & prioribus proprios abbates non habentibus, qui capitulo non interfuerint memorato, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, mandatum nostrum impleturi, quod redargui non possitis de negligentia vel contemtu. Datum Interannum idibus Januarii, pontificatus nostri anno decimo.

In primis ordinavimus quod omnes monachi constituti infra abbatiam, &c. *Extant hac statuta apud Mathaum Paris in Additamentis.*

CARTA S. LUDOVICI regis Francorum pro abbatia sita juxta Pontisaram.

Certos ei reditus assignat.

Anno 1239. Ex ms. Colbertino.

LUDOVICUS Dei gratia, &c. Notum facimus, quod cum ad ampliandum in ecclesia Dei servitium, & ob remedium animarum carissima domina & mater B. illustris regina Francorum ex devotione sibi cælitus inspirata pro salute animæ suæ atque patris nostri LUDOVICI regis claræ memoriæ & nostra, necnon & antecessorum ejusdem genitricis nostræ & nostrorum, monasterium juxta Pontisaram (a) constituerit, moniales Cisterciensis ordinis ibidem collocare intendens, nos cum eadem genitrice nostra personis quæ ibidem servituræ sunt volentes in necessariis providere, loco prædicto assignavimus, & in perpetuam eleemosynam dedimus contum libras Parisienses annui reditus, in præpositura nostra Meduntæ annis singulis his terminis percipiendas, videlicet infra octabas Ascensionis quinquaginta libras, & infra octabas festi omnium sanctorum quinquaginta libras; in præpositura enim Mellenti de voluntate & assensu

(a) In loco Alneti fundatum; quod postquam terra de Malodumo a Roberto & Odelina de Castro-Rainaldi ac eorum liberis emta donatum est, Malodumus cœpit appellari, hactenusque sub strictiore observantia floret.

ejusdem matris nostræ quæ Mellentum possidet ratione dotalitii, centum libras dedimus prædicto monasterio percipiendas ad terminos supradictos: unde volumus & præcipimus, ut quicumque erunt præpositi apud Meduntam & Mellentum, ipsi tempore præpositurae suæ dictæ ecclesiæ vel ejus mandato dictum reditum sine qualibet contradictione vel difficultate persolvant terminis prænotatis. Pro singulis vero diebus in quibus solvere distulerint eumdem reditum terminis memoratis, solvant qualibet die quinque solidos Parisienses nomine pœnæ eidem ecclesiæ, donec integram solutionem fecerint reditus supradicti. Item totum bladum & totum vinum, quod supradicta domina & mater nostra habet apud Stampas & Dordan, & in castellaniis quas ipsa tenet nomine dotalitii: necnon & VII. modios bladi quos Droco de Bello-monte miles solebat persolvere apud Pontisaram, prædicto monasterio dedimus & concessimus cum omnibus supradictis in puram & perpetuam eleemosynam, eadem domina & matre nostra volente & concedente & quittante, omnia ista supradicta quæ ad suum pertinent dotalitium libere & absolute concedentes monasterio memorato. Quod ut in perpetuum, &c. astantibus, &c. Actum anno Domini MCCXXXIX.

CARTA HUGONIS COMITIS Marchiæ & Isabellis reginæ ipsius uxoris.

De hominio regi & comiti Pictavensi ab eis præstito.

Anno 1242. *Ex mss. Colbertinis.*

HUgo de Lizegnano comes Marchiæ & Engolismi, & Y. Dei gratia regina Anglorum, dictorum comitissa locorum, universis præsentes litteras inspecturis salutem. Noveritis quod cum guerra esset inter nos ex una parte, & carissimos dominos nostros LUDOVICUM regem Francorum illustrem & comitem Pictavensem fratrem ipsius domini regis ex altera; tandem post plures conquestas, quas idem dominus rex fecit super nos, & nos & filii nostri videlicet HUGO BRUNUS, GUIDO & GAUFRIDUS DE LIZEGNANO milites ad ipsum regem venientes, nos & terram nostram alte & basse ipsius domini regis supposuimus voluntati, & antequam dominus rex in sua voluntate nos reciperet, dixit nobis quod conquestas quas jam conquisiverat per se & gentes suas super nos, videlicet Xantonas cum castellania & pertinentiis, forestam, domum de Lavergna, & totum jus quod habebamus in ponte *Labay*, Mosterolium cum appenditiis suis, Fronteneium cum appenditiis, Langestum, S. Gelasium cum appenditiis, *Praet* cum appenditiis, Tanneium super Voconam cum appenditiis, Clausam, Bauteium, feoda quæ tenebat a nobis comite Marchiæ comes Augi, feodum Renaudi de Pontibus, feodum Gaufredi de *Bancon*, & feoda quæ tenebat a nobis comite Marchiæ Gaufridus de Lizignano, & grande feodum de Alniaco, & omnes alias conquestas quas idem dominus rex fecit super nos usque in hodiernum diem per ipsum & gentes suas ipso domino regi fratri suo prædicto domino comiti Pictavensi & eorum heredibus in perpetuum retinebit, quod nos coram pluribus de episcopis & baronibus & hominibus domini regis concessimus. Voluimus insuper & concessimus, quod idem dominus rex esset quitus & immunis de quinque millibus libris Turonensibus, quas dabat nobis quolibet anno, & quod similiter esset quitus de conventionibus quas nobiscum habebat, quod sine nobis cum rege Anglorum pacem & treugam facere non posset. Concessimus insuper, quod omnes aliæ conventiones, quæ usque ad hodiernum diem fuerunt inter claræ memoriæ regem LUDOVICUM genitorem prædicti domini regis, ipsum dominum regem & dominum comitem Pictavensem fratrem suum & nos, & litteræ super dictis conventionibus factæ prædicti dominus rex & dominus comes Pictavensis frater suus nullo modo de cetero teneantur; & cum, ut supra dictum est, nos & filii nostri prædicti nos & terram nostram supposuerimus voluntati domini regis, voluntas ipsius domini regis talis fuit, quod ipse nos HUGONEM comitem Marchiæ receperit in hominem ligium de comitatu Engolismæ, & castris & castellaniis de Coigniaco, de Jarmiaco, de Merpino, de Alba-terra, de *Villaboen*, & pertinentiis prædictorum, quæ nobis & heredibus nostris remanebunt, salvis prædictis quæ idem dominus rex & gentes suæ conquisiverunt super eos; quæ eidem domino regi & dicto fratri suo domino comiti Pictavensi, ut supra dictum est, in perpetuum remanebunt. Et nos comes Marchiæ de prædictis, scilicet de comitatu Engolismi, castris & castellaniis de Coigniaco, de Jarviaco, de Merpino, de Alba-terra, de *Villaboen*, & pertinentiis prædictorum, salvis prædictis conquestis, & quæ domino regi & dicto domino comiti Pictavensi fratri suo, ut supra dictum est, remanebunt, fecimus eidem domino regi homagium ligium contra omnes homines & feminas qui possunt vivere & mori, salva fide prædicti domini comitis Pictavensis fratris sui. Similiter fecimus homagium ligium contra omnes homines & feminas qui possunt vivere & mori, prædicto domino comiti Pictavensi fratri domini regis de Lizegniano & comitatu Marchiæ & pertinentiis eorum, salvis prædictis conquestis, quæ domino regi & dicto comiti Pictavensi fratri suo, ut supradictum est, remanebunt. Concessit etiam do-

minus rex nobis & heredibus nostris, quod nos in dominio regis Angliæ, seu comitis Rich. fratris sui vel heredum suorum non ponet, sine nostra libera voluntate. Prædicta autem, prout superius sunt expressa, voluimus & concessimus, & præstito juramento corporali promisimus nos tenere & observare, & nullo modo per nos vel per alium contravenire, nec aliquod attentare. Quod ut firmum sit & stabile, præsentibus litteris sigilla nostra fecimus apponi. Actum in castris in praeria prope villam Pontium anno Domini MCCXLII. mense Augusto.

CARTA HUGONIS COMITIS Marchiæ & Isabellis reginæ uxoris ejus.

De tribus castris regi datis pro securitate fidelis servitii.

Anno 1242. Ex ms. Colbertino.

HUgo de Lesignano comes Marchiæ & Engolismi & Ysabellis Dei gratia regina Anglorum, dictorum comitissa locorum, universis præsentes litteras inspecturis salutem. Notum facimus nos tradidisse domino nostro Ludovico Dei gratia regi Francorum illustri pro securitate boni & fidelis servitii a nobis eidem domino regi & carissimo domino nostro Alfonso comiti Pictavensi fratri suo faciendi, tria castra, scilicet Merpinnum, Castrum-Achardi, & Crosanum: ita quod duo castra prædicta Merpinum & Castrum-Achardi tenebit idem dominus rex per quatuor annos, qui incipient in festo assumtionis beatæ Mariæ proximo venturo anno Domini MCCXLII. & similiter Crosanum tenebit idem dominus rex per octo annos, qui dicto termino incipient, & nos quolibet anno tenemur dare CCCC. libras Turonenses pro gardia castrorum prædictorum, videlicet pro gardia dictorum duorum castrorum Merpini & Castri-Achardi ducentas libras, & alias ducentas libras pro gardia Crosani supradicti. Quatuor vero annis a dicto termino transactis, idem dominus rex tenebitur nobis vel heredibus nostris reddere prædicta duo castra Merpinum & Castrum-Achardi in eo statu in quo tradidimus eidem, & de dictis ducentis libris quiti remanebimus, & nihilominus pro gardia Crosani alias ducentas libras persolvemus. Transactis vero a dicto termino octo annis, idem dominus rex tenebitur nobis reddere vel heredibus nostris dictum castrum in eo statu, in quo tradidimus eidem, & de dictis ducentis libris Turonensibus quiti remanebimus & immunes. In cujus rei testimonium & memoriam præsentes litteras sigillorum munimine fecimus roborari. Actum anno Domini MCCXLII. in festo inventionis S. Stephani.

HOMINIUM RENAUDI de Ponte.

Anno 1242. Ex ms. Colbertino.

UNiversis præsentes litteras inspecturis Renaudus de Ponte dominus salutem. Notum facimus quod nos de voluntate & assensu nobilis viri comitis Marchiæ & Engolismi & uxoris suæ reginæ Anglorum comitissæ Engolismi, de feodis quæ tenebamus ab ipso comite, fecimus homagium carissimo domino nostro Ludovico regi Francorum illustri, & insuper carissimus dominus noster Alfonsus comes Pictavensis de assensu & voluntate prædicti domini regis nobis & heredibus nostris dedit feodum quod Constantinus Crassus tenere debebat a dicto comite Pictavensi. Datum in castris prope *Matillac*, qui locus distat a Blavia per quatuor leucas anno Domini MCCXLII. mense Augusto.

HOMINIUM GUBERTI de Tamines.

Anno 1242. Ex ms. Colbertino.

UNiversis præsentes litteras inspecturis Gubertus de Tamines salutem. Notum facimus quod nos fecimus hominium ligium carissimo domino nostro Ludovico regi Francorum illustri contra omnes homines & feminas quæ possunt vivere & mori de castro nostro de *Pasaret*, & de forteritiis nostris de *Briades* Ynsandulus de *Albias*, & pertinentiis eorumdem juravimus quod dictum castrum & forteritias prædictas ipsi domino regi & heredibus suis, vel eorum certo mandato ad magnam fortiam & parvam trademus, quotiescumque super hoc ab ipsis fuerimus requisiti. Idem vero dominus rex non poterit nos ponere extra manum suam & heredum suorum vel fratrum suorum. In cujus rei memoriam & testimonium præsentes litteras sigillo nostro fecimus sigillari. Actum in castris prope Blaviam ad unam leucam anno Domini MCCXLII. mense Augusto.

CARTA ROGERII COMITIS Fuxensis.

De liberandis captivis quos tenebat.

Anno 1243. Ex ms. Colbertino.

NOs Rogerus comes Fuxensis notum facimus universis, ad quos litteræ præsentes pervenerint, quod nos promisimus coram carissimo domino nostro Ludovico rege Francorum illustrissimo, quod delibe-rabimus prisiones quos captos tenemus hoc modo: scilicet quod nos assumemus quam cito erimus in terra nostra duos milites ex parte nostra, & dicti prisiones alios duos

milites ex parte sua assument, & ipsi prisiones facient nos securos ad cognitionem dictorum quatuor, de hoc quod nobis aut abbati & monasterio (a) Lezatensi, aut valitoribus nostris guerram non facient, nec inferant ulla damna. Concedimus etiam & volumus, quod si dicti prisiones voluerint petere jus de bastidiis, quod possint illud libere petere, ubi debebunt, non faciendo guerram, nec malum nobis aut dicto abbati & monasterio Lezatensi aut valitoribus nostris. Si vero dicti quatuor milites de securitate vel modo securitatis erunt discordes, dominus rex posuit & putavit Hugogonem de Arsis senescallum de Carcassona, & Amalricum *de Limours* milites ad quorum cognitionem dicti prisiones securitatem nobis facient antedictam. Et nos per illam securitatem dictos prisiones liberare debemus: ita tamen quod comes Tolosanus debet deliberare Segardum & Hugonem *Durfort*, & alios prisiones de *Fagiaus* & de *Laurac*, & restituere eis terras & possessiones eorum: ita etiam quod dicti prisiones quos nos tenemus debent solvere quando liberabuntur prisonagium suum, & sumtus quos in prisonia fecerunt: ita quod dicti prisiones nostri remittent nobis & dicto abbati & monasterio & valitoribus nostris rancorem suum, & damna quæ sustinuerunt occasione suæ prisionis, & occasione istius guerræ, & etiam quod redibunt ad hominagium nostrum in eo statu in quo erant, antequam guerra ista ultime moveretur inter dominum regem prædictum & comitem Tolosanum. Actum apud Montem Argi anno Domini MCCXLII. mense Januario.

LITTERÆ ROBERTI Leodiensis episcopi.

De portione congrua assignata investito de Marsna.

Anno 1243. Ex ms. Cl. V. domini de Louvrex.

ROBERTUS Dei gratia Leodiensis episcopus universis præsentes litteras inspecturis salutem in Domino. Noveritis quod nos pensata utilitate & augmentatione divini servitii in prioratu de Mersne diœcesis Leodiensis de consensu dilecti filii & fidelis nostri domini (b) Jacobi de Trecis archidiaconi ejusdem loci... viro venerabili & religioso abbati S. Remigii Remensis & ejus successoribus, quod abbas prædictus cedente vel decedente investito loci ad (c) Kerkidam de Mersne præsentet investitum, ubi de jure & consuetudine fuerit præsentandus. Cui quidem investito de bonis ipsius Kerkeriæ ad valorem viginti marcharum Leodiensium dicti abbas & conventus ad arbitrium boni viri assignabunt, de quo erit contentus, ultra illa quæ sibi legarentur testamentis fidelium, vel a confitentibus offerentur. Residuum autem in usus monachorum ibidem Deo famulantium convertentur, & ibi residebunt quatuor monachi cum priore. Actum anno MCCXLIII. in festo S. Ceciliæ.

STATUTA edita pro monasterio Oigniacensi Leodiensis diœcesis & ab episcopo confirmata.

Visitatio ac reformatio ecclesiæ nostræ olim facta a reverendissimo patre nostro ROBERTO *Dei gratia episcopo Leodiensi, ratificata & approbata a sanctissimo patre domino* PETRO *episcopo Albanensi, nec non & Romanæ ecclesiæ cardinali, ac sedis apostolicæ legato.*

Anno 1243. Ex ms. Oigniacensi.

ROBERTUS Dei gratia Leodiensis episcopus universis præsentes litteras inspecturis salutem in Domino.

Noveritis quod cum nos dilectos filios fratrem Gerardum Remensem, & Gossuinum de ordine fratrum Prædicatorum Leodiensium, apud Oygniacum misissemus, eamdem ecclesiam tam in capite quam in membris auctoritate nostra visitaturos, ipsi ordinaverunt in hunc modum: videlicet quod canonici Oygniacenses certas institutiones præter regulam habeant conscriptas, quas inviolabiliter observent: ita quod prior & supprior assumtis secum duobus probis viris, sive in domo de fratribus suis, sive extra electis a capitulo, institutiones certas & approbatas quas hactenus observaverunt in scripto redigant, nihilominus aliqua capitula institutionum approbatarum alicujus monasterii ejusdem ordinis, secundum quod conservationi honestatis eorum expedire cognoverint, addentes: ita quod infra instantem nativitatem beati Johannis-Baptistæ hæc scribantur & nobis ostendantur, ut secundum consilium nostrum & auctoritatem approbentur, ut uniformitas observationum unitatem generet, foveat, & repræsentet animorum.

Item, ordinaverunt & præceperunt, ut infra terminum supradictum certum ordinarium super servitio ecclesiæ tam diurno quam nocturno habeant conscriptum & distinctum, ne propter labentem memo-

(a) Lesatum ordinis sancti Benedicti monasterium ab Atone vicecomite Biterrensi fundatum, ac progressu temporis Cluniacensi ordini unitum, in diœcesi Rivensi quatuor aut quinque leucis a Tolosa distans, hactenus perstat.

(b) Hic est celeberrimus ille Jacobus Pantaleon de Trecis archidiaconus Leodiensis, vir utique divina lege eruditus & sanctitatis meritis decoratus, postea factus summus pontifex Urbanus papa IV. qui festum S. Sacramenti instituit.

(c) Kerkida seu Kerkeria est ecclesia parrochialis a voce Germanica *Kerck*, quæ significat ecclesiam. Hic enim agitur de congrua portione assignanda vicario perpetuo ecclesiæ de Marsna. Id amplius explicat Hugo cardinalis in hujus cartæ confirmatione: *Cedente vel decedente investito parochiæ loci præscripti, quæ Kerkeria vulgariter in partibus appellatur.*

riam usus cantandi vel legendi immutetur, A & ut juniores quod cantare debeant vel legere in scriptura reperiant, maxime cum scriptum sit in regula S. Augustini: *Nolite cantare, nisi quod legistis esse cantandum: quod autem non ita scriptum est ut cantetur, non cantetur.*

Item, ordinaverunt quod ille qui legit in conventu ad mensam, non comedat cum aliis tempore lectionis, imo continue legat secundum quod scriptum est in regula: *Cum acceditis ad mensam donec inde surgatis quod vobis secundum consuetudinem legitur, sine tumultu & contentionibus audite,* B nec introducantur in refectorium ad comedendum cum conventu sæculares personæ, nisi raro.

Item, ordinaverunt & præceperunt, quod nullus canonicus audiat confessiones Beguinarum seu aliarum personarum, nisi quibus prior injunxerit: in villa autem Oygniacensi nullus audiat confessiones sæcularium sive Beguinarum, nisi prior & supprior & parochianus villæ, nisi in necessitate, secundum quod priori videbitur expedire, nec aliquis petat licentiam audiendi con- C fessiones Beguinarum; quod si petierit, non concedatur eidem.

Item, ordinaverunt quod omnes fratres tam canonici quam conversi priori vel alii de licentia sua confiteantur; de venialibus poterunt alterutrum confiteri.

Item, ordinaverunt quod fratres superiores in ordine sacro superiorem stallum habeant in choro præ aliis inferioris ordinis, licet antiquiores sint in religione suscepta.

Item, ordinaverunt quod nullus canonicus exeat domum ad eundum in villam D Oygniacensem, sine socio fratre canonico vel converso, ab illo qui licentiam dederit eidem assignato, cum scriptum sit in regula: *Qui habet aliquo eundi necessitatem, cum quibus præpositus jusserit, ire debet,* & frater qui accipit licentiam, locum prælato nominet ad quem vult declinare, nec indifferenter divertat ad alia loca, de quibus licentiam non accepit specialem.

Item, nullus accipiat licentiam exeundi domum, nisi a priore vel suppriore, si in domo fuerint: si autem ambos contigerit abesse, ab illo licentiam accipiat, quem E loco sui assignaverint: hebdomadarius autem de hujusmodi licentiis dandis non se intromittat, nisi fuerit a priore vel suppriore recedentibus, sicut prædictum est, ad hoc assignatus.

Item, ordinaverunt quod frater proclamatus in capitulo pœnitentiam sibi a prælato injunctam humiliter suscipiat, nec remurmuret, nec reclamet, nec petat se deduci consilio seu judicio capituli: immo talis si perseveraverit, pro inobedienti & rebelli habeatur, cum scriptum sit in regula: *secundum arbitrium præpositi vel etiam presbyteri ad cujus dispensationem pertinet, debet emendatoriam subire vindictam; quam si ferre recusaverit, etiamsi inde non abscesserit, de vestra societate projiciatur.*

Item, ordinaverunt, quod illa summa pecuniæ a piæ memoriæ Jacobo Tusculano episcopo legata, in usus illos quos episcopus determinavit, maturius quam fieri poterit, convertatur, & non in alios, videlicet ad comparandum redditus vini ad opus refectorii, infirmariæ, & hospitum.

Item, ordinaverunt quod nullus canonicus extra ad parochias seu curtes sine socio fratre ordinis moretur.

Item, ordinaverunt quod fiat computatio ad minus quater singulis annis, terminis a priore & conventu assignatis, & illa computatio fiat coram senioribus domus & aliis fratribus, qui interesse voluerint. In crastino vero computationis prior in capitulo summam tam receptorum quam expensarum aut debitorum in capitulo conventui exponat. Nos autem ordinationem prædictam ratam & gratam habentes, eam auctoritate præsentium confirmamus & inviolabiliter præcipimus observari. Datum anno Domini MCC quadragesimo tertio, mense Maio, feria quarta post *Jubilate.*

FUNDATIO PITANTIARUM vini religiosorum Oigniacensium.

Universis præsentes litteras inspecturis, Sigerus prior & totus conventus d'*Oignies* agnoscere veritatem. Circa 1243 *Ex ms. Oigniacensi.*

Quod laude dignum est in opere, ne labatur cum tempore, dignum est scripturæ testimonio commendare. Cum igitur reverendus pater Jacobus piæ recordationis quondam episcopus Tusculanensis & sedis apostolicæ cardinalis, de gremio ecclesiæ nostræ, per gratiam Dei & propriis meritis suffragantibus ad apicem tantæ dignitatis assumtus esset, ob specialem gratiam & debitæ venerationis affectum, in quibus tamquam matri filius, divini præcepti debito se teneri cognoscebat, multis beneficiis temporalibus & spiritualibus ecclesiam nostram promovisset. Primo sua corporali præsentia, quando eidem ecclesiæ se tradidit, & contemtis divitiis sæcularibus, elegit consortium paupertatis. Postmodum perveniens ad statum fortunæ dignioris, pannis sericis, sanctorum reliquiis, & aliis ecclesiæ ornamentis, librorumque voluminibus innumeris, & sedis apostolicæ privilegiis non paucis eamdem ecclesiam munire studuisset, & ad comparandas possessiones, quibus ejusdem ecclesiæ paupertatem sublevaret, multam pecuniam sæpius transmisisset, de-

mum provida discretione considerans, quod A pro defectu vini personæ litteratæ & maturæ in eodem loco jugum ordinis subire recusarent, timens ne pro defectu consilii & venerabilium raritate personarum, ejusdem loci religio tepesceret, & minus frequentaretur a bonis, beneficia beneficiis cumulans, quæ sanus mente tractaverat, opere complevit in extremis, & ad comparandas vineas vel possessiones ad hoc specialiter deputandas, pecuniam nobis legavit, usque ad mille & quingentas libras alborum, ut ex dictarum possessionum proventibus, conventui, infirmis & hospitibus, in vino competenter provideretur, cum ad hoc faciendum ejusdem ecclesiæ prius non B sufficerent facultates. Cum igitur dictam ecclesiæ summam non simul & semel sed diversis temporibus & locis inter alias possessiones, nostris possessionibus comparatis in usus ecclesiæ nostræ utiliter expendimus, hospitum provisione prioris arbitrio relicta, de communi consilio quantum ad providentiam conventus pertinet, hoc usi moderamine sumus, quod in conventu clericorum qualibet septimana tribus diebus vino serviatur semel in die, exhibendo dimidium lotum per singulos mensuræ Fossensis; scilicet dominica die, feria tertia & C feria quinta, similiter in festis duplicibus, & quibusdam vigiliis, quas in aliis feriis a prædictis contigerit evenire, scilicet vigilia Nativitatis Domini cum quatuor sequentibus diebus, in die circumcisionis, in die epiphaniæ, in die purificationis, in die annuntiationis, in vigilia paschæ cum quatuor diebus sequentibus, in die inventionis sanctæ Crucis, in vigilia ascensionis, & die sequenti, in vigilia pentecostes cum quatuor diebus sequentibus, in vigilia & die beati Johannis Baptistæ, in vigilia & die apostolorum Petri & Pauli, in die Mag- D dalenæ, in vigilia & die beati Laurentii, in vigilia & die assumptionis beatæ Virginis, in vigilia & die beati Augustini, in vigilia & die Nativitatis B. Mariæ, in die beati Lamberti, in die beati Michaëlis, in vigilia & die sanctorum omnium, in vigilia & die beati Martini, in die beatæ Catharinæ, in die beati Andreæ, in vigilia & die beati Nicolai, in die quatuor Coronatorum ad vesperam, & in septuagesima ad vesperam propter jejuniorum inchoationem, item in E sabbatis quatuor temporum, & in translationibus sanctorum Nicolai & Augustini, in vigilia quoque nostræ dedicationis ad vesperam: item quoties aliquis de canonicis nostris per licentiam sui superioris in infirmaria fuerit causa infirmitatis vel minutionis, sive alia causa rationabili, contentus erit portione prædicta, tam in prandio, quam in cœna, & quando videbitur infirmario amplius expedire, ad ejus arbitrium emendabitur.

Si quis vero frater in conventu ventosis usus fuerit, in vespere portionem prædictam habebit, & in mane sequenti. Si autem contigerit vigilias & solemnitates prædictas, sive obitus defunctorum qui pitantiam habent ab antiquo, prout notati sunt in martyrologio nostro, cum prædictis feriis concurrere, ita quod eadem die fiant, nihil petetur amplius in. vini portione, sed si pro oportunitate temporis differatur anniversarius dictus, & contingat illum fieri in die vacuo, dum tamen sine fraude, nihil de debita pitantia minuetur: hoc autem intelligimus de anniversariis prædictis; de futuris vero erit secundum conventus voluntatem disponendum. Hæc autem providentia vini, sicut & ceterorum, ad priorem nostrum pertinebit de communi marsupio, & de bono vino & sano, quod omni careat vitio corruptionis: ita quod de vino hujus regionis nobis non provideatur ultra festum S. Martini hyemalis. Et ne de tantis beneficiis dicto patri videamur ingrati, in succursum animæ ipsius missam specialem instituimus pro defunctis singulis diebus in perpetuum, ante sepulchrum ejus celebrandam, nisi obstiterit officii necessitas vel solemnitas, secundum temporis qualitatem. In cujus rei perpetuam firmitatem præsens scriptum sigillorum nostrorum appensione duximus roborandum, & sigillo venerabilis patris ROBERTI Leodiensis episcopi confirmandum.

EPISTOLA PETRI EPISCOPI Petracoricensis, &c. ad S. Ludovicum regem Francorum.

De communi levando pro conservanda pace.

EXcellentissimo domino suo Ludovico Dei gratia regi Francorum P. eadem gratia episcopus Petragoricensis, Iterius decanus Aiensis Samaciæ, B. de *Biran*, R. de Turribus, G. de Salis, & P. de Longovado archidiaconi, Hal. cantor, & P. magister scholarum officialis, magister Gerardus cantor, & S. Stephani, & B. Frontonis Petragoricensis capellan. salutem in eo per quem reges regnant. Anno 1244. *Ex ms. Colbertino.*

Cum nobilis Gerardus de Mala-morte nostræ diœcesis senescallus ex parte nostra nos diligenter requisierit sub virtute præstiti a nobis juramenti, super pace observanda, firmiter nos adjurans, ut de juribus vestris & specialiter de communi in diœcesi nostra levando, de quo regia majestas per suas nos requisivit litteras, & rogavit nos per nostras litteras testimoniales certos efficere curaremus, nos ecclesiarum nostrarum senioribus & multis aliis fide dignis ad hoc specialiter convocatis, qui super hoc plenam habere notitiam dinoscuntur, inquisita

quisita & comperta plenius veritate, serenitati vestræ præsentium testimonio litterarum in verbo veritatis duximus intimandum, quod ab antiquitate pro conservanda pace in diœcesi Petragoricensi commune debetur, & quod a regibus HENRICO, RICHARDO, JOHANNE & multis aliis, & novissime ab inclytæ recordationis domino LUDOVICO patre vestro per comitem Marchiæ, tunc senescallum suum, in diœcesi nostra, post captionem Rupellæ per duos annos continuos fuit commune levatum in diœcesi supradicta. Unde cum vos sitis in possessione pacifica levandi commune hujusmodi, vestra provideat excellentia quid honori regio & utilitati & paci terræ videbitur expedire. Datum xv. calendas Februarii anno Domini MCCXLIII.

EPISTOLA COMMUNITATIS Villæ-Podii S. Frontonis & civitatis Petragoricensis, ad S. Ludovicum regem Francorum.

Ejusdem argumenti.

Anno 1144. Ex ms. Colbertino.

EXcellentissimo domino suo LUDOVICO Dei gratia Francorum regi sui consules & communitas villarum Podii S. Frontonis & civitatis Petragoricensis salutem & seipsos ad pedes quantuli sunt & quod possunt.

Cum reverendus pater episcopus Petragoricensis, & capitula beatorum Stephani & Frontonis Petragoricensis, & quædam aliæ personæ dictarum ecclesiarum per suas litteras vobis insinuent, quod commune debetur in diœcesi Petragoricensi pro pace observanda, & quod vos estis in possessione levandi ipsum commune; regiæ celsitudini præsentium testimonio litterarum insinuamus, quod nos firmiter credimus, quod dictum commune debetur in diœcesi Petragoricensi pro pace observanda, & quod vos estis in possessione levandi ipsum commune, secundum quod in litteris prædictarum personarum confectis xv. calendas Februarii continetur: quæ litteræ vobis etiam a dictis personis super hoc diriguntur. Datum xiv. cal. Februarii anno Domini MCCXLIII.

CARTA JOFFRIDI EPISCOPI Catalaunensis.

De compositione facta inter ipsum & regem super regalibus post electionis suæ confirmationem.

Anno 1144 Ex ms. Colbertino.

OMnibus præsentes litteras inspecturis, JOFFRIDUS permissione divina Catalaunensis episcopus, salutem in omnium salvatore.

Notum facimus quod cum inter carissimum dominum nostrum LUDOVICUM Dei gratia regem Francorum illustrem ex una parte, & nos ex alia, quæstio verteretur super proventibus regaliæ Catalaunensis ecclesiæ, perceptis ab eodem domino rege a tempore confirmationis (*a*) electionis de nobis factæ in episcopum Catalaunensem: quæ quidem confirmatio facta fuerat a reverendo patre (*b*) H. bonæ memoriæ Remensi archiepiscopo: quos siquidem proventus idem dominus rex ea receperat ratione, quia electio & confirmatio antedictæ in contentione fuerunt, pro eo quod quidam canonici ecclesiæ Catalaunensis in dictis electione & confirmatione nobis contradictores extiterant, & inter nos & ipsos diutius auctoritate apostolica fuerat litigatum. Tandem inter ipsum & nos, mediantibus * nobis viris, facta est de bona ac libera voluntate nostra amicabilis compositio in hunc modum, videlicet quod idem dominus rex reddidit nobis & deliberavit omnino medietatem omnium proventuum prædictorum perceptorum ab ipso a tempore confirmationis prædictæ, exceptis expensis factis ab ipso domino rege pro custodiendis & percipiendis proventibus ac regalibus supradictis. Alia vero medietas dictorum proventuum remanet domino regi libere & quiete: ita tamen quod per hanc compositionem nec domino regi nec ejus successoribus, nec ecclesiæ Catalaunensi jus in posterum acquiratur, nec præjudicium aliquod generetur, si similem casum contigerit evenire. Actum apud Pontisaram anno Domini MCCXLIV. mense Octobri.

* f. bonis.

LITTERÆ ODONIS ABBATIS S. Dionysii & abbatis Hermeriarum.

De præbendis vacantibus in ecclesia Carnotensi post mortem Alberici episcopi.

Anno 1144 Ex ms. Colbertino.

NOs ODO B. Dionysii & THOMAS de Hermeriis abbates, notum facimus tam præsentibus quam futuris, quod cum de tribus præbendis Carnotensibus, quæ in ultima sedis Carnotenæ vacatione post mortem bonæ memoriæ ALBERICI (*c*) quondam episcopi Carnotensis vacaverunt, de quibus inter excellentissimum dominum nostrum LUDOVICUM regem Francorum illustrem & venerabilem patrem HENRICUM Carnotensem episcopum & ca-

(*a*) Hæc electio Gaufredi de Grandi-Prato facta est die lunæ ante pentecosten anno 1237. ut discimus ex epistola Havidis abbatissæ S. Jacobi de Vitriaco ad Theobaldum regem Navarræ & Campaniæ comitem, ubi & legitur partem capituli ab ea electione appellasse. Extat Thesau. Anecd. tom. 1. pag. 1002.

(*b*) Henrico de Brana, qui proinde nondum obierat anno 1235. ut dicit Claudius Robertus in sua Gallia Christiana, sed diem clausit extremum 6. Julii 1240. sepultus in Valcellensi ordinis Cisterciensis cœnobio, ut recte observarunt Sammartani.

(*c*) Albericus Cornutus episcopus Carnotenus obiit xvi. calendas Novembris anno 1244. de quo Mabillonius tom. 2. Analectorum.

pitulum Carnotense erat contentio, in nos A unanimiter fuisset compromissum, tam a domino rege quam a dicto episcopo & tribus procuratoribus a prædicto capitulo destinatis, secundum quod in litteris capituli Carnotensis sigillatis apparet, videlicet Gilone præposito in Normannia, Bartholomæo *de Mont* camerario Carnotensi, & Gaufrido de Orrevilla canonico Carnotensi, & insuper de præbendis sede vacante Carnotensi postmodum vacaturis. Nos habito bonorum virorum consilio, intellecta etiam & cognita super præmissa contentione dictarum partium voluntate, ad bonum pacis fideliter conspirantes, dictum nostrum pro- B tulimus in hunc modum: videlicet quod de tribus præbendis, duæ remanebunt de donatione domini regis, magistro Petro de Castra, & domino Ursioni, quibus dominus rex eas sede vacante Carnotensi contulit: tertia vero remanebit venerabili patri HENRICO episcopo ab ipso cui voluerit conferenda. De præbendis vero quæ in futurum vacabunt, sede Carnotensi vacante, ita protulimus dictum nostrum, quod alternatim de cetero conferentur a domino rege & episcopis Carnotensibus qui pro tempore fuerint: ita quod primam vaca- C turam conferet dominus rex, & alia quam postea quandocumque, sive in eadem vacatione, sive in alia vacare contigerit, reservabitur futuro episcopo, qui pro tempore fuerit, ab eodem episcopo conferenda: & ita deinceps fiet alternatim: hoc addito quod ille qui ultimo conferet, litteras suas dabit quod ad alterum prima collatio pertinebit. Actum apud Asnerias anno Domini MCCXLIV. in festo S. Andreæ.

BULLA INNOCENTII PAPÆ IV. D

Sententiam arbitrariam episcopi Atrebatensis de divisione thelonei inter Robertum comitem Atrebatensem & monachos Vedastinos confirmat.

Anno 1245. Ex ms. Vedastino.

INNOCENTIUS episcopus servus servorum Dei dilectis filiis abbati & conventui monasterii S. Vedasti Atrebatensis salutem & apostolicam benedictionem.

Nauta navim de maris procella nititur ad portum reducere, ne tempestati relicta E turbinum collisione solvatur. Sic rectus judex causam de fluctibus litis trahere studet ad littus sententiæ, ne sub continuo judicii strepitu, confusione processuum inexplicabiliter implicetur: unde quia derogatur justitiæ, dum malitiose quæstio protegitur, & infertur injuria viri, dum calumniose litigatorum protelationi defertur, libenter circa litium controversias illud, quantum in nobis est, attentionis studium adhibemus, ut dilationis vitato stipendio, post debitæ discutionis examen, sententiali gladio vel concordia seu etiam provisione salubri legitime decidantur, quatinus partium parcatur sumtibus, quieti provideatur ipsorum, & cuique jus suum plenarie conservetur. Sane inter vos ex parte una, & dilectum filium nobilem virum R. comitem Attrebatensem ex altera, super collatione & donatione medietatis thelonei in civitate & banleuga Attrebatensi eidem nobili suisque heredibus & successoribus, a vobis sub certa forma, & quadam littera, carta seu instrumento, de nostro & comitis ejusdem assensu, super possessionibus, terris, communi pastura, censivis & feudis, ac rebus aliis ipsius monasterii factis, necnon super carta ipsi monasterio a claræ memoriæ LUDOVICO rege Franciæ tunc primogenito inclytæ recordationis PHILIPPI regis Francorum patre dicti comitis, de quietatione ac recognitione quorumdam jurium monasterio eidem exhibita, & nonnullis aliis articulis, quæstionibus multis exortis. Nos tamen procuratoribus partium in nostra præsentia constitutis, venerabilem fratrem nostrum Albanensem episcopum concessimus auditorem, cujus se voluntati, mandato, ordinationi, laudo, judicio, seu arbitrio *haut & bas*, ut verbis illius utamur, proprie in nostra præsentia submiserunt: promittentes sub pæna quinque millium marcharum sterlinguorum omnia & singula quæ super ipsis quæstionibus mandaret, ordinaret, diceret, judicaret, seu etiam arbitraretur, firmiter observare. Ita quod in quolibet articulo hujusmodi pæna ab alterutra committeretur partium arbitrium, dictum, laudum, mandatum, seu sententiam non servante, parti ea solventi solvenda, & pæna commissa semel vel pluries aut soluta omnia in suo robore permanerent. Nos autem ejusdem monasterii procuratori, si forte ad compromittendum taliter a vobis mandatum sufficiens non haberet compromittendi, seu submittendi se nomine ipsius monasterii, prædicti episcopi ordinationi super hiis sub pœna & forma præfatis de potestatis plenitudine liberam concessimus facultatem. Et cum inter vos ex parte una, & prædictorum civitatis & bannileugæ burgenses ex altera, super theloneo præfato monasterio ab ipsis burgensibus persolvendo dissentio duraverit ab antiquo, fuit sub pæna consimili ex ejusdem comitis parte promissum, quod idem comes procuraret quod præfati burgenses rata haberent & adimplerent omnia, quæ dictus episcopus a dictis civitate & bannileuca diceret facienda, & eo modo quo ea fieri debere mandaret, sive de solvenda pecunia, seu cautionibus faciendis, aut quibuscumque aliis ad civitatem & bannileucam pertinentibus supradictas. Ut autem idem epis-

copus plenius posset in negotio instrui, A & quæstiones sopire præfatas, quæ postmodum in recidivæ conventionis relabi scrupulum non valerent, prædictarum cartarum tenores sibi fecit ostendi, quos præsentibus duximus inserendos. Tenor cartæ donationis præfatæ medietatis telonei talis est.

Universis ad quos præsentes litteræ pervenerint, M. divina permissione humilis abbas S. Vedasti Attrebatensis & ejusdem loci conventus salutem in domino. Notum facimus quod nos de mera & libera voluntate nostra, sine coactione aliqua, pro eminenti ecclesiæ nostræ utilitate, donavimus & con- B cessimus nobili viro domino R. comiti Attrebatensi & heredibus sive successoribus suis qui pro tempore erunt domini Attrebatenses, medietatem totius thelonei nostri Attrebatensis, & medietatem omnium bonorum, quæ pertinet ad ipsum theloneum, tam in justitiis, quam in aliis, a dictis comite & ejus heredibus sive successoribus dominis Attrebatensibus in perpetuum quiete & pacifice tenenda & possidenda. Et si dictus comes, vel heredes sui, sive successores domini Attrebatenses processu temporis halas construxerint, vel mercatum C aut nundinas statuerint in vico qui dicitur Strata, vel alibi apud Attrebatum, nos ibi medietatem dicti thelonei percipiemus & habebimus, & medietatem omnium eorum quæ ad ipsum theloneum pertinebunt, tam in justitiis quam in aliis. Ad quod theloneum colligendum & nobis & dicto comiti reservandum fideliter & reddendum instituentur unus serviens vel plures ex parte nostra & dicti comitis, secundum quod nobis & ipsi videbitur expedire. Qui in institutione sua nobis & dicto comiti vel nostro & suo mandato jurabunt super sacrosancta, D quod dictum theloneum colligent & reservabunt & reddent fideliter nobis & dicto comiti, vel nostro & suo mandato, singulis pro rata sua. Iidem vero collectores postquam juraverint, secundum quod prædictum est, plenam potestatem habebunt exercendi omnimodam justitiam ad theloneum prædictum pertinentem contra quoscumque, quotiens opus fuerit. Dictam autem medietatem, quam præfato comiti & suis heredibus & successoribus dedimus, ut prædictum est, nullus habebit, nisi qui fuerit dominus At- E trebatensis, nec idem comes, vel aliquis dominorum Attrebatensium, aliquid de illa medietate in toto vel in parte poterit infeodare, vel aliquid extra manum suam quocumque modo ponere, sed in perpetuum penes eos remanebit. Nec ipse comes nec aliquis dictorum dominorum Attrebatensium aliquem vel aliquos absolvere poterit, vel quitare a solutione dicti thelonei vel ejus pertinentium, quin teneantur ad ipsum solvendum, nisi de consensu utriusque partis: pro dicta vero gratia quam fecimus, ut dictum est, prædicto comiti de medietate dicti thelonei; confirmat nobis idem comes cartam claræ memoriæ regis Ludovici genitoris sui, cujus tenor talis est.

Ludovicus domini regis Franciæ primogenitus. Noverint universi præsentes pariter ac futuri, quod per veram inquisitionem cognovimus, quod Ph. quondam comes Flandriæ habuit in terra beati Vedasti Attrebatensis multrum, raptum, incendium, & justitiam omnimodam ad ista pertinentem, & latronem quando judicatus fuerit, & exercitum, & equitationem, sicut in civitate Attrebatensi, & monetam, & recursum justitiæ quando abbas & scabini & alii qui judicare debent deficiebant de jure faciendo, & gabalum. Hæc omnia nobis & heredibus nostris in perpetuum retinemus, sicut nos & antecessores nostri ea hactenus habuimus, & ubicumque habueramus. Eo modo retinemus gallinas & redditus, si quos habemus in terra illa, & advocationem illius terræ, eo modo quod si abbas vel monachi nos requisierint tamquam advocatum, vel ballivos nostros, & justificaverimus eorum rebelles, de forefacto illo tertiam partem habebimus, & abbas duas partes, & ex quo ad hoc fuerimus advocati vel ballivi nostri, non potest inde pax fieri sine nobis. Sciendum præterea, quod abbas vel monachi nullum hominem vel feminam, qui debent servitium, retinebunt in terra illa, nisi eos qui modo sunt ibi mansionarii & heredes eorum post eos. Quitamus etiam in perpetuum corveias, quas in terra illa hactenus habuimus, & de omnibus aliis liberum judicium remaneat abbati. Et judicentur liberi homines per liberos homines abbatis, & villani per scabinos in terra ecclesiæ ubi justitia debet fieri, salvo recursu justitiæ, sicut superius diximus. Volumus & concedimus quod homines ecclesiæ feodati, & servientes, & conductitii, & molendinarii, & furnarii, omnes sint ab exercitu, sicut huc usque fuerunt. Quod ut perpetuum robur obtineat, præsentem paginam sigilli nostri auctoritate, & nominis nostri caractere inferius annotato præcepimus roborari. Actum anno Domini MCCXII. regni vero patris nostri tricesimo quarto, astantibus in palatio ejusdem patris nostri quorum nomina supposita sunt & signa. Dapifero nullo. S. Guidonis buticularii, S. Barthol. camerarii, S. Drogonis constabularii. Datum vacante cancellaria per manum Guidonis de Athies.

Confirmat etiam & concedit nobis dictus comes scabinatum nostrum in suburbiis Attrebatensibus in terra ecclesiæ nostræ infra banni leucam, salvis eidem comiti & heredibus & successoribus suis in prædictis suburbiis hiis quæ sibi retinuit prædictus geni-

tor suus in terra sancti Vedasti per cartam supradictam. Quod ut robur perpetuæ stabilitatis obtineat præsentem cartam sigillorum nostrorum munimine duximus roborandam. Actum anno Domini MCCXXXIX. mense Junio.

Hanc igitur cartam prædicti comitis pars ad probandum quod ad eum spectaret medietas præfata produxit. Adjiciens quod licet pura ejusdem medietatis donatio videretur; ipse tamen propter hoc recompensationem præfato monasterio fecerat congruentem. Nam cum idem comes in civitate prædicta, in loco qui dicitur *Strata* & alibi percipiendi theloneum jus haberet, & potuisset ibidem halas, nundinas, seu mercatum constituere, ad quæ omnes vendentes & ementes in ipsa civitate accedere valuissent, propter quod inutile quasi redditum fuisset præfatum theloneum; concessit ipsi monasterio, ut si prædicta in eisdem locis fieri contingeret aut halas, in eis ab ipso percipi theloneum; medietatem ipsius idem monasterium obtineret. Contulit etiam præfato manasterio scabinatum in terra ipsius monasterii in præfatæ civitatis suburbiis, qui prædecessorum ipsius comitis extiterat ab antiquo.

Sed pro parte monasterii e contra propositum extitit, quod cum hujusmodi donatio facta de consensu conventus prædicti monasterii non fuisset, quin imo ne fieret a nonnullis de ipso conventu extitisset ad sedem apostolicam appellatum, nec in ea sedis ejusdem, cui dictum monasterium immediate subesse dinoscitur, intervenisset assensus, & per ipsam idem monasterium enormiter esset læsum, penitus non valebat. Tenor autem cartæ præfati regis in prædicta carta donationis scripta superius, totaliter est insertus qui sic incipit: LUDOVICUS, &c. Sed hanc cartam ipsius Ludovici pars comitis proposuit ideo non valere, quia cum ipsam fecit rex præfatus, & contulit quæ continebantur in ea, filium jam habebat, & secundum legem patriæ, nulla concessio a patre facta postquam natus est ei filius, potest ipsi filio præjudicium generare. E contra vero monasterii pars proposuit quod si etiam lex patriæ talis esset, locis tamen religiosis præjudicialis nullatenus existebat, & in multis in eadem carta contentis, non fiebat alienatio seu concessio, sed recognitio jurium monasterii memorati. Tenor vero cujusdam alterius cartæ, de qua erat contentio inter partes, est talis: UNIVERSIS præsentes litteras inspecturis, M. divina permissione humilis abbas sancti Vedasti Attrebatensis, & ejusdem loci conventus, salutem in Domino. Notum facimus quod ita ordinatum est inter nos ex una parte, & nobilem virum R. comitem Attrebatensem ex altera, de utriusque partis assensu communi, quod omnes possessiones quas habebamus tempore quo decessit claræ memoriæ rex LUDOVICUS, in locis in quibus villa Attrebatensis pascua reclamabat, tamquam communia, & domus de *Harvain* cum vivariis & fossatis, & pratis inclusis, eidem domui adjacentibus, nobis in perpetuum remanebunt quiete & pacifice possidenda. Omnia autem alia quæ sunt inter Athias & *Anzain*; debent redigi ad communes pasturas, sicut redacta fuerunt tempore PHILIPPI quondam comitis Flandriæ, per divisionem faciendam a servientibus nostris hereditariis. Ad quam divisionem faciendam vocabimus baillivum domini comitis tamquam advocatum, & ea quæ per divisionem illam remanebunt ad communem pasturam, erunt in perpetuum communis pastura. Nec nos, nec idem dominus comes de illa pastura quæ remanebit per divisionem alicui poterimus dare ad censum, vel ad feodum, vel in eleemosynam, vel nobis appropiare, vel aliquo alio modo alienare a pastura, imo in perpetuum remanebit communis pastura. Masuræ autem quas clauseramus circa abbatiam nostram, & muri *de Mofflaines* remanebunt sicut modo sunt, nisi processu temporis super hiis nobis dominus comes gratiam facere noluerit. Nec de cetero poterimus appropriare nobis domos vel plateas, in quibus idem comes habeat justitiam, vel exercitum, vel equitationem, nisi de assensu ipsius & voluntate, etiam si sint de censiva nostra vel feodo. Nec etiam aliquid claudere de nemore *de Mofflaines*, in quo habet garennam suam comes memoratus. In cujus rei memoriam & testimonium præsentes litteras sigillorum nostrorum munimine fecimus roborari. Actum anno Domini MCCXXXIX. mense Junio.

Dicebat ergo pars comitis, quod ea quæ in ipsa carta continebantur a nobis, cum esset nostris munita sigillis, servari debebant. Sed ex parte nostra inter alia allegabantur e contra, quod cum eadem carta in enorme ac ejusdem ipsius monasterii præjudicium facta fuisset, præsertim in terris sitis *Anzain* & *Athies*, cum ibi continentur quæ debent ad communem pasturam redigi, quodque ad divisionem illarum ballivus ejusdem comitis est vocandus, ac vos de terris hujusmodi nihil ad censum, vel in feodum seu eleemosynam dare, aut vobis appropriare, vel alio modo alienare potestis, sed debent remanere in pastura communi, & hactenus vos de terris ipsis sicut de vestris propriis fecisse noscamini, dando de illis in feodum & ad censum, & vobis etiam retinendo, prædicta carta nullius roboris existebat. Proponebatur pro vobis insuper quod aqua ibidem currens, vivarium, fossata, cursus aquarum, cum introitibus & exitibus suis ad jus & proprietatem dicti

monasterii pertinebant. Unde cum hæc continerentur in ipsa carta, si forsan processu temporis eædem aquæ, vel ipsum vivarium siccarentur, possent per ipsum comitem vel successores ipsius, aut præfatos burgenses ad communem pasturam malitiose reduci. Adjiciebatur etiam quod idem comes masuras quas juxta præfatum monasterium clauseratis, destrui ac muros *de Messlaines* perforari fecerat in vestrum præjudicium & offensam. Subjungebatur iterum magnum vobis fieri præjudicium in eo quod in præfata continebatur carta sæpedictum monasterium non posse in feodis & censivis ipsius acquirere, nisi de voluntate præfati comitis & assensu.

Præfatus igitur episcopus auditis & ad plenum intellectis nobiscum coram fratribus nostris fideliter recitatis, quod partes tam de facto quam de jure proposuerunt coram eo; in nostra & eorumdem fratrum præsentia; pronuntiavit, ordinavit, dixit, arbitratus est, judicavit, laudavit, voluit & mandavit, quod præfatus comes & ejus heredes, & successores, qui pro tempore fuerint comites Attrebatenses habeant & possideant medietatem totius thelonei in prædictis, in civitate, banleuca, juxta donationem ab eodem monasterio ipsis factam, a quibuscumque mercatoribus, nisi fuerint burgenses Attrebatenses, & medietatem eorum omnium quæ pertinent ad ipsum theloneum, tam in justitiis quam in aliis, prout continetur in carta superius annotata, & ut ab utraque partium omnes articuli observarentur in eadem carta contenti. Adjiciens ubi continetur in justitiis, ut idem habeant in forefactis & emendis occasione dicti thelonei directe provenientibus vel etiam indirecte, usque ad summam sexaginta solidorum, quæ quidem summa debetur pro subtractione thelonei secundum legem patriæ consuetam. Et si contingat fieri halas, mercatum, sive nundinas, aut alias recipi theloneum per eumdem comitem, ejus heredes & successores in prædicto loco qui dicitur *Strata*, & locis aliis in quibus dictus comes jus habet, vel ipse dictique heredes & successores habebunt faciendi prædicta: thelonei hujusmodi medietatem & forefactorum idem monasterium habeat, prout dictum est supra, pro parte dicti comitis circa theloneum, cujus medietatem ipse comes ex donatione percepit monasterii memorati. Ubi autem continetur in eadem carta de hiis qui dictum theloneum colligent, adjecit, bona fide sine dolo & fraude. Et ubi dicitur quod collectores habeant omnimodam justitiam pertinentem ad theloneum contra quascumque personas, quotiens opus fuerit, addidit, quod ballivus qui pro tempore in eadem civitate fuerit pro comite vel domino Attrebatensi, bona fide quando fiet ballivus promittat; quod ejusdem thelonei collectoribus ad colligendum ipsum, si aliquod super hoc habuerint obstaculum, juvamen impendet, & suo facto vel consilio iidem collectores aliquo modo ipsum non diminuerent theloneum, sed potius eos, quod persolvantur integre ab omnibus, fideliter adjuvabit. Ubi autem habetur, quod comes vel successores sui non poterunt illam medietatem thelonei in toto vel in parte infeudare; vel extra manum suam quocumque modo ponere; subjunxit, nisi forte totam medietatem eamdem, vel aliquam ipsius partem voluerint in eleemosynam dare, aut sub alio titulo concedere monasterio supradicto. Et ubi continetur quod comes vel ejus successores non poterunt aliquem quitare, vel absolvere a solutione thelonei, subjecit: nec facient, nec facere permittent, quin theloneum ab hiis qui debent illud solvere integre persolvatur. Immo dabunt opem & operam efficacem, ut ipsum absque diminutione persolvant. Adhuc idem episcopus ordinavit, pronuntiavit, arbitratus est, & mandavit, quod præfatus comes infra tres menses a die pronuntiationis procuret quod burgenses infra prædictas civitatem & bannileucam manentes, octogintas libras Parisienses in tribus terminis, ita quod in quolibet eorum tantumdem, videlicet tertiam partem hujusmodi summæ in omnium sanctorum, & aliam tertiam in purificationis beatæ Mariæ virginis, reliquam vero tertiam in ascensionis festis annuatim solvere in perpetuum teneantur monasterio & comiti sæpefatis inter se communiter dividendas; & super hoc cartam ejusdem civitatis sigillo munitam monasterio præfato concedant, per quam stricte se obligent ad prædictam summam statutis terminis annis singulis perpetuo persolvendam. Ita quod si burgenses ipsi in quocumque terminorum fuerint in mora solvendi, quolibet die post terminum in quo in hujusmodi mora fuerint, decem librarum Parisiensium pœnam incurrant, inter dictum monasterium & comitem pariter dividendam eamdem, & per earumdem octingentarum librarum solutionem, præfati burgenses a thelonei solutione præmissi omnino habeantur immunes. Ordinavit etiam & arbitratus est, quod omnes homines, sive infra prædictam civitatem & banleucam sive extra commorantes, qui sunt de censu ipsius monasterii, ab ejusdem thelonei solutione immunes existant. Et pro burgensibus de censu præfati monasterii existentibus & manentibus infra civitatem & banleucam prædictas, solvat civitas ipsa in recompensatione census quem solebant hujusmodi burgenses solvere, viginti tres libras Parisienses annuatim, in præmissis terminis soli monasterio supradicto. Dictique burgenses

de censu ejusdem existentes monasterii & solutorum censuum solutione penitus sint immunes, dummodo prædicti burgenses hoc acceptent; alioquin eos in statu suo liceat remanere, & præfatæ civitatis burgenses, ac omnes alii prædicti ab ejusdem solutione thelonei immunes, quantum ad suas merces proprias habeantur, & non dicant suas esse proprias alienas. Si quis autem in hoc deliquerit vel commiserit fraudem, emendam prædictam solvat inter ipsum monasterium & eumdem comitem communiter dividendam, & per illos qui ad colligendum theloneum hujusmodi adjuventur, ipsa exigatur emenda cum baillivi auxilio, ut superius est expressum. Ordinavit insuper & arbitratus est, quod si eos qui a thelonei solutione immunes remanent, ipsum præfato monasterio vel dicto comiti solvere aliquo casu contingat, illud inter eumdem comitem vel ejus heredes & successores & præfatum monasterium communiter dividatur. Arbitratus est etiam, ut ea quæ continentur in carta præfati LUDOVICI regis genitoris ejusdem comitis, quæ ipse comes confirmaverat antequam filium genuisset, firma per omnia & stabilia perseverent. Arbitratus est præterea, quod præfata carta quæ post salutationem sic incipit: Notum facimus quod ita ordinatum est inter nos ex parte una, &c. Observetur prout scripta est, usque ad illum locum: omnia autem alia, quæ sunt ab inde vero, sit vacua & inanis. De articulis autem qui infra eumdem locum continebantur in ea taliter ordinavit, quod terræ quæ sunt sitæ inter *Athies* & *Anzain*, ad communes redigantur pasturas, sicut tempore quondam PHILIPPI comitis Flandriæ redactæ fuisse noscuntur, exceptis pratis quæ monasterium tenuit & tenet usque nunc in dominio & demanio suo, & hiis quæ idem monasterium, vel ad censum vel ad feudum concessit, quæ omnia in censiva & feudo ipsius monasterii remanebunt. Habeat quoque idem monasterium aquam quæ currit per terras prædictas, & remaneat etiam ipsi monasterio vivarium de dicta curte, possitque illud & similiter præfatam aquam in cursibus & fossatis solitis, sicut & quando voluerit purgare, ipsamque aquam habeat cum fossatis & exitibus consuetis. Et si contingat aquam, vivarium, seu fossata prædicta siccari aut terra repleri, dictum monasterium ea sicut & quando voluerit evacuare valeat, & purgare, & in usus etiam proprios retinere. Si vero de communi pastura & aliis terris adjacentibus sit divisio facienda, fiat per servientes hereditarios monasterii supradicti, & ad divisionem hujusmodi, baillivus comitis ex parte ipsius monasterii tamquam advocatus, vocetur & ea per divisionem eamdem remanebunt ad communem pasturam, sint perpetuo pasturationes. Ita quod de ipsa nec comes neque dictum monasterium aliquid sibi appropriare valeant vel alienare, seu ad censam concedere, aut in eleemosynam vel in feudum. Habeat autem monasterium ipsum in ea & in prædictis aqua & vivario justitiam suam, justitia præfato comiti ejusque heredibus & successoribus dominis Attrebatensibus reservata, sicut in prædicta carta præfati regis habetur. Si vero inter hospites ejusdem monasterii, qui in prædictis terris permanserint, fuerit facienda divisio, fiat per ipsius monasterii servientes. Post hæc ordinavit & arbitratus est, quod masuræ quas vos circa ipsum clauseratis monasterium, quarumque muros dirui fecerat idem comes; monasterio prædicto remaneant, ut eas vos si volueritis, muris claudere valeatis, & si forte ibi habueritis hospites, in hujusmodi hospitibus, si eos ibidem præfatum monasterium habere voluerit, dictus comes suique heredes & successores domini Attrebatenses habeant justitiam & jura sicut in aliis civitatis burgensibus supradictæ. Ceterum ordinavit & arbitratus est, quod vos foramina quæ in muris circa domum *de Mofflaines* existentibus idem comes fieri fecerat, claudere pro vestra voluntate possitis, quodque idem monasterium locum ipsum clausum libere habeat: ita quod nec guarennam obtineat ibi comes, & suam tamen justitiam in eo habeat sicut prius. Nequeatis vero de cetero aliquid de alio nemore, seu plus de terra inibi claudere sine licentia præfati comitis aut heredum & successorum ejusdem, ne guarennam eorum per hoc impediri contingat. Porro dixit, ordinavit, & arbitratus est, quod sæpedictum monasterium non appropriet sibi deinceps domos, terras vel plateas, in quibus habet justitiam idem comes absque ipsius voluntate comitis & assensu. In feudis autem & censivis dicti monasterii extra eamdem existentibus civitatem libere idem monasterium acquirere valeat, salvo jure prædicti comitis, quod in acquirendis obtinet, ut ipsum in illis postquam ab eo fuerint acquisita possit ut antea exercere, ac idem monasterium in ipsis suam habeat justitiam, prout in eadem carta sæpefati regis plenius continetur. Super censivis vero quas idem monasterium in prædicta obtinet civitate, ordinavit & arbitratus est, dixitque hanc formam servari debere, ut si censuarius censivam dimittat, præfatum monasterium teneat locum censualem per duos primos annos secundum legem civitatis ejusdem, juxta quam censuarius ad censivam suam redire tenetur. Censuario autem post eosdem duos annos ad censivam minime redeunte, jam dictum monasterium locum eumdem per duos alios annos sequentes retinere valeat, & quantumcumque censum etiam augmentare; ulterius vero locum

ipsum retinere non possit, quin illum...., si cui concedi valeat inveniatur ab eodem monasterio vel baillivo comitis ad solitum censum tradatur. Nec possint idem comes, ejusdem heredes, & successores, causari vel calumniari in aliquo super hoc contra præfatum monasterium, si paratum fuerit locum, qui censualis extiterat, ad censum concedere consuetum. Sane ordinavit, dixit & arbitratus est, quod præfatus comes infra tres menses a die impetrationis præsentium, concederet eidem monasterio litteras super hiis suo sigillo signatas, in quibus omnia quæ in eisdem habentur præsentibus continerentur expresse, in quibus etiam homologaret seu ratificaret omnia & singula quæ contenta in præsentibus ipsis essent. Ordinavit insuper, arbitratus est, & dixit quod idem comes infra hujusmodi tempus procuraret concedi sæpefato monasterio a carissimo in Christo filio nostro rege Franciæ comitis præfati germano, litteras in quibus tam ipsius regis assensus super hiis, quam omnia quæ in eisdem continentur præsentibus haberentur. Et vos infra idem tempus litteras ipsius comitis litteris similes sigillis vestris munitas concedetis comiti supradicto. Retinuit autem sibi præfatus episcopus potestatem interpretandi & declarandi usque ad triennium præmissa, prout utilitati partium viderit expedire. Omnia vero prædicta ordinavit, arbitratus est, dixit & mandavit sub pœna præfata quam a parte quæ contra veniret, & etiam in solidum, in singulis articulis comitti voluit & pœna commissa semel vel pluries aut soluta, præmissa nihilominus omnia firma & stabilia in perpetuum permanere.

Nos igitur quod ab eodem episcopo factum est in hac parte, ratum & gratum & firmum habentes, id de prædictorum fratrum consilio auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Lugduni nonas Junii, pontificatus nostri anno secundo.

CONFIRMATIO LUDOVICI REGIS super carta Roberti comitis de theloneo & rebus aliis.

LUDOVICUS Dei gratia Francorum rex. Notum facimus universis tam præsentibus quam futuris, quod nos litteras summi pontificis vidimus in hæc verba: Innocentius episcopus servus servorum, Dei dilecto filio nobili viro R. comiti Attrebatensi, salutem & apostolicam benedictionem. Nauta navim, &c. *ut supra*. Datum Lugduni nonas Junii, pontificatus nostri anno secundo. Nos autem supradicta omnia & singula volumus & concedimus, & eis omnibus & singulis assentimus. In quorum testimonium & munimen præsentes litteras sigillo nostro signatas præfato monasterio dedimus & concessimus, prædicto R. carissimo fratre & fideli nostro Attrebatensi comite procurante. Actum apud Vicenas anno MCCXLV. mense Junio.

CARTA ROBERTI COMITIS Attrebatensis de teloneo & rebus aliis.

UNiversis præsentes litteras inspecturis R. comes Attrebatensis salutem. Noverint universi nos recepisse, vidisse & litteras habere summi pontificis in hæc verba: Innocentius episcopus servus servorum Dei, &c. *ut supra*. Datum Lugduni nonas Junii, pontificatus nostri anno secundo.

Nos autem consentientes omnibus & singulis supradictis homologamus & ratificamus omnia & singula quæ in supradictis litteris continentur. In quorum testimonium & munimen præsentes litteras sigillo nostro signatas dedimus & concessimus abbati & conventui supradictis. Actum anno Domini MCCXLV. mense Julio.

LITTERÆ S. LUDOVICI regis Francorum.

De Judæis.

Ex mss. Colbertinis.

LUDOVICUS, &c. Universis ballivis, &c. Mandantes vobis præcipimus, quatenus non obstantibus litteris nostris, quas nuper vobis transmisimus super debitis Judæorum, faciatis habere Judæis debita sua, quæ debentur eis a tempore quo confectum fuit stabilimentum de Judæis a carissimo quondam domino & genitore nostro LUDOVICO piæ recordationis. De debitis vero quæ post confectionem stabilimenti mutuo tradiderunt, vos non intromittatis, nisi de illis unde habent litteras dicti genitoris nostri vel nostras, quæ juxta tenorem illarum suarum litterarum ipsi reddi & habere faciatis: ita quod occasione litterarum prædictarum, quas, sicut prædictum est, nuper recipere debuistis, vel alia de causa pagæ quas facere nobis debent per vos non disturbentur.

FORMA LITTERARUM transmissarum baillivis pro crucesignatis.

Anno 1245. Ex ms. Colbertino.

LUDOVICUS Dei gratia Francorum rex Andreæ Juvenis salutem. Mandantes tibi præcipimus, quatenus de omnibus guerris & feudis tuæ bailliviæ ex parte nostra capias, & dari facias rectas treugas, jus faciendo ab instante nativitatis beati Johannis-Baptistæ in quinque annos duraturas, nec expectes quod partes super hoc te requirent: sed tu ipsas super hoc ex parte nostra requiras, & dari dictas treugas facias usque ad terminum memoratum. Et si aliqui sint ad dictas treugas dandas vel recipiendas rebelles, tu ipsos ad faciendum compellas, & hoc ita sollicite adimpleas, quod pro defectu tuo exinde malum vel periculum non debeat provenire. Ceterum militibus & francis hominibus, qui jam sunt vel erunt crucesignati, de debitis quæ in tua ballivia debent burgensibus, rescriptum dari facias a prædicta nativitate B. Johannis in tres annos. Si autem aliqui per juramentum ad debita teneantur, hoc usque ad eumdem terminum faciatis respectari, & plegios similiter eorumdem. Si qui vero pro debitis excommunicati fuerint, creditores eorum ad hoc compellas, quod faciant eos absolvi, salvis assignamentis factis & obligationibus terrarum. Actum Pontisaræ anno Domini MCCXLV. mense Octobri.

EPISTOLA FORTANERII abbatis S. Savini Tarbiensis ad Willelmum abbatem S. Victoris Massiliensis.

Gratias agit de sua in monasterium S. Savini sollicitudine.

Anno 1246 Ex archivis S. Victoris eruit D. Furnerius.

VEnerabili in Christo patri ac domino W. divina permissione monasterii S. Victoris Massiliensis abbati & toti ejusdem loci fratrum conventui, (a) FORTANERIUS Dei gratia abbas sancti Savini & totus fratrum conventus debitam reverentiam cum salute.

Piæ recordationis affectum, quem habuit erga nos filios & fratres & ipsum monasterium S. Savini, pia mater nostra S. Victoris Massiliensis ecclesia, frequentius cognovimus evidenter, tum propter directionem fratrum de vestri monasterii gremio ad nostrum factam sæpius monasterium, tum propter quod nostros aliquando fratres vobiscum summæ humilitatis ac reverentiæ gradibus onerastis, & nunc si quidem regratiari vobis ampliori compellimur studio, quod dilectum in Christo fratrem Bermundum de Mairosio monachum ad inquirendum, corrigendum, & reformandum, ad nostrum monasterium descendere præcepistis, maxime cum ejus vita & conversatio nobis in normam fuerit & exemplum, & ea quæ de novo & bene instituit in nostro monasterio religioni & ordini consona videantur: quæ quidem omnia gratanter & grato proposito complectimur observare pro posse virium, sicut inferius ordinatur.

In nomine Domini, anno incarnationis ejusdem millesimo ducentesimo quadragesimo sexto, pridie calendas Septembris, &c. *Ipsa est carta visitationis in qua multa leguntur reformationis statuta.*

CARTA S. LUDOVICI REGIS Francorum, pro comite Fuxensi.

Anno 1246 Ex ms. Colbertino.

LUDOVICUS Dei gratia Francorum rex, universis præsentes litteras inspecturis salutem.

Noverit universitas vestra, quod nos dilecto & fideli nostro ROGERIO comiti Fuxi dedimus & concessimus illud quod habebamus & possidebamus apud villam de Tribus-bonis, a prædicto comite, quamdiu nobis placuerit tenendum & possidendum, salvo in omnibus jure alieno. In cujus rei testimonium præsentibus litteris sigillum nostrum duximus apponendum. Actum apud S. Germanum in Laia, anno Domini MCCXLVI. mense Novembri.

CARTA S. LUDOVICI regis pro comite Petragoricensi.

Anno 1247 Ex ms. Colbertino.

LUDOVICUS, &c. Notum facimus, quod cum per arbitrium a dilectis & fidelibus nostris P. de Erveatre milite nostro, magistro Guillelmo de Lemovicis, & Garnero clericis nostris, coram nobis prolatum super contentionibus & querelis, quas habebant ad invicem dilectus & fidelis noster Elias Talairandus comes Petragoricensis, & burgenses Podii S. Frontonis Petragoricensis, super quibus a partibus prædictis compromissum fuerat in eosdem, inter cetera fuerit ordinatum, quod omnes reditus & omnia jura quæ habebat idem comes in villa Podii S. Frontonis, de quibus per recognitionem consulum dictæ villæ & alias legitimo modo constiterit, quod de ipsis erat in possessione pacifica dictus comes antequam guerram moveret contra burgenses prædictos. Nos quamdiu vixerit idem comes, vel quamdiu placuerit nobis, ha-

(a) Is abbas Fortanerius omissus in Gallia Christiana innotescit non solum ex hac epistola, sed etiam ex juramento quod præstitit Vuillelmo abbati Massiliensi anno 1245. VI. cal. Aprilis in capitulo monasterii sancti Victoris Massiliensis, in præsentia & testimonio totius conventus, uti legitur in parvo cartario fol. LXXI. verso.

beamus

beamus & teneamus, eorum tamen proventibus per triennium proximum post ipsius arbitrii prolationem distribuendis inter uxores & liberos pauperum occisorum in terra illa de villa Podii S. Frontonis vel heredum ipsorum. Nos benigne volentes agere cum comite prædicto, qui firmiter nobis promisit, & etiam coram nobis spontanea voluntate super sacrosancta juravit, quod semper de cetero fidelis erit nobis & heredibus nostris, & fidele servitium nobis exhibebit, necnon & in instanti passagio nostro cum carissimo fratre nostro R. comite Atrebatensi transfretabit in subsidium Terræ-sanctæ, eumdem comitem post elapsum triennium de gratia speciali restituimus ad omnes reditus & jura quæ habebat in villa Podii S. Frontonis, quæ per formam arbitrii supradicti poterimus, si vellemus, habere & tenere quamdiu viveret idem comes, de quibus legitime constiterit, sicut præmissum est, quod de ipsis erat idem comes in possessione pacifica ante guerram prædictam. In cujus rei testimonium, &c. Actum apud Crispiacum, anno Domini MCCXLVII. mense Aprili.

JURAMENTUM COMITIS Petragoricensis, super castro de Radulfia.

Anno 1247 Ex ms. Colbertino.

EGo ELIAS TALAIRANDUS comes Petragoricensis, notum facio omnibus præsentes litteras inspecturis, quod ego carissimo domino meo Ludovico regi Francorum illustri promisi, & super sacrosancta juravi, quod ego semper de cetero fidelis ero ei & heredibus suis & eidem domino regi & heredibus serviam, & quod castrum meum de Radulfia eidem domino regi, vel ejus mandato reddam ad parvam vim & ad magnam, quandocumque & quotiens ab ipso vel ejus mandato super hoc fuero requisitus, & quod idem castrum non tradam vel committam alicui, qui sit inimicus domini regis, vel quem dominus rex habeat pro inimico vel suspecto. In cujus rei testimonium præsentes litteras sigillo meo feci communiri. Actum apud Crispiacum anno Domini MCCXLVII. mense Aprili.

JURAMENTUM COMITIS Petragoricensis.

De transfretando in Terram-sanctam cum comite Atrebatensi.

Anno 1247. Ex ms. Colbertino.

EGo Elias Talairandus comes Petragoricensis notum facio universis præsentes litteras inspecturis, quod ego coram carissimo domino meo domino Ludovico rege Francorum illustri super sacrosancta evangelia juravi quod in instanti passagio ipsius cum domino Atrebatensi comite ipsius domini regis fratre transfretabo in servitium JESU CHRISTI & subsidium Terræ-sanctæ. In cujus rei testimonium præsentes litteras sigillo meo feci communiri. Actum apud Crispiacum anno Domini MCCXLVII. mense Aprili.

EPISTOLA FRATRUM LEONIS, Rufini, & Angeli ad Crescentium generalem ordinis Minorum.

Scripta ab eis de vita & virtutibus sancti Francisci ipsi mittunt.

Hæc sunt quædam scripta per tres socios beati Francisci de vita & conversatione ejus in habitu sæculari, de mirabili & perfecta conversatione ipsius, & de perfectione originis & fundamenti ordinis in ipso, & in primis fratribus, & hoc per hunc modum consequentem.

Anno 1247. Ex ms. canonicorum regularium Agonia Christi Turgrensium

REverendo in Christo patri fratri CRESCENTIO Dei gratia generali ministro; frater Leo, frater Rufinus, & frater Angelus olim socii, licet indigni beatissimi patris FRANCISCI, reverentiam in Domino debitam & devotam.

Cum de mandato Christi, præteriti capituli generalis & vestro teneantur fratres signa & prodigia beatissimi Francisci quæ scire & reperire possunt vestræ paternitati dirigere, visum est nobis, qui secum, licet indigni, fuimus diutius conversati, pauca de multis gestis ipsius, quæ per nos vidimus, vel per alios sanctos fratres scire potuimus, & specialiter per fratrem Johannem visitatorem pauperum dominarum, fratrem Illuminatum de Arce, fratrem Masseum de Marignano, & fratrem Johannem socium venerabilis patris fratris Ægidii, qui plura de his habuit de eodem sancto patre, & sanctæ memoriæ fratre Bernardo primo socio B. Francisci, sanctitati vestræ veritate prævia intimare, non contenti narrare solum miracula, quæ sanctitatem non faciunt, sed ostendunt; sed etiam conversationis ejus insignia, & pii beneplaciti voluntatem ostendere cupientes ad laudem & gloriam summi Dei, & dicti patris sanctissimi, atque ædificationem volentium ejus vestigia imitari, quæ tamen in modum legendæ non scribimus, cum dudum de vita sua & miraculis, quæ per eum Dominus operatus est, sint confectæ legendæ; sed velut in amœno prato quosdam flores, qui arbitrio nostro sunt pulchriores, excerpimus, continuantem historiam non sequentes, sed multa seriose relinquentes, quæ in prædictis legendis sunt posita tam veridico quam luculento sermone, quibus pauca quæ scri-

bimus, poteritis facere inseri, si vestra discretio viderit esse justum. Credimus enim quod si venerabilibus viris qui præfatas confecerunt legendas, hæc nota fuissent, ea minime prætermisissent, nisi saltem pro parte ipsa suo decorassent eloquio, & posteris ad memoriam reliquissent. Semper integre valeat vestra sancta paternitas in Domino JESU CHRISTO, in quo nos filios vestros devotos sanctitati vestræ recommendamus humiliter & devote. Data in loco Grecii III. idus Augusti, anno Domini MCCXLVII.

LITTERÆ DOMINI REGIS super concessione quinque millium librarum annui reditus comiti Andegavensi & Provinciæ ad vitam suam.

Anno 1247. Ex ms. Colbertino.

LUDOVICUS, &c. Notum facimus, quod nos carissimo fratri ac fideli nostro CAROLO comiti Andegaviæ & Provinciæ dedimus & concessimus quinque millia librarum Parisiensium annui reditus, in tribus compotis nostris, videlicet in compoto ascensionis, omnium sanctorum, & candelosæ, de nobis vel herede nostro, quoad vixerit, percipienda: ita quod in quolibet compoto supradicto tertiam partem recipiet summæ superius annotatæ. De his autem idem frater noster homagium ligium nobis fecit, & post ejus decessum dicta quinque millia librarum nobis vel heredibus nostris regibus Franciæ libere & sine contradictione remanebunt: tali etiam tenore, quod si extra dictos comitatus, Andegaviæ videlicet & Provinciæ eidem fratri nostro in terra vel reditibus aliquid per nos accresceret, quod valeret dictam summam pecuniæ annui reditus per aliud matrimonium vel etiam alio modo, dicta quinque millia librarum annui reditus ad nos vel heredes nostros reges Franciæ libere revertentur: & si etiam dicto modo eidem per nos aliquid accresceret, quod dicta quinque millia librarum annui reditus non valeret: secundum tamen quantitatem augmenti de dicta summa pecuniæ possemus subtrahere si vellemus, & ad nos vel heredes nostros reges Francorum sine contradictione aliqua reverterentur. Actum apud Pontisaram, anno Domini MCCXLVII. mense Octobri.

EPISTOLA S. LUDOVICI REGIS Francorum, ad Fridericum II. imperatorem.

Gratias agit quod transituro exercitui ad Terram-sanctam victualia in terris imperii coëmi permittat.

Anno 1248. Ex ms. Colbertino.

EXcellentissimo & carissimo amico suo FRIDERICO Dei gratia illustri Romanorum imperatori semper augusto, Jerusalem & Siciliæ regi, LUDOVICUS eadem gratia rex Francorum salutem & sinceræ dilectionis affectum.

Nuncium vestrum Hugonem de Alba-Mara militem latorem præsentium, una cum litteris quas per ipsum nobis vestra dilectio destinavit, recepimus hilariter, prout decuit, & gaudenter: & quia tam ex nuntiorum nostrorum relatione fideli, quam per vestra scripta patentia, quæ nobis exhibuit idem Hugo, ipsiusque nobis assertione innotuit, quod preces nostras per prædictos nuntios nostros vestræ serenitati porrectas, præsertim pro victualibus & aliis necessariis de imperii & regnorum vestrorum finibus extrahendis, pro passagio nostro in subsidium Terræ-sanctæ, ad amicabilem exauditionis gratiam admisistis, gratiarum vobis referimus actiones, petitioni ejusdem nuntii vestri benigne super hoc annuentes; ut si forte, quod absit, aliquo casu fortuito præpediente contingat, nos vel carissimum fratrem nostrum ROBERTUM comitem Attrebatensem, prout certo incommutabilique, Domino auxiliante, proposito penes nos est firmatum, in Terræ-sanctæ subsidium non transire directe, nobis de prædicta concessione vestra litteræ nullam habeant firmitatem. Ceterum super eo quod prædictus nuncius vester adjecit, ut si quæ terræ per cruce-signatos in Terram-sanctam in instanti passagio transituros fuerint acquisitæ, ad jus & proprietatem regni Jerusalem debeat eadem acquisita devenire, celsitudini vestræ tenore præsentium intimamus, quod cum pro solo divinæ majestatis honore & exaltatione fidei negotium antedictum suscipimus, nihil in ejusdem prosecutione negotii facere, Domino favente, proponimus, quod nedum vobis & dilecto amico nostro C. illustri Romanorum in regem electo, regni Jerosolymitani heredi nato vestro, sed nec etiam alicui homini Christiano possit præjudicium generare, vel juris sui parere læsionem. Super eo quoque quod petiit nuncius vester, ut nec ad hostes vestros de terris vestris victualia deferantur eorum commodis applicanda, nec inimicis aut rebellibus vestris, sub concessæ nobis libertatis obtentu, prætextu victualium quærendorum in terris vestris, sub specie mercatorum ingressum liberum habentibus, quicquam in vestra vel vestrorum dispendia liceat attentare, Serenitati vestræ volumus esse notum, quod hæc ex nostra voluntate non fient; sed & fidelibus & subditis nostris libenter curabimus inhibere, ne fiant. At quia super his quæ de facto alieno dependent, non decet nos, nec possumus competenter promissionem facere certiorem, poterit vestra serenitas, si expedire videritis, ab illis merca-

toribus, quibus secundum concessionis vestræ tenorem terrarum vestrarum patebit ingressus, pro victualibus educendis, mercatoriam super hoc exigere caprationem. Ad hæc super eo quod nuntius vester de contracti jam dudum fœderis innovatione subjunxit, secretam ei responsionem fecimus, quam ipsi serenitati vestræ poterit viva voce fideliter intimare. (a) Actum, &c.

LITTERÆ PETRI CARDINALIS ad moniales Gerdinenses.

Ecclesiam parochialem Gerdinensem ab episcopo & capitulo Paderbornensi concessam ipsis confirmat.

Anno 1248. Ex cartario Gerdinensi.

PETRUS miseratione divina S. Georgii ad velum aureum diaconus cardinalis, apostolicæ sedis legatus, dilectis in Christo priorissæ & conventui monasterii in *Gerdene* ordinis S. Benedicti Patherburnensis diœcesis salutem in Domino.

Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum, & vota quæ a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Cum igitur sicut exhibita nobis vestra petitio continebat, bonæ memoriæ B. Patherbornensis episcopus una cum consensu capituli sui, parochialem ecclesiam in *Gerdene* ad eos pleno jure spectantem, pia & provida liberalitate vobis in usus proprios duxerit concedendam, prout in litteris inde confectis dicitur contineri; nos vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, quod per eumdem episcopum rite ac provide factum est in hac parte, auctoritate vobis præsentium confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus, nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hæc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum in castris coram Aquis, pridie nonas Augusti, anno Domini MCCXLVIII.

HÆ SUNT LITTERÆ ERACLII de Monte-Lauro patris.

De homagio & fidelitate domino regi factis a duobus filiis.

Anno 1248. Ex ms. Colbertino.

EXcellentissimo domino suo LUDOVICO Dei gratia regi Francorum illustri, ERACLEUS DE MONTE-LAURO pater homo suus salutem & fidele servitium.

Cum nos castra de Monte-lauro & de Chambo a rege PHILIPPO claræ memoriæ avo vestro in feodum teneremus: quæ castra a domino episcopo Mimatensi nescienter postea in feodum recepimus. Nos in recompensatione dictorum castrorum, volumus in feodum recipere & tenere de vobis & heredibus vestris feoda duorum castrorum, videlicet de Aynaco & de Beorzeto, quæ a nemine tenemus. Et quia ad altitudinis vestræ præsentiam propter infirmitatem corporis nostri accedere non possumus, mittimus ad vos filios nostros carissimos, videlicet PONTIUM DE MONTE-LAURO primogenitum, qui de castro Aynaco; & ERACLEUM DE MONTE-LAURO, qui de castro de Beorzeto homagium & fidelitatem vobis facient, & ipsi & sui de vobis & heredibus vestris feoda dictorum castrorum de Aynaco & de Beorzeto in perpetuum tenebunt in feodum. Unde dominationem vestram rogando requirimus, quatenus dictos filios nostros de feodis prædictorum castrorum in homines recipiatis, sicut superius est expressum. Datum apud *Harnempde* sabbato in festo B. Petri ad vincula, anno Domini MCCXLVIII. mense Augusto.

LITTERÆ JUHELLI Remensis archiepiscopi.

De benedictione Isabellæ abbatissæ Avenia censis in monasterio S. Amandi.

Anno 1248. Ex cartario S. Amandi.

JOELLUS miseratione divina Remensis archiepiscopus universis præsentes litteras visuris in Domino salutem.

Noverit universitas vestra, quod nos in festo beatorum apostolorum Simonis & Judæ anno Domini MCCXLVIII. ad monasterium S. Amandi in Pabula Tornacensis diœcesis personaliter accedentes, & religiosæ mulieri ISABELLÆ abbatissæ de Aveniaco Remensis diœcesis munus benedictionis impendentes, non intendimus nec volumus per hoc abbatis & conventus dicti monasterii privilegia infringere, nec eis in aliquo præjudicium generari; dictam benedictionem ex eorum permissione & gratia in ipso monasterio nos fecisse plenius confitentes: in cujus rei testimonium præsentes litteras sigillo nostro duximus sigillandas. Actum in festo supradicto, anno Domini ut supra.

(a) Vide, si lubet, Frederici epistolam ad comitem Casertanum, qua jubet transfretantem Franciæ regem eo quo decet honore in terra Laboris ab ipso suscipi. Extat apud Baluz. tom. 1. Miscell.

CARTA S. LUDOVICI REGIS pro monasterio Regalis-montis.

Quædam ei prædia donat.

Anno 1249. *Ex ms. Colbertino.*

IN nomine, &c. LUDOVICUS, &c. notum facimus, quod cum olim abbatiæ nostræ Regalis-montis concesserimus domum nostram Vallis-pendentis cum pascuis territorii ejusdem, ita quod possint in eis tenere usque ad quadringentas oves, sicut in litteris nostris super hoc confectis plenius continetur. Nos adhuc volentes ejusdem abbatiæ reditus ampliare, terram arabilem adjacentem prædictæ domui usque ad decem & octo arpenta, si tantum terræ arabilis habeamus ibidem, eidem abbatiæ in puram & perpetuam eleemosynam concedimus & donamus, salvo omni jure alieno, & salvis etiam hominibus vicinarum villarum pasturis suis post collectionem fructuum, quas habere consueverunt ibidem quamdiu tenuimus eamdem domum. Quod ut perpetuæ, &c. Actum in castris juxta Damiatam anno incarnationis dominicæ MCCXLIX. mense Septembri, regni vero nostri XXIII. astantibus, &c.

CARTA S. LUDOVICI REGIS Francorum.

De compositione ipsum inter & Droconem de Melloto inita super castris Locharum & Castellionis.

Anno 1249 *Ex ms. Colbertino.*

IN nomine sancto & individuæ Trinitatis. Amen. LUDOVICUS Dei gratia Francorum rex. Notum facimus quod cum inter nos ex una parte, & dilectum & fidelem nostrum DROCONEM DE MELLOTO ex altera esset contentio, super castris Lochiarum & Castellionem super Aindram, & eorum castellaniis ac pertinentiis eorumdem, in quibus dictus Droco se jus habere dicebat, occasione cujusdam donationis olim factæ Droconi de Melloto patruo ejus defuncto, ab inclytæ recordationis rege PH. avo nostro, quibusdam exceptis, quæ sibi retinuerat in eisdem; nobis e contrario dicentibus ea post mortem dicti Droconis ad nos totaliter devenisse, propositisque rationibus hinc inde, peteret idem Droco jus curiæ nostræ, quod parati eramus ei facere de præmissis: tandem die assignata, mediantibus bonis viris, talis inter nos & ipsum compositio intercessit, quod dictus Droco in nostra præsentia constitutus omne jus, si quod habebat vel habere poterat in prædictis castris & eorum castellaniis ac pertinentiis eorumdem, nobis & heredibus nostris quittavit in perpetuum: promittens se ea garantizaturum nobis & heredibus nostris

A contra dilectum & fidelem nostrum GUIDONEM episcopum Autissiodorensem fratrem suum, & neptem suam filiam GUILLELMI DE MELLOTO fratris sui, ac sorores ipsius, & contra quoscumque alios de parentela sua, qui in prædictis aliquid juris reclamarent, & vellent jus super hoc expectare in curia nostra, secundum usus & consuetudines locorum in quibus sita sunt dicta castra. Hæc siquidem tactis sacro-sanctis juravit dictus Droco se fideliter ac firmiter observaturum, prout superius sunt expressa. Nos autem pro bono pacis concessimus

B eidem Droconi & heredibus ejus in perpetuum in feodum & homagium ligium de nobis & heredibus nostris tenendum, sexcentas libras Parisienses percipiendas a nobis & heredibus nostris in compotis nostris Parisius annuatim in octabis omnium sanctorum, de quibus dictus Droco nobis fecit homagium ligium contra omnes homines & feminas, qui possunt vivere & mori, salvo homagio feodi de sancto Prisco, quod tenet de dilecta & fideli nostra comitissa Nivernensi. De his etiam heredes ipsius Droconis nobis & heredibus nostris simili-

C ter homagium ligium facere tenebuntur, salvo homagio feodi prædicti, quod tenet de comitissa memorata. Quod ut perpetuæ stabilitatis robur obtineat, præsentem paginam sigilli nostri auctoritate & regii nominis caractere inferius annotato fecimus communiri. Actum in castris in Ægypto juxta fluvium Nili anno Incarnationis dominicæ MCCXLIX. mense Decembri, regni vero nostri anno XXIV. astantibus in palatio nostro quorum nomina supposita sunt & signa. Dapifero nullo. Signum STEPHANI bu-

D ticularii, signum JOHANNIS camerarii, signum IMBERTI constabularii. Datum vacante cancellaria.

FUNDATIO MONASTERII de Fayeta ordinis Grandimontensis.

NOs JOHANNES comes Burgundiæ & dominus Salini, notum facimus universis præsentes litteras inspecturis, quod nos voluntate spontanea & assensu ISABELLIS comitissæ uxoris nostræ, pro animæ nostræ & animarum omnium antecessorum remedio & salute, dedimus & concessimus

Anno 1249 *Communicavit R. Prior Dessoisses.*

E in puram eleemosynam domum nostram de Fayeta, cum omnibus appendiciis & pertinentiis dictæ domus; videlicet in pratis, aquis, nemoribus, terris, hominibus ibidem perpetue morantibus, & heredibus & tenementis eorumdem. Insuper & molendinum & stagnum contigua dictæ domus, & aquas eis adjacentes, cum toto nemore, quod a Stephano domino de la Cassannha acquisivimus legitima emtione, Deo & bea-

tæ Mariæ & priori Grandimontis & fratribus in dicta domo Deo servientibus præsentibus & futuris. Item, dedimus & concessimus eisdem in puram & perpetuam eleemosynam L. libras rendualis monetæ, quæ in comitatu Burgundiæ curret pro tempore, quas assedimus eis singulis annis in pace habendas & percipiendas, in festo S. Andreæ apostoli medietatem, & in quindena paschæ proximo sequentis aliam medietatem, in puteo nostro Salinensi sine molestia & contradictione aliqua sibi nullo tempore facienda. Præterea, nos utilitati & libertati eorum providere volentes, concessimus & dedimus prædictis fratribus & hominibus, ut ipsi cum rebus suis universis quitti, liberi & immunes de cetero in perpetuum sint per totam terram nostram ab omni pedagio, costumis, & exactionibus omnibus aliis quibuscumque, & ut omnia animalia tam fratrum quam hominum suorum paturagia habeant libera per totam terram nostram, salvo damno rationabili reddendo sine emenda. Hæc autem omnia & singula, prout superius nominatim declarantur, bona fide & sincero corde, cum omni jure & dominio, quæ habemus vel habere possumus, nos & heredes nostri præsentes & futuri, in universis sæpissime dictis sine contradictione, reclamatione, molestia, nullo tempore facienda dedimus & concessimus priori & fratribus antedictis in puram & perpetuam eleemosynam, libere, quiete & pacifice possidendam. Et de his omnibus & singulis nos omnino devestivimus, & eosdem corporaliter investivimus, promittentes bona fide servare, defendere, garentire contra universos homines eleemosynam nostram, & quod de cetero contra hæc universa, seu contra aliquam partem, nec contra præsentem paginam non veniemus, nec aliquem venire faciemus, consentiemus, nec illud permittemus.

In præmissorum omnium testimonium, auctoritatem & munimen, ut donatio stabilior omni tempore & firmior perseveret, præsentem paginam sigilli nostri munimine voluimus & dignum duximus roborandam. Datum anno Domini MCCXLIX. mense Novembris in crastinum omnium sanctorum.

CARTA S. LUDOVICI REGIS Francorum

Pro comitibus Attrebati & Pontivi.

Anno 1250. *Ex ms. Colbertino.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Amen. LUDOVICUS Dei gratia Francorum rex. Notum facimus, quod cum inter dilectos & fideles nostros * R. comitem Attrebatensem fratrem nostrum ex una parte, & SIMONEM comitem Pontivi & ejus uxorem ex altera, super justitia terræ comitis

* Robertum.

A Pontivi, sicut se comportat a medio fili aquæ Autyæ usque ad Spinam Alvernosam, & per medium fili ejusdem aquæ, sicut se comportat a dicta Spina usque directe ad Aubelotum de *Dorlens* versus Hesdinum, quæstio verteretur: de consensu partium inquesta facta esset, per quam inventum fuit PH. comitem Flandriæ & claræ memoriæ LUDOVICUM genitorem nostrum, antequam rex esset, tempore GUILLELMI comitis Pontivi & tempore prædicti SIMONIS & uxoris suæ, infra terminos prædictos versus Hisdinum justitiam habuisse, judicatum fuit in B curia nostra justitiam esse prædicti fratris nostri R. comitis Attrebatensis, prædictorum Ph. & Ludovici genitoris nostri successoris infra terminos supradictos, hoc salvo comiti Pontivensi, quod habet ibi placitum fundi, ubi habet feodum vel dominium, & pro reditibus suis & servitiis & releveiis eorumdem. Volumus autem & præcipimus heredes prædicti fratris nostri eamdem habere justitiam in his quæ fuerint & quæ tenemus de comitatu Pontivi infra terminos prædictos, cum claræ memoriæ LUDOVICUS pater noster eidem fratri nostro pro parte C hereditatis contulerit quidquid eidem patri nostro obvenerat ex parte ISABELLIS matris suæ, ratione cujus exercuerat ibi justitiam prædictus pater noster. Quod ut perpetuæ stabilitatis robur obtineat, præsentem paginam sigilli nostri auctoritate fecimus communiri. Actum in Ægypto in castris juxta Masoram anno Incarnationis dominicæ MCCXLIX. mense Martio, regni vero nostri anno XXIV. astantibus in palatio nostro quorum nomina supposita sunt & signa. Dapifero nullo, signum STEPHANI buticularii, S. JOHANNIS camerarii, S. IMBERTI constabularii. Data vacante cancellaria.

D

EPISTOLA S. LUDOVICI regis ad Blancham reginam matrem suam,

Ut commutationem faciat redituum Regalis-Montis in Normannia, & de vineis dandis monialibus Meledunensibus.

EXcellentissimæ & carissimæ dominæ & matri suæ B. Dei gratia Francorum reginæ illustri LUDOVICUS, &c.

Anno 1250. *Ex ms. Colbertino.*

E Serenitatis vestræ litteras recepimus, continentes quod vos commutationem redituum quos monachi Regalis-Montis habent in Normannia propter hoc facere distulistis, quod litteræ dictis monachis concessæ a nobis vobis non dirigebantur, nec vobis litteras super hoc direxissemus speciales; & si placeret nobis vos dictam commutationem faceretis, dum tamen hoc vobis significare per nostras patentes litteras curaremus.

Hinc est quod dominationi vestræ tenore præsentium declaramus, quod bene placet nobis, & super hoc etiam vestram excellentiam exoramus, quatenus dictorum redituum commutationem faciatis secundum tenorem litterarum vestrarum, quarum fratres A. & H. monachi Regalis-Montis transcriptum nobis, sicut asserunt, attulerunt, vel alio modo secundum quod videbitis bonum esse. Præter hæc autem cum circa Meledunum quasdam terras habeamus abbatiæ vestræ de (a) Meleduno proximas, quæ parum nobis prosunt, & dictæ abbatiæ valde essent necessariæ ad vineas faciendas, sicut nobis dicti monachi retulerunt, non tamen in qua quantitate dictæ terræ eidem abbatiæ essent necessariæ exprimentes: Volumus, si dominationi vestræ placuerit, quod vos dictas terras in ea quantitate quæ vobis placuerit, abbatissæ & conventui dicti loci tradatis, eo modo quo videritis faciendum. Quod autem super hoc feceritis, ratum & gratum habemus & habebimus in futurum. Actum Acon anno Domini MCCL. mense Julio.

LITTERÆ S. LUDOVICI REGIS

De institutione capellaniæ in ecclesia Pissiacensi.

Anno 1250. *Ex ms. Colbertino.*

LUDOVICUS Dei gratia Francorum rex. Notum facimus, quod nos capellaniam unam instituimus in ecclesia B. Mariæ Pissiacensi, in qua cepellanus, quamdiu vixerimus, divinum celebrabit officium, prout consuetum est in ecclesia memorata. Hoc adjecto, quod qualibet die sabbati missam de beata Maria tenebitur celebrare: post decessum autem nostrum pro anima nostra specialiter singulis diebus missam tenebitur celebrare defunctorum, exceptis (b) dumtaxat diebus dominicis, necnon diebus cœnæ Domini, parasceves, vigilia & die resurrectionis dominicæ, die ascensionis, die pentecostes, die festo omnium sanctorum, die natalis Domini, die circumcisionis, die epiphaniæ, & quatuor solemnitatibus beatæ Mariæ, ac die dedicationis ecclesiæ memoratæ. In quibus omnibus diebus aut festivitatibus poterit idem capellanus officium quod diei aut festivitati competet, celebrare. In qualibet autem die sabbati, sicut prædictum est, missam de beata Maria celebrabit, nisi aliqua dictarum festivitatum prænominatarum evenerit ipsa die. Assignamus autem capellano, qui deserviet in prædicta capellania, sexdecim libras Parisienses annui reditus, percipiendas in præpositura nostra Pissiacensi: medietatem videlicet in festo omnium sanctorum, & medietatem aliam in festo ascensionis dominicæ, per manum præpositi dicti loci: volentes & præcipientes quod quicumque pro tempore fuerit præpositus Pissiaci, dictas sexdecim libras in dictis terminis præfato capellano sine difficultate persolvat. Quod ut ratum, &c. Actum Acon anno Domini MCCL. mense Augusto.

Item littera de institutione alterius capellaniæ in eadem ecclesia pro anima bonæ memoriæ R. comitis Attrebatensis eodem anno & mense.

(a) Lilium vulgo appellatur, hactenusque perstat sub strictiore observantia ordinis Cisterciensis.

(b) Hinc colliges tempore S. Ludovici omni die, præter hic expressos, licitum fuisse missam de defunctis celebrare.

EPISTOLA S. LUDOVICI REGIS ad Blancham reginam Francorum.

Petri de Lissiaco nepotibus & consanguineis orat ut de annua summa subveniatur.

Anno 1251. *Ex ms. Colbertino.*

EXcellentissimæ, &c. Datum est nobis intelligi, quod dilectus quondam clericus noster magister Petrus de Lissiaco Theobaldum, & Felisetum filium Eremberti, & Johannem *Marsille* clericos nepotes suos, & Guillelmum filium defuncti Gileberti, Giletum & Guillotum fratres & Odetum de Lissiaco clericos suos consanguineos, in scholis Parisius & alibi sustentabat ad sumtus suos proprios. Unde cum dictus magister Petrus, qui in servitio JESU-CHRISTI in Cismarinis partibus & nostro diu laboravit, die captionis nostræ interfectus fuit, ut credimus, provisionem dicti magistri Petri supplere volentes in aliquo, serenitatem vestram rogamus, quatinus præfatis tribus nepotibus Theobaldo, Petro & Johanni, unicuique eorum decem libras Parisienses, & prædictis quatuor Guillelmo, Gileto, & Guiloto fratribus & Odeto consanguineis suis, cuique eorum centum solidos Parisienses, quos concessimus eisdem per annum, quamdiu placuerit nobis, vel usque dum provideatur eis de beneficiis ecclesiasticis singulis annis, ut prædictum est, de nostro tradi faciatis. Actum Acon anno Domini MCCLI. mense Martio.

EPISTOLA ABBATI ET GENERALI capitulo Cisterciensi,

Ut Cistercienses in suo capitulo generali ad ea per quæ inter eos concordia servetur intendant, & ad Dominum pro papa orationes effundant.

Ex mss. illustrissimi domini Chauvelin.

ILle summus & mirabilis opifex, cujus mira & procul dubio admiranda sunt opera, qui suam ædificavit ecclesiam super petram, & ne umquam fides ejus deficeret exoravit, illam solida firmitate stabiliens, ipsam non solum ad ornatus decentiam, sed ad exigen-

tiam inexpugnabilis firmitatis ordinum & A religionum diversitate munivit, ut sit varietate circumdata, & sicut turris David cum propugnaculis ædificata firmissimis, ex qua mille clypei pendeant, omnis fortium armatura. Horum eadem ecclesia fulta suffragiis, quasi bellatorum stipata cuneis, & velut castrorum acies ordinata terribilis, secura cum hoste antiquo congreditur, & non solum ad confutandas spirituum malignorum insidias & insidiosos repellendos insultus; sed & ad apertos ascendentium ex adverso impetus superandos imperterrita & immota consistit. Sane quo magis inter ceteros spiritualis belli B belligeros sacri Cisterciensis ordinis candidi Nazarei, & ipsius exercitus candidatus, ad illius honorem, qui est candor lucis æternæ & divinæ quædam emanatio claritatis, ab ordinis ipsius exordio exercitio congressus hujusmodi vacaverunt instantius & efficacius institerunt, quoque ipsorum suffragia imbecillitati nostræ desideramus & confidimus virilius suffragari; tanto adhæsit eidem ordini anima nostra ferventius, & ad conservandam integritatem prosperi status ejusdem ardentius aspiramus. Ideoque universitatem vestram monemus, rogamus & hortamur C attente, vobis nihilominus per apostolica scripta injungentes, quatenus in salubri congregationis vestræ capitulo illis vacetis unanimiter & concorditer intendatis, per quæ sic semper, auxiliante Domino, servetur in vobis votorum concordia, & unanimitas animorum, quod perpetuo unius moris in domo Domini habitantes, saluti animarum vestrarum possitis salubrius inservire, & illibatam famam vestram & ejusdem vestri ordinis conservare. Ceterum licet speremus indubie, quod vos caritatis igne in ara vestrorum cordium ardenter succensi, paternum affectum, quem ad vos & eumdem ordinem gerimus, attendentes, patri gratam D filialis dilectionis vicissitudinem rependatis, vestrarum orationum nos frequenti opitulatione juvantes: nihilominus tamen, ne tantam coram vobis gratiam negligere videamur, earum pro nobis frequentiam humiliter implorantes, instanter petimus, ut sic nos assiduis suæ caritatis caloribus, velut Abisac Sunamitis adolescentula virgo, vestra immaculata religio foveat, quod in nobis qui nec senis David vires attingimus, debitum prosequendi suscepti onus officii, nullo modo umquam tempore frigescat.

TESTAMENTUM ISABELLIS comitissæ Ruthenensis.

Anno 1251. Ex ms. Colbertino.

IN nomine Domini nostri JESU CHRISTI. Amen. Anno Incarnationis ejusdem millesimo CCLI, ego ISABELLIS filia quondam nobilis viri domini RAYMUNDI DE ROCAFOLIO, uxor nunc domini comitis Ruthenensis, in mea bona & sana memoria, licet debilis corpore, volens tempus mortis anticipare, testamentum meum nuncupativum sic facio & dispono. In primis meipsam omnipotenti Deo & beatissimæ Virgini matri ejus commendo, quod eligo corpori meo sepulturam, cum viam universæ carnis ingressum fuerit, in cimiterio domus monialium beatæ Mariæ de Anonenca. Quia lego pro remedio animæ meæ quatuor millia solidos, volo quod distribuantur per pia loca arbitrio & voluntate & notitia dominæ DALPHINÆ matris meæ. Utrique filiarum mearum & dicti domini comitis, scilicet VALBORGIS, HELIS, ALCAIETÆ & DALPHINETÆ, jure institutionis relinquo de bonis meis quinque millia solidos Melgorienses. AENRICUM filium meum & dicti domini comitis viri mei facio & instituo mihi heredem in medietate omnium bonorum & jurium, & dictam dominam DELPHINAM matrem meam facio & instituo mihi heredem in alia medietate omnium dictorum bonorum meorum & jurium: & volo & jubeo, quod dictus filius meus & heres AENRICUS, & dicta domina mater mea teneantur pro me solvere communiter & æquis partibus prædicta a me superius legata; & quæ jure institutionis reliqui, & solvere debita mea, & dicti domini quondam patris mei teneantur restituere pro posse suo bona fide. Item, volo & jubeo, quod si aliqua vel aliquæ dictarum filiarum nostrarum in pupillari ætate, seu alias quandocumque sine legitima prole decesserit seu decesserint, volo quod pars seu portio supradicta decedentis seu decedentium ad dictum filium meum AENRICUM & heredem meum universalem pleno jure reverteretur seu restitueretur: ita quod in dicta restitutione vel circa dictam restitutionem nihil deducatur prætextu debiti bonorum subsidii vel quartæ Trebellianicæ. Si vero, quod absit, dictus AENRICUS filius meus & heres sine legitimo herede a se ex matrimonio procreato decederet quandocumque, substituo ei HELIS filiam meam dictam si supervixerit. Si vero non supervixerit, substituo ei ALCAIETAM dictam filiam meam, si supervixerit. Si vero non supervixerit, substituo eidem dicto filio meo dictam VALBORGES filiam, si supervixerit. Si non supervixerit, substituo ei DALPHINETAM filiam meam dictam

Item, dictas filias meas sibi ad invicem substituo, scilicet supradictæ Helis Alcaietam, & Alcaietæ dictæ Valborges, & dictæ Valborgesæ Dalphinetam dictam. Item, dono & solvo, & remitto in perpetuum in hoc testamento dictæ DALPHINÆ matri meæ, quidquid ab ea possem exigere, petere, seu habere, quolibet modo pro fructibus, redditibus, seu proventibus olim ab ea umquam de tota terra mea, quæ quondam fuit dicti R. de Rocafolio patris mei, quia confiteor & recognosco quod ego debeo ex causa mutui dictæ dominæ matri meæ centum libras Melgorienses, & si quid amplius mihi umquam mutuavit seu mutuabit, adhuc volo, quod super hoc credatur simplici verbo, & bonæ fidei ejusdem. Et hoc est testamentum meum sive ultima voluntas mea, & hæc omnia supradicta volo in perpetuum valere jure testamenti: & si non valeant jure testamenti, volo quod valeant in perpetuum jure codicillorum, sive jure ultimæ voluntatis cujuscumque. Volens etiam & mandans, quod si ullo tempore aliquod aliud feci testamentum, sive codicillos, seu aliam ultimam voluntatem, illud testamentum, codicilli, seu ultima illa voluntas non habeat roboris firmitatem. Ex præsenti enim illa casso. Hoc autem testamentum, seu hanc ultimam voluntatem, quod seu quam de præsenti facio, volo in perpetuum valere & eam non mutare, & si forte contingeret deinceps me facere aliud testamentum, volo illud nullius esse momenti, sed istud volo servari, non illud. Factum fuit hoc testamentum in castro de *Creyssel*, in camera superiori quæ est subtus coquinam, coram ad hoc vocatis & a dicta testatrice rogatis testibus Bernardo *de Marges*, priore ecclesiæ sancti Baudilii, Stephano de *Fresquels* rectore de Rupp. Armo, Guillelmo Ayecli de Cantobre milite, Ademario de Cantobre domicello, Raymundo Amalrici, & Guillelmo de Plantada de sancto Baudilio. Quia ego Natalis publicus notarius terræ Aristidii his omnibus interfui, & mandatus a dicta testatrice hæc scripsi, & signum meum apposui. Tamen sciendum est ante signi appositionem..... fuit hoc testamentum coram me dicto P. Natalis notario & coram dictis testibus, ut dictum est, anno quo supra & loco, octavo calendas Octobris.



EPISTOLA CAPITULI S. Martini Turonensis ad Leodienses S. Martini canonicos.

De mutua inter utramque ecclesiam caritate, & ut Leodienses per aliquos ex suis de septennio in septennium Turonensem ecclesiam visitent.

Viris venerabilibus & discretis carissimis fratribus ac amicis, præposito, decano, totique capitulo sancti Martini Leodiensis, Guido decanus & Philippus thesaurarius, totumque capitulum ecclesiæ B. Martini Turonensis, salutem & fraternæ vinculum caritatis. *Anno 1151. Ex ms. cl. V. domini de Louvrex.*

Dum ad arcana pectoris faciem mentis convertimus, dum infra claustra cum jugi meditatione pensamus, quam grata, quam favorabilis, quam suavis, quam amabilis & accepta sit inter fratres affectio fraternitatis, & libenter pro ipsa affectus nostros effundimus, & ad ipsam totis desideriis aspirantes alios invitamus. Unde quadam mentis hilaritate, quodam plausu angelico vos ad fraternitatis unionem quondam recepimus, attendentes quod non potest esse forma expressior angelicæ conversationis, quam unitas socialis. Quin immo si ad ecclesiæ primitivæ originem mentis oculum convertamus, ecce quem ab unitate ortum habuit & progressum. *Unus enim spiritus, una fides, unum baptisma.* Sed quid ultra recolenda cum exultatione inter nos olim contracta fraternitas jam occurrit? Scimus enim nec sine gratiarum actione possumus recensere, quod ex devotione sincera, dilectione intima, caritate non ficta, vultis & petitis ut fraternitatis unitas, quæ ex dispensatione divina inter nos dudum est contracta, omnem calumniam singularitatis excludat, nec deinceps quadam perspicuitate suffulta tam fœderata conjunctio excursu temporis oblivione tollatur, aut per incuriam libello dato repudii divortium patiatur. Quod & nos propensiore lætitia gratulantes penitus confirmamus, volentes quod caritatis sinceritas maneat integra, & devotionis sinceræ hinc inde vigeat mutua obsequela. Gaudemus itaque vobiscum mutuæ caritatis habere consortium, & cum ecclesia vestra individuæ communionis participium, nimirum quia ejus nomen sicut oleum effusum est. Nam innata vobis largitas se in orbem terrarum magnifica liberalitatis exhibitione diffundit. Unde scimus quod hausistis de fonte benignitatis & munificentiæ non exhausto, cum & vestra caritas plus crescat, nec sentit ex distributione dispendium, immo ex largitione vires recipiens, transit ejus exinanitio in augmentum. Arbitratur igitur delectabile & jucundum,

dum, cum tantis & talibus comparare quodam felici commercio uniformitatem affectuum, & unitatem omnimodam voluntatum. Igitur, fratres cariſſimi, frequenti revolutionis actu infra ſepta memoriæ revolvamus, quod ſub uno principe militamus, ejuſdemque patroni patrocinio tuti ſumus, quem habemus doctrinæ ſpeculum, illibatæ caritatis exemplar, ſinceræ dilectionis & devotionis exemplum. Unde & nos alternis vicibus diligamus, & relatione mutua invicem honoremus, ſcituri quod niſi per nos fieret, caritas numquam excidet: nam cum omnia evacuentur in morte, ſola dilectio in morte non moritur, ſed ejus fortitudini mors ſuccumbit. Porro ſicut humiliter petiſtis hanc epiſtolam ſigillo noſtri capituli conſignatam, ad vos mittimus, exhortantes ut juxta fraternitatis noſtræ tenorem eccleſiam noſtram per aliquos ex veſtris de ſeptennio in ſeptennium viſitetis. Bene & diu valeat caritas veſtra. Datum anno gratiæ MCCLI. menſe Novembri.

LITTERÆ GARSINDIS comitiſſæ Bearnenſis.

De matrimonio contrahendo inter Margaritam filiam Gaſtonis vicecomitis Bearnenſis, & Rogerium Bernardi filium comitis Fuxenſis.

Anno 1252. Ex mſ. Colbertino.

NOverint univerſi, quod nos GARSINDIS comitiſſa mater GASTONIS Dei gratia vicecomitis Bearni in quantum in nobis eſt, & ad nos pertinet vel pertinere debet & poteſt, ſalvis terris & reditibus noſtris, laudamus & appprobamus pro nobis & pro noſtris omnia & ſingula pacta contenta in publicis inſtrumentis a magiſtro Helia communi notario Agenni notatis, quæ videlicet pacta inter dictum dominum GASTONEM & nobilem virum dominum ROGERIUM Dei gratia comitem Fuxenſem & vicecomitem Caſtri-boni ad invicem ſunt inita ſpe matrimonii inter MARGUARITAM filiam dicti Gaſtonis, & ROGERIUM BERNARDI filium dicti comitis contrahendi, per ſolemnem ſtipulationem firmiter promittentes, quod nos omnia pacta, ipſa & ſingula, quæ in ipſis continentur rata ſemper habebimus atque firma, & in contrarium per nos vel per interpoſitam perſonam nullatenus veniemus ullo tempore, vel loco, vel jure, vel ulla ratione, vel modo quocumque, & gratis ſine aliqua compulſione ſuper hoc renuntiamus omnibus auxiliis & defenſionibus juris canonici & civilis, quæ nos juvare poſſent ad veniendum in contrarium in toto vel in parte. Actum apud *Aurions* XIV. die introitus Octobris teſtibus præſentibus & videntibus Jacobo de Salias ſcriptore dominæ Garſindis prædictæ, Aſſalitu de Cutha & Ramundo Arnaldi d'*Araus* militibus, & me Willelmo communi notario Agenni, qui vocatus & rogatus hanc cartam ſcripſi & in publicam formam redegi, & ſignum meum eidem appoſui anno ab Incarnatione Domini MCCLII. regnante domino ALPHONSO comite Pictavienſi & Tholoſæ, & WILLELMO Agennenſi epiſcopo.

CARTA S. LUDOVICI REGIS Francorum pro Johanne de Gienvilla ſeneſcallo Campaniæ.

Anno 1252. Ex mſ. Colbertino.

LUDOVICUS, &c. Notum facimus, quod nos obtentu grati & accepti ſervitii, quod dilectus & fidelis noſter JOHANNES DE GIENVILLA ſeneſcallus Campaniæ nobis exhibuit in partibus Terræ-ſanctæ, dedimus eidem & heredibus ſuis de uxore ſua deſponſata, qui pro tempore habebunt dominium de Gienvilla, ducentas libras Turonenſes annui reditus, in feodum & homagium ligium a nobis & heredibus noſtris percipiendas annuatim, in feſto omnium ſanctorum, in coffris noſtris, & de hoc homagium ligium fecit nobis contra omnes homines qui poſſunt vivere & mori, ſalva fidelitate comitis Campaniæ & comitis Barri. Et hoc ſimiliter heredes ipſius prædicti facere tenebuntur nobis & heredibus noſtris. Quod ut ratum & ſtabile permaneat, præſentem paginam ſigilli noſtri fecimus impreſſione muniri. Actum in caſtris juxta Joppe anno Domini MCCLII. menſe Aprili.

LITTERÆ S. LUDOVICI REGIS pro epiſcopo Damiatano.

Ducentas annui reditus libras ei aſſignat.

Anno 1252. Ex mſ. Colbertino.

LUDOVICUS Dei gratia Francorum rex. Notum facimus, quod nos attendentes, quod dilectus ac fidelis noſter E. Dei gratia Damiatanus (a) epiſcopus factus erat pauper propter Chriſtum, & etiam propter gratum ejus ſervitium quod nobis impendit in partibus Ciſmarinis, dedimus & conceſſimus eidem ducentas libras annui reditus, quamdiu vixerit ſine epiſcopatu vel archiepiſcopatu, percipiendas in feſto omnium ſanctorum annuatim in coffris noſtris: ita quod poſt ejus deceſſum, vel poſtquam proviſum fuerit ei de epiſcopatu vel archiepiſcopatu, idem reditus ad nos & heredes noſtros libere revertatur. In cujus rei teſtimonium dedimus ipſi præſentes litteras ſigilli noſtri munimine roboratas. Actum in caſtris juxta Joppen anno Domini MCCLII. menſe Julii.

(a) Cathedralem Damiatæ fundavit S. Ludovicus a Baluſio editam in Miſcellaneis.

DIPLOMA LUDOLPHI episcopi Halberstadiensis pro monasterio Corbeiæ novæ.

Pro concessa sibi advocatia in aliquibus villis ab Hermanno abbate Corbeiensi, concedit ipsi unam prabendam in ecclesia Halberstadiensi.

Anno 1253. Ex ms. Corb. nova

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. LUDOLPHUS Dei gratia Halberstadiensis ecclesiæ electus in perpetuum. Justum est & omni consentaneum rationi, ut facta rationabilia & honesta, illa præcipue quæ confraternitatis amorem, & mutuæ caritatis augmentum generant & inducunt, auctoritatis munimine contra varios futurorum incursus gratuito & diligenti studio inviolabiliter muniamus. Ideoque ad notitiam tam præsentium quam futurorum cupimus pervenire, quod cum venerabilis & dilectus nobis HERMANNUS Corbeiensis ecclesiæ abbas, advocatiam in utraque *Groninge*, & in utraque *Kroppenstede*, in *Ammendorp* & in aliis villis sibi annexis resignatam sibi a comite Henrico de *Blanckenborg* & uxore sua Engelburgi fidelibus suis ecclesiæ nostræ *Halberstadt*, non immemor consolationis & gratiæ sibi exhibitæ, ob spem defensionis, consilii & auxilii, de pleno consensu totius ecclesiæ suæ Corbeiensis dimiserit perpetualiter possidendam, retenta sibi & nobis infeodata adhuc advocatia, quam pari manu una cum... ipsi ne ab utraque parte alienari valeat porrigemus, & monetam in *Kroppenstede*, denarios cerevisiæ, telonium fori in festo Viti, licet modici valoris sint, amore familiaritatis nihilominus dimiserit eidem ecclesiæ nostræ, hac conditione statuta, quod numquam obligetur, numquam infeodetur, nec aliquo modo alienetur, sed semper ad ecclesiam Halberstadiensem immobilis perseveret, & quod bona sua cum ecclesia in *Groninge* & suis bonis & personis tamquam propria bona pio zelo ecclesia nostra & episcopi pro tempore succedentes protegant semper, fideliter defendant, salvo jure suo & successorum suorum, quod a prædecessoribus suis in ipsa ecclesia, videlicet in libertate, curiæ claustralis & hospitalis in locatione & destitutione officiorum, correctione claustralis disciplinæ hactenus est servatum. Item, quod homines sui supra deputatam annuam pensionem advocatiæ videlicet, malderatam (a) tritici & fertones Halberstadienses argenti exactione debita non graventur, nisi quantum de casualibus judiciis de jure competit advocato. Item, quod allodia sua, videlicet allodium de *Groninge*, & allodium in *Kroppenstede* cum suis pertinentiis, & molendinum in *Monchedorp* & stagna ultra Bodam ab omni jure advocatiæ libera semper permaneant ut fuerunt, sed semper multam & indissolubilem confraternitatis & familiaritatis dilectionem ad invicem habitam & habendam libera voluntate concesserit, quod ipsa stagna ecclesiæ nostræ Halberstadiensi communia sint cum ipsa; adjiciens etiam quod si ecclesia nostra & Corbeiensis castrum vel oppidum in *Groninge* ædificare procedente tempore decreverit, æqualiter participent expensas & fructus, sed ecclesia nostra judicium specialiter obtineat, sicut in aliis causis præscriptis. Nos de communi consensu totius ecclesiæ nostræ hæc omnia quæ subscripta sunt, obligamus & adstringimus, tam nos quam successores nostros firmiter servaturos, & in recompensam hujus facti & argumentum majoris familiaritatis, integram præbendam in ecclesia nostra majori eidem venerabili domino abbati Corbeiensi & suis successoribus in futurum, quotiescumque ipsos ad partes nostras venire contigerit, tempore præsentiæ ipsorum percipiendam contulimus liberaliter & benigne. Curiam etiam in castro *Ammerlere* sibi & suis successoribus, quam infeodare & alienare non poterunt, & in qua propriis sumtibus Castrensi suo in beneficio providebunt, contulimus nihilominus perpetualiter possidendam. Hujus rei testes sunt Hermannus major præpositus, Wigerus decanus, Burchardus vicedecanus, Cono de *Depholte*, Rodolphus Portenerius, Volradus de *Kircberge*, Volradus præpositus Wallebiensis, Everwinus præpositus S. Bonifacii, Widekindus de *Nuvvenberg*, Henricus de *Drondorp*, Hermannus de *Krutzeburg*, Bertholdus de *Klettenberg*, Albertus de *Aldenberg*, Christianus præpositus Northusensis, Gerardus sacerdos, Hermannus de *Hodenhagen*, Ludgerus de Lacu, Otto de *Harlbecke*, Otto de *Vipech*, totumque majoris ecclesiæ nostræ capitulum. Laici vero, Johannes dapifer, Fridericus de *Hersleve*, Gerehardus de *Schlage*, Henricus de *Aspenstede*, Ludolphus de *Hersleve*, Conradus de *Leb*... Henricus de *Velthen*, Fridericus de *Bertligge*, Tietmarus de *Ortsen*, & alii quamplures ecclesiæ ministeriales. Acta sunt hæc anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo tertio, tertio idus Maii: ut hæc inde firma semper permaneant & quieta, hanc paginam duobus sigillis nostro videlicet, & ecclesiæ nostræ majoris in testimonium validum duximus roborandam. Datum *Halberstadt*, electionis nostræ anno primo.

Nos Halberstadiensis ecclesiæ capitulum huic paginæ gratanti animo & assensu per appensionem sigilli ecclesiæ nostræ fideliter

(a) Malderata seu Maldra est mensura Germanica quatuor modios continens.

& publice in nomine Domini obligantes A nos ad omnia consentimus.

PRIVILEGIUM HENRICI Leodiensis episcopi pro canonicis Leodiensibus.

Confirmat privilegium Henrici regis canonicorum familiam a jurisdictione laicorum eximentis.

Anno 1253. Ex ms. Cl. V. domini de Louvrex.

HEnricus Dei gratia Leodiensis electus, dilectis & fidelibus præposito, archidiaconis, totique capitulo majoris ecclesiæ B & aliarum ecclesiarum decanis & capitulis civitatis Leodiensis salutem in Domino.

Cum vobis per dominum Henricum felicis recordationis Romanorum regem ex speciali privilegio sit indultum, quod fideles nostri scabini Leodienses nullam habere possint in vestra familia jurisdictionem pro aliquo forefacto, vel ferre sententiam vel judicium aliquod in familiam supradictam. Nos itaque paci & tranquillitati vestræ providere volentes, dictum privilegium ratum habemus & gratum, & per omnia volumus C in suo robore permanere, & ut in perpetuum dictum privilegium de cetero sine calumnia maneat & firmiter observetur, statuimus & nos & successores nostros ad hoc vobis & successoribus vestris obligamus, quod de cetero quotiescumque nos villicum contigerit instituere in civitate prædicta, idem villicus tactis sacrosanctis evangeliis juramentum præstabit in sua institutione, quod contra familiam vestram pro quocumque forefacto ab aliquo vestræ familiæ perpetrato aliquam sententiam sive judicium aliquod a scabinis Leodiensibus aliquatenus non requiret, sed secundum D tenorem prædicti privilegii familiam vestram in sua libertate manere permittet. Jurabit etiam quod tempore suæ villicationis nullum alium ex quacumque causa loco suo in villicum substituet, nisi substituendus ab ipso hoc idem præstiterit juramentum. Insuper ad majorem ipsius privilegii firmitatem vobis promittimus, quod nos & nostros successores vobis & vestris successoribus obligamus, quod de cetero nec nos, nec nostri successores aliquem instituemus in civitate prædicta scabinum, nisi idem scabinus in sua institutione tactis sa- E crosanctis prius juraverit, ut prædictum privilegium debeat observare, & nullam sententiam vel judicium feret in aliquem vel aliquos de vestra familia pro quocumque forefacto ab aliquo vel aliquibus de vestra familia perpetrato, etiamsi fuerit, quod absit, a villico qui pro tempore fuerit, monitus vel etiam requisitus. Actum & datum sabbato, post festum B. Martini hyemalis, anno Domini MCCLIII.

Idem privilegium confirmat Vuillelmus rex Romanorum datum Machlinia idibus Februarii, indictione XII. anno MCCLIV. & Alexander papa IV. pontificatus sui anno VI.

FUNDATIO CONVENTUS Fratrum Minorum Falesiensium.

Anno 1254. Ex ms. Colbertino.

UNiversis Christi fidelibus præsentem paginam inspecturis, Petrus dictus de Ponte-Ollei salutem in Domino sempiternam.

Noverit universitas vestra, quod ego Petrus de Ponte-Ollei, filius Petri senioris de Ponte-Ollei dicti similiter, nolens caritati Fratrum Minorum in aliquo derogari, quin potius juxta conscientiam meam nitens beneficium a me factum acceptabilius apud Deum facere, & securius inter homines ordinare, dedi & concessi ac penitus dereliqui in manu domini Ludovici illustris regis Francorum locum qui situs est juxta portam Falesiæ, quæ dicitur Porta Ogisii, & portenditur in burgum a rure conjuncto dictæ portæ usque ad proximam turellam exclusive, & extenditur in latum versus plateam oppositam initio vici qui primo egreditur a vico protenso versus portam prædictam ad parochiam SS. Trinitatis, sicut se proportat, habens ex una parte vicum prænominatum, & ex alia turrem heredum Radulfi piæ recordationis quondam fratris mei, & etiam quicquid juris & dominii habebam vel habere poteram ego & heredes mei in loco superius jam expresso: quem etiam locum ante concesseram fratribus prædicti ordinis, intuitu misericordiæ in remissionem peccatorum meorum, ac patris mei, & matris meæ, & uxoris meæ, ac liberorum meorum, ad inhabitandum in eo, ut per puritatem suæ professionis & instituta sui ordinis, sedulum ibidem exhiberent Domino famulatum, tenendum & habendum libere & quiete prædicto domino & successoribus suis sibi in dominio Normanniæ succedentibus, absque ulla reclamatione mei vel heredum meorum super dominio & jure aliquo facienda, & ut hæc donatio & concessio firmior habeatur & inviolabiliter valeat observari, sigillum meum duxi præsentibus apponendum. Datum Falesiæ anno Domini MCCLIII. mense Januario, dominica infra octabas Epiphaniæ.

LITTERA
Qualiter regalia Senonensis fuit reddita de gratia per regem Henrico electo Senonensi modo & forma hic contentis.

Anno 1254. Ex ms. Colbertino.

ANno Domini MCCLIII. die Martis in vigilia annunciationis dominicæ apud Vicenas, venit ad comitem Pictavensem & ad consilium domini regis, HENRICUS electus Senonensis, rogans eos & requirens, ut ei redderent regalia Senonensia, sicut prædecessores sui ea habuerant ante confirmationem, quia ipse electus fuerat canonice & concorditer, prout etiam apparebat per patentes litteras decani & capituli Senonensis. Ad hoc responderunt dictus comes & consilium, utrum idem electus dicta regalia gratia vel jure [peteret] qui respondit quod ea petebat sibi reddi vel per jus vel per gratiam, & habito consilio responsum fuit ei, quod multæ suberant rationes per quas non tenebantur ei reddere dicta regalia de jure : verumtamen quia ipse, parentes, & antecessores sui nutriti a longo tempore fuerant in curia, & familiares fuerant regum & reginarum & regni, volebant ei facere gratiam, & sic per gratiam reddiderunt ei regalia Senonensia, & ipse fecit fidelitatem domino regi, & heredibus suis, sicut moris. Ad hæc fuerunt præsentes comes Pictavensis & Tholosanus, episcopus Ebroicensis, dominus Philippus de Nemosio, Guido decanus B. Martini Turonensis, magister O. de Lorriaco, archidiaconus Petrus, St. decanus B. Aniani Aurelianensis, Philippus thesaurarius Pictavensis, magister Guillelmus Rolandi, magister Petrus de Santolio, magister Petrus de S. Martino, Guillelmus de Aureliaco, frater Ren. de Carnoto de ordine Fratrum Minorum, G. thesaurarius Senonensis, Vincentius archidiaconus Turonensis, magistri Angelus & Ren. *Chertens*, canonici Carnotenses & plures alii.

LITTERÆ JOHANNIS de Avenis.

In manu Roberti de Besocey *ponit feodum quod accipiebat a comite Blesensi.*

Anno 1254. Ex ms. Colbertino.

JEANS D'AVESNES fius a le contesse de Flandres, à son bon amy monseigneur Robiers de Besocey salus & bon amour.

Je vous fach savoir, & à tous ausse, ke je mech en vostre main tout le fief ke je truch de le comte de Blois seigneur d'Avesnes, pour sauver & guarentir, si comme sire doit faire à son homme, c'est assavoir Structz, Dourlers, & les appartenances, & pour ce ke je n'ay point sayel avoeck moy, j'ay fait ces lettres en sailer del sayel à AELIS ma femme, & temoing des hommes li comte de Blois seigneur d'Avesnes se loist assavoir monsieur Gille de Berlaymont, & monseigneur Thierry de Lehemaïde chevaliers. Ce fut fait l'an de l'Incarnation Notre-Seigneur MCCLIV. lendemain del jour de May.

INSTRUMENTUM DE PACE
facta inter episcopum Lemovicensem & homines suos.

Anno 1254. Ex ms. Colbertino.

ANno Domini MCCLV. die lunæ post festum S. Matthiæ apostoli astantibus PHILIPPO archiepiscopo Bituricensi, A. (a) episcopo Silvanectensi, Alfonso comite Augi, G. decano S. Martini Turonensis, magistro O. de Lorriaco, R. Nicossiensi archidiacono, R. abbate Bonæ vallis, Petro Cambellano, Gervasio de Serrannis panetario, Petro de Fontanis, P. de Cruencuria, magistro Johanne de Ulliaco, O. thesaurario Bajocensi, & magistro Johanne de Nemoso, & pluribus aliis clericis & laicis Parisius, voluit dominus rex, concessit & approbavit, & firmiter observari præcepit pacem factam inter AYMERICUM episcopum Lemovicensem & homines suos de S. Juniano, salva fidelitate sua, quam habet in ipsa villa, & salvis etiam exercitibus & equitatione in quibus tenentur domino regi homines antedicti. Cujus pacis tenor talis est.

Universis præsentes litteras inspecturis, AYMERICUS Dei gratia Lemovicensis episcopus, consules & communitas S. Juniani salutem & pacem. Noveritis quod cum nos episcopus super consulatu, communitate, & sigillo, & aliis articulis, de quibus erat quæstio in curia domini regis Franciæ, causam prosequeremur contra burgenses & homines villæ S. Juniani ; tandem per venerabiles viros magistrum Heliam officialem Lemovicensem, Johannem de Castronovo, magistrum Durandum de Auraco canonicum S. Juniani, & magistrum P. de Benevento canonicum Haentensem, quos nos episcopus pro nobis ad hoc constituimus, & per magistrum G. de Vileti, P. de Claustro, P. Vigerii, & Gaufridum Barba burgenses S. Juniani, quos nos consules & communitas pro nobis & tota villa S. Juniani ad hæc similiter super præmissis & aliis quæ inferius sunt expressa, fuit pacificatum & compositum in hunc modum : videlicet, quod cum erit electio consulum facienda in villa S. Juniani, dominus Lemovicensis episcopus vel mandatum ipsius ponet tres probos viros de communitate

(a) Adamo *de Chambli*, qui post Guarinum Silvanectensem ecclesiam rexit ab anno 1230. ad annum circiter 1257.

villæ S. Juniani, & tota communitas ponet tres alios, & isti sex jurabunt quod bonas & idoneas personas eligent in consules, & sic ipsi sex jurati, vel major pars ipsorum, si omnes convenire non possent, eligent de seipsis vel de aliis ejusdem communitatis sex consules ad annum tantum, & sic semper in perpetuum singulis annis fiet.

Item, potestas ipsorum consulum erit talis; videlicet quod ædificari & reparari facient muros villæ, tornellas & fossata, & curabunt de clausura villæ, & ea mundanda de peyratis, ubi expedierit, faciendis, & his similibus quæ spectant ad ornatum villæ, necnon & de custodia armorum villæ, & de servitiis & exeniis faciendis ubi expedierit, & de exercitibus faciendis & conducendis, quando expedierit, & nullam habebunt aliam, nisi tantummodo in præmissis.

Item, consules nullos clamores recipient, nec causas aliquas audient, nec fidejussores petent, nec recipient, nec ab aliquo de communitate sua mutuo sibi aliquid dari præcipient vel mandabunt, nisi gratis & amicabiliter hoc valeant obtinere, nec aliquam pœnam vel mulctam mutuare nolentibus, vel aliis quibuscumque poterunt imponere vel infringere aliqua occasione, nec compromissum aliquod omnes insimul vel eorum aliqui, ut consules super aliqua causa vel negotio aliquo recipient, nec aliquam coram domino episcopo Lemovicensi, vel præposito ipsius, ut consules, manutenebunt vel defendent super aliqua causa quæ esset alicui privatæ personæ.

Item, consules sic electi præsentabuntur domino episcopo vel ejus mandato in villa S. Juniani antequam administrent & recipiant aliquod juramentum, & jurabunt ipsi consules domino episcopo vel ejus mandato, quod utilitatem villæ facient & procurabunt bona fide in his quæ spectant ad eorum officium, episcopi jura servabunt, nec ea decurtabunt, nec impedient per se vel per alium, tacite vel expresse, & quod se non intromittent scienter, nisi tantummodo de his quæ superius sunt expressa.

Item, homines villæ in ipsorum consulum ingressu jurabunt ipsis consulibus: « Promittimus & juramus quod in his in quibus potestatem habetis, faciemus ad utilitatem villæ vestrum mandatum, salvo in omnibus jure & dominio domini episcopi Lemovicensis & successorum suorum.

Item, sigillo communitatis non utantur in contractibus cujuscumque personæ, nec in testamentis, sed tantum in suæ communitatis negotiis.

Item, consules per se nullam in mundo jurisdictionem, coërcitionem, vel compulsionem habebunt, sed omnia per dominum episcopum vel ejus præpositum distringentur.

Item, in sigillo vel contra-sigillo communitatis signum episcopale ponetur, scilicet vel mitra, vel crossa, vel imago episcopi a pectore supra cum mitra & crossa. De gagiis vero & custodia vinearum & hortorum utentur, prout uti consueverunt, tantum quoad vineas & hortos.

Item, claves portarum ponantur in manu domini episcopi, & ipse tradet eas duobus de consulibus de villa, qui jurabunt quod eas fideliter & bona fide custodient, per se vel per alium, & eas nomine domini episcopi tenebunt & mandato, & eas domino episcopo vel ejus mandato reddent, quotiescumque ab ipso vel ipsius speciali mandato fuerint requisiti.

Item, consules & communitas domum communitatis tenebunt a domino episcopo, & pro ea reddent ei singulis annis XII. denarios de censu annuo in natali, & unum obolum aureum de acaptamento in mutatione episcoporum Lemovicensium.

Item, si pro reparatione murorum vel aliis villæ negotiis supradictis faciendæ sunt talliæ seu collectæ, & concordant in hoc consules & communitas, fiet habito prius consilio & auctoritate præpositi domini episcopi, & ipsæ talliæ seu collectæ per ipsum præpositum & consules fient & æquabuntur, prout expedierit: & si domini episcopi præpositus in faciendo & æquando ipsas tallias seu collectas esset negligens, nihil differret vel impediret, ad dictum episcopum Lemovicensem recursus super hoc haberetur, & idem dominus episcopus per ipsum præpositum, vel per alium hoc faceret fieri sine difficultate ad utilitatem villæ.

Item, si qui sunt non subconsules in villa S. Juniani, vel consiliarii jurati præter formam juramenti quod consules recipient ab aliis, cesset ex nunc eorum officium, & vocatio eorumdem. Illos autem qui solvere contradicerent, vel nollent dictas tallias solvere, seu collectas, præpositus domini episcopi ad requisitionem consulum compellet ad solvendum sine dilatione, & non ipsi consules, nec aliquis pro ipsis.

Item, consules vel communitas statutum aliquod super aliquo non facient publicum vel privatum, nec aliquam consuetudinem vel usuagium introducent vel facient, sine licentia domini episcopi speciali.

Item, consules vocati in jus coram domino episcopo vel ejus præposito, etiam super factis consulatus vel communitatis, stabunt juri, & cavebunt coram ipso, sicut faceret quælibet privata persona.

Item, consules vel communitas S. Juniani subconsules vel speciales juratos sibi aliquos non creabunt.

Item, consules vel communitas S. Juniani cum aliquibus de eadem villa vel aliquibus aliis extrinsecis vel forinsecis conjurationem aliquam non facient, vel se ligabunt aliquo modo sine voluntate domini episcopi, & ejus licentia speciali.

Item, consules in depositione sui officii seu consulatus de receptis expensis factis ratione communitatis reddent computationem rectam singulis annis præposito domini episcopi, si velit interesse, & consulibus substitutis & communitati.

Item, illi qui parebunt huic compositioni, non tenebuntur, nec bona eorum pro illis, qui compositioni hujusmodi non parebunt.

Hanc autem compositionem nos episcopus & nos consules & communitas S. Juniani pro nobis & tota villa S. Juniani, præsentem pacem & compositionem ratam & firmam habemus, recipimus & approbamus, & universa & singula promittimus in perpetuum servaturos, & contra per nos & per alios aliquatenus non venturos. Quam utique compositionem & pacem nos consules & communitas pro nobis & tota villa S. Juniani promittimus præstitis juramentis in perpetuum observandum. In quorum testimonium & munimen nos episcopus sigillo nostro, & nos consules & communitas has litteras fecimus consignari. Quibus dictus officialis & dicti canonici & magister G. de Vileta, & P. de Claustro ad nostram instantiam sua apposuere sigilla, & dictus P. Vigerii pro se, magistri Petri de Monte-Valerio archipresbyteri de Rontronio, & dictus Gaufridus Barba pro se magistri Stephani de Maloesse archipresbyteri de Gemello sigillis præsentes fecerunt litteras consignari, cum sigilla propria non haberent. Actum apud S. Junianum calendis Junii anno MCCLIIII.

CONFIRMATIO FUNDATIONIS abbatiæ monialium de Pace B. Mariæ ordinis sancti Victoris.

Anno 1254. Ex ms. Colbertino.

LUDOVICUS Dei gratia Francorum rex. Notum facimus universis præsentes litteras inspecturis, quod nos litteras dilecti & fidelis nostri THOMÆ de Couciaco domini Vervini, & MATHILDIS uxoris ejus de verbo ad verbum vidimus in hac forma: Ego THOMAS de Couciaco dominus Vervini & ego MATHILDIS uxor ejus, notum facimus universis præsentes litteras inspecturis, quod assensu carissimi domini nepotis nostri RADULFI domini Couciaci, & assensu THOMÆ carissimi filii nostri, ob nostrarum & antecessorum nostrorum remedium animarum in parochia de S. Petri-Monte in loco qui dicitur *Becherothe*, quamdam fundavimus abbatiam monialium de ordine S. Victoris Parisiensis. Nos vero abbatissæ & monialibus dictæ abbatiæ quam fundavimus, dedimus & concessimus quatuor modiatas terræ ad mensuram de Marla pro situ abbatiæ, & quindecim modiatas terræ arabilis videlicet in territorio de sancti Petri-Monte, decem modiatas terræ, tres (a) galetos, & unum puignetum ad mensuram de S. Petri-Monte: quorum viginti & unus galeti siti sunt ad campum Laurentii juxta viam de *Montigni*, quæ contigua est campo Adæ dicti *le Pelet* ad campum Racinæ, qui contiguus est campo *Scibourc*, trans cheminum, X. galeti & I. puignetus ad campum Avelinæ, qui contiguus est chimino qui dirigitur a S. Petri-Monte apud *Montegni*, XX. galeti ad campum Petri dicti *Chiepoire*, qui contiguus est campo Adæ dicti *le Pelet*, VI. galeti juxta cheminum quo itur a S. Petri-Monte apud Petremontem, V. galeti contigui campo Gilæ relictæ *Huraut* prope viam quæ ducit apud Montem-cornutum. Juxta campum presbyterorum super vallem *Lejay*, XXXIX. galeti ad montem asinorum, XXII. galeti. In territorio vero Novæ-villæ *de Bomont* IV. modiatas, VIII. galetos & III. puignetos ad mensuram dictæ Novæ-villæ qui siti sunt in hunc modum. Ad campum dominæ Emelinæ qui dicitur *Asquarrieres* triginta quinque galeti in duabus peciis terræ, quæ fuerunt dominæ Emelinæ, quarum una sita est secus viam qua itur a Nova-villa ad Saram, altera ad campum *Crepinel*, IX. galeti & III. puigneti in campo qui fuit Milardi prope viam de S. Petri-Monte, juxta campum Gerardi *de Brueres* una modiata. Et hæc omnia supradicta dedimus & concessimus eisdem libere & absolute perpetuo possidenda, quantum ad nos & heredes nostros: retenta tamen nobis & heredibus nostris in perpetuum, qui pro tempore Vervinum possidebunt advocatia in dicta abbatia, & in bonis temporalibus ad dictam abbatiam nunc & in posterum spectantibus, hoc salvo, quod si nos vel heredes nostri in exercendo officio dictæ advocatiæ deficientes fuerimus, abbatissa & moniales dictæ abbatiæ non poterunt quantum ad advocatiam illam seu etiam quantum ad exercitium officii dictæ advocatiæ, advocare alium, quam prædictum carissimum dominum ac nepotem nostrum R. dominum Couciaci vel heredes suos, nec quantum ad ea quæ ad dictam advocatiam pertinent, ad alium quam ad ipsum R. vel heredes suos poterunt habere recursum, quamdiu ipsi jus seu justitiam facient eidem. In quorum omnium firmam & perpetuam memoriam præsentes

[a] Galetus est mensura frumentaria, est & modus agri seu certa illius mensura, ut hic. Idem & de puigneto seu puigneria dicendum.

litteras patentes emisimus sigillorum nostrorum munimine roboratas. Datum anno Domini MCCXLVII. mense Octobri. Nos autem donationem & concessionem istam, prout superius continetur, volumus & concedimus, salvo jure nostro & alieno. In cujus rei testimonium & munimen, præsentes litteras sigilli nostri fecimus impressione muniri. Actum apud *Bruieres* anno Domini MCCLIV. mense Octobri.

LITTERÆ S. LUDOVICI regis Francorum

Litteras Rogerii de Argentiis pro sustentatione quinque monachorum in monasterio Vallis-Richerii confirmat.

Anno 1254. Ex ms. Colbertino.

LUDOVICUS Dei gratia Francorum rex. Notum facimus universis tam præsentibus quam futuris, quod nos litteras dilecti ac fidelis nostri ROGERII DE ARGENTIIS militis vidimus in hæc verba : Notum sit omnibus quod ego Rogerius de Argentiis miles pro salute animæ meæ, patris & matris meæ, & heredum meorum, & omnium amicorum meorum, dedi & concessi Deo & B. Mariæ Vallis-Richerii (a) & monachis ibidem Deo servientibus in puram & perpetuam eleemosynam, liberam in omnibus & quietam, omnia quæ habebam in parochia de *Maieroles* & de *Cortoune*, & de *l'Ostellerie*, videlicet in decimis, pratis, in manerio meo, in dominio, in reditibus, terris & omnibus aliis rebus, exceptis tredecim libris Turonensibus, quas ipsi monachi dederunt Guillelmo de *Triardel* clerico domino capitali, & exceptis viginti solidis Turonensibus, quos ibi percipit ille qui deservit altari beatæ Mariæ in ecclesia beati Petri Lexoviensis, & uno modio bladi reddendo annuatim leprosis de Esneuttevilla apud Ebroicas, videlicet quatuor sextaria frumenti, quatuor ordei, & quatuor avenæ. Hæc autem omnia dedi & concessi dictæ ecclesiæ & monachis prænominatis ad sustentationem quinque monachorum in eadem ecclesia morantium, qui pro me & pro patre meo, & liberis meis in perpetuum exorabunt. Et sciendum quod ego præfatus Rogerius miles, seu heredes mei in prædicto dono, quod Deo & beatæ Mariæ feci, nihil de cetero reclamabimus, sed contra omnes gentes omnia supradicta prædictis monachis garantizabimus & defendemus, exceptis tredecim libris, & viginti solidis, & modio bladi superius nominatis. Quod ut ratum & stabile futuris temporibus habeatur, præsenti scripto & sigilli mei munimine confirmavi. Actum anno Domini MCCXLVIII. mense Maii. Nos autem donationem prædictam, prout superius continetur, volumus, concedimus & confirmamus, salvo jure alieno. Quod ut perpetuæ stabilitatis robur obtineat, præsentem paginam sigilli nostri auctoritate & regii nominis caractere inferius annotato fecimus communiri. Actum Parisius anno Domini MCCLIV. mense Novembri, regni nostri, &c. astantibus, &c.

(a) Abbatiæ ordinis Cisterciensis in diœcesi Bajocensi, cujus primum abbatem quidam faciunt Nivardum S. Bernardi fratrem, quem aliunde constat profectum fuisse in Hispaniam ad fundandum ibidem monasterium.

CEST LA FORME DE LA PAIS qui fu faite entre la royne & lo roy de Navarre & lo comte de Bretaigne & la contesse sa fame.

Anno 1254. Ex ms. Colbertino.

LOIS par la grace de Deu rois de France. Nos faisons assavoir a tos ceaus qui verront ces letres, que com il eust contenz entre nostre amée & nostre feel M. roine de Navarre & TH. roi de Navarre son fils d'une part, & nostre amé & nostre feel J. conte de Bretaigne & B. contesse sa fame, d'autre : pour escheison de la descendue, que cil cuens leur demandoit par raison de la contesse sa fame, qui fut fille dou roi de Navarre. Il en fu pacefié en tel maniere en nostre presence. C'est a savoir que l'en asserra au devandit conte, a lui, & a ses hoirs, trois miles livrées de rente a Provinsiens chascun an en terre & en rentes, & sera faite ceste assise par deux chevalers, que les parties i ont mis a ce faire. C'est a savoir par Guillaume *Brion*, qui i sera par la devant dite roine & le roi de Navarre; & Guillaume *Cheuri*, qui i sera aussint de par le devant dit conte de Bretaigne & la contesse sa fame. Et ont juré cest dui chevalers, qu'il feront ceste assise a bonne foi & loiaument pour l'une partie & pour l'autre a leur escient, si com l'en doit tel chouse faire, & au moins de grevement qu'ils pourront de l'une partie & de l'autre, ne nous lairons por amor, ne por haine, ne pour autre chouse. Et si cest dus chevaler ne se poent accorder, li discors nos seroit raportez, & nos i mettrons la tiers pour eaus accorder, tel com nos voudrions, a ce que li tiers en feroit, seroit estable. Et si hont ostroé li devant dit cuens & la contesse sa fame, que il se faisant, se tiendront apaé, ne que rien plus ne demanderont pour chouse qui hait esté tant qu'au jordui a la roine ne au roi de Navarre, ne a leurs hoirs pour raisons de ceste descendue, aincis leur quittent tot le droit qu'ils avoient au roiaume de Navarre, & en totes leurs autres chouses hors de ceste assise, sauve leaus eschoetes, se eles i avenoent, & s'il avoent letres ne nule autre chose, par qu'il pussent riens demander a la roine, ou au

roi de Navarre, il les rendroent. Et ceste chose ont juré a tenir en bonne foi la roine & li roi de Navarre, & li cuens de Bretaigne, & la contesse sa fame, & ce meesmes doit asseurer li devant diz roi de Navarre a tenir a toz jorz. Et de ceste chouse donra la roine & li rois de Navarre ses lettres pendans au conte & a la contesse sa fame, & cil cuens donront ausint leur lettres pendans de ceste chouse à la roine & au rois de Navarre. Et de ceste chouse a fait homage li devant dit cuens a la roine de Navarre, comme de bail de l'oustroit & de la volenté la contesse sa fame; & sauf lo droit des autres seigneurs & d'autrui. Et de ce meesmes fera cil cuens de Bretaigne homage en ceste forme, meesmes au seignor de Champaigne, quand il sera hors de bail. En tesmoins de laquele chouse nous a la requeste des parties avons mis nostre scel en ces lettres. Ce fut fait a saint Denis l'an de l'Incarnation nostre Seignor JESUS-CHRIST MCCLIIII. ou mois de Decembre.

SENTENTIA LATA IN ABBATEM Castrensem qui obedientiam Massiliensi S. Victoris abbati denegabat.

Anno 1255. Ex archivis S. Victoris eruit D. Furnerius.

IN nomine Domini nostri JESU-CHRISTI. Amen. Anno nativitatis ejusdem millesimo CCLIIII. mense Januario, die vicesimo quarto ejusdem, indict. XII. pontificatus domni Innocentii papæ IIII. anno undecimo.

Olim inter abbatem & conventum monasterii sancti Victoris ex parte una, & abbatem & conventum monasterii S. Benedicti quod dicitur Castras, super subjectione ipsius monasterii ex altera, questione suborta, libellos in hunc modum procuratores partium obtulerunt. Proponit in jure coram vobis reverendo patre & domino J. tituli sancti Laurentii in Lucina presbytero cardinali auditore dato, Raimundus de Amiliano in Agennensi ecclesia archidiaconus procurator domini abbatis & conventus monasterii S. Victoris Massiliensis nomine eorumdem & pro eis, quod cum monasterium Castrense Albiensis diœcesis a longis retroactis temporibus Massiliensi monasterio subjectum fuerit, & abbas & conventus Castrensis ratione subjectionis prædictæ, abbatem Massiliensem ad visitationem, correctionem & reformationem admiserint, reverentiam & obedientiam exhibendo eidem; cum etiam prædictus domnus abbas Massiliensis, qui nunc est, ad eumdem locum causa visitandi, corrigendi & reformandi, si quid ibidem esset corrigendum & reformandum, prout moris est, accederet. Infirmitate detentus in via, discretis & religiosis viris priori conventus S. Leoncii & priori sanctæ Mariæ de burgo Narbonensi sibi subditis monachis, super hoc illa vice commisit totaliter vices suas, collata eis potestate contradictores & rebelles cohercendi. Qui cum ad abbatiam Castrensem accessissent, mandato prædicto fratribus exhibito, volentes ibidem, ut moris est & religioni congruit, visitare, corrigere, & reformare, si quid correctione & reformatione indigeret, abbas & conventus ejusdem loci, ipse & quidam sibi adhærentes præmissis contradicerent, eosdem priores spiritu inobedientiæ assumto, super hiis admittere recusarunt: hospitalitatem etiam eisdem inhumaniter denegantes, propter quod etiam hii priores tulerint excommunicationis sententiam in contradictores & rebelles. Unde petit dictus procurator nomine dictorum abbatis & conventus Massiliensis, & pro eisdem abbate & conventu Castrensi condemnari, & compelli ut dictus abbas Massiliensis admittatur ab eis ad reverentiam, subjectionem, & obedientiam exhibendam, & ad visitandum, corrigendum & reformandum in ipsa abbatia quæ correctionis officio noverit indigere, & quod vos D. cardinalis faciatis dictam excommunicationis sententiam inviolabiliter observari, & quod pœnam canonicam abbati Castrensi, & eis qui eamdem sententiam observare contemserint, se immiscendo divinis infligatis. Petit etiam de damnis & expensis, & de injuriis propter hoc illatis sibi satisfieri. Hæc dicit & petit dictus procurator salvo sibi, & parti suæ juris beneficio, in omnibus protestans & dicens quod non astringit se & partem suam ad prædicta omnia probanda, sed ad id vel ea quæ suæ intentioni fundandæ sufficiant.

Coram vobis, venerande pater D. J. tituli S. Laurentii in Lucina presbyter cardinalis, partibus auditore concesso, proponit B. sacrista syndicus, abbas & conventus monasterii Castrensis Albiensis diœcesis contra procuratorem abbatis & conventus monasterii sancti Victoris Massiliensis, quod cum monasterium Castrense ab eo tempore, cujus memoria non existit, Romanæ ecclesiæ fuerit immediate subjectum, & ab eorum subjectione liberum sit & exemtum, abbas & conventus S. Victoris Massiliensis asserentes Castrense monasterium eorum monasterio fuisse subjectum, ab ipso obedientiam, subjectionem, & reverentiam ab eis sibi exhiberi postulant, & abbatem S. Victoris Massiliensis ad visitandum, corrigendum, &c. admitti in abbatia Castrensi: unde cum dictus abbas & conventus monasterii sancti Victoris Massiliensis, vel eorum aliquis in Castrense monasterio seu abbate vel conventu ejusdem monasterii seu eorum aliquo nullum jus subjectionis, reverentiæ, obedientiæ

obedientiæ, visitandi, corrigendi, vel reformandi pertineat, directe, vel indirecte, principaliter vel etiam incidenter habeant in ejusdem vel aliquo eorumdem. Petit dictus syndicus abbatem & conventum sancti Victoris Massiliensis & eorum quemlibet prohiberi, & super prædictis omnibus syndico abbatis & conventus S. Victoris Massiliensis perpetuum silentium imponi. Petit etiam expensas occasione hujusmodi factas, quas estimat quinquaginta marchas argenti, & ipsum syndicum & abbatem & conventum S. Victoris Massiliensis sententialiter condemnari, salvo jure addendi, & diminuendi, &c. Super quibus libellis lite legitime contestata, utraque pars testes & instrumenta produxit, quæ post processus multiplices habitos coram aliis, D. papa nobis magistro Johanni de S. Germano subdiacono capellano suo examinanda & discutienda commisit. Nos vero privilegia producta, litteras, & dicta testium, ac rubricas sumtus examinatis & inspectis diligenter, domino papæ cuncta plene retulimus, & relatione plenaria exposuimus universa, & de speciali mandato ejusdem domini, ac certa scientia procuratoribus utriusque partis præsentibus sententialiter diffinimus, & pronuntiamus finaliter, ut in ordinatione, & correctione prædicti Castrensis monasterii, abbas sancti Victoris Massiliensis & successores ejus vicem sedis apostolicæ gerere debeant: in quo Castrensi monasterio si talis, quod absit, abbas inventus fuerit, qui a religione exorbitaverit, vel dignum aliquid depositione commiserit, unde correctionis Massiliensis abbatis censuram subire contemnat, diligentiæ ipsius sit episcopum in cujus diœcesi monasterium idem fuerit, ad testimonium reatus illius adhibere, sibi communicato consilio, rationabiliter a regimine habito summovere: si tamen episcopus de ordinatione, & mala vita non fuerit suspectus, vel si forte causam illam malo ingenio magis impedire, quam secundum Deum voluerit pertractare: quod si aliquid horum obstiterit, ne causa puniendi reatus indiscussa prætereat, sollicitudini ejusdem Massiliensis abbatis sit eum ad examen apostolicæ sedis judicandum adducere: quatinus illo amoto, talem ibi, Deo auxiliante, idem abbas Massiliensis ordinet, qui eidem Castrensi monasterio valeat digne præesse: & in hiis Ermengaudum sacristam & Bernardum de Podio Sarigarii monach. & procuratores monasterii Castrensis, & abbatis ejusdem & conventus ejusdem sententialiter condemnamus fratri Guillelmo Lordeti eleemosynario & procuratori S. Victoris Massiliensis nomine abbatis & conventus ipsius; & ad conventum, & abbati, nequaquam obstante quod verba condemnationis præsentis expressim non consonant cum libello, ab impetitione vero abbatis & conventus Castrensis, quæ supra continentur, abbatem & conventum S. Victoris Massiliensis & procuratorem sententialiter duximus absolvendos. In cujus rei testimonium præsens scriptum inde fieri fecimus per manum Thomæ clerici nostri publici notarii sigilli nostri robore communitum. Actum Laterani præsentibus domno abbate Azario, magistro Angelo de Roma advocatis in curia Romana, magistro Rogerio *Luvel* procuratore illustris regis Angliæ, Raymundo *Asay* monacho & procuratore Casæ-Dei, & pluribus aliis. Et ego Thomas de sancto Germano apostolicæ sedis auctoritate notarius prædictis interfui, & de mandato & auctoritate præfati magistri Johannis de sancto Germano domni papæ subdiaconi & capellani scripsi & publicavi rogatus. (a)

LITTERÆ S. LUDOVICI regis Francorum.

Aelidis Aldenardæ dominæ Rosetensis litteras de fundatione hospitalitatis de Lessines *confirmat.*

Anno 1251 Ex ms. Colbertino.

LUDOVICUS, &c. Notum facimus universis præsentes litteras inspecturis, quod nos litteras dilectæ & fidelis nostræ Aelidis dominæ Rosetensis dictæ Audenardæ de verbo ad verbum vidimus sub hac forma: Ego Aelidis domina Rosetensis dicta de Andenarde, notum facio præsentibus & futuris, quod ego ob remedium animæ meæ & animæ illustris dominæ meæ Blanchæ bonæ memoriæ quondam reginæ Francorum, animæ carissimi mariti mei Ar. quondam dicti domini de Andenarde, animarum parentum, antecessorum & successorum meorum, de sexaginta modiatis nemoris, quas habebam in loco qui dicitur *Ostoirmont* in Therescha, & de proventibus omnibus partem meam contingentibus, quos habebam in villa de Baymevilla juxta Rosetum, quos proventus & nemus de hereditate propria possidebam, ordinavi in hunc modum. In primis volui & disposui quod hospitale de *Lessines*, quod in honore beatæ Mariæ virginis construxi, dictum nemus & omnes proventus villæ memoratæ nomine puræ eleemosynæ perpetuo possideat, strictioribus justitiis dumtaxat mihi & heredibus meis retentis, dum tamen vel provisor dicti hospitalis reddere tenebitur singulis annis ea quæ in sequentibus sunt expressa; videlicet cuidam capellano deservienti capellaniæ, quam institui ad altare beati Johannis in dicto hospitali pro remedio animæ dominæ meæ reginæ memoratæ,

(a) Præsentem sententiam confirmavit Innocentius papa quartus bulla sua data Laterani quarto idus Aprilis, pontificatus sui anno undecimo.

xv. libras Parisienses annuæ pensionis, in die anniversarii ipsius reginæ, ibidem singulis annis celebrandi: viginti solidos in pittantiam pauperum dicti hospitalis, & x. solidos presbyteris & clericis qui vigiliis & missæ voluerint interesse. Item xii. libras Parisienses pro cera emenda ad faciendum luminare pro anniversario & servitio domini & mariti mei supradicti; xx. solidos in die obitus sui pauperibus pro pittantia, & x. solidos presbyteris & clericis qui ejus servitio interfuerint distribuendos. Item xiii. libras Parisienses pro servitio prædictorum reginæ & mariti mei qualibet feria ii. dicto hospitali faciendo in perpetuum in pittantia pauperum dividendos: hoc est singulis septimanis quinque solidos. Item pro anniversariis patris & matris meæ in dicto hospitali annuatim faciendis, in anniversario cujuslibet xx. solidos in pittantia pauperum, & decem solidos presbyteris & clericis qui servitio eorum interfuerint, distribuendos. Item, l. solidos Parisienses pro missa una de Spiritu-Sancto ibidem infra octavam B. Johannis-Baptistæ quamdiu vixero celebranda: ita quod de l. solidis prædictis xxx. solidi in pittantia pauperum convertentur, & xx. solidi presbyteris & clericis qui dictæ missæ interfuerint, distribuentur. Post mortem vero meam prædicti l. solidi in die anniversarii mei ibidem singulis annis faciendi, & ibidem, sicut prædictum est, dividentur. Item, pro missa dominæ meæ M. Flandriæ comitissæ de Spiritu-sancto in octabis missæ meæ quandiu vixerit celebranda, xxx. solidos Parisienses, scilicet xx. solidos in pittantia pauperum, & x. solidos presbyteris & clericis distribuendos. Post decessum vero ipsius, dicti xxx. solidi pro anniversario suo annuatim celebrando modo consimili distribuentur. Item, x. libras Parisienses ad hospitandum & procurandum fratres Prædicatores & Minores. Præterea quidquid residuum fuerit de omnibus proventibus supradictis volui quod in desideriis & necessitatibus infirmorum in dicto hospitali jacentium in posterum convertatur. Ad hæc autem firmiter observanda me & heredes meos perenniter obligavi: promittentes bona fide, quod contra dictam eleemosyam nec per me, nec per alium veniam in futurum, immo dicto hospitale legitimam portabo garantiam adversus omnes juri & justitiæ parere nolentes; & ut præmissa robur majoris obtineant firmitatis, præsentes litteras præfato hospitali tradidi, sigilli mei munimine roboratas. Datum anno Domini MCCLIV. mense Decembri. Nos autem ad requisitionem ipsius Aelidis, prout superius continetur, volumus & concedimus, salvo jure alieno, & in hujus rei testimonium & munimen præsentes litteras sigilli nostri fecimus impressione muniri. Actum Parisius anno Domini MCCLIV. mense Januario.

LITTERÆ S. LUDOVICI

De dono comitissæ Pontivi facto monasterio S. Judoci de nemore.

Anno 1255. Ex ms. Colbertino.

LUDOVICUS &c. Notum facimus, &c. quod cum olim MARIA quondam comitissa Pontivi de assensu MATTHÆI quondam comitis Pontivi viri sui, pro remedio animæ suæ & antecessorum suorum, dedisset ecclesiæ S. Judoci (a) in Nemore in restitutionem & recompensationem quadringentarum librarum, centum & quadraginta modiorum annonæ pro damno eidem ecclesiæ a JOHANNE quondam comite Pontivi & aliis antecessoribus suis illatis, prout dilecta & fidelis consanguinea nostra J. regina Castellæ & comitissa Pontivi ipsius comitissæ filia in nostra præsentia recognovit, quicquid habebat, possidebat, habere poterat, vel debebat apud Montigniacum supra Alteiam, videlicet tres partes marisci dictæ villæ cum dominio, omnimoda justitia alta & bassa, hospitibus, reditibus, aquis, piscationibus, vavassoribus, & omnibus aliis pertinentiis dictæ villæ, juribus etiam & libertatibus quibuscumque libere & integre ab ecclesia supradicta in perpetuum possidendum, & ad faciendam omnimodam voluntatem suam, nihil sibi aut suis heredibus retinens in villa prædicta vel omnibus supradictis, memorata ecclesia posita ab ipsa in corporalem possessionem omnium prædictorum; & prædicta consanguinea nostra nos requisierit, ut donationem istam confirmare vellemus. Nos ad ipsius instantiam donationem ipsam, salvo jure alieno, volumus, concedimus, & etiam confirmamus. In cujus, &c. Actum Parisius anno Domini MCCLIV. mense Februario.

CONFIRMATIO LITTERÆ Guidonis de Malo-vicino.

De institutione unius monachi ad Vallem Guidonis.

Anno 1255. Ex ms. Colbertino.

LUDOVICUS, &c. Notum facimus, &c. quod nos litteras quondam Guidonis de Malo-vicino in gallico scriptas de verbo ad verbum vidimus in hac forma: Je GUIS Mauvessins fais savoir a tos ceaus qui ces lettres verront, que je lais a Nostre-Dame dou Val-Guion en pure & perpetuel au-

(a) Abbatia est ordinis Præmonstratensis in diœcesi Ambianensi cui præfuit Milo ex primo abbate factus episcopus Morinensis: dicitur autem S. Judoci de nemore ad distinctionem alterius ejusdem nominis abbatiæ ordinis S. Benedicti S. Judoci ad mare dictæ in diœcesi itidem Ambianensi.

mosne, pour le salu de m'ame xx. livres de Tournois de rente chascun an a establir un moine leans plus qu'il ne n'i a, qui chantera por l'ame de moi, assis & a recevoir a l'eschaquier de S. Michiel a Rohan sus les deniers que je tieng de monseignor le roi de France. Et que ce soit ferme & estable, j'ai ces lettres saellées ou garnissement de mon seal. Ce fut fait en l'an de l'Incarnation de nostre-Seignor JESUS-CHRIST MCCLII. Nos autem eleemosynam istam, prout superius continetur, salvo jure nostro & alieno volumus & concedimus & etiam confirmamus. In cujus, &c. Actum Parisius anno Domini MCCLIV. mense Februario.

CARTA MARGARITÆ comitissæ Flandriæ

De munitionibus castri Ruplemonde.

Anno 1255 Ex ms. Colbertino.

UNiversis præsentes litteras inspecturis M. comitissa Flandriæ salutem. Notum facimus, quod cum secundum conventiones habitas inter excellentissimum dominum nostrum LUDOVICUM Dei gratia Francorum regem illustrem, & claræ memoriæ sororem nostram quondam Flandriæ comitissam, non possumus facere fortericias novas, nec veteres infortiare in Flandria circa fluvium qui dicitur *Escaus*, & præfatus dominus rex propter necessitatem nostram nobis firmare concesserit castrum nostrum de *Ruplemonde*, quod est de terra Wasiæ, quod etiam est circa fluvium prædictum qui dicitur *Escaus*, & quod nos tenemus & advoamus de ipso rege. Volumus ut prædictæ conventiones in hoc & in aliis nihilominus in sua maneant firmitate. Datum Parisius anno Domini millesimo CCLIV. mense Februario.

DIPLOMA S. LUDOVICI REGIS Francorum pro monasterio de Loia ordinis Grandimontensis.

Locum & nemus de Loia a Ludovico septimo olim concessum restituit Grandimontensibus fratribus.

Anno 1255.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Amen. LUDOVICUS Dei gratia Francorum rex. Notum facimus præsentibus & futuris, quod vestigia prædecessorum nostrorum sequentes, volumus & pro salute animæ nostræ & antecessorum nostrorum concedimus, quod viri religiosi Boni-homines ordinis Grandimontis in loco de Loia commorantes, habeant de cetero dictum locum de Loia cum nemore & terra, sicut fossatis undique cingitur & distinguitur, libere, quiete & pacifice possidendum, sicut continetur in litteris piæ recordationis Ludovici Dei gratia regis quondam Francorum proavi nostri, qui prædicta eisdem hominibus contulit, sicut in litteris ipsius vidimus contineri: quod nemus etiam felicis recordationis PHILIPPUS quondam rex Francorum, ac genitor noster LUDOVICUS tenuerunt aliquot annos in manu sua, & nos post ipsos; sed illud de bonorum consilio restituimus eisdem. Quod ut perpetuæ stabilitatis robur obtineat, præsentem paginam sigilli nostri auctoritate, & regii nominis caractere inferius annotato fecimus communiri. Actum apud Vicennam anno Incarnationis dominicæ MCCLV. mense Aprili, regni vero nostri anno XXIX. astantibus in palatio nostro quorum nomina supposita sunt & signa, dapifero nullo, buticulario nullo ALFONSO camerario, ÆGIDIO constabulario. Data vacante cancellaria.

CARTA FUNDATIONIS monasterii S. Michaëlis de *Bastebort*, ordinis Vallis-caulium.

Anno 1255 Ex ms. Colbertino. [a]

IN nomine, &c. Notum, &c. quod cum religiosi viri fratres S. Michaëlis de *Bastebort* Lexoviensis diœcesis, ordinis (a) Vallis-caulium in ejusdem montis supercilio temporalem sibi habitationem ad serviendum Deo perpetuo elegissent, & domos construxissent ibidem, ac propter crebro insurgentium tempestatum & ventorum excursus, nec non & alia quædam incommoda locus ipse, sicut accepimus, penitus ad hoc inutilis & quasi inhabitabilis redderetur; tamdem accedentes ad nos fratres loci ejusdem, nobis humiliter supplicarunt ut de loco alio sibi misericorditer providere vellemus, in quo debitum divini cultus obsequium redderent bonorum omnium conditori. Nos siquidem benigne compatientes eisdem ac humilem postulationem eorum pio prosequentes affectu, divinæ pietatis intuitu, & pro nostræ ac inclytæ recordationis genitoris nostri & genitricis nostræ, necnon & aliorum progenitorum nostrorum animarum remedio, totam terram quæ est inter aquam quæ dicitur *Ancre* & montem prædictum de *Bastebort* in longitudine, & inter domum Nicolai *Herent* & domum Anselli dicti præpositi in latitudine, tam in terra arabili, quam in pratis, nemoribus & jardinis continentem, videlicet octo acras quæ dicuntur Spinetum & *Loncloel*, & in terra arabili, jardinis, & pratis triginta duas acras & dimidiam, sicut de mandato nostro mensuratæ sunt, donamus &

(a) Vallis Caulium est monasterium sub regula sancti Benedicti a ducibus Burgundiæ sub finem sæculi XII. fundatum, in vasta solitudine diœcesis Lingonensis, a Divione dissitum quinque horis, cujus instituta confirmavit Innocentius papa III. Constitutiones vero primarias edidimus tom. quarto Anecdotorum.

concedimus in puram & perpetuam eleemosynam fratribus ipsis ibidem Domino perpetuo servituris, ad fundandum & ædificandum inibi domum & ecclesiam ordinis memorati; qui nos loci ipsius petierunt esse fundatores præcipuos & patronos. Præterea ut fratres ipsi reportent ampliorem gratiam, ea quæ sibi a quibuscumque nostræ potestatis fidelibus in eleemosynam hactenus sunt collata, liberaliter eis habenda & pacifice possidenda concedimus, & ea auctoritate regia confirmamus. Et has quidem donationem, concessionem, & confirmationem prædictas ratas esse volumus in futurum, salvo jure in omnibus alieno. Quod ut perpetuæ stabilitatis robur obtineat, præsentem paginam signi nostri auctoritate & regii nominis caractere inferius annotato fecimus communiri. Actum Stampis, anno incarnationis dominicæ MCCLV. mense Aprili, regni vero nostri XXIX. astantibus in palatio quorum nomina supposita sunt & signa, dapifero nullo, buticulario nullo. Signum ALFONSI camerarii, S. ÆGIDII constabularii. Data vacante cancellaria.

DIPLOMA S. LUDOVICI regis Francorum.

De gisto sibi debito ab aliquibus monasteriis.

Anno 1255. Ex ms. S. Theoderici.

LUDOVICUS Dei gratia Francorum rex. Universis præsentes litteras inspecturis salutem. Notum facimus quod de gisto in quo S. (a) Theodorici, de Alto-villari, & S. Basoli ecclesiæ nobis tenebantur, de nostro ac ipsarum ecclesiarum consensu extitit ordinatum, quod nos & successores nostri apud Remis, cum ibidem venerimus, & non alibi percipere poterimus dictum gistum: dum tamen non percipiamus gistum aliud ea die, & tunc etiam ad minus cum integraliter completa fuerit anni revolutio a die quo gistum anni percepimus præcedentis. In cujus rei testimonium præsentes litteras ecclesiæ S. Theodorici sigilli nostri munimine tradidimus roboratas. Actum Remis, anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo quinto, mense Decembri, feria V. ante Nativitatem Domini.

LITTERÆ DUCIS BURGUNDIÆ missæ ad Simonem de Monte-forti.

De reddendo ei castro Burdelio.

Anno 1256. Ex ms. Colbertino.

ILlustri viro & amico suo carissimo SIMONI de Monte-forti comiti Leycestriæ Hugo dux Burgundiæ salutem & sinceræ dilectionis affectum.

Vobis & universis tenore præsentium significamus, quod nos reddemus vobis vel mandato vestro castrum Burdelium die Martis post octabas pentecostes ex tunc, quandocumque fuerimus requisiti ex parte vestra a quocumque portante litteras præsentes, una cum vestris majori vel minori sigillo vestro sigillatis. In cujus rei testimonium præsentibus litteris sigillum nostrum apposuimus. Datum apud Montem-barrum anno Domini MCCLVI. dominica post ascensionem.

LITTERÆ S. LUDOVICI regis.

De fundatione Fratrum Minorum Falesiensium.

Anno 1256. Ex ms. Colbertino.

LUDOVICUS Dei gratia Francorum rex, universis præsentes litteras inspecturis salutem.

Notum facimus quod nos intuitu pietatis concessimus fratribus Minoribus Falesiensibus ad habitationis suæ usum locum nostrum qui situs est apud Falesiam juxta portam Ogisii, ubi dicti fratres habitant, qui fuit quondam Petri de Ponte-Oillei, filii Petri senioris dicti similiter de Ponte-Oillei cum plateis quibusdam & masuris in accrementum prædicti loci concessis. Insuper propter loci artitudinem supradicti, concessimus eisdem fratribus similiter & fossatum nostrum qui protenditur a porta prædicta usque ad turrellam, quæ sita est in fine porprisii magistrorum Andreæ & Guillelmi qui cognominantur Fabri. Volentes etiam quod in muro nostro, qui dicto fossato jungitur, fiat ostium, per quod dicti fratres dicti fossati beneficio libere possint uti: necnon & propter securitatem quæ dictos religiosos condecet ac etiam honestatem concedimus, ut etiam dicti fratres possint a parte exteriori fossatum claudere supradictum. In cujus rei testimonium præsentes litteras sigilli nostri fecimus impressione muniri. Actum Sagii, anno Domini MCCLVI. mense Maio.

CARTA S. LUDOVICI regis Francorum.

De patronatu ecclesiæ de Sappo.

Anno 1256. Ex cartario S. Ebrulfi.

LUDOVICUS Dei gratia Francorum rex. Notum facimus universis tam præsentibus quam futuris, quod cum contentio verteretur inter nos ex una parte, & abbatem ac conventum S. Ebrulfi ex altera, super jure patronatus ecclesiæ S. Petri de Sappo: tandem per inquestam inde de mandato nostro factam, & per cartas ac alia instrumenta ab ipso abbate nobis exhibita,

(a) S. Theoderici, Altivillaris, & S. Basoli ecclesiæ tres sunt abbatiæ ordinis S. Benedicti in diœcesi Remensi.

nobis constitit quod jus patronatus ecclesiæ memoratæ ad ipsos abbatem & conventum totaliter pertinebat, & nos ipsum eisdem reddi præcepimus liberum & quietum. Quod ut ratum & stabile permaneat in futurum, præsentes litteras sigilli nostri fecimus impressione muniri. Actum Vernone, anno Domini MCC. quinquagesimo sexto, mense Augusto.

PACTUM MATRIMONII

inter Henricum filium comitis Ruthenensis & Marquisiam filiam Barrali domini de Baucio.

Anno 1256 Ex ms. Colbertino.

NOverint universi præsentes litteras inspecturi, quod anno dominicæ Incarnationis MCCLVI. videlicet VI. idus Septembris nobiles viri dominus BARRALUS dominus Baucii, nomine suo ex una parte, & dominus Deodatus de Canillaco nomine domini comitis Ruthenensis ex altera, procurator ipsius ad hoc specialiter constitutus, sicut apparebat per litteras sigillatas sigillo dicti comitis Ruthenensis super matrimonio contrahendo inter HENRICUM filium dicti domini comitis, & MARQUISIAM filiam dicti domini Barrali de Baucio convenerunt in hunc modum. Promisit siquidem præfatus dominus Barralus prædicto domino Deodato procuratori domini comitis se daturum dictam Marquisiam filiam suam in uxorem prædicto Henrico filio dicti domini comitis, ad commonitionem ipsius domini comitis vel amicorum suorum, cum ad annos nubiles pervenerint; & se daturum in dotem cum dicta filia sua duo millia marcharum argenti solvenda per terminos infrascriptos, videlicet ducentas marchas argenti, quando tradet filiam suam dicto domino comiti tenendam & custodiendam: & tenetur eam tradere, quando dictus dominus comes requiret post præstitas securitates, quas super dicto matrimonio contrahendo facient sibi invicem in præsentia constituti. Item, debet ei solvere quadringentas marchas, quando matrimonium perficietur, eis in ætate legitima constitutis, & ab illo tempore in unum annum ducentas marcas, & deinceps singulis annis de anno in annum ducentas marchas, donec de prædicta summa duorum millium marcharum argenti fuerit domino comiti plenarie satisfactum. Hæc autem dictus dominus Deodatus procurator dicti domini comitis recipiens in forma præscripta, promisit dicto domino Barralo de Baucio se curaturum & effecturum, quod dictus comes Ruthenensis dabit dictum HENRICUM filium suum in matrimonium dictæ MARQUISIÆ filiæ dicti domini Barrali cum prædictis conventionibus, cum ad annos nubiles pervenerint, ad commonitionem ipsius domini Barrali & omnium amicorum suorum. Quod autem omnia prædicta & singula compleant & observent, dictus dominus Barralus & dictus dominus Deodatus per solemnem stipulationem, fide plena sibi ad invicem promiserunt. In cujus rei testimonio præfati dominus Barralus de Baucio, & dictus dominus Deodatus præsentem cartam fecerunt sigillorum suorum munimine roborari. Actum fuit hoc apud Calchbrias, in domo Guillelmi Carrani in præsentia & testimonio domini Raymundi Gaucelini, domini Guillelmi Poncii, Austoaudi Vec. de Barreria, & mei Pontii Cavallarii publici Poscheriarum notarii, qui præscripta perscripsi mandato utriusque partis, & signum meum apposui.

LICENTIA CONCESSA

Bernardo *de Rodes* monacho Massiliensi transeundi alium ad ordinem.

Anno 1256. Ex archivis S. Victoris eruit D. Furnerius.

IN nomine Domini nostri JESU CHRISTI anno Incarnationis ejusdem millesimo ducentesimo quinquagesimo sexto, indictione quarta decima, IV. nonas Decembris circa nonam. Notum sit cunctis tam præsentibus quam futuris, quod cum ego frater Bernardus *de Rodes* sancti Victoris Massiliensis monasterium intravissem, ac ibidem receptus fuissem in monachum & in fratrem, aliquanto tempore in eodem monasterio perseverans; & venerabilis pater S. Dei gratia monasterii abbas, & totus conventus ejusdem loci, viderent mores meos moribus ejusdem monasterii & fratrum nullatenus concordare, & quod ego asperitatem ordinis illius propter fragilitatem conditionis propriæ, ut dicebam, servare commode non valerem, humiliter & instanter dicto domino STEPHANO miseratione divina abbati & toti conventui ejusdem monasterii ad sonum tabulæ more solito congregatis in capitulo, supplicavi, ut saluti ac animæ meæ periculo salubriter providentes, mihi dare deberent licentiam ad alium religionis ejusdem vel alterius arctioris ordinem transeundi, absolvendo me ab omni quod eisdem, vel ipsi monasterio ratione prædicti ingressus, vel ex professione in eodem monasterio a me facta vel aliter eis tenebar astrictus.

Nos vero prædictus STEPHANUS miseratione divina abbas & fratrum conventus ejusdem monasterii videntes supplicationem tuam, frater Bernarde, paci & utilitati prædicti monasterii ac saluti tuæ expedire, habito super his consilio diligenti, te ab omni obedientiæ & religionis observantiæ vinculo, quo nobis & nostro monasterio vel membris & personis ejusdem monasterii te-

nebaris, occasione vel ratione quacumque, A auctoritate Dei & beati P. nostri Benedicti tenore præsentium perpetuo absolventes, tibi concedimus vel alium ejusdem ordinis, non tamen ipsius monasterii, vel alterius religionis ordinem valeas libere transmigrare, & ibidem saluti animæ tuæ providere: decernentes ut numquam ad nostrum monasterium vel ejus membra, tamquam ab eis & nobis factus extraneus ulterius revertaris.

Ad hæc ego frater Bernardus *de Rodès*, non captus, nec coactus, neque deceptus, B neque in aliquo circumventus, sed sponte ac libere prædictam absolutionem ac cetera omnia prædicta suscipiens, & expresse & solemniter consentiens, confitendo omnia prædicta & singula, pro utilitate ac pace dicti monasterii facta, abjuro & sponte renuntio ab hac hora in perpetuum dicto monasterio & membris ejus, & omni juri & beneficio, & auxilio constitutionis & consuetudinis, quæ vel quod mihi ex monachatu, vel professione a me facta in eodem monasterio, vel quocumque modo, ipso monasterio vel membris ejus promittens so- C lemniter quod numquam ad idem monasterium vel ejus membra revertar, nec damnum per me, vel per alios eis, vel personis eorumdem inferam vel gravamen, vel eorum ordinem diffamabo, super sacrosancta evangelia a me corporaliter manu tacta juro quod hinc ad mensem proxime futurum de toto comitatu Provinciæ exeam, numquam ad eum ulterius toto tempore vitæ meæ reversurus. Quod si contra prædicta vel aliquod præmissorum per me vel per alium venirem, vel per alium venire tentarem, D & specialiter si ultra prædictum mensem in comitatu Provinciæ, aut in eodem monasterio, vel ejus membris me contingeret inveniri, ex tunc renuntio omni privilegio clericali, monachali, vel juris beneficio, &c. Et ut hæc omnia a vobis & per me dicta & promissa per me firmius compleantur & attendantur, omnia supradicta & singula vobis domino S. abbati & conventui supradictis super sacrosancta evangelia solemniter promitto & juro, & numquam contra ea veniam, dicam vel faciam, per me vel per alium, toto tempore vitæ meæ. E Actum in capitulo dicti monasterii in præsentia & testimonio domini Guillelmi Dei [a] gratia olim (a) episcopi Vencienfis; Mag. Bartholomæi, Johannis notarii, & mei Bertrandi Pagani publici notarii Massiliæ, & signo meo signavi.

ELECTIO DOMINI ARNALDI de *Bay d'Arcizas* in abbatem S. Savini in valle Levitana Tarbiensis diœcesis.

VEnerabili patri in Christo ac domino G. divina miseratione sancti Victoris Massiliensis abbati, & ejusdem loci religioso conventui A. prior S. Savini totusque ejusdem loci conventus salutem & subjectionem omnimodam, non tam debitam quam devotam.

Anno 1257. Ex archivis S. Victoris eruit D. Furnerius.

Anno ab incarnatione Domini MCCLVI. duodecimo cal. Aprilis. In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, nos conventus S. Savini Bigorrensis diœcesis, expletis exequiis nostri patris abbatis, sine mora concorditer & canonice elegimus Arnaldum de *Bay d'Arcizas* nostrum monachum, & ecclesiæ nostræ filium, virum idoneum, & ut ætas permittit satis litteratum, honestum, sobrium, & in ætate legitima constitutum, in pastorem & nostræ ecclesiæ rectorem, & dominum & abbatem; supplicantes vestræ dominationi, & in Domino deprecantes, quatinus illum benigne recipiatis & audiatis, & si quid minus dignum in eo videbitis, vel cognoscetis, misericorditer cum eo tractetis, confirmantes eum nobis in dominum abbatem, ut nos qui prompti sumus vestræ obedientiæ, voluntati promtiores inde fieri teneamur. Ego A. prior & sacrista elegi eum, & ego Ariolus elemosynarius, & ego Petrus *Solon*, Willelmus de *Marzos*, P. Gau. A. *Dus*, A. *de Plas*, A. *de Sos*, A. *Dozol*, B. *Blac*, B. de Bidolas, G. A. R. G.

Anno 1257. indictione XV. decimo cal. Julii hanc electionem confirmaverunt Raymundus de Ausarano prior claustralis S. Victoris. B. de Stella. P. Artæ-cellæ priores vicem gerentes G. abbatis monasterii sancti Victoris in Romana curia commorantis. Et dictus Arnaldus de *Bay d'Arcizas* obedientiam præstitit in capitulo Massiliensi.

PACTUM MATRIMONII Erardi de Nantolio & Mabiliæ de *Lesignes*.

TH. par la grace de Dieu rois de Navarre, de Champaigne, & de Brye cuens palazins, à tous ceaux qui ces presentes letres verront & orront salut en nostre Seigneur. Sachent tuit que en nostre presence establi Herarz de Nantheull & Guillaume de Lesignes escuier ont recognu, que il ont antre aus convenances de maria-

Anno 1257. Ex autographo communicatum a domino le Beuf succentore ecclesiæ Antissiodorensis.

(a) Hinc patet Guillelmum pontificali cessisse dignitati. Quis autem fuerit ille Guillelmus non satis constat. Occurrit quidem in serie episcoporum Vinciensium Guillelmus Riboti qui adhuc anno 1229. sedebat, verum ab anno 1229. ad 1256. maximum occurrit temporis intervallum. Absolute tamen nihil obstat quominus ad hunc annum supervivere potuerit.

ge de celi Herart & de Mabil la sereur de A iceli Guillaume an tele maniere & par teles paroles, comme il est ci-dessous escrit. C'est à sçavoir je Guillaume de Lesignes fait assavoir à tous ces qui ces presentes lettres verront & orront, que je, par le conseil de mes amis, ai donné an mariage, (se saint eglise si accorde, à Herart de Nantheuil Mabille ma sereur, & si li ai donné avoiques li trois cens livrées de terre à Provenesiens, desquelx trois cens livrées de terre, je l'en doi asseoir cent livrées an la chatellerie de Troies, an la chatellerie de Chaourse, & an la chatellerie de Iles, ou B an un ou an deux de ces chatelleries, & autres cens livrées an la terre de Lesignes, se je veuil, ou es chastelleries dessus nommées an la maniere dessus dite, ou partie à Lesignes, & partie an ces chatelleries, & cent livres de Provenisiens an deniers, à payer chascun an en la quinzaine de la saint Remi à Provins, jusques li douaires à la Dame de Villi & à la Dame de Liri soient escheu, & quant i feront escheu, ces cens livrées daircenement dites, & les secondes cens livrées qui seroint assises en la terre de Lesignes, ou an ces châtelleries, ou par- C tie an un leu, & partie en autre, si comme il est dessus dit, seront toutes assises an ces trois chastelleries dessus nommées. Et est assavoir que an l'assise des prumieres cent livrées doit courre quantque mes freres & je avons à Liri & à Chaeli, & aprés lou decest des deux dames dessus dites, quantque nous aurons an ces leus meismes courra an l'assise des deus autres deus cens livrées, & la maison de Liri, sera Mabile ma sereur aprés le decest à la dame qui la tient par doüaire sans pris de terre. Et est assavoir que au leu ou je commencerai à asseoir cele D terre dessus nommée, soit la prumiere, soit la dereniere, je ne retendrai rien, se cil ne valoit plus que l'assise que l'an devroit faire ne monteroit, & an cette assise de terre comment estre prisées toutes choses fort la maison de Liri dessus dite. Et ces deux cens livrées de terre prumierement nommées doivent estre assises an vaillance de terre de an par autres aus us & aux coûtumes de Champaigne, sauf ce que toutes choses soient prisées fort la maison de Liri dessus dite, audit & à l'égart des deus chevaliers, qui ci aprés sont nomé, qui ont fiance que l'on feront bien & loiaument, E ces assavoir de monseigneur Johan de Fontaine esleu de ma partie, & do monseigneur Thomas de Maupas esleu de la partie d'Errart de Nantheuil, dedans les trois mois, que cil Herart aura espousée ma sereur. Et ce il avenoit que il eust descort entre ces deux chevaliers ci devant nommés pour faire l'assise de ceste terre, mes sires Johans de Thorete seroit li tiers pour asseoir & parfaire ceste assise de ces deux cens livrées de terre dedans autres trois mois. Et si ai onqueres doné à celi Herart de Nantheuil & à Mabille ma sereur mil & cinc cens livres de provenisiens an deniers à payer & à rendre à celi Herart de Nantheuil & à ma sereur à trois termes ci aprés nommés, c'est à savoir lou tiers an la foire de May, qui prumiers sera aprés ce qu'il l'aura espousée, & l'autre tiers an l'autre foire de May aprés, & l'autre tiers derrain an l'autre foire de May apres, & ades à Provins, & toutes ces convenances devantdites ai-je promis à tenir fermement par ma foy, que je i ai mise corporement, & à ma requeste & pour moi seront establi pleges par leur foy qu'il an on ont donée chacuns pour lou tout, anvers cely Herart, & anvers ma sereur, pour toutes ces convenances ci-devant dites & devisées à tenir fermement, messires Gauchers de Chatellon sire de Creci, mes sires Anxiaus de Treinel mareschaus de Champaigne, messire Garniers de Treinel sire de Marigni, & Droins de Mello, & pour les convenances des mil & cinc cens livres dessus nomées à payer & à rendre à celi Herart, ou à son certain messaige, ensi comme il est devant dit & devisé, se sont establi pour moi & à ma requeste pleges avoiques les quatre ci-devant nommés, messires mes oncles par la grace de Dieu evesque d'Auceure, messire Johans Chastellens de nom, & de Thorete, messires Eustaces & messires Hues de Conflans ses freres chacun par leur fois que il y en ont mise tuit, for que messires li evesques qui la promis an bonne foi, & doit faire avoir à celi Herart de Nantheuil & à Mabille ma sereur de ces convenances les lettres pendant monseigneur le roi de Navarre. Et se il avenoit que aucun des pleges devant nommés mourist, ou messire Jahans de Fontaines asseerres de ma partie de la terre devant nommée, je i mestroie asseeur & pleges autres sossisans au leu de ces qui morroient, & Herart i mestroit autre asseeur, au lieu dou sien assiseeur, se il morroit, & parce que je n'ai point de seel & que ce soit ferme chose & estable, je pri & requier à tous ces qui ci-devant sont només qui seaus ont que il i pendent leur seaus pour moi & pour aus aussi. Au tesmoignage de ceste chose, & pour ces convenances miaus asseurer. Et est assavoir que do Herart de Nantheuil veuil & ostroi que des mil cinc cens livres de Provenisiens que je dois avoir pour le mariage dessus dit, que si il avenoit que je mourisse avant la devantdite Mabile, que je dois panre à fame, sans hoir de mon cors & dou sien, que ce que j'en aurois receu fust pris sur ma terre de mon heritage, & fust rendu au termemant & au tex paies comme je les dois receuir,

lesquex payes sont dessus nomées, & dou remanent que je n'auroie pas reçû, je, ne mi hoir, ne autres pour raison de moi n'an pourroient riens demander, & se il avenoit que cel Mabile mourist avant moi, sans hoir de mon cors & dou sien, je serois tenus à randre, sus ma terre de mon heritage, aus hoirs à icele Mabile, les deux part de ce que je an auroie receu, & au tex paies comme je le doi recevoir, & li tiers de ce que j'auroie reçu me demourroit tous quites, & an ce que je n'auroie receu, je ne pourrois rien demander, ni avoir, & à toutes ces choses tenir, & fermement accomplir oblige-je moi & mes hoirs & ma terre, que je ai & aurai, sui tenus de doner aus freres à icele Mabille les lettres pendent monseigneur lou roi de Navarre, de tesmoing & de confermemant de toutes ces choses, & pour ce je ai prié monseigneur lou roi de Navarre, que il pende son seel an ces presentes lettres, avoiques le mien seel. Et nous Th. par la grace de Dieu rois de Navarre an tesmoing an conformement de toutes ces convenances & de toutes ces choses dessusdites, à la requeste de Herart de Nantheuil & de Guillaume de Lesignes, qui sont dessus nommés, avons fait mettre nostre seel an ces presentes lettres. Ce fut fait en l'an de l'Incarnation Notre-Seigneur mil & deus cens cinquante-sept, ou mois d'Octobre.

Infra pendet sigillum Theobaldi regis Navarræ semilacerum & sigillum Herardi de Nantolio integrum cum hac in circuitu inscriptione. S. ERARDI domicelli DE NANTHOLIO.

LITTERÆ S. LUDOVICI pro comitissa Provinciæ.

De sex millibus librarum singulis annis ei dandis.

Anno 1258. Ex ms. Colbertino.

LUDOVICUS Dei gratia Francorum rex. Notum facimus quod nos pro carissimo fratre & fideli nostro CAROLO Andegaviæ & Provinciæ comite tenemur in sex millibus libris carissimæ socrui nostræ B. comitissæ Provinciæ singulis annis a nobis reddendis eidem, quamdiu vixerit, ratione compositionis inter nos factæ terminis subnotatis, videlicet in octavis Purificationis B. Mariæ Virginis duo millia librarum Turonensium, in sequentibus octabis ascensionis Domini duo millia librarum Turonensium, & in sequentibus octabis instantis festi omnium sanctorum duo millia librarum Turonensium, secundum quod in compositione prædicta sigillo eorum sigillata prolixius continetur. De qua pecunia eidem comitissæ satisfecimus ad plenum terminis prænotatis usque ad terminum ascensionis Domini proxime subsequentis. Actum anno Domini MCCLVII. mense Februario.

TESTAMENTUM DOMINI Guillelmi episcopi Venciensis.

Anno 1258. Ex archivis S. Victoris eruit D. Furnerius.

IN nomine Domini JESU-CHRISTI anno Incarnationis ejusdem MCCLVII. indict. v. XIV. Aprilis circa tertiam. Notum sit cunctis tam præsentibus quam futuris quod ego GUILLELMUS Dei gratia Venciensis episcopus quondam, in mea bona & sana existens memoria, licet sim æger corpore, facio testamentum meum nuncupativum, seu meam voluntatem ultimam in modum infra scriptum. Inprimis eligo in sepulturam ad corpus meum sepeliendum in ecclesia seu cimiterio monasterii sancti Victoris Massiliensis, & ordino de bonis meis in hunc modum. In primis, legoo mnes libros meos cujuscumque fuerint facultatis, excepto breviario, armario conventus prædicti monasterii. Breviarium vero vendatur ad emendum possessiones sicut inferius disponetur. Item, volo & mando quod dentur magistro Guillelmo de Colobreriis physico, pro servitio quod mihi fecit in infirmitate mea, triginta solidi regal. coronat. Item, lego Stephano nepoti meo sacristæ Venciensi capam meam de bruneto. Item, lego Gontardo officiali Venciensi unum ex mantelis meis quem ipse sibi eliget. Item, volo & mando quod dentur & solvantur de bonis meis Michaëli servienti meo duodecim solid. regal. pro servitio quod mihi fecit, cum una tunica, vel supertunicali meo, secundum voluntatem gadiatorum meorum infrascriptorum; quæ prædicta legata volo & statuo ut solvantur tam de decem libris Turonensibus quas recepit pro me & nomine meo Gontardus officialis Venciensis, quas mihi Venciensis episcopus annis singulis facere tenebatur, quam & de illis centum solidis regal. quos Gaucelmus subprior dicti monasterii in deposito recepit a me. Residuum vero dictarum quindecim librarum superius nominatarum, & vestes, & pannos meos volo & mando distribui pro anima mea & redemtione meorum peccaminum in missis dicendis, & aliis piis operibus faciendis secundum voluntatem & dispositionem R. prioris claustralis & V. sacristæ ecclesiæ monasterii supradicti, quos mihi gadiatores constituo, in omnibus vero aliis bonis mobilibus & immobilibus, juribus & actionibus, ubicumque sint & qualiacumque, constituo mihi heredem universalem sacristiam ecclesiæ supradictæ: volens & mandans ut sacrista ecclesiæ ipsius monasterii de bonis meis, quæ in ejus posse sunt, seu actione dictæ institutionis pervenerint, emat & adquirat, & emere & adquirere mereatur aliquas

quas possessiones, quas dicta sacristia in perpetuum tenere debeat usque ad valorem xxx. lib. Turon. vel plus, si ad manus ejus occasione dictæ institutionis pervenerint, de quarum possessionibus, omnes reditus & proventus sacrista qui pro tempore fuerit, expendat omnino ad opus conventus pro anima mea & parentum meorum annis singulis in die obitus mei anniversarium faciendo, volens, & mandans, & statuens quod possessiones seu reditus qui, seu quæ ementur a dicto sacrista de dictis triginta libris superius nominatis, non alienetur nec impignoretur, seu alias detrahatur quominus de eis possit voluntas mea compleri. Si vero, quod absit, accideret quod abbas vel aliquis alius dicti monasterii dictas possessiones, vel ejus redditus ad usus alios usurparent, vel de posse sacristiæ auferrent; volo & statuo quod ad Venciensem ecclesiam possessiones ejusmodi vel redditus, nisi legitime moniti desisterent, devolvantur. Hoc autem est ultimum meum testamentum, seu mea ultima voluntas, quod & quam valere jubeo atque mando, & si non valet jure testamenti, volo quod saltem valeat jure codicillorum vel epistolæ, seu alterius cujuscumque ultimæ voluntatis. Si autem aliud testamentum seu ultimam voluntatem feci, totum illud seu illam casso, & irrito, & infringo, & nulli valoris de cetero esse volo; volens & mandans quod hoc præsens testamentum, seu ultima voluntas perpetuam obtineat firmitatem. Actum in dicto monasterio, in quadam turri quæ est juxta curitorium, in præsentia & testimonio testium infrascriptorum, a dicto testatore rogatorum, scilicet Guillelmi Lurdeti eleemosynarii; Fulconis prioris S. Crucis, Fulconis Viciani, Johannis de la Vania, Bernardi de Capella, Jacobi camerarii, Petri Ausara, Ademari *de Salves* monachi de Quintina, monachorum, & mei Bertrandi Pagani notarii Massiliæ, qui prædictis præsens interfui, & hanc cartam mandato & rogatu dicti testatoris scripsi, & signo meo signavi.

JUDICIUM FACTUM

inter dominum regem & comitem Pictavensem ac comitem Andegavensem fratres suos super duabus partibus comitatus Claromontis Parisius in parlamento nativitatis beatæ Mariæ Virginis anno Domini MCCLVIII.

Anno 1258. Ex ms. Colbertino.

Come li cuens de Poitiers & li cuens d'Angou demandassent au roi les deus parties de la contée de Clermont, qui leur estoent escheuës, si comme il disoent de la mort madame JEHANNE, qui fu fille au conte PHELIPE leur oncle, & li rois feist dire pour lui, que il ni poent demander nule partie, ains devoit tote la contées & les appartenances demorer au roi. Apres moult de paroles dites pour l'une partie & pour l'autre, li conte devant dit, & li rois sur leur paroles s'apuierent au jugement, & puis requistrent li conte au roi, que il feist voir chartes que il avoit, qui faisoit a l'eclaircissement de leur besoigne, & que il feist enquerre de leur droiture. Li rois feist voir les chartes & fist enquerre de totes les choses qui faisoient a la querele, & puis veuës les chartes & l'enqueste faite par le conseil de preudes homes, il delivra & termina cette querele en telle maniere, que li cuens de Poitier & li cuens d'Anjou n'avoent nul droit en la contée de Clermont, ne es apartenances, ne ni pooent demander nule partie, ains devoit toute enterignement demorer au roi a tos jours. Si leur fu dit que ce portoit fin de querele a tos jours, & a ce faire hont... li rois, le conseil, l'arcevesque de Rains, l'arcevesque de Roan, l'evesque de Troes, l'evesque d'Autun, les evesques de Noion & de Taroane, le roi de Navarre, la contesse de Flandres, le conte de Never, le abez de S. Denis & de Boneval, le prieur des freres Prescheurs de Paris, l'arcediacre Simon de Roan, le seigneur de Neele; monseigneur Jehan de Neele, le conte d'Eu, le conestable de France; monseigneur Mahiu de Trie, & de plusieurs autres clers & laïs qui present estoent.

CARTA S. LUDOVICI pro Domo-Dei de Vernone.

Anno 1258. Ex ms. Colbertino.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Amen. LUDOVICUS Dei gratia Francorum rex. Notum facimus universis tam præsentibus quam futuris, quod nos divini amoris intuitu & pro salute animæ nostræ, necnon & pro remedio animarum inclytæ recordationis genitoris nostri LUDOVICI regis, & genitricis nostræ BLANCHÆ reginæ & aliorum antecessorum nostrorum, Domum-Dei Vernonis; quam de novo ædificare fecimus ad necessitatem egenorum & pauperum confluentium ad eamdem, & personarum ibidem Deo & pauperibus ipsis famulantium, constructis ædificiis & mansionibus opportunis, ut ibidem Christo Domino & suis membris honorabilibus serviatur ad sustentationem personarum & pauperum prædictorum, in puram & perpetuam eleemosynam dedimus & concessimus eisdem totam terram nostram de Spineto prope *Gualiardon* cum manerio & pertinentiis omnibus tam in terra arabili, censibus, reditibus bladi, denariorum, & caponum, quam in aliis quibuscumque pertinentibus ad manerium & terram prædictam, retento nobis placito ensis, & eis quæ ad placitum en-

sis pertinere noscuntur. Insuper viginti modios vini albi, & sexaginta modios vini rubei in præpositura nostra de Vernone tempore vindemiarum percipiendos, & centum XL. libras Parisienses in eadem præpositura, ad tres terminos compotorum nostrorum annuatim solvendas: volentes & præcipientes, ut quicumque pro tempore præposituram nostram tenuerint Vernone, vinum & pecuniam prædictam persolvant, sicut prædictum est absque mora seu difficultate vel diminutione qualibet domui supradictæ. Quod ut perpetuæ stabilitatis robur obtineat, præsentem paginam sigilli nostri auctoritate & regii nominis caractere inferius annotato fecimus communiri. Actum Parisius anno incarnationis dominicæ MCCLVIII. mense Februario.

ACCEPTILATIO

ducentarum marcharum pro dote Marquisæ futuræ sponsæ Henrici filii comitis Ruthenensis.

Anno 1258. *Ex ms. Colbertino.*

ANno dominicæ Incarnationis millesimo CCLVIII. videlicet XVII. calendas Madii, ego Guillelmus Frocardi miles bajulus domini HUGONIS Dei gratia comitis Ruthenæ, & procurator ejusdem ad recipiendas pro eo & ejus nomine CC. marchas argenti a domino Barralo domino Baucii, vel a procuratore suo eidem domino comiti ab eodem domino B. debitas, pro dote dominæ MARQUISIÆ filiæ ipsius domini B. sponsæ & futuræ uxoris HENRICI filii dicti domini comitis, scio & vere confiteor me habuisse a te Ysnardo Augerio scutifero, procuratore constituto ab ipso domino B. ad solutionem quingentarum librarum Turonensium faciendam præmisso domino comiti vel suo procuratori ex causa dictæ dotis. Confiteor, inquam, me habuisse a te quingentas libras Turonenses, loco & vice dictarum ducentarum marcharum: ita tamen quod ipsæ quingentæ libræ tantum extenuent pretium ducentarum marcharum, quantum ipsæ quingentæ libræ valent, & eas ex causa jam dicta confiteor me habuisse & in eis renuntio exceptioni non habitæ, & non numeratæ pecuniæ, & quingentarum librarum non receptarum ex causa præmissa, de quibus te procuratorem & ipsum dominum B. pro te, & res ejus in perpetuum mei domini nomine libero & absolvo. Testes horum sunt Guido de Capite-porci, jurisperitus, R. de Folaquerio, P. Bruqueti presbyteri, Ermengaudus Conite deaurator, & Guillelmus Arnaldi Montispessulani publicus notarius, qui utrimque rogatus hoc scripsit.

CARTA S. LUDOVICI REGIS.

De emtione facta a monachis Gemetici apud Maram.

Anno 1259. *Ex autographo.*

LUDOVICUS Dei gratia Francorum rex. Noverint universi præsentes pariter & futuri, quod nos dilectis & fidelibus nostris abbati & conventui Gemmeticensi dedimus & concessimus quidquid habebamus in tenemento quondam Guillelmi de Mara militis, in terris, redditibus, hominibus & omnibus appenditiis, retento nobis duntaxat quodam nemore, quod est juxta nemus eorumdem, in quo ipsi habebunt herbagia tempore quod est in patria consuetum. Similiter quicquid habebamus in tenemento *Deudonne*, in tenemento *Gonbert*, in tenemento *Godelent*, & in tenemento Valeranni filii Duvæ, & similiter quidquid habebamus in tenemento dispensarii apud Gemmeticum, & in tenemento Caietæ in valle de Mara pro centum & viginti libris annui redditus, de quo redditu remittimus eisdem, & quittamus octoginta libratas pro duobus millibus libris Turonensibus nobis in pecunia præ manibus persolutis. Alias autem XL. libras annui redditus nobis reddent in duobus scacariis, videlicet in scacario paschæ viginti libras, & in scacario sancti Michaelis viginti libras, tenenda & habenda dictis abbati & conventui hereditarie deinceps in perpetuum. Hæc omnia supradicta cum omni justitia & dominio, retentis nobis feodis loricæ integris, & partitis gardis releveiis eorumdem, si quæ nobis ibi competant jure patronatus ecclesiæ, & placito spatæ cum suis pertinentiis, quæ nobis solummodo retinemus. Quod ut ratum & stabile permaneat in futurum, præsentes litteras sigilli nostri fecimus impressione muniri. Actum apud Fontem-bliaudi anno MCCLIX. mense Aprili.

EPISTOLA S. LUDOVICI REGIS

Francorum ad fratres Minores Sagienses.

Mittit eis unam ex spinis coronæ Salvatoris.

Anno 1259. *Ex autographo.*

LUDOVICUS Dei gratia Francorum rex, dilectis in Christo gardiano & fratribus Minoribus Sagiensibus salutem & dilectionem.

Ecclesiam vestram in honore sacro-sanctæ Coronæ Domini nostri JESU-CHRISTI fundatam, venerando volentes exenio decorare, unam de spinis (a) sanctissimæ coronæ vobis in signum dilectionis transmittimus, specialiter caritatem vestram rogantes & requirentes attente, quatenus hujusmodi tam pretiosum sanctuarium, tam insigne, debito recipientes honore, illud etiam qua decet reverentia conservare curetis, specialem &

(a) Spinas alias sanctissimæ coronæ diversis in locis collocavit sanctus Ludovicus, uti videre est tom. I. Anecdot. pag. 1126. 1131. 1153. 1472. apud Fisenium historiæ Leodiensis part. 2. lib. I. num. 43 &c.

perpetuam nostri in vestris orationibus & divinis obsequiis memoriam habituri. Actum Parisius anno Domini MCCLIX. in festo S. Remigii.

ADDITIO AD FUNDATIONEM domus sanctæ Trinitatis de Redemtione captivorum apud Fontem-bleaudi.

Anno 1260 Ex ms. Colbertino.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Amen. LUDOVICUS Dei gratia Francorum rex. Notum facimus universis tam præsentibus quam futuris, quod cum ad honorem bonorum omnium largitoris nuper apud Fontem-bliaudi domum quamdam ordinis S. Trinitatis & captivorum cum basilica constructa ibidem in honore sanctæ & individuæ Trinitatis, ac hospitale pauperum infirmorum fundavissemus (a), ad usus fratrum & pauperum eorumdem ac utrisque servientium, certis sibi reditibus assignatis, secundum quod in carta nostra super hoc confecta plenius continetur. Accedentes postmodum ad nos dilecti in Christo minister & quidam de fratribus dicti loci, nobis humiliter supplicarunt, ut cum ad sustentationem septem fratrum, quos ibidem instituimus summo Regi perpetuo servituros, & pauperum infirmorum, qui de vicinis locis aridis & desertis ad illud confluunt hospitale, ac familiæ necessariæ tam fratribus, quam pauperibus antedictis assignati reditus minime commode posse sufficere viderentur, cum aridi loci sterilitas plurimum sibi incommoditatis afferret, & multorum etiam jam caritas refrigescat, hujusmodi defectibus eorumdem opem remedii salutaris apponere liberalitate regia dignaremur. Nos autem volentes eorumdem fratrum ac pauperum necessitates grato relevare subsidio, & ut præsertim pauperum ac egenorum inopiæ de nostra fiat abundantia supplementum, pro illius largitoris amore de cujus manu cuncta recepimus, & pro salute animæ nostræ, necnon & animarum inclytæ recordationis LUDOVICI genitoris nostri, reginæ BLANCHÆ genitricis nostræ & aliorum prædecessorum nostrorum damus & concedimus domui & fratribus & pauperibus antedictis, ad usus & sustentationem ipsorum & specialiter pauperum infirmorum hospitalis prædicti, omnes proventus & exitus, quos habemus & percipimus in terris subnotatis, quas nuper ad annuum censum tradidimus in diversis locis, secundum quod inferius continetur. Videlicet apud Fontem-bliaudi sexaginta arpenta de quibus debentur pro unoquoque arpento sex denarii censuales. Item, apud Sarmesium & *Corbuisson* quadringenta & quatuordecim arpenta, de quibus debentur pro quolibet arpento similiter sex denarii. Item, apud Boscum regis, Sarmesium & *Brusoles* octingenta & septuaginta septem, pro quolibet sex denarii. Item, apud Stnacum pro arpento uno octo denarii, & pro dimidio quatuor denarii. Item, apud *Barbuisson*, apud S. Martinum, & apud Macherien CCLIV. arpenta, pro quolibet arpento octo denarii. Item, apud Erbonam XXV. arpenta pro quolibet quatuor denarii. Item, apud *Franchart* X. arpenta, pro quolibet sex denarii. Item, apud *Meum*, apud *Chieres* & *Duiri* CLXX. arpenta, & pro quolibet sex denarii. Item, apud *Recloses* & apud *Cumieres* CXIV. arpenta, pro quolibet quatuor denarii. Item, apud *Borron* & apud *Gormevial* XVII. arpenta, pro quolibet sex denarii. Item, apud Montem-falconem octo arpenta, pro quolibet arpento sex denarii annuatim. Insuper donamus & concedimus eisdem in puram & perpetuam eleemosynam omnes terras nostras sitas in loco qui dicitur Mons-Catonis ad essartandum & ad redigendum in culturam usque ad summam CCL. arpentorum continentes, ad usus & ad sustentationem fratrum & pauperum prædictorum & eis servientium, & specialiter ad usus & necessitates pauperum hospitalis domus ejusdem, retinentes nobis & heredibus nostris in prædictis omnibus justitiam nostram altam & bassam: hoc tamen excepto, quod ministri & fratres prædicti gagiare & justitiare valeant in eisdem, pro censibus, vendis, & reditibus non solutis. Præter numerum autem septem fratrum superius annotatum, de nostra voluntate pariter & assensu recepti sunt in eadem domo duo fratres ejusdem ordinis, Petrus scilicet & Johannes, circa nos commorantes, qui professionem regularem fecerunt in ea, post quorum decessum, vel recessum ab inde, nec propter augmentationem numeri fratrum ipsorum diminuatur aut subtrahatur aliquid de portione pauperum hospitalis, sed prætaxatum numerum septem fratrum in eadem domo servari volumus in futurum, nisi excrescentibus reditibus in eadem, de nostra voluntate contingeret prædictorum fratrum numerum augmentari. Quod ut perpetuæ stabilitatis robur obtineat, præsentem paginam sigilli nostri auctoritate, ac regii nominis caractere inferius annotato fecimus communiri. Actum apud Meledunum anno Dominicæ Incarnationis MCCLX. mense Decembri, regni vero nostri anno XXXV. astantibus in palatio nostro quorum nomina supposita sunt & signa. Dapifero nullo, signum JOHANNIS buticularii, S. ALFONSI camerarii, S. ÆGIDII constabularii. Data vacante cancellaria.

(a) Hanc fundationem ediderunt Sammarthani in Gallia Christiana, in serie archiepiscoporum Senonensium.

CONCORDIA
inter Bartholomæum Lobiensem abbatem & Margaritam Flandriæ & Hannoniæ comitissam.

De catallis morientium.

Anno 1261 *Ex cartario Hasnoniensi dominorum de Avesnis.*

BITREMINS par la grace de Diu abbes de Lobbes & tous li couvens de ce meisme liu à tous chiaus ki ces lettres verront & oront salus en Notre-Seigneur.

Nous faisons savoir à tous que com il fut debas entre nous pour notre esglise d'une part, & nostre noble Dame MARGHERITE contesse de Flandres & de Haynau d'autre part, four chou ke ladite noble dame voloit penre & prenoit en la conté de Haynau les milleurs chateus à le mort des hommes & des femmes de notre eglise de saint Pierre, manans en la contei de fors les villes de nostre eglise, sauf cho que la devantdite dame nous connissoit bien que nous aviens nostre droit de penre leus deus pars des milleurs chateus, qui escheoient es prevosté de Mons & de Binch. & nous disiens que nous deviens avoir les deus pars par toute la contei. En la par de fin par conseil de bonne gens, nous nos sommes assenti, & reconnissons pour droiture & à chou nous obligons perpetuelement, ke la devant dite dame ait ou doive avoir de son droit de tous les hommes & des femmes Saint Pierre de Lobbes manans en toute la conté de Haynau, de fors les villes de nostre eglise, la moitié del milleur chatil à le mort, & nous l'autre : & c'est à entendre de tous chiaus ki par chou doivent v. milleur chateil, sauf chou que ladite noble dame, ne si oir ne pueent, ne ne doivent rien demander ne avoir es milleurs chateus des hommes & des femmes S. Pierre manans en ladite contei, as quels autres gent partent à nous à tierch u à moitié. Et si est à savoir ke com il fut discordei entre nous & la devant dite dame four ce qu'elle voloit penre & prenoit en aucuns lius douzaines & sizaines sous les hommes & les femmes de notre eglise de saint Pierre ; & nous disiens que la noble dame devant dite ni avoit nul droit, en la fin nous nous sommes assentis par conseil de bonne gent, que lesans à nostre eglise son chievage, panra pour loquison de ces douzaine & de ces sizaines des hommes & des femmes de notre eglise manans en la conté de Haynau de fors les villes de nostre eglise à l'homme six deniers, & à le femmes trois deniers : ne plus ni puet demandeir ne elle ne si oir pour loquison des douzaines & des sizaines devant dites, horsmis chiauls & celes ki parchon ne doivent v. milleur cateil à le mort. Et si est a savoir que quant li miudres cateuls eschaira des hommes & des femmes ki le doivent à le mort, nostre sergant u li siergant la devantdite dame le puet & le doit arresteir & tenir, cil ki prumier de ci a tant ke li autres y venra pour lever & partir communement & loyalement à nous & à ladite noble dame & à ses hoirs, si com devant est dit, à la contenanche de ceste cartre tenir fermement obligons nous & nos couvens perpetuelement, & pour chou ke ce soit ferme chose & estable, nous avons ces presentes lettres données à la noble dame devant dite & à ses hoirs saielées de nostres saiaulş. Ce fu fait à Valenchienes, l'an del Incarnation Nostre-Seigneur JESUS CRIST MCC & LX. le jor de le conversion saint Pol.

EPISTOLA S. THOMÆ
Aquinatis, ad quemdam sibi familiarem.

Pro thesauro sapientiæ acquirendo.

Ex ms. S. Laurentii Leodiensis.

QUia quæsivisti à me, qualiter te intendere oporteat in thesauro scientiæ acquirendo, hoc a me super hoc datur tibi consilium, per rivulos & non statim in mare eligas introire ; quia per faciliora oportet nos ad difficiliora pervenire. Tardiloquum te esse jubeo, & tarde ad locutorium accedentem : conscientiæ puritatem amplectere, orationi vacare non desinas, cellam frequenter diligas ; si vis in cellam vinariam introduci ; omnibus te amabilem exhibe, nihil tibi de factis aliorum penitus intromittas, nemini te multum familiarem ostendas, quia nimia familiaritas parit contemtum, & subtractionis a studio materiam ministrat. De factis & verbis sæcularium te nullatenus intromittas, discursum super omnia fugias, & sanctorum & proborum vestigia imiteris. Ne respicias a quo audias, sed quid dicatur memoriæ recommenda, ea quæ legis fac ut intelligas ; de dubiis te certifices, & quidquid poteris in armario mentis reponere satage, sicut cupiens vas impleri. Altiora te ne quæsieris, illius sequere vestigia qui frondes, flores & fructus utiles in vinea Domini Sabaoth dum vitam comitem habuit, protulit & produxit. Hæc si sectatus fueris ad idem attingere poteris quod affectas : hanc siquidem salutarem epistolam, omnique prorsus commendatione dignam cohabitatricem tibi in cella hortor & obsecro jugiter teneas, ut cum ea sæpe confabulando de virtute ire possis, & proficere in virtutem usque in vitam æternam, quod tibi præstare dignetur Dominus noster JHESUS CHRISTUS. Amen.

LEGES CALENSES.

Isti sunt articuli contenti in registro domini regis tempore Mathildis abbatissæ oriundæ de Nantholio.

Ex cartario Calensi.

PRimus de Rato.

Secundus de Multro; in hiis nihil habent major & jurati de Kala.

Tertius, de latrone suspecto & manifesto justitia abbatissæ.

Quartus, de banno personarum per abbatissam primo & post per homines.

Quintus, de banno vini pertinet ad abbatissam.

Sextus, de banno proclamento pertinet ad abbatissam, hoc salvo quod major & homines possunt facere bannum pro suis congregationibus, pro aliis non.

Septimus, de sanguine abbatissa cognoscet in curia sua, vocato majore, & emendabitur abbatissæ, & ipsa reddet medietatem majori & hominibus.

Octavus, de falsis mensuris, parvo pane, & aliis, pravis victualibus pertinet ad abbatissam.

Nonus, de catellis, & placito hereditatis, & aliis pertinentibus, & hæc pertinent ad abbatissam.

Decimus, de tallia villæ, major & jurati tailliare possunt, quando volunt.

Undecimus est de messoribus, abbatissa ponet unum, villa alium, & ambo jurabunt in ecclesia exequi officium suum.

Item, de animalibus & hominibus captis, noster forestensis vinearum, pratorum & hujus adducentur homines & animalia ad abbatissam & habebit emendam.

Item, de ictu levi sine sanguine, & de *livivi*, & de verbis contumeliosis procedetur, prout de sanguine superius ex expressum.

EPISTOLA CLEMENTIS papæ IV. ad monachos Massilienses S. Victoris.

Permittit uniri cellæ de Tritis ecclesiam de Roseto, quo facilius possint hæresim ex valle illa extirpare.

Anno 1266. Ex archivis S. Victoris eruit D. Furnerius.

CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilectis filiis abbati & conventui S. Victoris Massiliensis ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti salutem & apostolicam benedictionem.

Commissum sollicitudini nostræ animarum regimen laudabiliter exequi ac utiliter, quantum nobis clementiæ superare ministrat gratia, cupientes, ad extirpandum de agro Domini hæreticorum pestem damnabilem, qui ad ipsas decipiendas animas suis pravis & detestabilibus conantur dogmatibus & laborant, eo vigilantius intendimus. Ideoque studiosius opportunam operam impertiri volumus, quo tales ad Christianæ subversionem religionis deducendum quoque fideles ad æternæ mortis laqueum videmus & cognoscimus periculosius aspirare. Cum itaque sicut ex parte vestra fuit propositum coram nobis, in valle de Tritis, in qua ex concessione sedis apostolicæ spiritualis ac temporalis jurisdictio ad vos, secundum assertionem vestram, pertinet, peccatis hominum exigentibus, hæretica pravitas nimium pullularit, & in prioratu SS. Trinitatis loci ejusdem de Tritis vallis prædictæ, ad vestrum pertinente monasterium pleno jure, qui in loco est positus populoso, per vestros faciatis monachos deserviri, nos devotionis vestræ, cujus sinceritate apostolicæ sedis meremini gratiam & favorem, precibus inclinati, ecclesiam de Rosseto cum suis pertinentiis, sicut proponitis, si jus patronatus habetis in ea, & alias præmissis veritas suffragatur, dicto prioratui uniendi, ut ibidem conventus institui possit, inter quos aliqui habeantur, qui ad purgandum vallem ipsam ab hujusmodi pravitate, præstante Domino, sciant, & valeant verbo proficere pariter & exemplo, salvo tamen jure diœcesani episcopi, si quod ibidem habere dinoscitur, plenam & liberam vobis concedimus auctoritate præsentium facultatem: proviso quod in dicta ecclesia per idoneum vicarium, cui de ipsius ecclesiæ proventibus pro sustentatione sua portio assignetur competens, faciatis congrue deserviri. Datum Viterbii III. idus Julii, pontificatus nostri anno secundo.

EPISTOLA CLEMENTIS papæ IV. ad quosdam canonicos ecclesiæ Remensis.

Ut de injuriis duci Brabantiæ illatis ab exercitu episcopi & ecclesiæ Leodiensis judicent.

Anno 1268. Ex ms. Cl. V. domini de Louvrex.

CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilectis filiis officiali majoris archidiaconi, magistris Johanni de Villarisicco majoris, & Johanni de S. Michaele S. Symphoriani ecclesiarum Remensium canonicis, S. & A. B.

Sua nobis dilecta in Christo filia nobilis mulier ALAIDIS ducissa Brabantiæ & Lotharingiæ, tutrix dilecti filii nobilis JOHANNIS ducis Brabantiæ & Lotharingiæ, ac marchionis imperii, filii sui pupilli, suo & tutorio nomine ipsius, conquestione monstravit, quod cum venerabilis frater noster H. Leodiensis episcopus, de consilio, assensu & mandato decanorum, capitulorum

majoris & aliarum ecclesiarum Leodiensium, exercitu ex canonicis ipsarum ecclesiarum, & hominibus suis Leodiensibus, nec non castrorum, oppidorum & villarum Leodiensis ecclesiæ congregato, contra ipsos ducem & ducissam & eorum terram procedere intenderet, nulla idipsum culpa seu causa rationabili exigente, dicta ducissa eosdem episcopum, decanum & capitulum dictæ majoris ecclesiæ requiri fecit, ut ab hoc desisterent, ac offerri eisdem quod parata erat, si ipsa vel homines terræ suæ seu dicti ducis ipsum vel dictas ecclesias, seu aliquam ex dictis ecclesiis vel personis earum offendisset in aliquo, satisfactionem ei congruam exhibere. Verum id præfatis episcopo, decano & capitulo majoris ecclesiæ minime acceptantibus, sed iniquum suum propositum volentibus ducere ad effectum, idem episcopus una cum eodem exercitu terram ipsorum ducis & ducissæ intravit hostiliter, & tam ipse quam qui cum eo erant eisdem duci & ducissæ; ac ipsorum hominibus in eorum injuriam, præjudicium & gravamen, damna gravia & injurias multipliciter irrogarunt, quosdam ex ipsis hominibus crudeliter perimendo, aliquos vero acriter vulnerando, plures etiam villas ipsorum ducis & ducissæ, necnon & quoddam monasterium in dicta terra situm nequiter deprædando: quasdam insuper alias villas eorumdem ducis & ducissæ, & quamdam ecclesiam in qua plures tam viri quam mulieres, quæ pro timore dicti exercitus se in ipsa ecclesia receptarant, immaniter comburentes, domum ipsorum ducis & ducissæ juxta oppidum *Dorp* de Trajecto sitam funditus destruxerunt, ipsumque oppidum per violentiam occuparunt, & adhuc detinent occupatum, nonnullos homines dictorum ducis & ducissæ in dicto oppido commorantes ad præstandum eidem episcopo fidelitatis juramentum contra justitiam compellendo in ipsorum non modicum detrimentum. Quare præfata ducissa nobis humiliter supplicavit, ut providere super hoc sibi & dicto duci paterna sollicitudine curaremus, faciendo super præmissis eis satisfactionem debitam exhiberi. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis qui fuerint evocandi, & auditis hinc inde propositis, quod justum fuerit, appellatione postposita decernatis, facientes quod decreveritis auctoritate nostra firmiter observari, non obstantibus si aliquibus a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, per litteras apostolicas, quæ plenam & expressam de indulto hujusmodi non fecerint mentionem, sine qualibet alia indulgentia sedis ejusdem, per quam effectus justitiæ impediri valeat vel differri. Quod si non omnes his exequendis poteritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exequantur. Actum Viterbii, II. cal. Februarii pontificatus nostri anno tertio.

PACTUM MATRIMONII inter Henricum filium regis Alemanniæ & Constantiam natam Gastonis vicecomitis Bearnensis & Mathæ vicecomitissæ Marsani.

Anno 1268. Ex ms. Colbertino.

NOverint universi, quod cum inter nos GASTONEM vicecomitem Bearnensem dominum Montis-Cathani & Castriveteris .... & benignissimam primogenitam nostram dominam CONSTANTIAM nomine ex parte una, & carissimum nostrum dominum inclytum EDOARDUM illustrissimi domini nostri HENRICI regis Angliæ primogeniti, & dominum ROGERIUM de Mortuo-mari pro domino HENRICO illustrissimi regis Alemanniæ primogenito, cum aliis vel sine aliis, simul vel divisim ex parte alia, super ineundo matrimonio inter ipsum EDOARDUM, & dilectam CONSTANTIAM nostram, constitutione & collocatione dotis seu arrarum sub certis pactionibus, convento & ordinato, jurata & sigillata .... pactionibus inde confectis & sigillatis, & sigillis dicti domini Edoardi & nostro plenius continetur, & juxta pactionum illarum continentiam, & ad ea .... facienda missi fuerint ab eodem domino Henrico dominus Johannes de sancto Briosonio & dominus Michaël *Malconduy* milites inter nos, & Be. conjugem ..... ad nostram primogenitam licet emancipatam ex una parte, & milites ipsos, nuntios & procuratores dicti domini sui Henrici nomine ex altera... convento communis & ordinato in hunc modum: quod nos prædictus GASTO dictam primogenitam nostram dominam CONSTANTIAM hinc ad festum instans purificationis ...... deducemus in Franciam, vel alibi citra mare, ubi dominum HENRICUM invenire credamus: quod si citra mare idem dominus Henricus interim non venerit, ... nuntios ipsos & nostros .... ac primogenitæ nostræ. ... & firmatis firmandis juxta pactiones super his initas ipsam ducemus, ubi idem dominus Henricus ..... matrimonialiter, & educendam ab eo, ei eam in uxorem trademus, cum dote quam constituemus, prout aliter a nobis promissum extitit sub nostris & dicti domini Edoardi per instrumenta, ut infra sequetur. Et nos prædicta CONSTANTIA matrimonio consentientes una & .... domino patre nostro tam præsentibus quam aliis prædictis litteris promissa seu facta habentes & grata cum dicto domino Henrico nimirum conceden-

dæ... domino promittimus contractui, & quod ex munificentia dicti domini patris nostri & alia quæcumque ad nos sequentia concessuros in dotem, & nihilominus ratione spe & causa dicti matrimonii ambo, tam pater quam filia & quilibet nostrum altero consentiente . . . . concedimus in dotem dicto domino HENRICO vicecomitatus de Brulhesio & de Gavardano, cum juribus & pertinentiis eorumdem, & eschaetis omnibus tam nobis quam dictæ dominæ Mathæ ex nunc vel ex futuro in eisdem & pro eisdem vicecomitatibus pertinentibus, & quidquid habemus & habere debemus in diœcesi Vasatensi, quorum sasinam & possessionem vel quasi, dictis militibus nuntiis & procuratoribus dicti domini Henrici nomine tradimus corporalem, & ipsos pro eodem domino suo veros . . . . constituimus, & facimus possessores, & a baronibus, vassallis, feodatariis & subditis nostris in eisdem vicecomitatibus & pertinentiis fidelitatem fieri mandamus, & homagia, & alia quæ domino mutante secundum usum & consuetudines patriæ fieri possunt, & debent, & per nos & heredes & successores nostros facere & portare bonam & firmam guarantiam in vicecomitatibus & rebus etiam dotalibus libere, de quorum evictione nos & quilibet in solidum obligamus & nostra in Bearnia. Insuper Martiani vicecomitatum, & alia cetera nostri Gastonis prædicti concedimus quæ sequuntur. Concedimus videlicet quod si nos contingat decedere sine masculo & legitimo nostro ex prædicta domina MATHA conjuge nostra superstite, habebunt dictus dominus HENRICUS & uxor ejus CONSTANTIA nomine dictæ dotis, ex hac nostra collatione mille libras Turonenses renduales in loco rationabili, & terra nostra sub districtu & arbitrio dicti domini nostri Edoardi & heredum & successorum ipsius dominorum Gastonis circa ad bonorum virorum arbitrium assignandas, at si non de ista, sed de alia superinducenda uxore heredem masculum & legitimum nos habere contingat superstitem, habebunt dicti domini HENRICUS & domina CONSTANTIA & heredes ac successores ipsorum, pro recompensatione dictarum mille librarum rendualium, vicecomitatum de Martiano, una cum prædictis de Brulhesio & de Gavardano eis supra concessis, cum juribus & pertinentiis & eschaetis omnibus quæ ex nunc vel ex futuro tam nobis, quam dominæ MATHÆ prædictæ in eisdem vel pro eisdem vicecomitatibus contingere vel evenire possunt vel debent, quibus contenti, & prænominatis casibus duobus, ipsi dominus Henricus & domina Constantia, prædicto heredi nostro masculo superstiti, terram aliam nostram, & bona post obitum nostrum quitta sunt, & eis ab eodem herede nostra de præconcessis sibi vice versa, quittatione & absolutione concessa. Verum si nos sine herede tali masculo obire contingat, aut ipsum heredem sine liberis sui heredis ex se & remanente habebunt ex causa dotis prædictæ. Item, dominus HENRICUS & domina CONSTANTIA suique heredes, pleno jure retinebunt ex præsenti nostra largitione & concessione vicecomitatus de Bearnio, de Gavardano, & de Martiano, cum pertinentiis eorumdem, juribus & eschaetis omnibus, tam ad nos, quam ad dominam Matham prædictam hereditaria successione, vel alias ex nunc vel ex tunc undecumque spectantibus. Terra autem & alia nostra bona ab ipsis domino Henrico & domina Constantia perpetuo quitabuntur ad alios nostros, juxta nostram dispositionem, heredes & successores libere transmittenda: hoc acto tamen, quod si dictam dominam Matham præcedamus, tenebit ipsa ad vitam suam vicecomitatum de Martiano prædictum, utetur & fruetur, & faciet fructus suos, post cujus obitum idem vicecomitatus cum juribus suis & eschaetis omnibus, ad ipsam dominam Matham jure hereditario, vel quocumque modo alio undecumque spectantibus, ipsis domino Henrico & dominæ Constantiæ & heredibus & successoribus suis libere remaneat ex causa prædicta, & revertatur ut suum. Actum etiam fuit quod ipsi dominus Henricus & domina Constantia, & heredes eorum vel superstites nostrum & prædictæ dominæ Mathæ complere tenebuntur testamenta, secundum morem patriæ condita, debita exsolvere, & injurias emendare: ita tamen quod qui terram nostram Hispanicam tenebit, seu Ultra-montana bona, testamentorum hujusmodi, debitorum, injuriarum, & emendarum ex terra illa, & ejus accressione provenientium subire habebit emendas & solutiones complere. Qui vero vicecomitatum Brulhesii tenebit, vel succedens in eo, D. marchas persolvere tenebitur ad complendum residuum prædictorum: adveniente tamen conditione, quod prædicti vicecomitatus de Bearnio, de Gavardano & de Martiano, ad dictos dominum Henricum & dominam Constantiam juxta formam revertantur præfatam, alioquin superstite legitimo herede nostro masculo, præconcessa eisdem in hoc casu libera, & sine omni onere remanebunt: eo salvo, quod qui succedet in vicecomitatu Martiani, persolvet debita dominæ Mathæ, & ipsius injurias emendabit. Fuit insuper actum quod si dicta domina Constantia sine liberis aut herede ex se superstite & remanente decedat, de mille libris Turonensibus testari possit, & in illis pro concessa sibi dote nomine.... & ut tunc vicecomitatus omnes prædicti cum juribus

suis & pertinentiis & eschaetis omnibus ad propinquiores heredes suos juxta consuetudinem patriæ revertantur ad hoc, addito quod si in dictis vicecomitatibus heredes masculi superstites domini Henrici & dominæ Constantiæ prædictorum succedere habeant, primogenitus duos vicecomitatus de Bearnio & de Martiano cum pertinentiis & juribus suis omnibus habeat. Si vero filiæ, altera earum in prædictis duobus vicecomitatibus pleno jure succedat : ita quod vicecomitatus illi duo ex tunc non possint aliquo eventu ab invicem separari. Et ad firmitatem præmissorum faciemus absolvi & quittari dictam terram pro dote constituendam ipsis domino Henrico & dominæ Constantiæ suisque heredibus & successoribus per dominum GERALDUM de Armaniaco, & ejus uxorem aliam filiam nostram, & pro posse per comitem Fuxensem & ejus conjugem nostram similiter filiam, per juramenta & litteras suas patentes, & obligari faciemus vassallos dictorum vicecomitatuum de Bearnio & de Martiano quinque vel sex de melioribus & potentioribus per propria juramenta, quod has nostras pactiones & concessiones advenientibus dictis conditionibus observent, & prædictis domino Henrico & dominæ Constantiæ & heredibus eorum, & ab aliis vassallis feodatariis & subditis in eisdem vicecomitatibus faciant pro viribus observari, qui litteras suas super his & patentes ad cognitionem prædicti domini nostri Edoardi & serenissimæ dominæ Angliæ reginæ matris suæ prædictos vicecomitatus de Brulhesio & de Gavardano cum pertinentiis & juribus & eschaetis ipsorum, quorum saisinam & possessionem statim vacuam & veram prædictis nuntiis domini Henrici tradidimus, reddemus liberos & quietos ab omni onere debitorum, arrendationum, & ad firmam concessionum vel statim, vel usque ad proximum venturum Pascha, & de his statim sufficientes dabimus in manu senescalli Vasconiæ fidejussores, si necesse fuerit, vel cautiones. Quæ prædicta omnia facta fuerunt de assensu & voluntate expressa nostræ dominæ Mathæ prædictæ, quæ ad instantiam dicti domini Gastonis, & sponte ea ratificamus & approbamus, & jus, si quod pro dote vel alias competebat in præconcessis, vel competere poterat vel esset in futurum, per nos nostrosque heredes & successores alios dictæ dominæ Constantiæ in præsenti, & expresse de causa dotis & matrimonii prædictorum supradicto domino Henrico ac nuntiis ejus prædictis ipsius & heredum suorum nomine conferimus & concedimus perpetuo simpliciter pleno jure, salva factione & executione nostri testamenti, & obligatione quam habemus ad vitam nostram nomine dotalitii in Bearnio,

A & specialiter in quadringentis marchis argenti, quia nos prædictus GASTO pro factione testamenti sui eidem dominæ MATHÆ concessisse fatemur jam dudum, & de facto certi ac de jure certiorati, nos prædicti Gasto & domina Matha, & prout contractum nostrum prædictum & dotem constitutam, & ante renuntiamus, & hæc omnia concessurum & taliter renuntiaturum promittimus spontanee juribus & caussis quibus donationes propter ingratitudinem donatarii, aut immensitatem, seu defectum insinuationis, legum, vel alias revocari possunt, aut sunt revocanda, irrita,
B aut non valida ostendi vel simul, & quibus cavetur pactum, donum vel concessionem de viventis hereditate & successione futura non valere, & specialiter nos domina Matha retento nobis jure obligationis, dotalitii & quadringintarum marcharum, beneficio legis Juliæ de fundo dotali senatusconsulti Utt. rei ux. art. & utrumque nostrum doli in solidum & aliis subsidiariis actionibus & exc. privilegiis S. & favor. ypothec. & pro mulieribus introductis a jure scripto & civili & etiam con-
C suetudinario vel usurarum auxilio : ita quod hæc generalis renuntiatio valeat proinde ac si in casibus singulis expressa desiderantibus renuntiatio facta esset expresse. Celebratis sane matrimonio, dote ac dotalitio, seu arris, & accessoriis, & aliis juxta pactiones olim super hiis factas, vel terris ad eum sub variarum conditionum eventu varie perventuris in suo testamento possit imponere, quantum ad declarationem illius articuli requisita domini Gastonis & obtenta libera, absoluta, &
D spontanea voluntate irrefragabiliter declarantes, laudamus, arbitramur, & dicimus, dominum Gastonem & dominam MATHAM ipsius uxorem ultra duo millia marcarum argenti, super illis terris, quæ ad dominum Henricum fuerint deventuræ occasione dotis prædictæ, testari non posse; nec dominum Henricum, aut terras ad eum in eventum aliquem perventuras, nomine legatorum vel fideicommissorum in testamento, aut alia qualibet ultima voluntate ultra dictam summam aliquatenus onerare : ita
E videlicet accipienda nostra declaratione prædicta, ut conjunctim intelligatur omnino, ut videlicet amborum testamenta, videlicet domini Gastonis & dominæ MATHÆ pariter conjuncta, memoratam quantitatem pecuniæ non excedant. Ad injuriarum tamen emendas & æris alieni solutionem nihilominus teneatur, prout in ipsa conventione plenius est confectum, cumque a parte domini Gastonis ad hoc defuerit impartita securitas, ipsi domino Henrico super ratificatione conventionis prædictæ a parte domini Gastonis præmissa, videlicet juramentum

mentum comitis Fuxensis, juramentum comitis de Armaniaco, juramentumque baronum, vassallorum & militum aliquorum de Bearnio & de Martiano. Nos ad supplementum istius articuli defectus, laudamus, arbitramur & dicimus, quod si forsan occasione guerræ vel contentionis movendæ in posterum, post decessum jam dicti Gastonis contra tenorem conventionis factæ seu initæ super assignatione dotis prædictæ, per filias ceteras domini Gastonis vel jam maritatas vel juniorem, quæ non est adhuc maritatui collocata, quæ juxta assertionem domini Gastonis jam pubes effecta & emancipata, juravit se conventionem ratificare prædictam, & se numquam contraventuram, seu maritos earumdem, quoscumque contigerit in futurum aliquos sumtus facere vel expensas, retineat dominus Henricus, & habeat nomine pignoris per omnium earum quantitatem sumtuum & expensarum hujus, & omnes alias terras domini Gastonis prædicti, quæ in dotem dominæ Constantiæ primogenitæ, secundum tenorem conventionis prædictæ, & aliis filiabus duabus jam nunc inlocatis, non fuerint assignatæ, seu quæ in dotem nomine junioris filiæ non fuerint assignandæ, sive in Vasconia, utpote in Brulhesio & Bigorræ, sive alibi, ubicumque terræ fuerint memoratæ, quousque de terrarum reditibus & proventibus earumdem eidem Henrico domino in omnibus illis expensis & sumtibus plenarie fuerit satisfactum, & quousque per ceteras filias domini Gastonis & maritos earum, & super ratificatione conventionis præfatæ plena fuerit parata securitas alicujus generе cautionis: ita tamen quod prout unaquæque filiarum seu maritorum ipsarum ipsam conventionem ratificaverint, vel idonea cautione firmaverint, restituatur ei a domino Henrico libere absque impedimento suo, portio quæ ad ipsam filiam vel ejus maritum ex assignatione prima dicti domini Gastonis debebit aut poterit provenire, nisi eadem filia vel maritus ejus post motam contentionem vel guerram a parte ipsius contra tenorem conventionis præfatæ ex prima redeat parata, vel paratus offerre super ratificationis præfatæ conventionis idoneam cautionem. In quo casu nihilominus ipsius portionem, quamquam idonee caverit, dominus Henricus retineat, quousque ei de sumtibus & expensis, quas fecerit occasione guerræ seu contentionis hujusmodi de proventibus portionis illius fuerit, ut prædictum est, plenarie satisfactum: illius tamen portio filiæ vel mariti, qui contra ipsam conventionem contumacia vel delicto per dominum Henricum nullatenus sequestretur. Ipse quoque dominus Gasto præfatas terras ipsi domino Henrico pro quantitate præfata expensarum & sumtuum prædictorum, si quos fecerit occasione guerræ seu contentionis hujusmodi, sua propria atque spontanea voluntate præsentia nomine pignoris obligavit. Arbitramur quoque, dicimus & laudamus, quod dominus Gasto juxta formam conventionis præfatæ habitæ super dote prædicta jurare faciet barones, vassallos, milites, aliosque de potentatibus de Martiano, & pariter de Biarnio, quod ipsi, quantum in eis est, conventionis præfatæ tenorem, a quibuscumque personis pro viribus omnimodis facient observari. Adjicimus insuper laudo, nostro dicto, atque arbitrio, quod dictus dominus Gasto barones, vassallos & milites de Brulhesio, vel saniorem partem illorum, qui quæque nunc a domino Henrico obtenta ad eumdem tamen Gastonem juxta formam conventionis prædictæ, est in eventum aliquem deventurum, necnon & barones, vassallos & milites terræ illius, quam ipse dominus Gasto vel uxor ipsius domina Matha obtinet in Bigorra jurare faciat ad sancta Dei evangelia præstito corporaliter sacramento. In terris autem suis, utpote in Cathelonia seu alibi, in quibus de consuetudine non juratur super eo, omnem securitatem illam impetret, quam a baronibus vassallis seu militibus terræ illius poterit impetrare, qui suæ sponsionis factæ per suas litteras in hac parte bona fide faciendum committimus, quod ipsi barones, vassalli & milites prædictarum terrarum opem omnimodam, vires & diligentiam adhibebunt, quod domino Henrico salvetur possessio atque retentio terrarum hujusmodi, videlicet in Cathelonia, Brulhesio & Bigorra, donec ab aliis filiabus ipsius domini Gastonis seu quibuscumque maritis earum super ratificatione conventionis præfatæ, cautio seu securitas plenaria fit peracta, & quousque de terrarum proventibus earumdem, ipsi domino Henrico de sumtibus & expensis occasione guerræ seu contentionis movendæ contra tenorem conventionis præfatæ, per filias alias seu maritos, aut earum seu aliorum, aliquas vel aliquos fuerit satisfactum plenarie juxta formam superius annotatam. Et hæc omnia nihilominus ad solemnitatem majorem & evidentiorem roboris firmitatem, in præsentia incliti principis domini HENRICI Dei gratia illustris regis Angliæ emologata a partibus seu earumdem partium sunt expresso firma consensu: quæque a parte domini Gastonis ex vi præsentis nostri arbitrii, dicti, seu laudi, suæque propriæ sponsionis, adimplenda supersunt, juravit ipse dominus Gasto in nostra præsentia se cuncta & singula bona fide pro viribus impleturum, & quod dicta Matha dicti domini Gastonis uxor præclara præsens non fuerit, dum hæc a nobis & a

partibus acta & firmata fuissent. Ex abundanti arbitramur, dicimus, & laudamus, quod dictus dominus Gasto curet & faciat quod domina Matha prædicta hæc omnia acta a partibus, & a nobis peracta sua spontanea ratificatione firmabit. Nosque EDOARDUS illustris regis Angliæ primogenitus ab utraque partium requisiti, arbitrariam nihilominus nobis atque juridictionem ordinariam reservamus, tamquam dominus atque ordinarius judex Vasconiæ, per quam partes, seu earum altera, seu quoscumque alios, quorum interest ad observationem præsentis dicti nostri, laudi, sive arbitrii absque strepitu judiciali in omnem eventum libere compellere valeamus. In quorum omnium testimonium & omnium hic actorum perpetuam firmitatem, una cum sigillo domini regis & cum sigillis partium, præsens scriptum nostrorum sigillorum munimine fecimus roborari. Datum, &c.

LITTERÆ ALIENORÆ reginæ Angliæ pro securitate præmissi pacti.

ALIENORA Dei gratia regina Angliæ, domina Hiberniæ, ac ducissa Aquitaniæ, & EDOARDUS illustris domini regis & ejusdem dominæ primogenitus, omnibus præsentes litteras inspecturis salutem in Domino sempiternam.

Cum super promissione & assignatione dotis jam pridem assignatæ pro parte ...,& pro parte... in futurum promissæ, per dominum Gastonem vicecomitem Bearnii, domino Henrico inclyti principis Alemanniæ, regis primogenito, nomine dominæ Constantiæ suæ primogenitæ uxoris memorati domini Henrici confecta fuerint instrumenta dotalia, in quibus varii inseruntur articuli conditionesque variæ, juxta quarum tenorem, quorumque eventum ipse dominus Henricus dominaque Constantia uxor sua ad aliqua onera supportanda tenentur, utpote testamenti, injuriarum, & æris etiam alieni domini Gastonis & dominæ Mathæ suæ uxoris ad aliqua & alia quæ in faciendo, & alia quæ in non faciendo consistunt, utpote quod nullo alienationis genere alienent terras illas quæ occasione dotis hujusmodi vel jam ad eos perveniunt, vel in futurum fuerint perventuræ. Cumque per dominum Gastonem a prædicto domino Henrico & uxore sua Constantia fuerit desiderata securitas hujusmodi omnia adimplendi, & super securitatis modo vel genere inter eos fuerit aliquamdiu altercatum; demum ipsis in nos super securitate hujusmodi compromittentibus, ac super his supponentibus se libere atque totaliter nostræ definitioni, dicto, laudo, seu arbitrio nos demum deliberatione habita diligenti, & prudentium virorum requisito consilio, laudamus, arbitramur, & dicimus, quod memorati dictus dominus Henricus & dicta Constantia per sua propria juramenta promittant, quod ea omnia ad quæ tenentur, juxta teriorem instrumentorum dotalium fideliter adimplebunt, & taliter observabunt, nullo umquam tempore in aliquo contraventuri, hoc nihilominus adjecto ex nostri potestate arbitrii, quod si dictus dominus Henricus atque domina Constantia contra conventionis præfatæ tenorem terram aliquam; quæ nomine dotis vel successionis domini Gastonis vel dominæ MATHÆ uxoris suæ ad eos fuerit perventura, quocumque genere alienationis alienare præsumserint, eo ipso homines de Bearnio & de Martiano ac totius terræ alterius ab omni fidelitatis & homagii juramento eisdem præstito vel præstando in posterum sint liberi & immunes, nec ad ipsius observationem de cetero teneantur; sed obedire potius volumus & concedimus quod advenientibus dictis conditionibus, dictus dominus Henricus dotis nomine, & ipsa domina Constantia, in quam dominium præmissorum transtulimus dicto modo, & transferri volumus, & veram facere possessorem, & pro ipsis tunc conjugibus, in casibus prænotatis, nos ibi constituimus, possidere possint integre & retinere corporaliter saisinam & possessionem, vel quam prædictorum omnium & singulorum auctoritate, motu, & voluntate propriis, sine principis domini vel judicio vel alterius cujuscumque voluntate alia, auctoritate vel mandato, & quod actus possessionis, & qui possessionem vel sasinam tribuunt vel conservant, & detentatio nostri vel nostro nomine facta, interim vel in posterum eisdem domino Henrico & dominæ Constantiæ & heredibus & successoribus suis in nullo præjudicet, sed eis tribuat, & pro eis, & eorum nomine omnia processisse intelligantur, facta autem in adipiscenda sasina vel quasi possessione . . . . præstandi, nihilominus concedentes quod dictus dominus Edoardus suique successores in Vasconia verum ratificent, auctorisent, & rata & illibata subsistere faciant de plano, & sine causæ cognitione, vel nostris successoribus aliis irrequisitis, omnia supradicta; adjicimus quod idem dominus Henricus & domina Constantia, prout eis advenerint supradictæ suprapactiones hujusmodi, non permutabunt, nec alienabunt, non vendent, non tranferent, nec extra manum suam ponent, nisi in liberos heredesque suos, secundum continentiam præmissorum. Hæc concedentes, dum tamen juxta promissum pro eo factum, idem dominus Henricus assignet nobis dictæ Con-

ſtantiæ nomine dotalitii ſeu arrarum mille A libras ſterlingorum in reditum, ad cognitionem dicti domini Edoardi & dominæ reginæ matris ejus, vel eorum alterius, ſi ambo intereſſe non poſſent aut nolint, & poſt deceſſum dicti domini regis Alemanniæ patris ſui idem dominus Henricus, Domino auctore, ſuperſtes aſſignabit dictum dotalitium ſeu arras ſecundum conſuetudinem Angliæ, ad arbitrium domini Edoardi & dominæ reginæ Angliæ prædictorum, aſſignatione prima mille libr. pro ...... reputata. Et nos ſupradicti Johannes de ſancto Bricio & Michael *Malconduyt* milites, B nuncii & procuratores dicti domini noſtri Henrici nomine, recepta ſaſina, traditione, & poſſeſſione prædictorum duorum vicecomitatuum Brulhenſis & Gavardani cum pertinentiis, juribus, & eſchaetis omnibus, eorumdem pactionibus, & obligationibus omnibus omnia ſupradicta admittimus, & nomine quo ſupra promittimus quod idem dominus Henricus matrimonium, conſtitutum dotalitii, & arrarum, & alia faciat & compleat, prout in dictis domini Edoardi & domini Gaſtonis litteris, & in præſentibus ſignatis pactionibus & conditioni- C bus appoſitis continetur. Et ad majorem præmiſſorum firmitatem nos prædicti Gasto & domina Matha & eorum primogenita Constantia, quod prædicta faciamus & compleamus & illibate ſervemus, per nos vel interpoſitum numquam contraventuros in animas noſtras, & prædicti Johannes de S. Bricio & Michael *Malconduit*, juxta formam mandati noſtri in animam dicti domini Henrici, quod prædicta fiant & compleantur, & nos faciamus & procuremus ea fieri & compleri pro viribus, & ſpecialiter quod dictus dominus Henricus D concluſurus matrimonium perſonaliter veniat citra mare, quod ad partem ſuam pertinet completurus, tam nos, quam per procuratores prædictorum domini Henrici & dominæ Conſtantiæ, & cum ipſis ad ſancta Dei evangelia corporaliter manu tacta juramus. Actum fuit hoc apud Montem-Martianum die Mercurii poſt octavam B. Martini anno Domini MCCLXVIII. præſentibus [a] & vocatis ad hæc teſtibus domino (a) A. [b] archiepiſcopo Auxitanenſi, domino (b) P. [c] epiſcopo Adurenſi, domino (c) R. epiſcopo Bigoritenſi, domino Geraldo epiſcopo E [d] Lectorenſi, domino (d) Gen. epiſcopo Olorenſi, domino E. comite Bigorritenſi, domino G. de Armaniaco, domino Tartaſſenſi vicecomite, domino Johanne de *Greilli*, domino Thoma de *Hipegabe* ſeneſcallo Vaſconiæ, domino Garſia Ard. de *Navalh*, & aliis militibus. In quorum omnium teſtimonium & æternam memoriam, nos prædicti Gasto, domina Matha, domina Constantia, una cum venerabili patre epiſcopo Lectorenſi, domino Thoma de *Hypegabe* ſeneſcallo Vaſconiæ, domino Johanne *Greilli*, domino Johanne de ſancto Bricio & domino Michaële *Malconduit* milite ſigilla noſtra duximus præſentibus apponenda.

EMANCIPATIO CONSTANTIÆ filiæ Gaſtonis vicecomitis Bearnenſis.

NOverint univerſi, quod coram nobis Thoma de *Ypegabe* milite, ſeneſcallo Vaſconiæ pro tribunali ſedentibus, conſtitutis nobili viro domino Gastone vicecomite Bearnenſi, domino Montis-Cathani & Caſtri-veteris, & ejus primogenita Constantia, idem dominus Gaſto ipſam filiam ſuam adultam volentem & requirentem emancipavit, & a lare, & a manu ſua, & a poteſtate patriæ poteſtatis eamdem liberans & eximens, dedit & conceſſit ei poteſtatem licitam, & arbitrium liberum agendi, reſpondendi & contrahendi, vel etiam teſtandi, obligandi ſe aliis, & alios ſibi & cetera omnia celebrandi, ordinandi & faciendi in judicio vel extra judicium; quæ quælibet mater-familias & ſui juris facere poteſt ſine impedimento quocumque; & obſcitu propriæ poteſtatis: cui emancipationi nos prædictus ſeneſcallus juxta requiſitionem ac voluntatem prædictorum patris & filiæ impendimus ſolemniter auctoritatem judicialem præſentis interpoſitione decreti, & celebrata emancipatione hujuſmodi legitime, idem dominus Gasto dedit, conceſſit & contulit donatione pura & ſimplici inter vivos & coram nobis prædicto ſeneſcallo legitime inſinuata, & tradit per ſe & heredes ac ſucceſſores ſuos, eidem primogenitæ ſuæ dominæ Constantiæ pro ſe & heredibus ac ſucceſſoribus ſuis, recipienti ac ſtipulanti vicecomitatus de Gavardano & de Brulheſio cum juribus & pertinentiis eorumdem & omnibus eſchaetis, quæ jure hereditario vel aliter ex nunc vel in futurum ſibi exinde debent obvenire, vel poſſunt, & quidquid habebant & habere debebant in diœceſi Vaſatenſi, cedens eidem dominæ jura & actiones omnes ſibi in prædictis & pro prædictis vicecomitatibus competentes & competituras, ad ſuas ſuorumque ſucceſſorum & heredum voluntates, juxta præſentis paginæ continentiam plene & perpetuo fa-

(a) Amanevo II. filio Rogerii & fratre Geraldi Armaniacenſis & Fidentiaci comitis, qui anno 1262. factus eſt archiepiſcopus.
(b) Petro.
(c) Raimundo.
(d) Hic epiſcopus in catalogo epiſcoporum Olorenſium non comparet, ſed ejus loco habetur Compaignhus, ideo que hic irrepſiſſe erratum Amanuenſis oſcitantia credimus.

ciendas, & de evictione donationis idem donator per se suosque heredes ipsi dominæ Constantiæ pro se & heredibus ac successoribus suis recipienti obligans se & sua, promisit & convenit facere & portare in judicio & extra judicium inde guarantiam bonam & firmam. Libere dedit insuper & concessit idem dominus GASTO per se & heredes & successores suos eidem dominæ CONSTANTIÆ pro se & heredibus ac successoribus suis in Bearnii & Martiani vicecomitatibus, & alia terra sua quæ sequuntur, videlicet quod si contingat ipsum dominum Gastonem, superstite herede legitimo ex se masculo de conjuge sua domina MATHA procreato decedere, habebit ex præsenti collatione ipsa domina Constantia suique heredes ac successores mille libras Turonenses in reditibus in loco rationabili, in terra ipsius domini Gastonis in qua volet assignanda circa portus sub districtu & dominio inclyti domini Edoardi vel heredum aut successorum ipsius dominorum Vasconiæ, ad arbitrium bonorum virorum, ac si non de ista, sed de alia superinducenda uxore, heredem de se masculum & legitimum, ipsum dominum Gastonem habere contingat sibi superstitem, habebit dicta domina Constantia & heredes ac successores ipsius in compensationem dictarum mille librarum rendualium vicecomitatum de Martiano una cum prædictis vicecomitatibus de Brulhesio & de Gavardano sibi supra collatis cum juribus eorum & pertinentiis & eschaetis omnibus, quæ ex nunc vel in futurum, tam eidem domino Gastoni quam ejus uxori dominæ Mathæ in eisdem vel pro eisdem vicecomitatibus contingere vel obvenire possunt vel debent. In quibus duobus casibus eadem domina Constantia . . . . . contenta terram & bona alia heredi prædicto masculo superstiti post ejusdem domini Gastonis decessum, quittabit per se suosque heredes, & absolvere tenebitur, & quittare si ab eodem herede masculo, de supra collatis vice versa quittatione & absolutione concessis... Quod si forte ipsum dominum Gastonem sine tali herede masculo contingat decedere, aut eumdem heredem mori sine liberis seu herede ex se, habebit dicta domina Constantia suique heredes & successores, & retinebit pleno jure ex prima munificentia & concessione hujusmodi vicecomitatus de Bearnio & de Gavardano & de Martiano cum pertinentiis suis & juribus & eschaetis omnibus, eidem domino Gastoni & uxori suæ dominæ Mathæ, ex hereditaria successione vel alio quocumque modo, ex nunc vel in futurum undecumque spectantibus. Terra autem & bona alia ipsius GASTONIS ab ipsa domina CONSTANTIA quittabuntur ad alios, juxta dispositionem ejusdem domini Gastonis, heredes vel successores libere transmittenda: hoc acto tamen, quod si dictam dominam Matham præcedat dominus Gasto, tenebit ad vitam suam ipsa domina Matha vicecomitatum de Martiano, utetur & fruetur, & faciet fructus suos: post cujus decessum idem vicecomitatus cum pertinentiis & juribus suis, & eschaetis, ad eamdem dominam Matham jure hereditario aut alio quocumque modo undecumque spectantibus ad supradictam dominam Constantiam, & heredes ac successores suos libere revertetur & remanebit sicut suum. Fuit etiam actum quod eadem domina Constantia & heredes ejus superstites eidem domino Gastoni & ejus uxori dominæ Mathæ, persolvere & complere tenebuntur testamenta secundum morem patriæ condita, creditoribus satisfacere, injurias emendare; ita tamen quod qui terram tenebit Hispanicam seu ultra portus constitutam, onera testamentorum hujusmodi debitorum, injuriarum & emendarum ex illa terra & ejus actione provenientium subire habebit, & emendas & solutiones complere. Qui vero vicecomitatum Brulhesii tenebit aut succedet in eo, quingentas marchas persolvere tenebitur ad solvendum & complendum residuum prædictorum: adveniente tamen conditione, quod tres vicecomitatus, scilicet Bearnii, de Gavardano, & de Martiano juxta formam præscriptam ad dictam dominam Constantiam revertantur, alioquin superstite herede masculo & legitimo ipsius domini Gastonis, præconcessa eidem dominæ Constantiæ libera & sine omni onere remanebunt, eo salvo quod successor vel heres vicecomitatus Martiani post decessum dominæ Mathæ persolvet debita ipsius, & injurias emendabit. Actum quoque fuit quod ipsa domina Constantia, si decedat sine liberis aut herede superstite & remanente, in mille libras Turonenses testari possit, & quod sibi concessum in quolibet honore, & quod omnes vicecomitatus prædicti cum juribus suis, pertinentiis & eschaetis omnibus ad propinquos heredes suos juxta consuetudinem Vasconiæ revertantur: hoc addito, quod si in prædictis vicecomitatibus masculi heredes superstites dictæ dominæ Constantiæ habeant succedere, primogenitus duos vicecomitatus de Bearnio & de Martiano cum pertinentiis & juribus suis omnibus habeat. Si vero filiæ, altera illarum habeat duos vicecomitatus proxime dictos, ita quod vicecomitatus illi duo ex tunc non possint aliquo eventu ab invicem separari. Quæ omnia supradicta fuerunt de assensu & voluntate expressa dictæ dominæ Mathæ, & ea ratificabit & approbabit, & jus si quod sibi pro dote vel alias competebat in præconcessis & donatis, & competere potuit, aut posset in futurum per se

suosque heredes & successores dictæ dominæ Constantiæ, suisque heredibus & successoribus contulit & concessit perpetuo simpliciter & de plano, factione salva & executione sui testamenti, usque ad quadringentas marchas argenti, quas idem dominus Gasto dicebatur & fatebatur ipsemet eidem concessisse jam dudum, & salva obligatione quam habet in vicecomitatu Bearnensi ratione donationis propter nuptias ad vitam dictæ dominæ, quam dictus dominus Gasto recognovit ipsam dominam Matham habere, super hoc requisitus, & certi de facto ac certiorati de jure supradictus dominus Gasto & domina Matha uxor ejus, renunciaverunt spontanee juribus & causis, quibus donationes propter ingratitudinem donatarii, aut immensitatem seu defectum insinuationis legalis vel alias revocari possunt, aut revocanda seu irritanda aut invalida ostendi vel fieri, & quibus cavetur pactum, donationem & concessionem de viventis hereditate aut successione futura non valere, & similiter dicta domina Matha in omnibus pertinentiis in obligatione propter nuptias quam habet in vicecomitatu Bearnensi, juri legis vel de fundo dotali senatusconsulto Utt. rei ux. actioni, & uterque conjug. doli & cujuslibet deceptionis ac circumventionis in factum, & aliis subsidiariis actionibus & exceptionibus, & omni alio privilegio & favore hypothecarum per instrumentum introductis, & juris scripti civilis & communis municipalis, & consuetudinalium & usualium auxilio & beneficio: ita quod hæc generalis renuntiatio valeat ac proinde, ac si in singulis casibus expressam deliberantibus renuntiationem, facta esset specialiter & expresse, idem dominus Gasto & domina Matha uxor ejus prædictorum donatorum dominium & saisinam & possessionem ex nunc de vicecomitatibus Brulhesii & Gavardani vel in futurum advenientibus dictis modis vel conditionibus de aliis in dictam dominam Constantiam transferemus & transferri volentes, & ipsam dominam vere possessorem facientes in casibus prænotatis, se per ipsa possidere ibi & in possessione esse constituerunt & concesserunt, quod eadem domina Constantia suique heredes & successores ex nunc de dictis duobus vicecomitatibus Brulhesii & Gavardani, & in futurum de aliis, si dicti casus seu conditiones prædictæ eveniunt, possint integre adipisci, & retinere corporaliter sasinam, possessionem vel jura omnium prædictorum & singulorum auctoritate, motu & voluntate propriis, sine cujusque principis, domini, vel judicio alicujus vel alterius voluntate & auctoritate seu mandato, & actus possessionis, vel qui possessionem, vel sasinam tribuunt vel conservant, aut detentatu dicti domini Gastonis

A vel dominæ Mathæ vel alterius alicujus contra ordinationem & concessionem prædictam, eidem Constantiæ & suis successoribus non præjudicet, sed potius jus tribuat. Et propterea & ejus nomine omnia processisse intelligantur esse facta; sed in his juribus incorporalibus adipiscendi saisinam seu possessionem vel quasi .... eidem dominæ Constantiæ & ejus heredibus & successoribus iidem conjuges concesserunt, nihilominus concedentes quod inclytus dominus EDOARDUS suique successores & heredes in Vasconia ven. ratificent, auctorisent, & rata subsistere faciant, & illibata

B ac valida perdurare de plano & sine causæ cognitione irrequisitis & inconsultis dictis conjugibus & aliis eorum successoribus omnia supradicta. Et ad majorem firmitatem idem dominus GASTO & domina MATHA uxor ejus, fide præstita corporali ad sancta Dei evangelia manu tacta corporaliter juraverunt, quod omnia & singula supradicta incontaminata teneant, & observent, & numquam per se vel interpositum contra veniant aut faciant ullo modo, nec fecerunt nec factum esse sciunt vel credunt,

C aliquid propter quod supradicta firmitatis obtinere non debeant fulcimentum. Insuper dicta domina Constantia receptis donationibus & concessionibus hujusmodi juxta voluntatem & requisitionem dicti domini Gastonis patris sui sponte, promisit, & jurata ad Dei evangelia manu tacta corporaliter firmavit, & super cartam concessit quod prædicta observet, & si prædicta terra seu præfati vicecomitatus ad ipsam sub conditionibus dictis modis seu pactionibus adve-

D nirent jam, seu advenerint in futurum, per donationem seu successionem vel alio quolibet modo, non permutabit, non alienabit, non vendet, non transferet in alium, nec extra manum suam ponet nisi causa dotis vel matrimonii contrahendi, vel in alios heredesque suos, quod posse fieri fuit sibi a dictis parentibus expresse concessum. Actum fuit hoc apud Montem-Martiani die Mercurii post octavam beati Martini hyemalis anno Domini MCCLXVIII. præsentibus & vocatis testibus reverendis patribus domino A. archiepiscopo Auxitanensi, domino P. Adurensi episcopo, domino R. episcopo

E Bigoritensi, domino G. Lectoratensi, domino C. Olerensi episcopo, domino E. comite Bigoritensi, domino G. de Armaniaco, domino P. vicecomite **Tarrazensi*, domino J. de *Greili*, domino Garsia Ar. de *Navalh*, domino B. de Coarraza & militibus aliis in quorum omnium testimonium & æternam memoriam nos prædictus senescallus, una cum dicto domino Gastone & ejus uxore domina Matha & domina Constantia, venerabili patri episcopo Lactorensi, domino J. de *Greili*, domino J. de S.

*f. Tartasensi.

Bricio & domino Michaële *Malcondnit* militibus sigilla nostra duximus præsentibus apponenda.

Compaignhi.

LITTERÆ C. EPISCOPI Olerensis continentes pacta matrimonii inter Henricum primogenitum regis Alemanniæ & Constantiam natam Gastonis vicecomitis Bearnensis.

NOverint universi præsentes litteras inspecturi, quod nos C. Dei permissione Olorensis episcopus vidimus & diligenter legimus litteras non abolitas, non cancellatas, nec in aliqua parte sui viciatas, sigillatas sigillis nobilium dominorum illustris domini EDOARDI regis Angliæ primogeniti, & domini GASTONIS Dei gratia vicecomitis Bearnii, quarum tenor talis est: Notum sit omnibus, quod anno Domini MCCLXVI. in octava purificationis B. Mariæ Londoniis in præsentia dominæ A. reginæ Angliæ, illustrium & nobilium virorum domini EDOARDI Angliæ regis primogeniti, domini ROGERII DE MORTUO-MARI, domini THOMÆ de *Clare*, domini JOHANNIS de *Greili*, fratris R. prioris provincialis ordinis Prædicatorum in Anglia, & W. de Orsaco archidiaconi Bathoniensis sic ordinatum est & concessum super negotio matrimonii contrahendi inter dominum HENRICUM primogenitum domini regis Alemanniæ & dominam CONSTANTIAM primogenitam domini Gastonis vicecomitis Bearnii, quod idem dominus GASTO dabit in maritagium cum prædicta domina Constantia dicto domino Henrico vicecomitatus de Brulhesio & de Gavardano cum pertinentiis eorumdem, & si processu temporis contingat dominum Gastonem habere heredem ex domina Matha nunc uxore sua, ipse dabit eidem domino Henrico cum prædicta domina Constantia post decessum suum ultra duos vicecomitatus prædictos M. libras Turonenses in reditibus tam in terra sua propria circa portus in loco rationabili & competenti, quam in terra dictæ dominæ Mathæ uxoris suæ, & hoc faciet firmare per dictam uxorem suam sufficienter & assecurare, prout necesse fuerit, alioquin ipse assignabit prædictas mille libras Turonenses in terra sua propria. Quod si heredem masculum non habuerit ex eadem domina Matha nunc uxore sua, ipse dominus Gasto dabit eidem Henrico cum dicta domina Constantia post decessum suum vicecomitatus de Gavardano & de Brulhesio & de Martiano, & sic erit liberatus omnino a prædictis mille libris Turonensibus in reditibus: ita tamen quod dicta domina Matha si supervixerit eidem domino Gastoni, habebit ad vitam suam vicecomitatum de Martiano prædictum, & post obitum ejusdem dominæ Mathæ, dictus vicecomitatus de Martiano ad dictum dominum Henricum & dominam Constantiam & eorum heredes incontinenti libere revertatur, una cum omnibus eschaetis quæ per successionem, vel quocumque alio modo ad ipsam dominam Matham pervenire seu devenire debent, ex nunc de jure, & hoc intelligitur, si filium masculum dictus dominus Gasto non habeat ab ea, & de his per ipsam dominam Matham faciet ipse dominus Gasto sufficientem facere securitatem, & dicti dominus Henricus & Constantia & heredes ipsorum tenebuntur persolvere debita ejusdem dominæ Mathæ, & testamentum complere secundum morem patriæ, & de hoc dicti dominus Henricus & Constantia sufficientem facient securitatem. Si autem contingat, quod dictus dominus Gasto habeat filium masculum de alia uxore, quam de dicta domina Matha, de legitimo tamen matrimonio, dictus dominus Gasto dabit dictis domino Henrico & Constantiæ vicecomitatus de Gavardano & de Brulhesio & de Martiano, cum pertinentiis eorumdem, & omnes eschaetas quæ de jure hereditario vel alio modo ex nunc provenire debent dominæ Mathæ prædictæ, & dicti domini Henricus & Constantia quittabunt pro se & suis domino Gastoni & heredi suo masculo, si ipsum habeat, totum jus quod eis competere debet in aliis terris & eschaetis domini Gastonis, præter quam tres vicecomitatus prædictos, & præter eschaetas, quæ ex nunc dominæ Mathæ prædictæ provenire possunt. Et si contingat dominum Gastonem decedere sine herede masculo, vel etiam ipsum heredem masculum, si forsan haberet decedere sine herede de se, ipse dominus Gasto dabit post mortem suam dictis domino Henrico & Constantiæ & eorum heredibus vicecomitatus de Bearnio, de Gavardano & de Martiano cum pertinentiis suis & eschaetis, quæ ex nunc possunt ipsi domino Gastoni devenire jure hereditario vel alio modo undecumque, & de vicecomitatu Brulhesii, & de tota terra sua & uxoris suæ prædictæ, quam modo detinent, licebit domino Gastoni suam facere voluntatem: ita tamen quod eschaetæ, quæ ex nunc jure hereditario eidem vel alio modo provenire possunt undecumque, si heredem masculum non habeant, post mortem suam ad dictos dominum Henricum & Constantiam, & heredes suos libere revertantur. Si vero contingat, quod absit, dictam dominam Constantiam decedere sine prole & herede superstite vel remanente, omnes vicecomitatus prædicti & eschaetæ redirent ad propinquiores heredes, secundum consuetudinem patriæ. Idem vero dominus Henricus & Constantia, & heredes eorum superve-

nientes, dominis Gastoni & Mathæ uxori suæ tenebuntur complere testamenta dictorum dominorum Gastonis & Mathæ uxoris suæ, injurias emendare, & debita solvere secundum consuetudinem terræ. Actum est etiam, quod idem dominus Henricus dabit eidem Constantiæ pro dote seu arris mille libras sterlingorum in redditibus, quas assignabit eidem ad cognitionem dominæ reginæ Angliæ & domini Edoardi, vel eorum alterius, si ambo interesse non possent aut nollent. Et si contingat dominum regem Alemanniæ patrem suum decedere, ipso superstite, ipse assignabit dictam dotem seu arras secundum consuetudinem Angliæ & Edoardi vel alterius eorum, ut dictum est, & assignatio mille librarum sterlingorum prædictarum pro nullo habebitur. Firmabit etiam per juramentum & cartas quod dictos vicecomitatus de Bearnio, de Gavardano, & de Martiano & de Brulhesio, si ad ipsum transferantur per decessum domini Gastonis, vel eorum aliquid non permutabit, non vendet, non alienabit, nec extra manum suam ponet seu transferet, nisi ad heredes suos & dictæ dominæ Constantiæ: ita quod si heredem masculum ex eadem habeat, ille heres illos vicecomitatus habeat: si vero filias sine masculo haberet, una filia haberet duos vicecomitatus, de Bearnio videlicet & de Martiano; ita quod ipsi duo vicecomitatus ab invicem separari non possint. Firmabit etiam dictus dominus Henricus per juramentum & cartas, quod quando ipse dictam dominam Constantiam in potestate sua habuerit, ipsi duo pro se & suis quittabunt dicto domino Gastoni & suis, si contingat ipsum habere filium de alia uxore quam de domina Matha & de legitimo matrimonio natum, totum jus quod eis competet in aliis terris prædicti domini Gastonis, præter quam dictos tres vicecomitatus de Gavardano, de Brulhesio, & de Martiano, cum pertinentiis eorumdem, & præterquam eschaetas quæ dictæ dominæ Mathæ provenire possunt ex nunc undecunque jure hereditario vel alio modo & super his dabunt cartas eis ad arbitrium bonorum virorum a partibus electorum sub sigillis suis & domini Edoardi. Actum est etiam, quod de omnibus conditionibus supradictis complendis & inviolabiliter observandis, jurabunt & affirmabunt partes prædictæ, & fient inde cartæ & instrumenta ad arbitrium bonorum virorum a partibus electorum, & sigillabuntur sigillis eorum & sigillo domini Edoardi, qui ea approbabit, & faciet tenorem compleri & observari ad complendum & perficiendum matrimonium supradictum cum omnibus conditionibus & conventionibus supradictis, juravit in animam dicti domini Henrici dominus Rogerius de Mortuo-mari de præcepto domini Edoardi, quod idem dominus Edoardus faciet posse suum, quod rex Alemanniæ assignabit dictæ dominæ Constantiæ pro dote seu arris mille libras sterlingorum in redditibus, ut dictum est, in terram suam. Similiter juravit dominus Gasto, quod prædictum matrimonium faciet & complebit pro parte sua & dictæ dominæ Constantiæ filiæ suæ, prout superius est expressum. Ad majorem autem hujus rei securitatem, præfati nobiles dominus Edoardus & dominus Gasto supradicti in signum testimonii, approbationis & consensus huic scripturæ partibus alternatim divisæ sigilla sua fecerunt apponi. Datum anno, die & loco prædictis. In cujus rei testimonium nos prædictus C. sigillum nostrum præsenti cartæ duximus apponendum. Datum apud Salvam-terram XVII. Augusti mensis anno Domini MCCLXVII.

LITTERÆ ALIENORÆ REGINÆ & Edoardi primogeniti Angliæ.

Universis Christi fidelibus ad quos litteræ præsentes pervenerint ALIANORA Dei gratia illustris regina Angliæ & EDOARDUS illustris regis Angliæ primogenitus salutem in domino sempiternam. Cum inter virum nobilem dominum Gastonem de Bearnio ex parte una, & dominum Henricum regis Alemanniæ primogenitum ex altera super dote dominæ Constantiæ ipsius domini Gastonis primogenitæ assignata seu etiam assignanda, intervenerit jam dudum quædam conventio in scriptis redacta, in qua aliqui articuli declaratione, & aliqui suppletione aliqua indigent, ipsæque partes super declarationem & suppletionem prædictam, atque commutationem seu reformationem ipsius conventionis in melius nostro se totaliter & libero arbitrio, dicto, seu laudo, commiserint, prout in instrumento super hoc confecto plenius continetur. Nos plena deliberatione præhabita & prudentium virorum consilio requisito, illum articulum, qui onus respicit testamenti, quod onus dominus Gasto seu domina Matha domino Henrico . . . . & intendere principaliter tamquam domino suo proximiori heredi dictæ dominæ Constantiæ, secundum consuetudinem & leges Vasconiæ, si in totum distractio sequeretur, vel si pro parte ei qui Bearnum tenebit successores domini Gastonis sint perpetuo intendentes, juri illustris regis Angliæ in omnibus observare, & dicti dominus Henricus & Constantia, homologato expresse nostro arbitrio, in nostra juraverunt præsentia, se omnia & singula supradicta servaturos, & numquam contraventuros in aliquo præmissorum. In quorum omnium testimonium &

firmitatem perpetuam præsentem scripturam nostrorum munimine sigillorum una cum sigillis prædictorum domini Henrici atque dominæ Constantiæ fecimus roborari, Datum apud Vindesores in quindena pentecostes anno domini MCCLXX.

EPISTOLA GASTONIS vicecomitis Bearnensis ad Eduardum primogenitum regis Angliæ.

Petit ut duo millia librarum Turonensium quas annuatim percipiebat, cedant Henrico primogenito regis Alemanniæ.

EXcellentissimo domino suo domino EDUARDO illustris regis Angliæ primogenito, suus GASTO vicecomes de Bearnio salutem & se ad omnia sua mandata & beneplacita paratus.

Cum habeamus & percipiamus annuatim quo ad vitam nostram tantum duo millia librarum Turonensium ex majori costuma Burdigalensi, & inter nos ex una parte, & nobilem virum Henricum inclyti principis RICHARDI Dei gratia regis Alemanniæ primogenitum ex altera, pro quibusdam conventionibus habitis inter nos & ipsum in hoc convenimus, quod dictus dominus Henricus dicta duo millia librarum quoad vitam nostram tantum annuatim percipere teneatur, & excellentiam vestram rogamus & requirimus, quantum possumus cum effectu, quatenus eidem domino Henrico vestras patentes litteras concedatis & tradatis, continentes, quod ipse duo millia librarum Burdigalensium quo ad vitam nostram tantum possit percipere annuatim sub conditione, quod si contingat, quod absit, ipsum seu Constantiam ejus uxorem filiam nostram decedere, antequam decedamus, absque herede a dicta Constantia procreato, quod dicta duo millia ad nos revertantur, & quod conventiones inter nos & ipsum habitæ, quo ad hoc obtineant alicujus roboris firmitatem. Datum apud Arnolium die Martis post festum exaltationis S. Crucis anno Domini MCCLXIX.

CARTA CAPITULI MELDENSIS quod non potest exigere annuale ab ecclesia de Mintriaco.

Anno 1271. Ex cartario Calensi.

UNniversis præsentes litteras inspecturis decanus & capitulum Meldensis ecclesiæ salutem in Domino. Notum facimus quod cum J. bonæ memoriæ quondam episcopus Meldensis, una nobiscum duxerit statuendum, ut usque ad decennium tempore dicti statuti computandum, omnes fructus & proventus ecclesiarum parrochialium & beneficiorum civitatis & diœcesis Meldensis, quæ alio modo quam per permutationem infra dictum vacarent decennium, per primum annum ipsius vacationis converterentur in refectionem & reparationem ecclesiæ Meldensis prædictæ, ut dictum statutum firmitum robur plenius obtineret, tum humiliter supplicavimus religiosæ dominæ abbatissæ de Kala Parisiensis diœcesis, quod ipsa dicto statuto in quantum tangebat ecclesias parochiales in diœcesi Meldensi, ad ejus patronatum spectantes, suum impertiret assensum. Quæ nostris supplicationibus inclinata, & necessitati nostræ compatiens ecclesiæ, dicto statuto assensum suum libenter præbuit; & nos promittimus & promisimus, eidem sub testimonio præsentium litterarum quod elapso dicto decennio quod initium habuit anno Domini MCC. sexagesimo octavo mense Decembri in dictis ecclesiis parochialibus ad ejusdem abbatissæ patronatum spectantibus, nihil reclamabimus ratione statuti antedicti. Datum anno Domini MCCLXXI. mense Aprili.

DIPLOMA RUDOLFI imperatoris pro S. Maximino.

Ne quis advocatus advocatiam aut alia ad monasterium pertinentia alienare valeat absque abbatis consensu.

Anno 1273. Ex cartario S. Maximini.

RUDOLPHUS Dei gratia Romanorum rex semper augustus, universis sacri imperii Romani fidelibus præsentes litteras inspecturis gratiam suam & omne bonum. Cum divorum imperatorum & regum inclytæ recordationis antecessorum nostrorum gesta pia mente revolvimus, & internæ consolationis oculis perspicimus, ut eorum justis exemplis nostra coaptemus vestigia, in voto gerimus, ac in desiderio continemus, sperantes, quod ex eo quod ecclesias & ecclesiasticas personas divino cultui deputatas liberas atque a pressuris ereptas pleniori præ ceteris gratia confovemus concessa, nobis desuper salus & gratia debeat ampliari. Hinc est quod nos cum monasterium sancti Maximini, qui in suburbio Trevirorum requiescit, speciali prosequamur gratia & favore, volumus ac mandamus auctoritate regia firmiter & districte, ne quis advocatorum dicti monasterii advocatiam ipsi monasterio attinentem vel quascumque res alias ab ipso monasterio venditionis, collationis vel donationis titulo alienare valeat ullo modo, nisi prius eisdem abbati & conventui ablata & exhibita fuerint ad emendum, quas infra legitimum tempus iidem abbas & conventus, si voleat, emere tenebuntur. Alioquin ex tunc licebit eisdem venditoribus eas vendere, quibuscumque personis, quæ monasterio prænotato recalcitrare non valeant in solvendis & exhibendis his omnibus, ad quæ sæpedicto

sæpedicto monasterio sint astricti. Inhibentes similiter sicut ante, ne quis bona possidens, unde prædicto monasterio homagium fieri est consuetum, ipsa bona vendere valeat vel pignori obligare, nisi abbatis ad hoc accedente consensu & licentia speciali. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ inhibitionis infringere, vel eidem in aliquo ausu temerario contraire. Quod qui facere forte præsumserit, gravem nostræ indignationis offensam se noverit incursurum. In cujus rei testimonium & perpetuum roboris firmamentum, præsens scriptum exinde conscribi & majestatis nostræ sigillo jussimus communiri. Datum Argentinæ III. nonas Januarii indictione II. anno [a] Domini (a) MCCLXXIII. regni vero nostri anno primo.

EPISTOLA ABBATUM ordinis S. Benedicti diœcesis Coloniensis ad Gregorium papam X.

Henricum abbatem Brunvvillarensem omnium nomine ad concilium Lugdunense deputant.

Anno 1274. Ex ms. Gadbacensi.

SAnctissimo in Christo patri ac domino sacro-sanctæ Romanæ ecclesiæ summo pontifici Gregorio X. S. Pantaleonis, S. Martini, S. Viti Gladbacensis, S. Heriberti Tuitiensis, S. Michaëlis archangeli Sibergensis, & in Graffechafft monasteriorum ordinis S. Benedicti Coloniensis civitatis & diœcesis, necnon decanus Malmundariensis ejusdem ordinis & diœcesis cum genuum flexione devota pedum osculatione beatorum.

Sanctitati vestræ significamus, quod nos & quilibet nostrum juxta promissionem sanctitatis vestræ super procuratoribus, abbatibus & patribus non exemtis de singulis diœcesibus ad concilium destinandum venerabilem virum dominum abbatem HENRICUM Brauwillerensis monasterii abbatem ordinis S. Benedicti Coloniensis diœcesis exhibitorem præsentium, pro nobis & quolibet nostrum in curia vestræ sanctitatis, verum & legitimum procuratorem nostrum constituimus, fecimus, ordinavimus, ad recipiendum apostolicum mandatum cum omni ordinatione ipsius concilii super his quæ in eodem concilio sunt agenda, dantes eidem potestatem, & speciale ac plenum ac legitimum mandatum præstandi in nostras animas, si opus fuerit, cujuslibet generis juramentum, & ad faciendum omnia pro nobis & nomine nostro in eodem concilio, quicquid nos facere possemus seu deberemus, si personaliter præsentes essemus, & quicquid facere potest & debet verus & legitimus procurator, ratum & gratum habentes quicquid procurator pro nobis fecerit in præmissis. In cujus rei testimonium subscriptum sigillis nostris duximus muniendum. Datum dominicæ Incarnationis anno MCCLXXIIII.

(a) Incipiendo annum a paschate, alioquin MCCLXXIV.

CARTA PHILIPPI III. REGIS.

De fundatione quam fecit Johannes Sarracenus regis cambellarius in diversis ecclesiis.

Anno 1275. Ex cartario C[...]iensi.

PHILIPPUS Dei gratia Francorum rex. Notum facimus universis tam præsentibus quam futuris, quod cum inclytæ recordationis præcarissimus dominus & genitor noster LUDOVICUS rex Francorum, sicut per litteras ejusdem evidenter apparet, concesserit defuncto JOHANNI SARRACENI quondam cambellario nostro & AGNETI ejus uxori, ut ipsi decem & octo libras Parisienses annui reditus percipiendas in nostra præpositura Parisiensi ad festum ascensionis domini annuatim, quas emerant a GALTERO DE NEMOSIO milite quondam Franciæ marescallo, qui eas percipiebat singulis annis ad dictum terminum in compotis dicti genitoris nostri Parisius ad Templum, possent distribuere & conferre pro anniversariis suis piis locis, videlicet pauperi congregationi Cœcorum Parisius prope ecclesiam B. Honorati degentium, S. Antonii Parisiensis, B. Mariæ regalis juxta Pontisaram, & de Kala monasteriis, secundum quod idem Johannes & Agnes ejus uxor ordinandum viderent pro animarum suarum salute; ac postmodum idem Johannes, dum adhuc viveret & ejus uxor unanimi voluntate, sicut intelleximus, dictas XVIII. libras Parisienses redituales locis prænominatis distribuendo statuerint & ordinaverint, quod de ipsis dicta congregatio Cœcorum sex libras, moniales dicti monasterii B. Mariæ Regalis sex libras, moniales S. Antonii Parisiensis LX. solidos, & moniales de Kala LX. solidos Parisienses annuatim pro anniversariis ipsorum Johannis & Agnetis in locis eisdem in posterum faciendis, percipiant perpetuo & habeant ad opus pitantiæ dictæ congregationis & dictorum monasteriorum conventibus diebus anniversariorum faciendæ. Nos prædicta rata & grata habentes, volumus & concedimus, quod dicti Cœci & dictorum monasteriorum moniales dictas XVIII. libras annui reditus in præpositura nostra Parisiensi in dicto termino, ut dictum est, in perpetuum habeant & percipiant absque coactione vendendi vel extra manum suam ponendi. Quod ut ratum & stabile permaneat in futurum, præsentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Actum Parisius anno Domini MCCLXXV. mense Julio.

A

CARTA PHILIPPI III. REGIS Francorum.

De Villa de Fontibus-Cadoci Petro de Brocia concessa.

Anno 1275. Ex ms. Colbertino.

PHILIPPUS Dei gratia Francorum rex. Notum facimus universis tam præsentibus quam futuris, quod nos dum grata & accepta obsequia dilecti cambellani fidelis nostri PETRI DE BROCIA domini Baugesii nobis hactenus per eum promte & devote exhibita, debita meditatione pensamus, dignum reputamus & debitum, ut eidem extendamus manum retributionis juxta suorum laudabilium exigentiam meritorum. Hinc est quod nos eidem Petro tamquam bene merito & suis heredibus ac successoribus damus, concedimus & quitamus in perpetuum manerium nostrum & villam de Fontibus-Cadoci cum eorum pertinentiis & juribus, scilicet campi partibus, censibus, pratis, corveriis carrucarum, caponibus, gallinis & ovis reditualibus, emendis, vendis, releveiis, boscis garemiis, aquis, piscariis, vivariis, molendino, & terris tam cultis quam incultis, & aliis si quæ habemus ibidem quæ pertineant vel quomodo libet adjaceant supradictis, cum omnimoda eorumdem justitia alta & bassa, spatæ quoque placito & omnibus quæ ad placitum spatæ pertinent vel possunt aliquatenus pertinere. Concessimus eidem præterea quod nemora ad eadem manerium & villam adjacentia possint ipsi Petrus ejusque successores & heredes, vel causam ab eo habituri de cetero vendere absque dangerio (a) & tertio, quandocumque voluerint, nostra vel successorum nostrorum licentia non petita: quittantes dicto PETRO suisque heredibus & successoribus in perpetuum ballum & gardam quamlibet prædictorum, de quibus idem Petrus homagium nobis fecit, nihil præter quam focagium, ressortum, & homagium ipsius Petri & successorum suorum in eisdem, nobis vel nostris successoribus retinentes. Quod ut ratum & stabile permaneat in futurum, præsentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Actum apud Ebroicas anno Domini millesimo CCLXXV. mense Octobri.

(a) Dangerium vocabant quidquid juri stricto atque adeo confiscationi obnoxium erat. Dangerium vero in re forestaria dicebant jus quod rex habebat in forestis, in quibus proprietarii inconsulto rege lignum cædere non poterant.

EPISTOLA PETRI ABBATIS S. Vincentii Metensis ad abbatem & conventum Walciodorensem.

Renovat cum eis antiquam societatem.

Anno 1276 Ex ms. Walciodorensi.

VIris venerabilibus & religiosis ac in Christo reverendis dominis & fratribus suis Dei gratia abbati totique conventui Walciodorensi, Leodiensis diœcesis, ordinis sancti Benedicti, PETRUS divina permissione abbas sancti Vincentii Metensis, totusque ejusdem loci conventus, ejusdem ordinis, salutem & sinceræ dilectionis augmentum.

B

Cum, secundum dictum Apostoli, in novissimis temporibus debeat tepescere caritas religiosorum, & pastorum est ejus semper incendium refovere, & quod alta radice fundatum est ramis pullulantibus ampliare. Inde est quod cum ab antiquo inter nos & ecclesiam vestram extitit consuetudo memoranda, ut personas nostras reciperetis & vestras reciperemus in societate & fraternitate nostra tantummodo spirituali. Nos animo benevolenti concepimus, ut ipsa pietatis actio, quæ hactenus spiritualibus studiis viguit, temporalibus etiam proficiat incrementis, ne propter distantiam locorum & minus usitatam frequentiam personarum spiritualis fraternitas ad nihilum redigatur.

C

Quapropter vestræ reverentiæ humiliter supplicamus, quatenus id sanctæ & conservandæ consuetudini nostræ adjici permittatis, ut personæ de vestris ad nos, sive de nostris ad vos cum licentia sui abbatis ex quacumque causa seu ratione transitus aut recreationis, vel pro observanda ordinis disciplina destinatæ, præbendarum illarum quæ claustralibus competunt, recipiant portionem. Vobis autem in signum voti vestri a nobis recepti & approbati præsentem cartulam similem vestræ remittimus temporibus duraturam. Actum anno Domini millesimo CCLXXVI. mense Octobri.

D

SEQUITUR EXEMPLAR societatis initæ cum monasterio Gorziensi.

Ex ms. Walciodorensi.

P. Dei gratia Gorziensis abbas & totus ejusdem loci conventus L. Walciodorensi eadem gratia abbati ceterisque ejusdem loci fratribus, laudabili conventui cum augmento gratiæ salutarem diligentiam, & suarum orationum in Christo & beneficiorum in pauperes eamdem quam & . . . . . partem.

E

Cum Deus miserator & misericors Dominus fidelia fidelium per suum prophetam laudabiliter approbans consortia, dicens quam jocundum, quam delectabile, quam

gloriosum habitare fratres in unum, tam de A terrena unius religiositatis fidelium cohabitatione, tam de unius fidei in qua cuncti fideles ad suam redemtionem Christo tenentur uniri unione, tam de nostrorum beneficiorum & orationum, quam inter nostræ professionis & religionis coheredes debemus partiri maxime communi participatione loquens, admoneat nos omnibus & omnes nobis pro Christi salute sociari specialiter, & super omnes congregationes alias vestræ diligimus societati vinculo indissolubili alligari. Nos siquidem super vestra societate unanimi congaudentes gaudio, quam & nisi vos peteretis, ut etiam a sanctitate vestra & dignitate ipsam peteremus, nobis erat fructuosum. Fratres vestros causa societatis quam & nos desiderabamus impetrandæ ad nos missos, prout nostra exhibuit possibilitas diligenter & gratulanter recepimus. Verum equidem quoniam inter religiosos speciosum & utile socialis caritas est ornamentum, ut inter nos sociale & caritativum ad invicem & amodo exerceamus officium ipsam quam nobis ex parte vestra petierunt, prout in cedula quam secum deportant habent scriptum unanimiter in capitulo congregati concessimus societatem. Vestram prece, qua possumus, rogamus sanctitatem, quatinus nova nostræ societatis, sicut jam a nostris antiquis cum magna devotione fuerat instituta, reinstitutio, ne & ipsa defectu memoriæ cum ipso transitu temporis transeat, & a posterorum notitia recedat, in vestro capituli libro scribatis & memoriæ commendetis.

CARTA PHILIPPI III. REGIS Francorum.

De justitia villa de Angicourt.

Anno 1277. *Ex cartario Vedastino.*

PH. Dei gratia Francorum rex universis præsentes litteras inspecturis salutem. Notum facimus, quod cum abbas & conventus S. Vedasti Attrebatensis nobis conquesti fuissent, quod baillivus noster Silvanectensis minus juste, & in eorum præjudicium & gravamen, justitiando destruxerat in villa de *Angicourt* domum cujusdam hominis, qui quemdam hominem in- E terfecerat in calida (*a*) melleia, asserentes omnem justitiam altam & bassam in dicta villa de *Angicourt*, & in hostisiis & hospitibus dictæ villæ ad se pertinere: baillivo nostro prædicto pro nobis in contrarium dicente, omnem justitiam ibidem tam de jure communi, quam ex longissima præscriptione, ad nos pertinere, excepta justitia de mobilibus catallis & calidis melleiis sine morte & (*b*) mehegnio, quam dictus baillivus recognovit ad dictos abbatem & conventum pertinere. Auditis hinc inde propositis, visis diligenter attestationibus testium hinc inde productorum, pronuntiatum fuit per curiæ nostræ judicium, justitiam in dicta villa *de Angicourt* ad nos pertinere, excepta justitia de fundo terræ, de mobilibus, & catallis, & de calidis melleiis sine morte & mehegnio, & duello in dictis casibus, quæ per judicium nostræ curiæ remansit abbati & conventui prædictis. In cu- B jus rei testimonium præsentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Actum Parisius anno Domini MCC. septuagesimo septimo mense Aprili.

EPISTOLA IVONIS abbatis Cluniacensis ad Hermannum abbatem & conventum Paderbornensem.

Societatem precum init cum ipsis, eosque ad participationem omnium bonorum quæ fiunt in ordine Cluniacensi admittit. C

Anno 1277. *Ex ms. Abdinghoffensi*

VEnerabili in Christo patri HERMANNO Dei gratia abbati ac viris venerabilibus & religiosis nobisque in Christo carissimis priori & conventui monasterii beatorum Petri & Pauli Paderbornensis, frater IVO miseratione divina Cluniacensis ecclesiæ minister humilis ejusque loci conventus salutem & sinceram in Domino caritatem. Quoniam hostis humani generis in lapsu hominum damnabili gloriam suam quærit, ejusque loco calliditas tot deceptionum laqueos parat hominibus, quod humana fra- D gilitas, quantacumque scientia præemineat aut virtute, non sufficit ad cavendum; idcirco contra lapsus prædictorum fratrum adjutoria sunt quærenda, & quanto fratres sunt in adjutorio ampliores, tanto sunt contra lapsus hujusmodi fortiores. Hinc est quod cum vos HERMANNUS abbas prædictus ob devotionis magnitudinem, quam vos & dictum vestrum conventum habuisse & habere erga Cluniacensem ecclesiam & ordinem retulistis, eo maxime quod in dicto monasterio vestro ab ipsius fundationis initio ad serviendum inibi Altissimo monachi Cluniacenses ab ipsius monasterii fundatoribus fuisse noscuntur primitus instituti, ipsam Cluniacensem ecclesiam veneritis de longinquo personaliter visitare, ac ex aliquantula conversatione vestra in dicta Cluniacensi ecclesia ipsam devotionem vestram erga ecclesiam & ordinem Cluniacensem nuntiantes fore per Dei gratiam non

(*a*) Melleia est rixa, quæ non tantum verbis, sed etiam facto committitur, nulla tamen præeunte certa animi deliberatione, quæ fit sine præcogitata malitia, sed ex infortunio.

(*b*) Mehennium seu Mahainium est membri mutilatio seu enormis læsio.

modicum ampliatam, devote & humiliter A supplicastis inter monasterium vestrum jam dictum & nostram Cluniacensem ecclesiam ac ordinem eorumque personas mutuæ & perpetuæ societatis & fraternitatis fœdus iniri indissolubile & firmari, ut contra tentationum insultus sit hinc inde securitas firmior atque major. Nos vero devotionem vestram sanctam videntes, & supplicationem prætactam attendentes, nobis & nostris fore, vobisque & vestris fratribus salutarem, nostram & ordinis nostri societatem & fraternitatem vobis abbati, vobis- B que priori & conventui dicti monasterii beatorum apostolorum Petri & Pauli Paderbornensis, ac vestris successoribus perpetuo concedimus & donamus, dictumque vestrum monasterium Paderbornense & ecclesiam nostram Cluniacensem prædictæ societatis & fraternitatis vinculo indissolubili conjungentes, vos & personas dicti vestri monasterii omnium bonorum quæ fiunt & fient deinceps, Domino concedente, spiritualiter & temporaliter in toto ordine nostro tam in capite quam in membris, participes, quantum cum Deo possumus, facimus & consortes. Vobis etiam & perso- C nis vestri monasterii sex missarum quæ pro vivis, & septem missarum quæ pro defunctis de fraternitate & societate nostra speciali annis singulis in ecclesia Cluniacensi, & domibus nostri ordinis celebrantur, participationem concedimus specialem, ac pro personis dicti vestri monasterii defunctis in dicta ecclesia nostra Cluniacensi singulis annis idus Junii plenum officium mortuorum promittimus facere solemniter celebrari. Insuper quandocumque & quotiescumque vos HERMANNUS abbas & successores vestri prænominati monasterii vestri abbates D aliquos de monachis vestris unum vel plures in regularibus traditionibus instituendos, apud Cluniacum ad tempus, prout bonum vobis videbitur, vestitos regulariter miseritis moraturos, recipiantur ibidem, & fraterna tractabuntur in Domino caritate. Quæ omnia & supradicta pro nobis, & successoribus nostris concedimus & facimus, si vos vice versa ad consimilia in omnibus & per omnia modo quo præmissum est facienda teneminii pro nobis, successoribus nostris, & personis nostri ordinis præsentibus & futuris. E Datum Cluniaci anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo septimo XVIII. cal Julii.

CARTA PHILIPPI III. REGIS

De restituendis Calensi parthenoni iis quæ monasterio vacante subtracta fuerant servientium regis negligentia.

PHILIPPUS Dei gratia Francorum rex, universis ballivis, præpositis & justitiariis nostris salutem. Anno 1281. Ex cartario Calensi.

Significatum est nobis, quod cum abbatia Kalensis per magnum tempus vacaverit, & ibidem appositis ex parte nostra custodibus, jura, possessiones, & bona dictæ abbatiæ in nostra fuerint protectione vel garda, custodes qui fuerunt ibidem multa jura & possessiones ejusdem abbatiæ occupari ab aliis & diminui permiserunt. Quare vobis mandamus, quatinus abbatissam & conventum dicti loci nomine abbatiæ supradictæ in suis teneatis possessionibus & saisinis, in eo statu in quo erant, quando bona dictæ abbatiæ tunc vacantis ad nostram gardam seu custodiam pervenerunt, justitia mediante, vocatis qui fuerint evocandi. Actum Parisius, die Veneris ante (a) brandones, [a] anno Domini MCC. octogesimo primo.

CARTA PHILIPPI COMITIS Flandriæ.

De LX. solidis ad traversum Bapalmarum pro sacrificio altaris concessis.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis in perpetuum. Ego PHILIPPUS Flandrensis & Viromandensis comes notum esse volo omnibus, quod pro salute animæ meæ dedi in eleemosynam ecclesiæ S. Vedasti Attrebatensis LX. sol. singulis annis accipiendos Bapalmis in dominica palmarum, ab eo qui reditus meos ibidem colligit. De istis vero denariis statui, ut solummodo procuretur vinum & panis ad conficiendum sacrificium altaris. Ne igitur hæc eleemosyna possit ab aliquo infringi vel cassari, sigilli mei auctoritate eam confirmari præcepi. Actum anno Domini MCCLXXXIII. Anno 1283. Ex cartario S. Vedasti.

CARTA PHILIPPI AUDACIS Francorum regis.

De custodia ecclesiæ beati Vedasti.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Amen. PHILIPPUS Dei gratia Francorum rex. Noverint universi præsentes pariter & futuri, quod cum olim tempore inclytæ recordationis charissimi domini & genitoris nostri LUDOVICI Francorum regis, orta quæstione inter dilectum consanguineum Anno 1284 Ex cartario S. Vedasti.

(a) Id est ante dominicam primam quadragesimæ, quæ in antiquis ritualibus libris dicitur Dominica in Bra[...]ibus.

& fidelem nostrum ROBERTUM comitem A Attrebatensem ex una parte, & abbatem & conventum S. Vedasti Attrebatensis ex altera, super eo videlicet, quod cum dictus comes in curia sua Attrebatensi dictos abbatem & conventum ad instantiam scabinorum Attrebatensium citari fecisset, ipsis abbate & conventu ad citationem dicti comitis venire nolentibus, cum nihil tenerent de eo, ut dicebant; dicto comite ex adverso asserente, quod ad citationem suam venire tenebantur, cum essent de baronia seu comitatu ipsius, & de suo ressorto. Idem B comes capi fecit plura de bonis eorum, reddere vel recredere nolens ea. Postmodum ipsis abbate & conventu prædicto domino & genitori nostro super hoc & aliis de dicto comite conquerentibus, idem comes petiit eos ad curiam suam remitti: proponens eos esse de suo comitatu & resorto, & se super eos plura jura habere. Dicti autem abbas & conventus, hoc dicto comiti negantes, ex adverso proposuerunt rationes suas per quas dicebant, ad curiam dicti comitis non debere remitti. Demum prædictis partibus super hoc jus petentibus sibi C reddi, visa carta claræ memoriæ LUDOVICI Francorum regis avi nostri confecta super quadam compositione habita inter eos, & hinc inde propositis plenius intellectis, determinatum fuit & pronuntiatum, quod dicti abbas & conventus ad citationem ipsius comitis & ballivi sui venire tenentur, si de articulis ipsi comiti retentis per dictam cartam dicti regis LUDOVICI avi nostri fiat ibi petitio contra eos, ibi respondere tenentur. Si vero de aliis, ibi non tenentur respondere. Et ne propter hoc abbas D & conventus indebite gravarentur, inhibitum fuit procuratori & gentibus ejusdem comitis, quod ipsos abbatem & conventum non adjornarent coram se super aliis, quam super hiis quæ in dicta littera continentur. Sane cum dicta ecclesia S. Vedasti Attrebatensis a nostris antecessoribus Francorum regibus fundata, & ex eorum munificentia honorifice dotata, retroactis temporibus in nostra prædecessorum nostrorum regum Francorum fuerit protectione & custodia, ab injuriis, molestationibus & incursu malignorum defensata; nos ex prærogativa dilectionis, qua dictam ecclesiam E & personas ejusdem amplectimur, dictam ecclesiam cum personis & bonis ejusdem expressius in nostra suscepimus & suscipimus custodia speciali, ipsos super hoc per præsens regale privilegium munientes: salvis prædicto consanguineo nostro & suis successoribus casibus sibi retentis in dicta littera regis Ludovici avi nostri, & salvo in aliis jure dicti comitis, & salvo jure in omnibus alieno. Volentes & tenore præsentium præcipientes omnibus ballivis, præpositis & aliis justitiariis nostris, ut ipsi dictam ecclesiam, personas & bona ejusdem, sicut prædictum est, custodiant & defendant. Quæ ut perpetuæ stabilitatis robur obtineant, præsentem paginam sigilli nostri auctoritate & regii nominis caractere inferius annotato fecimus communiri. Actum Parisius anno dominicæ incarnationis M CC. LXXXIII. mense Januario regni vero nostri anno XIII.

LITTERÆ GUILLELMI I. episcopi Cameracensis pro monasterio Oigniacensi.

Indulgentias concedit eleemosynas largientibus ad Oigniacensem sacram ædem perficiendam.

UNiversis præsentes litteras inspecturis & audituris officialis curiæ Cameracensis salutem cum notitia veritatis. Anno 1289 Ex ms. Oigniacensi.

Reverendi patris & domini nostri GUILLELMI Cameracensis episcopi litteras noveritis nos tenuisse, legisse & vidisse, in hæc verba: GUILLELMUS Dei gratia Cameracensis episcopus universis abbatibus, præpositis, prioribus, decanis Christianitatum, presbyteris & capellanis, ceterisque ecclesiarum rectoribus, in civitate & diœcesi constitutis, ad quos præsentes litteræ pervenerint salutem in Domino sempiternam. Cum ecclesia B. Nicolai *de Oignies* Leodiensis diœcesis, in qua venerabilis MARIA Christi ancilla cum reverendo patre magistro JACOBO quondam Tusculano episcopo & sedis apostolicæ cardinali aliisque quamplurimis reliquiis requiescit, ubi sub regula S. Augustini militant devota congregatio canonicorum, Dominus præstat innumera spiritualia beneficia gratiarum, ædificari cœperit opere plurimum sumtuoso; ad cujus prosecutionem sive consummationem operis ipsius ecclesiæ non suppetunt facultates, nisi per fidelium eleemosynas subveniatur eidem; universitatem vestram rogamus, monemus & exhortamur in Domino vobis præcipiendo mandantes, quatenus fratres sive nuncios prædictæ ecclesiæ, quos gratia fovemus & prosequimur ampliori, cum ad vos venerint, eleemosynas fidelium petituri, cum reliquiis quas secum deferunt, benigne & sine contradictione qualibet, ob reverentiam & amorem nostri semel in anno recipiatis in ecclesiis vestris, & a subditis vestris recipi faciatis absque litteris nostrorum decanorum, nonobstante aliqua inhibitione de quæstuariis a nobis vel officiali nostro facta, & ad diem quam vobis lator præsentium nominabit, parrochianos vestros convocetis, & præcipiatis eisdem, ut expositionem prædictæ ecclesiæ audiant diligen-

ter, indulgentias, merita, & miracula sanctorum prædictæ ecclesiæ per vos ipsos plebibus exponentes, & per dictos fratres sive nuncios exponi permittentes, cum verbo prædicationis excluso, ipsumque populum vobis subditum ad hoc salutaribus monitis inducentes, ut de bonis sibi a Deo collatis prædictæ ecclesiæ in suorum remissionem peccaminum largiantur. Nos vero de Dei omnipotentis misericordia & gloriosæ virginis MARIÆ matris ejus, omniumque sanctorum meritis & intercessione confisi, omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui fabricæ prædictæ ecclesiæ manum porrexerint adjutricem, quadraginta dies de injunctis sibi pœnitentiis misericorditer relaxamus, præsentibus post annum minime valituris. Datum anno Domini millesimo ducentesimo octuagesimo nono infra octavas nativitatis B. Mariæ Virginis. In cujus visionis mandati testimonium, sigillum curiæ nostræ prædictæ præsentibus litteris est appensum. Datum per copiam anno supradicto infra octavas purificationis beatæ Mariæ.

CARTA HARDUINI do Malliaco, & uxoris ejus.

De altari ligneo quod abbas Majoris-monasterii Harduino de Malliaco habere permisit.

Anno 1289. *Ex archivis ... monasterii.*

OMnibus hæc visuris Harduinus dominus de Malliaco miles & Johanna ejus uxor salutem in Domino.

Cum dilectus nobis in Christo religiosus vir abbas Majoris-monasterii Turonensis nobis ad multam instantiam nostram concesserit de gratia speciali quantum in ipso est, & ad ipsum dignoscitur pertinere, ut altare ligneum in manerio nostro de Ermentayo sito in parrochia de Loratorio usque ad suum beneplacitum habeamus, nos promittimus bona fide quod ibi capellam nequaquam ædificabimus, immo ipsum altare nobis concessum destruemus, & a celebratione omnino cessare faciemus, quotiescumque a dicto abbate vel mandato ipsius moniti fuerimus vel etiam requisiti, promittimus etiam bona fide sub præstito juramento, oblationes omnes & alia jura ecclesiæ parrochiali integra & illibata servare & facere reservari, & ad hoc nos & omnia bona nostra ubicumque existentia præsentia & futura specialiter obligamus. In cujus rei testimonium sigilla nostra præsentibus duximus apponendum. Datum anno Domini millesimo ducentesimo octogesimo nono mense Octobri.

LITTERÆ

Quibus Bernardus comes Armaniaci ratam habet venditionem castrorum & villarum de Castro-Gelosio & de Veiriaco, factam Gastoni vicecomiti Fesensaquelli & Rotgerio de Armaniaco ab Isabelle d'*Albret* uxore sua.

Anno 1294. *Ex ms. Colbertino.*

NOverint universi hoc præsens instrumentum publicum inspecturi, quod cum nobilis mulier domina ISABELLIS DE LEBRETO comitissa Armaniaci & Fesensiaci, vendidisset nobilibus viris domino GASTONI vicecomiti Fesensaquelli, & ROTGERIO de Armeniaco fratribus, castrum & villam de Castro-Gelosio, castrum & villam de Veiriaco, cum omnibus juribus, jurisdictionibus, dominiis, deveriis, quæ ipsa domina Isabellis habebat, vel habere poterat, & debebat quacumque ratione, modo, titulo, seu causa in locis prædictis, terminis, & pertinentiis castrorum & locorum prædictorum, assituatis in diœcesi Agennensi & Vasatensi, & in omnibus aliis spectantibus, pertinentibus ad dicta castra seu loca quæcumque sint, & ubicumque sint intus & extra, & specialiter in territoriis, castris, seu locis, villis, (a) capmaziis de Vazareto, d'Estusano, Daudirano, de Lausiano, de Bedeisano, de sancta Aralia, & in parrochiis, territoriis seu locis vocatis *Casluques* & de *Babaudrant* in prædictis diœcesibus Agennensi & Vasatensi, pro sexaginta millibus librarum monetæ Morlanæ, quas ab ipsis emtoribus recognoverat se habuisse & recepisse in bona pecunia numerata, prout in instrumento inde confecto per manum mei notarii infrascripti plenius continetur. Dominus BERNARDUS Dei gratia comes Armaniaci & Fesenciaci, maritus dictæ dominæ comitissæ, prædictam venditionem gratam, acceptam habens, atque firmam, ex certa scientia laudavit, approbavit, ratificavit, & confirmavit, & ipsam ratam & gratam haberi voluit, atque firmavit; consentiens expresse venditioni & emtioni prædictæ, promisit quod insuper dictus dominus comes mihi notario infrascripto pro dictis emtoribus solemniter stipulanti, quod contra prædictam venditionem & emtionem de jure vel de facto non veniet per se vel per aliquam interpositam personam, aliqua subtilitate juris nec facti, nec faciet, nec procurabit aliquid, per quod prædicta venditio & emtio rumpi valeant, vel modo quolibet alio retractari, renuntiando idem dominus comes omni juri suo, & omni juri & legi canonico & civili foro suo, usui & consue-

(a) Capmazia seu caput mansi est domus præcipua quæ ad primogenitum pertinet.

tudini terræ seu loci, volens & concedens ac consentiens, quod generalis renunciatio tantum valeat, & idem robur obtineat & operetur, ac si omnes casus juris, & leges essent expresse numeratæ, & eisdem expresse esset sigillatim renuntiatum. Actum fuit hoc Auxi secunda die exitus Septembris, anno Domini MCCXCIV. in præsentia & testimonio reverendi in Christo domini AMANEVI Dei gratia archiepiscopi Auxitanensis, domini Augerii de Tilleto officialis Auxitanensis, magistri Bernardi de Maurieto canonici & archidiaconi, vicarii in ecclesia Auxitanensi, Ar. *Darifelle* canonici Nugarolii, Raymundi Garsiæ de Malo-vicino canonici Aquensis, Bernardi de Condomio senescalli Armaniaci & Fesenciaci, Oddonis de Massus domicelli, Vitalis *de Mont*, & mei Bernardi de Cocio publici Auxitanensis notarii, qui præsentem cartam de præmissis in hanc formam publicam scripsi, & in testimonium veritatis signum meum apposui consuetum, quo utor in publicis instrumentis regnante PHILIPPO rege, A. archiepiscopo Auxitanensi, & prædicto comite Armaniaci & Fesenciaci.

Et in testimonium præmissorum nos B. Dei gratia comes Armaniaci & Fesenciaci huic præsenti publico instrumento, quia sigillum præ manibus non habemus, contra-sigillum nostrum duximus apponendum.

TESTAMENTUM ISABELLIS de Lebreto comitissæ Armaniaci.

Anno 1294. Ex ms. Colbertino.

IN nomine Patris & Filii & Spiritus-sancti. Amen. Quoniam labilis est status hominum & nuncius obitus cujuscumque mortalis, & quia nihil quod magis debeatur ipsis hominibus quam supremæ voluntatis eorum liber sit stilus. Idcirco ego ISABELLIS domina de Lebreto, comitissa Armaniaci & Fesenciaci, cum meo bono sensu & perfecta memoria, facio, ordino testamentum meum nuncupativum, quod in scriptis redigi volo.

I. In primis quia heredis institutio esse debet fundamentum testamenti, instituo dominam JOHANNAM DE LA MARCHA matrem meam heredem in castro meo de Alhais diœcesis Vasatensis, & in toto territorio, districtu, jurisdictione alta & bassa, & in terris & pertinentiis & juribus ejusdem castri, & ea jure institutionis sibi relinquo & dono, & pro legitima portione, & jure sibi competenti in bonis meis sibi assigno, & ipsam prædictis volo esse contentam, & quod nihil aliud in aliis bonis petere possit.

II. Item, eligo corpus meum sepeliri, quando contigerit me mori, in ecclesia cathedrali B. Mariæ Auxis in sepultura sororis meæ quondam, & lego ecclesiæ supradictæ pro emendis reditibus ad instituendum capellanum seu capellaniam de requiem quingentas libras Morlanenses, qui capellanus celebret qualibet die pro anima mea & parentum meorum.

III. Item, lego canonicis ejusdem ecclesiæ ad emendum reditus pro anniversario meo centum libras Morlanenses.

IV. Item, lego fratribus Minoribus de Auxio ducentos solidos Morlanenses.

V. Item, lego monasterio (*a*) S. Orientii Auxis ducentos solidos Morlanenses.

VI. Item, fratribus Minoribus Nugaralii ducentos solidos Morlanenses.

VII. Item, S. Mariæ Auxis viginti solidos Morlanenses.

VIII. Item, hospitali S. Orientii viginti solidos Morlanenses.

IX. Item, tribus reclusarum Auxis quinque solidos Morlanenses.

X. Item, tribus Leprosorum quinque solidos Morlanenses.

XI. Item, monialibus monasterii de Bralio centum solidos Morlanenses.

XII. Item, monialibus de Bono-loco quinquaginta solidos Morlanenses.

XIII. Item, monialibus de Milpilione quinquaginta solidos Morlanenses.

XIV. Item, fabricæ monasterii (*b*) Casæ-Dei centum solidos Morlanenses.

XV. Item, fabricæ monasterii de (*c*) Flarano centum solidos Morlanenses.

XVI. Item, fabricæ monasterii de Alhais centum solidos Morlanenses.

XVII. Item, domui de Aqua-sicca quinquaginta solidos Morlanenses.

XVIII. Item, hospitali de Coseto quinquaginta solidos Morlanenses.

XIX. Item, hospitali de S. Christina quinquaginta solidos Morlanenses.

XX. Item, fabricæ ecclesiæ Auxitanæ quidquaginta libras Morlanenses.

XXI. Item, fabricæ ecclesiæ de Vico centum solidos Morlanenses.

XXII. Item, fabricæ Nugaralii centum solidos Morlanenses.

XXIII. Item, fabricæ Elisonæ centum solidos Morlanenses.

XXIV. Item, fabricæ monasterii (*d*) Gemontis centum solidos Morlanenses.

(*a*) Olim insignis erat abbatia ordinis S. Benedicti, nunc vero pinguissimus est prioratus a Cluniaco dependens.

(*b*) Istud monasterium a celeberrima Casæ-Dei abbatia ordinis S. Benedicti in diœcesi Anicienſi distinguendum est, cum situm sit in diœcesi Auxitana, sitque ordinis Præmonstratensis, omnium monasteriorum ejusdem ordinis in Vasconia & Occitania mater.

(*c*) Flaranum est ordinis Cisterciensis monasterium in diœcesi Auxitana filia Bardonæ de Linea Morimundi.

(*d*) Vulgo Gimundi. Est autem Gimundus insigne monasterium ordinis Cisterciensis filia Bardonæ, de Linea Morimundi in diœcesi Auxitana, ab illustri viro Geraldo de Braulio & Gauzensa ejus uxore anno 1141. fundatum.

xxv. Item, capellæ de *Lavardex*, *Despas*, de Castro-novo tribus earum centum solidos Morlanenses.

xxvi. Item, fratribus Minoribus de Veiriaco ducentos solidos Morlanenses.

xxvii. Item, fratribus Minoribus Castri-Gelosii ducentos solidos Morlanenses.

xxviii. Item, hospitali de S. Romano centum solidos Morlanenses.

xxix. Item, ecclesiæ Vasatensis fabricæ quinquaginta libras Morlanenses.

xxx. Item, fabricæ ecclesiæ S. Raphaëlis Castri-Gelosii quinquaginta solidos Morlanenses.

xxxi. Item, fabricæ ecclesiæ S. Mariæ ejusdem loci quinquaginta solidos Morlanenses.

xxxii. Item, domui Templi de Argeceno centum solidos Morlanenses.

xxxiii. Item, domui Templi de *Romestainh* centum solidos Morlanenses.

xxxiv. Item, domui *de Cors* centum solidos Morlanenses.

xxxv. Item, servitoribus meis mille libras Morlanenses per manum executorum suorum distribuendas & solvendas, vel per manum domni archidiaconi Auxitani & alterius executorum.

xxxvi. Item, ipsis executoribus trecentas quinquaginta libras Morlanenses ad arbitrium reverendi in Christo patris domini A. Auxitani distribuendas.

xxxvii. Item, instituo heredem meum universalem nobilem virum Rotgerium de Armaniaco sororium meum in castris de Casa-nova, de Lebreto, & in toto territorio, districtu, jurisdictione alta & bassa, & in juribus & pertinentiis dictorum castrorum, & in omnibus aliis bonis & juribus meis pertinentibus ad me quæcumque sint & ubicumque. Et si dictum Rotgerium contigerit mori sine liberis de legitimo matrimonio procreatis quandocumque, quod ex causa fideicommissi restituat & restituere teneatur hereditas, & bona quæ sibi obvenient ratione præsentis cartæ nobili viro domino Bernardo comiti Armaniaci & Fesenciaci marito meo, seu heredibus ejus.

xxxviii. Item, laudo, confirmo & approbo venditionem per me alias factam, castrorum, villarum, seu locorum Castri-Gelosii & de Veiriaco, & territoriorum, terminorum & pertinentiarum & jurium earumdem, & aliorum locorum & perrochiarum & territoriorum, nobilibus viris Gastoni vicecomiti Fesensaquelli & Rogerio de Armaniaco sororiis meis, prout in instrumento inde confecto plenius continetur.

xxxix. Item, eligo & constituo ac ordino executores meos hujus testamenti mei reverendum patrem dominum Amanevum Dei gratia archiepiscopum Auxitanensem, dominos Petrum d'*Aras* militem, Bernardum de *Maurices* archidiaconum Vicen. in ecclesia Auxitanensi, magistrum *Seibors de Locador* ca... in ecclesia Vasatensi, Bernardum de Condomio senescallum Armaniaci & Fesenciaci, dans & cedens eisdem executoribus plenam & liberam potestatem accipiendi propria auctoritate omnes reditus, exitus & proventus meos castrorum & locorum prædictorum, quæ castra & loca sunt in diœcesibus Vasatensi & Adurensi, & de ipsis omnibus reditibus insimul omnium prædictorum castrorum & locorum prædictorum solvendi omnia legata prædicta, vendendi, arrendandi, impignorandi, alienandi omnes reditus, exitus & proventus prædictorum castrorum & locorum, & habendi, tenendi, possidendi omnia castra & loca prædicta tamdiu, quousque de omnibus prædictis legatis ipsis legatariis sit integre satisfactum.

xxxx. Item, volo & concedo ac mando, quod omnis venditio, obligatio, alienatio, vel arrendamentum factum seu facta de prædictis reditibus, exitibus, & proventibus dictorum castrorum & locorum per dictos executores meos tantum valeat, & perpetuam obtineat roboris firmitatem, ac si per me in vita mea facta esset.

xli. Item, volo, & concedo, & mando, quod si omnes prædicti executores mei testamenti prædictis exequendis non interessent, seu interesse non possent aut nollent, quod dictus dominus archiepiscopus cum altero eorumdem prædicta omnia exsequi valeat & complere.

xlii. Illud autem volo quod sit meum ultimum testamentum, cassando & revocando omnia alia testamenta, donationem, seu ordinationem, vel testamentum, & quamcumque aliam dispositionem aliam per me factam vel facta. Et volo quod si prædictum testamentum non valeret jure testamenti, saltem valeat jure codicillorum, vel cujuscumque alterius ultimæ voluntatis, & volo per istud testamentum & ipsum esse derogatorium ubicumque testamento vel ordinationi per me factis, & in quibuscumque verbis derogatoriis positis ibidem, & tactis sacrosanctis evangeliis, juro & promitto omnia & singula supradicta tenere & inviolabiliter observare, & in contrarium non venire, statuere & ordinare per me, per aliquam personam interpositam de jure & de facto.

xliii. Item, requiro dominum Augerium de Tilheto officialem Auxitanensem coram me præsentem, quod ad majorem cautelam & firmitatem omnium prædictorum huic testamento meo nuncupativo ac in scriptis redacto apponi faciat sigillum curiæ Auxitanensis. Actum prima die introitus mensis Octobris apud Auxim anno Domini

mini MCCXCIV. Hujus autem fuerunt testes vocati & rogati per dictam testatricem dominus Johannes de Taso * sacra ecclesiæ Auxitanæ, Guillelmus Raymundi de *Lalobere* archidiaconus Suipedii, BERNARDUS DE MONTE-ACUTO abbas Fagetæ, Geraldus de Fonte capellanus B. Mariæ Auxis; A. Bruni notarius Vici, Guillelmus de Præhano notarius Auxis, Guillelmus de Lavardaco clericus, Bernardus de Ampell. canonici Leo... Ar. d'*Arisole*, Cau... Nugarolii, Oddo de Massanis, Ar. de Salic, domicelli, magister Vitalis de Monte.

* f. sacri-sta.

Et ego Bernardus de Cacio publicus Auxis notarius, qui præmissis omnibus interfui, & ad requisitionem dictæ dominæ comitissæ prædicta omnia in publicam formam redegi, & in testimonium veritatis signum meum apposui consuetum, regnante PHILIPPO rege Francorum, A. existente archiepiscopo Auxitano, & B. comite Armaniaci & Fesenciaci. Et nos officialis prædictus in testimonium veritatis huic præsenti publico instrumento in pendenti apponi fecimus sigillum curiæ Auxitanæ.

DONATIO

Castrorum & villarum Castri-Gelosii & de Veiriaco facta Bernardo comiti Armaniaci a Gastone vicecomite Fesensaquelli & Rogerio fratribus.

Anno 1294. Ex ms. Colbertino.

NOverint universi hoc præsens publicum instrumentum inspecturi, quod nobiles viri GASTO de Armaniaco vicecomes Fesensaquelli & ROGERIUS frater suus, constituti in præsentia mei notarii & testium infrascriptorum, donaverunt & concesserunt pro se & heredibus suis donatione pura, & simplici, & irrevocabili, facta inter vivos, domino BERNARDO Dei gratia comiti Armaniaci & Fesenciaci fratri eorumdem præsenti & recipienti pro se & heredibus, castrum & villam de Castro Gelosio, castrum & villam de Veiriaco cum omnibus juribus, juridictionibus, dominiis, deveriis, mero & mixto imperio; alta & bassa juridictione, homagia, sacramenta fidelitatis, & omnia alia jura, servitutes in personis hominum seu rerum quæ eisdem pertinebant in dictis castris & villis, territoriis, terris & pertinentiis, intus & extra castrorum & locorum prædictorum, & ea omnia quæ ipsi habebant & habere debebant in castris & villis, locis, capmasiis de Nazareto; d'Estrusano, de Andirano, de Lausiano; de Vedeisano, Sancta Aralia, & in tota terra vocata *Balandraul*, & in parrochiis, territoriis vocatis de *Lasfugues* in diœcesibus Agennensi & Vasatensi, quæ omnia habebat & tenebat dominus BERNARDUS ERZII de Lebreto quondam tem- A pore mortis suæ, & specialiter dictus Rogerius dedit & cessit donatione pura & simplici & irrevocabili inter vivos dicto domino comiti præsenti & recipienti castra & loca de Lebreto, de Casa-nova, cum omnibus terris, territoriis & pertinentiis suis, juribus, homagiis, juramentis fidelitatis, dominationibus & deveriis, & cum omni juridictione alta & bassa, & cum omni jure quod dictus Rogerius habet vel habere debet ex quacumque causa, titulo, & quocumque nomine censeantur in dictis locis B & pertinentiis eorumdem, absque omni retentione: & GASTO & ROGERIUS fratres prædicti ambo insimul dederunt & cesserunt supra cedendo eidem domino comiti omnia jura & actiones reales, personales, mixtas, utiles & directas, quas habebant & habere poterant in prædictis locis, castris & pertinentiis eorumdem, & contra quascumque detinentes eadem, & quæ eisdem & eorum alteri competebant & competere poterant ex quacumque causa, titulo, seu modo, & quocumque nomine censeantur; in prædictis castris & locis & C pertinentiis eorumdem, nihil juris penitus retinendo. Recognoscentes dicti fratres, quod prædictam donationem, cessionem faciebant eidem domino comiti propter multa & grata servitia, dona & munera, quæ habuerant & receperant ab eodem, remunerando ipsum de præmissis: renuntiantes scienter & consulte fratres prædicti legi quæ dicit donationem factam ex causa ingratitudinis posse revocari; & juri & legi quæ dicit donationem factam excedentem summam quingentorum aureorum seu solidorum Morlanensium non valere sine insi- D nuatione actorum, & beneficio restitutionis in integrum & minoris ætatis. Et quod sic tenebunt, complebunt, & perpetuo observabunt dicti fratres ad sancta Dei evangelia tacta manibus suis juraverunt, & quod non fecerunt, nec facient aliquid, quominus prædicta donatio & cessio eidem domino comiti & suis heredibus minorem obtineat firmitatem. Requirentes dominum Augerium de Tilheto officialem Auxitanensem ibidem præsentem, quod præsenti instrumento sigillum curiæ Auxitanensis faceret apponi. Actum fuit hoc Auxi VIII. idus E Octobris anno Domini MCCXCIV. in præsentia reverendi in Christo patris domini AMANEVI Dei gratia archiepiscopi Auxitanensis, domini Bernardi de Maurieto canonici Auxitanensis, magistri Bernardi Ampell. canonici & rectoris, magistri Guillelmi de Lavardaco, Michaëlis de Autona notarii curiæ domini archiepiscopi Auxitanensis & mei Bertrandi de Cocio publici Auxitanensis notarii, qui præmissis omnibus interfui, & ad requisitionem dictorum fratrum, & dicti domini comitis de præ-

dictis præsens instrumentum in hanc formam publicam scripsi & signo meo consueto in testimonium præmissorum signavi, regnante PHILIPPO Francorum rege, A. archiepiscopo Auxitanensi & prædicto B. comite Armaniaci & Fesensiaci. Et nos officialis prædictus huic præsenti publico instrumento apponi fecimus signum curiæ Auxitanensis in testimonium præmissorum.

INSTRUMENTUM PUBLICUM

De concessione comitatus Astaraci facta Bernardo a Centullo comite patre suo, &c.

Anno 1294 *Ex ms. Colbertino.*

Noverint universi, quod cum dominus CENTULLUS Dei gratia comes Astaraci emancipasset BERNARDUM de Astariaco filium suum, cumque dictus dominus Centullus comes emancipato dicto filio suo, post dictam emancipationem dedisset eidem Bernardo filio suo totum comitatum Astaraci, cum omnibus juribus & pertinentiis suis, & omne jus, rationem, & partem, & totum hoc quod ipse habebat, tenebat, & possidebat, & habere, tenere, & possidere debebat, & quæ ei pertinebant, & pertinere debebant, & petere seu requirere poterat & putabat jure successionis, pactione, vel altero quoquo modo in toto comitatu Astaraci, & in castris, & villis, & locis, & allodiis, & tentoriis existentibus in toto prædicto comitatu & infra terminos & limites dicti comitatus, retento sibi, quamdiu vixerit, usufructu, prout hæc & alia in quodam instrumento eodem die quo hæc acta fuerunt recepto per me notarium infra scriptum continentur, idem Bernardus de Astariaco gratis & sua spontanea voluntate & libero animo, non inductus, ut asserit, vi, fraude, vel dolo, sine aliqua machinatione, dedit, cessit, & transtulit pura & simplici donatione inter vivos perpetuo valitura, prædicto Centullo patri suo tamquam, ut dixit, benemerito castra, villas & loca infra scripta, cum eorum pertinentiis, allodiis & territoriis, scilicet de Miramonte, de Labeiano, de Granata, de Castillione, de S. Johanne, & incursus Arnaldi, Guillermi Lofori & domini Vitalis de Vallatis militis, ad habendum, tenendum & possidendum, vendendum, distrahendum, & alienandum, & quicquid sibi placuerit faciendum. Retinuit tamen dictus BERNARDUS de Astariaco ante dictam donationem, & in ipsa, & post, quod quicumque habuerit & possederit castra, villas & loca prædicta, ea teneat in feudum honoratum a dicto Bernardo de Astariaco, & recognoscat & recognoscere teneatur ab eodem Bernardo de Astariaco, & præstet & præstare teneatur sacramentum fidelitatis eidem Bernardo, & eidem subsit, & serviat, & servire teneatur, sicut alii comitatus Astariaci nobiles & barones. Voluit insuper & concessit dictus BERNARDUS, quod dictus dominus CENTULLUS pater suus possit & sibi liceat, quotiescumque & quandocumque voluerit, & sibi placuerit, construere bastitas in omnibus singulis locis religiosorum comitatus Astariaci de cetero acquirendis, in quibus comes Astariaci nullam haberet partem, & quod de parte ipsum contingente bastitarum prædictarum possit facere omnimodam voluntatem: ita tamen & tali modo, quod illi qui habent partem prædictam prædictarum bastitarum ipsum comitem contingentem, prædictæ partes teneantur præstare sacramentum fidelitatis & facere homagium, & serviant, & servire teneantur dicto Bernardo de Astariaco, sicut alii milites nobiles & barones comitatus Astariaci facient & servient, & servire & facere tenebuntur. Dedit & cessit dictus Bernardus de Astariaco præfato domino Centullo viginti millia librarum Turonensium magnorum in comitatu & super comitatum Astariaci, volens dictus Bernardus de Astariaco & concedens, quod dominus Centullus pater suus prædictus in vita sua de dictis viginti mille libris Turonensibus possit testari, & de eisdem facere prout sibi placuerit, filiis & filiabus, & aliis personis quibuscumque, prout sibi visum fuerit, necnon aliam suam facere voluntatem omnimodam, & emendam facere, & cum istis contentos faciet fieri filios & filias, si ipsum habere contigerit, una cum aliis bonis dicto suo patri per ipsum Bernardum donatis: ita tamen & tali modo, quod post obitum dicti domini Centulli medietas redituum omnium & singulorum cujuscumque conditionis existant, redituum exeuntium, provenientium a dicto comitatu Astariaci quolibet anno pertinentium ad ipsum Bernardum de Astariaco & pertinere debentium pro persolvendis dictis viginti millibus libris, pro parte eorumdem dicta medietas redituum prædictorum detur & persolvatur illis, quatenus dictus dominus Centullus voluerit, & in sua vita expresserit in testamento vel alias, donec eisdem omnibus & singulis de prædictis viginti mille libris Turonensibus integre fuerit satisfactum, dando, cedendo, & concedendo eidem domino Centullo tamquam benemerito ex causa prædicta, omnia jura sua & rationes & actiones personales, reales, mixtas, utiles, & directas in prædictis supra donatis & quolibet prædictorum sibi competentes & competituras, pro faciendo ipsius domini Centulli patris sui & suorum heredum & successorum de omnibus & singulis supra eidem donatis sua omnimoda voluntate, & super omnibus præmissis & singulis dictus BERNARDUS de Astariaco ex certa scientia

certioratus de jure suo per me notarium in- A fra scriptum renuntiavit juri dicenti seu innuenti donationem non valere, si modus vel causa, pro qua facta fuerit deficiat in eodem, & juri dicenti: donationem excedentem summam quingentorum aureorum factam sine insinuatione judicis & actis intervenientibus non valere, & juri dicenti donationem factam propter susceptionem liberorum supervenientium revocari posse, necnon omnibus aliis juribus canonicis & civilibus, & aliis exceptionibus, foro, usui terræ, & consuetudini, & omnibus aliis diffinitionibus, cum quibus vel per quæ B contra præmissa vel aliquod præmissorum, per se vel per alium in judicio, vel extra, de jure vel facto venire posset, vel aliquatenus se juvare. Præterea quod dictus BERNARDUS, ut asseruit, erat minor viginti quinque annorum, major tamen quatuordecim sponte sua juravit super sancta Dei evangelia manu ejusdem corporaliter tacta, omnia & singula præmissa rata habere & firma, & perpetuo ea tenere & servare, ut superius sunt expressa, vel per se vel per alium non contra facere vel venire, nec restitutionem aliquam impetrare occasione minoris ætatis, vel alterius cujuscumque, quam quidem donationem & omnia & sin- C gula prædicta prædictus dominus Centullus comes & Bernardus ejus filius existentes apud Orthesium ante præsentiam domini ROGERII BERNARDI comitis Fuxi & vicecomitis Bearni, & Castri-boni, & prorogando suam jurisdictionem quo ad omnia & singula contenta, quam præsenti instrumento insinuaverunt, & insinuatam esse voluerunt cum hoc præsenti instrumento publico. Cui quidem donationi & omnibus aliis & singulis supradictis prædictus dominus Rogerius Bernardi, ad requisitionem tam prædicti domini Centulli, quam dicti D Bernardi ejus filii suam auctoritatem interposuit pariter & decretum. Actum fuit hoc apud Orthesium die Dominica ante festum omnium sanctorum regnante PHILIPPO Franciæ rege, & HUGONE episcopo Tolosano anno ab Incarnatione Domini millesimo CCXCIV. Hujus rei sunt testes R. frater RAYMUNDUS Lascurensis episcopus, GAILLARDUS Olorensis episcopus, Garcias Arnaldi dominus de Navaillis, Bonismundus de Astariaco, Rogerus de Convenis, Bernardus de Jordani Insula, Fortanerius dominus E de Lascuno, Petrus Bertrandi Jordani, Vitalis de Forgis, Fortanerius de Morlanis. Et ego Petrus Raditor publicus Tholosæ notarius, qui de voluntate dicti domini Rogerii Bernardi & ad requisitionem tam prædicti domini Centulli, quam Bernardi ejus filii cartam scripsi.

LITTERÆ DE DOTE BLANCHÆ comitissæ Pallariensis.

NOverint universi præsentem paginam inspecturi, quod hæc est memoria quam facit domina BLANCHA Dei gratia comitissa Pallariensis, quod prædicta domina comitissa petit nobili domino RAYMUNDO de Bellera fratri suo tria millia morabatinos sibi assignatos, & nobili domino Raymundo Rogerii bonæ memoriæ comiti de *Pallars* nomine dotis ipsius dominæ comitissæ, petit, inquam, prædicto Raymundo nobili quinque millia & sexcentos solidos Melgorienses, quod dominus comes prædictus solvit ad abstrahendum castra de Feirera & de Glorieta, & de Erestui, quæ quidem castra erant per nobilem dominum quondam GUILLELMUM de Bellera pignori obligata; petit, inquam, prædicta comitissa ratione operarum factarum per venerabilem dominum comitem supradictum in castris & in locis eidem domino comiti obligatis septem millia & quingentos solidos Melgorienses, petit insuper prædicta comitissa eidem domino Raymundo fratri suo medietatem dotis matris prædictorum dominæ SIBILIÆ quondam de Peralta, quam medietatem sibi contingentem dicit sibi esse mille morabatinos, & ibidem dictus dominus R. de Bellera dixit, cum sit certus de dote prædicta, scilicet tria millia morabatinorum, & de castris superius obligatis per prædictum nobilem Guillelmum de Bellera quondam, & a se abstractis pro quantitate superius nominata, scilicet quinque millia & sexcentos solidos & septem millia & quingentos solidos Melgorienses ratione operarum superius positarum confitetur dictus dominus R. de Bellera, & in veritate recognoscit, se debere solvere, & offert se bona fide soluturum prædictæ dominæ comitissæ quantitates prædictas, sufficienti tempore ei concesso per dominam comitissam antedictam, ad solvendum morabatinos & denarios antedictos; sed quia dubitat nobilis dictus R. de Bellera de quantitate dotis nobili dicto domino Guillelmo de Bellera comiti traditæ per prædictam dominam Sibiliam matrem prædictorum, petit prædictam dominam comitissam sibi concedi diem infra quam valeat certificari de quantitatibus dotis prædictæ, & cum certus fuerit, est paratus secum convenire & solvere, ut est dictum, & prædicta domina comitissa ad nimiam & frequentem instantiam, & preces prædicti domini R. de Bellera, & aliorum militum, & proborum hominum concessit, quod prædictus dominus R. de Bellera sibi solvat hinc ad festum beati Johannis-Baptistæ proxime venturum

Anno 1296. Ex ms. Colbertino.

prædictos tria millia aureos & denarios supradictos, scilicet tresdecim millia solidos Melgorienses bonos concessos superius per dictum nobilem Raymundum de Bellera, quibus aureis & denariis sibi solutis cum quantitate dotis dominæ Sibiliæ, promittit dicta domina comitissa bona fide gratis & ex certa scientia tradere & deliberare eidem domino Raymundo fratri suo omnia castra atque loca, & cuicumque voluerit sibi obligata per dominum Guillelmum de Bellera antedictum nomine dotis prædictæ, & quod dictus dominus R. de Bellera deponat prædictos aureos & denarios in quocumque loco potius tuto domina comitissa videret expedire, quod nisi fuerit ex tunc præfixa domina comitissa sua propria auctoritate valeat prædicta castra atque loca cuicumque voluerit pignori obligare, sine omni obstaculo & contradictu. Hanc autem ordinationem fecerunt prædicta domina comitissa & dictus nobilis R. de Bellera inter se, in præsentia mei notarii & testium infra scriptorum, promittentes inter se unus alteri bona fide & firma stipulatione omnia supradicta & singula unus alteri attendere & complere, & in aliquo non contravenire, sub obligatione omnium bonorum suorum habitorum ubique & habendorum, renuntiantes quilibet eorum omni juri & auxilio, quibus ad hæc infringenda vel revocanda ipsi possent aliquatenus adjuvare, mandantes etiam mihi notario infrascripto quod hæc prædicta in publicam redigerem formam. Actum est hoc XI. cal. Maii anno Domini MCCXCVI. in præsentia & testimonio domini V. de Orto jurisperiti decre. & G. de Glorieta, & Arnaldi *Despes* domicelli & Petri de *Rocafort*, & Salvatoris de Ferrera.

R. Pomerii rector ecclesiæ Tirviæ & notarius publicus ejusdem loci ad instantiam & requisitionem prædictorum, hæc scripsit die & anno præfixis, retenta sibi potestate plenaria quandocumque sibi de consilio peritorum visum fuerit expedire, non obstante quod jam productum in judicio extitisset, corrigendi, supplendi præmissum instrumentum.

C'EST LY ALLIANCE entre le Roy de France & ses hoirs d'une part, & le conte de Haynaut & ses hoirs d'autre à toz jorz.

Anno 1297. Ex Hasnoniensi cartario DD. de Avesnis.

PHILIPPE par la grasce de Dieu rois de Franche. Nous faisons assavoir à tous presens & avenir, que nous por nous & pour nos successeurs rois de Franche, avons fait alliance à nostre amé & feel JEHAN d'Avesnes conte de Haynnaut, & à ses hoirs à toz jorz, & li dis cuens pour luy & pour ses hoirs à nous & nos successeurs rois de Franche en la maniere qui s'ensuit.

A PREMIEREMENT nous promettons en bone foi à lui & à ses hoirs contes de Haynnaut confort & aide, nommeement contre GUY DE DAMPIERRE jadis conte de Flandre, & ses hoirs, & contre tous autres, es cas en quoi faire le porrions sans nous mesfaire vers nos hommes. Et li dis cuens assi pour lui & pour ses hoirs à promis en bone foi conseil & aide à nous & à nos successeurs nommeemenr contre le dit GUY & ses hoirs & contre tos autres excepté les personnes de ses seigneurs: c'est à scavoir le roy d'Alemaigne, & l'evesque de Liege tant B seulement, es cas ou il se porroit meffaire vers eus ou envers ses hommes.

Et por ce que nous & li dis cuens avons apresent matire de descort & de guerre envers ledit GUY conte jadis de Flandre & les siens & ses aidans, nous sommes aliez especialement ensemble en ce descort, & en ceste guerre, & en autres de aidier l'un l'autre en bone foi en la maniere qui s'ensuit. C'est à scavoir que nous li devons aidier à ce ke il recouvre envers le dit GUY & ses hoirs son heritaige, & ait ses jugies fais & à faire, nomeement la terre de Namur. C

Et ne poons au dit GUY, ne à ses hoirs faire pais, ne donner trieves sans le gré du dit conte de Haynnaut: & tout en autele maniere ne puet li dis cuens faire pais ne donner trieves sans nostre gré au dit GUY ne a ses hoirs, & nous doit & est tenu a nous aidier a venir en nostre raison envers le dit GUY & ses hoirs.

La maniere comment li dis cuens & si hoir conte de Haynnaut doivent nous & nos successeurs rois de France aidier contre le D dit GUY & ses hoirs & ses aidans & autres & nous aussi lui & ses hoirs a tos jours est tele.

Li cuens nous doit aidier en la terre de Haynnaut & en la contée de Flandres à miles armures de fer, & à cinc cens armures de fer, jusques au fleuve de Sainne, au gaiges acoustumes en Franche. C'est à savoir por le banneret vint sols, pour le bacheler dis sols, & pour l'escuier cinc sols Tornois, & doivent i estre li cheval du dit conte & de sa gent estimé & prisié & mis en escrit, E & outre le restour acoustumé en Franche nous en ferons selonc nostre bon esgart. Et est à entendre des gaiges & restours devant dis en bone foi de plus d'armeures de fer plus là où nous & li cuens nous acorderions, & de mains mains & de ce est il en nostre volantè durant les guerres. Et est à entendre que pour les fortereces de ladite conté garder & les perils, ki a venir en porroient eschiver, & par les avenus grever, doit i estre envoies un preudom chevaliers de par nous, qui loiaulment par son sairement selonc l'e-

stat des besongnes & les conditions des lieus mettra gensdarmes outre les residens es lieus selon ce kil vera en bone foi ke bon sera, à nos gaiges & restours accoustumes ; selon ce que il est devant dit.

Derechief se il avenoit aucuns de nos gens ou des gens dudit conte estre pris de guerre par les enemis ou adversaires ou aucun heritaige perdu, nous ne li dis cuens ne ferons pais, ne donrons trieves aus ennemis, jusqu'à tant ke li prison soient delivré, & li heritaige recouvré, & doivent i estre fetes les semonses & les chevaichies en bone foi por le païs deffendre, & por chevaichier sus les ennemis par le conseil de chevalier devant dit à nos gaiges & restours accoustumes, si com il est dit devant.

Ade certes se aucun venoient à armes sus ledit conté, & entroient en sa terre, ou en la terre de sa gent, ou asseoient leur fortereces, nous i devons envoier & secourre souffisanment pour ceus remettre arriere, aussi comme por nostre propre heritaige en bone foi, en l'aide de nous & de nostre roiaume, si besoing est, & il en soit requis, doit occurre au gaing & restours accoustumes, si comme il est dit devant, sauf ce kil ne se messace vers les seigneurs & hommes devant dis.

Et est assavoir, ke ces aliances & ses cozes devant dittes toutes & cascune par soi doivent tenir & durer perpetuelement en la fourme & en la maniere devant expressées ; & doivent i estre de nous & de nos successeurs, & de lui & des siens de cascun diz ans en diz ans. Et toutes les fois ke noviaux rois ou cuens de Haynnaut venront à terre tenir, à greignour fermeté, & memoire des cozes devant dittes. Et quant au cozes desus dittes, & cascune par soi garder tenir & fermement accomplir en la maniere devant ditte, nous oblijons & sommes obligiez por nous & pour nos successeurs à lui & à ses hoirs & assi à nous & à nos successeurs.

Et pour que ces cozes soient fermes & estaubles à toz jours, nous avons fait mettre nostre saiel en ces presentes lettres.

Ce fu fait à Pons Saint Messance l'an del Incarnation nostre Signeur mil deus cens quatre vinx & dis & sept ou mois de May.

BONIFACII PAPÆ VIII. ad Henricum comitem Ruthenensem.

Dispensat super quarto consanguinitatis gradu, ut duæ ipsius filiæ matrimonio possint conjungi Bernardo Armaniaci comiti & Gastoni vicecomiti.

BONIFACIUS episcopus servus servorum Dei dilecto filio nobili viro HENRICO comiti Ruthenæ salutem & apostolicam benedictionem. Anno 1299. Ex ms. Colbertino.

Magnæ devotionis affectum, quem ergà Romanam geris ecclesiam, benignius attendentes, votis tuis libenter annuimus, quæ tuæ salutis & honoris augmentum respicere dignoscuntur. Exhibita siquidem nobis tua petitio continebat, quod tu duas habes filias, unam nomine VALBURGEM & alteram CECILIAM, quæ per incrementum ætatis jam ad annos nubiles devenerunt. Verum quia ad magnam utilitatem tuam reputas & terræ tuæ, si cum nobilibus viris BERNARDO Armaniaci & Fesensiaci comite & GASTONE vicecomite Fesensaquelli fratribus affinitatem contraheres, dictas filias eisdem matrimonialiter copulando, qui sunt, ut asseris, quarto gradu consanguinitatis prædictis conjuncti filiabus, pro parte sua humiliter petebatur a nobis, quod hoc non obstante, ut dictæ filiæ cum prædictis nobilibus matrimonialiter copulari valeant, dispensare misericorditer dignaremur. Nos itaque tuis devotis supplicationibus inclinati, ac circa statum tuum & ipsarum filiarum benignius providere volentes cum præfatis nobilibus & filiabus, ut matrimonia libere ac licite ad invicem contrahere, gradu consanguinitatis non obstante prædicto, valeant, dispensamus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ dispensationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum v. idus Martii pontificatus nostri anno IV.

LITTERÆ CAPITULI Leodiensis ad Hugonem episcopum.

Ob damnosam monetæ mutationem minantur cessationem a divinis.

REverendo in Christo patri ac domino domino HUGONI (a) Dei gratia Leodiensi episcopo, præpositus, decanus, ar- Anno 1299. Ex schedis Cl. V. Bar. de Crassier.

(a) Hugoni de Cabilone dicto, & a Bonifacio octavo ad episcopatum Leodiensem promoto, qui ob mutationem monetæ, & patriæ deprædationem accusatus est apud summum pontificem, & ab eo citatus: comparenti in curia aufertur episcopatus Leodiensis, concesso ex gratia speciali immerito archiepiscopatu Bisuntino minoris pretii, ut scribit Johannes Hocsemius canonicus Leodiensis apud Chapeavillam.

chidiaconus, totumque majoris ecclesiæ Leodiensis capitulum, salutem in Domino sempiternam.

Licet plures causæ manifestæ & rationabiles nos a longo tempore compulerint & adhuc incessanter compellant, ut contra vos merito cessare debeamus a divinis: nos tamen in ipsa cessatione facienda procedere cupientes secundum formam a sanctissimo patre nostro domino Bonifacio divina providentia summo pontifice, & felicis recordationis dominis Innocentio tertio, & Gregorio decimo suis prædecessoribus Romanis pontificibus institutam, absentes concanonicos nostros, prout sunt pro negotio electionis evocandi, ad certum & competentem terminum, videlicet ad crastinum beati Bartholomæi tunc venturum & nunc præteritum, cum continuatione omnium dierum sequentium, ad capitulum nostrum Leodiense fecimus evocari, ad tractandum & deliberandum una nobiscum super dicto cessationis negotio, & alias faciendum quæ ipsum negotium contingere dinoscantur. Convenientibus igitur in termino assignato omnibus qui voluerint, debuerint & potuerint commode interesse, dieque continuata de die in diem usque ad feriam secundam ante festum beati Ægidii, deliberationem habuimus unanimiter de cessando contra vos a divinis, præcipue propter injurias & offensas quæ inferius annotantur: quas antequam ad ipsam cessationem procedamus, vobis per has patentes litteras sigilli nostri munimine roboratas exprimimus & prout infra habentur, assignamus. Vos, domine, elapso fere biennio pro vestræ libito voluntatis, contra voluntatem nostram & totius plebis vestræ, in episcopatu Leodiensi quamdam malam & reprobam monetam nobis & ecclesiæ vestræ & toti episcopatui Leodiensi injuriosam & damnosam, vestris temporibus in episcopatu Leodiensi a vobis primitus adinventam, prædecessorum vestrorum Leodiensium episcoporum bona, legali & consueta moneta penitus derelicta, contra morem & consuetudinem dictorum prædecessorum vestrorum cudi & fabricari fecistis, & facitis cursum habere communem, in damnum nostrum irrecuperabile & grave scandalum omnium subditorum vestrorum, nullo tamen jure super hoc vos competente. Cujus monetæ vestræ denarium quemlibet fieri & currere fecistis & facitis pro quinque denariis Leodiensibus, cum tamen ab initio quo dicta moneta vestra melior cudebatur, non valeret denarius dictæ monetæ tres denarios Leodienses consuetos a vestris prædecessoribus fabricari, & postmodum dictam monetam vestram ab initio, ut dictum est, diminutam, processu temporis paulatim & latenter diminuistis & defraudastis, in tantum quod denarius qui a vobis pro quinque denariis Leodiensibus fabricatur & currit, ad præsens vix valet unum Leodiensem denarium consuetum. Per quam monetam vestram redditus nostri & ecclesiæ nostræ existentes in denariis, jam sunt ultra dimidium diminuti & in victualibus vitæ necessariis occasione dictæ monetæ lædimur plurimum & gravamur. A quibus injuria & offensa nobis ex dicta mala moneta illatis, requisitus super hoc tamen ex parte nostra desistere non curastis nec curatis, nec cursum ipsius & aliarum malarum & consimilium monetarum in episcopatu Leodiensi prohibere, quæ sunt adeo notoria & manifesta, quod nulla possunt tergiversatione celari. Quapropter præhabita deliberatione diligenti, paternitatem vestram cum instantia requirimus, ut dictas injurias & offensas emenderis infra crastinum octavæ beati Lamberti proxime venturum, quod crastinum accipimus exclusive: alioquin ex tunc contra vos pro præmissis injuriis & offensis cessabimus a divinis. Ad has autem litteras nostras vestræ paternitati præsentandas, dilectos nostros Ægidium *de Selve* S. Materni, & magistrum Johannem de Stabulis parvæ mensæ in ecclesia nostra canonicis, ac Gerardum de Zabuleto clericum, & quemlibet eorum in solidum duximus nostros nuncios deputandos, committentes ex habundanti eisdem & eorum cuibet in solidum, ut ex parte nostra dictas litteras vobis præsentent & legant, exprimant & assignent prædictas injurias & offensas, & a vobis requirant quod eas emendare velitis infra dictum terminum cum intimatione supradicta. In cujus rei testimonium sigillum ecclesiæ nostræ prædictæ præsentibus litteris duximus apponendum. Datum anno Domini MCCXCIX. feria II. prædicta ante festum beati Ægidii. Datum per copiam sub sigillo ecclesiæ Leodiensis ad causas, anno prædicto ante nat. beatæ Mariæ virginis.

DIPLOMA ALBERTI imperatoris pro Leodiensi episcopo.

Ipsi confirmat jus cudendæ monetæ.

NOS ALBERTUS Dei gratia Romanorum rex semper augustus ad universorum Romani imperii fidelium notitiam cupimus pervenire, quod non obstantibus nostris litteris & mandatis aliis vicibus directis venerabili Leodiensi episcopo principi nostro, necnon universis nobilibus militibus officialis, universitatibus civitatis Leodiensis, & oppidorum, Hoyensi, Dyenantensi, S. Trudonis, Tongrensi, Fossensi, Thudinensi, ceterisque omnibusque & singulis in Leodiensi diœcesi constitutis, volumus & mandamus auctoritate præsen-

Anno 1299. Ex ms. Cl. V. domini de Louvrex.

tium declarantes, quod venerabilis HUGO A Leodiensis episcopus prænotatus princeps noster. dilectus in possessione juris vel quasi, qua ipse hactenus fuit & est fabricandi & cudendi monetam in sua diœcesi Leodiensi sic perseveret & permaneat & consistat, ac in ipsa eum permanere volumus & persistere, ac tueri & defendere in eodem, nolentes eidem prædicta nostra occasione mandati sibi & aliis prænotatis directi in jure suo & possessione juris seu vel quasi aliquod omnino præjudicium generari. Verumtamen si super his aliqui fuerint conquerentes, illis coram majestate nostra fieri B volumus justitiæ implementum; præsentium testimonio litterarum sigilli nostri munimine signatarum. Datum Tulli, nonis Decembris anno Domini MCCXCIX. indictione XIII. regni vero nostri anno II.

Eratque præsentibus litteris patentibus sigillum præfati imperatoris, cera virginea in filis sericis rubei coloris subimpendens.

DIPLOMA ALBERTI Romanorum Regis pro Leodiensi episcopo.

Ut possit monetam cudere in pondere & æquivalentia in quibus viciniores episcopi cudunt.

Anno 1299. Ex ms. Cl. V. D. de Louvrex. ALBERTUS Dei gratia Romanorum rex semper augustus universis sacri imperii Romani fidelibus præsentes litteras inspecturis gratiam suam & omne bonum.

Etsi ad omnes imperii Romani fideles munificentiæ nostræ dextram debeamus extendere debitricem, principes tamen veluti columnas egregias, quibus imperii celsitudo potenter innititur, speciali prærogativa nos condecet attollere, & condignis benificentiæ nostræ favoribus ampliare: ea propter nosse volumus universos, quod nos gratæ devotionis obsequia, quæ per venerabilem HUGONEM Leodiensem episcopum principem nostrum dilectum nobis hactenus sunt impensa & impendi poterunt, gratiosa benignius intuentes, & propter hoc cupientes, ut ipse & episcopatus ipsius votivis congaudeant commodis, & augmentis continuis prosperentur, volumus, concedimus, & permittimus, ut idem episcopus monetam quam ab imperio tenet in feodum, cudere, malliare, sive fabricare debeat in sua diœcesi, in æquivalentia & pondere in quibus viciniores episcopi, jus similiter cudendi monetam habentes, cudi faciunt & facient, & etiam malliari, universis præfati episcopi subditis & hominibus episcopatus ejusdem districtius injungentes, quatenus dicta moneta quam præfatus episcopus cudi fecerit pro legali teneatur, & a nullo penitus refutetur, sed potius ab omnibus contradictione cessante cum reverentia admittatur. In cujus testimonium & evidentiam pleniorem præsentes litteras publico nostræ majestatis sigillo communiri fecimus. Datum Tullo, VII. idus Decembris anno Domini MCCXCIX. indictione XIII. regni vero nostri anno II.

LITTERÆ JACOBI REGIS Aragonum, ad Rogerium Bernardi comitem Fuxensem.

Declarat nullam comitatus Urgellensis alienationem ei factam aut faciendam ab Ermengaudo comite absque suo assensu.

JACOBUS Dei gratia rex Aragonum, Valentiæ & Murciæ, comesque Barchinonæ, ac sanctæ Romanæ ecclesiæ vexillarius, ammiratus & capitaneus generalis, viro nobili & dilecto ROGERIO BERNARDI comiti Fuxensi & vicecomiti Bearnensi & Castriboni salutem & dilectionem. Anno 1300. Ex ms. Colbertino.

Intelleximus pro certo, quod vos ex causa alienationis in vos factæ vel faciendæ per nobilem ERMENGAUDUM comitem C Urgelli, intenditis consequi & habere comitatum Urgellensem, quem dictus comes pro nobis tenet ad feudum, & alia bona & castra quæ idem comes pro nobis ad feudum tenet. Unde quia dicti comitatus & alia loca & castra per nos tenentur ad feudum, & res feudalis non possit alienari quoquo titulo alienationis sine voluntate domini, tam de jure, quam secundum usaticos Barchinonenses: vobis denunciamus, quod non placet nobis, quod dictus comitatus & dicta castra & loca alia in vos vel alium D alienentur quocumque titulo alienationis, sine assensu & expressa voluntate nostra: scientes quod si contra hujusmodi contradictionem nostram prædictum comitatum, & alia loca & castra, quæ dictus comes a nobis tenet ad feudum, recepistis vel receperitis, quoquo titulo alienationis factæ vel faciendæ, nos prædictæ alienationi quocumque titulo absque assensu & voluntate nostra factæ seu faciendæ expresse contradicimus & penitus repugnamus. Datum Barchinonæ, IV. nonas Januarii anno Domini MCCXCIX.

E LITTERÆ PHILIPPI IV. regis Francorum ad senescallum Ruthenensem.

Ut subsidia pro bello a suis subjectis levet.

PHILIPPUS Dei gratia Francorum rex, senescallo Ruthenæ salutem. Anno 1300. Ex ms. Colbertino.

Mandamus vobis quatenus subsidium militiæ nostræ a subditis nostris immediate exigatis, prout imposuit dilectus & fidelis

noster clericus P. decanus B. Martini Turonensis, scilicet medietatem ad proximam candelosam, & aliam medietatem ad subsequens festum ascensionis Domini. Ab aliis subditis prælatorum & baronum & terrariorum nihil exigentes, donec aliud a nobis super hæc habueritis in mandatis. Ipsos enim posuimus in sufferentia usque ad Magdalenam suum locum. Item ipsa est forma secundæ litteræ apud Petram-fontem concessæ, cum adjuncto consequenti, & primam misimus domino per Micham die Mercurii post B. Hilarii festum.

Item, ipsos posuimus in sufferentia usque ad parlamentum proximum B. Martini hyemalis: ad quod parlamentum ajornetis ad diem vestræ senescalliæ omnes illos qui venire voluerint contra subsidium supradictum. Datum apud Petram-fontem die sabbati post natale Domini. Istam vero ultimam de Petra-fonte nuncius senescallus Carcassonæ & Bellicadri, & debent eam respondere in nostri absentia dicto senescallo Ruthenensi, quia decanus requisitus eam procuratoribus hujus negotii requisitus recusavit.

TESTAMENTUM BERNARDI comitis Armaniaci & Fezenciaci.

Anno 1302. Ex ms. Colbertino.

IN nomine Domini Dei salvatoris nostri JESU CHRISTI anno ab incarnatione Domini MCCCII. die octavo decimo mensis Maii XV. indictione apud castrum Maris de Scabia, nos BERNARDUS Dei gratia comes Armaniaci & Fesenciaci, dum essemus intentionis transfretandi ad partes Siciliæ cum domino CAROLO regis Francorum filio ac Dei gratia Valesii... comitis, sanus mente & corpore, nulla infirmitate gravatus, sanæ memoriæ, rectæque locutionis existens, consideransque fragilitatis humanæ lubricum vitæque hominum brevitatem & diversa pericula, quæ tam per procellas maris quam guerræ possunt accidere, cum vita hominis quasi flos arens subito finiatur, timentes, quod absit, decedere ab intestato, posse tenus volentes de anima & rebus nostris disponere, præsens condidimus testamentum.

In primis instituimus heredem nostrum universalem in omnibus bonis nostris filium vel filiam, si quem vel si quam domina CECILIA uxor nostra ex nobis gestat in utero; secundum conventiones & pacta inter dominum HENRICUM comitem Ruthenæ, patrem dictæ dominæ uxoris nostræ, ex una parte, & nos ex altera habita, & juramento firmata. Et si contigerit dictam dominam uxorem nostram prolem ex nobis non concepisse vel habere; & si habuerit, & contigerit ipsam prolem infra legitimam ætatem decedere, heredes nostros

A instituimus GASTONEM, ROGERIUM, MARQUAM & MASCAROSINAM fratres & sorores nostros in omnibus bonis nostris, prout eos omnes vel eorum alterum heredem esse jura volunt, & insuper quod Geraldo de *Labbatut* nepoti nostro & primogenito dictæ Mascarosæ sororis nostræ filio terram nostram de Major cum omnibus juribus & pertinentiis suis legamus libere & donamus ultra partem in ceteris bonis nostris contingentem eumdem ratione matris suæ prædictæ.

B Item, volumus & ordinamus, quod testamentum domini GERALDI quondam patris nostri comitis comitatuum prædictorum plene & integre compleatur.

Item, volumus & ordinamus, quod debita nostra solvantur creditoribus nostris, de quibus per instrumenta publica, testes, & alia legitima documenta constabit; & si qui sint, cum quibus notum sit quod fieri habuerimus barancas aliquas, & dicant nos in aliquo debito obligatos esse, volumus quod eis simplici juramento credatur, si forte alias probationes habere non possint.

Item, legamus & disponimus quod here-C dibus Arnaldi Sancii Vistalis solvantur quingentos solidos Morlanenses, quod nos eidem Arnaldo Sancio ratione emtionis unius equi tenemur.

Item, legamus Bertrando de Mairaco XXIV. libras Turonensium parvorum, in quibus Bernardo fratri suo quondam eramus obligati.

Item, legamus & disponimus emendas & restitutiones fieri de nostro ubicumque & quibuscumque inveniantur per nos aut nomine nostro damna vel injurias esse illata, & specialiter ordinamus post æstimationem dam-D norum datorum præmissam, emendari damna data in Vico-veteri in locis videlicet infrascriptis, videlicet apud Montem-calvum, apud locum dictum *La Selve*, apud Claracum, apud Cidriacum, apud Faietum, apud Thonellis, & in aliis locis quibuscumque dictæ terræ & Veteri-vico.

Item, legamus & ordinamus emendari damna data, ut supra, in Nebouzano, videlicet apud Lucusanum, apud *Saet*... Blancatum.

Item, legamus & disponimus emendari damna data, ut supra, ... de Galesio in E guerra regis Franciæ contra regem Angliæ, videlicet apud Marquero.

Item, damna data in Martiano, apud Rocam-Fortium & omnia damna data per nos vel nostro nomine, quibuscumque personis & locis, & ubicumque volumus & disponimus de nostro restitui plene & emendari æstimationem debitam præmissam, ut est dictum.

Item, legamus pro anima nostra & animabus parentum nostrorum quinque millia libras

libras Turonenses, de quibus legamus ecclesiæ & capellano Auxitanensi, ubi eligimus nostri corporis sepulturam, quingentas libras Turonenses, & residuum legamus & disponimus dividi per loca terræ nostræ, & in locis vicinis, in quibus nos transeundo aliquando cum gentibus nostris vel stando damna intulimus, ac per ecclesias, hospitalia, domos leprosorum, & alia loca pia ac etiam pauperes gentes terræ nostræ prædictæ secundum arbitrium executorum nostrorum.

Item, legamus militibus, scutiferis .... clericis solmentariis, & quartonibus hospitii nostri, qui in isto viagio nobiscum sunt, pro servitio nostro laborant, associatis eis Fortionerio... de Sineraco & Fomo-lubaro domicellis, ac Odone de S. Paulo clerico, quamvis in isto viagio non sint, duo millia libras Turonenses dividendas inter prædictos milites domicellos, clericos, solmentarios, quartones per manus executorum nostrorum.

Item, disponimus & legamus ex prædictis primo & completis, quando præmisimus dominæ SIACHÆ comitissæ Armeniaci & Fesenciaci matri nostræ castrum seu locum nostrum vocatum Castollacium de Binenco, & locum nostrum vocatum *Valence* prope Fluriacum, & etiam factum de Moissacio, ut habeat usum fructum in locis prædictis in vita sua, ultra illud quod dominus GERALDUS pater noster quondam legavit ei in testamento suo.

Item, legamus, disponimus, & assignamus dominæ CECILIÆ uxori nostræ prædictæ in vita sua loca, castra, videlicet castrum de Lavardenciis, Podium, Secutum, Rocam, Lauram, Bastidam de Barrano, & factum nostrum Auxitanum usque ad valorem mille librarum Turonensium: super quibus omnibus erogandis & dispensandis & adimplendis, prout supra præmittitur, constituimus & ordinamus epitropos, & fideicommissarios, ac executores, & distributores prædicti testamenti nostri reverendum patrem dominum AMENEVUM archiepiscopum Auxitanensem, nobiles viros dominum HENRICUM comitem Ruthenæ, dominum BERNARDUM comitem Convenarum, religiosos viros magistros Bernardum de Marciaco, & Petrum de Bordatio canonicos ecclesiæ Auxitanensis, & discretum virum Arnaldum de *Lanardes* clericum nostrum: ita tamen quod si ad exequendum testamentum prædictum omnes præsentes esse non poterant, quatuor aut tres eorum qui præsentes fuerint, prædictum testamentum nostrum totaliter exequantur, tamquam omnes præsentialiter interessent: quod quidem testamentum nostrum si non valuerit jure testamenti, volumus quod valeat jure codicillorum, vel cujuslibet alterius ultimæ voluntatis: ita quod præmissa omnia, ut superius legitur, totaliter impleantur. In cujus rei testimonium perpetuamque firmitatem duo, tria similia scripta expediri, fieri rogamus per manus Addæ de Rogatis publici prædictorum Terræ & Castri-maris notarii signo suo signata: quorum unum penes nos retinere volumus, aliud penes Rainaldum clericum nostrum retinendum sigillo nostro proprio quo ad præsens utimur, & subscriptorum testium subscriptionibus roboratum, & memorati sumus nos prædictus comes, & circa executores prædictos volumus & ordinamus, quod prædictus dominus archiepiscopus & comites antedicti, sicut principales executores prædicti testamenti nostri: alii vero tres prædicti volumus, ut sicut administratores, & quod unus prædictorum principalium executorum cum illis tribus administratoribus exequi totaliter possit testamentum nostrum prædictum, si alii omnes principales prædicti præsentes esse non possent, ac si omnes præsentialiter interessent. Quod scripsi ego prædictus Addam publicus prædictus terræ Castri-maris notarius de mandato prædicti domini comitis, qui rogatus interfui, & nostro signo signavi.

LETTRES DE NON PREJUDICE de la ville d'Arras pour une aide à elle accordée pour le fortification d'icelle ville.

Anno 1303. Ex cartario Vedastino.

JOu maires, nous eschevins & toute li comunités de la ville d'Arras, faisons savoir à tous ceux qui ces presentes lettres verront, que come pour le presente guerre du roy de France encontre les Flamens, pour la seureté de la ville d'Arras, nous eussiens ledite ville enforchié, si comme des murs & des crestiaux de ledite ville refaire, & enforcier des portes gariter & warnir, & pour faire voies & alées entour les murs as crestiaux, as tours, & as deffenses de le ville, pour ledite ville warder & deffendre encore contre les anemis, asquels coses faire & retenir, nous aviens eu grans couls & grans frais. Et pour ce que li maisons & li eglise de S. Vaast d'Arras sont dedans les murs & le forteresse de ledite ville, & grant partie des biens & des rentes de ladite esglise, pour lequel cose nous eussiens requis à l'abbé & au convent de ladite eglise de S. Vaast, que des couls & des frais que nous aviens mis as ouvrages desdites forteresses, ils en voulsissent payer & faire aide de douleur, selonc le quantité de ce qu'il ont dedens les murs & le forteresse de leditte ville, & lidit abbé & convens ayent payé & aidié à nostre requeste, ou non desdits ouvrages la somme de seze vingt livres

de Paris. Sachent tous que nous recognissons & voulons que li payement & li ayde que lidit abbé & convent ont fait de ladite somme d'argent à no requeste, ou nom desdis ouvraiges, si comme dit est, ne porte ce, ne ne puist porter prejudice en temps à venir à ladite eglise de S. Vaast, ne à le ville d'Arras devant ditte. Et ou tesmoignage, & en le fermeté de ce nous avons baillie al devant dit abbé & convent de ledite eglise de S. Vaast ces presentes lettres scellées de no seel, données l'an de grace MCCC. & trois ans.

BENEDICTI PAPÆ XI. epistola ad Philippum regem Francorum.

Absolutum a censuris paterne monet, ut resipiscat.

Anno 1304. Ex ms. Stabulensi.

BENEDICTUS episcopus servus servorum Dei carissimo in Christo filio PHILIPPO regi Franciæ illustri S. & A. B.

Quanta nos, fili carissime, ad tui directionem sollicitudo impulerit pastoralis officii, quantave paternæ pietatis dilectio ad salutem tuam super te viscera mansuetudinis nostræ commoverit, absolutio quam tibi nuper absenti & non petenti ab omnibus excommunicationum sententiis, quibus ex quacumque causa forsitan tenebaris adstrictus, in tuorum nunciorum præsentia te in benedictione dulcedinis prævenientes, manifestat. Id, ne sanguis tuus de nostris requiratur manibus, fecisse lætamur. Id egisse non pœnitet, & quod plus est, illudque facere debebamus. Sumus namque illius vicarius, qui dixit hominem illum, qui fecit cœnam magnam servo suo, dixisse: *Exi in vias & sepes, & compelle intrare, ut impleatur domus mea.* In hoc parabolam illam implevimus, secundum quam habens centum oves, relictis nonaginta novem in deserto, vadit ad illam quam deviasse putabat, donec inveniat eam, & inventam ponit in humeros suos gaudens. Numquid igitur, etiam si nolles, non te cogemus intrare? numquid tantam ovem quanta tu es, sicut nobilem, præcipuam & præclaram relinquimus, quin impositam nostris humeris reducamus? absit quod in nobis sit negligentia talis, absit omissio talis: nempe si corporum medici quandoque inviti apponunt medicamenta salutis, quanto magis nos qui animarum curam omnium dominica dispensatione suscepimus, hæc implere tenemur? Porro quis superbus episcopum Urbis & orbis de humilitate redarguet? Quis superstitiosus eum cui scriptum est, sanctitas ignoscendi gloriam dereliquit, si indulget, reprehendet? Quis præterea adeo rigidus tam salubrem clementiam in sua contineat ira vel sævitia condere? certe nullus qui pacem diligat, qui quietem subjectorum desideret, & ecclesiæ tranquillitatem exquirat. Hanc igitur nostram, immo Dei, cujus in terris legatione fungimur, devote velut obedientiæ filius gratiam suscipe, humilis sicut prudens ex ea efficere, patri crede te, & ad obedientiam matris ecclesiæ tibi salutiferam & honorabilem te converte: firmissime sperans, quod a te nihil aliud quam tuam salutem & regni tui gloriam affectamus. Considera, fili, quod Joas rex Juda gloriosus vixit & recte conversatus est, donec consilio & doctrina Joiadæ summi sacerdotis est usus, quo cessante, ignominia affectus est & occisus gladiis suorum propriorum occubuit. Ausculta ergo patrem tuum, & in ejus parabolas tuas aures inclina. Sic Deo propitio tuum stabilietur regnum, & gloriaberis in terra sublimis. Ideo nuntios tuos læti recepimus, & litteras tuas libenter vidimus, quas nobis iidem nuntii ex parte tuæ celsitudinis præsentaverunt. Data Romæ apud S. Petrum, nonis Aprilis, pontificatus nostri anno I.

DIPLOMA PHILIPPI PULCHRI concessum ecclesiæ sancti Quintini in insula.

[a] Anno 1304. Ex cartario S. Quintini in insula.

PHILIPPUS (a) Dei gratia Francorum rex. Notum facimus universis tam præsentibus quam futuris, quod nos præoblatam liberalitatem nobis faciendam ex parte religiosorum virorum ..... abbatis & conventus monasterii S. Quintini in insula, Noviomensis diœcesis, pro præsentis exercitus Flandrensis subsidio, ad defensionem regni nostri gratam & acceptam habentes, gratiosius tenore præsentium ipsis duximus concedendum.

Primo quod nos in instanti festo omnium sanctorum faciemus cudi & fabricari monetas valoris ejusdem & ponderis, quorum erant illæ quæ tempore beati LUDOVICI quondam regis Francorum avi nostri currebant, & inter dictum festum & subsequens festum resurrectionis dominicæ faciemus paulatim cursum minui monetarum, quæ in monetagiis nostris cuduntur ad præsens, prout consultius fuerit faciendum: ita quod in dicto festo resurrectionis Domini vel circa, prædictis novis monetis habere faciemus cursum.

II. Item, quod omnia conquesta ab ipsis ecclesiarum suarum nomine a tempore retroacto usque ad tempus concessionis hujusmodi in feodis & retro feodis nostris aut subditorum nostrorum, in quantum ad nos spectat, tenere possint perpetuo absque

(a) Privilegium fere simile ab eodem Philippo rege & eadem occasione concessum Remensi archiepiscopo & ejus suffraganeis edidimus tom. 1. Anecdot. pag. 1339.

coactione vendendi, vel extra manum ponendi, aut financias præstandi nobis pro eisdem.

III. Item, similiter, quod possessiones quas pro ecclesiis & cimiteriis ecclesiarum parochialium fundandis de novo vel ampliandis intra vel extra villas non ad superfluitatem, sed ad convenientem necessitatem acquiri continget, vel jam fuerint acquisitæ de cetero apud ecclesias perpetuo remaneant, absque coactione vendendi vel extra manum ponendi aut præstandi nobis financiam pro eisdem, & quod possessionum hujusmodi possessores ad eas pro justo precio dimittendas, possint mediante coactari.

IV. Item, quod bona mobilia ecclesiasticarum personarum, clericorum clericaliter viventium non capientur vel justitiabuntur in aliquo casu per justitiam sæcularium.

V. Item, advocationes & recognitiones novæ quæ ab ecclesiarum subditis fuerint, nullatenus admittentur, & factas de novo faciemus penitus revocari.

VI. Item, quod prætextu guardiæ antiquæ in personis ecclesiasticis non impedietur ecclesiastica vel temporalis jurisdictio prælatorum.

VII. Item, quod baillivi & alii officiales nostri teneantur jurare, quod mandata sibi facta & facienda per litteras nostras pro ecclesiis & personis ecclesiasticis absque difficultate fideliter exequantur.

VIII. Item, quod non impedientur neque inquietabuntur ecclesiæ super possessionibus sive reditibus emptis vel emendis in feodis & retrofeodis aut censivis suis, in quibus hujusmodi altam & bassam habent justitiam, quin possessiones & reditus taliter adquisitos perpetuo tenere valeant absque coactione vendendi, vel extra manum ponendi, ac nobis præstandi financias pro eisdem.

IX. Item, quod tollantur gravamina eis per gentes nostras illata, ac nostra jam concessa statuta serventur, & ea ballivi nostri jurare tenebuntur se firmiter servaturos.

X. Item, quod si decimam vel aliud onus ad opus nostrum per Romanam ecclesiam prælatis prædictis & aliis personis ecclesiasticis durantibus terminis solutionum decimarum nobis concessarum vel concedendarum, ab eisdem, ut præmittitur, imponi contingat, vel jam impositum existat, decimarum ipsarum & decimæ seu alterius oneris per dictam Romanam ecclesiam concedendarum vel concessarum solutionum termini non concurrant, similiter nec ipsi qui nobis deberent exercitum, tenebuntur ad eumdem mittendum seu se redimendum pro exercitu præsenti.

XI. Item, quod non est intentionis nostræ, nec volumus quod prætextu exactionum quarumlibet in terris dictorum prælatorum ex parte nostra pro necessitate guerrarum factarum a personis subditis vel justitialibus sibi de consuetudine vel de jure eis vel ecclesiis aut personis aliquod generetur præjudicium vel novum jus nobis propter hoc acquiratur, sed in eisdem libertatibus & franchisiis, in quibus ante guerras inceptas erant, legitime perseverent.

XII. Item, quod ad opus garnisionum nostrarum bona eorum vel subditorum suorum eis invitis nullatenus capientur.

XIII. Item, quod impedimenta & gravamina quæ in feodo prælatorum prædictorum ponuntur amoveri debite faciemus.

XIV. Item, quod nihil occasione subventionis noviter nobis concessæ levabitur ab hominibus ecclesiarum de corpore seu in manu mortua de alto & basso ad voluntatem taillabilibus, & si aliquid ab eis hoc anno pro subventione exercitus præsentis levatum sit, vel levari contingat; in ecclesiis hujusmodi de præstando ab eis subsidio deducetur.

XV. Item, quod subsidium illud juxta concessionis ipsius tenorem per prædictos prælatos seu auctoritate ipsorum levabitur nobis, suggerentibus nostris ad hæc deputatis instantibus, quatinus assignand.... Et insuper quod pro gravaminibus sibi aut ecclesiis suis, personis ecclesiasticis illatis corrigendis; de quibus liquebit auditores non suspectos eisdem, cum requisiti fuerimus, concedemus, qui vice nostra ceteris complementum justitiæ super hoc promte & fideliter exhibebunt. In cujus rei testimonium præsentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Actum Parisius, quinta decima die mensis Junii, anno Domini millesimo trecentesimo quarto.

WALRAMI COMITIS DE KESSEL litteræ pro monasterio Gladbacensi.

Guillelmo abbati & ipsius fratribus injustum thelonium remittit ac pro illatis injuriis satisfacit.

NOs WALRAMUS DE KESSEL & dominus de *Bruche*, universis tam præsentibus quam futuris, quibus præsens scriptum videre contigerit, salutem & agnoscere rei veritatem. Hinc est quod profitemur & protestamur in his scriptis, quod telonium in parochia nostra de *Gladbach* in proprietate B. Viti martyris injusto modo constituimus, ac ibidem injuriose & non recto modo recepimus. Ob quam rem dictum thelonium æternaliter revocamus, dictum vero D. WILHELMUM abbatem ejusdem loci, cum omnibus monachis suis universis humiliter exhortamur & deprecamur, ut Dei intuitu & amore virginis Mariæ de omni

Anno 1304. *Ex ms. Gladbacensi.*

injuria & damno per nos eis illato, puro corde & mente effestucare velint. Item, mansionem ibidem per nos factam in manus vestras resignamus & supportamus, ut post nostrum obitum, cum eadem mansione, quia non recto modo dictam mansionem in vestro puro allodio nos noscimus possidere. Itaque omnia quæcumque vestræ placuerint voluntati cum dicta mansione poteritis adimplere. Item, proximam domum dictæ mansioni coadjacentem quam rationabiliter pro nostra palude in parochia de *Gladbach* situata, & nobis in divisione paludis per parochianos ibidem dato B. Vito martyri ac suis monachis animo benevolo legavimus atque legamus in remissionem omnium peccatorum nostrorum. Actum & factum & constitutum in castro de *Bruckgen* in præsentia CATHARINÆ uxoris nostræ legitimæ & fratris JOHANNIS prioris in *Bruckgen* religiosi viri testamentarii nostri, Johannis pastoris in *Alderode* consanguinei nostri, Petri notarii de Gladbacho, anno Domini millesimo trecentesimo quarto in die Lucæ evangelistæ.

EPISTOLA PHILIPPI IV. regis Francorum ad G. comitem Hannoniensem.

Permittit ei pacem inire cum Flandris.

Anno 1306 *Ex Hasnoniensi cartario dominorum de Avesnis.*

PHILIPPES par la grace de Dieu rois de France, à nostre amei & faial G. comte de Haynau salut & bon amour.

Entenduë vostre requeste sur le traitié de l'accort d'antre vous & chiaus de Flandres, nous qui desirons moult vostre boin estat & votre boine pais, voulons que vous sachiez que il nous plaist & est nostre volontei, que vous prengniez triuves, abstinences, ou suffrance de guerre, & faschiez à iauls boin traitié, boine pais, & boin accort en ce qui touke vous & ieuls. Car nous avons ferme esperance, que en ce & en tous autres cas vous volez garder & garderez nostre honneur & nostre droit. Donné à Becoysel le samedi après la feste S. Martin d'esté, l'an de grace MCCC. & six.

CARTA PHILIPPI IV. REGIS

De moneta episcopi Meldensis.

Anno 1307. *Ex cartario Meldensi.*

PHILIPPUS Dei gratia Francorum rex, universis præsentes litteras inspecturis salutem.

Notum facimus, quod super monetagio & cursu monetæ, quos dilectus noster NICOLAUS Meldensis episcopus, per se & ejus prædecessores, nomine ecclesiæ suæ Meldensis, se habere dicebat, plenius informati; eumdem de dicta moneta & cursu A ipsius recepimus in nostrum homagium: præsentes sibi in hujus rei testimonium concedentes, dantesque omnibus nostris subditis & justitiariis eisdem præsentibus in mandatis, quatenus præfatum episcopum ad modum prædecessorum suorum moneta sua & ejus cursu gaudere pacifice, prout ad eorum quemlibet pertinuerit permittentes, ipsum a modo in prædictis aliquatenus non impediant aut perturbent. Actum apud Pontisaram, prima die Septembris, anno Domini MCCCVII.

B CONCORDIA inter Theobaldum episcopum Leodiensem & Egidium *Bertout.*

De juribus villæ Mechliniensis.

Ex ms. Cl. V. Baronis de Crassier.

UNiversis tam præsentibus quam futuris præsentes litteras inspecturis, THEOBALDUS Dei gratia Leodiensis episcopus, salutem, & eorum quæ sequuntur cognoscere veritatem.

Cum pax sive concordia inita sit & ordinata inter nos ex parte una, & nobilem virum Ægidium *Berthout* ex altera, super juribus villæ Machliniensis, in cujus pacis or- C dinatione expresse concessum extitit per venerabiles viros præpositum, decanum, archidiac. totumque capitulum nostræ majoris ecclesiæ Leodiensis, & consilium; consensum pariter & assensum nobilium nostrorum scilicet militum, armigerorum, necnon consilium bonarum villarum nostri episcopatus prædicti, secundum tenorem & formam super dicta pace in testimonium veritatis per alterutram partem confectam & signatam sigillo nostro dicti capituli, & Ægidii *Berthout* prænotati, cujus pacis forma D ab initio usque ad finem de verbo ad verbum sequitur in hunc modum.

UNIVERSIS præsentibus & futuris ad quos præsentes litteræ pervenerint, THEOBALDUS Dei gratia Leodiensis episcopus salutem, & cognoscere veritatem. Noverint universi & singuli, quod cum dissentio fuisset inter nos ex una parte, & Ægidium dictum *Berthout* de *Malines* ex altera, occasione jurium in villa Machliniensi: tandem pro bono pacis, & de consilio proborum videlicet capituli nostri Leodiensis, E militum & bonarum villarum nostri episcopatus, concordatum est inter nos & dictum Ægidium in modum qui sequitur. Videlicet, quod *Heevere*, *Mursinies*, *Hombcke*, *Heest*, *Hessene*, *Nulandt*, & *Necherspoele* & dictarum villarum appenditia sunt & erunt in perpetuum sub dominio & jurisdictione episcopi & ecclesiæ Leodiensis, sicut est Machlinia, & judicio scabinorum villæ Machliniensis in omnibus negotiis, quæ judicium requirunt, & erunt ex nunc inantea

sub libertate, judicio, & lege Machlinienf. nec erunt alii judices in prædictis villis, præter scabinos Machlinienses, & mediante ista ordinatione omnes excessus, emendæ, obventiones & commoda, quæ proveniunt & provenire poterunt ex judicio vel alias in villa Machliniensi, & in aliis villis prædictis ac eorum appenditiis, sive ex causa judiciaria, sive libertatis vel jurium, aut alio quocumque modo erunt, coram & æqualiter dividentur pro æquis portionibus inter nos, & Ægidium *Berthout* antedictum, salvis juribus villæ prædictæ, prout scabini villæ Machliniensis conservant. Præterea omnes redditus qui nobis episcopo, ac Ægidio *Berthout* prædictis, cedunt in dictis locis ac eorum appenditiis, erunt communes & æqualiter hereditarie dividentur inter nos & Ægidium *Berthout* prædictum, nec potest alter nostrum aliud penitus acquirere in dictis locis, nisi interveniat utriusque consensus. Et si quid alter sine consensu alterius acquisierit, erit commune inter nos. Insuper villicus noster qui scultetus vocatur, habet instituere scabinos in fidelitatem, quandocumque necesse fuerit, nobis tamquam domino, ac Ægidio *Berthout* pro jure suo, quod tale est. Videlicet quod in omni casu, super quo villicus noster monebit scabinos, qui super omnibus casibus qui ad judicium scabinorum spectant, potest & debet eos monere, statim post monitionem dicti nostri villici, famulus Bertholdi potest ipsos monere, si velit, super eodem casu, si præsens fuerit, & non alio modo, nisi contingeret quod villicus noster in justitia prosequenda esset negligens vel remissus; in quo casu famulus Bertholdi potest requirere villicum nostrum per tres dies placitorum, præsentibus scabinis, quatenus super illo casu moneret scabinos, & faceret justitiam. Et si villicus noster hoc facere recusaret vel nollet, ex tunc famulus Bertholdi super illo casu potest monere scabinos, & deberent scabini de illo casu judicare, ad monitionem ipsius, salvo jure nostro in emenda, si qua ad judicium pertineret. Et si tunc famulus Bertholdi in continenti monere negligeret, semper villico nostro monitio reservatur, ad quem semper spectat monitio super omni casu, & ad cujus monitionem semper scabini judicare tenentur. Præterea si contingeret bellum insurgere, vel rixas moveri in prædictis locis ubi villicus noster præsens non fuerit, si famulus Bertholdi superveniat, nec sit ibi aliquis loco villici, potest audire querimonias, indicere treugas, arrestare malefactores, & eos ducere in prisionem, quæ est in villa ubi alii malefactores debent tractari per monitionem nostri villici & judicium scabinorum, secundum quod in aliis casibus superius est expressum. Et quidquid dictus Bertholdus tenet & tenebit, ac ejus heredes seu successores in dictis locis tenet & tenebit ipse ac ejus successores a nobis & nostris successoribus in feudum, tamquam homo noster ligius, seu nostrorum successorum episcoporum Leodiensium, qui erunt pro tempore. Et ut omnia prædicta firma stabilitate consistant, nos episcopus prædictus de consensu & voluntate capituli nostri ecclesiæ Leodiensis, promittimus bona fide, quod, quocumque casu contingente, in perpetuum nos & nostri successores non permutabimus, obligabimus, alienabimus, donabimus, vel vendemus ad tempus vel hereditarie villam Machliniensem, ejus appenditia seu jura ad nos pertinentia in dictis locis, in toto vel in parte, & conservabimus villam Machliniensem in libertate & francisia, qua tenemus & tenere debemus alias bonas villas nostri episcopatus, salvis juribus villæ Machliniensis, prout ea conservant scabini dicti loci, & in quantum poterimus eos defendere & eis assistere, nec sustinebimus quod eis aliqua impedimenta vel injuriæ inferantur.

Et nos Ægidius *Berthout* prædictus, recognoscimus omnia supradicta pro nobis & nostris successoribus, & ea rata habemus, & consentimus ordinationi prædictæ, promittentes bona fide pro nobis & nostris successoribus pacem & ordinationem superius expressas, & prout in litteris præsentibus continentur, in perpetuum inviolabiliter observare.

Et nos episcopus prædictam compositionem, nihilo plus, concedimus Bertholdo de jurisdictione & dominio & de accessionibus ad ea in dictis locis, quam verba expressa in ipsa compositione posita significant.

Et nos Bertholdus & omnes nostri successores levabimus feudum nostrum ab episcopo, jurabimus quod in dictis locis de jurisdictione & dominio & de accessionibus ad ea non petemus nec occupabimus per nos & per alium seu alios ultra id quod per verba expressa in hac ordinatione posita nobis conceditur. Promittimus etiam nos Bertholdus pro nobis & nostris successoribus bona fide, quod in perpetuum, quocumque casu contingente, jus nostrum quod habemus in villa Machliniensi & ejus appenditiis, mediante compositione prædicta, non vendemus, obligabimus, a[illegible]bimus, donabimus, permutabimus in [illegible] vel in parte, hereditarie vel ad tempus, quin directe ad nostros heredes post nostrum obitum devolvatur. Et istam ordinationem pacis jurabimus nos & nostri heredes, prout in litteris præsentibus continetur, fideliter observare, quotiescumque prædicta jura nos contingeret relevare a domino nostro Leodiensi episcopo, qui erit pro tempore. Quæ omnia jura prædicta tam nos quam omnes

heredes nostri debemus tenere in feudum ligium a dicto domino nostro Leodiensi episcopo, & aliis episcopis qui pro tempore ecclesiæ Leodiensi succedent. Et si contingeret nos vel nostros heredes obligare seu alienare jura nostra in dicta villa Machliniensi, vel ejus appenditiis, prout dictum est, nos recognoscimus pro nobis & nostris successoribus, quod eo ipso feudum prædictum committeremus, ita quod ex tali obligatione seu alienatione nullum jus in alium transferretur.

Et nos Theobaldus episcopus Leodiensis prædictus, quia prædictam pacem firmam & stabilem manere volumus in perpetuum, sigillum nostrum præsentibus litteris una cum sigillo capituli ecclesiæ nostræ Leodiensis duximus apponendum.

Et nos præpositus, decanus, archidiaconus, totumque capitulum majoris ecclesiæ Leodiensis approbamus, gratam habemus pacem & ordinationem prædictas, & in eas consentimus, secundum quod præsentibus est expressum, & eas firmiter promittimus in perpetuum observare. Propter quod sigillum ecclesiæ nostræ una cum sigillo reverendi patris domini nostri Leodiensis episcopi præsentibus est appensum.

Et nos Ægidius *Berthout* prædictus, quia prædictam ordinationem pacis volumus in perpetuum inviolabiliter observari tam a nobis quam a nostris successoribus, præsentibus litteris sigillum nostrum, una cum sigillis prædictorum domini episcopi & capituli duximus apponendum.

Et nos magistri communitatis, scabini, jurati, consilium & tota communitas villæ Machliniensis, de voluntate & ad requisitionem domini nostri episcopi Leodiensis & capituli, ac Ægidii *Berthout* prædictorum, gratam habemus dictam pacem, seu ordinationem, ac in eas consentimus, & promittimus bene & fideliter observare & facere observari, tam a singulis nostrum, quam ab Ægidio *Berthout*, ac ejus heredibus memoratis, & singulis annis jurabimus, quando de novo constituemus ad consilium villæ, nos præsentem ordinationem firmiter observaturos, & facere observari, prout superius est expressum.

Et nos episcopus prædictus de consensu capituli Leodiensis promittimus bona fide pro nobis & nostris successoribus Bertholdo sicut legio fideli nostro, ac villæ nostræ Machliniensi præstare auxilium contra quoscumque, & in quibuscumque, pro defensione jurium eorum.

Et nos Ægidius *Berthout* pro nobis & heredibus nostris; nos etiam magistri communitatis, scabini, jurati, consilium ac tota communitas villæ Machliniensis promittimus bona fide pro nobis & nostris successoribus præstare auxilium contra quoscumque & in quibuscumque necessitatibus ipsi episcopo tamquam domino nostro ecclesiæ Leodiensi, pro defensione jurium eorum, & quantum ad auxilium, tam in pugnando, quam defendendo, præstando contra quoscumque adversarios ecclesiæ Leodiensis, seu villæ Machliniensis prædictæ. Nos Ægidius *Berthout* prædictus & nostri successores minime poterimus excusari occasione alicujus feudi a quocumque alio domino relevati seu relevandi; vel nos Machlinienses occasione consuetudinis, marchiæ seu confinii habitarum cum vicino domino, secundum possibilitatem situs nostri, quam debet videre dominus noster episcopus imminente guerra cum capitulo suo, militibus, consilio villæ nostræ Machliniensis, ac aliarum bonarum villarum episcopatus, vocatis & congregatis in capitulo ecclesiæ Leodiensis prout moris est, & debemus stare ordinationi eorum, pensatis & consideratis situ & possibilitate prædictis.

Et nos magistri communitatis, scabini, jurati, consilium, ac tota communitas villæ Machliniensis prædictæ, ad requisitionem prædictorum domini nostri episcopi, capituli, & Ægidii *Berthout*, ad majorem stabilitatem prædictarum ordinationis & pacis, præsentibus litteris sigillum nostræ communitatis, una cum prædictis sigillis duximus apponendum.

Et nos prædicti episcopus, capitulum, Ægidius *Berthout*, & communitas villæ Machliniensis rogamus nobilem virum Arnoldum comitem de *Loss* & de *Chingney*, quatenus sigillum suum velit apponere præsentibus in testimonium veritatis. Et nos Arnoldus comes de *Loss* & de *Chingney* prædictus, ad requisitionem prædictorum, sigillum nostrum præsentibus litteris una cum prædictis sigillis duximus apponendum. Datum anno Domini millesimo trecentesimo septimo, feria sexta post festum beati Peati ad Cathedram.

Cumque nos, sicut proborum interest, ordinationem dictæ pacis in qua alias expresse consensimus, ut est dictum, tenere & inviolabiliter observare, & observatam in perpetuum remanere velimus, affectemus & cupiamus, prout promisimus & debemus præcipue ob urgentem, probabilem, eminentem & verisimilem necessitatem villæ nostræ Machliniensis prædictæ, extra nostram diœcesim infra Brabantiam situatæ, hujusque conditionis, quod homines ejusdem necesse habent cum suis familiis & mercaturis eorum, & mercandisiis suis exercendis, quasi per totas mundi partes multifarie circuire, sine cujus pacis perseveratione & consummatione villa nostra prædicta, & homines ejusdem in statu prospero & tranquillo permanere non possent. Nos affectantes & volentes, ob utilitatem & commo-

dum ecclesiæ nostræ, patriæ & villæ Machliniensis, ut est dictum, procedere secundum formam dictæ pacis præconceptam, & sigillis prædictis consignatam, ut est dictum, volumus & consentimus expresse formam pacis prædictam in perpetuum firmiter observari. Et ad majorem munitionem & stabilem securitatem de præmissis absque aliquo modo contraveniendi in posterum, præsentes litteras sigilli nostri appensione roborari fecimus.

Et nos Ægidius *Berthout* supradictus, quoniam formam pacis prædictam sigillo nostro signavimus, a præmissis resilire nolentes, volumus dictam pacis ordinationem semper firmiter observare, & a nostris heredibus seu successoribus in perpetuum observari, & in munimen & stabilitatem præmissorum absque aliquo modo contraveniendi per nos vel heredes, aut successores nostros, præsentibus litteris sigillum nostrum una cum sigillo domini nostri episcopi supradicti duximus apponendum.

Et nos Theobaldus episcopus & Ægidius *Berthout* prædicti, ad majorem securitatem & perpetuam stabilitatem, de præmissis requirimus & rogamus dilectos & fideles nostros magistros communitatis, scabinos, juratos, consilium, ac totam communitatem villæ Machliniensis prædictæ, quatenus dictam pacem secundum formam prædictam firmiter & inviolabiliter observent, & jurent in perpetuum observari, quodque sigillum suum commune, una cum nostris sigillis præsentibus apponant. Nos autem magistri communitatis, scabini, jurati, consilium ac tota communitas villæ Machliniensis, ad requestam domini nostri episcopi & Ægidii *Berthout* prædictorum, laudamus & approbamus formam pacis prædictam, & promittimus dictam pacem tenere firmiter & observare, & juvare pro posse nostro observari. Et in horum testimonium sigillum nostrum commune una cum sigillis prædictis, præsentibus litteris duximus apponendum. Datum anno Domini millesimo trecentesimo octavo, in crastino festi beati Andreæ apostoli.

Communia villæ Mechliniensis.

Universis tam præsentibus quam futuris præsentes litteras inspecturis, Ægidius *Berthout* de Machlinia salutem, & eorum quæ sequuntur agnoscere veritatem.

Cum pax sive concordia ordinata sit & adepta, inter A. patrem & dominum meum Theobaldum Dei gratia Leodiensem episcopum ex parte una, & nos ex altera, super juribus villæ Machliniensis & appenditionem ejusdem de consilio proborum videlicet virorum venerabilis præpositi, decani, archidiaconorum, totiusque capituli majoris ecclesiæ Leodiensis, nobilium etiam, scilicet militum armigerorum episcopatus Leodiensis, consulumque bonarum villarum episcopatus ejusdem, necnon proximorum & amicorum nostrorum, secundum quod in litteris super ordinatione & reformatione pacis prædictæ confectis, plenius continetur. Et dominus noster episcopus supradictus, villæ Machliniensi prædictæ, ad corroborationem & immunitatem libertatum ejusdem, quædam privilegia & munimenta indulgendo concesserit, prout in litteris suo sigillo sigillatis super hoc confectis vidimus plenius contineri. Quorum privilegiorum articuli, prout in litteris continetur eisdem, de verbo ad verbum, in modum qui sequitur, subsequuntur.

Videlicet, quod dicta villa Machliniensis de cetero habeat in perpetuum communiam, duos magistros communiæ, plenum bancum sive sedem duodecim scabinorum, quodque nemo simul judex esse valeat & scabinus.

Item, duos rectores de opere seu officio lanificii, & septem juratos, qui idem opus seu officium adjuvent gubernare. Item quatuor juratos de singulis officiis dictæ villæ. Qui magistri scabini, rectores & jurati amoveri debent, & alii eorum loco eligi annis singulis, infra octavas assumtionis beatæ Mariæ in medio Augusti, per commune consilium communitatis ejusdem, excepto sex de duodecim scabinis longius per unum annum durabunt.

Item, magistri communiæ potestatem habebunt jus communitatis servandi, & eorum injuriam defendendi, in his quæ ad jus commune pertinent, ubi & a quibus injuriam eis contigerit irrogari.

Item, nulla confraternitas, neque guida, neque aliquod singulare signum de ipsis, nisi sola communitatis confraternitas, in Machlinia esse poterit & debebit.

Item, de duodecim scabinis eligendis, ut dictum est, quando consilium communitatis mutatur, sex amoveri, & sex remanere debebunt, & in anno sequenti, illi qui per duos annos in scabinatu permanserant, amoveri debebunt, & eorum loco sex alii subrogari. Et sculteus episcopi in Machlinia, domini sui vice, sic electis juramentum fidelitatis imponet, & recipiet ab eisdem: & amoti scabini infra duos annos post eorum amotionem, ad scabinatum non poterunt promoveri.

Item, omnia delicta & omnes excessus debent judicari, corrigi & puniri secundum sententiam scabinorum.

Item, quidquid scabini per sententiam judicaverint, debent stabilitatem & firmitatem habere & nulla contradictione obstante, executioni debite demandari.

Item, quicquid scabini per litteras suis sigillis sigillatas, vel oretenus testantur se vidisse, & tamquam scabinos interfuisse,

firmitatem habebit & faciet plenam fidem.

Item, dicti scabini, si desiderant & necesse habuerint in aliquo casu, poterunt recurrere ad caput suum scabinos Leodienses, absque contradictione quacumque.

Item, nullus justitiarius debet interesse testium depositionibus audiendorum per scabinos, nisi quoad hoc tantum, quod faciat & videat eos jurare de veritate dicenda.

Item, nullus foraneus poterit ferre testimonium contra aliquem de burgensibus Machlinienfibus, super aliquo facto accidente infra terminos francisiæ, seu immunitatis villæ prædictæ.

Item, duo rectores lanificii potestatem habebunt monendi septem juratos ejusdem officii, super omnibus excessibus contingentibus circa idem officium, & circa omnia quæ ad illud officium pertinent, & ipsi curati supra hujusmodi judicabunt, & super hoc scabini Machlinienses erunt capita eorum. Et si ipsi rectores requirant a sculteto auxilium, hoc idem scultetus impendere debebit eisdem, quia medietatem emendarum seu proventuum forefactorum ejusmodi, dominus, & aliam medietatem ipsi rectores levabunt, ad dictum officium in suo jure servandum.

Item, prædicti jurati de omnibus officiis communiæ, rectores lanificii, & eorum septem jurati interesse debent cum scabinis omnibus consiliis scabinorum, in omnibus dictæ villæ negotiis, & utilitatibus, exceptis tractatis & consiliis tangentibus sententiam scabinorum, nisi scabini eos desiderent interesse.

Item, consilium dictæ villæ potestatem habebit omnia statuta villæ, quæ vulgariter *Cocren* nominantur, statuendi, ordinandi, augmentandi, minorandi, corrigendi etiam & mutandi, pecuniam recipiendi ad opus villæ suæ, sive sit in assisiis, sive in vendendis redditibus quoad vitam, redditus acquirendi & faciendi ad opus villæ ubicumque locum seu loca ad hoc habuerint, vel acquirere potuerint quocumque modo eis ad utilitatem villæ magis videbitur expedire, & computandi post de omnibus receptis & datis in suis negotiis, quando voluerint, & eis placebit.

Item, quod quilibet de burgensibus villæ prædictæ, de consensu & licentia consilii cambire & cambium tenere poterit, pro tribus libris Lovaniensibus annuatim a singulis campsoribus domino persolvendis.

Item, de quolibet pondere, quod vulgariter dicitur *Vvaghe* unus denarius Lovaniensis solum solvetur pondera rationis tenenti.

Item, officia quæ *Zamecoop Vorghieringhe* & *Hamacghe* Teutonice nominantur, & omnes mensuræ quarumcumque rerum fuerint, sunt & remanebunt villæ nostræ prædictæ, exceptis quatuor mensuris, videlicet mellis, salis & herbarum tinctoriarum quæ *Vvoed* & *Meede* vocantur.

Item, quod nullus cujuscumque conditionis existat, infra francisiam Mechliniensem vinum vendere poterit nisi sub eo jure & . . . . . . vendat burgensibus de villa.

Item, quod nullus dominus apud aliquem forum vel plateam infra terminos francisiæ dictæ villæ locare in ædificando, vel alio modo quocumque occupare, seu etiam restringere, vel arctare, vel hoc fieri facere poterit, vel debebit.

Item, nullus de burgensibus dictæ villæ poterit vel debebit extra francisiam ejusdem villæ pro quocumque delicto duci captivus, sed infra dictam villam secundum scabinorum sententiam juri stabit.

Item, nullus de burgensibus dictæ villæ habens bona sufficientia infra villam, vel petens & volens cautionem sufficientem præstare pro emenda, juxta qualitatem & quantitatem sui delicti, vel excessus faciendi, debet in captivitate poni nec teneri. Et si captus esset, mediantibus talibus bonis vel cautione, debet emitti, nisi tale esset delictum, quod mortem vel extremum supplicium mereretur, in quo casu debet usque ad sententiam in captivitate servari, &, salvo jure communiæ, justitia fieri de eodem.

Item, si aliquis per sententiam scabinorum quocumque delicto mortem meruisse declaratus fuerit, vel ad mortem per eorumdem sententiam condemnatus, dominus medietatem omnium bonorum mobilium & immobilium, quæ relinquet sic delinquisse declaratus & condemnatus, ut dictum est, obtinebit, & alia medietas ad successores debitos devolvetur.

Item, dominus nulli extra villam Machliniensem banni poterit villam restituere infra terminum bannito præfixum, nec aliquibus de villa spontanee fugientibus pro debitis vel delictis conductum ad reintrandam villam præstare, sine consensu illorum quibus debent, vel contra quos deliquerunt.

Item, dominus nullus factum vel delictum quod villa Machliniensis sibi non attrahit vel ascribit, ipsi villæ debebit vel poterit imputare, nec emendam exigere vel recipere ab eadem, sed delinquens & non villa onus suum portabit.

Item, omnes emendæ a tribus solidis supra usque ad quatuor libras & dimidium ascendentes, & omnes emendæ occasione statutorum quæ *Kocren* vocantur provenientes, sive magnæ sint, sive parvæ, cedent pro parte tertia dictæ villæ, exceptis emendis de officio lanificii, de quibus superius est expressum.

Item,

Item, poteſt dicta villa nunc & in perpetuum portas, foſſata, & omnes munitiones ſuas facere emendari & fortificari, quocumque modo consilio dictæ villæ melius videbitur expedire.

Nos commodum, augmentum, utilitatem, pacem tranquillitatem & omne bonum dictæ villæ Machlinienſis, ejus appendiciorum, & populi ejuſdem, prout in forma pacis continetur, cordialiter affectantes, omnia & ſingula in prædictis privilegiorum articulis contenta, propter immunitatem & libertatem dictæ villæ, ejus appenditiorum, & hominum ejuſdem, ut eſt dictum, & non in contrarium intelligenda ſeu interpretanda laudamus, & ex certa ſcientia approbamus, & ex noſtris præſentibus litteris perpetua perſeverantia & ſtabili firmitate manſura ſigillo noſtro in teſtimonium præmiſſorum ſigillata communimus.

Datum in die feſto Circumciſionis Domini, anno ejuſdem milleſimo trecenteſimo octavo.

Eadem privilegia de novo confirmata ſunt a Vvilhelmo comite Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, & duo Friſiæ, qui partem Machliniæ emit a Florentio Berthout *nepote prædicti Ægidii* Berthout. Datum anno Domini MCCCXVIII.

Ejuſdem Vvilhelmi extant litteræ, in quibus narrat ſe emiſſe omne jus Machliniæ & appenditiorum a domino ADULPHO *de Marcka, & eccleſia Leodienſi, conſenſu & auctoritate domini Clementis papæ quinti, & concedit idem Vvilhelmus quod forum piſcium, avenæ, bladi cujuſcumque, ſalis etiam, & cujuſcumque fluctus ſeu nevangii remaneat Machliniæ, prout conſuevit. Et de non obligando villam Machliniæ ſine expreſſo conſenſu dicti Vvilhelmi.*

Datum in Machlinia in die beati Thomæ apoſtoli anno Domini milleſimo trecenteſimo tertio decimo.

LITTERÆ GASTONIS vicecomitis Fezenſaquelli.

Se de bonis Guillelmæ dominæ caſtri Montis-Cathani & Caſtri-veteris nihil accepturum, licet illius ſit heres, inconſultis manumiſſoribus, promittit.

Anno 1309. Ex mſ. Colbertino.

SIt omnibus manifeſtum quod nos GASTO vicecomes Fezenſaquelli & Brulheſii, ac dominus Montis-Cathani & Caſtri-veteris convenimus, & per firmam & ſolemnem ſtipulationem promittimus vobis Berengario de Oriſio manumiſſori & executori ultimi teſtamenti nobilis dominæ Guillelmæ quondam uxoris inclyti infantis P. recolendæ memoriæ & Montis-Cathani & Caſtri-veteris dominæ, quod in reditibus, exitibus, proventibus, & juribus caſtrorum, villarum, terrarum & locorum, qui fuerunt dictæ dominæ Guillelmæ quondam, licet inſtituerit nos heredes in caſtris, villis, & locis, ac bonis, & juribus quæ habebat in Aragonia, Cathalonia & Majorica, & locis aliis, ut in ipſo teſtamento latius continetur, aliquid non tangemus, nec accipiemus, nec tangi vel accipi faciemus, conſentiemus, aut permittemus, ſine veſtri tamen ſpeciali licentia & permiſſu, immo permittemus vos & quos volueritis ea percipere, donec ultima voluntas dictæ dominæ plenarie fuerit aſſecuta, juxta tenorem ſui ultimi teſtamenti, & pro his complendis obligamus vobis & veſtris omnia bona noſtra mobilia & immobilia habita & habenda, & ad majorem ſinceritatem vobis & veſtris de prædictis habendam, juramus in animam noſtram per Deum & ejus ſancta quatuor evangelia manibus noſtris corporaliter tacta, prædicta omnia, & ſingula attendere, & complere, & contra ea vel eorum aliqua non venire aliqua ratione. Actum eſt hoc XI. cal Novembris, anno Domini MCCCIX. Signum GASTONIS vicecomitis Feſenſaquelli & Brulheſii, ac domini Montis-Cathani, ac Caſtri-veteris prædicti, qui hoc laudamus & firmamus & juramus. Teſtes hujus rei ſunt Berengarius de Roſanis, P. de S. Minato milites, P. Ferrarii de Plano, Guillelmus de Rubi ſcriptores, & Gaſſinus de Petra ſcutifer. Signum P. de *Vilar* de Bono publici Barchinonenſis notarii, qui hoc ſcribi fecit, & clauſit die & anno prædictis.

CONCESSIO VICECOMITATUS de Petra-fonte facta monaſterio Regaliſloci ordinis Vallis-ſcholarium & confirmata a Philippo IV. rege Francorum.

Anno 1310. Ex mſ. Colbertino.

PHILIPPUS Dei gratia Francorum rex. Notum facimus univerſis præſentibus & futuris, nos infraſcriptas vidiſſe litteras in hæc verba: Univerſis præſentes litteras viſuris, Michael de Morguevalle canonicus Laudunenſis ſalutem in Domino. Noverint univerſi, quod nos dedimus, contulimus, & conceſſimus, & ex nunc damus, concedimus & conferimus; ac nos dediſſe, contuliſſe & conceſſiſſe recognoſcimus in puram, perpetuam & abſolutam eleemoſynam, donatione facta inter vivos, ſine ſpe & facultate revocandi, viris religioſis & honeſtis, priori & fratribus de (*a*) Regali-

(*a*) Regalis-Locus uno circiter milliari a Compendio civitate diſtitus, per commutationem factam cum canonicis regularibus Vallis Scholarium, nunc eſt abbatia haud ignobilis monialium ſtrictioris obſervantiæ ordinis S. Benedicti, tranſlatis canonicis ad S. Johannem de Boſco.

loco prope Compendium, Suessionensis diœcesis, ordinis Vallis-Scholarium pro anniversario nostro singulis annis in perpetuum in eorum ecclesia faciendo, & pro duabus missis de Spiritu-sancto quamdiu nos vixerimus qualibet septimana in eorum ecclesia, & post nostrum decessum pro duabus missis de *Requiem* in qualibet septimana in perpetuum ad unum altare dictæ ecclesiæ ob remedium animæ nostræ, ac pro cunctis fidelibus defunctis celebrandis, videlicet vicecomitatum nostrum de Petra-fonte cum omnibus appenditiis, pertinentiis, juribus ejusdem in quibuscumque locis, rebus & B commodis existant, retento a nobis quidquid nos habemus apud Retholium & in territorio ejusdem, cedentes & concedentes, & quittantes dictis religiosis, & ecclesiæ suæ prædictæ, dictum vicecomitatum nostrum, & in eosdem totaliter transferentes, quidquid juris, dominii, actionis & proprietatis habebamus, & habere poteramus & debebamus ratione quacumque, modo quocumque vel titulo, in vicecomitatu, necnon omnia jura & actiones quascumque nobis competentes & competentia, excepto tamen hoc quod habemus a- C pud Retholium, ut dictum est: promittentes bona fide quod contra donationem, cessionem, concessionem, collationem, quittationem, translationem prædictas per nos, seu per alium, vel alios non veniemus, nec venire procurabimus, nec in dicto vicecomitatu, seu ejus pertinentiis aliquid juris, actionis, dominii, proprietatis, jure hereditario vel acquestus, seu alio aliquo modo, titulo vel alia ratione aliqua de cetero reclamabimus, seu reclamare procurabimus in futurum. In cujus rei testimonium & munimen sigillum nostrum præsentibus litteris duximus apponendum. Datum D anno Domini MCCCIX. feria tertia ante festum purificationis beati Mariæ Virginis. Nos autem supradicti Michaëlis laudabile in hac parte propositum acceptantes, nec non ob nostræ, progenitorum nostrorum, ac recolendæ memoriæ JOHANNÆ Dei gratia Francorum & Navarræ reginæ quondam nostræ consortis carissimæ animarum remedium & salutem, volumus, & præsentium tenore concedimus, quod memorati prior, & fratres, capellani nostri, prædictum vicecomitatum cum omnibus pertinentiis, juribus & appenditiis suis, juxta for- E mam donationis, & concessionis sibi factæ habeant, teneant & possideant in perpetuum, libere, pacifice & quiete, absque coactione vendendi, vel extra manum suam ponendi, seu præstandi propter hoc nobis vel quibuscumque nostris successoribus financiam qualemcumque, donationem, concessionem, cessionem translationi & quittationi per dictum Michaëlem dictis capellanis nostris

A factas, ut supra scribitur: volentes, laudantes, approbantes & ratificantes, & nostra auctoritate regia confirmantes. Insuper sex denarios censuales, quos sæpedictus Michaël pro dicto vicecomitatu nobis & nostris successoribus annis singulis solvere tenebatur, præfatis capellanis nostris in perpetuum de speciali gratia remittimus & quittamus: volentes ipsos ex nunc & in perpetuum ab eorum solutione & præstatione fore liberos & immunes, retenta nihilominus nobis & nostris successoribus alta dumtaxat justitia in præmissis, nostro &c. in aliis & alieno in omnibus jure salvo. Quod ut ratum & stabile perseveret, præsentes litteras sigilli nostri fecimus impressione muniri. Actum & datum Compendii anno Domini MCCCX. mense Maii, per dominum regem, MAILLARDUS.

CITATIO COMITIS FUXENSIS

De reddenda Mathæ comitissæ Armeniaci villa Gavardani.

NOverint universi hoc præsens publicum instrumentum inspecturi seu etiam audituri, quod in præsentia mei notarii & testium subscriptorum, Petrus de Pinu locum tenens Bertrandi de Castillone bajuli Benensis pro domino nostro rege Angliæ & duce Aquitaniæ, constitutus in villa Gavareti, in loco vocato: *Au banc Corner*, coram *Brunedessus* bajulo dictæ villæ pro domino comite Fuxi, legi fecit quasdam litteras citationis sibi directas per nobilem & potentem virum dominum Johannem de *Hastingger* militem, illustrissimi domini nostri regis Angliæ & ducis Aquitaniæ locum tenentem, & senescallum in ipso ducatu pro ipso domino rege, cujus tenor sequitur: Johannes de *Hastingger* miles, illustrissimi domini regis Angliæ ducis Aquitaniæ locum tenens, & senescallus in prædicto ducatu, bajulo Benensi, vel ejus locum tenenti salutem. Litteras serenissimi principis regis Franciæ nos recepisse noveris, formam quæ sequitur continentes: PHILIPPUS Dei gratia Francorum rex, senescallo Wasconiæ pro carissimo & fideli filio nostro Eduardo duce Aquitaniæ salutem. Cum in reformatione * patriæ inter dilectos & fideles nostros Fuxi & Armaniaci comites, per nos Tholosæ fuerit ordinatum, quod terra Gavardani sit & esse debeat MATHÆ matris domini comitis Armaniaci, quæ tunc dicto duci seu inclytæ recordationis ejus patri impignorata erat pro quinque millibus librarum Chapotensium, quam pecuniæ summam idem dux filius noster dederit dicto Fuxi comiti & dictam gatgeriam, videlicet terram Gavardani tradidit seu tradi fecit dicto comiti Fuxi, eo modo quo eam

Anno 1310
Ex ms. Gadblaen.

* f. pacis.

tenebat pro summa pecuniæ prædicta, vel partem ipsius gatgiuræ seu terræ, sive idem comes Fuxi ab illis quibus dictus dux obligaverat, & ordinatum per nos fuerit, quod de dicta pecuniæ summa de sex millibus librarum Turonensium, in quibus dictus comes Fuxi in novissime præterito parlamento nostro Parisius eidem comiti Armaniaci extiterit condemnatus, sine objectione qualibet deducantur, & quod dicta terra Gavardani dictæ MATHÆ matri comitis Armaniaci liberetur. Mandamus vobis, quatenus facta deductione de summa pecuniæ impignorationis ipsius, ac etiam compensatione ad summam condemnationis prædictæ, castrum de Gavareto cum tota terra Gavardani prædicta, & ejus pertinentiis dictæ MATHÆ matri comitis Armaniaci faciatis sine difficultate qualibet liberari: alioquin senescallo nostro Tholosano damus aliis litteris nostris patentibus in mandatis, ut defectu vestro compleat & exequatur præmissa. Actum Parisius XXVI. die Junii, anno Domini MCCCIX. Quare cum ex parte dictæ dominæ comitissæ Armaniaci fuerimus requisiti, ut contenta in dictis litteris regiis exequeremur & compleremus, vobis committimus & mandamus quatenus apud Gavaretum personaliter accedentes, citetis dictum Fuxi comitem, ut die Martis crastina instantis festi B. Urbani papæ coram nobis apud S. Severinum compareat, facturus & recepturus super contentis in dictis litteris regiis juxta retroacta, & super requesta dictæ comitissæ Armaniaci & formam earumdem litterarum, quod fuerit juris, alioquin super præmissis procedemus, prout fuerit rationis, ipsius comitis absentia in aliquo non obstante. Datum Reulæ XV. die Madii anno Domini MCCCX. Redditæ litteræ latori, signo vestro apposito in signum completi mandati, auctoritate dictarum litterarum dictus locum tenens citavit dictum dominum comitem Fuxi, ut die Martis in crastina instantis festi B. Urbani papæ apud S. Severinum coram dicto domino senescallo, seu ejus locum tenente compareat, facturus & recepturus juxta contenta in dictis litteris sibi directis, ut superius est dictum & expressatum in litteris antedictis, de qua citatione idem locum tenens requisivit me notarium infrascriptum, ut retinerem & facerem sibi publicum instrumentum juxta formam citationis antedictæ. Acta fuerunt hæc in villa Gavareti prædicta, anno Domini MCCCX. Hujus rei sunt testes Guillelmus de Sanceto consul Bonensis, Arnaldus de Pochelis, Vitalis *Grau* &c. Et ego Vitalis de Pereris publicus notarius Bononiensis, qui ad requisitionem dicti Petri de Pinu locum tenentis de prædictis hanc cartam retinui, & scripsi, & in publicam formam redegi, signumque meum apposui. Actum fuit hoc XIII. ab exitu mensis Maii anno & loco quibus supra, regnante domino PHILIPPO rege Francorum, domino EDOARDO rege Angliæ duce Aquitaniæ, AMANEVO archiepiscopo Auxitanensi.

EPISTOLA ROBERTI COMITIS Atrebatensis ad Henricum comitem Ruthenensem.

Ut ferat auxilium Ogerio de Malo-leone in civitate d'Ays obsesso.

A Haut & noble homme & sage son tres chier ame especial Monseigneur HENRI comte de Rodes, ROBERT cuens d'Artois salut & bon amour. Anno 1310. *Ex mss. Colbertino.*

Comme li ennemi monseigneur le roi aient assiege la cité d'Ays moult efforciement par mer & par terre, si comme monseigneur OGIER DE MALLEON, qui capitaine de ladite cité, & li commis aussin nous ont mandé par leurs lettres, & nous ont requis, que nous les secourons briement, ou ladite cité est en condition d'estre perduë, nous qui de vostre loyaulté & bonté avons moult grant fiance, & à bon droit, especialement à aider & à garder l'honneur monseigneur le roy & son royaume, ainsi comme vous avez fait tousjours bien & loyalement à grands travaux & à grands peines, vous mandons de par monseigneur le roy, & prions & requerons de par nous... comme nous poons plus, comme à nostre chier ami, que vous si chier comme vous avez l'honneur monseigneur le roy & la vostre... lengon li jour de la quinseine de le Magdeleine prochaine à tout quanques vous pourrez avoir de gens d'armes garnis de chevals & d'armes convenables, en la maniere qu'il appartient à la noblesse de voustre estat, pour aller... ledit siege, & sachiez que des gages de vous & de voustre gens, dés que vous partirez de vous hostiens.... retours, nous vous ferons voustre gré, si que vous vous en tenrez pour payez, & de nous faillies... vous avez nostre amour a tousjours. Donné devant.... le samedi devant la Magdelaine.

BULLA CLEMENTIS PAPÆ V. ad Guillelmum episcopum Casinensem.

De decimis Johannæ reginæ Siciliæ concessis.

CLEMENS episcopus servus servorum Dei venerabili fratri nostro GUILLELMO episcopo Casinensi, nostro & apostolicæ sedis in partibus regni Siciliæ nuntio, salutem & apostolicam benedictionem. Anno 1310. *Ex ms. Colbertino.*

Dudum pro subsidio defensionis fide-

lium in partibus Romaniæ degentium, qui a Turcis infidelibus fidei catholicæ hostibus vexabantur & affligebantur nimis crudeliter modis variis & diversis, ut navale subsidium per nos pro defensione hujusmodi & expugnatione hostium prædictorum ad partes easdem transmissum, una cum galeis quorumdam aliorum catholicorum magnatum & potentum utilius teneri & continuari valeret, decimam proventuum ecclesiasticorum in regno & terris carissimæ in Christo filiæ nostræ JOHANNÆ reginæ Siciliæ illustris, ac certis aliis regnis & terris consistentium exigendam & levandam per tres annos, & in dictum subsidium convertendam, sub certis modis & formis deliberatione cum fratribus nostris sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus habita, & de ipsorum consilio duximus imponendam. Subsequenter vero pro parte dictæ reginæ suis magnis & inevitabilibus necessitatibus expositis, nobis est humiliter supplicatum, ut eidem subvenire dignaremur de benignitate apostolica, super eis sibi decimas, quas concesseramus ad triennium claræ memoriæ ROBERTO regi Siciliæ avo suo, cui regina ipsa immediate successit, in terris suo subjectis dominio concedendo. Nos prævia deliberatione matura, cum eisdem fratribus super his, & ipsorum consilio eidem reginæ pro suis necessitatibus hujusmodi utilius relevandis triennalem decimam in dictis post dictos tres annos, quibus alia decima imposita pro defensione colligebatur exigendam in certis terminis & solvendam, sub certis modis, formis & conditionibus duximus concedendam. Verum quia si regina prædicta, suis attentis prædictis necessitatibus, commodo hujusmodi decimæ per nos sibi concessæ usque post dictos tres annos careret, periculosum & dispendiosum sibi, sicut tunc nobis expositum extitit, redderetur. Nos ad supplicationem suam sibi super hoc ne gravarentur ecclesiæ ac personæ ecclesiasticæ terrarum ejusdem reginæ super solutione decimarum ipsarum duximus ordinandum, quod prædictæ decimæ tam pro defensione prædicta, quam necessitatibus dictæ reginæ, ut præmissum est, impositæ per sex annos simul in duobus terminis singulis annis ejusdem sexennii exigerentur, ac etiam levarentur: ita quod pecunia decimarum ipsarum collecta seu colligenda tunc temporis pro primo anno, ad nostram cameram in solidum & pro ultimo prædictorum sex annorum colligenda totaliter ad reginam proveniret eamdem: illa vero quæ colligeretur ex ipsis decimis in quatuor annis mediis, medietas nostræ cameræ & alia medietas reginæ applicarentur prædictæ, sicut in diversis litteris nostris super prædictis confectis hæc & alia plenius continentur. Et licet te, frater, tunc Brundusinæ & venerabilem fratrem nostrum Capuanum archiepiscopos collectores decimarum prædictarum in partibus regni Siciliæ ac terris circa Farum præfatæ reginæ subjectis collectores, per nostras certi tenoris litteras duxerimus deputandos, ex certis tamen causis fraternitati tuæ, ut tu solus in solidum per te vel alium seu alios fide & facultatibus idoneos, litteras ipsas tibi ut archiepiscopo Brundusino & archiepiscopo Capuano prædictis directas, & contenta in eis adeo juxta formam earum & continentiam exequi plenarie valeas & complere, ac si tibi soli directæ fuissent, plenam & liberam concedimus tenore præsentium facultatem. Datum Avenione IV. nonas Julii pontificatus nostri anno VI.

CONFIRMATIO
dotis Johannæ uxoris domini Ingeranni de Codiciaco.

Anno 1310. Ex ms. Colbertino.

PHILIPPUS Dei gratia Francorum rex. Notum facimus universis tam præsentibus quam futuris, nos infra scriptas vidisse litteras, tenorem qui sequitur continentes: Nous ENGERRANS sire de Coucy, d'Oisy & de Montmiral, faisons savoir à tous, que come ou traitié dou mariage de nous & de JEANNE nostre chere & amée compaigne, vousissiens, & accordissiens, que elle pour raison de doaire eust & deust avoir quatre milles livrees de terre à Paris; à penre & à recevoir seur nostre terre de Hauraincourt, & seur nostre terre de Saint Aubin, & nos deux chasteaux & maisons de Hauraincourt & de S. Aubin. Et puis ces convenances, & ceste ordenance pour ce que nous veiens & parceviens bien que peu de ceste chose estoit de li avoir doée des dites quatre milles livrees de terre selon la quantité de la terre que nous avons & aviens ou dit traitié, li ayens donné & accreu avec les quatre milles livrees de terre devant dites son doüaire de deux milles livres de terre à Paris, à penre & à recevoir en nostre terre & en nostre chatellerie de la Fere, si come il appert es lettres que la dite JEHANNE a de nous & de nos hoirs, confermées dou roi no seigneur. Nous volons & avons volu, acordons & avons acordé, que pour les deux milles livrées de terre deseur dites, que ladite JEHANNE doit penre & avoir en nos terre & chastellerie de la Fere, que elle ait toute nostre dite terre & chastellerie de la Fere, & toutes les appendances de celi terre & chastellerie. Cest assavoir chastiaus, maysons, forteresces, forés, bos, chasses, garennes, grueries, prés, terres, ahennales, cens, rentes, yaues, homages, joustices, signories, patronages, presentations de chape-

lains, & toutes autres choses que nous avons & poons avoir en no dite terre & chastellerie, comment & par quelconques nom on les nomme, & soient nommées, excepté tant seulement tous nos vinages de no dite chastellerie, & sauf ce que la dite JEHANNE ne poura vendre, ne faire vendre nulle de nos hautes forés, ains demourra li prouffis des dites ventes a nos hoirs, & toutes les autre choses demourront a la dite Jehanne, en telle maniere & par telle condition que se trouvé estoit que plus eust de deux milles livrées de terre en nos dite terre & chastelleries de la Fere, on en rabatroit autant de ce que ladite JEHANNE doit prendre & avoir a Hauraincourt & a S. Aubin, comme par desseur les deux milles livrées de terre seroit trouvé, en telle maniere & par telle condition, que se no terre de la Fere & nos terre de Hauraincourt ne soffisoient a faire & a emplir les sis mille livrées de terre deseur dites, que la dite JEHANNE doit avoir, & il convenoit que on les parfesist en no terres de S. Aubin. Si volons que nostre hoir aient nos maison de S. Aubin, & que ce qui en convenroit penre en no terres de S. Aubin soit prins & assigné en tout S. Aubin, & que le plus prés que on pourra de S. Aubin, excepté no dites maison, ensi comme il est desseur dit, & volons & avons volu, & est & a esté nostre entention ou traitté dou mariage de nous & de ladite JEHANNE, & puis ledit traittié ausint bien des deux milles livrées de terre, que ladite Jehanne doit avoir, & avec les quatre milles livrées de terre, que elle doit avoir, & qui acordé li furent ou traittié dudit mariage, que toutes les six mille livrées de terre li soient baillées, livrées & assignées en viés pris, & si tel pris & par tele prisié comme toutes les choses dessus dites estoient & pooient estre ou temps & ou point que nous prisimes la dite JEHANNE par mariage, & ainsi le declarons nous, & volons qu'il soit fait, & volons & avons volu, accordons & avons accordé, que se einsi estoit que la prisie des choses deseur dites appartenant au doaire JEHANNE no chiere compaigne, si comme il est deseur dit, n'estoient prisie en nos vivant que prestant la prisie des choses deseur dites non faite ou non parfaite, ladite JEHANNE no chiere & amée compaigne tantost apres nostre trespas, se ensi est que elle nous survive, entre & puist entrer, sens contredit es chastiaus & es maysons appartenans a son doaire, & en toutes les autres choses appartenans & appendans as devant dits chastiaus & es maysons appartenans a son doaire, & en toutes les autres choses appartenans & appendans as devant dits chastiaus & maisons, ensi comme nommé & dit est par deseur, & volons encore que se il est ensi, que ladite Jehanne nous survive, que la prisie de toutes les six mille livrées de terre que elle doit avoir pour sen doaire soit faite bien & loialment, & au vies pris, si com dessus est dit, dedens les quarante jours que elle le requerra, ou autre pour li & en son nom, se faire ou parfaire n'estoit a no vivant, & a toutes les choses deseur dites fermement tenir, warder & emplir en la maniere que il est deseur dit. Obligons nous tous nos biens presens & avenir, tous nos hoirs & tous nos successeurs, & prions & requeront, a nos chiers & amés neveus monseigneur ENGERRAN, & monseigneur JEHAN DE GUINES chevaliers, que il toutes les choses deseur dites veullent loer, greer & accorder en tant comme il touche & puet touchier, apartient & puet apartenir, ayans & a leurs hoirs ou temps present & ou temps avenir. Et nous ENGERRANS & JEHAN de Guines chevaliers neueus dudit monseigneur Engerrans no chier seigneur & oncle, seigneur de Coucy, faisons savoir a tous ceux que nous toutes les choses deseur dites, & chacune d'icelles ainsi come nô chiers sires & oncle les a faites ordenées a no, & assignées chiere antain madame JEHANNE sa femme a cause de sen doaire & pour sen doaire deseur dit, volons, loons, greons, accordons, & en ce nous consentons, & promettons, & avons promis par les fois de nos corps, que encontre les choses deseur dites nous ne irons, ne venir ne ferons par nous ne par autrui, ains les promettons a warder & a tenir sens aler de riens encontre, & renonçons especialement & expressement a l'us & a le coustume par lesquels nous peussions dire dom, obligation, ou quelconques convenances non vaillables entre le mari & se fame, & a ce que nous ne puissiens dire, que nous soiens deceu outre la moitié de juste pris & a touté exception, cavillations & raisons de droit, & de fait, qui a nous pourroient aidier, & a ladite dame Jehanne nostre chiere antain nuire & grever, & volons que ceste generauls renunciations vaille en tant come se chacuns cas especiauls estoient expresses. Nous contrestans les droits qui restraignent renonciacions generauls, & a toutes les choses deseur dites fermement tenir, en la maniere qu'il est deseur dit, obligons nous, nos hoirs, nos successeurs, tous nos biens presens & avenir, especiament, tout ce qui de no chier seigneur & oncle nous pourroit venir & descendre a cause de succession. Et nous ENGERRANS deseur dis sire de Coucy, d'Oisy & de Monmiral, & nous ENGERRANS & JEHAN DE GUINES chevalliers neveus a nostre chier seigneur & oncle desseur dite, requerons & supplions a nostre tres haut & puissant seigneur le roy de France, que il & toutes les choses dessus dites &

chascunes de elles, loüe, grée & appreuve A conferme par autorité royale, & que il non contrestant usaige, coustume ou droit escript, droit commun, qui contre auscunes des choses dessus dites pourroient estre empraigne a faire garder & a emplir comme sires toutes les choses dessus dites & chascune de elles & a contraindre nous Engerran & Jehan de Guines dessus nommés tant comme il nous touche & puet touchier, ou temps present & ou temps avenir, nous, nos hoirs, nos successeurs, & tous ciaus qui cause aroient de nous a tenir, garder & emplir toutes les choses dessus dites & chascune de elles, & en veulle donner a ladite B Jehanne ses lettres seellées de son seel. Et en tesmoignages des choses dessus dites nous Engerran sires de Coucy, d'Oisy, & de Montmiral, avons scellé ces presentes de nostre propre seel. Et nous Engerrans & Jehan de Guines chevalliers dessus nommés a la requeste de nostre tres chier seigneur & oncle avons seellé & mis nos seels a ces presentes lettres, avec le seel de nostre chier seigneur & oncle de seurdit, qui furent faites l'an de grace mil trois cens & dis, lendemain de Noel, jour de feste S. Estienne. Nos vero prædicta omnia & singula lau- C damus, grata habemus, approbamus, & tenore præsentium auctoritate regia confirmamus, salvo in omnibus jure nostro & quolibet alieno. Quod ut firmum & stabile perseveret, præsentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Actum Corbolii anno Domini MCCCX. mense Januarii.

EPISTOLA CAPITULI S. Martini Turonensis ad Leodienses S. Martini canonicos.

Mittunt eis de panno quo corpus S. Martini involutum extitit. D

Anno 1317. Ex ms. Cl. V. domini de Louvrex.

VIris venerabilibus & discretis in Christo suis fratribus prædilectis decano, totique capitulo ecclesiæ B. Martini Leodiensis Stephanus decanus & Philippus thesaurarius, totumque capitulum ecclesiæ B. Martini Turonensis, salutem & sinceram in Domino caritatem.

Fraternitati vestræ tenore præsentium innotescat, nos vestras litteras per virum venerabilem & discretum D. Hermannum de Colonia vestrum concanonicum nobis dire- E ctas gratanter & honorifice, prout decuit, excepisse, quem apud nos, prout debuimus, affectione amicabili pertractavimus ac etiam fraternali, prout in vestris litteris supplicastis. Verum quia in eisdem continebatur, ut de reliquiis gloriosissimi corporis patroni nostri S. Martini vobis per eumdem dominum Hermannum ad vestrum solatium transmittere dignaremur; scitote quod de ejus corpore vobis aliquid transmittere non possumus, cum revera in capsa una corpus ejusdem integrum resideat & intactum, & ob hoc de panno, qui circa ejus gloriosissimum corpus extitit, vobis per dictum dominum Hermannum, quod posuimus in quadam cista eburnea, destinamus, fraternitatem vestram deprecantes, quatenus sicut vestros, dum apud nos eosdem accedere contingit, fraternali consortio pertractamus, prout ex relatione dicti domini Hermanni vobis poterit esse notum; sic & nostros, si eosdem apud vos contingat accedere, affectione consimili, prout tenemini, pertractetis. Terras & negotia nostræ prædictæ ecclesiæ, quæ & quas in vestris habemus partibus, vobis recommendantes, requirimus, ut de eisdem sicut de vestris propriis fore solliciti & cordi gerere velitis. Valete & valeat vestra fraternitas in Domino nobis cara. Datum & sigillatum sigillo nostro, quo unico communiter utimur, in testimonium præmissorum, die dominica ante ascensionem Domini anno Domini millesimo CCCXVII.

EPISTOLA HENRICI abbatis S. Jacobi Leodiensis ad Balduinum archiepiscopum Trevirensem.

Concedit ei suffragiorum monasterii sui participationem.

Anno 1316. Ex ms. S. Jacobi Leodiensis.

REverendo in Christo patri domino domino BALDUINO Dei gratia archiep. Treverensi, sacri imperii per Galliam archicancellario, HENRICUS permissione divina humilis abbas totusque conventus monasterii S. Jacobi Leodiensis ordinis S. Benedicti, orationes in Christo devotas, & incrementa continua gratiæ salutaris.

Universalis ecclesiæ potissime militantis bonorum spiritualium est tanta communio, quod divina caritas in cordibus fidelium S. Spiritus operatione diffusa, quorumdam merita vult aliorum esse suffragia, & quod dividuum habet in singulis, hoc reddit communione liberali proficuum universis. Vestræ itaque reverendæ paternitatis devotioni, quam ad nos & nostrum monasterium, sicut vestræ litteræ nobis missæ prætendunt, habetis, grata vicissitudine respondere volentes, vos ad nostram fraternitatem in vita recipimus & in morte: vobis cum missarum, orationum, jejuniorum, abstinentiarum, vigiliarum, laborum, ceterorumque bonorum quæ per nos tam communiter quam divisim fieri dederit divina dignatio, vobis participationem specialem tenore præsentium concedentes. Quibus in testimonium præmissorum sigillum nostri abbatis prædicti duximus appendendum. Datum, &c.

DE VEXATIONIBUS JOHANNIS de Flandria comitis Namurcensis.

Anno 1322. Ex ms. Cl. V. domini de Louvrex.

UNiversis, &c. majoris & secundariarum, &c. vir potens dominus JOHANNES de Flandria comes Namurcensis, una cum suis complicibus, statuta synodalia, in quantum suis culpis exigentibus contra eum & suos faciunt, totis viribus infringere nititur & intendit. Cum enim plura, & grandia & enormia delicta contra Deum & ecclesiam per se & dictos suos complices perpetrasset, ecclesias concremando, & bona ecclesiarum & ecclesiasticarum personarum vastando, levando & asportando violenter usque ad maximum valorem, de quibus viri ecclesiastici in vinea Domini quotidie fideliter insudantes, debebant sustentari, ecclesiasticasque personas incarcerando & exactionando, ac nonnullos ita diro carceri mancipando, beneficio luminis & victus necessarii privando, quod inde mortem dicuntur pertulisse. Nos ad nostrum speciale refugium, videlicet dicta statuta tamquam arma justitiæ confugientes, eadem supplicavimus in ejusdem comitis terra & locis in quibus violentias & insolentias prædictas perpetrarat observari, denunciando ipsum & ejus fautores, qui in hujusmodi malitia gloriabantur, & eidem comiti assistebant, excommunicatos, & cessando a divinis in locis eisdem, &c. A quibus denunciatione & cessatione a divinis ipsi comes & ejus complices antedicti ad sedem apostolicam de facto, cum de jure non possent, appellarunt, & sic oportet nos eadem statuta defendere, &c. quod facere nequimus sine magnis expensis, in quibus contribuere tenentur omnes clerici civitatis & diœcesis prædictarum, &c. in qua contributione nonnullos invenimus discordes & rebelles, quare statuimus quod contra tales rebelles taxationi moderatæ communibus sumtibus procedemus. Et si aliquem nostrum lædi vel gravari hujusmodi causa contingat, communi contributione tam damnum quam sumtus portabimus tamquam fratres. Si vero quisquam nostrum præmissa servare voluerit, societatis & fraternitatis nostræ privilegio & suffragio perpetuo se noverit destitutum, donec ad unitatem dictæ societatis humiliter redierit, & emendam de perpetratis præstiterit competentem. In quorum omnium &c. anno Domini MCCCXXII. x. Februarii.

AMANEVI DE LEBRETO codicillus, quo Berardum filium arma adversus se ferentem exheredat.

Anno 1324 Ex ms. Colbertino.

IN nomine Domini. Amen. Notum sit omnibus præsentibus & futuris, quod in mei notarii & testium infra scriptorum præsentia personaliter constitutus, nobilis & A potens vir dominus AMANEVUS, dominus de Lebreto, miles, volens facere codicillum, addendo ac etiam in aliqua parte diminuendo in eodem testamento suo facto & confecto per magistrum Guillelmum *de Juvenis* in Artigia, Berardum filium suum ultimum penitus exheredavit primitus, & prætermisit de omni jure, legato, & portione, quod, seu quam dictus Berardus haberet vel habere posset in terra & bonis ipsius domini de Lebreto ex testamento, vel ex successione, seu aliquo alio jure, ex causa videlicet, quia idem BERARDUS se cum armis tamquam parricida præparavit contra B dictum dominum patrem suum, & eidem subtraxit dolose & contra voluntatem suam castra de Gironda & de Vayras, & terras ipsorum castrorum, & ad castra pertinentia; necnon & cum inimicis capitalibus ipsius domini patris sui adhæsit, & favere inhibuit contra dictum dominum patrem suum. De illis vero quatuor millia libris Burdegalensibus ipsi domino debitis super terra & bonis castri de Gironda & pertinentiarum suarum, & quas idem dominus habet vel habere debet, & super terra prædicta & pertinentiis ejusdem, voluit addendo dicto testamento suo, quod pro salute C animæ suæ per suos executores in dicto testamento contentos, dentur & dividantur ad notitiam & arbitrium dictorum suorum executorum in prædicto testamento suo contentorum in locis piis in diœcesibus Burdigalensi, Vasatensi, Aquensi, Agennensi, & non alibi, & totam portionem, dicto Berardo, ut dictum est, prætermisso contingentem in hereditate & bonis ipsius domini de Lebreto voluit & ordinavit præsenti codicillo Bernardo Esii de Lebreto filio suo primogenito jure hereditario in perpetuum remanere una cum toto patrimonio suo patruo, prout in prædicto testamento continetur, jure & legato per ipsum dominum facto GUITARDO filio suo in eodem D testamento, in omnibus semper salvis & retentis. Et prædicta omnia voluit dictus dominus de Lebreto valere ubique jure codicillorum, vel omni alio jure quo magis valere poterunt & debebunt. Facta fuerunt hæc ante Reulam die Lunæ ante festum B. Matthæi apostoli anno Domini MCCCXXIV. regnante excellentissimo principe CAROLO Franciæ & Navarræ rege, GUILLELMO Vasatensi episcopo. Testes sunt ad hæc specialiter vocati & rogati Arnaldus Berardi de Preissaco, Petrus d'*Estulars* milites, Bernardus Esii *de Ladils*, magister Elias Bastelli, dominus Petrus de Amraco presby- E ter, &c.

A

LITTERÆ PHILIPPI VI. REGIS Francorum.

In gratiam nobilium Vasconiæ.

Anno 1330. Ex ms. Colbertino.

PHILIPPUS Dei gratia Francorum rex. Notum facimus universis tam præsentibus quam futuris, quod cum nuper carissimus & fidelis consanguineus noster JOHANNES eadem gratia rex Bohemiæ pro nobis agens in partibus Wasconiæ, ad petitionem dilecti & fidelis nostri BERNARDI ESII domini de Lebreto militis, & plurium aliorum, tam baronum quam nobilium ducatus Aquitaniæ supra infraque scriptorum, inter alia suas sequentis tenoris litteras nostro nomine concessisset, nostra voluntate retenta: nos attentis litteris supradictis, ipsorum baronum ac nobilium petitionibus, annuentes eidem domino de Lebreto, baronibus & nobilibus prædicti ducatus, concedimus per præsentes, quod inter se possint ad invicem cum expedire videant, guerras indicere, persequi & continuare, diffidationis tamen præcedente forma, per volentem guerram facere, & per diffidatum acceptata, antequam occasione dictæ guerræ aliquod damnum inferatur in corporibus vel in bonis, & quod pro guerra hujusmodi seu damnis occasione ejusdem data vel secuta invadentur seu diffidantur aut eorum valitores vel agentes seu diffidatores, quamvis invasionem diffidantium non expectaverint cum armis vel sine armis ad aliquam pœnam vel emendam nullatenus teneantur, cum sic promissis usi fuisse noscantur, maxime in illis partibus ab antiquo, salvo tamen & retento nobis & successoribus nostris quod dicti barones & nobiles, & eorum successores a guerris suis pro facto guerrarum nostrarum & successorum nostrorum, & ad nostrum ipsorumque mandatum cessarent, seu qui cessare tenebantur; de portatione vero & usu armorum, quem dictus dominus de Lebreto & alii nobiles prædicti a nobis sibi declarari seu confirmari petebant, scilicet quod ipsi cum suis gentibus & valitoribus tam equitibus quam peditibus possent arma cujuscumque deferre, guerra seu guerris diffidationum inter eos non procedentibus, aut eis durantibus vel sopitis, & de remissionibus delinquentium & contrahentium subditorum suorum tam a nobis quam ab aliis petentibus faciendis, nos informationem pleniorem fieri fecimus, qualiter hactenus usu & portatione armorum temporibus hujusmodi usi sunt Aquitani, eo tempore quo rex Angliæ ducatum prædictum tenebat, & etiam de remissionibus supradictis, & prout invenerimus per informationem prædictam super hoc usitatum fuisse, uti concedemus & permittemus libere & impune, nostrasque litteras cera viridi sigillatas super hoc concedimus eisdem.

Item, concedimus baronibus & nobilibus ducatus prædicti, quod castra fortalitia aut loca alia quæcumque dicti domini de Lebreto & aliorum quorumcumque nobilium dicti ducatus, ubicumque & cujuscumque status existant, obedientibus nobis & successoribus nostris, durante eorum obedientia, non dirimantur in toto vel in parte, nec amoveantur, aut transferantur a domino & subjectione seu ressorto eorum sub quibus sunt & erunt, nisi de illorum quorum intererit assensu procedat, seu propter excessus aut delicta per partem, quos de jure scripto vel de consuetudine patente, prout locorum in quibus situata fuerint, diversitas exiget, per sententiam præcedentem dirui & dimoliri debeant, aut translatio fieri debeat de eisdem.

B

Item, statuimus concedentes quod officiarii nostri in terris dominorum dicti ducatus juridictionem habentium non faciant aliqua expleta, nisi in casibus ressorti & superioritatis; & in casibus illis officiales & servientes nostri citationes, adjornamenta, & executiones, & alia expleta per manus dominorum jurisdictionem hujusmodi habentium, aut eorum officiariorum fieri requirant & permittant, nisi ipsi domini vel eorum officiarii super hoc requisiti in his faciendis vel exequendis fuerint negligentes, nec in aliis casibus aliquis senescallus, judex aut officiarius noster infra juridictionem alicujus alti judiciarii juridictionem aut cognitionem aliam in casibus ad nostrum justitiarium altum spectantibus exerceat: resorti tamen casibus & aliis ad nos jure regio spectantibus nobis salvis, & de domiciliis servientium non tenendis in terris baronum & aliorum jurisdictionem altam habentium, ordinationem regiam super hoc editam servari volumus & etiam faciemus in ducatu prædicto. Proclamationes autem armorum, dum faciendæ fuerint, pro causa nos tangente in terris & juridictionibus aliorum justitiariorum, seu merum imperium habentium, & compulsiones per eos fiant ad mandatum senescallorum nostrorum, nisi in casu quo justitiarii nostri legitime requisiti id facere negligerent vel etiam recusarent. Ceterum ad dictorum dominorum de Lebreto & aliorum baronum & nobilium prædictorum petitionem nos omnes foras, consuetudines & usus eorum antiquos & hactenus observatos generales & speciales in præmissis & aliis volentibus teneri & conservari eos & eas voluimus, laudamus & approbamus, ratificamus & tenore præsentium confirmamus, quæ ut firma & stabilia perseverent, præsentibus litteris nostris fecimus apponi sigillum, salvo in aliis jure nostro & in omnibus alieno. Datum apud boscum Vincenarum anno Domini MCCCXXX. die VIII. mensis Februarii per dominum regem. In suo consilio magno erant

C

D

E

rant domini rex Navarræ, dux Normannensis, dux Borbonensis, & plures alii.

LITTERA RECOGNITIONIS comitis Flandriæ, de venditione oppidi Mechliniensis, & ejusdem pertinentiarum, facta sibi per episcopum & capitulum ecclesiæ Leodiensis, cum insertione litterarum datarum de tractu desuper, & de feudo de *Geralmont*, & *Bornehem*, & aliis.

Anno 1333. Ex mſ. Cl. V. domini de Louvrex.

UNiversis & singulis præsentes litteras visuris & audituris, LUDOVICUS Flandriæ, Nivernensis & Registetensis comes, salutem in Domino sinceram.

Litteras a reverendo in Christo patre ac domino nostro ADULFO Dei gratia Leodiensi episcopo, ejusque venerabili capitulo ecclesiæ Leodiensis super alienatione & translatione oppidi Mechliniensis Cameracensis diœcesis & pertinentiis ejusdem in nos & successores nostros comites Flandriæ factis pro certa pecuniæ summa, nos recepisse & habere noveritis in hæc verba.

ADOLPHUS Dei gratia episcopus Leodiensis, totumque capitulum majoris ecclesiæ Leodiensis salutem in Domino sinceram cum notitia veritatis. Noveritis quod nos considerantes, quod oppidum nostrum Mechliniense cum reditibus & pertinentiis universis Cameracensis diœcesis, extra nostram potestatem & districtum in medio quasi Brabantiæ situatum, taliter aliorum principum & dominorum temporalium juridictione, potestatibus, territoriis & districtibus inclusum sit & constitutum, & ad illud nobis & nostris, præcipue temporibus guerrarum, quæ proh dolor! in partibus illis frequenter insurgunt, securus non patet aditus neque egressus, & quod dicto oppido & habitatoribus ipsius debite præesse, eorumque serviciis & subsidiis nobis & ecclesiæ nostræ debitis libere gaudere non valuimus nec valemus, prout nec nostri prædecessores bonæ memoriæ poterant temporibus retroactis, unde gravia damna & dira pericula nobis & nostris sæpius emerserunt, & quia tam propter præmissa, quam propter nonnullas graves & indebitas rebelliones hominum & habitatorum prædictorum contra nos & prædecessores nostros notas, dictum oppidum cum dictis suis juribus & pertinentiis nobis & ecclesiæ nostræ quasi sterile semper fuerit & infructuosum, & ob hoc præmissis & quampluribus aliis quæ nos movere poterant & debebant, possuntque & debent in considerationem sollicitam deductis, diligenti tractatu non tantum semel, sed pluries inter nos propter hoc in capitulo nostro congregatos præhabito, providaque deliberatione præmissa, ut ecclesiæ nostræ Leodiensi meliora & utiliora prospiceremus, nobili & potenti principi nobis in Christo dilecto domino LUDOVICO Flandriæ, Nivernensi & Regitestensi comiti, oppidum nostrum Machliniense prædictum, cum appenditiis, accessoriis & pertinentiis suis universis, necnon cum omni districtu, honore, potestate, mero & mixto imperio, omnimoda jurisdictione, feudis, homagiis, gardiis, fructibus, reditibus, obventionibus, exitibus, emolumentis, & aliis juribus quibuscumque vendidimus, tradidimus, & deliberavimus, vendimus, tradimus & deliberamus pro certo & competenti pretio, videlicet pro centum mille libris Turonensibus magnorum, grosso Turonensi pro sexdecim denariis computato, de quo nobis est congrue satisfactum, & quod in ecclesiæ nostræ Leodiensis utilitatem jam convertimus & profectum, ipsumque oppidum cum dictis appenditiis, accessoriis, & pertinentiis, necnon & omne dominium, districtum, honorem, potestatem, merumque ac mixtum imperium, omnimodam juridictionem, feoda, homagia, gardias, fructus, redditus, obventiones, exitus, emolumenta, & omnia alia, quæ nobis & ecclesiæ nostræ Leodiensi competunt, seu competere possent, quomodo conjunctim, vel divisim, in ipso oppido, ejus appendiciis, accessoriis, & pertinentiis in ipsum comitem per se & successores suos comites Flandriæ perpetuo possidenda & tenenda transtulimus irrevocabiliter & transferimus per præsentes sub modo & forma quæ sequuntur, videlicet quod dictum oppidum cum appenditiis, accessoriis & pertinentiis, honore, districtu, potestate, & aliis, ut prædictum est, universis, una cum Geralmonte & *Bornehem* cum eorum appendiciis, accessoriis, & pertinentiis, quæ idem comes & sui prædecessores a nobis in feodum tenuerunt & tenent, per dictum comitem, & suos successores prædictos a nobis episcopo & successoribus nostris episcopis Leodiensibus de cetero in & sub uno feodo & homagio tenebuntur: ita quod ab ipso comitatu ratione terræ imperii nullis umquam temporibus alienari valeant, nec in alium quemlibet, quam in comitem Flandriæ transferri, (a) hoc excepto quod *Bornehem* cum pertinentiis suis ab ipso comite ulterius in feodum dari, vel datum jam teneri valeat, & esse retrofeodum nostrum & ecclesiæ nostræ prædictæ, conventione qualibet hactenus in contrarium habita non obstante. Et ut ipsum feodum dicti oppidi Machliniensis cum *Geralmont* & *Borneheim* sic unitum perpetuis temporibus cum dicto comitatu Flandriæ, ut prædictum est, firmius & fortius conjungatur, & uniatur, volumus & consentimus, quod comes Flandriæ qui [a]

(a) Attamen vendita fuit Mechlinia duci Brabantiæ anno Christi 1346. Leodiensibus renitentibus.

est, ejus successores comites Flandriæ qui erunt pro tempore, quo ipsorum aliquem vel aliquos absque herede masculo vel nullo prorsus herede ex propria carne relicto futuris temporibus decedere contingeret, & ingredi viam universæ carnis, præfatum feodum ipsius oppidi cum *Geralmont* & *Bornebem* sic unitum, non obstantibus quibuscumque consuetudinibus, legibus, usibus, juribus, vel statutis, civitatis vel diœcesis Leodiensis, vel aliarum partium quarumcumque contrarium forsan imminentibus, statuendis vel tenentibus, ad illum qui in dicto comitatu pro mortuo legitime succedet libere transmittant, & tenebuntur tam dictus comes qui nunc est, quam ejus successores comites Flandriæ a nobis episcopo & successoribus nostris episcopis Leodiensibus relevare, & homagium, & alia de eo facere, quæ boni & legales vasalli suis dominis facere tenentur. Non tamen intendimus per inhibitam separationem prædicti oppidi a prædicto comitatu, seu unionem ipsius ad prædictum comitatum ipsum oppidum conjungere feodo vel retrofeodo, quod nos vel ipse tenemus ab imperio, a rege Franciæ, vel Alemanniæ. Necnon etiam est intentionis nostræ quod ab ipso comite vel ejus successoribus pro relevio & ratione relevii quidquam exigatur vel solvatur, & debemus nos & successores nostri dictum feodum sic unitum cum *Geralmont* & *Bornehem* cum juribus & pertinentiis suis, ut est dictum, universis, ipsi comiti, & ejus successoribus comitibus Flandriæ prædictis, erga quoscumque ut bonus dominus feodi defendere & garandizare. Et quamvis nostræ intentionis non existat, quod virtute translationis universalis dicti oppidi Machliniensis cum juribus & pertinentiis suis, de quo supra mentio habetur, transferatur in ipsum comitem & ejus successores prædictos jus conferendi, committendi, seu disponendi de abbatia sæculari seu præpositura dicti oppidi & juribus ejusdem, de qua nulli potest nisi canonico ecclesiæ nostræ Leodiensis provideri; tamen per eam in dictum comitem & præfatos ejus successores, omnia quæ in ipso oppido, ejus appendiciis, accessoriis & pertinentiis ad nos aut alterum nostrum seu ecclesiam Leodiensem communiter & divisim spectant, vel spectare possunt quoquo modo sic universaliter transferre volumus & intendimus, quod præter superius expressa nihil retinemus in eisdem, constituentes ipsum comitem traditione præsentium omnium & singulorum prædictorum quæ ibidem habuimus & habere potuimus sub modis & formis superius expressis ex nunc verum & legitimum juris & facti possessorem, & promittimus bona fide, quod nos & successores nostri præmissa omnia & singula firmiter & inviolabiliter tenebimus & observabimus, & quod contra ea ullis umquam temporibus non faciemus neque veniemus, per nos vel per alium, taliter vel expresse, qualibet arte, cavillatione vel ingenio, directe vel indirecte, nos & bona nostra & ecclesiæ nostræ Leodiensis ubilibet existentia & futura tenore præsentium ad hoc efficaciter obligando: renuntiantes in utilitatem ecclesiæ non conversæ solemnitati & formæ quæ in alienationibus rerum ecclesiasticarum necessariæ sunt aut requiruntur de consuetudine vel de jure non observatæ. Authentic. (hoc jus porrectum legi jubemus capitulo sine exceptione constitutione hac consultissima restituendi in integrum), privilegio crucis sumtæ & sumendæ, ac omnibus privilegiis, gratiis & indulgentiis, sub quacumque verborum forma, nobis vero ecclesiæ nostræ a Romanis pontificibus aut prælatis aut aliis, seu ab imperatoribus, regibus aut aliis quibuscumque principibus impetratis, datis vel concessis, seu in posterum impetrandis, dandis vel concedendis, & quod eis etiam contra præmissa vel aliquid præmissorum uti non poterimus, etiamsi gratis non concederentur vel darentur, ac omnibus aliis exceptionibus juris & facti, omnibus cavillationibus, subterfugiis, consuetudinibus, legibus, usibus, cautelis & statutis, per quæ præmissa seu eorumdem effectus in toto vel in parte impediri possent quomodolibet vel tardari, denique dicenti generalem renunciationem non valere, ac omnibus aliis quæ nobis & ecclesiæ nostræ Leodiensi prodesse possent quomodolibet in hac parte, & ipsi comiti seu suis successoribus aliquatenus obesse. Et ad majorem securitatem omnium & singulorum præmissorum reverendo in Christo patri & domino domino WALRANNO Dei gratia Coloniensi archiepiscopo, * quatenus præmissa omnia & singula quæ ad tam evidentem utilitatem & profectum ecclesiæ nostræ Leodiensis cum multa deliberatione & maturo consilio facta sunt & provisa, laudare velit & approbare, ac sua auctoritate metropolitana confirmari, decretum suum super his imponendo, & defectum, si quis fuerit, eadem auctoritate supplendo. In quorum omnium testimonium & munimen sigilla nostra præsentibus litteris sunt appensa. Datum & actum in capitulo nostro prædicto XXVIII. die mensis anno Domini MCCCXXXIII:

* Hic videtur supplendum *supplicamus*.

Hinc est quod nos LUDOVICUS comes prædictus oppidum Machliniense prædictum sub modis & forma superius expressis nobis venditum esse recognoscentes, ipsum tamen *Geralmont* & *Bornehem* unitum & conjunctum, ut præmittitur, ab eodem episcopo domino & ejus successoribus epis-

copis Leodiensibus, qui pro tempore fuerint successive in feodum relevare, sibique homagium & alia de ipso feodo facere, quæ dominis suis boni vassalli facere tenentur, & a dicto comitatu Flandriæ dictum feodum sic unitum non alienare, disjungere, nec in alium vel alios, quam in nos ac successores nostros comites Flandriæ transferre, ceteraque omnia & singula superius in dictis litteris expressa, in quantum nos tangunt & tangere possunt, quoquo modo facere, tenere, adimplere, & inviolabiliter observare; pro nobis & successoribus nostris prædictis promittimus bona fide, nos & ipsos successores, nostraque & cujuslibet ipsorum bona omnia & singula mobilia & immobilia tam præsentia quam futura ubicumque fuerint, ad hæc specialiter & efficaciter obligando, renuntiando in hoc facto exceptioni tam rei aliter gestæ quam scriptæ, quibuscumque privilegiis, beneficiis, gratiis, & indulgentiis a Romanis pontificibus, imperatoribus, regibus, aut quibuscumque principibus & prælatis, & aliis sub quacumque verborum forma impetratis, datis, & concessis, impetrandis, dandis, & concedendis, omnibus cavillationibus, subterfugiis, & cautelis, & generaliter ceteris auxiliis & remediis tam juris quam facti, quæ nobis & nostris successoribus prædictis prodesse, prædictis dominis episcopo & capitulo, sive futuris successoribus episcopis, aut ecclesiæ Leodiensi obesse possent in præmissis vel aliquo præmissorum, & per quas ea vel eorum aliqua impediri valeant, aut in aliquo retardari, ita quod valeat hujusmodi renunciatio generalis quemadmodum specialis si fieret, & esset expressa. In quorum omnium testimonium & munimen nos LUDOVICUS comes præfatus pro nobis & nostris successoribus præsentes litteras eidem domino episcopo & capitulo contulimus, sigillo nostro majori quo utimur & uti consuevimus, sigillatas. Datum anno Domini MCCCXXXIII.

LITTERA DICTI COMITIS Flandriæ de sua recognitione quod collatio & dispositio præpositura seu abbatiæ sæcularis ecclesiæ S. Rumoldi oppidi Machliniensis reservata fuit Leodiensi episcopo, & quod fuit in contractu emtionis & venditionis dicti oppidi exemta.

Anno 1333. Ex mss. Cl. V. D. de Louvrex.

NOS LUDOVICUS Flandriæ, Nivernensis & Registetensis comes, notum facimus universis, quod licet reverendus in Christo pater & dominus noster ac consanguineus carissimus dominus ADOLUHUS Dei gratia Leodiensis episcopus, & ejus venerabile capitulum ecclesiæ Leodiensis oppidum Machliniense cum omnibus suis pertinentiis in nos & successores nostros comites Flandriæ venditionis & emtionis titulo sub certis formis & modis, prout in litteris super hoc confectis plenius est expressum, interveniente tractatu universaliter transtulisse noscantur: collationem tamen & dispositionem præpositura seu abbatiæ sæcularis ecclesiæ S. Rumoldi Machliniensis cum suis attinentiis eidem domino episcopo & ejus successoribus episcopis & ecclesiæ Leodiensi recognoscimus esse perpetuis temporibus reservatas, & in contractu hujus venditionis & emtionis exceptas, prout in litteris venditionis prædictæ plenius & non aliter continetur. In quorum testimonium his litteris sigillum nostrum duximus apponendum. Datum apud Teremundum anno MCCCXXXIII. die XXI. mensis Octobris.

LITTERA SEQUITUR DICTI comitis Flandriæ de relevatione feudi per eum ab episcopo & capitulo ecclesiæ Leodiensis de oppido Machliniensi ac Geralmontis & *Bornehem* salvo quod non separetur id oppidum a comitatu.

Anno 1333. Ex mss. Cl. V. domini de Louvrex.

NOS LUDOVICUS Flandriæ, Nivernensis & Registetensis comes, notum facimus universis quod nos anno Domini MCCCXXXIII. mensis Octobris die XVI. a reverendo in Christo patre & domino nostro ac consanguineo carissimo domino ADULPHO Dei gratia Leodiensi episcopo oppidum nostrum Machliniense cum suis appenditiis, juribus, & pertinentiis universis, necnon *Geralmont* & *Bornehem* cum suis & cujuslibet eorum pertinentiis & attinentiis quibuscumque in feodo relevamus, sibique & ecclesiæ suæ Leodiensi debitam fidelitatem & homagium cum juramento & pacis osculo de eisdem præstitimus & fecimus, ut est moris, adhibitis adhibendis, prout in talibus fuit & est fieri consuetum, & prout facere tenebamur, secundum contenta & non aliter in litteris seu instrumento super venditione dicti oppidi Machliniensis & pertinentiarum ejusdem nobis facta per dictum reverendum patrem & capitulum ecclesiæ suæ Leodiensis, ita tamen quod nec per nos, nec per nostros successores, dictum oppidum cum suis appenditiis debeat a comitatu Flandriæ ratione feudi imperii in perpetuum separari vel disjungi secundum solummodo quod in prædictis litteris dictæ venditionis est expressum. Actum præsentibus nobilibus & discretis viris dominis Geraldo de Marcha domino de *Radekem*, Engelberto de Marcha, & Henrico Oelli scabino Leodiensi militibus, Petro de Herminscuto Malbo-

diensi, & Senogiensi Cameracensis diœcesis ecclesiarum canonico, Renero Dietscura villico Tudinensi, Johanne de Monte & Hermanno dicto *Hynce* ipsius domini episcopi camerariis, Johanne dicto *Despieres* de Tornaco, & Guidone de Hesiis scholastico Cameracensi Leodiensis diœcesis publicis & dicti reverendi patris notariis; ipsius domini episcopi feodalibus seu vassallis & pluribus aliis ad hoc specialiter vocatis & rogatis: quorum memoriæ & custodiæ præmissa fuerunt ab eodem domino episcopo commendata. In quorum testimonium his litteris nostrum sigillum duximus apponendum. Datum in monasterio S. Adriani de *Geralmont* ordinis sancti Benedicti Cameracensis diœcesis anno & die [a] supradictis. (*a*)

ALLEGATIONES DOMINI cancellarii Armaniaci.

Circa 1333 *Ex ms. Colbertino.*

JOHANNES de Armaniaco primogenitus GERALDI vicecomitis Fezensaquelli congregavit gentes armorum in patria Bearnii & alibi, & eas venire fecit ad locum de Tilhaco prope locum de Monte-Lugduno, ubi dictus GERALDUS erat per unam leucam, & ad quædam alia loca comitatus Pardiaci, in quibus locis fuerunt receptæ & alimentatæ de bonis ibidem existentibus, non contradicente dicto vicecomite, & abinde dictus primogenitus & frater ejus cum dictis gentibus armorum iverunt ad patriam Convenarum, ubi violenter more hostili ceperunt loca, interfecerunt homines, depopulati sunt agros, & alia mala fecerunt, quæ in qualibet guerra atroci fieri consueverunt, & ab inde regressi sunt ad locum de Cogeto in vicecomitatu Fezensaquelli, & ibi fuerunt recepti & educati, non contradicente dicto vicecomite nec alio pro ipso, & ad locum de Malo-vicino, & ad alia loca vicecomitatus Fezensaquelli, & continuando guerram cœptam de illis locis recedendo, & ibi redeundo faciebant guerram in comitatu Convenarum & aliis terris dictæ comitissæ.

Subsequenter dicta comitissa postulavit auxilium a domino comite Armaniaci, qui accommodavit sibi circa centum homines armorum, qui convenirent ad subsidium dictæ comitissæ, fuerunt recepti in locis de Alto-villari, de Lactora, & de Auxis, quæ sunt domini comitis Armaniaci: sed de illis locis nullam guerram fecerunt: immo priusquam aliquam guerram facerent, iverunt ad comitatum Convenarum, vel saltem ad locum de Samatano, qui est dominæ comitissæ Convenarum, & mixti cum aliis gentibus dictæ comitissæ, non solum defenderunt terras ejus, immo intraverunt Fezensaquellum, & ibi ceperunt violenter locum de *Baseng*, & prædas rapuerunt, & alia mala fecerunt, quæ in guerra sunt fieri consueta.

Item, dominus Pontius de Castilhone vasallus domini comitis Armaniaci congregavit gentes armorum in loco de Lopilhone subdito regi . . . . & ab inde recedendo cepit locum de *Mascaras* prope Montem-Lugdunum, qui erat dicti vicecomitis. Verum est quod vicecomes asserit, quod de locis quæ tenentur in feudum a domino comite Armaniaci fuit factus apparatus pro capiendo locum prædictum, & factæ explorationes, & dispositæ insidiæ, & super hoc cancellarius Armaniaci notificavit per Bernardum de Sancta Genia vassallum domini comitis Armaniaci & etiam vassallum & servitorem dicti vicecomitis eidem vicecomiti, quod si reperiret de locis domini comitis, vel quæ tenentur ab eo, fuisse aliquid factum pro capiendo dictum locum; vel si aliqua alia re putabat se offensum, ipse erat paratus ad simplicem requisitionem dicti vicecomitis reparari facere taliter quod deberent contentari. Qui respondit dicto Bernardo, quod non erat intentio sua facere super hoc requestam, nec petere justitiam ab officiariis comitis Armaniaci, pro excessibus factis extra territorium dicti comitis: & cancellarius replicavit, quod non erat ejus intentio usurpare illam cognitionem, sed reparare si quid perperam factum erat, ut consuevit fieri inter comites Armaniaci & Fuxi, quando unus asserit gentes alterius aliquid in sua patria fore fecisse: quia facit requestam, & alter reparat, si reparandum videtur: nec propter hoc dicitur usurpari cognitio in territorio alterius, quia non fit judicialiter, & si fieret judicialiter, idem esset: quia possunt punire subditos meos pro delictis alibi commissis.

Capto autem dicto loco de *Mascaras*, dictus vicecomes congregavit in patria Bearnii certum numerum gentium armorum, & ~~cum venire putarentur de Bearnio ad comitatum~~ Pardiaci, comitissa Convenarum misit gentes suas ut in itinere pugnarent contra ipsos, & dominus de Montesquivo, qui jam ab initio guerræ serviebat comitissæ, recepit gentes dictæ comitissæ in locis suis, quæ tenet in feudum a domino comite Armaniaci, & de locis illis fuit facta guerra vicecomiti. Bene est verum quod priusquam fieret illa receptatio, vicecomes cœperat facere guerram terræ prædictæ domini de Montesquivo, aprisionando homines, ut probatur per salvum conductum suum datum cuidam de Montesquivo, cum salvi conductus litteræ adhuc stant & possunt ostendi.

(*a*) Edita a Fisenio tom. 2. Legiæ-sacræ pagina centesima secunda sed truncata.

Cum autem prædictæ gentes comitissæ Convenarum essent in locis de Montesquivo, ceperunt exinde locum de Monte-viridi baroniæ de Birano, qui est infra comitatum Fezenciaci, & in feodum nobile tenebatur vel teneri debebat a domino comite per dictum vicecomitem, vel per filios suos, licet homagium facere noluissent: quamvis mater dictorum filiorum, & avus maternus, & proavus, & alii multi eorum prædecessores homagium prædictum fecissent. Audita autem captione dicti loci, gentes consilii domini comitis Armaniaci miserunt magistrum Guillelmum de Viterna procuratorem Fezensiaci ultra *Laysser* ad dictum locum, pro inhibendo subditis domini comitis, & rogando alios, quod dimitterent dictum locum & incolas illæsos: quia dictus locus erat de comitatu Fezensiaci. Cum autem iter faceret, reperit dictas gentes armorum ante locum de Brollio, qui est de eadem baronia; qui præsente procuratore prædicto fuit traditus per incolas dictis gentibus armorum: & quia procurator erat præsens, fuit fama, quod ad instantiam procuratoris fuerat locus redditus domino Bertrando de Armaniaco recipienti nomine domini comitis Armaniaci. Procurator autem asserit, quod numquam de illo se impedivit: sed solum cum peterent ab eo consilium, dixit eis quod ipsi sciebant quam fortis erat locus: & ideo si videbatur eis quod non possent resistere, melius erat eis quod redderent se & locum, quam si caperentur, & locus destrueretur: & quidquid dominus Bertrandus de Armaniaco dixit gentibus loci, ipse nullam habebat potestatem a domino comite, nec gentes consilii voluerunt, immo renuerunt recipere loca illa in manu domini comitis, immo fuerunt detenta nomine dictæ comitissæ Convenarum usque ad captionem dicti vicecomitis.

Captis autem prædictis locis de Monte-viridi & de Brollio, dictus vicecomes fecit de loco Monte-Lugduno equitari per patriam Ripariæ, quæ est domini comitis Armaniaci, & filius suus Johannes jussu ejus fecit equitari de loco de Malo-vicino per Leomaniam, & ibi fecit capi cancellarium dicti comitis Armaniaci, & alios ejus subditos, quos capere potuerunt, & universalem facere guerram per totam terram dicti domini comitis, & Arnaldus Guillelmi secundus genitus dicti vicecomitis de locis de Birano & de Ordano, qui tenebantur in feudum a domino comite, fecit equitari per totam terram Fezensiaci, prout opportunitas occurrebat.

Quibus malis irritatus & provocatus, dominus comes venit ad patriam suam defendendum cum exercitu copioso, & obsedit locum de Monte-Lugduno, ubi erat vicecomes qui motus terrore obsidionis, deseruit locum & fugit, quem secutus fuit dominus comes, dimisso ante locum certo numero gentium armorum, & cum non possent reperire dictum vicecomitem, rediit ad locum de Monte-Lugduno.

Audito autem adventu domini comitis, filii vicecomitis nulla habita securitate a domino comite, venerunt ad eum Auxi, & submiserunt se, retento instrumento publico de eorum submissione voluntati domini comitis; & ipse recepit submissionem & retinuit eos.

Quibus ita peractis, cinxit obsidione locum de Ordano, & cepit eum. Durante autem obsidione, fuit etiam captus vicecomes, qui erat in loco de *Beussens* valle Avedani senescalliæ Bigorræ, & subsequenter fuit captus locus de Virano, & loca vicecomitatus Brulhesii, & loca quæ dictus vicecomes habebat in patria Ruthenæ.

EPISTOLA LUDOVICI Flandriæ comitis ad canonicos Leodienses sancti Martini.

Reliquias sancti Martini eis mittit.

Ludovicus Dei gratia Flandrensis, Nivernensis, & Regitatensis comes, & dominus Machliniensis venerabilibus & discretis viris decano & capitulo ecclesiæ S. Martini Leodiensis, salutem & omne bonum.

Anno 1314. Ex ms. Cl. V. domini de Louvrex.

Devotionis affectio quam ad ecclesiam vestram venerabilis vir dominus Guillelmus de Auxona cancellarius noster, utriusque juris professor, canonicus Parisiensis, habuit & habet ab annis teneris ejusdem, a quo, faciente Deo, fortunæ suæ primordia congruis honoribus suscepit, prout ex parte ipsius didicimus, nos inducunt, ut ecclesiam vestram prædictam... instantia & precibus dicti domini Guillelmi, a quo non semel, sed frequentius, & quasi cum lacrymis admoniti extitimus, ut de aliquibus reliquiis gloriosissimi confessoris beati Martini episcopi, in cujus honore dicta vestra ecclesia est dedicata, eamdem ecclesiam participem facere curaremus. Ea propter particulam unam, scilicet de proprio capite, & particulam unam de stola propria ejusdem pii confessoris, quas de proprio reliquiario, in quo sub fideli & indubitata custodia existebant, recepimus, & quæ ab olim ab ecclesia B. Martini Turonensis noscuntur veraciter processisse antiquis registris & documentis nostris & prædecessorum nostrorum, & specialiter bonæ memoriæ domini Roberti Dei gratia comitis Flandriæ avi nostri, hoc attestantibus, vobis in capsella argentea deaurata, quam propter hoc idem Guillelmus fecit fabrica-

ri diligenter reconditas, per fidelem nuncium ad honorem Dei & exaltationem ecclesiæ vestræ prædictæ, sunt transmissæ. Ea propter vos in Domino exhortantes, quatenus has reliquias, cum summa recipientes devotione, eas fide indubitata venerari curetis, & reverenter inter alias ecclesiæ vestræ reliquias collocetis. Et ad pleniorem, & magis indubitatam præmissorum certitudinem, nos proprio ore in præsentia reverendi in Christo patris domini ADULFI Dei gratia Leodiensis episcopi consanguinei nostri carissimi fecimus attestari. In quorum testimonium & munimen præsentibus litteris sigillum nostrum duximus apponendum. Datum apud *Audenarde* XI. die mensis Januarii anno Domini MCCCXXXIV.

CARTA CAROLI VALESII de anniversario Eudonis comitis Britanniæ.

Anno 1334. Ex autographo in archivis Majoris-monasterii asservato.

NOus CHARLES de Valois frere du roy de France, comte d'Alençon, de Perche, de Jooigny, sire de Marqueul & de Fougeres, faisons savoir à tous ceux qui ces lettres verrons, que comme religieux hommes nos chiers amis ... l'abbé & le convent de Mermoustier se deissent avoir quarante souls Tournois de rente ou d'aumosne chascun an sur nostre terre de Porhoet du dom EON comte de Bretaigne, adonc seigneur de Porhoet, pour faire son anniversaire chascun an, donc par lonc temps ont eu saisine paisible, & par aucuns nouviaux temps en ença leur ont esté empeschiez, si comme ils dient. Nous oye & entenduë la relation de nos amez & feaus maistre Robert Milet clerc & le sire d'Arquers chevalier conseiller monseigneur le roy & les nostres, & reformateurs nagueres pour nous en nos terres de Fougieres & de Porhoet, pour le salut de l'ame dudit EON, & pour la nostre especialement, voulons & octroyons que il ayent à tousjoursmais perpetuelement lesdits quarante souls Tournois de rente chascun an paisiblement, donnant en mandement par la teneur de ces lettres au receveur de ladite rente present & avenir, que il leur paye ou à leur certain mandement ladicte somme d'argent chascun an, lequel payement nous voulons estre deduit audit receveur de sa recepte sans autre mandement attendre. Douné à Essay le XVIII. jour de Mars l'an de grace mil trois cens trente quatre.

EPISTOLA BLANCHÆ monialis regiæ stirpis ad Leodienses S. Laurentii monachos.

De veritate portiunculæ crucis dominicæ, quam ad eos misit.

DE PAR SUER BLANCHE DE FRANCHE.

Anno 1340. Ex autographo S. Laurentii Leodiensis. [a]

CHiers peres en Dieu, savoir vous fai, ke le fust de la sainte vraie crois ke je vous envoyay par maistre Gautier nostre confessour, est dou fust ke nostres tres chiers signour & peres monsignour le roy (a) PHELIPPE que Dieu asouille nous donnat, & le prist en la sainte vraie crois, ki est à Paris en la chapelle, nostres signour les rois de France. Et cil en a point de vraie ou monde, nous tenons ke celle de la dite chapelle le soit. Car c'est choze mout esprovoie, si comme chacun scet. Chiers peres nostre sire soit garde de vous.

CONCORDIA INITA inter Eduardum regem Angliæ & Bernardum de Lebreto.

Anno 1341. Ex ms. Colbertino.

CEte endenture tesmoigne les convenances, aliances & accords faicts par entre nous EDOART par la grace de Dieu roi d'Anglaterre & de France d'une part, & noble & puissant monsieur BERNART sire de Lebret en nom & pour noble home Reynaud de Pons.

Premierement ledit Reynaud deviendra nostre homme liege & nous fera homage & serment, & viendra a nostre obedience & service, & mettra a son poer en nostre obedience les lieux & ville de Pons & de Reybayralt & toute la vicomté de Carlades, & pour les dittes villes & comtez nous fera homage & demeurera a tousjours nostre home liege; & est acordé par entre nous, & ledit sire de Lebret au nom dudit Raynaud, que ledit lieu & chasteau de Pons, que maintenant sont en la main de sire PHILIPPE de Valoys avecques toutes ses appartenances demeurera tousjours vers ledit Reynaud, ainsi come son propre heritage, pour ces que nous sommes plendement enformez, que lesdits lieux & chasteaux appartenoient audit Reynaud, & nous luy promettons a rendre ledit lieu, & deja luy rendons, au plustost comme sera hors de la main dudit Philippes. Et sur ce promettons nous dit roy donner lettres audit Reynaud

(a) De hoc Philippo rege patre Blanchæ sanctimonialis non consentiunt auctores, quibusdam asserentibus fuisse Philippum quartum Pulchrum vulgo appellatum, aliis vero Philippum v. Longum dictum Pulchri filium, qui regnare incepit anno 1316. At Pulcher nullam habuit filiam Blancham appellatam, bene autem Philippus-Longus, qui ex Johanna Ottonis IV. comitis Burgundiæ nata, quatuor genuit filias, quarum ultima Blancha nomine vitam religiosam apud Longum-Campum prope Parisios anno 1337. professa dicitur, nec sine sanctitatis nota obiisse anno 1358. die 26. Aprilis, quo ejus nomen consignatur in martyrologio Franciscanorum.

a sa desvyse, ou de son conseil sans enüer A substance.

Item, est accordé par entre nous dit roy d'une part, & ledit sire Lebret en nom dudit Reynaud d'autre part, que si nous prenons paix & treve avec ledit sire Philippes, que nous mettrons ledit Reynaud & ses compagnons qui vindrons avecques luy en ladite paix ou treve sans abatemens de leur chasteaux & villes, & sans pertes de terres, & sans exil de leurs personnes perpetuel ou a temps, & auxi leur emanderons nous dit roy ce qu'il perdra, ou ses gens qui viendront a nostre suite avecque luy pour cause B de nostre adherance. Et aussi luy promettons nous de faire come roy.

Item, est accordé que nous dit roy devons payer ledit Reynaud de ses gages & de ses gens qu'il pourra avoir pour un quartier del en avant la mayn, lesquels gages luy promettons a donner tels come sont accoustumés enciennement en Gascoigne.

Item, est accordé que come madame JEHANNE de Lebret mere audit Reynaud pourchasse ceste alliance, & par ce n'oseroit demeurer au pouvoir dudit sire PHILIPPES, ne avecques son seigneur, nous dit roy devons payer a laditte dame son doaire tel come pourra monstrer par cartes que luy C sera deuë. Et luy promettons de pourvoir autrement sur son estat, & touttes ces choses promettons a faire nous dit roy & que ainsoins par nostre foy loyalement & en tesmoignance douné & accorde està Londres, le premier jour de Juin l'an de nostre regne d'Anglaterre quatorsieme & de France premier.

EPISTOLA EDUARDI REGIS Angliæ ad Bernardum de Lebreto.

Gratias agit de rebus in bello Aquitanico gestis, promittitque se ei quamprimum pecunias missurum. D

Anno 1341. *Ex ms. Colbertino.*

EDOARD par la grace de Dieu roy de France & d'Angleterre, & seigneur d'Irlande a nostre chevalier & bien amé feal monseigneur BERNADETS sire de Lebret, salut.

Nous avons veu & regardé vos lettres quelles vous nous avez envoyez, si avons assez pleinement entendus les grands aides & secours que vos avez fait a nostre duchié de E Guyenne pour nostre honneur faire, & nos droictures porchacier, & les grands & outregrands mises, & custages, que vous avez fait par celle cause, dont nous vous mercions tant cherement, & de si entier cuer, come plus poons, & si Dieu plest, nous le monstrerons a evre en temps a venir, en telle maniere que vous rendrez ce que vous avez fait devers nous bien employé, & quand a ce que deniers & autres biens ne sont venus devers vos parties hors d'Angleterre, il nous poise molt durement, mais certainement la deffaute n'ad mie esté en noz, mez en ceulx qui ont menez toutes nos besoignes en Angleterre, & qui se sont trop mauportez tant devers nous, come devers vous. Car au temps que nous venismes outre-mer, nous n'avions gaires de deniers, pour cause de la grande haste que nous avions, d'encontrer la flotte de nos ennemis, & de tout le temps que nous avons puis demourez aussi bien en Flandres come devant Tornay, nul deniers ne nous vint hors de nostre royalme par nul mandement que nous poeviez faire illecques, comment que assez des biens nos soient garentiz par nostre poeple, que porra suffire tant pour nous, come pour vous, mes ne veillez pas tant de rens desesperer, que vrayement nos biens od l'eide de Dieu mettre tieu remede, que ceuly est esquels la deffaute sera trové seront punis selon leur decert, & par celle cause nous pensons mesmes passer hastivement en Angleterre, & adonc nos ordonnerons ensuit quand es deniers & autres biens envoyer par devers vous, que bonnes amendes feront faites devers vous, si Dieu plest, de quan que ad esté mespris & delayez en temps passé, & de ce que nous vous avons promis avant ces heures que deniers & autres biens vous devoient avoir venus, nous voillez tenir pour excusez, que certainement nous l'avons fait par assurance & promesses de nos ministres en Angleterre. Car ils nous ont promis en mesmes la maniere. Mes nous ne fierons plus en telles promesses, ains mettrons mesmes remede, si Dieu plest, hastivement, & a nostre venuë en Angleterre, nous ordonnerons aucun grand de nostre royalme de venir par devers vous, avecques les biens que nous y envoyerons, mes toutesfois il convient que vous pottez la charge de cappitaine tant que les besoignes seront mises en autre estat, & ce vous prions pour nous que certainement, nous ne vous poons, ne ne poons en tenir pour excusez que . . . & endroit de la confirmation du grand fait, & au seigneur du Puy Guilliam, pour quelle nous vous avons priez, vous prions especialement, que vous voillez envoyer aucun des vos a nos en Angleterre a poursuivre celle besoigne, & toutes autres que vous rouchent, & que vous sont a cuer, & nous en ferons tel exploits, que vous vous tendrez, si Dieu plaist, pour content, & illecques nous ordonnerons des gages que vous prendrez pour vostre corps, & de toutes autres choses, dont vous nous voyrez fortifier. Car nous avons nostre conseil plener, & pourtant feront les choses de groynoures forces, & de meilloure authorité en

temps avenant, que certainement nostre volunté est entierement, que toutes choses entre nos & vos soient tant fermes & estables & faites par telle deliberation, que rien n'en puet repugnez, ne empeschez en temps avenir. Don sans nostre propre seal a Ganno le vingt & un jour de Novembre l'an de nostre reigne d'Angleterre quatorsiesme, & de France premier.

A monseigneur Bernardetz sire de la Brette nostre chevalier amez foial par le roy d'Angleterre & de France.

LITTERÆ EDUARDI regis Angliæ.

Acceptas tempore belli injurias remittit Augerio & Arnaldo Raymundi filiis Raymundi Guillelmi vicecomitis de Seule.

Anno 1343. Ex ms. Colbertino.

EDUARDUS Dei gratia rex Angliæ, dominus Hiberniæ, & dux Aquitaniæ, omnibus ad quos præsentes litteræ pervenerint, salutem. Sciatis quod nos pro nobis & successoribus nostris & omnibus fidelibus nostris remisimus & perpetuo quittavimus, & adhuc remittimus & quittamus, dilectis & fidelibus nostris Augerio & Arnaldo Raymundi fratribus filiis quondam Raymundi Guillelmi vicecomitis *de Seule* & omnibus fautoribus & sequacibus eorum, omnes quæstiones, rancores & odia quæ contra prædictos fratres, & patrem, & sequaces ipsorum, & fautores habuimus, & habere potuimus usque ad tertium diem Novembris qui fuit anno regni domini H. regis patris nostri XLVI. ratione seu occasione guerræ inter dominum patrem nostrum prædictum, nos, & fideles nostros vicecomitis filios, fautores & sequaces eorum dudum habitæ, homicidiorum, rapinarum, & aliorum quorumcumque delictorum, & transgressionum nobis & nostris ab eisdem vel eorum aliquibus illatorum, & eos ad pacem nostram admittimus liberaliter & benigne, promittentes bona fide, quod super præmissis eisdem vel alicui ipsorum nullam per nos vel nostros de cetero movebimus quæstionem. In cujus rei testimonium has litteras nostras fecimus fieri patentes. Datum apud *Blankcfort* XXVIII. Maii, anno regni nostri XVI.

CLEMENTIS PAPÆ VI. ad capitulum generale Cisterciense.

Ut orent pro papa.

Circa 1345. Ex ms. Colbertino.

DIlectis filiis Cisterciensi ejusque coabbatibus in generali Cisterciensi capitulo congregandis, salutem.

Dum candidatum vestri ordinis exercitum in castris claustralibus virtuose militantem Domino mentis oculis aspicimus, & qualiter armis præcinctus divinis, devotarum scilicet orationum suffragiis, adversus hostium malignorum insidias continuis dimicare vigiliis, ne hostium ipsorum succumbat insultibus, non desistit, paternæ meditationis intuitibus contemplamur, merito ad prosperum statum ipsius ordinis, per cujus operationes salubres in agro dominico uberes fructus crescunt, afficimur, desideriis optantes intensis, ut ordo ipse spiritualibus incrementis proficiat, & temporalibus subsidiis non decrescat. Ideoque universitatem vestram rogamus, monemus, & attentius in Domino exhortamur, quatenus in instanti vestri generalis congregatione capituli, ad ea quæ Dei sunt, ac religionem fovent & nutriunt, adeo sint corda vestra concordia, & opera manifesta, quod interius religionis veritas, & exterius famæ integritas conserventur. Et licet supponamus indubie, quod vos paternum, quem ad vos gerimus, orationum intercessionibus recompensetis affectum, exhortationibus tamen prædictis adjicimus, ut in eodem capitulo precum devotarum instantias ad Dominum humilitate spiritus effundatis, & effundi per totum ordinem statuatis, quod ipse qui solus est potens, & in cujus ditione cuncta sunt posita, turbatum mare mundi hujus guerrarum & dissensionum tempestuosis fluctibus sua ineffabili pietate quietet, ut fideles in pacis pulchritudine & fiduciæ tabernaculis quiescentes, ipsum pacis auctorem devotius, & crebrius operibus pietatis intendant, malorum timore sublato, nobisque ad perferendam apostolici oneris sarcinam humeris nostris impositi virtutem tribuat, & imbecillitatem nostram suæ potentiæ fortitudine fulciat & sustentet, ut gregem dominicum curæ nostræ commissum, juxta suum beneplacitum, in viam salutis dirigere, ac tamdem post laboriosos præsentis vitæ decursus, cum rege ipso quietis perennis mercede perfrui feliciter valeamus. Datum.

EPISTOLA CLEMENTIS PAPÆ VI. ad Johannem primogenitum Philippi regis Francorum.

Conceditur duci Normanniæ primogenito regis Franciæ, quod possit tangere sacra præter corpus Dominicum, & quod possit recipere poculum sanguinis.

DIlecto filio nobili viro JOHANNI carissimi in Christo filii nostri PHILIPPI regis Franciæ illustri primogenito duci Normanniæ, salutem. Ex ms. Colbertino.

Sinceræ devotionis integritas, quam ad Deum, & nos & sanctam Romanam ecclesiam gerere dinosceris, promeretur, ut petitionibus

titionibus tuis, illis præsertim quæ tuæ devotionis & salutis augmentum promovent, benignis & gratiosis favoribus annuamus. Hinc est quod tuis devotis supplicationibus inclinati, ut quæ sacra sunt, præterquam corpus Dominicum, quod per alios quam per sacerdotes tractari non convenit, tangere quoties opportunum fuerit, & ad hoc te inducet piæ devotionis affectus, cum honestate tamen & reverentia, quibus decet, valeas Et cum per confessorem tuum vel sacerdotem alium sacra communio corporis Domini nostri JESU-CHRISTI tibi ministrabitur, possit etiam poculum sanguinis, constitutionibus, statutis, consuetudinibus & observantiis quibuscumque contrariis nequaquam obstantibus, ministrari tibi, quamdiu vixeris, in quocumque statu, etiamsi regali dignitate fulgeres, fueris, tenore præsentium de speciali gratia indulgemus. Volumus autem, quod idem confessor vel sacerdos qui tibi communionem hujusmodi ministrabit, circa hoc sic secrete se gerat, & caute, quod in ministratione tibi facienda de sanguine, nihil extra vasa effundi de illo valeat, nec scandalum quomodolibet generari. Nulli ergo, &c. Datum.

TESTAMENTUM DOMINI Guigonis olim episcopi Casinensis ac rectoris patrimonii.

Anno 1345 *Ex ms. Colbertino.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen. Ego GUIGO DE S. GERMANO permissione divina episcopus Casinensis, ejusque miseratione propitia sanæ mentis, conspiciens quod labilis est præsentis vitæ conditio, quod videlicet ipsa statum habet omnino instabilem, & quod ea quæ visibilem habent essentiam tendunt visibiliter ad non esse, habensque volensque de me & bonis meis patrimonialibus & aliis quibuscumque ad me spectantibus testari, & disponere ad laudem omnipotentis Dei, & salutem animæ meæ, præsens testamentum, seu ultimam voluntatem per nuncupationem condo, ordino, & facio in hunc modum.

I. In primis confiteor, simpliciter recognosco, & credo firmiter sanctam & catholicam fidem individuam Trinitatem, Patrem, Filium, & Spiritum-sanctum, & omnes alios articulos ejusdem fidei orthodoxæ secundum quod sacro-sancta Romana & universalis mater ecclesia profitetur & docet devotissime & humillime sicut possum: supplicans Domino Deo nostro, ut per suam misericordem clementiam & piissimam bonitatem animam meam de locis pœnarum & principibus tenebrarum dignetur eripere, quatenus omnium peccatorum vinculis absoluta, quietis & lucis æternæ beatitudine perfrui, & inter sanctos & electos suos in resurrectionis gloria perenniter mereatur.

II. Item, ego eligo corpori meo sepulturam ex causa depositi in ecclesia sancti Antonii Avenionensis, & ibi deponi volo, & exinde transferri seu translatari volo, jubeo & ordino, prout & ubi venerabilis & carissimus pater GUILLELMUS abbas monasterii sancti Antonii Viennensis diocesis executor meus infra scriptus, vel duo ex subscriptis executoribus meis disponere voluerint, seu etiam ordinare.

III. Item, volo, jubeo, mando; & ordino specialiter & expresse, quod omnibus creditoribus meis, familiaribus, & aliis quibuscumque personis quibus in aliquo & ex aliqua legitima causa teneri potero tempore mortis meæ specialiter, & omnibus aliis de me juste querelantibus generaliter per executores meos infra scriptos de bonis & juribus propriis & ad me pertinentibus quoquomodo sufficiens emenda & congrua satisfactio impendatur plane & quiete, & sine strepitu judicii & figura, & qualibet juris solemnitate remota. Et super his & omnibus infra scriptis dicti executores mei illas probationes admittant, & illis stent de quibus videbitur expedire.

IV. Item, in redemtionem animæ meæ, & in recompensationem servitiorum per me ut debui, non impensorum venerabili ecclesiæ beatæ MARIÆ Aniciensis, & satisfactionem eorum in quibus eidem ecclesiæ teneor & teneri possum, & fateor me teneri, do & lego dictæ ecclesiæ & servitoribus ipsius ad emendum reditus perpetuos & annuos, distribuendos anno quolibet dominis canonicis & clericis ejusdem ecclesiæ, in missa crucis ibidem annuatim & perpetuo, ut moris est, celebranda in die obitus mei, & illis qui intererunt in choro ecclesiæ prædictæ in dicendis horis canonicis in die festi beati Theofredi, pro faciendo ipso festo, & distributiones dicta die, & in missa crucis prædicta, per bajulos universitatis dictæ Aniciensis ecclesiæ, videlicet sex denarios cuilibet canonico, & tres denarios cuilibet clerico Aniciensi qui intererunt in choro, dum dicta missa mortuorum celebrabitur in choro crucis, & illis dominis canonicis & clericis prædictis, qui intererunt in choro horis canonicis in die festi beati Theofredi, qualibet hora & cuilibet ipsorum unum denarium, vel alias juxta dispositionem & ordinationem executorum meorum infra inscriptorum, centum florenos auri de Florentia semel solvendos de bonis meis.

V. Insuper, volo & mando, dispono & ordino cappam cum historiis & imaginibus & tacello argenti munitam, & completam, per me emtam nuper Avenione, dictæ Ani-

ciensi ecclesiæ dari, & reddi, & solvi, in restitutionem & emendam eorum in quibus sum dictæ ecclesiæ obligatus, & quod quamdiu heres meus solvere voluerit centum solidos Turonenses quolibet anno monetæ currentis pro supportandis omnibus prædictis, volo quod non compellatur ad solvendum dictos centum florenos. Volo etiam, quod capitulum Aniciensis ecclesiæ prædictæ nihil plus possint nec debeant petere ab herede seu heredibus meis quibuscumque.

VI. Item, do & lego cuilibet pauperum hospitalis beatæ Mariæ Aniciensis, & cuilibet dominarum servientium eisdem sex denarios Turonenses semel tantum.

VII. Item, conventui monasterii Doe Præmonstratensis ordinis, Aniciensis diœcesis, do & lego, pro faciendo ibi quolibet anno anniversario meo in die obitus mei, ad emendum reditus perpetuos XXX. florenos auri semel solvendos; sed quamdiu heres meus solvere voluerit dicto conventui XXX. solidos annuatim pro faciendo anniversario, volo quod non possit interim compelli ad solvendum dictos XXX. florenos conventui memorato.

VIII. Item, conventui fratrum Prædicatorum Aniciensi do & lego pro faciendo ibidem anniversario meo LX. solidos semel tantum, quodque dicta die tenebuntur divina officia celebrare.

IX. Item, pro simili anniversario meo faciendo do & lego conventui fratrum ordinis Minorum Aniciensi L. solidos Turonenses semel tantum.

X. Item, simili modo pro anniversario meo faciendo do & lego conventui fratrum ordinis beatæ Mariæ de Monte-Carmelo Aniciensi XL. solidos Turonenses semel tantum.

XI. Item, pro simili anniversario meo faciendo do & lego conventui dominarum de Valle ordinis S. Augustini prope Anicium XL. solidos semel tantum.

XII. Item, conventui de Silva benedicta ordinis Cisterciensis Aniciensis diœcesis do & lego pro simili anniversario faciendo centum solidos Turonenses semel tantum.

XIII. Item, conventui cuilibet monasteriorum S. Theofredi ordinis S. Benedicti, ac Mansiadæ, & Camporum-bonorum, & Bellæ-cumbæ ordinis Cisterciensis, Aniciensis & Vivariensis diœcesis, pro consimilibus anniversariis faciendis LX. solidos Turonenses tantum do & lego.

XIV. Item, ecclesiæ S. Germani Aniciensis diœcesis & servientibus ejusdem do & lego, ad faciendum annuatim ibidem anniversarium meum, X. florenos auri semel tantum solvendos, pro emendis reditibus perpetuis, ad faciendum anniversarium antedictum. Sed quamdiu heres meus solvere voluerit decem solidos annuatim, volo quod non possit compelli ad solvendum X. florenos prædictos.

XV. Item, pro faciendo consimili anniversario annuatim in die obitus mei in ecclesia sancti Quintini dictæ Aniciensis diœcesis, do & lego eidem ecclesiæ & servientibus ejusdem, ad emendos reditus perpetuos, decem florenos auri semel solvendos de bonis meis; sed quamdiu heres meus solvere voluerit decem solidos Turonenses pro prædictis oneribus supportandis, volo quod non possit compelli ad solvendum X. florenos prædictos.

XVI. Item, do & lego Margaritæ relictæ Pontii de S. Germano fratris mei quondam, expensas per ipsam factas de bonis meis in reparando, fulciendo & ædificando hospitium suum quod habet in civitate Aniciensi, & volo etiam & mando, quod si qua essent solvenda ratione hujusmodi ædificii, solvantur de bonis meis prædictis, quæ habet Paulianus Bernardi canonicus Aniciensis, si quæ sint & secundum ordinationem executorum meorum, vel duorum ex ipsis.

XVII. Item, lego eidem Margaritæ fructus, redditus, obventiones quaslibet ac universos & singulos, quos habeo in castro & mandamento sancti Quintini, & in loco seu manso *de Cros*, quamdiu vitam duxerit in humanis; & volo & mando sibi provideri de aliis bonis meis in necessitatis articulo, quamdiu ipsa vixerit in humanis.

XVIII. Item, remitto, do, & lego religioso viro Michaeli Moteti decretorum doctori priori prioratus sancti Laurentii de Lacu ordinis sancti Benedicti Gratianopolitanæ diœcesis, pro gratis servitiis mihi per ipsum impensis, XXX. florenos auri, quos eidem mutuavi, & in quibus mihi tenetur, & de quibus habui instrumentum, & mando sibi restitui idem instrumentum.

XIX. Item, de donatione inter vivos, seu donatione causa mortis, & ut melius valere poterit, Ademario de Bardis domicello meo equum quem equitat, & arnosium seu armaturam quas habet, pro gratis & acceptis servitiis quæ mihi impendit & fecit, & in satisfactionem eorum.

XX. Item, dico & confiteor me habere & dimisisse cum rauba mea apud Montem-Flasconem libros & raubam domini quondam Beraudi Marchesii utriusque juris professoris, quæ omnia æstimata sunt CC. & L. florenos auri, quæ heredibus suis seu illis ad quos spectant reddi & restitui volo.

XXI. Item, dico & confiteor, quod prædicta rauba mea dimisi, & sunt quidam libri religiosi viri domini Michaelis Moteti, quos sibi reddi & restitui volo.

XXII. Item, recognosco & confiteor me teneri ex causa veri & puri mutui reverendissimo patri & domino meo præcipuo do-

mino PETRO tituli sancti Clementis presbytero cardinali in c. florenis auri de Florentia.

XXIII. Item, heredibus quondam domini Petri Gauterii de Vapinco in c. florenis auri confiteor me teneri, quos eisdem heredibus de bonis meis, reddi., solvi & restitui volo.

XXIV. Item, heredibus quondam Johannis ... Jarente Pagani de Grana Valentinensis diœcesis.

XXV. Item, tam pro quibuscumque mutuis quocumque tempore pro me Avenione de camera domini nostri papæ, & etiam apud Montem-Flasconem receptis, quam etiam pro omnibus iis quæ recepi de bonis cameræ domini nostri papæ prædicti apud Montem-Flasconem, vel alibi cum eram rector patrimonii beati Petri in Tuscia, seu alias quandocumque de bonis dictæ cameræ habui & recepi de bonis & thesaurario dictæ cameræ & Montis-Flasconis, & domini nostri papæ, ad faciendas expensas necessarias & onera supportanda, quæ mihi incumbebant fieri pro negotiis mihi commissis per dominum nostrum papam, & quæ negotia erant in patrimonio prædicto. videlicet tria millia florenorum, quæ quidem omnia expendi tam in pecunia, quam in quibuscumque aliis bonis: quæ quidem omnia confiteor me habuisse & recepisse & expendisse pro honore & negotiis sanctæ Romanæ ecclesiæ.

XXVI. Item, mando & præcipio, quod restituantur matri quondam venerabilis viri domini Martini de Chalantonio ac ejusdem domini Martini heredibus LX. floreni auri, quos habebam adhuc seu restabant ad solvendum de bonis executionis ipsius.

XXVII. Item, mando & præcipio restitui matri quondam magistri Matthæi de Duneto Aniciensis diœcesis XX. florenos auri, in quibus dicto magistro Matthæo poteram teneri.

XXVIII. Item, volo stari & credi juramento Durandi de Cumbis domicello, de & super iis quæ debeo sibi, de ejus legalitate confisus, & quæ suo juramento idem Durandus asseret sibi deberi per me, præcipio eidem Durando solvi & reddi de bonis meis.

XXIX. Item, simili modo volo stari & credi juramento Guillelmi Romei de his quæ debere possum sibi.

XXX. Item, volo & mando credi & stari juramento domini Durandi de Rivali chorarii ecclesiæ Aniciensis, de his in quibus possum sibi teneri.

XXXI. Item, volo & ordino, quod legata alia quæ idem dominus abbas solus vel duo ex executoribus meis infrascriptis facere & ordinare voluerint, provide habeantur & habeant, ac si eadem expressissem.

XXXII. Item, volo, mando & ordino, quod præfatus dominus meus abbas omnibus prædictis & infrascriptis per me dispositis, ordinatis, & relictis, ac legatis, possit addere, detrahere & diminuere, prout sibi placuerit & expediens videbitur, vel duo ex meis executoribus infrascriptis.

XXXIII. Item, volo, sed expresse inhibeo, quod heres seu heredes & executores mei infrascripti vel aliqui eorumdem possint compelli ad solvendum legata & alia disposita & ordinata per me superius, nisi solutionibus & temporibus disponendis & ordinandis per eumdem dominum abbatem, vel per duos de executoribus meis, & quod non possint incurrere sententias excommunicationis, interdicti, seu alias quascumque pœnas juris vel hominis latas auctoritate quorumcumque statutorum synodalium, vel alias quoquo modo promulgatas vel promulgandas, nisi tunc demum post hujusmodi ordinationem & dispositionem de solvendis prædictis per prædictos executores meos, ut præmittitur, factos, sed heres vel heredes mei essent in mora solvendi prædicta.

XXXIV. Item, instituo mihi universalem heredem, ipsum ore meo proprio proferendo & nominando nobilem ARMANDUM DE S. GERMANO, alias de Vilareto, nepotem meum, in omnibus & singulis bonis meis immobilibus & mobilibus, castris, villis & eorum territoriis & juridictionibus, ac juribus & actionibus quibuscumque mihi competentibus & competituris, & quocumque modo & ex quacumque causa præsentibus & futuris ad me pertinentibus tempore mortis meæ, his exceptis, de quibus in codicillis, si illud vel illa in futurum condidero, disposuero, vel etiam ordinabo.

XXXV. Item, si moriatur idem Armandus sine liberis masculis ex suo corpore & ex legitimo matrimonio procreandis, in illum casum substituo eidem ARMANDO nobilem AYGLINAM sororem meam, matremque dicti Armandi in omnibus bonis meis prædictis, hoc salvo, adjecto & retento, quod si moriatur dictus Armandus relictis filia vel filiabus ex eo de legitimo matrimonio procreatis, volo, jubeo & ordino, quod debeant dotari decenter de bonis hereditatis meæ prædictæ, non obstante substitutione præmissa.

XXXVI. Item, si dictus Armandus decedat sine liberis masculis, ut est dictum, non superstite dicta AYGLINA sorore mea, vel etiam si & quando ipsam Ayglinam decedere contingeret, substituo in casibus prædictis, & juxta adjectionem superius expressatam, eisdem Armando & Ayglinæ, & etiam eorum cuilibet Petrum filium Ayglinæ, fratremque dicti Armandi. Et si ille Petrus tunc non viveret, vel si viveret &

decederet sine liberis masculis, in his casibus & quolibet ipsorum, substituo alium filium dictæ Ayglinæ sororis meæ, si quis supersit; & si plures filii ipsius Ayglinæ superessent, substituo suprascriptis illum de filiis Ayglinæ qui eligeretur per Armandum & Ayglinam prædictos, vel alterum eorumdem, vel istis deficientibus per tres de parentibus meis magis propinquis. Si vero prædicti omnes per me instituti & substituti decederent absque liberis masculis, in illum casum substituo Guigonem de Glavanacio, alias dictum Guigardonum, & postea Astorgium dictum de *Lardayrel* Aniciensis diœcesis & heredem masculum ipsius successive cum adjectione de maritandis filiis dicti Armandi, si quæ superessent ex tunc, de bonis hereditatis meæ prædictis.

XXXVII. Præsentis autem mei testamenti seu ultimæ voluntatis eligo, facio, ordino, & constituo executores meos & meæ ultimæ voluntatis, videlicet præfatum dominum meum dominum GUILLELMUM abbatem monasterii sancti Antonii Viennensis diœcesis, venerabiles & discretos viros dominos Gotefridum de Rupenocria præpositum ecclesiæ Tolonensis, Guigonem de Godeto legum doctorem, Hugonem de Turre, & Petrum Blanthonis canonicos Anicienses, Petrum Arnaldi, & Durandum de Cumbis domicellos, dominum Petrum Gilberti chorarium ecclesiæ Aniciensis, Guillelmum Romei S. Enodii, & Simonem Aprilis S. Georgii Aniciensium ecclesiarum canonicos, & quemlibet eorumdem ad faciendum, exequendum, & complendum omnia & singula supradicta, & meam ultimam voluntatem, & dispositionem, & de ipsis executoribus meis, & cuilibet ipsorum omnia & singula bona mea absque licentia alicujus curiæ seu personæ, tam in vita mea, quam etiam post mortem meam, & etiam absque confessione alicujus inventarii plenam & liberam potestatem & speciale mandatum & irrevocabile hujusmodi executionem complendi, & eorum propria auctoritate apprehendendi, tenendi, & capiendi, & etiam omnia & singula nomina & debita mea recuperandi, & de receptis per duos ex executoribus meis quittandi, & omnia bona mea mobilia & immobilia ubicumque consistentia ac se moventia, præsentia & futura, castra, jura, & jurisdictiones ad me spectantia quoquo modo, & corporalem possessionem seu quasi bonorum & jurium omnium prædictorum, & pro hujusmodi executione complenda & facienda habendi & tenendi juxta præsentis seriem testamenti & ultimæ voluntatis. Quæ omnia & singula bona ex nunc prout ex tunc precario jure ipsorum executorum meorum nomine meo constituo possidere, donec ipsorum possessionem & quasi intervenerit & acceperint corporalem, dans etiam & concedens ego prædictus testator dictis executoribus meis, & eorum cuilibet juxta tenorem infrascriptum omnia & singula bona & jura mea ad complendum executionem eamdem, & legata etiam omnia, & singula debita complendum & exequendum, & faciendum quæ superius continentur: ad petendum insuper, exigendum, & recipiendum omnes & singulos fructus, reditus, & proventus omnium beneficiorum meorum quorumlibet qui mihi deberi poterunt tempore mortis meæ, omnesque & singulas pecuniarum summas, & res alias quascumque, necnon omnia alia & singula mihi debita, debitas & debendas, & de receptis quittationes plenarias faciendum.

XXXVIII. Item, relevo dictos executores meos & eorum quemlibet a reddicione computi seu rationis, de eorum legalitate confisus, ipsos analogistas faciendo.

XXXIX. Volo quoque & ordino & dispono, quod si omnes executores mei prædicti non potuerint, seu noluerint, vel distulerint vacare executioni hujusmodi faciendæ, & requisiti ut dictæ executioni vacarent, & vacare non possent, vel nollent, aut absentes essent a loco in quo vacandum esset executioni hujusmodi, vel alicui negotio dictam executionem tangenti, vel etiam alias quandocumque opportunum esset aut utile, aliquid de dicta executione facere in judicio sive extra, idem dominus abbas solus & in solidum, vel duo ex dictis executoribus meis potestatem plenariam super præmissis omnibus faciendis, complendis, exercendis, & plenarie exequendis, aliorum coexecutorum consensu vel voluntate minime expectata.

XL. Item, supplico tanta humilitate & deuotione quanta possum reverendissimo patri & domino meo præcipuo domino PETRO tituli S. Clementis presbytero cardinali, cui me & mea, & etiam heredem & familiares meos, & negotia hujusmodi executionis humiliter recommendo, quatenus ipse sui benignitate & misericordia in prædictis & etiam dictis executoribus meis velit præstare suum benignum auxilium, consilium & favorem.

XLI. Prædicta autem omnia & singula per me donata, legata, & relicta, necnon institutionem & substitutiones per me factas superius quibuscumque personis & locis dedi, legavi, & feci; do, lego, & facio, & eisdem & ipsorum cuilibet, quibus supra ea legavi, dedi, seu reliqui, & vobis Johanni Jaquineti de Baudricuria.... publicis notariis infrascriptis, & vestrum cujuslibet eorumdem & aliorum quorum interest, interesse potest vel intererit in futurum, in restitutionem & emendam eo-

rum in quibus ipsis & eorum cuilibet teneor, teneri possum, & sum obligatus eisdem.

XLII. Hoc autem testamentum meum ultimum uno contextu per me factum & meam ultimam voluntatem esse volo, quæ si non valerent jure testamenti, præcipio quod valeat & eam valere volo & tenere jure codicillorum; & si jure codicillorum non valeret, eam valere volo jure donationis causa mortis, vel cujuslibet alterius ultimæ dispositionis seu voluntatis, quam etiam præfero & præferri volo omnibus aliis meis testamentis, seu ultimis voluntatibus per me factis temporibus retroactis: quæcumque alia testamenta per me alias retroactis temporibus facta revocando, præsenti testamento remanente in sui roboris firmitate: quæ dictari & emendari volo ad dictamen cujuslibet sapientis.

XLIV. Super quibus omnibus & singulis suprascriptis requiro & rogo vos, & vestrum quemlibet, notarios publicos hic præsentes .... & divisim fieri unum vel plura publica instrumenta, & si requisiti fueritis de qualibet clausula sigillatim, & in testes invoco vos omnes hic astantes quos & vestrum quemlibet specialiter & expresse rogo quod sitis testes in & de prædictis & vocari feci ad ea.

Acta & ordinata fuerunt præmissa per dictum testatorem uno contextu & sanum mente in Villa-nova S. Andreæ Avenionensis diœcesis anno Domini MCCCXLI. indictione IX. pontificatus sanctissimi patris & domini nostri domini Benedicti papæ XII. anno septimo, die dominica XXIX. mensis Julii præsentis.

EPISTOLA HENRICI comitis Ruthenensis ad Philippum regem Francorum.

Orat ut scribat domino papæ ad obtinendam dispensationem contrahendi matrimonii in quarto gradu inter Robertum comitem Clarimontis & filiam suam.

Circa 1350. *Ex ms. Colbertino.*

ILlustrissimo viro atque magnifico, excellentissimoque domino suo domino PHILIPPO Francorum regi Dei gratia HENRICUS comes Ruthenensis ejus fidelis, humiliter ac certa cum reverentia tam debita quam devota.

Noverit vestra regia celsitudo, quod cum ego qui vester sum, magis desiderem esse vester, & contraxissem sponsalia de quadam filia mea primogenita cum ROBERTO comite Clarimontis, Dalphino Arverniæ, consanguineo dominæ reginæ illustrissimæ consortis vestræ, & impedimentum apparet in dictis sponsalibus, videlicet affinitas in quarto gradu consanguinitatis, propter quod absque dispensatione sedis apostolicæ non potest inter ipsos matrimonium consummari: inde est quod reverendæ dominationi vestræ supplico humiliter implorando, quod vos dignemini scribere domino papæ deprecando, quod ipsi placeat super dicto impedimento misericorditer dispensare.

EPISTOLA HENRICI comitis Ruthenensis ad Eduardum Anglorum regem.

Ejusdem argumenti.

EXcellentissimo viro, magnifico & honesto, dominoque suo carissimo YDUARDO Anglorum regi Dei gratia HENRICUS, &c. Noverit dominatio vestra, regia altitudo, quod antiqua familiaritas, quam erga vos & vestros & nos & nostri habuimus & habemus, nobis præstant audaciam vos petendi, inde quod cum contracta fuerint sponsalia inter filiam nostram ISABELLAM & ROBERTUM comitem Clarimontis Delphinum Alverniæ, & impedimentum modo de novo appareat in eisdem, videlicet affinitas in quarto gradu, propter quod absque dispensatione sedis apostolicæ non potest inter dictos sponsos matrimonium consummari, dominationem vestram & excellentiam venerandam, de qua fiduciam quærimus priorem, quatenus placeat vobis dominum papam litteratorie deprecari, ut ipse super dicto impedimento dignetur misericorditer dispensare. Suppleatis, addatis, & apponatis quod videbitis faciendum.

EPISTOLA CLEMENTIS papæ VI. ad Amanevum de Lebreto.

De pace ineunda ipsum inter & Johannem de Ferrariis senescallum Vasconiæ.

Anno 1351. *Ex ms. Colbertino.*

CLEMENS episcopus, servus servorum Dei dilecto filio nobili viro AMANEVO domino de Lebreto S. & A. B.

Cum nos dilectos filios magistrum Hugonem Geraldi decanum ecclesiæ S. Aredii Lemovicensis diœcesis, & fratrem Guillermum Petri ordinis Prædicatorum magistrum in theologia, capellanos nostros latores præsentium pro pace & concordia inter te & dilectum filium nobilem virum Johannem de Ferrariis senescallum Vasconiæ, super discordia inter te & eum noviter, peccatis exigentibus, suscitata, Deo propitio reformanda, specialiter destinemus; nobilitatem tuam paterno rogamus & hortamur affectu, quatenus eisdem capellanis & ipsorum cuilibet, super his quæ tibi super hujusmodi negotio pacis ex parte nostra retulerint, adhibeas plenam fidem, &

illa studeas efficaciter adimplere. Præterea A scire te volumus, quod super eodem negotio pacis præfato senescallo & nonnullis communitatibus Vasconiæ per nostras diversas scribimus litteras speciales, prout in transumtis ipsarum, quæ tibi mittimus præsentibus interclusa plenius poteris intueri. Datum in prioratu de Grausello prope Malausanam Vasionensis diœcesis, IV. idus Augusti, pontificatus nostri anno VII.

JOHANNIS REGIS FRANCORUM litteræ ad suos thesaurarios. B

Ut Johanni Armaniaco comiti singulis mensibus certas pecuniæ summas tribuant.

Anno 1351. *Ex mss. Colbertino.*

JOHANNES Dei gratia Francorum rex, dilectis & fidelibus thesaurariis nostris salutem & dilectionem.

Cum dilectum & fidelem consanguineum nostrum JOHANNEM DE ARMANIACO primogenitum dilecti & fidelis consanguinei nostri comitis Armeniaci serviturum nobis in guerris Vasconiæ cum quatuor centum hominibus armorum & octingentis servientibus retinuerimus ad nostra vadia consueta, ordinaverimusque, quod pro quolibet mense, quo in dicto nostro servitio inerit, pro satisfaciendo dictis armorum gentibus, eidem sufficiens mutuum de nostra pecunia tradatur, & etiam liberetur; mandamus vobis districtius injungentes quatenus dicto consanguineo nostro de nostra pecunia dictum mutuum tradatis & etiam liberetis mense quolibet, vel in tali loco ipsum ferri faciatis, in quo absque difficultate ipsum habere valeat, quodque in ipso non possit per aliquos locum tenentes & capitaneos nostros ac quoscumque alios impediri, ordinationibus per nos seu locum tenentes nostros factis & faciendis in contrarium non obstantibus quibuscumque; mandantes omnibus officialibus & subditis nostris, ut vobis obediant in præmissis. Datum apud S. Germanum in Laya XXVI. die anno Domini millesimo trecentesimo quinquagesimo primo.

LITTERÆ RADULFI COMITIS *Stafford* ad Johannem de *Charnels* constabularium Burdigalæ.

Ut Bernardum Ezii dominum de Lebreto in possessionem Vasatensis præpositura mittat.

Anno 1352. *Ex ms. Colbertino.*

RADULFUS comes de *Stafford*, locum tenens domini nostri regis Angliæ & Franciæ, & capitaneus generalis in ducatu Aquitaniæ, & tota lingua Occitana, venerabili viro domino Johanni de *Charnels* constabulario Burdigalæ vel ejus locum tenenti salutem.

Cum egregius vir dominus Bernardus Ezii, dominus de Lebreto, nobis supplicaverit, quod cum dominus noster rex prædictus per diversas suas patentes litteras suo magno sigillo sigillatas senescallo suo Vasconiæ & constabulario Burdigalæ, qui tunc erant, vel qui pro tempore forent directas mandaverit, ut sexcentum quinquaginta quinque libras & sex solidos sterlingorum, & quinque solidos Burdigalenses, quas ipse certis diversis locis ratione adhærentiæ suæ eidem domino nostro regi factæ amittebat, & quas per (a) indenturam inter dictum dominum nostrum regem & dictum dominum de Lebreto factam restituere promiserat super certis reditibus seu bonis aut exitibus ad ipsum dominum nostrum regem in ducatu prædicto spectantibus, etiam habentibus merum & mixtum imperium, & juridictionem altam & bassam, ubi ad placitum ipsius domini de Lebreto commodius & utilius fieri possent, assignarent, quousque C terras, reditus & loca sua sic deperdita recuperasset, vel recompensatio sibi inde alibi facta competens, ut eidem præposituram Vasatensem cum omnibus & singulis reditibus, exitibus, proficuis & emolumentis suis, juribus, & deveriis ad dictam præposituram pertinentibus, aut pertinere & spectare debentibus quoquo modo, pro summa seu valore CCC. scutorum auri habere faceremus. Nos attendentes supplicationem ipsius domini de Lebreto fore justam, & ad grata, utilia servitia quæ dietim præstat præfato D domino nostro regi, nobis & aliis suis officialibus & ministris, non sine variis laboribus, sumtibus onerosis, ex affectu considerationem habentes, & volentes cum eodem gratiosius agere in hac parte, eidem domino de Lebreto prædictam præposituram Vasatensem, cum jurisdictione alta & bassa, ac mero ac mixto imperio, & omnibus & singulis reditibus, exitibus, proficuis, & emolumentis, & aliis juribus & deveriis ad dictam præposituram pertinentibus aut pertinere & expectare debentibus quoquo modo, pro valore seu summa trecentorum scutorum auri, in partem dedu- E ctionis sexcentum quadraginta quinque libras, sex solidos sterlingorum & quinque solidos Burdigalenses assignavimus tenore præsentium nomine regio ac nostro habendas, tenendas, & possidendas per dictum dominum de Lebreto & heredes suos, quousque dictus dominus de Lebreto aut heredes

(a) Indentura apud Anglos est chyrographum, seu scriptura conventionalis, alii quæ idem continet quasi paralella, & ab ea in modum dentium decisa, ut pares esse & una confectæ videntur; ut si de rebus in eis contentis aliquando emergat controversia, ad contractus veritatem firmandam eædem indenturæ simul aptatæ atque invicem collatæ, omne falsitatis dubium tollant.

sui terras, reditus prædictos, quæ sicut præmittitur ratione adhærentiæ regiæ amittit, in toto aut in parte recuperaverit, vel quousque dictæ sexcentum quadraginta quinque libræ sex solidi sterlingorum, aut quinque solidi Burdigalæ eidem alibi in bonis locis & sufficientibus cum mero & mixto imperio ac jurisdictione alta & bassa ad placitum suum fuerint, secundum tenorem dictæ indenturæ, plene assignatæ, prout in quibusdam aliis nostris patentibus litteris inde confectis plenius continetur: vobis mandamus quatenus dictum dominum de Lebreto aut ejus procuratorem seu ajornatum in possessionem pacificam & quietam dictæ præposituræ Vasatensis inducatis, inductumque manu teneatis, & viriliter defendatis secundum dictarum litterarum seriem & tenorem, retinentes ab eodem domino de Lebreto litteras suo sigillo sigillatas, in quibus assignatio prædicta contineatur, & pro dicto domino nostro rege nobis & vobis sufficientem de valore dictæ summæ assignationem non ulterius repetendo, prout vestræ discretioni videbitur faciendum: mandantes omnibus & singulis officialibus regiis, fidelibus & ministris, ut vobis & deputandis a vobis in præmissis ea tangentibus præstent auxilium, etiam, si necesse fuerit, manu forti. Datum Burdigalæ sub sigillo nostro nona die Octobris anno Domini MCCCLII.

LITTERÆ JOHANNIS regis Franciæ.

Johanni comiti Armeniaci comitatum de Gauro concedit.

Anno 1354. *Ex ms. Colbertino.*

JOHANNES Dei gratia Francorum rex, notum facimus universis præsentibus pariter & futuris, quod nos arbitrantes decus & debitum, fideles & bene meritos, nostrisque obsequiis utiles atque promtos talibus retributionis impendiis prosequi gratis, per quæ de promtis eorum servitiis ad utilitates nostras & successorum nostrorum impensis sentiant se refectos, & inde efficiantur in posterum promtiores: & attendentes ad longæva, utilia & fructuosa servitia per carissimum & fidelem consanguineum nostrum JOHANNEM comitem Armeniaci, carissimo domino & genitori nostro & nobis in guerris nostris & alibi bene, fideliter, utiliter & gratiose impensa, pro quibus labores assiduos sustinere, & se pluribus exponere periculis non formidavit, & quæ nobis & successoribus nostris per ipsum & ejus successores speramus impendi in futurum, considerationis nostræ intuitum benignissime & prout dignum & congruum esse dignoscitur dirigentes, in remunerationem servitiorum prædictorum, ut ad ipsa continuanda servitia eo insurgat ferventius, & propensius animetur; quo ipsorum jam sibi prima peramplius noverit profuisse eidem consanguineo nostro, suisque successoribus, & ab eis tum habituris in futurum comitatum nostrum de Gauro, videlicet villas, loca, & castra de Florentia, de suo podio, de Salvitate, de Paulhaco, cum omnibus aliis villis, castris, locis, domibus, ædificiis, fortalitiis, forestis, herbagiis, pedagiis, leudis, reditibus, deveriis, emolumentis, juribus, jurisdictionibus altis, mediis & bassis, mero & mixto imperio, ac exercitio eorumdem, homagiis, feudis, vassallatitiis, emphiteoticariis, & aliis quibuscumque honoribus ad dictum comitatum de Gauro, villas, castra & loca prædicta pertinentibus, donamus & concedimus per præsentes de plenitudine regiæ potestatis, de nostra certa scientia & gratia speciali, non obstante quod domanio regni nostri diu incorporata fuerint, & non obstantibus ordinationibus factis per nos seu prædecessores nostros hactenus, ne dominia regni nostri in perpetuum vel aliter transferantur, & aliis ad hoc contrariis vel adversis, ac donis per nos seu prædecessores nostros reges Franciæ dicto consanguineo nostro ad hereditatem vel ad vitam, aut in pecunia factis quibuscumque & ordinatione regia edita super donis prioribus in posterioribus exprimendis; volentes quod hæc nostra præsens concessio & donatio per nos eidem consanguineo nostro facta de comitatu aliis castris & locis prædictis, tantam habeat roboris firmitatem, ac si omnia & singula dona per nos seu dictos prædecessores nostros dicto consanguineo nostro vel suis facta, essent ibi singulariter expressata, pro quibus siquidem omnibus & singulis supradictis dictus consanguineus noster nobis hodie præstiterit, ad quod ipsum admisimus, nostro & alieno jure salvo, retentis insuper in præmissis donatis nobis & successoribus nostris Franciæ regibus recognitione & homagio, ac superioritate, & resorto, & quod in villis, castris, & locis prædictis, & aliis quibuscumque dicti comitatus, fortagia & alia quæcumque subsidia indicere poterimus, prout ante factam donationem præsentem inibi nobis licebat, & prout subditi dicti comitatus erant facere consueti; mandantes omnibus & singulis vassallis, hominibus ac consulibus villarum & locorum prædictorum, & aliis subditis dicti comitatus, ut dicto consanguineo nostro usque ... ab eis causam habituris in futurum obediant, ut vero & immediato domino comitatus prædicti, & eidem homagia faciant, & præstent debita fidelitatis juramenta, liberantes eosdem & eorum quemlibet fidelitatis ramentis & homagiis, quibus nobis ut im-

mediato domino tenebantur... & præstiterint consanguineo nostro prædicto; mandantes nihilominus & etiam committentes senescallis & judicibus majoribus Tholosæ & Agennensi & eorum cuilibet, ut dicto consanguineo nostro possessionem realem & corporalem dicti comitatus, villarum, castrorum, locorum, jurium, redituum, &... prædictorum tradant & liberent indilate, & amoveant exinde quoscumque judices castellanos & bajulos, aliosque officiarios in dicto comitatu de Gauro nostro nomine constitutos, quos & nos tenore præsentium amovemus, quibuscumque privilegiis per nos seu prædecessores... dicti comitatus concessis de non extrahendo eos extra manum nostram & aliis, appellationibusque & contradictionibus interpositis & interponendis, ac litteris impetratis vel impetrandis in contrarium non obstantibus quibuscumque, quod ut firmum & stabile perpetuo perseveret.... nostri Parisius in absentia nostri magni his litteris est appensum, salvo in aliis jure nostro & quolibet alieno. Actum apud *Louvres* prope Parisius die VI. Martii anno Domini MCCCLIV. per regem Ivo.

LITTERÆ THEODERICI abbatis Corbeiæ novæ.

De festo Conceptionis beatæ Mariæ solemniter celebrando.

Anno 1357. *Ex ms. Corbeia nova.*

DEi gratia THEODERICUS abbas Corbeiensis monasterii, ordinis S. Benedicti Paderbornensis diœcesis, omnibus nostris subjectis claustralibus cujuscumque conditionis aut sexus extiterint, salutem in vero salutari. Si Dominum & Salvatorem nostrum in certis sanctis suis laudare jubemur, non est dubium quin millesies millenis vicibus & ultra quam fari poterit, gloriosam Virginem matrem suam MARIAM dignissimis præconiis ad magnificentiam suam extollere pro modulo nostræ parvitatis merito debeamus. Hinc est quod cum consensu dilectorum nostrorum prioris, præpositi & capituli, & omnium quorum interfuit, diem Conceptionis ejusdem sacratissimæ Virginis magnificentissimis honoribus prosequi cupientes, pio affectu dignum duximus statuendum, quod prædicta ineffabilis sanctificationis dies ab omnibus nostris subjectis monasteriis & ecclesiis in septem candelis, in cappis, & aliis solemniis ad hoc concurrentibus singulis annis celebretur. Ponderantes quod ob reverentiam hujus diei plura miracula in novellis temporibus nobis per eamdem claruerunt. Primum in hoc quod omnes per celebritatem hujus festi in angustiis liberantur, exemplum in fratre nostro ECCELMO abbate de naufragio, &c. Datum anno Domini MCCCLVII. in vigilia sanctissimæ Conceptionis prænotatæ.

LETTRES DE NON PREJUDICE de la ville d'Arras pour aide a eux faites par l'eglise de saint Vaast pour le fortification d'icelle ville.

Anno 1360. *Ex cartario S. Vedasti.*

A Tous ceuls qui ces presentes lettres verront, nous maire & eschevins de la ville d'Arras, salut. Come religieuses personnes & honnestes li abbes & li convent de l'eglise saint Vaast d'Arras, de leur propre mouvement & grace, pour aidier a supporter plusieurs grans missions & frais que il convenoit faire, a faire reparer les forteresses, closures, & faire pons-levis aux portes de le ditte ville, pour le doubte des guerres des Anglés & Navarrois a l'encontre de le couronne de France, nous heussien donné le somme de quatre cens escus, si qu'il appert par nos lettres de ce faisant mention, seellees du seel aux causes de ledite ville, a eulx baillees en l'an de grace mille trois cens chinquante nuef, & nous heussions encommenchiet a faire lesdis ouvrages, forteresse, pons-levis briefment & hastivement, li quel n'ont peu estre parfaite pour les grans mises & couls que nous y proposiemes a faire. Pourquoi de requief nous heuissions supplié aux dis religieux, que pour lesdis ouvrages, pons & forteresse parfaire, il leur pleust a nous faire aucune grace & pure liberalité, nous aient de requief donné le somme de CCCC. flourins a l'escu pour supporter laditte guergue, come dit est. Sachent tous que nous cognissons ledit don avoir esté fait a nous de pure grace par lesdis religieux, si les en merchions, & voulons, & consentons que leditte grace ne leur porte grief ou prejudice, & que nous ou nos successeurs ne puissions ou ne puissent leditte grace traire a consequence pour le temps avenir, ne dire que ledit religieux pour le ditte grace a nous faitte, come dit est, soyent en rien tenu de aucune chose donner, contribuer ou mettre par maniere de grace ou autrement a supporter le guergue de leditte reparation, renforchement des clostures & forteresses devant dictes ou de aucunes autres necessité de leditte ville sousporter plus avant que il estoient avant leditte grace faite a nous, comme dit est, que par ledit don & teneur de ces presentes lettres aucuns prejudices ne soient faits a yceux ne a nous pour le temps avenir. En tesmoing de ce nous avons ces lettres seellees du seel aux causes de leditte ville d'Arras. Che fu fait l'an de grace MCCCLX. le III. jour du mois de Juille.

LITTERÆ

LITTERÆ REGIS ANGLIÆ ad dominum de Leberto.

Gratias agit de ejus in Aquitania obsequiis, promittitque proximum in quantum poterit auxilium.

*DE PAR LE ROY.

Circa 1360. Ex ms. Colbertino.

TRes cher & bien amé foial. Por ce que nous tenons bien vrayement, que vous orriez tres volentier le certain de nostre bon estat & santes, vous faisons savoir que a la fesance de cestes, nous estiens tout sains & en bon point, la Dieu mercie, desirans entierement de vous aussi oyer & de vostre estat continuelement bone nouvelle. Tres amé foial, nous fumes tres certainement enformez tant parmi la relation de nostre tres cher fils JOHAN duc de Lancastre, liquel ad demoré, si comme vous savez, sur le gouvernement de nostre seigneurie d'Aquitaigne l'an derrain passez, come autrement de vostre bon port, & de les grandes diligences, coustages & travaux, queux vous avez mis & sustenus, & mettez & sustenez de jour en autre en le service de nous & de nostre tres cher fils le prince es parties de nostredite seigneurie, dont nous vous remercions especialement & de cuer, & vous prions que vostre bon port avant dit veullez tousjours envers nous continuer pour amour de nous, si comme nous nous fions de vous & en droit de l'estat de nostre dite seigneurie. Nostre cher & foyal Guichard d'Angle mareschal d'icelle, & le sire Poyane, nous avoit en presence de nostredit fils le duc assez pleinement enformez, & aussi de la necessité que le paiis vous & nos autres liges illoeques avez de socours, mes voir est que nostredit fils le duc, & lesdits mareschal, & sire de Poyane esteant en sa compaignie furent destourbez sur leur passage de la mer par contretempeste de vent & par tempeste & fortune de la meer, si qils apres leur dit passage vindre premierement a nostre presence a ceste daraine feste de seinte Caterine, & por ce que a tel temps nous n'aviens mye delez nous les prelats, nobles & grans de nostre conseil, par queux nous voulons estre conseillez des choses a nous ensi exposée par ledit mareschal & sire de Poyane, lesquelles sont tres chargeantes, & nous gisent pourtant pres a cuer, si ne y poet ordenance convenable estre mise, si tost comme nostredit fils le duc cuidoit, quant il despartit des parties susdites, eins ferons assembler par celle cause especialement entre autres lesdits prelats, nobles & grants a Vestmonster en la feste de saint Hiller prouchain venant, a queu temps nous aurons ovesque eux sur mesmes les choses bonne & meur deliberation, & par leur avis ordenerons alors tiel secours pur ledis paiis & tous nos liges illoeque que sera convenable & suffisant, si Dieu plest, & le plus brievement que faire se purra. Si vous prions cherement, que en le temps moiens vous veullez conforter, & faire de toutes choses & par espetial touchant la sauvegarde des chasteux, dont vous estes sires, au mieul que vous purrez pour l'onour de nous, de nostredit fils le prince & de vous, & pur la sauveté du paiis avant dit, comme nous nous asseurons de vostre pruesté & loyaleté. Et si vous ent saurions molt especialement bon grée. Entendant de certein que nous pensons d'avoir tel regard en temps a venir a vos diligence, coustages & travaux, qu'eux vous avez ensi mis, & mettez tous les jours pour nous & en nostre service, que vous les tendrez fort bien employez a l'eide de Dieu. Douné sous nostre privé seal a nostre paleys de Vestmonster le premier jour de Decembre.

LITTERÆ COMITIS VALESII gubernatori Navarræ.

De belli induciis faciendis inter dominum de Acro-monte & Petrum de Luco.

Ex ms. Colbertino.

DE par le comte de Valois, a nostre cher & amé le gouverneur de Navarre, salut & bonne amour.

Gouverneur, nostre entention est de la besoigne d'entre le seigneur d'Aigremont & Pierre de Luce, que treves bonne, ferme & seure se doigne & tiengne jusqu'a la saint Michel prochain venant deub & de leur parties en la maniere si come elle se douna quand le sire de Lebret fist la paix d'entre eulx, & que vous faciez treves entre le lignage de Luce & le lignage de Garre jusques a le quinzaine d'apres la S. Michel, & lesdittes treves faites affermer & assurer en toutes les manieres & par toutes les voies que vous pourrez mieulx, & que toutes ces choses soient faites avant que la treve que nous avons prinse maintenant faille; c'est a savoir dedans le mois de Pasques.

Item, nostre entente est, que le Seigneur d'Aigremont viegne amander au sire de Lebret tout ce qu'il y a meffait a sa volonte & lau il ly plaira, & quil se mette en prison lau il ly plaira aussi, & hii demeurer tant come il plaira audit seigneur de Lebret.

Item, nostre entente est, que vous faciez convenir & estre toutes lesdites parties a certain jour devant vous, & avant que la dite treves de S. Michel faille & que vous oyez toutes lesdites parties en leur raisons; & en cognoissiez, & tout ce que vous trouverais qui aura esté fait vous faciez aman-

der, & adresser en toutes bonnes manieres que vous pourrez, & leur faite droit & accomplissement de justice su leur dites raisons, & que bonne & ferme paix soit entre toutes lesdites partie a tousjours, & que elle soit assurée par si bonne & si grosses paines, qu'il ne doit mie la paix rompre, si come ils ont autrefois fait.

Item, nostre entente est, que ledit sire d'Aigremont demeure en la foy & en l'homaige du seigneur de Lebret de toute les choses dont les predecesseurs dudit sire d'Aigremont & luy ont anciennement esté en la foy & en l'homaige dudit sire de Lebret & des siens predecesseurs, & oultre ce des choses contenuës ou don que nostre cher seigneur & neveu monseigneur le roy Lois, que Dieu assoille, fit audit sire de Lebret dou quel don vous verrez la teneur.

Item, nostre entente est, que ledit sire d'Aigremont se delesse de son appel, & aussi est nostre entente que vous faciez rendre & restituer aux bonnes gens en la meilleure maniere que vous pourrais les dommage que lesdites parties leur ont faits & ce qu'il ont prins dou leur sire de Lebret: il nous semble que ce soit l'ordonnance que nous feismes.

EPISTOLA EDUARDI regis Anglorum ad Carolum Navarræ regem.

Petit ab eo Bernardum Amanevi de Lebreto restitui in possessionibus, quas olim in suo regno pater ejus possederat.

Anno 1362. Ex ms. Colbertino.

MAgnifico principi domino CAROLO Dei gratia regi Navarræ illustri, consanguineo nostro carissimo, EDUARDUS ejusdem gratia rex Angliæ, dominus Hiberniæ & Aquitaniæ, salutem & successus ad vota prosperos & felices.

Veniente pridem ad fidelitatem & obedientiam nostras bonæ memoriæ BERNARDO ELZII, domino de Lebreto ac vicecomite Tarthasii, tunc in plena & pacifica possessione terrarum de Mixa & de Ostabaresio jure hereditario existente, eidem Bernardo per litteras nostras promisimus ipsum ex causa prædicta indemnem conservare. At recolendæ memoriæ rex Navarræ progenitor vester, qui tunc parti regis Franciæ adhærebat, occasione guerræ inter nos & ipsum regem Franciæ motæ, vel alias prout voluit, absque aliquo processu debito & sine causæ cognitione minus juste, ut videtur, eumdem Bernardum a possessione sua terrarum prædictarum amovit, & sic eas detinuit suo tempore occupatas, quo prætextu eidem Bernardo ad valorem annuum quingentorum regaliorum auri, quolibet regali pro quatuor solidis sterlingorum computato, in ducatu nostro Aquitaniæ juxta nostram promissionem pro eisdem terris fecimus, prout decuit, providere. Et quamquam dictus Bernardus dum vixerit sæpius penes vestram magnificentiam & dicti progenitoris vestri, pro dictis terris suis rehabendis prosecutionem fecisset, & instantias diligentes, nullam tamen restitutionem inde assequi potuit, sed per dilationes & excusationes varias sic multis temporibus fuit ductus: unde dilectus & fidelis noster Arnaldus Amanevi, dominus de Lebreto & vicecomes Tarthasii filius & heres ejusdem Bernardi Etzii nobis cum instantia supplicavit, ut pro recuperatione dictarum terrarum jure hereditario sibi debitarum, nedum pro restitutione jurium suorum, etiam pro exoneratione nostra vellemus interponere partes nostras. Nos igitur attendentes dictam guerram cum Dei adjutorio jam sedatam, & quod pax & perpetua concordia inter nos & fratrem nostrum carissimum JOHANNEM regem Francorum serenissimum initæ sunt & firmatæ, & dictæ pacis virtute omnes & singuli nobis, aut dicto fratri nostro occasione dictæ guerræ prius adhærentes, & de terris & possessionibus suis ea de causa amoti ad easdem terras & possessiones suas restitui debeant hinc & inde, serenitatem vestram attentis precibus requirimus & rogamus, quatenus dictæ pacis concordiam efficaciter prosequentes, præfato Arnaldo Amanevi de dictis terris in regno vestro, unde dictus pater suus prætextu adhærentiæ suæ parti nostræ amotus extitit, ut præmittitur, & expulsus, restitutionem celerem & congruam juxta vim & effectum dictæ concordiæ faciatis, prout in casu simili velletis vestratibus aut amicis vestris aliis nos facturos, ac exinde vestrum debitum faciendo nos exonerare, & prædicto Arnaldo prodesse poteritis & valere, quod eo libentius petimus faciatis, quo ipsum Arnaldum & dictum patrem suum in obsequiis nostris corporis periculis, & rerum suarum dispendiis non vitatis, bene & fideliter novimus se gessisse, quibus attentis injusta eorum exheredatio merito moleste insideret cordi nostro. Datum in palatio nostro Vest-monasterii XVIII. die Aprilis anno regni nostri XXXV.

EDUARDI PRIMOGENITI regis Angliæ ſeneſcallo Landarum ſeu ejus locum tenenti, ac magiſtro Petro de Moſſieto ſuo procuratori.

Ut Roſinam de Lebreto tutricem Ludovici de Inſula domini de Launaco ponant in poſſeſſionem terrarum de Marenſino de Farinia & de Sambruſſa.

Anno 1363. Ex mſ. Colbertino.

EDUARDUS illuſtriſſimi domini Dei gratia regis Angliæ primogenitus, princeps Aquitaniæ & Walliæ, dux Cornubiæ, & comes Ceſtriæ, ſeneſcallo noſtro Landarum, ſeu ſuo locum tenenti, necnon magiſtro Petro de Moſſieto in illis partibus procuratori noſtro ſalutem.

Cum per nos & noſtrum conſilium ordinatum, & pronuntiatum extiterit ROSINAM de Lebreto matrem & tutricem LUDOVICI de Inſula pupilli domini de Launaco, in poſſeſſionem realem & corporalem terrarum & baroniarum de Marenſino, de Farinia, & de Sambruſſa, cum earum juribus & pertinentiis, a quarum poſſeſſione Bertrandus de Inſula dominus de Launaco pater dicti quondam pupilli cauſa guerrarum nuper tranſactarum expoliatus extiterat, eſſe reducendam, & eadem ſibi fore tradenda, prout in litteris noſtris latius videbitur contineri. Hinc eſt quod vos & veſtrum ſingulis committimus, præcipimus & mandamus, quatenus ad terras & baronias prædictas & alia loca, de quibus expedierit, perſonaliter accedentes, dictam ROSINAM tutricem dicti LUDOVICI, ſeu ſuum in hac parte adjornatum in poſſeſſionem realem & corporalem terrarum & baroniarum prædictarum, cum earum juribus & deveriis quibuſcumque, juxta ordinationis & pronuntiati noſtri formam, ſeriem & tenorem, de quibus liquebit, ponatis & inducatis, ordinationem & pronuntiatum antedicta executioni debitæ demandando, amotis abinde Arnaldo Amanevi domino de Lebreto, & ſuis officiariis quibuſcumque quos a poſſeſſione terrarum & baroniarum prædictarum tenore præſentium amovemus, mandantes omnibus & ſingulis fidelibus & ſubditis noſtris, ut in præmiſſis & ea tangentibus parbant, obediant efficaciter & intendant; præſtentque, ſi fuerint requiſiti, auxilium, conſilium & juvamen. In cujus rei teſtimonium noſtras litteras fecimus fieri has patentes, teſte meipſo apud civitatem noſtram Agenus die XXII. menſis Januarii anno Domini MCCCLXIII.

LITTERÆ CAROLI REGIS Navarræ.

Arnaldo Amanevo de Lebreto dat facultatem ineundæ pacis inter Franciæ regem & ipſum.

Anno 1364. Ex mſ. Colbertino.

CHARLES par la grace de Dieu roy de Navarre & comte d'Evreux a tous ceux qui ces preſentes verront ſalut. Come pour pluſieurs fois nous avons fait requerir la duché de Bourgongne, laquelle nous appartient & doit appartenir, de quoy aucune raiſon ne nous a eſté encore faite, ains depuis a eſté commencé la guerre entre le roy de France & nous, dont mille grans maux, domages, perils & inconvenians ſont enſuis, & peuvent encore enſuivre; ſavoir faiſons que a noſtre tres cher & amé couſin meſſire ARNAUD d'Amanieu ſire de Lebret noſtre lieutenant, avons donné & donnons par ces preſentes plein pouvoir, authorité & mandement eſpecial, de traitter, tranſiger, pacifier & accorder en lieu de nous, & pour nous ſur le fait de ladite duché & de la guerre deſſus ditte, & de tout ce qui en peut dependre, & de faire bonne paix & accord entre ledit roy de France & nous; reſervé toutes voyes ſur ce noſtre plaiſance & volunté. En teſmoignage de ce nous avons fait ſeeller ces lettres de noſtre ſeel. Donné à Pampelonne le III. jour de Mars l'an MCCCLXIV.

Per el ſeynor rey en ſon conſeille. Signé IPERIS DE PERALTA.

LITTERÆ CAROLI REGIS Navarræ, quibus ratum habet tractatum pacis ipſum inter & regem Franciæ factum a Johanna & Blancha reginis.

Anno 1365. Ex mſ. Colbertino.

CHARLES par la grace de Dieu roy de Navarre & comte d'Evreux, ſavoir faiſons à tous preſens & à venir, que comme nos tres-cheres dames la reine Jeanne & madame la reyne Blanche conſiderant les grands maux, inconveniens & domages, qui pour cauſe & occaſion des diſſenſions & debats, diſcort & guerre meus entre noſtre tres-cher ſeigneur & frere le roy de France d'une part & nous d'autre part eſtoient venus & venoient de jour en jour, & peuſſent plus grands venir, ſi bonne paix n'y fuſt miſe, euſſent & ayent requis & fait requerir pluſieurs fois à grand inſtance noſtredit ſeigneur & frere ou ſes gens pour luy, & auſſi nos tres-chers frere & couſin meſſire Louis de Navarre & le captal de Buch nos lieutenans es parties de France, de Normandie, & de Bourgoigne, qu'ils vouluſſent qu'elles traictaſſent de paix en-

tre luy & nous, & tant y eussent & ayent travaillé nosdites dames, que par le moyen & à la priere d'icelles feust & a esté fait certain traité entre les gens de nostredit seigneur & frere, & les nostres en la maniere qui s'ensuit : Sur les discors & la guerre pendant à present entre le roy notre sire d'une part, & le roy de Navarre d'autre, est parlé par les gens desdits seigneurs avecque madame la reine Jehanne, & madame la reyne Blanche pour le bien de paix, pour contemplation & reverence du saint Pere & de nosdites dames, qui sur ce ont prié & requis lesdites parties, & aussi pour compassion du peuple, qui pour occasion de ladite guerre a soustenu & soutient de jour en jour plusieurs griefs & domages, par la maniere qui s'ensuit, au cas qu'il plaira ausdites parties, c'est à savoir que toutes personnes vivans hommes subjets aderans, serviteurs, aidans, & autres qui ont tenu le parti de l'une partie ou de l'autre, reviendront à leur possessions & heritages, benefices, ou offices, qui pour occasion de ladite guerre auparavant depuis la delivrange de la personne dudit roy de Navarre leur auroient esté ostez ou empêchiez.

Item, que ausdites personnes vivans qui auront tenu le parti dudit roy de Navarre seront quittés & pardonnés par nostredit seigneur toutes offenses & tous crimes & malefices faits & commis par occasion de ladite guerre ou autrement depuis la délivrance de la personne dudit roi de Navarre, & en seront baillées chartres à ceux qui les voudront avoir, lesquelles ne payeront de chacune chartre que soixante sols, & demeureront en leur vertu les autres chartres qu'ils eurent du roy dernierement trespassé aprés son retour d'Angleterre.

Item, quant au corps des personnes qui avoient tenu le parti dudit roy de Navarre, & qui pour occasion de ladite guerre ont esté justitiez, nosdites dames se feront fortes, si paix est, que a leur requeste nostredit seigneur fera tant desdits corps à leurs amis charneulx, que il leur devra suffire.

Item, qu'au roy de France nostredit seigneur seront & demeureront pour luy & ses successeurs roy de France en heritage perpetuel les villes & chastellenies de Mante, de Meulen, & la comté de Longueville avec les appartenances, & pour & en lieu de ce nostredit seigneur baillera & delivrera audit roy de Navarre pour luy, ses hoirs & successeurs en heritage perpetuel la ville & la baronie de Montpellier, ensemble les appartenances, & luy en sera baillée la possession tantost comme ce present traité sera accordé entre lesdites parties, & ladite possession d'iceulx à lui baillée seront prises par personnes à ce commises du consentemeut des parties, ou de par le saint Pere, si les parties n'en peuvent estre d'accord, lesdites villes & chastellenies de Mante, de Meulent, & la comté de Longueville, & aussi ladite ville & baronie de Montpellier, & s'il est trouvé par ladite prisiée que ladite ville & baronie vaillent plus que lesdits lieux de Mante, de Meulent, & la comté de Longueville, le plus sera baillé & assis à nostredit seigneur en villes, chasteaux & terres, es terres & lieux dudit roy de Navarre au plus prés des lieux de Mante & de Meulent, au regard & à l'ordonnance dudit saint pere. Et si ladite ville & baronie de Montpellier valoit moins, le moins sera parfait audit roy de Navarre au plus prés de ladite ville & baronie de Montpellier, en villes, chasteaux & terres, au regard & ordonnance dudit S. Pere qui est à present, ou qui sera pour le temps, & seront tenus lesdites parties de garantir & defendre l'une partie à l'autre envers toutes les choses par eux baillées & délaissées par ce present traité.

Item, que ledit roy de Navarre tiendra de nostredit seigneur lesdites villes & baronies de Montpellier, & tout ce qui luy sera baillé pour & en lieu de Mante, de Meulent, & de la comté de Longueville, avecques les autres terres qu'il a en France, & en Normandie en perrie, & a une foy & homage-lige par au telle maniere, qu'il tenoit ses terres en France & en Normandie, auparavant que lesdits descorts feussent meus, & en fera a nostredit seigneur foy, homage, recognoissance, & les devoirs tels que il les en doit faire.

Item, que le chastel de Moumeaux, le chastel de Hambuye, & le fort de Briquebet & leurs appartenances seront rendus paisiblement & franchement par le roy de Navarre au roy nostredit seigneur, & à ceux à qui lesdits lieux appartiennent, sauf le droit de l'homage & les autres droits, que ledit roy de Navarre put & doit avoir esdits lieux de Briquebet & Hambuye & ses appartenances, & aussi seront rendus par le roy nostredit seigneur audit roy de Navarre & à messire Louis son frere tous leurs chasteaux, villes, lieux, terres & possessions, qui ont esté prins, saisis ou occupez par le roy nostredit seigneur, ses subjets, alliez ou adherans, excepté lesdites villes & chastellenies de Mante, de Meulent & la comté de Longueville, qui demeureront au Roy nostredit seigneur par la maniere que dessus est dite, & ledit roy de Navarre fera tant pour luy comme pour messire Louis son frere & ses autres gens que les forts de Saquemville, de la Ramée, de la Vignoie, seront rendus à chois, à qui il appartiendra, & que ceux qui les tiennent, les vuideront, & s'en departiront,

& quant aux chasteaux & forteresses de Trouleboise, Tucbeuf, Liverrot, Traynel, Boy, Ceysy, Beaurenier, & autres qui ont esté prinses & occupées au royaume de France au nom dudit Roy de Navarre, ou par autres, qui se advoüent ou sont advoüez de luy, ledit roy de Navarre, messire Loys son frere, & le captal de Tuch feront tout leur loyal pouvoir & toute leur diligence de faire vuider par commandemens, requestes, ou prieres, & par toutes les voyes qu'ils sauront sans fraude, dissimulation, ou mal engin ceux qui tiennent lesdites forteresses, & au cas qu'il y en auroit aucuns qui ne vouldroint vuider au mandement, requeste, ou priere dudit roy de Navarre, dudit messire Loys, ou dudit captal, ledit roy de Navarre, ledit messire Loys, de toute leur puissance, de toutes les forteresses, & de toutes les gens qu'il pourront avoir, mettront peine & diligence de leur partie à les faire vuider; & le roy le fera semblablement de sa part, & ledit captal servira le roy nostredit seigneur de sa personne & de ses gens d'armes, s'il plaist au roy, & il l'en requiert en faisant à luy & à ses gens ce qu'il appartiendra.

Item, que tantoust aprés que ladite paix sera accordée, jurée, & scellée desdites parties, le roy nostre sire de sa grace pour reverence de nosdites dames, & aussi pour le bien de la personne dudit captal qui est son prisonnier, le delivrera de sa prison tout franc & quitte du fait du roy, & aussi Guillaume Arnault chastellain d'Evreux, sauf tant que ce que ledit Guillaume a payé ne luy sera pas rendu, & si aucuns des hommes ou serviteurs dudit roy de Navarre sont prins, detenus, ou arrestés par justice en chastellenie ou ailleurs pour cause ou occasion dudit descord & des dependances, leurs corps & leurs biens seront mis au delivre, & les nommeront les gens du roy de Navarre.

Item, que du droit que ledit roy de Navarre se dit avoir au duché de Bourgoigne, & de dix mil livres de terre d'une part, & douze mil livres de terre d'autre, & six cens mil escus, & de toutes autres demandes, que ledit roy de Navarre vouldra faire contre nostredit seigneur, tant pour injures & dommages, comme pour les levées de ses terres, ou autrement, & aussi de toutes demandes & actions que nostredit seigneur voudra faire contre ledit roy de Navarre, nostredit saint Pere le pape du consentement des parties sera chargé pour en ordonner, parties ouyes, si comme il luy semblera à faire de raison, & s'en soubmettront lesdites parties audit saint Pere, sans prejudice de la souveraineté de nostredit seigneur, par les plus fortes surtez, que l'on le pourra faire, & parmi ce, sitôt comme ce present traicté sera accordé par les parties, toute guerre cessera, & sera mise paix entre les parties, & ne pourront jamais eux, ne leurs successeurs proceder par voye de faict, ne de guerre pour occasion desdites demandes & choses dessusdites, ou des dependances, mais en cognoistra toujours le saint Pere qui est ou qui sera pour le temps, jusques à tant qu'elles soient finies par jugement & ordonnance du pape, ou par accord des parties, & se fera fort nostredit seigneur de monseigneur Phelipe son frere de tenir ce qui sera dit & ordonné dudit duché de Bourgoigne par nostredit saint pere, ou accordé par les parties.

Item, que sur les choses dessusdites, desquelles ledit saint Pere sera chargé, sera prins temps, dedans lequel ledit saint Pere ordonnera desdits discors, c'est-à-savoir dedans la S. Remy prochain venant, & s'il n'en avoit ordonné dedans ledit jour, il pourra proroger le tems à sa volonté, jusques à un autre jour, le plus briefs qu'il pourra, sans faveur toutes voyes ou deport des parties, qu'il feront tout leur pouvoir de pourchasser par devers ledit saint Pere, qu'il veuille vacquer & entendre de jour en jour le plus hastivement qu'il pourra à ladite besongne, & avec ce promettront les parties qu'ils envoyront devers luy dedans certain temps procureur suffisans fondés & conseil instruit de leurs besongne, lesquels ne se partiront d'Avignon jusques à tant qu'il soit determiné, ordonné, ou accordé desdites besongnes.

Item, que trieves ou abstinences seront prinses entre les parties pour eux, leurs subjets, alliez, aidans, & pour toutes leurs forteresses tant de Normandie, comme de l'evesché de Chartres, excepté la forteresse de Blamille, jusques à la Pentecoste prouchant venant, pendant lequel temps aucune des parties ne pourra prendre ne occuper sur l'autre aucune forteresse, ville, chastel ou place par force par eschellement on autrement, bouter feus, tuer gens, ne prendre prisons, chevaux, ou autres bien quelconques, ne faire aucun autre fait de guerre, excepté seulement que les gens de forteresses de l'une partie & de l'autre pourront continuer, cueillir, & lever les rançons de ceux qui ja les ont accordées sans les croistre ou faire renouveller, & si-tost que paix sera, les rençons faudront, & si aucune chose en estoit deub, il se payera par portion de temps, & si mestier est, seront lesdites trieves alongées du consentement des parties.

Item, que pour lesdites trieves ou abstinences garder, seront deputez de l'une partie & de l'autre certains chevaliers, qui seront conservateurs desdites trieves, lesquels jureront & promettront, qu'ils les

feront garder chacun de sa partie le mieux & le plus loyaument qu'ils pourront, & repareront & feront reparer de tout leur pouvoir tout ce qui sera meffait ou attenté au contraire, & pour attentat qui se face, ne sera la treve reputée pour enfrainte, ains sera l'attentat reparé & sur toutes les choses dessusdites seront faites les meilleures lettres & seurtez que l'on pourra par le conseil des parties. Ce fut fait à Paris le sixieme jour de Mars l'an de grace MCCC. LXIV. Nous veu ledit traité à nous apporté en Navarre par nostredit cousin le captal de Buch & par aucuns de nos gens pour ce venus avec luy, consideré les grands maux & inconveniens & domages irreparables, qui pour cause & raison desdits debats, guerres & discorts sont venus & ont esté faits à l'une partie & à l'autre, & pourroint plus grands venir, si bonne paix n'y estoit mise, laquelle tous bons Chrestiens doivent vouloir, & desirer, ains tres-grande compassion du pauvre peuple, qui sans sa coulpe pour cause & occasion de nosdits debats & discorts a moult longuement souffert & soufre de jour en jour tant de maux comme dit est, & pour ces causes & plusieurs autres, desirons de tout nostre cœur bonne paix & bonne amour estre mise & durer a tousjours entre nostredit seigneur & frere, & nous, est sur ce tres grand avis & deliberation avecques notre conseil ledit traicté & toutes & chacune les choses contenuës en iceluy avons eu & avons agreables, & iceluy avec tout ce qui dedans est contenu, entant comme il touche ou peut toucher comment que ce soit, nous & nos hoirs & successeurs, loüons, agreons, ratifions, approuvons & confirmons par ces presentes, & avons promis & juré sur les saints evangiles par nous corporellement touchées en la presence dudit captal & de plusieurs de nos gens, & encore le promettons loyaument & en bonne foy par ces presentes, que tout ce qui est contenu audit traicté, nous entant comme il nous touche ou peut toucher tiendrons, garderons, & accomplirons, & ferons tenir, garder & accomplir sans enfraindre, & que contre les choses contenuës en iceluy ou contre aucuns d'icelles nous ne viendrons, ne ferons, ou soufrirons venir pour nous ne pour autre ores ou es temps à venir, comment que ce soit. Et pour ce qu'elles sont & doivent estre mieux tenuës, gardées & accomplies, nous obligeons quant ad ce nostre personne, & tous nos hoirs & successeurs, nostre royaulme, & toutes nos autres terres & possessions presens & à venir de nous, de nos hoirs, & successeurs, & quand à ce soubmettons & voulons estre soubmis par ces presentes nous, nos hoirs & successeurs à la censure de l'Eglise de Rome, c'est à savoir à excommuniement de nos personnes & à enterdit de nos terres contre celui ou ceux de nous qui enfraindront ladite paix, ou qui iront en aucune maniere contre les choses contenuës audit traicté, ou contre aucune d'icelles, & d'abondant nous promettons par ces presentes, que quand nous serons devers nostredit seigneur & frere, devers lequel nous entendons & devons estre dedans brief temps pour lui faire hommage, nous jurerons en sa presence, & aussi le jurera nostredit seigneur & frere sur les saints evangiles corporellement touchez, sur le corps de nostre seigneur sacré toutes les choses dessusdites par nous promises & jurées, comme dit est, & aussi les ferons jurer par vingt personnes de nostre partie, tels comme lui ou ses gens voudront eslire, & semblablement le doit faire nostredit seigneur & frere. Et quant à tout ce que dessus est dit, nous renonçons expressement par ces presentes à toute exception de deception, lesion, circonvention, fraude, barat, ou mal engin, & à ce que nous puissions dire qu'il y ait plus escrit que accordé, a tous privileges & dispensations, graces & indulgences impetrées ou a impetrer, & à toute autre chose, qui pourroient estre dites ou objiciées comme que ce soit contre les choses dessus dites ou aucunes d'icelles & specialement au droit disant generale renonciation non valoir especiaux. Et pour ce que ce soit ferme & stable a tousjourmais nous avons fait mettre nostre seel a ces lettres, saufs nostre droit en autre chose & en toute l'autrui. Donné a Pampelune, l'an de grace MCCCLXV. au mois de May sous le seel de notre secret en l'absence du grand.

Et sur le reply. Par le roy en son conseil, DU TERTRE.

PROCURATIO
ad contrahendum matrimonium inter Johannam ducissam Duracii, &c. & Ludovicum de Navarra.

Anno 1365. Ex ms. Colbertino.

IN Dei nomine. Amen. Anno a nativitate ejusdem MCCCLXV. pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini nostri domini URBANI divina providentiâ papæ V. anno III. mense Martii, die penultimo ejusdem, III. indictione. Per præsens publicum instrumentum pateat universis ejus seriem inspecturis, quod me notario publico & testibus infra scriptis vocatis & constitutis, ac existentibus ante præsentiam spectabilis & illustris dominæ dominæ JOHANNÆ ducissæ Duratii regni Albaniæ & honoris Montis S. Angeli dominæ, ac Gravinæ comitissæ, eadem domina ducissa publice asseruit & narravit suo oraculo vivæ

vocis, se habere intensum animi desiderium, A ac bonam voluntatem, firmumque propositum, cum spectabili & illustri domino domino LUDOVICO de Navarra, Deo duce, prævio & actore, parentelam contrahere, & eidem matrimonialiter sociari, juxta morem sanctæ matris ecclesiæ & canonicas sanctiones: idcirco sapiens ipsa domina ducissa matrimonium ipsum ad optatum effectum perduci concessa plenarie, ut dixit, de fidei, industriæ, sufficientiæ, & legalitatis meritis experimentaliter sibi notis nobilium & circumspectorum virorum Federici de Campis & Antonii de Landulfo de Neapoli secretarii ipsius dominæ ducissæ & familiaris, ipsos præsentes & volentes omni via, jure, modo & forma, quibus melius & efficacius dici, censeri, & intelligi potest & debet, atque in præsentis negotii perfectione satisfieri, dante Domino votis suis, fecit, constituit, creavit ac firmiter ac legitime & irrevocabiliter ordinavit suos veros & legitimos procuratores, actores, factores, negotiorum gestores, & ambassiatores sollennes adeundi vice, nomine & pro parte sua præsentiam dicti domini LUDOVICI DE NAVARRA, & loquendi, tractandi, conveniendi & recordandi cum eodem domino de parentela & matrimonio supradictis secundum formas, continentias & tenores quorumdam capitulorum continentium quasdam cautelas, quædamque pacta, conditiones & conventiones, quas & quæ dicta domina ducissa petit & vult sibi per dictum dominum Ludovicum ante omnia præmitti & firmiter attendi, & inviolabiliter observari, sigillorum annulo secreto serenissimæ dictæ dominæ JOHANNÆ Dei gratiæ Jerusalem & Siciliæ reginæ, & sigillis tam parvo consueto, quo eadem domina ducissa usa est & utitur, quam magno & impendenti dictæ dominæ ducissæ, quo noviter uti incepit munitorum, & ubi procuratores & ambassiatores supradicti ipsius dominæ ducissæ constituentis nomine erunt in plena conventione & contractu cum dicto domino Ludovico de parentela & matrimonio supradictis, cum dictorum capitulorum, cautelarum, pactorum, conditionum, contentorum in eis inviolabili observatione, dicta domina ducissa constituens cum consensu, beneplacito & assensu dictæ dominæ reginæ, de quo assensu oretenus præstito nobis constitit evidenter, necnon sollicitudine, complacentia, & consensione illustris dominæ dominæ MARIÆ imperatricis C. P. Acayæ & Tarenti principissæ matris suæ, prout per litteras ipsius dominæ imperatricis suo anulo noto sigillatis tam dictæ dominæ reginæ, quam præfatæ dominæ ducissæ directas, patet, sponte, voluntarie, & bona fide dedit, distribuit & concessit dictis procuratoribus & ambassiatoribus suis plenam liberam & omnimodam potestatem, licentiam, auctoritatem & speciale mandatum contrahendi sponsalia & parentelam cum dicto domino LUDOVICO per verba apta mutuum consensum exprimentia de præsenti, & promittendi eamdem dominam ducissam in legitimam uxorem ipsius domini LUDOVICI & recipiendi eumdem dominum Ludovicum per eadem verba de præsenti in legitimum virum præfatæ dominæ ducissæ, secundum ritum & formam dictæ sacrosanctæ Romanæ matris ecclesiæ, & verbum & fidem dandi quod matrimonium ipsum pro B parte dictæ dominæ ducissæ ratum & firmum sit & servetur acceptum sub cautelis, pactis, & conditionibus & conventionibus supradictis, & insuper recipiendi & acceptandi pro dicta domina ducissa & nomine suo voluntatem, consensum & assensum matrimonialem ejusdem domini LUDOVICI per verba etiam de præsenti, quibus ipse dominus Ludovicus in personas dictorum procuratorum & ambassiatorum præfatæ dominæ ducissæ, & in eam consentiet in uxorem suam legitimam eamdemque domi- C nam ducissam recipiet in uxorem, & quæcumque pacta, promissiones, conventiones, sponsiones & pollicitationes alias, convenientia, expedientia, utilia, necessaria, expedientes, utiles, necessarias & opportunas in prædictis vel aliquo prædictorum, & de quibus dicti procuratores & ambassiatores cum ipso domino Ludovico & idem dominus Ludovicus cum eis ad invicem convenerint & duxerint, concordandi, recipiendi, & hujusmodi pacta, conventiones, D promissiones, sponsiones, & pollicitationes, præmissaque omnia & infra scripta pœnis & obligationibus jusjurandi religionis in animam dictæ dominæ ducissæ præstandi, & ejus ab eodem domino Ludovico recipiendi, & fide promissa & adimpleta more serenissimarum & insignium personarum roborandi, firmandi & vallandi, servatis semper dictis cautelis, pactis, conditionibus, contentis & expressis in capitulis memoratis, & generaliter ad omnia & singula alia verba, dicta & facta, convenientia, opportuna & necessaria, debita & solita, quibus E & per quæ purus, simplex, verus & rectus consensus & assensus conjugalis intelligitur, exprimitur & habetur, ac intelligi, exprimi potest & haberi, & per quæ inter dominam ducissam & præfatum dominum Ludovicum, licet absentes & sejunctos, verum matrimonium per verba de præsenti potest & debet & consuevit fieri, contrahi, & etiam celebrari, dicendi, faciendi, exprimendi, recipiendi, admittendi & acceptandi, & quæ per ipsam dominam ducissam constituentem, si præsens esset, in persona propria dici, fieri & exprimi, recipi, admitti, & acceptari, polliceri, &

promitti posset & debet seu deberet, etiamsi talia sint vel erunt quæ mandatum exigant propterea speciale, ac majora & graviora existerent quam sint ista, servatis semper dictis cautelis, pactis, conventionibus, & conditionibus contentis & expressis in capitulis supradictis: volens ipsa domina ducissa constituens, quod si casu aliquo mortis vel infirmitatis, vel justa aliqua causa supervenerit, per quem vel quam alter procuratorum & ambassiatorum ipsorum prædictis nequiverit interesse, quod eo casu alter procuratorum ipsorum non impeditus, seu superstes, prædicta omnia & singula possit & valeat inchoare, mediare & finire, prout esset ad prædicta omnia & eorum singula ac præinserta solus specialiter & in solidum constitutus; promittens ipsa domina ducissa mihi prædicto notario publico infra scripto, tamquam publicæ personæ, vice & nomine dicti domini Ludovici, & omnium aliorum & singulorum, quorum seu cujus interest vel intererit, aut interesse poterit in futurum, se ratum, gratum & firmum perpetuo habituram, & inviolabiliter & inconcusse servaturam totum quicquid per dictos procuratores & ambassiatores suos vel alterum eorum in casibus enarratis in præmissis & circa præmissa & quolibet præmissorum, ac dependentibus, emergentibus, connexis, & incidentibus ex eisdem, cum dictorum capitulorum, cautelarum, pactorum, conventionum & conditionum tenaci & inviolabili observatione promissum publicum, pactum, actum, dictum, procuratum quod fuerit quomodolibet sive gestum, & ullo umquam tempore non venturam, dicturam, aut facturam contra, nec veniendi, faciendi, aut dicendi licentiam petituram, seu ea usuram petita & obtenta, & insuper dictos procuratores suos ante consummationem & perfectionem omnium præmissorum, seu in ipso actu perfectionis & consummationis, aut post non revocaturam nec derogaturam in aliquo directe vel per obliquum, per se vel per alium, seu alios publice, vel occulte, sub hypotheca & obligatione omnium bonorum suorum præsentium & futurorum. Et proinde corporale præstitit ad sancta Dei evangelia juramentum, me prædicto notario publico infra scripto vice, nomine & pro parte dicti domini Ludovici, & præfatorum procuratorum & ambassiatorum, ac omnium & singulorum, quorum seu cujus interest, vel interesse poterit in futurum, promissionem, ypothecam, obligationem, & juramenta prædicta ab eadem domina ducissa constituto, quæ tamquam sacro sanctæ Romanæ ecclesiæ ac dicti domini papæ sedis apostolicæ, humilis & devota, nunc ignorans, ut dixit, ante eam & dictum dominum Ludovicum, unde si aliquod consanguinitatis vel affinitatis impediens copulam hujusmodi matrimonii celebrandi, extitit, propter ea humiliter protestata, quod si forsan in posterum contingeret inter præfatos dominam ducissam & dominum Ludovicum gradum consanguinitatis vel affinitatis adesse, per quos inter ipsos sine dispensatione dictæ sanctæ Romanæ matris ecclesiæ, seu domini summi pontificis & sedis apostolicæ, matrimonium non potuerit legitime celebrari, in casu ipso exigit præfata domina ducissa dictæ S. R. E. seu dicti domini summi pontificis & sedis apostolicæ dispensationem reservatam, in quantum pro robore & legitimatione dicti matrimonii fuerit necessaria ac etiam opportuna, quibus omnibus sic peractis, dicta domina ducissa costituens voluit etiam & mandavit quod per me prædictum infra scriptum notarium publicum conficerentur, & fierent inde unum, duo, tria & plura, toties quoties sibi forent, seu fuerint necessaria, expedientia & utilia, ad omnem requisitionem & mandatum, ac preces ipsius aut alterius ejus nomine publica instrumenta. Acta fuerunt hæc Neapoli in Reginali castro novo, sub anno, pontificatu, mense, die & indictione prædictis, præsentibus reverendo in Christo patre domino JULIANO Dei gratia episcopo Casinensi dictæ dominæ ducissæ cancellario ac magnificis & potentibus viris domino NEAPOLAONE de filiis Ursi comite Manupletti logoteta & prothonotario regis Siciliæ, domino NICOLAO DE AZZAROLIS de Florentia comite Melfiæ, magno ejusdem regis Siciliæ senescallo, domina FRANCISCA DE CELANO comitissa Ariani, Hugone de S. Severino, necnon domino Francisco de Sancto Vito milite, dictæ dominæ ducissæ hospitii senescallo, judice Francisco Setario de Salerno & judice Nicolao Archamon de Neapoli peritis in jure civili, magistro Petro de Lentino, supradictæ dominæ imperatricis rationali, JACOBO comite de Salino notario, Johanne de Maguntia notario dictæ dominæ ducissæ, & Antonio Cromello de Neapoli clerico publico apostolica auctoritate notario testibus ad præmissa vocatis & rogatis.

Et ego Nicolaus Sirilli, &c.

TENOR PACTORUM de quibus supra fit mentio.

HÆc sunt pacta, conventiones & conditiones quæ fieri debent per Fredericum de Campis & Antonium de Landulpho constitutos & ordinatos procuratores & ambassiatores per illustrem & excellentem dominam dominam JOHANNAM ducissam Duratii, regni Albaniæ, & honoris Montis Angeli dominam, ac Gravinæ comitissam

tissam super matrimonio, Deo prævio & actore, contrahendo inter dictos procuratores & ambassiatores nomine & pro parte dictæ dominæ ducissæ ex una parte, & illustrem dominum dominum LUDOVICUM de Navarra ex parte altera, secundum tenorem procurationis & potestatis procuratorum & ambassiatorum prædictorum, quas super hoc habent ab eadem domina ducissa; necnon secundum tenorem, conditiones & formas notatas & declaratas in capitulis infrascriptis procedentibus de certa scientia & beneplacito serenissimæ dominæ dominæ JOHANNÆ Dei gratia Jerusalem & Siciliæ reginæ illustris materteræ, & serenissimæ dominæ dominæ MARIÆ eadem gratia imperatricis CP. & principissæ Tarenti, matris, & sigillis reverend. dictæ dominæ ducissæ sigillatis anulo secreto jam dictæ dominæ reginæ, & sigillis tam parvo consueto, quo eadem domina ducissa usa est & utitur, quam magno impendenti ejusdem dominæ ducissæ, quo ipsa domina noviter uti incœpit.

In primis, quod dicta domina ducissa contentatur, & placet sibi, ac gerit in mente, estque in firmo proposito contrahendi matrimonium cum dicto domino LUDOVICO de Navarra, secundum quod continetur instrumento procurationis & potestatis prædictæ dominæ & comitissæ, per eamdem dominam ducissam procuratoribus & ambassiatoribus supradictis scripto manu mei Nicolai Sirilli civis Neapolicensis potestate apostolica & imperiali auctoritate notarii infrascripti, sub anno a nativitate Domini MCCCLXV. pontificatus sanctissimi in Christo patris domini nostri domini URBANI divina providentia papæ V.

Secundo quod dicti procuratores & ambassiatores in dicto casu, quo contraherent matrimonium supradictum nomine & pro parte dictæ dominæ ducissæ, promittant pro dote & nomine dotis, contemplatione matrimonii supradicti, civitates, terras, & castra, & omnia quæcumque bona feudalia, & alia jura, & quascumque rationes, quas dicta domina ducissa habet tam in regno Siciliæ citra Farum, quam extra regnum ipsum, & de his dicti procuratores & ambassiatores faciant sufficientes, validas & expedientes cautelas dicto domino LUDOVICO, obligationibus, renuntiationibus, juramentis, & pœnis pecuniariis & aliis necessariis & opportunis solemnitatibus roboratis.

Tertio, quod dictus dominus LUDOVICUS teneatur & debeat constituere dictæ dominæ ducissæ, seu prædictis procuratoribus & ambassiatoribus nomine dotis & pro parte ipsius dominæ ducissæ, pro dotario & nomine dotarii secundum consuetudinem consuetam & observatam illustrium dominorum regalium dicti regni Siciliæ in valore unciarum duo millia in auro per annum, vel ad minus unciarum mille in Carlensf. argenti in bonis fundalibus emendis, de propria moneta seu pecunia dicti domini LUDOVICI in dicto regno Siciliæ citra Farum, pro qua emtione facienda & percomplenda, dictus dominus LUDOVICUS teneatur & debeat, antequam veniat in civitatem hanc Neapolim, deponere & deponi facere realiter & cum effectu in civitatibus Florentiæ vel Januæ aut Neapolis, ad electionem dicti domini Ludovici, tantam quantitatem monetæ seu pecuniæ, quantam verisimiliter sit ac esse debeat, & esse censeatur sufficiens & opportuna, pro emendis bonis fundalibus supradictis valoris annui ad minus unciarum dictarum mille de dictis Carlensf. argenti, pro dotario & nomine dotarii supradicti: quod quidem depositum dictæ monetæ seu pecuniæ fiat in manibus sufficientium & idoneorum mercatorum, & in quacumque ex dictis civitatibus depositum ipsum fieri contigerit, fiat nomine & pro parte dictæ dominæ ducissæ, ratione dotarii supradicti. Rursum quod dicti mercatores recipiant dictam monetam pro parte dictæ dominæ ducissæ, & teneantur per pactum & conventionem facere omnem cautelam, quod sit & esse debeat ac esse censeatur idonea & sufficiens dictæ dominæ dominæ ducissæ specialibus pactibus suis de assignando supradictam pecuniam seu monetam convertendam in emtionem jam dictam ipsius dominæ ducissæ, & procuratoribus suis, ad omnem ipsius dominæ ducissæ vel eorumdem procuratorum suorum procurationem. Verumtamen est quod memorata domina ducissa amplius contentaretur, essetque sibi gratum pariter & acceptum, quod dictum depositum fieret in dicta civitate Neapolitana in manibus sufficientium & idoneorum mercatorum quam alibi.

Quarto, quod memoratus dominus LUDOVICUS in manibus dictorum procuratorum & ambassiatorum promittat, & obliget se personaliter venire Neapolim ad desponsandam dictam dominam ducissam, & firmandum dictum matrimonium cum eadem, & habitare in dicto regno cum ipsa domina ducissa, & eam non extrahere extra regnum ipsum, & de his faciat solemnes & sufficientes cautelas, obligationibus, pœnis . . . . . . renunciationibus, & aliis solemnitatibus roboratis, supradictis procuratoribus & ambassiatoribus recipientibus nomine, & pro parte jam dictæ dominæ ducissæ.

Quinto, quod jam dictus dominus LUDOVICUS promittat, teneatur & obliget se, ut supra, quod infra sex menses computandos a die quo, Deo prævio & actore,

firmatum erit matrimonium inter dictos procuratores & ambassiatores nomine & pro parte dictæ dominæ ducissæ ex una parte, & dictum dominum Ludovicum ex parte altera, secundum continentiam & tenorem dicti instrumenti procurationis facti, procuratoribus & ambassiatoribus supradictis venire ad dictum regnum, & esse personaliter in dictam civitatem Neapolitanam ad complendum & perficiendum & confirmandum cum effectu matrimonium supradictum, & totum id, ac quidquid facere tenetur de pactis & conventionibus supradictis, & in casu quo supradictus dominus LUDOVICUS infra dictum sex mensium terminum non veniret, etiamsi quocumque casu impeditus fuisset, aut deficeret adimplere realiter & cum effectu, durante ipso termino, dicta pacta & conventiones, aut aliquid vel aliqua eorumdem, quod in casu præmisso dicta domina ducissa principaliter & dicti procuratores & ambassiatores ejus nomine remaneant & sint liberi, quiti, & absoluti ab omni vinculo dicti matrimonii, & ab omni promissione, obligatione, & pœnis sacramenti & renunciationis, quas fecissent quomodolibet ratione matrimonii supradicti; vel dicti procuratores & ambassiatores nomine & pro parte dictæ dominæ ducissæ facerent quovismodo, & omnes & singulas promissiones, cautelas, instrumenta, pacta & conventiones, quas & quæcumque modo facerent, fecissent super matrimonio prædicto & aliter contento, expressis & declaratis in dictis procurationibus, pactis, conditionibus & conventionibus suprascriptis, aut fierent quoquo modo per dictos procuratores & ambassiatores dictæ dominæ ducissæ, ipso facto sint & esse censeantur, terminentur, & reputentur ruptæ, cassæ, irritæ, & annullatæ, inanes & invalidæ, ac omni careant efficacia, firmitate, & momento, robore & vigore.

Actum & datum Neapoli in reginali Castro-novo, sub dictis anulo secreto dictæ dominæ reginæ, & sigillis tam parvo quam magno ejusdem dominæ ducissæ, sub anno, pontificatu, mense, die, & indictione prædictis, præsentibus reverendo in Christo patre JULIANO Dei gratia episcopo Casinensi dictæ dominæ ducissæ cancellario, & magnificis ac potentibus viris domino Neapoliensi de filiis Ursi, comite Manuplelli, logotheta & protonotario regis Siciliæ, senescallo, domina Francisca de Celano comitissa Ariani, Hugone de S. Severino, necnon & domino Francisco Setario de Salino, & judice Nicolao Archamon. de Neapoli peritis in jure civili, magistro Petro Lentino supradictæ dominæ imperatricis rationali, Jacobo comite Salino notario, Johanne de Magentia notario dictæ dominæ ducissæ, & Antonio Siemello de Neapoli clerico publico apostolica auctoritate notario, testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis.

Et ego Nicolaus Sirilli, &c.

LITTERÆ

dominæ imperatricis confirmationis & approbationis dicti matrimonii.

MARIA Dei gratia imperatrix Constantinopolitana, Acayæ & Tarenti principissa, universis præsentes litteras inspecturis, tam præsentibus quam futuris, cunctis aliis sancis recta prospiciens, non immerito statuit, quod in copulandis nuptiis nuncupatorum nec cognatorum vel affinium auctoritas exquiratur, sed expectanda sit ejus voluntas, de cujus conjunctione tractatur. Sane dudum præcedentibus siquidem matura deliberatione consilii, beneplacito & consensu inclytæ dominæ dominæ JOHANNÆ Jerusalem & Siciliæ reginæ illustris sororis nostræ carissimæ & dominæ reverendæ, u... que parens spectabilis JOHANNA ducissa Duratii regni Albaniæ & honoris Montis S. Angeli domina, comitissa Gravinæ, filia nostra primogenita, ac etiam prædilecta..... existens propterea ætatis, hujus animum & propositum matrimonium, actore Domino, contrahendi cum excellenti LUDOVICO infante Navarræ, comiteque Bellimontis, ac Bearniano, serenissimi principis domini CAROLI eadem gratia regis Navarræ, Ebroicensisque comitis illustris constituit & fiducialiter ordinavit suos procuratores, ambassiatores, & nuntios speciales & generales, circumspectos viros Fridericum de Campis & Anthonium de Landulfo de Neapoli, ejusdem dominæ ducissæ familiares & secretarios, ad conferendum se ad præsentiam dicti domini Ludovici, & cum eo prædictum matrimonium pertractandi, ipsumque matrimonium contrahendi & percomplendi cum eodem domino Ludovico nomine & pro parte ducissæ præfatæ, per verba apta mutuum consensum exprimentia de præsenti, cum certis pactis, conditionibus & modificationibus, scriptis ac etiam annotatis in instrumento procurationis jam dudum, siquidem per manus Nicolai Sirilli de Neapoli publici apostolica auctoritate notarii in toto regno Siciliæ citra Farum, olim in anno Domini MCCCLXV. pontificatus in Christo patris domini nostri domini URBANI divina providentia papæ V. tertio, mense Martii, die penultimo ejusdem, tertiæ indictionis subsequentis, dicti procuratores & ambassiatores ducissæ præfatæ conferentes se personaliter ad præsentiam dicti domini Ludovici, quem personaliter invenerunt in villa S. Sebastiani diœcesis Pampi-

lonæ, & habito inter eos solemni colloquio & tractatu, de supradicto matrimonio contrahendo, & pactis hujusmodi petitis, tandem idem dictus dominus Ludovicus dictum matrimonium gratum sibi repræsentans & acceptans, cum eisdem procuratoribus & ambassiatoribus nomine & pro parte præfatæ ducissæ, & ipsi procuratores & ambassiatores quo supra nomine, cum eodem domino Ludovico prædictum matrimonium, actore Domino, per verba de præsenti apta, mutuum consensum exprimentia contraxerunt, secundum ritum & formam sanctæ Romanæ ecclesiæ, & canonica instituta, reservato tamen per eumdem dominum Ludovicum primo & ante omnia & in præmissis voluntate & beneplacito dicti regis fratris sui, prout in quodam publico instrumento confecto per manus Simonis de Villana civis Pampilonæ, publici apostolica auctoritate notarii, sub anno Domini millesimo trecentesimo sexagesimo quinto, indictione III. die XIX. mensis Junii, pontificatus ejusdem sanctissimi in Christo patris domini Urbani divina providentia papæ V. tertio, die, mense, ... dicti procuratores & ambassiatores ducissæ præfatæ se personaliter contulerunt ad præsentiam dicti regis, quem personaliter invenerunt in villa .... regni, ejusdem diœcesis, & facta per eosdem ambassiatores, procuratores, notificatione & ambassiata eidem regi de omnibus & singulis supradictis ac de prædictis gestis per dictos ambassiatores & procuratores, quo supra nomine, & pro parte dictæ dominæ ducissæ, & dominum Ludovicum ex altera, præfatus rex prædictum matrimonium, ut prædicitur, contractum approbavit, ratificavit & acceptavit, ac etiam... .... dicto inter nobiles viros .... militem magistrum Simonem de Extorriaco & Johannem de Colania dictum..... procuratores & ambassiatores & nuncios speciales dicti domini Ludovici, habentes ad id plenariam potestatem ex parte una & memoratos Fredericum & Antonium pro parte dictæ ducissæ ex parte altera in suis regnis in præsentia expresse consentiendo dicto matrimonio contrahendo, ac etiam contracto, illudque acceptantis, complentis & approbantis matrimonium ipsum per verba ipsa apta, mutuum consensum exprimentia de præsenti fecit solemniter & legitime contrahi ac etiam celebrari modo prædicto sub pactis, conventionibus & modificationibus inter partes, quibus apparent publica instrumenta, petito tamen per ipsum regem oretenus ab ambassiatoribus & procuratoribus supradictis quod deberemus super prædictis matrimonii pactis & conventionibus adjectis in illo consentire, ipsaque ratificare, approbare, pacificare, ac nostræ auctoritatis munimine roborare. Nos autem licet prædictum matrimonium sic, ut prædicitur, contractum, de se firmum validumque consistat, & per consequens dicta pacta & conventiones roboris firmitate vallentur; attamen ad abundantioris cautelæ suffragium, quæ proficere non officere consuevit: attendentes igitur ad eorum domini regis & domini Ludovici generosum, nobile altumque genus Francorum, quo idem rex & dominus LUDOVICUS non immerito illustrantur, nec minus virtutes quibus idem dominus Ludovicus specialiter insignitur; intuentes quod pariter ad devotionem & filialem obedientiam ejusdem ducissæ filiæ nostræ carissimæ id per nos fieri debere postulantis, prædictum matrimonium maternali affectione commotæ tamquam nobis gratum, ratum & placitum reputantes, ipsum ac omnia prædicta pacta & conventiones, habita super illo juxta illorum continentiam & tenorem, de nostra certa scientia acceptamus, ratificamus, approbamus, pacificamus, ac nostræ auctoritatis munimine, quatenus opportunum fore dignoscitur, roboramus; promittentes sub verbo augusto & regali prædicta omnia & singula firmiter tenere, & observare efficaciter, & ab eadem ducissa filia nostra facere observari, ac etiam adimpleri, seu quantum ad nos & dictam nostram filiam pertinet & pertinere dignoscitur. In cujus rei testimonium dictique regis & domini Ludovici ....

LITTERÆ JOHANNIS episcopi Leodiensis.

De modo convocandi ad exercitum homines secundariarum ecclesiarum Leodiensium.

Anno 1366. Ex ms. Cl. V. Baronis de Crassier.

JOHANNES Dei gratia Leodiensis episcopus universis & singulis præsentia visuris salutem, & rei subscriptæ noscere veritatem. Suborta dudum, dum ad obsidionem castri de *Ruminies* (a) exercitum nostrum duxeramus, inter nos ex una parte, ac venerabiles & dilectos nostros decanos & capitula nostrarum secundariarum Leodiensium ecclesiarum ex altera, super modo seu consuetudine vocandi homines villarum ad easdem ecclesias pertinentium, ad exercitum seu expeditionem nostram, aliquali altercatione seu materia quæstionis: Nos cupientes & affectantes sic jura nostra & ecclesiam nostram conservare, ut aliis in suis juribus penitus nullum irrogaremus præjudicium, dictis dominis decanis & capitulis, quia de consuetudine & modo ducendi prædictis, nobis adhuc minus plene constabat. Promisimus quod per modum du-

(a) Capta est Araxu Ruinia an. 1365. pridie idus Octobris.

cendi & vocandi homines villarum suarum prædictarum, quo tunc usi fuimus, non intendebamus nec intendimus nobis aut nostris successoribus aliquid novi juris acquirere seu acquisivisse, quodque de cetero, dum casus emergeret, ipsos homines, prout nostri prædecessores Leodienses episcopi hactenus facere consueverunt & tenebantur, & non aliter ad dictas expeditiones vocare & ducere volebamus & intendebamus, prout in nostris litteris dictis decanis & capitulis super hoc concessis plenius continetur. Verum cum adhuc de modo & consuetudine ducendi prædictos homines nondum hinc inde plene fuit inquisitum; nos qui pacem & concordiam inter nos & dictas nostras ecclesias summopere nutrire, & nutritas favore affectamus, dictam obscuritatem seu dubietatem pro bono pacis & concordiæ pabulo gratioso inter nos & præfatas ecclesias nostras, pacis auctore favente, perpetuo duraturæ, per hunc modum duximus moderandum. Quod dilectis nobis in Christo decanis seu vicedecanis & capitulis ecclesiarum nostrarum secundariarum prædictis tenore præsentium promittimus bona fide, quod quamdiu, divina permittente clementia, ecclesiæ nostræ Leodiensi præsidebimus, quotiescumque decano & capitulo nostræ majoris ecclesiæ Leodiensi cum militaribus civitatis ceterisque bonis villis patriæ nostræ Leodiensis in majori capitulo dictæ ecclesiæ nostræ more solito convocatis, ipsis una nobiscum visum fuerit expediens, nos ad exercitum debere proficisci, nobis companæ pulsu ac vexillo quod standarium communiter nuncupatur, pro ipsius exercitus congregatione concessis, nos per decanum seu vicedecanum nostræ majoris ecclesiæ, ad ipsius majoris ecclesiæ capitulum, ipsis decanis seu vicedecanis & capitulis sæpedictarum ecclesiarum nostrarum secundariarum, quemadmodum in aliis casibus ibidem communiter convocari consueverunt, convocatis, ipsis decanis & capitulis per nos aut alium quemvis ad hoc nostro nomine deputatum, exponemus aut exponi faciemus exercitus, campanæ pulsus, & standarii prædictorum concessionem, ipsos ad hoc requirendo, vel nomine nostro per alium requiri faciendo: quatenus suos homines & subditos faciant nos nostrumque vexillum & exercitum reliquum sequi, & nobiscum ad dictam expeditionem proficisci & permanere perseveranter, quemadmodum alii homines & subditi militarium patriæ nostræ Leodiensis, nos sequi, nobiscum proficisci ac permanere perseveranter in hujusmodi expeditionibus hactenus consueverunt, jure seu consuetudine super hominibus & subditis prædictarum ecclesiarum nostrarum secundariarum, nobis & ecclesiæ nostræ in aliis casibus debitis, semper salvis. Datum sub sigillo anno a nativitate Domini millesimo trecentesimo sexagesimo sexto, mensis Maii die quarta decima.

LITTERÆ LUDOVICI ducis Andegavensis, &c.

Facultatem tribuit comiti Armaniaci civitatem Agennensem & loca ab eo dependentia sub regis obedientia ponendi.

Anno 1369. Ex ms. Colbertino.

LOUIS fils de roy de France, frere & lieutenant de monseigneur le roy es partie de Languedoc, duc d'Anjou, comte de Maine, à tous ceux qui ces lettres verront salut. Savoir faisons, que nous confiant a plein des tres grands sens, loyauté & diligence de nostre tres cher & tres amé cosin le comte d'Armagnac, a icelluy avons donné & donnons de l'authorité royal dont nous avons plein pouvoir, authorité & mandement especial de luy transporter en ou devant la ville d'Agen, & par toutes les autres villes, forteresses, chasteaux, & lieux de l'Agennois, & toute autres qu'il saura non estre obeissant a monseigneur & a la couronne de France, de induire & requerir les nobles, consuls & habitans desdites villes, chasteaux & lieux, chacun en droit soy de par monseigneur & nous, de faire a nostredit cousin ou venir faire pardevers nous pour & au nom de mondit seigneur le roy de France, de donner treves & saufsconduicts a iceux nobles, consuls & habitans, & a chacun d'eux tels & pour tant de temps . . . . . rappeller, s'il luy plaist, de composer, pacifier, & accorder les obeissances en cette partie, & de leur donner au nom de monseigneur ou du nostre pour ce . . . . & de s'en obliger, se metier est, envers eux & chacun d'eux, pour & au nom de monseigneur, & de nous, de leur promettre faire . . . . . nous ce que ainsi il aura faict, composé, pacifié, accordé & donné, de leur confirmer & renouveller leurs privileges, franchises . . . . s'il voit que bon soit de contraindre les rebelles & des-obeissans par force & multitudes de gens d'armes pour . . . . . chasteaux & forteresses, par emprisonnement de personnes d'iceux ou d'icelles, & par toutes les autres meilleures voyes & manieres que bon & advis luy semblera, a ce qu'ils deviennent & soient de l'obeissance de monseigneur & la nostre, si come tenus y sont, & generalement de faire & gerer en & pour les choses dessusdites, & chacune d'icelles & les dependances, come nous-mêmes ferions & faire pourrions, si presens y estions en propre personne, & avons promis & promettons par la foy de nostre corps & en loyauté de fils de roy avoir fermes & estables toutes les choses & chascunes d'icelles

que par nostredit tres cher & tres amé cousin auront ou seront esté faites, passées, accordées, données & octroyées en cette partie, & les confirmer & faire confirmer & faire tenir sans aucune difficulté par mondit seigneur & les gens de son conseil & le nostre, se mestier est. Si mandons a tous les justiciers, officiers, subgets & gens d'armes dudit seigneur & les nostres, que audit nostre cousin, en ce faisant, obeissent & entendent diligemment, & luy prestent conseil, confort, force & aide, se mestier est, si en sont requis. En tesmoin de ce nous avons fait mettre nostre grand seel a ces presentes. Données a Tholose le quart jour de Fevrier l'an de grace MCCCLXIX.

Par monseigneur le duc. *Ainsi signé* DE HALUY.

EPISTOLA STEPHANI cardinalis ad episcopum Condomensem.

Ut Mathæ de Armaniaco dominæ de Lebreto votum peregrinationis ad sanctum Jacobum commutet.

Anno 1369 Ex ms. Colbertino.

VEnerabili in Christo patri Dei gratia episcopo Condomensi vel ejus vicario in spiritualibus, STEPHANUS miseratione divina titulo S. Eusebii presbyter cardinalis, salutem & sinceram in Domino caritatem.

Ex parte nobilis mulieris MATHÆ de Armaniaco dominæ de Lebreto Adurensis diocesis, nobis oblata petitio continebat, quod ipsa olim fervore devotionis vovit sine termini præfixione mittere aliquas personas ad peregre visitandum limina S. Jacobi in Compostella. Cum autem propter guerras & viarum pericula votum hujusmodi non possit commode exequi, sicut vellet; supplicari fecit humiliter sibi super hoc sedem apostolicam de opportuno remedio misericorditer provideri. Nos igitur auctoritate domini papæ, cujus pœnitentiariæ curam gerimus, & de speciali ejus mandato super hoc vivæ vocis oraculo nobis facto, circumspectioni vestræ, cum in vestra diocesi moram trahat, committimus, quatenus votum ipsum commutetis eidem in alia opera pietatis, prout secundum Deum animæ ipsius saluti videbitis expedire: ita tamen quod tantum quantum fuissent dictæ personæ ineundi & redeundi itinere pro executione voti ipsius expensare, juxta vestri arbitrium & consilium, Christi pauperibus & in alios pios usus eroget cum effectu; sic quod de erogandis hujusmodi ad manus vestras nihil deveniat quoquomodo, & nihilominus ad dicti Sancti ecclesiam, cum commode poterit, fideliter transmittat oblationes, quas per dictas personas misisset, si eas illuc propter hoc personaliter destinasset. Datum Romæ apud sanctum Petrum A quarto calendas Martii, pontificatus domni Urbani papæ V. anno VII.

INSTRUMENTUM absolutionis Ludovici de Navarra & Johannæ ducissæ Duratii ab excommunicatione ob contractum matrimonium in quarto gradu.

Anno 1370. Ex ms. Colbertino.

IN nomine Domini. Amen. Anno nativitatis ejusdem MCCC septuagesimo, indi- B ctione octava, die quarta mensis Aprilis, pontificatus SS. in Christo patris & domini nostri domini URBANI digna Dei providentia papæ V. anno VIII. ejusdem, in præsentia reverendi in Christo patris & domini domini BERNARDI miseratione divina archiepiscopi Neapolitani, & mei notarii infra scripti, & testium infra scriptorum, ad hoc specialiter vocatorum & rogatorum, constitutus illustris dominus dominus LUDOVICUS de Navarra, natus claræ memoriæ domini PHILIPPI regis Navarræ, ipsi domino archiepiscopo exposuit, & dixit, quod sanctissimus in Christo pater & dominus no- C ster dominus URBANUS divina providentia papa V. eidem domino archiepiscopo per suas litteras apostolicas, quas sibi alias præsentaverat & adhuc de novo præsentabat, quarum tenor sequitur in hæc verba:

URBANUS episcopus servus servorum Dei venerabili fratri archiepiscopo Neapolitano, S. & A. B.

Providentia sedis apostolicæ magnitudinem excellentium personarum advertens & antea considerans, quod earum inclyta devotio favoris & gratiæ plenitudinem promeretur, dignum & congruum reputat, im- D mo potius debitum arbitratur, eis generose concedere, quod nonnumquam aliis interdicit, maxime cum speratur, quod gratia quæ illis impenditur, ipsas Romanæ ecclesiæ devotiores efficiat, & quod earum obsequiosa devotio reipublicæ utilitatis afferat incrementum. Cum itaque nobilis vir LUDOVICUS natus claræ memoriæ PHILIPPI regis Navarræ, & nobilis mulier JOHANNA ducissa Duratii ex eo, ut prætenditur, excommunicationis sententia innodati existant, quod in gradu consanguinitatis ad matri- E monium contrahendum prohibito conjuncti, & hoc non ignorantes matrimonium insimul, ut asseritur, contraxerunt; nos ipsorum animarum saluti providere cupientes, absolvendi auctoritate nostra in forma ecclesiæ prædictos LUDOVICUM & JOHANNAM ab hujusmodi excommunicationis & aliis sententiis, si quas occasione præmissorum incurrerint, si hoc humiliter petierint, injunctis tamen eis inter alia sub virtute procurandi juramenti, quod similia de cetero non committant, nec facientibus præbeant

auxilium, consilium, vel favorem, ac pro modo culpæ pœnitentia salutari & aliis quæ de jure fuerint injungenda, ac eis quod hujusmodi durante quadragesima, seu infra octavas paschæ, quibuscumque constitutionibus apostolicis & aliis contrariis nequaquam obstantibus, matrimonium, si illud insimul contraxerint in facie ecclesiæ, solemnizare valeant, licentiam dandi fraternitati tuæ plenam & liberam tenore præsentium concedimus facultatem. Datum Romæ apud sanctum Petrum decimo calendas Aprilis, pontificatus nostri anno VIII.

Commiserat ac auctoritatem sibi dederat, ut ipsum dominum LUDOVICUM, quia in quarto gradu consanguinitatis prohibito conjunctus cum illustri domina domina JOHANNA ducissa Duratii non ignorans, prout in suis litteris apostolicis latius continetur, contraxisse asseritur, absolveret a sententiis excommunicationis seu excommunicatione, seu aliis sententiis, si quas occasione præmissorum incurrissent, quamvis revera dum contraxit cum præfata domina ducissa, nec sufficienter erat certificatus quod de impedimento consanguinitatis, nisi prout audiverat ab aliquibus, quibus fidem dare non decebat nec tenebatur, cum ipsa domina ducissa matrimonium de præsenti per verba contraxit & contrahere præsumsit, licet post contractum matrimonium cum domina Johanna ducissa clarius certificatus fuerit, de impedimento consanguinitatis prælibato, post quod ipse volens & matrimonium contrahere intendens & affectans, cum dispensatione domini nostri papæ legitime cum dicta domina ducissa, quod bonarum mentium est timere culpam, ubi culpa minime reperitur, & quod in facto animæ semper in deteriorem partem, ut ipsi animæ consulatur, est præsumendum, supplicavit domino nostro papæ, ut pro securitate animæ suæ sibi, in quantum indigebat, beneficium absolutionis a dicta sententia excommunicationis & aliis sententiis, si quas occasione præmissorum incurrisset, de benignitate apostolica impertiri dignaretur: qui dominus papa ejus justis supplicationibus inclinatus, beneficium absolutionis prælibatum per suas litteras supradictas per præfatum dominum archiepiscopum impendi mandavit. Quibus litteris per me notarium infra scriptum lectis, dictus dominus Ludovicus cum instantia debita humiliter & devote flexis genibus requisivit & petiit per ipsum dominum archiepiscopum auctoritate apostolica se a prædictis sententiis absolvi, & absolutum publice nunciari. Post quæ dictus dominus archiepiscopus, ab ipso domino Ludovico in manibus suis recepto juramento, juxta mandata apostolica, quod mandatis ecclesiæ & suis in hac parte obediret, injuncto etiam sibi in præstiti juramenti virtute quod similia de cetero inania non committeret, nec facientibus, seu facere volentibus auxilium, consilium & favorem præstaret, ipsum meliori modo, forma quibus potuit & debuit, juxta formam & tenorem litterarum apostolicarum supradictarum, a sententia excommunicationis & aliis sententiis, si quas occasione præmissorum incurrerat seu incurrere potuerat, auctoritate apostolica absolvit, & duxit absolvendum, ac absolutum a præmissis sententiis declaravit, mandans tenore præsentium ipsum absolutum publice nuntiari, sibi pro modo culpæ injuncta pœnitentia salutari, ac injunctis aliis quæ de jure fuerint injungenda, concedens ipsi domino Ludovico litteras patentes ejus sigillo pontificali sigillandas super absolutione prælibata, de quibus omnibus & singulis dictus dominus LUDOVICUS requisivit me notarium infra scriptum, ut de ipsis ad sui cautelam & certitudinem, & ne pro tempore futuro præmissa valerent, seu possent in dubium revocari, conficerem unum, duo, tria, vel plura publica instrumenta. Acta fuerunt hæc Neapoli in domo habitationis domini Ludovici & dominæ Johannæ ducissæ, anno, indictione, mense, pontificatu, anno ejusdem quibus supra, præsentibus reverendo in Christo patre domino JACOBO Dei gratia episcopo Lucerino, domino Paulo Deodato de Benevento milite, domino Francisco Sotario de Salinò legum doctoribus, domino Francisco Guidonis licentiato in legibus, canonico basilicæ principis apostolorum de Urbe, ipsiusque domini archiepiscopi vicario generali judice, Nicolao Archamon jurisperito curiæ ducalis magistro rationali, Johanne de Gardia, Frederico de Campis, fratre Petro de Valle ordinis B. Augustini, Paschali de Ylandia, Daquello Simonelli auctoritate apostolica notariis publicis, notario Antonio de Landulfo testibus ad præmissa vocatis & rogatis.

Et nos BERNARDUS Dei gratia archiepiscopus Neapolitanus præmissam absolutionem auctoritate apostolica fecimus, ideo propria manu scripsimus.

Et ego Johannes de Cluniaco clericus Atrebatensis diœcesis apostolica & imperiali auctoritate ipsiusque domini archiepiscopi scriba & notarius, præmissis bullæ, præsentationi, receptationi, ipsiusque domini Ludovici absolutioni, pœnitentiæ injunctioni, omnibusque aliis & singulis, dum sic fierent & agerentur, una cum supra nominatis testibus præsens interfui, eaque ad requisitionem dicti domini Ludovici in publicam formam redegi, manuque propria scripsi, signumque meum consuetum una cum subscriptionibus manus propriæ dicti domini archiepiscopi, domini Guillelmi & Paschalis auctoritate apostolica notariorum,

appofui in teftimonium & fidem omnium præmifforum.

Et ego Pafchalis, &c.

Et ego Guillelmus, &c.

LITTERÆ CAROLI V. regis Francorum;

Comiti Armaniaco concedit, ut in civitatibus & munitionibus comitatus Bigorrenfis inftituti ab eo præfecti remaneant.

Anno 1372. Ex mſ. Colbertino.

CHARLES par la grace de Dieu roy de France a tous ceux qui ces lettres verront falut. Savoir faifons que nous confiderans la bonne diligence que noftre chier & feal coufin le comte d'Armagnac a mife jufques a bon effect a la conquefte de la comté de Bigorre a grand poine & travail, dont il a acquis plufieurs ennemis & hayneux, & pour ce que par icelle comté ils puiffe mieux & plus efforcement faire guerre a nos ennemis, laquelle chofe il ne pourroit faire a noftre profit, fe des officiers qui y ferbient de par nous n'avoit plaine obeiffance, & pour autres juftes caufes & raifonnables, qui a ce nous meuvent. Nous luy avons octroyé de noftre grace fpeciale, & certaine fcience, & octroyons par la teneur de ces lettres, que le fenefchal, le juge des appeaux & ordinaire, le receveur, procureur, capitaines, chaftelains, & gardes des chafteaux, villes, & autres forterefles, qui a prefent font de par nous en laditte comté foient & demeurent en leurs dits offices, & les exercent ou nom de nous & pour nous, fans en eftre oftez, ou muez fans noftre exprés commendement & ordenance, & que ou cas que aucuns iroient de vie a trepaffement, ou feroient muez, oftez ou tranflatez ailleurs par nous, comme dit eft, ceulx qui en lieux d'iceulx trepaffez, oftez, muez, ou tranflatez y feroient mis & y foient mis & eftablis a la nomination de noftredit coufin durant la guerre d'entre nous & noftre adverfaire d'Angleterre, & que fe par inadvertance y eftoient autres eftablis, ils en foient oftez, & y demeurent ceulx que ledit comte y avoit nommez ou nommeroit. Si donnons en mandement par la teneur de ces lettres a noftre tres cher & tres amé frere le duc d'Anjou noftre lieutenant es parties de Languedoc, & a tous autres lieutenans & capitaines a venir efdites parties, que noftre prefente grace & octroy tiengnent & gardent & facent tenir & garder fans enfraindre aucunement, en rappellant tout ce qui auroit efté fait au contraire. En temoing de ce nous avons fait mettre noftre fael a ces prefentes lettres. Douné a Paris le XXVIII. jour de Fevrier l'an de grace mil CCCLXXI. & le huit de noftre regne.

Et au reply de par le roy Yvot.

ORATIO PETRI FERDINANDI Vacecapitis & Pafcafii Garfiæ decani Aurienfis infantis regis Caftellæ ambaffiatorum ad Ludovicum ducem Andegavenfem.

De geftis ab Infante in bello Navarrico & de matrimonio contrahendo inter filium Ludovici ducis Andegavenfis & primogenitam ducis Girundenfis.

Anno 1378. Ex mſ. Colbertino.

IN confpectu fereni principis & excelfi, domini LUDOVICI, illuftriffimi quondam regis Franciæ geniti, & ducis Andegavenfis, die nona menfis Decembris, anno a nativitate Domini MCCCLXXVIII. in civitate Tolofana Petrus Ferdinandi Vacecapitis miles & Pafcafius Garfiæ decanus Aurienfis, inclyti domini Jo. infantis Caftellæ primogeniti ambaxiatores & nuncii, propofuerunt pro parte ejufdem domini infantis per modum qui fequitur infra fcripta.

Sublimis & magnifice princeps; nepos vefter dominus nofter infans concorditer vos falutat, & intime deprecatur, quod de vita & falute veftris ac dominorum duciffæ uxoris & filii veftrorum, & de bono veftro ftatu, & fucceffuum rerum iftarum partium fibi continue faciatis nova profpera nunciari, de quibus lætabitur in immenfum, quodque gratiffimum reputabit: & quia certus eft, quod de hoc veftræ ferenitati placebit, vobis fignificat, fe, Deo gratias, falute & incolumitate vigere.

Ceterum, ftrenuiffime princeps, cum nepos vefter & dominus nofter infans facta guerræ Navarræ per dominum Raimundum Bernardi doctorem legum & ambaxiatorem veftrum a principio ufque ad ejufdem doctoris regreffum qualiter fuccefferunt fignificari miferit feriofe, quem doctorem ipfe tam propter infecuritatem itinerum, quam propter perverfitates regis Navarræ, de quibus minime confidebat, diebus fecum detinuit aliquibus, non permittens illum in reventu fe ponere non fecuro, nec permiferat ullo modo, donec quamdam veftram litteram doctori memorato mandantem, quod fe de Caftri-boni vicecomite confidaret: quoniam vicecomes ipfum extra Navarræ regnum immenfitati veftræ promiferat fecurum poni facere & indemnem, ob quod idem doctor fe in præfato vicecomite, & in ejus ac regis Navarræ, & domini Bercucati fecuritatem litteris confidavit. Quarum tranfumtus vobis mittit dominus nofter infans, ut videatis illos, vobis nihilominus hoc fignificans, ut fciatis. Cumque noverimus ipfum doctorem huc ufque ad veftram celfitudinem non veniffe, propter quod de factis prædictis guerræ non fuit veftræ magnitudini relatio plene facta. Id-

circo nos illa vestræ sublimitati narrabimus serie subsecuta.

Et primo, prout vestra serenitas non ignorat, nepos vester & dominus noster infans de mandato fratris vestri domini sui regis Castellæ, & animo domino regi Franciæ & vobis, velut ejus caris avunculis, complacendi, cum magno exercitu regnum Navarræ potenter ingressus fuit, ad regi Navarræ guerram non indebite faciendam, propter facinora, quæ idem rex Navarræ præpensata commisit contra Franciæ & Castellæ reges illustres, & serenissimos fratres vestros, & contra ipsum, ac etiam contra nos tot & tantis bonis consanguinitatum debitis, quibus vestrum singulos attingebat, & matrimonii inter ejus primogenitum & dominam infantissam Castellæ neptem vestram contracti, necnon aliis quibuslibet pro culpis: propter quod frater vester dominus rex Castellæ volens locum pandere bono pacis, misit domino infanti prædicto certa capitula continentia modos rationabiles non incertos de arrehenibus aliquibus certorum castrorum, eidem domino infanti nepoti vestro per regem Navarræ celeriter conferendis, ut Franciæ & Castellæ reges illustrissimi fratres vestri, ac vos de ipso & ejus sagacitatibus essetis indubiæ securitati. Post quæ nepos vester & dominus noster infans juxta civitatem Pampilonensem longo tempore moram traxit, guerram indesinenter exercens, & prædictos arrehenes castrorum sibi dari, ac omnia alia quæ prædicta capitula continebant adimpleri effectualiter postulando, ubi pro parte regis Navarræ fuerunt domino nostro domino infanti tractatus non modici suscitati. Videlicet primo, quod si dominus infans guerram dimitteret, ut præfertur, inceptam, daret ei integraliter arrahenes, & in capitulis contenta effectualiter adimpleret. Secundo quod volebat se submittere voluntati fratris vestri domini nostri regis, vassallum ejus se reddere promittendo. Tertio quod eisdem dominis regi & infanti nepoti vestro post dies suos regnum dimitteret successive, casu quo infans Navarræ primogenitus ejus sine herede filio deficeret.

Quæ tria per suas litteras nomine & sigillo firmatas & sigillatas, juravit & promisit vicibus iteratis, etiam super pretiosum corpus Domini nostri Jesu-Christi adimplere, sicut illa per suos nuncios nepoti vestro mandabat exponi. Post hæc etiam dominum infantem duxit finaliter deprecandum, quod sibi placeret ad alias regni partes cum suo exercitu se transferre, ut ipse posset Pampilonem adire, & cum suis regni naturalibus super sibi necessariis loqui, quo facto, ipse veniret personaliter ad eumdem, ad faciendum omnia quæ vellet & ordinaret dominus noster infans. Et licet idem nepos vester & dominus noster infans nullam habuerit intentionem dandi locum in aliquo prædictis ejus tractatibus sagacibus & profanis: (habuerat enim in mandatis a prædicto domino suo rege, quod nullos in hæc firmaret tractatus, nisi sub condicione, si de ipsis domino regi Franciæ & vobis etiam applauderet); tamen quia in illis partibus Pampilonæ jam pro exercitu victualia non poterant reperiri, & quod omnia circumjacentia loca erant jam combusta & dilapidata, ac bladia victualia & alia universa distracta & devastata taliter, quod id notabiliter habebitur in memoriam sempiternam; iterum etiam quia dominus noster infans magis utile reputavit gradiri per regnum Navarræ, tam pro locis capiendis, quam pro terris ejusdem regni remanentibus destruendis. Quapropter dimissis satis destructis partibus Pampilonæ, ivit ad Mendegurriam: quæ est una villa fortis non modicum atque bona: quam cepit mora postposita, & in ipsa dimisit sufficientiam gentium armorum, quæ custodirent & defensarent illam, & discursus hostiles facerent per Navarræ circumvicinas terras. Quo facto, ivit ad aliam villam quæ *Laraga* vulgariter nuncupatur, & quasi inexpugnabilis reputatur, & in diebus brevibus cepit illam, ibique gentes armorum dimisit, ac ivit ad *Lerin* locum fortissimum atque bonum, sicut pro majori parte sunt loca illius regni, in quo stabat bastardus de Arminiaco cum Vasconibus aliquibus, qui exivit ad dominum infantem, eique humiliter supplicavit, quod nollet perditionem ipsius, quam in loco hujusmodi jugiter sperabat. Et ut nepos vester dominus noster infans festinantius recuperaret locum, pepercit ei, deditque sibi aditum recedendi, & capto loco, ivit ad quoddam bonum fortalicium, quod vocatur Mandania, ipsumque per vim intravit, & funditus dissipari fecit. Et interim per gentes domini infantis capta fuerunt plurima bona loca. Et ab inde ivit ad Vianam, quæ est una villa de notabilioribus & fortioribus regni. Et ab hinc præfatus dominus doctor ambaxiator noster pro redeundo huc, ut supra scribitur, arripuit iter suum, & dimisit dominum infantem juxta Vianam, quam tunc obsessam nunc vero in deventu nostro, duris & angustis tenebat obsidionibus coartatam, & jam terminatam illam infra octo dies, qui complebantur die sexto Novembris proximo nunc elapso Deo prævio recepturus, nisi per regem Navarræ succurreretur, quod impossibile in illis partibus reputatur, in certitudinem rei cujus, arrehenatos ejusdem villæ omnes meliores & notabiliores homines jam tenebat: & in hoc tempore scilicet post recessum doctoris prædicti, gentes ejus ceperunt alia bona & satis fortia quatuor loca.

loca. Et villa Viana capta, ipse tam in locis & castris Navarræ captis per ipsum & gentes suas, quam in villis & fortalitiis Castellæ, Navarræ vicinis, mille & quingentas lanceas ac quingentos equites della Gineta, pluresque ballistarios, almogavares, & aliam multitudinem peditum, quos jam deputaverat permansuros, dimittere proponebat, qui continue per regnum Navarræ discurrant, destruant, & dissipent quidquid poterint in eodem. Quibus sic factis, ipse ad dominum suum regem, qui jam pro ipso mandaverat, accedere proponebat, cum jam propter hyemem frigidissimam non sit tempus guerræ, ad aliquantulum recreandum & quiescendum, & cum eodem domino suo rege etiam concordandum super illis quæ opus fuerint ad futura: quæ omnia supradicta nepos vester dominus noster infans excellentiæ vestræ notificat nostra relatione, ut scire possit illa, & etiam avisari in scribendo, si decuerit fratri vestro domino suo regi, illaque celsitudo vestra viderit expedire, ut idem dominus rex deliberet super his, & sibi per ipsum facienda præcipiat, quibus exequendis ipse majorem quam poterit diligentiam adhibebit, propter domini regis Franciæ sui avunculi & vestrum honores.

Præterea, magnissime princeps, nos inter cetera principaliter sumus ad vestram celsitudinem destinati super dissensione & discordia subortis inter vos & regem Aragoniæ, super quibus nepos vester dominus noster infans nobis hucusque non scripsit, tum quia ratio pro qua scriberet non aderat, tum ne propterea quod infantissam regis Aragoniæ filiam habeat in uxorem, reputaretur in hoc suspectus, licet propter hoc, nec etiam propter alia majora debita quæ fore possent, ipse corpore pariter & voluntate facere non omitteret, quæque pro domini regis Franciæ & vestro honoribus posset facere condecenter propter plura & magna bona debita quæ existunt inter domus Franciæ & Castellæ. Nunc vero nepos vester dominus noster infans propter duo est positus in hoc facto. Primo quia displicet ei valde guerram & discordiam inter tantos christianos principes ventilari, potissime inter tales, cum quibus habet bona consanguinitatum & amicitiarum debita tot & tanta. Secundo quia reputat nimis bonum & utile inter vos & regem Aragoniæ tranquillitatis & pacis consilia seminari: quoniam ista pacis restauratio est multum utilis & proficua Franciæ domibus & Castellæ, propter multa, specialiter propter tria. Primo quia rex Aragoniæ magnus est & probitate ac magnificentia commendatur. Secundo quia regnum ejus consistit inter regna Franciæ & Castellæ. Tertio quia est satis in mari potens. Propter quæ tria si cum Anglicis A ligaretur, damnosus forsitan esse posset, & esset utilis non indigne, si conligaretur cum Franciæ & Castellæ regibus vestris fratribus ac vobiscum: quod in magnum incommodum vestrorum inimicorum communium redundaret, cum longe magnæ utilitatis existat habere plures amicos & rarissimos inimicos. Namque si sunt Navarræ & Grenatæ reges, qualiter possunt esse amici, domorum Franciæ vel Castellæ, vestra serenitas non ignorat: quin immo bene novit de rege Portugalliæ etiam qualiter vadunt modo. Propter quæ omnia & singula per nos in vestræ conspectu celsitudinis recensita, B dominus noster infans, ut præfertur, se posuit in hoc facto. Et quia propter magnam confidentiam, quam in vobis habet, tenens quod tam propter prædicta, quam propter bona debita quæ habet vobiscum & cum rege Aragonum prælibato, vos & ipse aperietis januam bono pacis, ut omnia ista veniant ad finem prosperum & optatum, & tranquillitati locus per vestrum alterum non negetur. Idcirco ipse vestram cupit magnitudinem non latere, qualiter in hoc facto negotia hactenus successerunt, & modum C quem tenuit in eisdem ad ejusdem magnitudinis notitiam nostra relatione deducit serie subsequenti.

Primo cum ad preces domini regis Castellæ serenissimi fratris vestri dominos Arnaldum de Hispania, ac Raymundum Bernardi doctorem in legibus & Johannem Fores ambaxiatores vestros super his ad ipsum duxeritis destinandos, qui cum eodem domino rege longo tempore in Hispali residerunt, & ipse pro ambaxiatoribus regis Aragoniæ miserit vicibus iteratis: qui in veniendo D ad ipsum aliqualiter tardaverunt tantum saltem, quod ambaxiatores vestri attædiabantur. Idcirco idem dominus rex misit ipsos ad nepotem vestrum dominum nostrum infantem, ut si ambaxiatores regis Aragoniæ venirent, ipse cum omnibus ipsis, tam vestris, quam regis Aragoniæ, omnia videret quæ posset exequi in hoc facto. Et si non venirent, mitteret ambaxiatores vestros, ipsosque poni faceret in securo, ut ad partes istas indemnes redire possent, & ipse dominus noster infans, cum adhuc ambaxiatores regis Aragoniæ non venirent, E cum consilio eorumdem detinuit ambaxiatores vestros viginti diebus vel circiter, propter tria. Primo propter magnam voluntatem quam habebat, quod facta hujusmodi non remanerent deserta; sed venirent ad bonum finem. Secundo propter plures litteras, quas habuerat a rege Aragoniæ, quarum seriebus ambaxiatores suos ad ipsum transmittere promittebat. Tertio propter maris & terræ insecuritatem viarum, cum jam tunc inciperetur Navarræ guerra, & ambaxiatores vestri, scilicet Arnaldus

Hispaniæ & dominus R. Bernardi intrarunt cum domino infante Navarram usque ad Pampilonem ubi residerunt quindecim diebus vel circiter cum eodem ; & dominus Arnaldus revenit ad istas partes, quia habuit bonum per Navarram transitum & securum, eo quod rex Navarræ & vicecomes Castriboni ei securum transitum contulerunt , & dominus Raymundus cum domino infante remansit , non propter aliud , nisi quia secure tunc non poterat revenire. Et cum ipse continue moram traxit usque ad locum de *Lerin* , apud quem ambaxiatores regis Aragoniæ jam venerunt super negotiis hujusmodi destinati, & super ipsis tractandi, & tractanda firmandi , ferentes legitimam potestatem. Et dominus noster infans super his inter partes se posuit , tractaturus per unum modum, quem ipse honorabilem partibus reputat & decentem , ut inter tantos principes pacis tranquillitas restauretur, scilicet quod vester filius ducis Gironensis primogenitam ducat matrimonialiter in uxorem, per quod matrimonium honeste potestis tanti principes concordari. Nam per ipsum valetis vos , quidquid liberalitati vestræ placuerit, remittere de petitis, & potest etiam rex Aragoniæ dare ultra quam promisit se daturum ratione matrimonii tam proficui partibus contrahendi , ut dissentio & discordia memoratæ ad pacem & bonam concordiam deducantur. Et quamquam nepos vester & dominus noster infans ambaxiatorum relatibus matrimonium hujusmodi ambabus partibus cognoverit applaudere, sed vestra in petendis , & regis Aragoniæ in dandis perpensis voluntatibus super his, singulisque partium intentionibus diligenti meditatione pensatis , licet finalem intentionem partis nesciverit alicujus , evidenter attendens , quod pro una parte petitum esset tam multum , & quod altera daret ita modicum , quod factum pro tunc bono modo non poterat concordari: ideo ne factum dimitteret sic derruptum, cum consilio ambaxiatorum , tam vestri quam regis Aragonum memorati , ex quo manebat quietus inter partes modus magis necessarius in præmissis , recepit terminum competentem , scilicet usque ad primam septimanam mensis Januarii proximo futuri , ad quem terminum vos & rex Aragonum supradictus ambaxiatores vestros cum declarationibus finalibus & perspicuis intentionum vestrarum de his quæ in hoc facto proponitis vos facturos ad ipsum , si id vestris placuerit magnitudinibus, destinetis. Quem terminum ipse recepit, ut infra illud vestras in præmissis finales agnosceret intentiones, & vestram ac regis Aragoniæ amicitias duceret requirendas , quod pro Dei servitio & bono pacis velitis æquanimiter guerram & discordiam evitare , ac optatæ paci januam liberaliter aperire. Vobis etiam placeat aliquid remittere de petitis, & de regi Aragoniæ dandis largius se habere , ut factum hujusmodi celerius concordetur , & bonum indilate ac partibus honorabilem consequatur effectum , ad quid celsitudo vestra movere se poterit bono modo , tam propter omnia in vestræ conspectu magnitudinis recensita , quam ex eo quod non est nobis in aliquo ruborosum, remittendo quidquid serenitati nostræ placuerit, de illis saltem quæ ad vestram pertinentiam devenerunt per emtionem & munificentiam ostendere liberalem, ut matrimonium hujusmodi celebretur, præsertim , cum , ut supra præmisimus , tantum sit utile Franciæ domibus & Castellæ. Et hæc omnia prænarrata nobis præcepit nepos vester dominus noster infans, quod per nos vestræ strenuæ celsitudini narrarentur , affectans bonum & honores vestros , sicut avunculi , quem diligit in immensum. Et ut istud factum ad finem prosperum deducatur , excellentiam vestram intime deprecatur , quatenus in hoc facto velitis tales modos gerere , quos , prout non dubitat, scietis gerere sicut decet, tam propter Dei servitium , quam propter utilitates non modicas , quæ inde sequuntur , per quos factum hujusmodi perficiatur honeste , & ad finem veniat prosperum & optatum , velitisque sibi ambaxiatores vestros cum sufficienti pietate & declaratione finali intentionis vestræ ad præfatum terminum destinare , sicut id vos precari cum domino Raymundo miserat supradicto , ad quem terminum mittet rex Aragoniæ ad ipsos ambaxiatores suos cum potestate & declaratione consimilibus super hoc , & ut ambaxiatores vestri securum transitum per Aragoniam habeant in Castellam , nos portamus salvi conductus regis Aragoniæ litteras pro eisdem.

TESTAMENTUM JOHANNIS comitis Armaniaci Fesenciaci & Ruthenensis.

Anno 1381. Ex ms. Colbertino.

IN nomine Domini. Amen. Noverint universi & singuli præsentes pariter & futuri , quod nos JOHANNES Dei gratia comes Armaniaci , Fesenciaci , Ruthenæ , & Kadrellensis , vicecomesque Leomaniæ , Altivillaris , ac dominus terræ Rippariæ , die datæ præsentium infrascripta , regnante serenissimo & excellentissimo principe domino CAROLO Dei gratia Francorum rege , in præsentia notarii , & testium infrascriptorum , considerantes quod propter delictum primi parentis humani generis successio est transitoria & mortalis , vitaque humani generis est tamquam fœnum , & ejus gloria tamquam flos fœni , & quod nihil est certius morte , nihilque incertius hora

mortis, attendentes quod mors interdum subito evenit, volentes præoccupare ejus horam, & dum sanitate per Dei gratiam in corpore & mente vigemus, de bonis & rebus nostris disponere, ne inter posteros & successores nostros materia quæstionis oriri possit. Ea propter facimus & facere volumus de præsenti nostrum ultimum nuncupativum testamentum, ordinationem ac dispositionem de bonis nostris in modum qui sequitur & formam; & licet in scriptis ad æternam rei memoriam præsens nostrum testamentum redificamus per notarium infrascriptum, protestamur expresse quod nostrum intendimus facere testamentum nuncupativum, licet in scriptis per modum memoriæ redigamus, & licet de contentis in eo volumus fieri publica instrumenta. In primis siquidem signaculo sanctæ crucis præposito, ut hostis humani, &c. *Hic sequuntur legata pia.*

Item, ut facilius emendæ nostræ ac legata nostra, & prædecessorum nostrorum, & quibus fuimus onerati, & quæ tamen non fuerint exsoluta exsolvant, volumus quod nobis defuncto, omnia nostra debita leventur & exigantur per dictos executores nostros deputandos, ab eis exacta in eorum manibus teneantur in præmissis exsolvendis, & per heredem nostrum universalem, non occupentur, ut inde facilius dicta legata & emendæ exsolvantur.

Item, legamus & jure institutionis relinquimus dilectissimæ & multum carissimæ BEATRICI de Armeniaco filiæ nostræ legitimæ & naturali, relictæ GASTONIS de Fuxo filii quondam comitis Fuxi, totam dotem eidem per nos hactenus assignatam cum dicto quondam Gastone Fuxi filio naturali & legitimo dicti comitis Fuxi, & nihilominus decem millia Francos auri per nostrum heredem universalem eidem solvendos, in quibus omnibus præmissis eamdem Beatricem filiam nostram & naturalem facimus & instituimus heredem nostram particularem, & cum præmissis sit contenta de omnibus bonis nostris, & nihil amplius petere possit.

Item, legamus & jure institutionis relinquimus dilectissimo & carissimo filio nostro BERNARDO de Armaniaco legitimo & naturali locum nostrum & baroniam nostram *dels Angels* in Bigorra, cum omnibus juribus & singulis reditibus & pertinentiis suis universis: necnon etiam & locum & baroniam insulæ *de Arbeyssan* in Fesensaco, cum omnibus & singulis suis juribus, reditibus & pertinentiis universis, nec non relinquimus dicto Bernardo filio nostro jure institutionis, prout supra, tria millia librarum Turonensium parvorum rendualium perpetuo, sibi & ejus voluntariis ac heredibus universis, quas volumus sibi assideri per here- A dem nostrum universalem infrascriptum in terris nostris comitatuum nostrorum prædictorum in Vasconia, & in Ruthino, non computatis ædificiis, nec homagiis in terra, nec vallis, nec fossatis, nec nemoribus, aquis vel forestis, & prædicta omnia sibi relinquimus una cum homagiis in terra sibi assidenda contentis, seu pro ea fieri debitis, ac fidelitatis juramentis, honoribus, serviciis, franchisis & liberis eo modo, pro quo nos de præsenti possidemus; hoc salvo quod volumus, quod licet vassalli terræ per nos B supra relictæ eidem Bernardo & etiam assidendæ per heredem nostrum universalem infrascriptum, quam volumus assidere in villis & castris nostris: ita quod eidem tradantur villæ vel castra integraliter, prout ad nos pertinet. Ordinamus tamen & voluimus quod idem Bernardus de omnibus supradictis teneatur facere homagium, & fidelitatis juramentum præstare dicto heredi nostro universali infrascripto, & ejus heredibus universis, & idem volumus fieri de ejusdem Bernardi heredibus & successoribus universis, retentis dicto Bernardo & C ejus successoribus omnimodis & jurisdictionibus & primariis cognitionibus a judicibus ordinariis ejusdem Bernardi, & ejus successorum ac superioritate heredi nostro universali, & ejus in perpetuum successoribus in comitatibus, ubi dictæ terræ assidebuntur, semper salvis ac retentis, & quod dictus heres noster universalis, & ejus in perpetuum successores teneantur facere homagium de omnibus præmissis per nos eidem Bernardo relictis, ut eorum domino superiori immediato, & in præmissis omnibus modis & formis supra per nos dicto Bernar- D do filio nostro relictis, eumdem Bernardum filium nostrum heredem particularem facimus, & volumus quod cum præmissis sit contentus de omnibus bonis nostris, & quod nihil amplius petere possit quacumque ratione & causa.

In omnibus autem comitatibus nostris Armaniaci, Fesensiaci & Ruthenæ, vicecomitatibusque Leomaniæ, & Alti-Villaris, in terris Manhoaci & Ripariæ, Clizona, & Elzani & Baroniæ Mali-leonis, & in jure quod habemus ex diversis causis, & in & super comitatu Convenarum, in quo prop- E ter salvationem ejusdem, & defensionibus guerrarum, in dicto comitatu & contra ipsam exortis, in & pro quibus multas expensas fecimus, pro quibus recuperandis magna remedia, jura, & actiones nobis competunt, & competere debent & possint; pro quibus dictus comitatus Convenarum est nobis obligatus, & in omnibus aliis bonis nostris, mobilibus & immobilibus, villis, castris, fortalieiis, ac juribus & honoribus quibuscumque, ubicumque sint, & quocumque nomine computentur, salvis &

A exceptis his de quibus intendimus disponere in codicillis per nos fiendis, dilectissimum & carissimum filium nostrum legitimum & naturalem JOHANNEM de Armaniaco comitem Convenarum facimus & instituimus heredem nostrum universalem, ac ore nostro proprio nominamus, & quod tenebitur solvere omnia legata nostra, rancuras, & emendas, & prædecessorum nostrorum, prout superius fuit ordinatum; & si contingat dictam filiam nostram BEATRICEM de Armaniaco decedere sine liberis legitimis & naturalibus ex suo corpore & de legitimo matrimonio procreatis, vo- B lumus & ordinamus, quod ea quæ sibi relinquimus, ad heredem nostrum universalem supraſcriptum, seu ad ejus heredes revertantur. Et si dictus Bernardus de Armaniaco filius noster nobis vivente vel mortuo decedebat, relicto filio legitimo & naturali ex suo corpore ex legitimo matrimonio procreato; tunc & eo casu eumdem filium primogenitum dicti Bernardi, si habilis sit ad succedendum & extra religionem, eidem Bernardo substituimus in bonis per nos eidem relictis. Et si dictus primogenitus dicti Bernardi tempore mortis ejusdem Bernardi non supervivebat, & extabat ex eodem Bernardo secundogenitus, habilis ta- C men ad succedendum & extra religionem, tunc & eo casu secundogenitum substituimus dicto Bernardo, & illo secundogenito deficiente sine liberis masculis ex se legitimo matrimonio procreatis, substituimus eidem tertiogenitum dicti Bernardi habilem tamen ad succedendum: ita tamen quod volumus quod masculus major ætate dicti Bernardi & ejus filiorum succedat in ejus bonis ante alios quoscumque, dum tamen sit habilis ad succedendum & extra religionem. Si vero dictus Bernardus decederet D sine liberis masculis ex se ex legitimo matrimonio procreatis, & relictis filiabus, volumus & ordinamus quod dictæ filiæ maritentur condecenter in pecunia numerata, juxta conditionem & dignitatem ipsarum per dictum Bernardum, si tunc vivebat, alioquin per heredem nostrum prædictum universalem, aut ejus heredes vel successores universales, ad quos hereditas dicti Bernardi eo casu est perventura, & in reliquis bonis dicti Bernardi deficientibus liberis masculis dicti Bernardi, sive liberis mascu- E lis liberorum masculorum suorum, substituimus dicto Bernardo filio nostro dictum JOHANNEM nostrum heredem universalem, & post ipsum ipsius heredes & successores universales, si dictus Johannes filius noster, & heres tunc ab hoc sæculo migrasset. Si vero dictus Johannes filius noster & heres universalis decederet, nobis mortuo vel vivente, relictis sibi filio vel filiis ex se & de legitimo matrimonio procreatis, tunc & in illo casu filium primogenitum ejusdem Johannis filii nostri & heredis universalis, si habilis ad succedendum & extra religionem existat, eidem Johanni filio nostro & heredi universali substituimus, & substitutum esse volumus, & eumdem heredem instituimus in hereditate & bonis nostris. Si vero dictus filius primogenitus dicti Johannis filii nostri & heredis universalis tempore mortis dicti Johannis primogeniti nostri non extabat, & liberi masculi ex eo extarent, tunc & eo casu secundogenitum dicti primogeniti nostri & heredis universalis substituimus dicto heredi nostro universali; & illo non extante, tertiogenitum suum, si habilis existat ad succedendum & infra sacros ordines promotus non existat, & dicto tertiogenito non extante, & dicto primogenito quartogenitus sic existat, dicto heredi nostro universali substituimus, & sic per consequens de aliis liberis masculis dicti filii nostri primogeniti, & aliis liberis masculis ex dicto nostro primogenito, seu aliis liberis ejusdem masculis observari voluimus successive, sic & taliter quod semper masculus major ætate ex dicto primogenito seu ejus heredibus masculis descendens sit heres noster in dictis comitatibus nostris semper & ubique unitis, videlicet in comitatibus Armaniaci, Fesensiaci & Ruthenæ, vicecomitatibus Leomaniæ & Alti-villaris, ac terris Manhoaci & Ripariæ, Elzani, & baroniæ Mali-leonis, absque divisione & alienatione earumdem rerum, quam fieri prohibemus ex causa ne de nomine nostro & successorum universalium nostrorum & familia nostra exeant, sed perpetuo remaneant in nomine nostro, & successorum universalium nostrorum cum nominibus & honoribus eorumdem. Et si quo casu aliqua particularis terra, seu pars dictorum comitatuum vicecomitatuumque terrarum in alios transferetur, volumus quod ille, in quem transferetur, homagium facere teneatur dicto heredi nostro universali, & ejus universalibus successoribus cum fidelitatis juramento, taliter quod honor, nomen & dignitas semper remaneant & perpetuo penes heredem nostrum universalem & penes nostros perpetuo successores universales, qui succedent dictis comitatibus, vicecomitatibus & terris prædictis, juxta institutiones & substitutiones per nos supra factas & inferius fiendas, & sic in personis omnium successorum universalium nostrorum ex institutis & substitutis nostris descendentium voluimus perpetuo observari, ut melius nomen nostrum comitum Armaniaci observari valeat cum honore. Si vero dictum JOHANNEM filium nostrum heredem universalem nobis vivente vel mortuo decedere contingat sine liberis masculis ex se, & de legitimo matri-

monio procreatis, tunc & eo casu substituimus dicto Johanni, & heredem nostrum universalem esse voluimus dictum Bernardum filium nostrum, si tunc vivat, alioquin filium primogenitum dicti Bernardi filii nostri, si idoneus & habilis existat ad succedendum & extra religionem, & dicto Bernardo filio nostro & ejus primogenito non extantibus, secundogenitum dicti Bernardi filii nostri, & dicto secundogenito non extante, tertiogenitum substituimus dicto heredi nostro universali, & sic deinceps observari volumus, quod semper primogenitus masculus descendens ex dictis filiis nostris secundum formam substitutionis per nos factam nobis, & eis succedat in dictis comitatibus & vicecomitatibus & terris prædictis unitis modo supradicto, & absque separatione nostri honoris & dignitatis, prout próximo fuit per nos ordinatum, quod observari volumus perpetuo, etiam in filiis filiorum, & ex eis descendentibus filiis quibuslibetcumque. Et si contingeret quod ex dicto filio nostro & herede universali, seu ejus filiis & aliis ejus successoribus universalibus extarent filiæ & non filii, volumus quod illæ filiæ dotentur in pecunia numerata secundum statum, conditionem & dignitatem eorumdem, absque tamen eo quod nullo modo ipsas volumus succedere in comitatibus & terris antedictis. Si vero contingeret dictos Johannem & Bernardum filios nostros ambos decedere sine liberis masculis ex eis, & eorum quolibet ex legitimis matrimoniis descendentibus & de legitimo matrimonio procreatis, & liberum masculum & liberorum masculorum suorum, quod absit, tunc & eo casu substituimus dicto heredi nostro universali filium primogenitum legitimum & naturalem dictæ filiæ nostræ Beatricis de Armaniaco, si idoneus & habilis ad succedendum existat & extra religionem; alioquin dicto filio primogenito dictæ Beatricis non extante seu minus idoneo & habili existente substituimus dicto heredi nostro universali & ejusdem heredibus universalibus nostrum secundogenitum masculum dictæ Beatricis filium legitimum & naturalem ex suo corpore, & de legitimo matrimonio procreatum, & dicto secundogenito non extante, vel inhabili existente, tertiogenitum dictæ Beatricis, masculum tamen substituimus, modo & forma prædictis: ita tamen quod eo casu & casibus, quo filius ex dicta Beatrice descendens succederet, volumus quod teneatur portare cognomen & arma nostra & ejus universales successores absque differentia aliquali armorum idem facere teneantur. Executores autem hujus nostri ultimi testamenti & ultimæ voluntatis minime quoad præsens nominamus, declaramus, necnon specificamus, eosque adhuc super dicta executione omnium præmissorum nos avisare intendimus, & deliberare & ordinare breviter per nostros codicillos, vel aliter: quos executores sufficientes ordinabimus in præmissis, idoneos tamen & potentes, qui dictam executionem velint & audeant executioni debitæ demandare, juxta tenorem nostri præsentis ultimi nuncupativi testamenti, & ultimæ voluntatis, potentia heredum nostrorum in aliquo non obstante. Volumus tamen & nostræ intentionis existit, quod propter defectum declarationis dictorum executorum nostrorum per nos nominatorum, hoc nostrum præsens testamentum ultimum seu ultima voluntas minime infringatur ullo modo, quin immo voluimus & ordinamus quod dictum nostrum præsens testamentum & ultima voluntas in suis robore & firmitate perpetuo permaneant, ac si dicti executores per nos nominandi in nostris codicillis vel alias essent hic enumerati, & hoc nostrum ultimum testamentum & nostra ultima voluntas, quod & quam volumus valere jure testamenti nuncupativi, & si non valet, valebitve jure testamenti nuncupativi, volumus quod valeat jure codicillorum seu donationis causa mortis, vel alterius cujuslibet ultimæ voluntatis, & si umquam aliud testamentum, ultimam voluntatem, aut codicillos fecimus, illud & illam & illos cassamus, irritamus & annullavimus, & hanc nostram præsentem ordinationem observari volumus perpetuo & jubemus, & rogamus testes infrascriptos, ut hujus nostri præsentis testamenti sint memores, & recordes, & testes, qui præsentes fuerunt adhibiti & vocati & rogati per dictum dominum testatorem, videlicet dominus Guillelmus Bovini operarius & canonicus ecclesiæ Ruthenæ, licentiatus in legibus, dominus Berengarius ad Nemo, dominus de Castro-Percio, Johannes de Carlato milites, religiosi viri magistri Guillelmus de Cannato & Petrus Aldeberti Prædicatores & magistri in sacra pagina conventus Ruthenæ, magistri Petrus Ruffi baccalaureus in legibus, judex Montanorum Ruthenæ, & Petrus Valeta thesaurarius extraordinarius comitatus Ruthenæ, habitatores villæ & diœcesis Ruthenæ. Et ego Petrus Jovini notarius regius & dicti domini comitis, civis Caturci, qui requisitus per dictum dominum testatorem de præmissis omnibus & singulis recepi hoc præsens publicum testamentum in præsentia & testimonio quorum supra, & illud grossari & in hanc publicam formam redigi feci per Geraldum de Calva-rupe clericum, notarium regium & coadjutorem meum, & signo meo solito quo utor auctoritate regia in publicis instrumentis sequenti signavi manu mea propria primitus me subscripto.

Acta fuerunt hæc omnia & singula supra

dicta in castro de Gagia prope Ruthenam, die IV. mensis Januarii anno incarnationis dominicæ MCCCLXXXI. dicto domino Francorum rege regnante, & dicto domino comite in dictis suis comitatibus, vicecomitatibus, & terris dominante. Volentes tamen & ordinantes quod de præsenti testamento fiat & fieri possit unum publicum instrumentum & plura publica instrumenta, cuilibet legatario unum ad partem si voluerit, continens partem quamlibet eorum tangentem, absque licentia judicis seu alterius, cum suis personæ quacumque ratione vel causa nostro in duabus pellibus ad invicem conglutinatis, & constat de rasuris superius factis in dictionibus & syllabis ubi dicitur vero de parvorum specialiter comitum, jam suis, uni, odis comita, secundum eis, is, signatum Petrus Jovini.

LITTERÆ CAROLI VI. REGIS Francorum.

Dominum de Lebreto unum ex duodecim adhærentibus sibi consiliariis creat.

Anno 1381 *Ex ms. Colbertino.*

CHARLES par la grace de Dieu roy de France, a nos amés & feaux thresoriers a Paris salut & dilection.

Comme par grand avis & meure deliberation de plusieurs de nostre sang, des prelats nobles & autres, nous pour le bien, honneur & profit de nous, & le bon gouvernement de nostre royaume, ayons du deuxiéme jour d'Octobre dernierement passé, nommé & ordonné aucuns de nos conseillers jusques au nombre de douze, pour nous seure; estre entour de nous continuellement, adviser, conseiller, & ordonner bien & profitablement a leur pouvoir & besoignes de nostre royaume, qui nous surviennent de jour en jour, entre lesquels nos conseillers nostre tres-cher & tres-amé oncle, le sire de Lebret en soit l'un, lequel ne les autres n'ont encore eu aucune taxation de gaiges par jour pour aider à soutenir leur estat, & faire les despens necessaires pour eux & leurs gens en alant, estant, & demeurant entour nous: savoir fesons que nous par l'avis & deliberation, qu'en eux avons sur ce à nostredit oncle, avons ordonné & taxé, ordonnons & taxons, par ces presentes trente francx de gages par chacun jour, qu'il a esté & sera du nombre de nosdits conseillers, outre & par-dessus la pension qu'il a de nous chacun an: si vous mandons que vous payez, ou faites payer à nostredit oncle, ou a son certain commandement, tout ce qui luy est deub desdits trente francx de gaiges pour chascune journée, qu'il vous certifiera par ses lettres luy avoir esté en nostredit service, depuis le huitieme jour d'Octobre, qu'il nous fist le serment pour le temps advenir, pour le pris dessus dit, luy faciez faire prest pour deux mois, & d'ilecques en avant satisfaction & payement pour le temps qu'il sera en nostredit service, dont il vous certifiera, si comme dessus est dit, & par rapportant ladite certification & quittance de luy avecques *vidimus* de ces presentes pour une fois sous seel royal, tout ce que ainsi luy aura esté payé desdits trente francx par jour, sera alloüé es comptes de celuy, ou ceux à qui il appartiendra, par nos amés & feaux gens de nos comptes de Paris, non contrestant ordonnances, mandemens, ou defenses au contraire. Donné au bois de Vincenes le XXVI. jour de Janvier l'an de grace MCCCLXXXI. le second de nostre regne.

Par le roy à la relation de messieurs les ducs de Bourgougne & de Bourbon. Signé BLANCHET.

LITTERÆ CAROLI VI. REGIS.

Dominum de Lebreto suum creat camerarium.

Anno 1381 *Ex ms. Colbertino.*

CHARLES par la grace de Dieu roy de France à tous ceux qui ces lettres verront, salut.

Sçavoir faisons, que nous attendans & considerans les services, bons, & agreables, que nostre tres-cher & tres-amé oncle, le seigneur de Lebret a fait longuement & loyaument à nostre tres-cher seigneur & pere, que Dieu absoille, & à nous aussi fait sans cesser, & esperons que encore face ou temps à venir, en recompensation desdits services, confiant plainement de son sens & grand loyauté, iceluy avons fait, ordonné, & estabil; faisons, ordonnons & establissons par ces presentes grand chambellan de France, aux gaiges, droicts, profits, emolumens, libertez, affranchises accoustumées, & à ce appartenant iceluy office apresent vaquant par la mort du comte de Tancarville, que Dieu absoille, duquel chambellanage nostredit oncle nous a aujourd'huy fait foy & homage, ausquels, saufs nostre droit & l'autruy, nous l'avons reçû, & aussi nous avons fait serment à ce appartenant & accoustumé. Si donnons en mandement à nos amez & feaux tresoriers & gens de nos comptes à Paris, & à tous nos autres officiers qui ce peut toucher, que nostredit oncle desdits gaiges, droicts, profits, emolumens, libertez & franchises appartenantes audit office facent, souffrent, & laissent joüir & user plainement, sans luy donner aucun empeschement au contraire. En tesmoing de ce nous avons fait mettre à ces presentes nostre seel ordonné en l'absence du grand. Donné en nostre chastel

du bois de Vincenes le XVI. jour de Mars l'an de grace MCCCLXXXI. & de nostre regne le second.

Et sur le replis. Par le roy en son Conseil ordonné. Signé. . . .

EPISTOLA B. EPISCOPI Ruthenensis ad comitem Armaniaci.

Monet eum de pluribus ducem Andegavensem spectantibus.

Circa 1381. Ex ms. Colbertino.

MOn tres-cher & redoutable seigneur, depuis que je vous ai escrit l'autre lettre, monsieur Raymond Bernard Flamene est venu de la part de monsieur d'Anjou, lequel a dit entr'autres choses, que monsieur d'Anjou seroit ici sans faute le dix ou douze de ce mois, car il devoit partir hier de Tours, & que son droit chemin est de venir en cette ville sans plus retourner en France, mais qu'il se preparera ici, & prendra du depuis son chemin pour aller en Italie. Monsieur l'evesque de Castres (a) sera aujourd'huy à l'heure de disner en cette ville de la part du roy & de monsieur d'Anjou, & l'evesque d'Agen & monsieur P. Girard seront ici demain à une heure pour monsieur d'Anjou, & l'evesque de Geneve demeure à Paris jusques à ce que monsieur le Camerlhenc soit venu, & messire George de Marlhe ne part point d'auprés de monsieur d'Anjou, mais il est toujours avec luy.

Monsieur Raymond Bernard dessus dit s'en va, monseigneur, de la part du roy & de monsieur d'Anjou, lequel requerera trois choses, premierement de ligues generales entre eux, secondement de particulieres contre Karlhe de la Pas, troisiemement de Galeas & de Naoillis, & s'ils ne veulent faire rien de cecy, je crois qu'il les deffiera. Monsieur d'Agen (b) s'en ira bientôt aprés qu'il sera ici, en Savoye, & de là à Milan & à Florence, & en d'autres lieux notables d'Italie avec certaines ambassades, lesquelles je ne sçay point encores, si elle sont en general, car il n'est point encore venu.

Monseigneur Jehan de Folhola a beaucoup & savement parlé avec nostre seigneur le pape; & l'on s'etonne comme il a fait cardinal un cousin propre du comte de Foix, qui luy a fait de petits services, & luy a rendu peu d'obeissance; & certainement plusieurs choses à votre honneur, monseigneur, car j'y fus aussi-tost, & il n'y avoit autre homme que le pape & luy & moy, & en verité, monseigneur, nostre seigneur le pape respondit fort gracieusement, & avec beaucoup d'honneur pour vous, disant que le comte de Foix ne luy a point fait plaisir depuis long-temps, & ne luy a dit rien qu'en se mocquant; & pour vous, monseigneur, il dit qu'il n'y avoit trouvé depuis long-temps que tout bien, honneur, & verité, & obeissance, & qu'il vous feroit volontiers plaisir, & du fait de monsieur Jehan de Bolvenha mondit seigneur le pape lui a aussi bien affectueusement parlé, & l'autre à lui, aussi monseigneur, comme ledit Jehan vous dira plus amplement; monseigneur je ne vous ecris rien presentement, mais je prie Dieu qu'il vous donne bonne vie & longue, & qu'il vous tienne en sa sainte grace. Monseigneur je me recommande a vous aussi humblement que je puis, & vous prie, monseigneur, que vous m'ayez pour recommandé, moi, ma terre, & mes affaires, &c. & tous les miens. Escrite de ma main propre a Avignon le premier jour de Febvrier. *Et plus bas est escrit*: Le tout vostre humble (c) B. evesque de Rodes. *Et au-dessus est escrit*, A mon tres-cher & fort redoutable seigneur, à monseigneur le comte d'Armaignac.

PROCURATIO ad contrahendum matrimonium nomine Caroli filii Bernabovis vicecomitis Mediolanensis cum primogenita Johannis comitis Armaniaci.

Anno 1382. Ex ms. Colbertino.

IN nomine Domini. Amen. Anno a nativitate ejusdem MCCCLXXXII. indictione V. secundum consuetudinem civitatis Mediolani, die X. mensis Januarii. Pateat universis & singulis hoc præsens publicum instrumentum inspecturis, quod in præsentia mei notarii & notariorum & testium infra scriptorum ad hoc specialiter vocatorum & rogatorum, spectabilis & egregius miles dominus CAROLUS vicecomes, natus magnifici & excelsi domini, domini BERNABOVIS vicecomitis domini Mediolani, Brixiæ, Pergami, Cremonæ, Laudæ, Parmæ . . . imperialis vicarius generalis, in præsentia, voluntate & consensu præfati magnifici domini genitoris sui consentientis, ac parabulam & licentiam dantis præfato domino CAROLO nato suo infra scripta omnia & singula faciendi & complendi, sponte & ex certa scientia, non revocando propterea aliquod aliud procuratorium factum in personam infra scripti Rugerii Canis super aliis negotiis, fecit, constituit & ordinavit, ac

(a) Is erat Elias de Donzenaco ex illustri apud Lemovices gente Ventedorensi ortus, qui præfuisse sedi Castrensi dicitur ab anno 1375. ad 1383.

(b) Johannes Belveti creatus episcopus Agennensis anno 1374.

(c) Designatus prima nominis littera episcopus Ruthenensis alius non videtur fuisse quam Bertrandus *Rafin*, qui Avenione in comitatu Gregorii XI. diu manserat.

facit, constituit & ordinat nobilem virum Rogerium Canem præsentem, & mandatum sponte suscipientem, suum verum, certum, legitimum procuratorem, missum, ac nuncium specialem, & quicquid melius dici & esse potest specialiter ad tractandum, & ventilandum, & contrahendum sponsalia, ac etiam perficiendum matrimonium per verba de præsenti pro ipso spectabili & egregio milite domino CAROLO & ejus nomine, cum spectabili & inclyta domina primogenita illustris principis domini JOHANNIS comitis Armeniaci, quocumque nomine nuncupetur, necnon sponsalia cum præfato domino comite, & in ipsam dominam consentiendum; & ut tamquam in ipsius domini CAROLI veram & legitimam uxorem, & ad recipiendum ab ipsa domina consensum tam per verba de præsenti, quam de futuro reciproca. Similiter pro dicto matrimonio & sponsalibus contrahendis & perficiendis, & ad subarrandum & disponsandum cum anulo præfatam dominam, & ut & tamquam veram & legitimam uxorem præfati domini Caroli, & ad solemniter promittendum quod præfatus dominus Carolus tractabit & perpetuo reputabit & habebit præfatam dominam pro sua vera consorte & uxore legitima, & ad similem promissionem reciprocam recipiendum a præfata domina, videlicet quod ipsa domina perpetuo habebit, tractabit & reputabit præfatum dominum Carolum pro suo vero & legitimo marito, ad quælibet alia, utilia & necessaria pro dicto matrimonio contrahendo & solemniter perficiendo, facienda & complenda cum omnibus & singulis promissionibus & obligationibus & juramentis, solemnitatibus, & clausulis opportunis. Item, ad conveniendum & paciscendum cum præfata domina seu legitima persona pro ea, necnon cum præfato domino genitore suo, de dote per eam seu cum constituenda, danda & solvenda præfato domino Carolo de quantitate & qualitate dotis ac jocalium & furnimentorum eidem viro suo dandorum, prout eidem procuratori suo videbitur convenire, & prout convenerit cum prælibato domino comite, vel ut supra altera persona legitima ejus nomine, necnon ad recipiendum a certo illustre principe domino comite Armeniaci, necnon a præfata domina & etiam a qualibet legitima persona pro eis & quolibet eorum, quaslibet promissiones, & obligationes, & conventiones nomine & vice, & ad utilitatem ipsius domini Caroli & præfatæ dominæ, & cujuslibet eorum, & hæc omnia cum illis pactis, modis, formis, tenoribus, sacramentis, obligationibus personalibus, & realibus renuntiationibus, & solemnitatibus, & clausulis de quibus, & prout dicto procuratori videbitur & placuerit, & prout partes etiam convenerint, &

A pro præmissis & eorum occasione obligandum præfatum dominum Carolum & bona præfati domini Caroli præsentia, & futura & generaliter ad omnia alia & singula facienda, quæ in prædictis & circa prædicta & connexis & dependentibus ab eis, & quæ facient seu tangant, quomodolibet negotium supradictum, fuerint utilia & necessaria, & dicto procuratori suo videbitur expedire, etiamsi in eis requireretur speciale vel magis speciale mandatum, promittentes solemniter præfatus, magnificus & excelsus dominus dominus BERNABOS, dominus Mediolani, & præfatus dominus CAROLUS natus ejus, & quilibet eorum mihi notario
B infra scripto, ut publicæ personæ stipulanti & recipienti nomine & vice & ad partem & utilitatem præfatæ dominæ, & cujuslibet personæ cujus interest aut interesse poterit quomodolibet in futurum, se & sua bona pignori obligando, perpetuo firmum & ratum & gratum habere & tenere, attendere & observare, quicquid per dictum procuratorem suum actum, dictum, seu gestum fuerit in prædictis, & circa prædicta & quodlibet prædictorum, & dictum suum procu-
C ratorem aliquo tempore non revocare: dans & concedens dictus constituens dicto suo procuratori plenum, liberum, generale & speciale mandatum, cum plena, libera & generali administratione in prædictis & circa prædicta, & quolibet prædictorum; renuntiando insuper exceptioni prædictorum omnium & singulorum non ita actorum & factorum, & omni probationi & defensioni in contrarium, & de prædictis præfatus magnificus dominus Mediolani, & præfatus dominus CAROLUS, & quilibet eorum mandaverunt per me Thomam de
D capitaneis de Vicomercato notarium & cancellarium præfati domini publicum confici instrumentum, & sigillorum suorum appensione muniri in robur & testimonium præmissorum: quod quidem procuratorium duret & durare debeat usque ad menses quatuor proxime futuros tantum & non ultra. Actum Mediolani in aula habitationis præfati domini domini Bernabovis ... sub salla inferiori respicienti versus urolium (a) [a] præfati domini, præsentibus pro secundis notariis Geuffredoto Liprando filio quondam Zambell. & Johannino de Cermonate
E filio quondam Dionysii, ambobus civitatis Mediolani notariis, interfuerunt ibi testes nobilis & sapiens vir dominus Beltramotus de Ferrariis legum doctor, filius quondam domini Jacobi dicti Comelli, Johannolus de Madiis filius quondam domini Mirani, Anriginus de Cremona, filius quondam domini Cabrii, & Rurigonus de Meser filius

(a) Quid sit Urolium apud nullos reperi auctores, sed si conjecturis locum dare vacat, urolium idem esse existimo ac focum a voce *uro*.

quondam

quondam Beltrami omnes tres camerarii A præfati domini comitis civitatis Mediolani notarii idonei vocati & rogati, &c.

Et ego Thomas, &c.

LITTERÆ PETRI EPISCOPI Atrebatensis.

De celebratis ab eo exequiis comitissæ Artesiæ in ecclesia sancti Vedasti absque præjudicio privilegiorum monasterii

Anno 1382. Ex ms. Vedastino.

PETRUS miseratione divina episcopus Atrebatensis omnibus præsentes litteras inspecturis, salutem in Domino.

Cum contigisset nos in ecclesia S. Vedasti Atrebatensis missam celebrasse de defunctis pro exequiis nobilissimæ dominæ dominæ comitissæ Arthesiensis, ac in eadem ecclesia munus benedictionis astante populo impendisse. Nolumus quod per hoc abbati & conventui seu ecclesiæ S. Vedasti Atrebatensis aliqualiter præjudicium generetur, nec nobis episcopo Atrebatensi aut successoribus nostris aliquod jus novum per hoc acquiratur. In cujus rei testimonium præsentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Datum & actum Atrebati in hospitio nostro mensis Aprilis die XVI. anno Domini MCCCLXXXII. sic signatæ J. *Mauroy*.

EPISTOLA JOHANNIS de S. Hyppolito ad Nicolaum *de Guaret* inclytum Januensium ducem.

Hortatur ad bellum Venetis inferendum.

Anno 1382 Ex schedis Mabillonii.

SEntire jam videor, princeps inclyte, apud vulgares parumque capitis viros, me tibi, quod sanguinem & bella suaserim, reum agi. Ast errant, imo, ut rectius dixerim, insaniunt. Nondum enim quod velim intelligentes judicant, meque de sapientissimo opere insipienter lapidant, & ut Mantuani vatis testimonio fruar,

Scinditur incertum studia in contraria vulgus.

Sed quid mihi? nugas & opiniones suas tanti pendo, quanti dignas apud Anneum didici? quæ cum scio, non probat populus, quæ probat populus ego nescio. Ipsi igitur in dementia sua senescant. Tu autem, qui solus mihi pro populo satis es, hæc adverte. E Non veni, ut ipsi autumant, ponere gladium, sed pacem, dico tuam & perpetuam, ad quam non hæc ficta & simulata tranquillitas velit. Violentia pax ista est, nec aliud quam insidias & dolos paritura. Jacent æmuli, ut fortiores resurgant; pacem laudant, ut potentius bellum instaurent; amicantur, ut magis inimici fiant. Denique nihil consulunt, nihil aliud mente sua versantur, nisi ut decipiant & offendant. Crede mihi, hoc opus, hic labor est. Non patere, obsecro, ut titulis tuis inscribi possit, quod pene Andreæ Contareno adversario tuo contigit, contigissetque si tuis qui Clusiæ præerant æquoris ita placuisset custodia, sicut Paduanorum collium placuere vineta. Quid enim duci infelicius? quid etiam turpius, quam potentissimæ patriæ libertatem non tueri, subque magistratu suo florentem rempublicam debilitari? Non expedit, ut de inimicorum viribus hæsites, si quid ipsi consulte differunt, tu mature præoccu- B pes. Non vides quot astutiis ad replendos vacuati ærarii fiscos per fas & nefas diligenter intendunt? Adde quod abominanda infidelium & barbarorum consortia exitio tuo incessanter exquirunt. Quid quod Tenedon oppidum, pro quo hinc & inde tam acre bellum ortum est, nulla pactæ juratæque fidei reverentia, nulloque solemnissimæ pacis fœdere conversi, Sabaudiani arbitrio comitis exhibere negligunt? Seditionem propriam aliena defectione velantes, & quod impudentius est, sceleri scelus addentes, ut de te etiam majus faciant, bellum Zana- C tio edixerunt, hostem publicum sanxerunt, naves & galeas armamentis instruxerunt, castro validissimo expugnationem invictissimoque obsidionem minantur. O miserum te, miserioremque Januam, si Venetorum animos ultionis avidos ad celsiorem gradum spirare permiseris. Dic, quæso, quonam consilio sperare potes in felicitate sua pacem, si fracti & victi in mediis ærumnis calcitrant, firmataque fœdera non observant? Opinor fortasse in clementia innataque pietate suæ fidei? Vane credis, fortia habent ingenia, immites, superbi, pravi, ingratique sunt, neminem diligunt, numquam injuriarum obli- D viscuntur, ut de ineptiis eorum breviter disseram, numquam pepercerunt, numquam calamitatem compassi sunt, & quod auditu horrendum est, adolescentulos suos ad sævitiam vindictamque instruunt, scriptarum injuriarum codices legendos discendosque tradunt, quasi de natura diffidant, & nutrituram sane non necessariam quasi gladio Verien. addant. Aspice demum quas grates ex acceptis beneficiis Florentinis agunt, quos tamdiu delusos, & tamdiu per verba ductos in tantæ jacturæ dispendio, non sine execranda sui nominis sugillatione periclitari sinunt. Quid igitur inimicis ab eisdem sperare licet, si amicis & beneficis sic retribuunt? Provide, vir insignis, Nasonis fruere consilio:

Principiis obsta, sero medicina paratur,
Cum mala per longas convaluere moras.

Lege, incipe, exue mucronem, & interfice, malisque legem dare, quam accipere, bello utendum est, sine quo nec bonam nec duraturam pacem habiturus es. Sanctius est

resecare mala, quam fovere; nec mulierem esse decet, ubi virum casus exigit: & si nec publica nec privata movet pietas, propriisque honoris dulcedo futuræ saltem posteritatis miserere; quam non solum ad fœdissimam servitutem, verum ad crucem & laqueos jam diu Venetorum censura mulctavit. Vale, utere fortuna dum vacat. Datum Tridenti IV. Septembris anno millesimo CCCLXXXII.

Tuus JOHANNES DE S. YPOLITO.

EPISTOLA BEATRICIS de Armaniaco ad comitem Armaniacum patrem suum.

Certum eum facit de suo suorumque prospero statu.

Ex ms. Colbertino.

MOnsieur, je me recommande a vostre grace le plus humblement que je puis, & plaise vous savoir que le plus grand plaisir que j'ai eu en ce monde est de savoir vostre bon estat, lequel plaise a nostre Seigneur qu'il soit tel que je le desire. Parquoy je vous prie tant cherement que je puis, que le plus souvent que vous pourrez vous me le fessiez savoir, car vous me fairez le plus grand plaisir du monde, si vous voulez savoir nostre estat. Plaise vous savoir que le Seigneur BERNABO, madame REGINE, ses enfans, monseigneur messire CHARLES & moi & nostre fils sommes bien la mercy nostre Seigneur. Monseigneur Rogier s'en va de par de-là, lequel me fait tous les jours tous les plaisirs qu'il peut, parquoi je vous prie si cherement que je puis, que pour l'amour de moy vous vueilliez l'avoir pour recommandé. Ledit Rogier vous dira des nouvelles de par deça. Monseigneur, nostre Seigneur vous donne bonne & longue vie. Escrit a Milan le XII. jour de Fevrier.

Et au dessus est escrit: A monseigneur.

EPISTOLA REGIS ad comitem Armaniacum.

Ut ex munitionibus hostes exire quam cito procuret.

DE PAR LE ROY.

Ex ms. Colbertino.

TRes-cher & feal cousin, pour ce que nous savons que vous desirez savoir nostre bon estat, sachiez que a la façon de cestes, nous & nostre compagne la reyne estions en bonne santé, la mercy notre seigneur, qui pareillement nous doint oüir de vous. Tres-cher & feal cousin, nostre amé & feal chambellan Jehan de Blaysi nous a escrit la bonne diligence que vous avez euë au fait des vuides des forteresses, occupées par nos ennemis au pays de par delà, moyennant laquelle il a esperance, que au plaisir de nostre seigneur, lesdites vuides seront vriefvement parfaites & accomplies: si vous prions, tres-cher & feal cousin, que en continuant ce que fait en avez, vous vueillez en ce tellement travailler, que vriefvement la chose puisse prendre bonne & finale conclusion, au plaisir & profit de nous & de nos pays, & que nous en puissions oüir bonne nouvelle, car ce nous sera tres-singulier & special plaisir. Aussi tres-cher & feal cousin, nous a ecrit nostredit chambellan, qu'il est necessaire que de certaines sommes d'argent que vous aviez reçue oultre & pardessus ce que nous & nos pays vous devions pour le fait desdites vuides, vous faites hastivement finance pour ledit fait, afin que nos sujets & pays n'y ayent aucun dommage. Si vous prions, tres-cher & feal cousin, que de trouver icelles sommes, & a prester vous vueilliez faire la meilleure & plus grand diligence, que vous pourrez, & nous ecrivons audit nostre chambellan, qu'il vous en parle & poursuie ladite finance diligemment par devers vous, afin que par deffaut d'icelles, l'accomplissement d'icelles vuides, ne soit aucunement retardé, ou empêchez, & que nos pays & sujets ni ayent aucun dommage, comme dit est, & nous reserve ce que fait en aurez avec l'estat & les nouvelles de par delà, s'aucun en y surviennent. Donné à Paris le premier jour de Febvrier. *Signé* MAULOUE'.

EPISTOLA CAROLI REGIS Francorum ad comitem Armaniacum.

Cum optet Petrum Ano ad abbatialem dignitatem monasterii Grandis-Silvæ promoveri, orat ne votis suis obsistat, eam pro Gimundi abbate postulando.

DE PAR LE ROY.

Ex ms. Colbertino.

TRes-cher & feal cousin, nous avons entendu que combien que nostre bien-amé maistre Pierre Ano religieux de l'abbaye de (a) Grant-Silve, maistre en theologie & procureur general de l'Ordre de Cisteaux en cour de Rome ait esté par la voye du S. Esprit esleu en abé pasteur de ladite abaye, & que par plusieurs fois ayons ecrit & supplié à notre S. Pere, que ladite election lui plût avoir agreable, ou d'icelle abaye luy plenement pourvoir. Neanmoins vous vous estes efforcié & efforcez de vouloir avoir & obtenir ladite abaye pour l'abé de Gimont, en voulant empêcher & venir contre l'effect de cette besoingne, que nous avons entreprise, & que nous desirons de

(a) Grandis-Silva insigne monasterium ordinis Cisterciensis de linea Claravallis in diocesi Tholosana.

tout nostre cuer briement venir à bonne fin & conclusion pour ledit maistre Pierre. Pourquoy, tres-cher & feal cousin, nous en continuant l'affection singuliere que toujours avons à la bonne promotion d'iceluy maistre Pierre, vous prions tres-acertes, que pour amour de nous, vous vous veuilliez desister de plus poursuivre cette besoigne pardevers nostredit S. Pere pour ledit abé de Gimon : mais icelle promouvoir & avancer tellement pardevers luy, qu'il la veuille briement mettre à bonne fin & conclusion pour ledit maistre Pierre, & non pour autre. Car en verité, tres-cher & feal cousin, attendu l'élection dessus dite & le bien & la suffisance de luy, il nous deplairoit tres-grandement, que autre que iceluy maistre Pierre en feut pourveu pour cette fois. Donné à Paris le XXIII. jour de Fevrier. Signé CHARLES.

Et sur le reply est escrit ; A nostre tres-cher & feal cousin le comte d'Armagnac.

EPISTOLA BERNABOVIS vicecomitis ad comitem Armaniaci.

Consolatur eum de morte patris sui, significatque ei mortem reginæ.

Anno 1384. Ex ms. Colbertino.

NOble prince & tres-cher frere & fils, a tres-grant desplaisance de nostre pensée avons reçû vos lettres, par lesquelles nous avons bien cognuë vostre grant perte, & vostre grand domage par la mort de tres noble prince & nostre tres-chier frere de bonne memoire feu monsieur vostre pere, jaçoit ce que nous voulriens bien que par vosdittes lettres nous eussions cogneu meilleures nouvelles, & à vous & à nous plus consolatoires, comme joyeux & alaigre que nous serions de tout ce qui vous pourroit avenir en prosperité, & du contraire tout autrement; confians & cognoissans tousjours ainsi estre de vous par pareil participation ; toutes voyes tout ce qui avient par l'obtroy de Dieu, & sans recouvrer, il est besoing de supporter patiemment : mais en nostre doulour nous avons reçû tres-grand plaisir, quand nous avons cogneu vostre bon estat & santé, & si est notre intention que icelle mesme & tres-parfaite charité & dilection fraternelle, qui tant estoit vigoureuse entre nostredit tres-chier frere feu messire vostre pere & nous, à la grace de Dieu croisse & multiplie tous temps entre vous & nous, vous, vostre hostel, & vos besoignes loüez & commandez en charité paternelle du tout en tout, selon nostre pooir, & vous comme nostre tres-chier frere & fils requerir feablement en toutes nos besoignes opportunes. Quant est de noble dame votre suer, dame BEATRIX vous plaise savoir que nous tousjours l'avons euë, avons & entendons avoir pour nostre amée fille, & que à la grace de Dieu avez la-dessus nommée dame Beatrix & nos autres filles nous sommes sains & en bon point. Et comme il soit ainsi que passez sont sept mois, que la dessus ditte nostre fille par la grace de Dieu a conceu & est griefve d'enfant, nous considerant la utilité de son engendreure, & pour doubte des perils, qui en ce luy pourroient avenir, ne voulons pas que jusques à tant qu'elle ait enfanté au delivré, elle sache aucune chose de la mort de nostre tres-chier frere son pere. Et encore noble prince & tres-cher frere & fils, nous voulens que aussi vous sachiez tout ce qui nous avient a grant amertume & doulour de cueur : vous faisons savoir que le samedi XVIII. jour de Juin dernier passé a dix-sept hores, par le plaisir de nostre seigneur trespassa de cette mortelle vie noble dame & nostre tres-chiere & tres-amée compaigne, feu dame Royne de Lescale. Et jacoit ce que de la douloureuse perte de tante & tele compaignie, soyons tant conturbez, que plus ne pourrions estre, toutes voyes pour ce que contre la divine volonté ne poons, ne ne devons aucune chose attenter : consideré aussi que la dessus nommée dame Royne jusques à sa derniere heure tousjours en bon estat de conscience, & vraye cognoissance de nostre createur avecques devote reception des ordonnances & sacremens de sainte eglise, ains comme bonne catholique a merité & des sa vie grace de nostre seigneur, nous avons dispose notre courage à prehre consolation en celuy qui est parfaite consolation de toutes choses, & celuy bien que nous sçavons estre prouffitable à l'ame de nostredite feuë compaigne, comme d'aumounes, orasons, & d'autres suffrages, voyant que autre bien ne luy puet valoir, avons disposé & establi estre fait. Si vous prions tant affectueusement comme ne poons en charité paternelle que toute doulour, tristesses arriere mise du trespassement du dessus nommé feu nostre frere & vostre pere, ceste mesme prouffitable voye veuillez eslire & tenir, & nous tousjours requerir à tous vos bons plaisirs.

BERNABO vicomte seigneur de Milan, . . . general vicaire de l'empire. Escrit en nostre chastel de Dixi, le II. jour de Juillet MCCCLXXXIV. *Et au dors est escrit :* A tres-noble & puissant prince nostre tres-chier & tres amé frere & fils le comte d'Armignac & de Comminge.

JOHANNIS ARMANIACI comitis diploma veniale concessum consulibus & civibus Ruthenæ, qui Anglos apud se receperant, eisque multa ministraverant.

Anno 1384 Ex ms. Colbertino.

JOHANNES Dei gratia comes Armaniaci, Convenarum, Fesenciaci, Ruthenæ & Kadrellensis, vicecomesque Leomaniæ & Alti-villaris, ac dominus terrarum Ripparix & Serrenæ, universis & singulis præsentes litteras inspecturis, visuris, lecturis, ac etiam audituris salutem.

Cum ab dudum pro tuitione & defensione patriæ domini mei Franciæ regis atque terræ nostræ, & pro evacuatione locorum de Curnala, de Taria, de Murassone, de Aygone, & nonnullorum aliorum locorum per Anglicos inimicos dicti domini mei regis atque nostros occupatorum & detentorum, per bonæ memoriæ dominum genitorem nostrum, cujus anima per Dei gratiam requiescat in pace, certi tractatus de voluntate & expresso consensu trium statuum, videlicet gentium ecclesiæ, nobilium, & communitatum senescalliarum Carcassonæ, Tholosæ & Ruthenæ, cum dictis Anglicis incœpti, facti, concordati, & in parte aliqua confecti & prosecuti exstiterint, gentibus consilii dicti domini mei regis Franciæ in dictis senescalliis commorantibus, ad hæc expresse consentientibus, & auctoritatem & licentiam suam ad præmissa facienda præstantibus, & post mortem dicti domini genitoris nostri, nos aliquos de dictis tractatibus nondum completos seu perfectos prosecuti fuerimus ac compleverimus, super quibus tractatibus, & evacuationibus locorum prædictorum cum dictis Anglicis inimicis dicti domini mei regis & nostris, multotiens certæ & multæ conventiones per eumdem dominum genitorem tempore vitæ suæ, & post ejus decessum per nos cœptæ, concordatæ & firmatæ fuerint, quia aliter facta sua negotia prædicta, honorem, proficuum, & utilitatem dicti domini mei regis & patriæ suæ tangentia, ad effectum venire non possent, seu valerent ullo modo, dieque datæ præsentium litterarum infrascripta, nobis ex parte dilectorum & fidelium nostrorum consulum burgi nostri Ruthenæ pro infrascriptis nomine eorum consulatus, & universitatis ac singularium habitatorum ipsius burgi ac pertinentiarum suarum, apud nos intercedentes, expositum seu significatum fuerit, quod eo & pro eo quia durantibus dictis conventionibus sive pactis, ipsi consules & nonnulli & quamplurimi habitatores dicti nostri burgi Ruthenæ cum pluribus dictorum Anglicorum inimicorum dicti domini mei regis & nostrorum intrantibus, commorantibus & redeuntibus in dicto nostro burgo & pertinentiis suis, & occasione dictorum tractatuum & evacuationum, ac alias diversimodo conversarunt, & eisdem inimicis contra inhibitiones & proclamationes ac præconisationes nostras, & dicti domini genitoris nostri, de mandato ejusdem domini genitoris nostri atque nostro factas, emendo pannos, jupones, sotulares, ronsinos, victualia, arnesia, sive armaturas, & alias diversas res & mercaturas ministraverunt & vendiderunt, & ab eisdem inimicis animalia quamplurima & alias diversas res emerunt, magna crimina, excessus, & delicta enormia in nos committendo, ipsi consules & singulares habitatores dicti nostri burgi & suarum pertinentiarum dubitant pro præmissis aut aliquo præmissorum futuris temporibus per curiam nostram, & officiarios, seu justitiarios nostros insequi, citari, vexari, inquietari, & molestari. Quapropter nobis humiliter supplicaverunt, ut de & super præmissis omnibus & singulis erga ipsos consules, eorumque universitatem, & singulares habitatores dicti nostri burgi, gratiose & misericorditer agere dignaremur. Notum facimus universis tam præsentibus quam futuris, quod nos præmissis attentis, supplicationique dictorum consulum inclinati, facti prædicti qualitatibus consideratis, & quod evacuationes locorum prædictorum, quæ multum honorem & proficuum dicti domini mei regis, ac utilitatem patriæ suæ tangebant, absque dictis conventionibus sive pactis, & nisi quod eisdem inimicis necessaria sua ministrarentur compleri, nec ad effectum venire non possent, & etiam quia veniam debite petentibus nullatenus debet denegari, sed principis cujuscumque adinstar altissimi creatoris, cujus proprium est misereri, talibus contritis misericorditer interest compati, ut corda multorum dura, vitam pravam ducentium, ad vomitum redeundi materiam non habeant: quin immo talibus flectentem exemplis, eisdem consulibus nomine quo supra supplicantibus, & suæ universitati, ac omnibus & singulis habitatoribus dicti nostri burgi Ruthenæ & pertinentiarum suarum facta crimina, delicta, inobedientias & excessus prædictos, tantum quantum nobis tangunt, & omnem & quamcumque pœnam civilem, criminalem, pecuniariamque, & aliam quamcumque, quam & quas ipsi iidem consules & singulares habitatores dicti nostri burgi, & pertinentiarum ejusdem, nec aliqui ex ipsis conjunctim vel divisim pro præmissis aut aliquo præmissorum erga nos incurrerunt, aut incurrisse quoquo modo potuerunt, a toto tempore præterito, usque ad diem præsentem remisimus, quittavimus, & perdonavimus, remittimusque, quittamus, & to-

taliter perdonamus per præsentes, de nostra A certa scientia, & gratia speciali, ipsosque & eorum quemlibet ad eorum bonam famam, patriam, larem, domicilium atque bona sua omnia & singula, mobilia & immobilia restituimus, & restitutos esse volumus totaliter per præsentes, omnesque informationes, processus, inquestas, banna, pœnas, mulctas, & bonorum confiscationes, & annotationes eorumdem, & quicquid exinde per curiam nostram vel aliquem ex officiariis, seu justitiariis nostris contra dictos consules, universitatem & singulares habitatores, seu aliquem ex ipsis insequutum est, aut in futurum sequi posset, pro B præmissis, vel aliquo præmissorum cassantes, abolentes, irritantes, & penitus annullantes, & nullius amodo esse efficaciæ vel momenti, procuratoribus nostris quibuscumque præsentibus & futuris, super præmissis, & quolibet præmissorum perpetuum silentium imponentes; mandantes tenore præsentium inhibendo senescallo, judici & procuratori dicti nostri comitatus Ruthenæ, necnon & judici ac procuratori nostris curiæ communis villæ Ruthenæ, ceC terisque judiciariis & officiariis nostris, qui nunc sunt, & qui futuri erunt temporibus & eorum cuilibet in solidum, & loca tenentibus eorumdem, quatenus a cetero pro præmissis, nec aliquo præmissorum dictos consules, universitatem, & singulares habitatores dicti burgi nostri & pertinentiarum suarum, nec aliquem ex ipsis minime citent, adjornent, vexent, inquietent, molestent, nec etiam insequantur, nec citari, adjornari, vexari, inquietari, molestari, nec insequi a quoquam faciant ullo modo contra formam & tenorem nostrarum præD sentium gratiæ, remissionis, quittationis, & perdonationis litterarum, quin immo ipsos consules, universitatem & singulares habitatores, & eorum quemlibet, & pertinentiarum suarum hac nostra præsenti gratia, remissione, quittationeque & perdonatione uti ad plenum juxta sui formam faciant pacifice, & gaudere permittant; factaque vel attentata in contrarium, si qua fuerint, omnia & singula ad statum quisque eorum reducant pristinum, seu reduci faciant, visis præsentibus indilate, & absque E nostri & alterius cujuscumque expectatione mandati, dictis inhibitionibus, proclamationibus, & mandatis de mandato nostro seu dicti domini genitoris nostri non obstantibus quibuscumque. In quorum fidem & testimonium præmissorum sigillum nostrum in cera & sirico viridibus in pendenti duximus his præsentibus gratiæ, remissionis, quittationis & perdonationis litteris apponendum. Datum in castro nostro de Gagia die XXVII. mensis Augusti, anno Domini MCCCLXXXIV. *Signé* ROET.

EPISTOLA CAROLI regis Navarræ ad comitem Armaniacum.

Causatur se diffamatum injuste apud regem Franciæ, rogatque ut ab eo salvum obtineat conductum, quo possit aliquos ex suis ad regem mittere, qui ipsum ab iniquis criminationibus purgent.

A Tres-honnouré & puissant seigneur & nostre tres-cher & tres-amé cousin le comte d'Armignac & de Comenge, nous CHARLES par la grace de Dieu roy de Navarre, comte d'Evreus, salut & dilection. Anno 1385. Ex ms. Colbertino.

Pour ce qu'il appartient à toute humaine creature, especiaument à tout bon roy & prince chrestien, faire œuvres touchant toute noblesse, & qui soient au service & plaisir de Dieu, comme bon & vray catholique, & aprés du monde selon justice & raison, & de garder & soutenir son droit, sa bonne fame & renommé, son estat & honneur, entant comme il peut, & icelles mouteplier & monstrer là où il appartiendra, nous vous * estuons a present, & plaise vous savoir, que depuis nagueres de temps il nous a esté escript, & fait sçavoir, come en la presence de tres-haut & tres puissant prince le roy de France, & de plusieurs autres grans seigneurs bien notables, ont esté dites & imposées contre nostre estat & bonne renommée certaines paroles de grande diffamation, desquels nous sommes en dit, en fait, en pensée, & en volenté pur & innocent, net, & sans coulpe, & sont fauses & mensongeres, & mauvaisement & iniquement dites & parlées, & null roy ne null prince du monde ne devroit de null autre roy croire, oir, escouter, ne entendre en tel cas, si hort & si vilain, come il est, & en especial luy qui est un des plus nobles & puissans roys des Chrestiens, & de tel lignie & sang, come tout le monde sçait, & qui doit estre fontaine de tout droit & justice, sans appeller & oir la partie absente en ses defenses & escusations qu'il voudra faire sur ce. Car la diffamation, des-honneur & mauvaise renommée mise sur un roy à tort & sans cause, est vergoigne & des-honneur de tous les autres roys chrestiens du monde, & par especial de luy, considerant la prochaineté de lignage, que nous luy touchons, lequel, Dieu ne vueille, que nous qui sommes roy si ancien & personne de tel sang, lignage & estat, come il a plût à Dieu que nous soyons, nous soyons travaillé en tel fait, si hort, & si vilain, & enorme, come il est, ne que par nous soit nostredit lignage villané ne des-honnouré en aucune maniere. Et pour ce tres-honnouré & puissant seigneur, & nostre tres-cher & amé cousin, que les dites paroles sont fauses &

* f. escrivons.

mensongeres, & pourparlées à grant cautelle & traison, & touchant especiaument contre nostre honneur & nostre bonne renommée, & aprés de tous les roys chrestiens du monde, nous avons en pensé de nous excuser devant luy, si bien, si hautement, & par telle maniere, que Dieu, vous, luy & tout le monde verra & connoistra clairement nostre pure innocence, & nous en devons tenir pour purgés & excusés. Laquelle excusation nous ne pourrons faire ainsi qu'il appartient sans sa seurté & saufconduit. Pourquoy tres-honnouré & puissant seigneur, tres-cher & tres-amé cousin, nous vous prions & requerons tant affectueusement come plus povons, que il vous plaise envoyer par devers luy un de vos gens pour luy requerre & prier de vostre part, que il nous vueille donner son saufconduit pour nos gens, afin que eulx puissent aller par devers luy pour nous excuser, & monstrer nostre pure intention sur ce. Car premierement devant luy, & aprés devant tous les autres roys & princes du monde nous nous en pansons tellement excusés & monstrée nostre innocence, que ceux qui ont semées, dites & controvées lesdites paroles, seront trouvé faulx, iniques & mauvés mensongeres, & le contraire verité. Et pour ce, tres honnouré & puissant seigneur, tres-cher & tres-amé cousin, que nous sommes certain que vous estes seigneur vray catholique, & que vous aviez toute justice, verité & loyaulté, nous vous segnifions & escrivons ces choses; afin que tout homme, especiaument vous ayez vray cognoissance & certification de nostre innocence, & aussi pour la salvation de nostre honneur & bonne renommée que nous sommes tenus garder, si hautement, come il apartient à tout bon roy & prince en tel cas tant fort & tant enorme, & de la reponse que sur ce aurez, vous plaise à nous rescrire le plustost que bonnement pourrez, afin que nous puissions ordonner ce come il appartiendra. Tres-honnouré & puissant seigneur, & nostre tres-cher & tres-amé cousin, nous prions à Dieu qu'il vous donne bonne vie & longue. Escrit à Glit le v. jour de Juillet l'an de grace MCCCLXXXV.

EPISTOLA REGIS
ad dominum de Severaco.

Ut milites conscribere studeat ad defensionem provinciæ Ruthenensis per designatum tempus.

DE PAR LE ROY.

Ex ms. Colbertino.

SIre de Severac, come par la relation de nos amés & feaulx conseillers l'evesque de Conseran maistre Jean .... & Philippe Bonne, lesquels par l'ordonnance de nous & de nostre tres-chier & tres amé oncle le duc de Berri nostre lieutenant ou païs de Languedoc, estoient allé ou païs de Rouergue, pour faire continuer la provision de huit vingt hommes d'armes, ja pieça ordonnés pour la defense dudit païs de Rouergue, avons entendu, que vous n'avez voulu octroyer ladite provision, fors que pour trois mois, lesquels doivent finir le dernier jour de Juillet venant, & ce pour la grant povreté, que vous dites avoir, & dont nous sommes assez informés par la relation de nosdits conseillers, dont nous avons grant compassion & pitié. Neantmoins pour ce que ladite besoigne demouroit en tel estat, la chose seroit de grant confort à nos dits ennemis, lesquels s'eforcent de jour en jour de faire guerre en nos païs, & de domager & grever nos subgies, à laquelle chose à l'aide de nostre Seigneur nous pensons briefment mettre bon remede, dont vous & nos aultres subgiés serez moult reconfortez, & eussions desja fait, se ne feussent les grans charges, frais & depens, que nous avons eu pour le fait d'Espaigne, & autres grans charges pour le bien de nostre royaume, nous vous requerrons sur tout le plaisir que faire voulez, & neantmoins mandons sur la foy & loyaulté, que vous nous devez, que ladite provision de huit vingts hommes d'armes vous veuilliez tenir & faire tenir sur ledit païs, & payer leurs gaiges pour l'année avenir, à commencer le I. jour d'Aoust prochain venant, & finissant au dernier jour de Juillet aprés ensuivant, & tout en la forme & maniere que fait avez en l'année derniere passée, & gardez que en ce n'ait aucun deffault, pourquoy dommage ne inconvenient n'en puisse tenir à nous ne à nos subgiés. Donné à Rouen le huitiéme jour de Juillet.

EPISTOLA GUILLELMI
de Layra Delphinatus gubernatoris
ad comitem Armaniaci.

Varia ipsi scribit nova de rege & aliis.

MOn redouté seigneur, je me recommande à vous, si cherement come je puis, & mon redouté seigneur, pour ce que je sçai bien que tousjours vous estes desirans de sçavoir des nouvelles de par deça, plaise vous assavoir que le roy, monseigneur le dauphin, & tous nos seigneurs sont tous la mercy nostre Seigneur en bon poinct. Plaise à Dieu, mon redouté seigneur, que ainsi soit-il tousjours de vous, & mon redouté seigneur, j'ay esté moult joïeux & moult liés, quand j'ay ouy, que vous estiez sur les champs bien noblement accompagnez. Car en verité vous avez de par deça

pour cete noble emprise, si moult grand A louange & moult grand los de toutes manieres de gens, tant de grands come de petits, & pour un coup que vous faites chacun crie que ce en sont dix. Toutes fois, mon redouté seigneur, le roy a commencé à mettre grand & bonne ordonnance en ce royaume: car premierement il a tres-bien ordonné du fait de son hostel & de sa depense, & puis aprés des officiers sur le fait des finances: car de cinq generaux qu'il y avoit, il les a remis à trois, c'est assavoir l'evesque de Limoges, Piquet & Arnolet bon chevalier, & sur le fait des thresoriers B il a pointé, qu'il n'y aura que deux, lesquels on n'a pas encore ordonné qu'il seront, & ainsi en tout son fait, il a tres-grand volonté de bien & grandement ordonner, mon redouté seigneur, ils sont venus nouvelles que les Anglois ont fait & font une tres-grand armée pour venir en France, & veulent, selon que l'on dit, descendre en deux lieux, & pour ce, le roy, & tous nos seigneurs mettent grand ordonnance aux frontieres de ce royaume, & sans nulle fau- C te, mon redouté seigneur, monseigneur d'Orleans s'est grandement presenté au roy, & de ses biens & de sa personne, come pour le fait de la guerre & de son royaume ils veuillent penre, & sa pension & terres, & quand qu'il a. Car il se veut de tout son pouvoir employer. Dieu par sa grace luy veuille tousjours ainsi maintenir, come se pense-je, si fera-il toutes fois, mon redouté seigneur, il n'a guieres qu'il parti de Paris, & est allé à une journée, qu'il a contre le Duc de Lorraine, & ceux de la ville des mesmes, il doit revenir demain à Paris pour D conclure aucunes choses, qui sont encommencées, car monseigneur de Bourgongne est venu, & croi que s'il plaist à Dieu tout se portera bien. Mon redoubté seigneur, quand à ce qu'il vous a pleu à moy escrire, que vous vouliez sçavoir de mon estat, plaise vous que pour adviser non pas pour moy porter honneur, il me semble que vous portés peu d'honneur a un vicaire d'empereur né, à un lieutenant de roy, come gouverneur du Dauphiné, & pour ce ayez une autrefois advis comment vous mes.... Car ma personne le veut bien, nonobstant, mon E redouté seigneur, que je n'oublie pas un corsier que vous me deviez envoyer, combien qu'il n'est pas temps maintenant de le ramantevoir: mais si feusses, j'en feisse mon entrée en ma seigneurie du Dauphiné, mon redouté seigneur, messeigneurs, come dessus est dit, feront maintenant en la presence du roy aucunes conclusions, lesquels je ne vous escris point, parce qu'il n'y a rien encore apointé, mais au plustost qu'il y aura rien fait, je le vous feray assavoir, & aussi, mon redouté seigneur, il vous plaise de souvent escrire par deça de vos bonnes nouvelles, & de vostre bon estat. Car vous fairez grand plaisir à ceulx de par deça. Mon redouté seigneur, si aucune chose vous plaist que je puisse faire, mandez-le moy, & je suis celuy qui le fera de tres-bon cœur, & volontier en priant à nostre Seigneur, qu'il vous doint bonne vie & longue. Escript à Paris le dixiesme jour de May.

Le tout vostre GUILLAUME DE LAYRE gouverneur du Dauphiné.

EPISTOLA PRINCIPIS Aquitaniæ & Walliæ ad dominum de Severaco.

De cogendis nobilibus ad solvendum principi concessa certa subsidia.

DE PAR LE DUC D'AQUITAINE ET DE GALLE.

CHer & feal, porce que pour nos autres lettres nous vous escrismes, comment par cause que nous avons entendus, que aucuns nobles nos subgis de nostre principauté ne se vouloit accorder à ce que estoit accordée à nostre dirrain grand conseil & assemblée à Engoulesme par les prelats, nobles & communes de nostredit principauté, & que en levant du foüage à nous par eux lors octroyée vorroient des-obeir, vous feussiez prestement arraié vous & vos gens, pour nous servir en celi cas, pour contreindre leur hommes à payer ledit foüage par toutes voyes & par forte main, si mestier fust, dedeins la feste de la Trinité prochain venant, & avons depuis envoyés devers les hommes desdits nobles aucuns nos conseillers & seneschaux, pour savoir la volunté d'eulx, s'ils y veulent accorder en bonne maniere sans autre contreynte, desqueux nous ne poons uncore avoir response. Vous prions & requerons sur la foy que vous nous devez, que vous mettez & tenez vous & vos gens en estat, & array des chevaux, & harnois, pour estre prest à venir devers nous par la cause susdite as jour & lieu que nous ferons savoir par nos autres lettres dedeins quinse jours aprés ladite feste de la Trinité, sachant de ... que nous sumes tandis en mesmes le propos nous vous feisimes savoir par nos autres lettres en defaut desdits nobles, ou de leurs hommes, s'ils ne se vuillent accorder en la maniere susdite. Laquelle chose nous vous fairons savoir plustost que nous en sachiens la certeneté, & ceste chose prenez entierement à cuer, si come vous aurez l'estat & l'honneur de nous & de vous. Donné sous nostre privé séel à nostre cité d'Engoulesme le dirrain jour de May. *Et infra scriptum est:* A nostre cher & feal le sire de Severac.

Ex ms. Colbertino.

LITTERÆ PHILIPPI ducis Burgundiæ.

Bernardo Armaniaco concedit facultatem redimendi infra biennium comitatum Cadrellensem.

Anno 1390. Ex ms. Colbertino.

PHILIPPE fils de roy de France, duc de Bourgoigne, comte de Flandres, d'Artois & de Bourgoigne, Palatin, sire de Salins, comte de Rethel, & seigneur de Malines, à tous ceux qui ces presentes lettres verront, salut. Savoir faison que nous avons ottroyé & ottroyons de grace speciale par ces presentes à nostre cher & amé cousin messire BERNARD d'Armaignac chevalier, frere de nostre tres-cher & amé cousin le comte d'Armaignac, que combien que luy ou son procureur & commis pour luy, nous ait vendu purement & absolument la comté, terre, chasteaux, & appartenances de Charollois, que iceluy messire Bernard, ce non obstant, se puisse nommer & appeller comte de Charollois jusques à trois ans prochains venant tant seulement, à compter du jour de la S. Jean-Baptiste prochain venant, jusques auquel temps nous avons donné la faculté audit messire Bernard de les rachepter, sauf tant toutes fois, que ce qu'il portera le nom dessusdit, ne nous fasse ou porte prejudice, quand au droit, possession & saisine dudit comté du Charollois ou autrement en quelque maniere que ce soit, & avons promis & promettons par ces presentes, que ledit comté, terre & appartenances de Charollois durant le temps dudit rachapt nous ne transporterons en plus puissante personne de nous, & s'il avenoit que nous le transportassions en autre personne moins puissante, si le transporterions nous à la charge de ceste presente convenance. Donné à Paris le unsiesme jour de May l'an de grace MCCCXC. sous nostre scel secret en l'absence du grand.

Et sur le reply est escrit : Par monseigneur le duc. *Signé* Samy.

CARTA PHILIPPI DUCIS Burgundiæ.

De gratioso munere sibi ab abbate & conventu sancti Vedasti concesso.

Anno 1390. Ex ms. Colbertino.

PHILIPPE fils de roy de France, duc de Bourgogne, comte de Flandres, d'Artois, Bourgogne, Palatin, sire de Salins, comte de Rethel & seigneur de Malines, à tous ceux qui ces presentes lettres verront, salut. Savoir faisons que comme pour les grands frais, missions, & despens qu'il nous a convenu faire ou voyage de Guelzre en la compagnie de monseigneur

A le roy, nous ayons requis & prié à nostre bien amé conseiller l'abbé de S. Vaast d'Arras, & au convent de ce mesme lieu, qu'il nous voulsissent consentir, ottroyer & lever sur leurs hommes & subgés enclavez en nostre comté d'Artois, un aide semblable & pour une fois, que nous ont ottroyé & fait nos subgés de nostredit comté, laquelle requeste & priere nous ait esté gracieusement ottroyée par lesdits religieux, pour une fois, & sans prejudice à eulx, ne à leurs dits hommes & subgés pour le temps present ou avenir. Savoir faisons que nous avons ottroyé & ottroyons audit religieux abbé & convens, & à leursdits hommes &

B subgés, que pour raison aucune dudit ottroy ou consentement à nous ainsi fait à nostre pere dudit aide prendre & lever sur leursdits hommes & subgés, ne pour execution, ne autre chose qui pour ce ait esté faite de par nous, ou nos gens ou officiers aucun prejudice soit fait ou engerés ausdits religieux, ne à leursdits hommes & subgés, ne aucun nouvel droit à nous acquis, mais soient & demeurent en autel estat envers nous, que ils estoient avant ladite requeste & ottroy. Donné le VII. jour de Decembre l'an de grace MCCCXC.

C

LITTERÆ BERNARDI Armaniaci comitis Kadrellensis.

De satisfactione facienda duci Burgundiæ.

Anno 1391 Ex ms. Colbertino.

JE BERNARD d'Armagnac, chevalier, comte de Charolois fais sçavoir à tous, que comme j'eusse promis & juré à venir & comparoir en la ville de Dijon pardevant mon tres-redoubté seigneur, monseigneur le Duc de Bourgoigne, au dernier jour de May dernier passé, pour ester à droit & fai-

D re à son ordonnance de & sur certaines offenses, qui n'agueres furent faites par mes gens aux gens de mondit seigneur, cuidans trouver autres gens, si comme ils disoient au chemin d'Avignon, en venant en son pays de Bourgougne, à laquelle journée du dernier jour de May je me suis comparu audit lieu de Dijon en l'absence de mondit seigneur, pardevant mon tres-cher seigneur, monseigneur le comte de Nevers son fils, de par lequel m'a esté dit, qu'il plaisoit à

E mondit seigneur de Bourgoigne, que je feisse pour la reparation desdites offenses les choses qui s'ensuit. Premierement, que pour ce que je avoye affermé, que pour les dommages faits par mesdites gens aux gens de mondit seigneur de Bourgoigne, j'avois baillé en la main de messire Philippe de Muxi mille francs six moins, combien que lesdits dommages a moins assez, si comme l'on m'aveit dit, duquel bail je n'ay peu monstrer enseignement pardevant mondit seigneur

seigneur de Nevers, il plaist à mondit seigneur que dedans un mois aprés la S. Jehan Baptiste prochain venant, j'ai envoyé certification suffisant dudit messire Philippe, ou d'autre qu'il ait reçûë de moy pour la cause dessusdite ladite somme de mille francs pardevant ma tres-redoubtée dame, madame la duchesse de Bourgoigne, en quelque lieu qu'elle soit en son pays de Bourgoigne.

Item, plaist encore à mondit seigneur, que pour reparation desdites offenses, je fasse faire & edifier une chapelle votée, bonne & convenable, en la place ou fut fait ladite offense, & que je baille pour ce, & pour livres, calices, & ornemens, & autres choses necessaires à laditte chapelle, la somme d'argent qui sera advisée par ouvriers & autres gens en ce experts, & cognoissant que pourront couster les choses dessusdites, en la main de tres-reverend pere en Dieu monseigneur le cardinal de Viviers, dedans ledit mois de la S. Jehan prochain venant, & avec ce pour la dotation de ladite chapelle, je baille & délivre six vingts livrees de terres Parisis à l'assiete & monnoye de France, admorties & expediées de toutes charges, en lieu souffisant & convenable, dedans la saint Michel prochain venant, & de ces choses lettres convenables, & à ce appartenantes audit monseigneur le cardinal, qui à ce est commis de par mondit seigneur de Bourgoigne.

Item, que je soie tenu de comparoir personnellement pardevant mondit seigneur de Bourgoigne à toutes journées, & en tous lieux, qui de par luy me seront assignez pour oüir, faire, & accomplir sur les choses dessusdites, & en outre la bonne ordonnance que mondit seigneur fera de ma personne, & pour ce que je vueil en tous cas estre obéissant à mondit seigneur de Bourgoigne, comme droit est, & tenu y suis, vueil, consens, & aggrée les choses dessusdites ainsi ordonnées par mondit seigneur, comme dit est, & icelles toutes & singulieres promet tenir & accomplir entierement par la foy de mon corps, & par mon serment, pour ce donné aux saints evangiles de Dieu, & non venir au contraire, ne querir ou pourchasser par autre que par moy, & à la personne de mondit seigneur aucune grace ou respit au contraire, & que si aucune grace m'en estoit faite autrement, je n'en userai, ne m'en aiderai contre ce que dit est, en quelque maniere que ce soit. En tesmoing de ce j'ai fait mettre mon seel à ces lettres. Donné à Dijon, le cinquiéme jour de Juin l'an MCCCXCI.

EPISTOLA DUCISSÆ Bituricensis ad comitem Armaniaci & Convenarum nepotem suum.

Consolatur eum de morte fratris sui, monetque ut quamprimum ad regem accedat.

Tres-cher & tres-amé nepveu, j'ai receu vos lettres, que envoyez m'avez par Gaillardet de Bessans vostre ecuyer, par lesquelles je sceu le trespassement de mon frere vostre pere, que Dieu absoille, combien que Monsieur le me eust dit avant, dont j'ai eu & ai tres-grand desplaisir en mon cuer, se autre chose je y peusse faire. Mais grand reconfort m'est de ce que vous m'avez escript, & ainsi les autres le me ont dit qu'il a eu bonne fin, comme bon Chrestien, dont nostre seigneur soit loué de la grace qu'il l'i a faite. Tres-cher & tres-amé nepveu, monsieur vint en son pays de Berri il ot hier huit jours, & s'en va en France devers monsieur le roy, & est en bon point, Dieu mercy, & ainsi estoie-je, & JEHAN & MARIE mes enfans, quand ces lettres furent escriptes. Et vrayment, beau nepveu, un des plus grans desirs que je aye, si est que je vous puisse voir. Et Gaillardet m'a dit que vous devez estre maintenant en vostre pays de Roüergue; si estes plus prés que vous ne fustes; mais pieça si pourriez venir faire vostre devoir a monsieur le roy, & à mon avis ce seroit mieux fait que vous attendissiez plus, & plus vostre honneur & profit, & pour le temps present & pour le temps advenir. Si vous pri que vous y vueilliez penser & le vueilliez faire, si vous poüez nullement, & si vous allez en France, prenez vostre chemin par Bourges, & là vous me trouverez, se Dieu plaist, tres-cher & tres-amé nepveu, je vous pri que vous me fassiez réponse de ce que vous entendez faire de cecy, & se vous voulez chose que je puisse, faites-le moy savoir, que je le ferai de tres-bon cuer. Nostre-seigneur vous ait en sa garde. Escrit à Mehun sur Yevre le quinziesme jour de Juing. Anno 1391. Ex ms. Colbertino.

LA DUCHESSE DE BERRY ET D'AUVERGNE.

Et au-dessus est escrit: A mon tres-cher & tres amé nepveu le comte d'Armaignac & de Cominges.

EPISTOLA DOMINI de Lebreto ad comitem Armaniaci.

Consolatur eum de morte patris, cujus hortatur ut vitia devitet.

Chier nepveu, j'ai veu vos lettres & sceu par icelles le trespassement de Ex ms. Colbertino.

mon cousin vostre pere, cuy Dieu absoille, A dequoy je suis tant dolant & tant courroussié, que plus ne puis, se autre chose y peusse faire; toutesfois, chier nepveu, il faut souffrir à vous & à moy & à chacun ce que Dieux vuelt ordener, & devons penser que quan que Dieux fait qu'il fait tout pour le meilleur, & certes je tiens fermement, qu'ainsi la-il fait, & pour le bien & proufit de son ame, se Dieu plaist, & aussi pour le bien & honneur de vous qui estes son fils, & de tous ceulx qui sommes du linage, car certes je tieing fermement tenant B le gouvernement qu'il avoit, il eut mis en avanture tout son hostel & tous ses amis, toutesfois venoit soit Dieu, qui en a ordenné mieux, que nuls ne saroit deviser, & pour ce, chier nepveu, vous prie-je tant chierement comme je puis, que vous vous vueillez bien gouverner & sagement, & comme preudome, & des choses que vous savez, que l'on a blasmé vostre pere, cui Dieu absoille, en son temps, vous veuillez garder, & ne veuillez tenir entour de vous chetives gens de neant, ni ne les vueillez croire de chose qui vous dient, car d'eux ne pourrez vous avoir nul bon conseil; C mais les bons chevaliers & les preudomes tenez entour de vous, car ceux-là ne vous conseilleront fors que tout bien & tout honneur, & de leur conseils croire ne vous puet venir que tout bien, & certes, chier nepveu, chacun a grand esperance que vous ferez encore beaucoup de biens, & je prie Dieu, qu'ainsi soit-il. Car vrayment plus grand plaisir ne pourroye-je guaires avoir en ce monde, que de celle chose voir, & tenez-en certain, chier nepveu, qu'en toutes les manieres quonques ondes peust aider son nepveu... & vous honorer en tout D quanque je pourray, mais que je vous tindray tel nepveu envers moy, comme j'ay esperance que je feray, & certes, chier nepveu, tantost comme je oy le trespassement de mon cousin vostre pere, cui Dieu absoille, j'eusse envoyé devers vous de mes gens: mais vostre escuyer me dit que vous deviez envoyer par deça le sire de Chateaupaïs & le sire Dorbisan, & pour ce je attendu d'envoyer devers vous, mais courtement je vous envoyray aucuns de mes gens, qui vous dira plus à plain toutes nouvelles. E Monsieur de Berry & monsieur de Bourgogne partiront en cette semaine pour aller à Boulogne au traitié, & dient une grande partie des gens de pardeça qui sera pairs: toutefois vous & moy & tout nostre pays de pardelà devons estre baillé au duc de Lenclastre, qui doit estre nostre duc, mais ja pour cette esperance ne laissiez à faire bien garder vostre terre mieux qu'onques. Car vrayement je crois qui nous feroit plus grand besoing qu'onque ne fist. Chier nepveu, autre chose ne vous sçay quant à present. Car celuy qui devers vous ira, vous dira toutes nouvelles. Dieux, chier nepveu, soit garde de vous. Escript à Paris le dix & septiéme jour de Juillet. Le sire de Lebret.

Et au dos est écrit. A mon chier nepveu le comte d'Armagnac.

EPISTOLA PETRI BORRIER
ad comitem Armaniaci.

De pactis inter ducem Burgundiæ & comitem Armaniaci.

MOn tres-redoubté seigneur, je me recommande à vous tant humblement comme je puis, & vous plaise savoir, que j'ai porté à maistre Pierre Berchiot procureur de monsieur de Bourgoigne, lequel est revenu en Avignon, a m'a dit que mondit seigneur de Bourgoigne ne veut point tenir l'accord, qui a esté fait entre luy & vos gens, mais vuelt que les rentes & autres choses necessaires à la chapelle soient par vous accomplies, ainsi que contenu est en certaines vos lettres patentes, desquelles je vous envoye la copie cy-dedans enclose, & oultre m'a dit ledit maistre Pierre plusieurs autres choses, lesquelles je vous escript tout à plain, ainsi qu'il m'a dit, pour laquelle chose je les vous laisse à escripre. Toutefois il vous escript que ces choses soient prestes dedans un mois prochain venant, qui est chose impossible à vous à faire, comme je luy ay dit, & aussi qu'il veut avoir dans iceluy temps neuf vingt livres Parisis de la rente de ladite chapelle pour les termes qui sont ja escheus. Et me semble par son parler, mon tres-redoubté seigneur, que combien qu'il ait à faire, ce qu'il vous escript envers messeigneurs de Bourgogne & de Viviers, toutesfois mais que il soit vostre amis, vous aures bien plus grand terme, sans ce que mesdits seigneurs de Bourgoigne ne de Viviers aient cause d'en parler, & sur ceste matiere luy ay-je parlé ce que bon m'a semblé, & il m'a promis qu'il fera du mieux qu'il pourra, car autres chose n'ose dire: pourquoi, mon tres-redouté seigneur, vueillez pourvoir de bonne heure à ces choses. car il me semble qu'il vous est necessaire, afin que domage ne deshonneur ne vous en puisse ensuir, & se chose vous plaist que faire puisse, mandez & commandez la moi, comme à celuy qui est tout vostre & je la fairay de tout mon pouvoir, comme droit & raison est. Mon tres-redoulté seigneur, je prie le benoist fils de Dieu que par sa sainte grace vous doint tres-bonne vie & longue. Escript en Avignon le vingt & sixiéme jour de Mars.

Ex mss. Colbertino.

LITTERÆ CAROLI VI. regis Francorum ad Delphinatus gubernatorem.

Ut comiti Armaniaco & ipsius copiis liberum permittat per Delphinatus terras transitum.

Anno 1393. Ex ms. Colbertino.

CHARLES par la grace de Dieu roy de France, dauphin de Vienne, au gouverneur d'icelle nostre Dauphiné, & à tous nos autres justiciers & officiers Dauphinaulx, & à leurs lieutenant, salut. Comme par nos autres lettres & pour les causes dont mention y est faite, nous vous ayons mandé, que vous feissiez faire defense publiquement & par cry solemnel, à tous nobles & autres nos vassaulx & subjets, de quelconque estat ou condition qu'ils feussent, sous peine d'encourre nostre indignation, & de quant que il se pourroit meffaire envers nous, qu'il ne allassent hors de nostreditte Dauphiné pour servir en guerre quelcomque seigneur ou personne, si ce n'estoit par nos exprés congié & licence, & avec ce que vous deffendissiez estroitement de par nous à tous gardes de pons, ports, passages, & destroits de nostredit Dauphiné, que sous les peines devant dittes ils ne souffrissent passer aucunes gens d'armes, & autres gens de guerres, hors d'icelle nostre Dauphiné, s'il ne se monstroit de & sur ce nos lettres de congié & licence de date subsequant nosdites lettres, sauf que nostre entention estoit que les gens d'armes & autres gens de guerre, tant des vuides de Guienne & de Languedoc, comme autres de l'obeissance de nostre adversaire d'Angleterre, passassent sans difficulté ou contredit, ainsi que autrefois le mieux & de la partie de nostre tres-cher & feal cousin le comte d'Armagnac ayant esté requis nouvellement de donner & ottroyer lesdits congié & licence à plusieurs gens d'armes & autres gens de guerre tant desdites vuides, comme tenant le parti de nostredit adversaire, & autres, lesquels ont entention d'aller par devers ledit comte, pour le servir, & estre avec luy. Nous considerans ce que dessus est dit, voulons & vous mandons & à chacun de vous, si comme à luy appartiendra, que nonobstant les deffenses dessu dites, vous laissiez, souffrez, & faites chacun endroit soy passer, ensemble ou par parties, par nostredit Dauphiné, ou moindre prejudice & dommage que estre pourra, & aller hors lesdites gens d'armes & autres de guerre tant des vuides devant dites, & de compagne comme de l'obeissance de nostredit adversaire, & en oultre jusques au nombre de deux cens lances des subjets & gens de terres dudit comte d'Armagnac, ausquels nous en avons donné & donnons de rechief, se mestier est, congé & licence, & leur faites bailler & delivrer à leur depens, & par prix convenable vivres, & autres necessitez, pour leur dit passage, se requis en estes, en prenant toutes voyes d'iceulx les meilleures seurtez que en pourroit avoir, qu'il ne fairont ou pourchasseront, ne fairont faire ou pourchassier couvertement ne en appert oucun domage, prejudice, deshonneur, ou villenie à nous, à nos royaulme & Dauphiné, ne aux subjets & habitans d'iceulx, ni es terres de nostre saint Pere le pape, & de nostre tres-chier & tres-amé cousin le roy de Jerusalem & de Sicile. Donné à Paris le IX. jour de Juillet l'an de grace MCCCXCI. & XI. de nostre regne. *De par le roy en son conseil.* P. MANHAC.

EPISTOLA PRINCIPIS Peleponesiaci ad nobilem militem Meneducem.

Instruit eum de quibusdam rebus bellicis faciendis.

Ex ms. Colbertino.

TRes chers & grands amis, je vous notifie, que celuy lequel je havoé tramis par devers la ligue, est revenu nouvellement, lequel m'a rapporté, que ceulx de la ligue me voudroient faire volontiers les pas que elx ont entre eulx ensamble. C'est entre Florence, Bologne, les seigneur de Paduë, de Mantuë, & de Ferrare, & devant qu'il demeurast, je crois qu'il me douront par mois par temps de guerre de mille a mille & cinq cens florins, & par temps de paix mille florins par mois ou environ, & parce que nous parlasmes ensemble de ce fait a vostre departie, & ordinasmes que je le vous deusse incontinent notifier, je le vous este, & vous tramete cy dedans encloux en effet les chapitre de ladite ligue, selon que aucuns de la ligue les m'ont tramis, à ce que vous en puissiez enformer pleinement mon frere d'Armaignac, & qu'il puisse aviser ce que lui semblera de faire. Si vous prie que vous me vueilliez rescrire ce que seroit son plaisir sur le fait de ladite ligue, au plus brief que vous pourrez. Car sitost comme j'auray vostre reponse, je tramtray arieres encontenant par devers ladite ligue. Ainsi je vous fais a savoir, que demain je me partiray pour tenir le siege devant Balfenere, que est tres fort chastel de Playne, & seront ensemble le gouverneur d'Ast, & les subgets de monseigneur d'Orleans a faire une œuvre. Et ce fait je m'en iray sur le marquiset de Saluces encontenant, & premierement je y feray le gast, & puis tout cela que je pourray, & que me semblera par le meilleur & espoir faire par maniere a l'aide nostre Seigneur que mes ennemis en seront esbahis, & mes amis

en auront plaisir & joye. Sachez que les capitaines de la compagnie sont tous sains & en bon estat, & font boune guerre & fort & dure, par maniere que je leur suis bien tenus, & a tous ceulx de leur pays, s'il vous plaist aucune chose que je puisse faire, rescrivez-le moy, car je le feray de tres bon cœur. A Dieu soyez. Donné a Pynerol le dix-huitiesme jour de May. *Signé* le prince de la Morée.

---

[a] EPISTOLA (a) GALEOTI de Petra-mala ad cunctos Romanos cives.

Deflet horrendum schisma, hortaturque eos, ut adhærendo Benedicto XIII. *ipsi finem imponant.*

Anno 1394. Ex ms. reginæ Sueciæ eruit Mabillonius.

Hortatur patriæ caritas, viri magnifici, vestri honoris desiderium suadet, & compassio lacrymantis ecclesiæ me impellit, ut vos pulsem, ad vos clamem, ad vos omnis mea dirigatur oratio, in qua si quid forsan erit, quod aures vestras offendat, conabor id agere, ne quid in ea falsi, ne quid ficti, ne quid præter zelum ecclesiæ immisceatur. Pro veritate quæ loquar doloris calcaribus stimulatus, Italici pudoris fræna commorsitante. Nostis, viri inclyti, novit omnis Christianorum orbis, immo nulla barbaries jam ignorat, moderni schismatis pestem fœdissimam huc jam [b] (b) XVII. anno urgente nitidissimum corpus ecclesiæ invasisse, ejusque membra adeo fore depastam, ut nulla forma, nullus decor, nulla in ea consueta venustas appareat, quod etsi Christicolarum omnium oculis deflendum sit, omniumque suspiriis ac singultibus querelandum, Italicis tamen lacrymandum uberius, dum non Italos modo, verum Italiæ primates Romanos tantæ perniciei permisit omnipotens fore auctores. O scelestum facinus! o nefanda temeritas! o populo Romano indigna macula, numquam vestris delenda de frontibus, nisi pœnitentium lacrymarum stillicidio abluatur, & meliorum operum tegmine occultetur! Ergo potuit Romanus populus fidelium cunctorum malleus durissimus in schismatis cœno suas manus polluere? Ergo potuit Romana plebs olim gravida religione atque fide schisma parere monstruosum & deforme? Ergo passa est terra illa sanctissima sanctorum tot millium rubricata cruore, schismaticorum plantis fœdissimis se calcari? Heu quid audimus? quid videmus? profecto nihil in- A felicitatis quod nobis affert longa ætas. Quantum putatis egregii cives, & utinam Romano digni nomine, si mortalis mœror beatas animas posset attingere, angerentur felicissimi illi spiritus, quorum sanguine Urbs vestra gloriatur? quantumque de ipsorum pace demeretur, dum e cœli summi vertice inspicerent vestra in Urbe errorum acutissima pila fabricari, ubi veræ religionis fundamenta jecerunt? Sed sic est, sic meruimus, immo sic demeruimus, & tot piaculorum generibus offendimus cœlum, ut cœlicolas cogeremus contra nos arma ca- B pescere. Sed jam satis ploratum est, viri inclyti, satis superque satis doluimus, utinam jam tanto morbo curatrices adhibeatis manus? Utinam jam tanto sceleri finem velitis imponere? Utinam sana mens nostra intret in pectora? Tempus est jam, si Deus adjuverit, fugare tantam pestem, & tartari claudere portas, ne schismaticorum spiritus repleatur in posterum, faucesque satanæ insatiabiles stringere, ne christiano cibo quotidie epuletur. In hoc vos meditari decet, in hoc animi vires colligere, in hoc omnis C vestra debet esse intentio, ut ecclesiam resarcitam Domino præsentetis, quam sic inconsulte, dividere non puduit. Sed quomodo, inquietis, hoc manuum nostrarum opus est? Sunt quidem. Schisma in potestate nostra creare, nutrire, ac fovere possumus, illud autem tollere, cum velimus, non est nostrum. Immo certe, cives generosissimi, si hanc curam sumere libet, si tam pia sarcina vestros humeros onerare disponitis; jam de schismate actum est. Puto habemus siquidem pontificem divinitus nobis datum, a sacro collegio post D obitum felicis memoriæ domini CLEMENTIS VII. unanimiter assumtum, olim dominum PETRUM DE LUNA reverendissimum sacræ Romanæ ecclesiæ cardinalem, nunc BENEDICTUM papam XIII. qui potens est & vult omnes nostros morbos curare, sed illos præsertim qui schismatis putredine catholica corpora corruperunt. Hoc optat, hoc anhelat, hic omnis cari stat cura parentis. Audite, quæso, monita sua sancta, salubres ejus preces exaudite. Per christianissimum Fundorum magnificum comitem, aut per oratores quos ad vos cum benignissimis litteris suis sancta & sincera intentione refertis mittit vobis & vestro populo por- E rigendas, videbitis quod Benedictus iste pater non quærit quæ sua sunt, sed quæ Christi, quæ ecclesiæ, quæ vestræ, quæ cunctæ militiæ christianæ. Ejus mores & in-

(a) Is erat cardinalis ab Urbano VI. creatus, a quo tamen anno 1386. deficiens, ad Clementem VII. Avenionem convolavit, eique ad mortem usque adhæsit. Ipsum laudat in primis Nicolaus Clemangii in epist. 12 ad Guntherum, cui ipsius obitum nunciat, mittitque hoc epitaphium:

Cui mala Petra dedit nomen, Petra morbida lethum,
Nunc Petra dat tumulum, da Petra Christe polum.

(b) Quippe mortuo Gregorio XI. anno 1378. 27. Martii electus est per Romanorum impressionem Urbanus VI. 8. Aprilis insequentis, paucisque post mensibus, deficientibus ab eo cunctis cardinalibus, electus est Clemens VII. quo mortuo, Benedictus XIII. ipsi suffectus est 20 Septembris 1394. post cujus creationem scripta fuit hæc epistola.

tegritatem, benignitatem, mansuetudinem, caritatem, pietatem, sinceritatem, aliis forte in populis prædicare non incongruum, vobis autem jam diu persuasum esse scio. Nostis hominem & ejus virtutes. Dum adhuc vobiscum essem, de ore vestro audivi frequenter: Optat pater iste sanctissimus ecclesiam unire, optat resarcitam cunctam Domino suo præsentare, quam sic laceratam invenit: optat interimere schisma, & jam fœdam belluam mactare sua manu. Ad hoc vos animat, vos stimulat, vos incitat, vestra implorat auxilia. Eia ergo honoratissimi viri, si tam salubri operi manus libebit apponere, adjuro, obsecro, atque precor, per immortalem Deum, cujus causa nunc prope est in nostris manibus, per populi vestri celeberrimum nomen, per pietatem, si qua remansit in terris, ut Benedicti patris propositum adjuvetis, & cœlitus porrectam occasionem arripite. Nec pigeat manus fœdatas in schismate, mundatas porrigere ad candidam ecclesiæ unionem. Ego autem qui populo vestro salutem opto, honores & pacem, si quid mea potest opera, me vestris placitis offero, in his præsertim quæ ad unionem sint unicæ sponsæ nostri Redemtoris. Valete.

EPISTOLA GALEOTI de Petra-mala ad Nicolaum de Clemengiis.

Laudat ejus in scribendo elegantiam.

Anno 1394. Ex schedis Mabillonii.

GALEOTUS de Petra-mala carissimo Nicolao de Clemengiis. Sæpe alias, vir eloquentissime, sed nunc per maxime agnovi, quam fortis & efficax animorum conciliatrix sit virtus, quamque ubi illa præluxerit, fœdus amicitiæ contrahatur. Nec nunc illam appello virtutem, quam Stoici definiere, quamque nescio an veteres umquam, sed nostro ævo, sæculisque corruptis in tam lata peccandi licentia, nostri haud dubie non viderunt. Sed de illa loquor, quæ reipublicæ parere jubet, privatosque tuetur ac moderatur affectus, cujus officia antiqui media vocavere. Sed de his hactenus, non enim mens est philosophorum scrutari sententias, aut inter Stoicos, Peripateticosque arbiter fieri. Nunc ad rem. Vidi ego, singularissime vir, quasdam universitatis Parisiensis litteras, tam domino nostro summo pontifici, quam sacratissimo collegio dominorum meorum directas, quæ, dum de auctore sciscitarer, & tuum nomen brevi, ni fallor, toto celebrandum in orbe per consanguineum tuum præsentium latorem panderetur, me in tui amorem & tanti eloquii admirationem adduxerunt, consideransque mecum ipse tanto cum styli splendore tantam sententiarum majestatem ad-

A mixtam, stomachari cœpi, atque compatriotæ meo Petrarchæ tacitus irasci, apud quem legeram extra Italiam oratores & poetas non quærendos. Dicebam ergo mihi: Jam falsa est Petrarchæ tui sententia, jam apud Gallos orationis venustas, sententiarum gravitas, poëtarum dulcedines, facundia exuberans, & stylus mellifluus venerantur. Jam Gallia in hac parte nostræ non cedet Ausoniæ, nec in tot mirandis aliud vehementius admirabar, quam si quis in hoc tibi magister fuerit. Potuerit ejus nomen tamdiu occulere, ut ejus fama ad nos usque perducta non foret; sed dum diligentius de

B te studiisque tuis a præfato consanguineo tuo percontarer, retulit te atque ipsum in veneranda studiorum matre Bononia diutius resedisse. Tunc admirari præter ingenium tuum reliqua desii, & cum Petrarcha meo libens redivi in gratiam, quem altissimi ingenii virum non adeo credendum est delirasse, ut ad poëticas, oratoriasque disciplinas Gallos indispositos putaverit, quos ad cetera studia noverat aptissimos: sed ideo sic dixisse puto, quoniam eorum ingenia ad illa studia non applicant, ex quo fit ut nec apud eos talis disciplinæ præcepta tradantur. Harum artium studium, vir op-

C time, me in tui quamquam invisi hominis traxit amorem, sic ut te colam, te diligam, te omni cultu benevolentiæ prosequar, te jam ulnis caritatis amplectar. Tu vice versa oro, me ama, & tuo jure in me utere. Crede mihi, voluntatem semper meam tuis votis reperies conformem, & si posse non absit, in nullo tibi grato deficiam. Parce autem, si tam paucis tecum ago: vetat enim occupationum acies, quæ ex arce apostolica erumpit, mihi frequenter congressura, ne privatis affectibus indulgeam. Alias forsan otii plus erit. Vale felix propria virtu-

D te, propriisque studiis, & cum te diligam, me diligere non recuses. Datum.

LITTERÆ CAROLI VI. regis Francorum.

De mittendis copiis ad Florentinos adversus comitem Mediolanensem.

Anno 1398. Ex ms. Colbertino.

CHARLES par la grace de Dieu roy de France & daufin de Vienne, a nos amez & feaulx les connestable & mareschaux

E & a tous les seneschaux, baillis, prevosts, gardes de villes, chasteaux, forteresses, ponts, passages & destroits de nostre royaume & dudit Dauphiné, ou a leurs lieutenans, salut. Comme n'agueres nous ayons ordonné nostre amé & feal cousin le comte d'Armagnac pour aller au secours des communs de Florence nos alliez, a l'encontre d'aucuns leurs adversaires; sçavoir faisons que de present nous enjoignons a nostredit

cousin au lieu du Pont S. Esprit trois cens A arcs & six cens trousses de flesches dedans trente & huit coffres ou environ. Si vous mandons & estroitement enjoignons a chascun de vous, comme a lui appartiendra, que ladite artillerie & les conduisans icelles avec leurs varlés, males, harnois, vaissele, or, argent, charetiers, chevaux, charettes, & autres biens quelsconques vous laissiez passer, repasser, demourer & sejourner de nuits & de jour, par les lieux, villes, chasteaux, forteresses, pons, ports, passages & destroits de vos jurisdictions, tant par eauë que par terre sans destourbier, ou empeschement, & franchement, & quittement sans en prendre aucun peages, travers ou autres redevances. Car ainsi le vou- B lons estre fait, nonobstant quelconques ordonnances, mandemens, ou defenses, & lettres subreptices a ce contraires. Donné à Paris le III. jours de May l'an de grace MCCCLXXXXIII. & de nostre regne le XVIII.

Par le roy dauphin a la relation du conseil. *Chaligant.*

LITTERÆ CAROLI VI. regis Francorum.

De dimittendis copiis, quas duce Armaniaco paraverat in auxilium Florentinorum adversus Mediolanenses, quos inter jam pax intervenerat. C

Anno 1398. *Ex ms. Colbertino.*

CHARLES par la grace de Dieu roi de France au seneschal de Roüergues ou a son lieutenant, salut. Comme nostre tres cher & feal cousin & conseiller le comte d'Armagnac, pour faire certains voïage es parties de Lombardie par nostre ordonnance & voulanté en l'aide & secours des Florentins encontre le comte de Milan, ait fait D assembler tant en ladite seneschaussée, comme ailleur en nostre païs de Languedoc, certains & grand quantité & nombre de gens d'armes, lesquels ont fait & font de jour en jour, si comme entendus avons en nosdits pays & a nos subgiez demeurans en iceulx plusieurs grands & irreparables dommaiges, & il soit ainsi que lesdits Florentins & les autres de leur ligue ayent depuis peu de temps ença fait paix, ou prinses treves pour certain temps avec ledit duc de Milan, pour laquelle chose n'est aucunement necessaire ne expedient que nostredit cousin d'Armagnac face ledit voyage oudit E pays de Lombardie. Nous voulans nosdits pays & subjets estre relevez des dommaiges & oppressions que lesdites gens d'armes leur pourroient encore faire, si sur ce n'estoit remedié, vous mandons, que incontinent ces lettres vuës, vous faites, ou faites faire exprés commandement de par nous a voix de trompe, ou aultrement par la meilleure maniere que faire se pourra, a nostredit cousin & conseiller, que tantost & sans deslay les dites gens d'armes facent partir de nosdits pays, & icelles retourner en leurs maisons & habitation sans dommagier aucunement nosdits pays & subgiez, & en oultre se besoing est, faites ou faites faire commandement aux capitaines & autres gens d'armes, que incontinent se deportent & s'en retournent en leursdites maisons & habitations, comme dit est, & ce sur peine de quant que ils se pourroient meffaire envers nous. Et a ce faire les contraignez ou faites contraindre par toutes les meilleures voyes & manieres que faire se pourra, & tellement que la force en a soit nous. De ce faire vous donnons pouvoir & mandement special, mandons & commandons a tous nos justiciers, officiers & subgiez, que a vous & a vos commis & deputés es choses dessusdites, circonstances & dependances d'icelles, obeissent, & entendent diligemment, & donnent conseil, confort, aide, si besoing est, & par vous en sont requis. Donné à Paris le XXV. jours de Juing l'an de grace MCCCXCVIII. de nostre regne le XVIII.

Par le roy en la relation du grand conseil, ou messires les ducs de Berri, de Bourgoigne, d'Orleans & de Bourbon, & plusieurs autres estoient. BARRAU.

ARTICULI PROPOSITI & concessi super matrimonio contrahendo inter Johannem primogenitum comitis Armaniaci & Mariam a Burgundia natam ducis Nivernensis primogeniti ducis Burgundiæ.

Ex ms. Colbertino.

C'Est ce qui a esté accordé entre monsieur le duc de Bourgoigne d'une part & monsieur le comte d'Armaignac d'autre partie, en la presence de monsieur de Berri, sur le mariage qui se fera au plaisir de Dieu, entre noble homme JEHAN d'Armaignac & noble damoiselle MARIE de Bourgoigne, fille seconde née de monsieur de Nevers fils ainsné dudit monsieur de Bourgoigne.

Et premierement, que nosdits seigneurs procureront la dispensation necessaire au fait dudit mariage, avant que l'on procede à la solemnisation d'iceluy.

Item, que mesdits seigneurs de Bourgoigne & de Nevers donneront à ladite demoiselle MARIE leur fille pour son dot la somme de quatre-vingt mille francs.

Item, ladite somme sera payée aux termes & à la maniere qui s'ensuit; c'est à savoir à la solemnisation dudit mariage vingt mille francs, & l'an aprés dix mille francs, & les autres ans ensuivans autres dix mille francs, jusques à la fin du payé.

Item, ou cas que avendroit cas de restitution, ce que Dieu ne veuille, ladite dot sera restituée par la fourme & maniere & par les termes qui aura esté payé: toutefois au cas que aprés le decez de ladite damoiselle Marie demouressent enfans ou enfent, ladite dot s'appartiendra oudits enfans ou enfent, & demeurera devers eux, nonobstant que lesdits messieurs de Bourgogne & de Nevers, ou un d'eux feussent en vie.

Item, parmi ce ladite damoiselle Marie sera contente de tout le droit qu'elle pourroit avoir es successions de mesdits seigneurs & dames de Bourgoigne & de Nevers, & sera tenuë de y renoncier expressement aprés la consommation dudit mariage de l'auctorité de son mary, sauf que en deffaut de hoir masle, elle porra venir à succession en rapportant son dot.

Item, pour contemplation dudit mariage ledit monsieur d'Armagnac consent & ordene, que ledit Jehan d'Armaignac son fils ainsné, s'il le survit, soit son hoir es terres qu'il a de la Garonne, par la maniere qui est ordené & comprins es convenances faites ou mariage de madame d'Armaignac, & en oultre es terres qu'il a conquestées ou païs de la Garonne, retenu toutefois que s'il desdites terres que a delà la Garonne vouloit donner à ses aultres enfans, qu'il le puisse faire en recompensant la valeur en autre part, remanent toutefois audit Jehan les titres des dignitez, c'est assavoir les comtes d'Armaignac & de Fesensac, & les vicomtez de Lomaigne & d'Autvillar.

Item, ledit monsieur d'Armaignac baillera presentement, & donnera à sondit fils, le titre de la comté de Pardriac, de Lomaigne, & d'Autvillar.

Item, ledit monsieur d'Armaignac donnera à ladite damoiselle Marie en doüaire & luy assignera en bonne part en ses terres quatre mille francs de revenu par an; lesquielx quatre mille francs elle prendra pour le cours de sa vie, ou cas que ledit Jehan son mari mourut aprés la consommation dudit mariage, pourveu que ou cas que mourut vivant sondit pere, elle n'en aura que deux mille francs, tant comme ledit monseigneur d'Armaignac vivra, mais aprés sen decez elle aura les quatre mille.

SUPPLICATIO FACTA comiti Armaniaco in felici ejus adventu a triplici statu ditionis ejus.

Ex mss. Colbertino.

Ce sont les choses que les gens des estats des terres d'Armagnac remonstrent a nostre tres-redoutable seigneur, monseigneur le comte, en le suppliant treshumblement qu'il vueille les leur accorder.

Et premierement luy remonstrent la tres-singuliere consolation qu'ils ont euë & ont de son avenement à sa seigneurie, & ont deliberé de faire des prieres à Dieu nostre seigneur, afin qu'il vueille longuement le conserver & entretenir, afin qu'il prospere tous les jours de bien en mieux, & faisant ladite remonstrance, le supplient que son bon plaisir soit de se souvenir des grandes infortunes qui sont arrivées à sa maison, afin que pour eviter d'icy à l'avenir tous les inconveniens qui pourroient s'en ensuivre, il vueille tousjours s'entretenir en la bonne grace du roy.

Item, entre autres choses le supplient de bien garder sa personne & en bonne seureté, en se servant de gens de son païs, qui naturellement sont enclins à le garentir de mal & peril.

Item, que son bon plaisir soit, d'eslire des gens sages de discretion & de conscience, tant des nobles clercs, que d'autres condition, & iceulx ordonner pour son conseil, afin que toutes les choses qui y surviendront d'importance, se fasse avec meure deliberation, & se determinent suivant le droit & raison, & ne communiquer point ses affaires a des estrangers, à moins qu'il les connoisse bien affidez.

Item, le supplient que les justices ordinaires de ses pays tant d'Armagnac, Fesensac, Eusan & autres, il veuille pourvoir de juge de bonne conscience, & qui soient hommes de lettres, & qui ne soient rigoureux que pour la raison, & qu'il permette qu'un chacun desdits juges face & rende justice tant aux petits que au grand, sans soffrir qu'en aucune maniere ils soient empeschez en cela, & qu'il ait son juge enpris chaque seigneurie & comté, afin que la justice soit plus facilement administrée.

Item, le supplient que son bon plaisir soit de faire sa demeure au pays de deça le plus que faire se pourra, car ce seroit pour les povres sujets tres-special confort, & que la où il ne pourroit pas estre, il luy plaise de commettre à sa place des gens sages de bonne conscience, & qui ayent autorité de lui pour garder le pauvre peuple de toute oppressions, voyes de fait, pilleries & voleries.

Item, qu'il luy plaise de ne permettre pas qu'aucun habitant de sesdits païs soit saisi en son corps ni en ses biens, sans informations legitimement decretées juge competant, & que chacun soit oüi en ses deffenses suivant l'ordre du droit.

Item, le supplient que son bon plaisir soit de mettre tel ordre & police que toutes pilleries & voleries faite avant son avenement cessent en toutes ses terres & seigneuries, & qu'aucuns de ses sujets ne soient contraints de donner ou prester a moins

que cela vienne de sa propre liberalité, afin que le pauvre peuple puisse vivre paisiblement & en tranquillité, & travailler pour gaigner sa pauvre vie.

Item, le supplient que son bon plaisir soit de mettre ordre à sa maison, & eslire, & commettre tels officiers, qui soient tant à luy qu'au pays profitables, pour le service de sa personne & administration de ses revenus & dépenses, c'est à savoir des gens qui ayent raison & conscience, afin que le pauvre peuple en soit mieux soulagé, & en tel nombre, que son revenu puisse estre suffisant, & fournir aux autres affaires & charges.

Item, qu'il luy plaise nous confirmer & jurer nos privileges, franchises, libertez, & coustumes escrites en la fourme & maniere qu'ont par ci-devant fait messeigneurs ses predecesseurs.

Et en ce faisant, il entretiendra la qualité de prince, & ses sujets en amour, qui prieront Dieu continuellement pour son bon estat & longue vie.

Signé Chretles.

INSTRUMENTUM VENDITIONIS villarum Codiciaci, Faræ & Mellonis, factæ illustrissimo principi Aurelianorum duci, ab illustrissima domina de Codiciaco.

A Tous ceulx qui ces presentes lettres verront, Jehan seigneur de Folleville chevalier, conseiller, & chambellan du roy notre sire, & garde de la prevosté de Paris, salut.

Savoir faisons que par devant Jehan Gilon, & Jehan Manessier clercs notaires du roy nostre sire, de par luy establis en son chastelet de Paris, furent personnement establis hault & puissant seigneur monseigneur Loys fils du roy de France, duc d'Orleans, comte de Valois, de Blois, & de Beaumont, pour lui & en son nom d'une part, & noble & puissante dame madame Marie de Coucy aisnée fille & heritiere de feu noble & puissant seigneur monseigneur Enguerrant, jadis seigneur de Coucy d'autre part, lesquelles parties de leurs bons grez, certaines sciences, franchises, libertez, & volentez, sans force, contrainte, ou induction frauduleuse, sur ce bien pourveus, conseillez & advisez, si comme elles disoient firent & font par ces presentes l'une partie a l'autre & l'une envers l'autre, les ventes, transports, delaissement, affirmation, quittance, obligation, promesses, & convenances qui s'ensuivent. C'est assavoir ladite dame dit & afferma pour verité & en la presence des dits notaires, que de son propre heritage à elle venu & écheu, tant par la succession de sondit feu pere, que autrement, competoit & appartenoit, compete & appartient trois chastellenies & leur appartenance & dependance. C'est assavoir la seigneurie & baronie de Coucy, à laquelle appartient les ville, chastel, & chastellenie de Coucy, Foulevray, S. Aubin avec leurs appartenances.

Item, la chastellenie de la Fere sur Oise, à laquelle appartient la ville & chastel dudit lieu, le chastel & ville de S. Gobain, le chastel de Chasteller, le lieu de S. Lambert des eauës, & le vivier & estang d'ilec.

Item, la ville & chastellenie de Merlo, à laquelle appartient ledit lieu & appartenance de la ville de Marle, les chasteaux de Ascy & de Gercy & leur appartenance. Tout tenu en foy & hommage du Roy nostre sire. Es quels lieux faut & est besoing de faire plusieurs grands frais & mises & depens, tant pour la garde d'iceulx, comme autrement. Et aussi sont les rentes & revenus d'iceulx tres-grandement diminuez, tant pour les mortalitez qui ont esté ou païs, comme pour plusieurs usurpations qui font chacun jour les voisins d'icelles terres & seigneuries, & avec ce sont les dittes terres & seigneuries chargiées de doüaire, & autres grans charges anciennes. Et pour ce qu'elle scet & cognoist que ce seroit son tres-grand dommage de tenir en sa main les dittes terres & seignories, & qu'elle ne porroit supporter les dittes charges, ne avoir, ne maintenir son estat si honorablement comme il lui appartient. Pour ces causes & aultres plusieurs elle mouvant, & considerant que les dittes seignories, villes, chasteaux, & lieux dessus dits elle ne peut mettre ne transporter plus seurement pour le bien du royaulme de France, que en la personne dudit monseigneur le duc d'Orleans, frere germain du roy nostre sire, les dittes terres, seigneurie & baronie de Coucy, Foulenbray, S. Aubin, la Fere, S. Goubain, le Chastellier, le lieu de S. Lambert des eauës, & le vivier & estang d'ilec, la ville, chastel, & chastellenie de Marle, les chasteaux de Ascy & Gercy & leurs appartenances & appendances quelconques, & generalement toutes les appartenances, droits, & appendances d'iceulx, tant es villes, chasteaux, maisons, manoirs, estans, bois, forests, fours, moulins, peages, travers, eauës, rivieres, cens, rentes, revenues, patronages, collations de benefices, fiefs, arrierfiefs, justices haultes & moyennes & basses, noblesses, raisons, actions, & poursuites reelles & personnelles, mixtes, directes, teuës, expresses & autres quelconques appartenans & appendans ausdites possessions & seignories, & que ladite dame y a, peut & pour-

roit

roit avoir, demander & reclamer ores ou A pour le tems advenir, comment & quelque titre que ce soit ou puist estre, & envers quelconques personnes & biens à cause de ce, sans y rien excepter, reserver, ne retenir, charger des charges anciennes, & du doüaire de madame ISABEL de Lorraine vuefve dudit feu monseigneur de Coucy. Ladite madame MARIE de Coucy recogneust & confessa pardevant lesdits notaires comme en jugement, pardevant nous avoir cedé, quitté, transporté, & délaissié dez maintenant à tousjours perpetuellement B & hereditablement, & a promis & promet garentir, delivrer & deffendre envers & contre tous & par tout toutes fois & que mestier sera de toutes debtes, obligations, ypoteques, & autres empeschemens quelconques, audit monseigneur le Duc d'Orleans pour luy, ses hoirs, & ayant cause. CESTE VENTE, transport, cession & delaissement fais pour & parmi le pris & somme de quatre cens mille livres Tournois, monnoye courante a present a contre l'escu d'or à la couronne pour XXII. sols VI. deniers Tournois piece, frans & quittes à ladite dame: dont les cc. mille livres ladite C MARIE pourra faire son plaisir & volenté, & les deux autres cc. mille livres Tournois seront pour tourner & convertir au profit des deux enfans de ladite dame Marie pour leur provision. Desquelles cccc. mille livres Tournois ont esté payes, bailliés & nombrés à icelle madame MARIE, en la presence desdits notaires en escus d'or de ladite valeur la somme de LX. mille livres Tournois, & du surplus desdites cc. mille livres Tournois, qui doivent tourner au profit d'icelle madame MARIE, montant à la somme VII. vint mille livres Tournois, D elle se tint & tient pour bien contente & agrée moyennant certaine obligation qu'el-appert d'icelle somme, & les deux autres cc. mille livres Tournois restans de ladite vendition, mondit seigneur le duc promit & gaiga par sa foy & serment pour ce baillée corporellement es mains desdits notaires, rendre & payer à ladite madame MARIE, à ses hoirs, ou ayant cause, ou au porteur de ces presentes aux termes, & par la maniere cy-aprés declairez, c'est assavoir du jour de S. Jean-Baptiste prochain E venant en un an, c. mille livres Tournois, & les autres cent mille livres Tournois du jour de saint Jean-Baptiste, que se doit faire ledit payement en un an prochain aprés: & s'aucuns acquests estoient faits d'icelle somme, ou de partie durant la vie de ladite dame, icelle dame joira & exploitera les fruits, profis, revenus, & emolumens d'icelle acquisitions sa vie durant, sans ce qu'elle puisse vendre, ne aliener la proprieté d'iceux en aucune maniere, ne que ses dits enfans sa vie durant y puissent aucune chose demander: & s'il avenoit que les susdits enfans allassent de vie à trespassement, ladite somme cc. mille livres Tournois, ou ce qui en auroit esté acheté & acquis tourneroit à ladite madame Marie, s'elle vivoit, & aprés son trespassement au plus prochain hoir de la ligne de Coucy. DE LAQUELLE somme de LX. mille livres Tournois ainsi desja payée, baillée, delivrée à ladite madame MARIE de Coucy, elle se tint pour bien contente, paiée, & agrée, & en quitta & quitte a tousjours purement & absolument ledit monseigneur d'Orleans, ses biens, ses hoirs & ayant cause, & tous autres à qui quittance en puet & doit appartenir: & aussi se tint pour bien content & toutes les choses dessus contenuës, sauf & reservé, excepté & retenu par ladite madame MARIE l'usufruit & viaige des fruits, profis, revenues & emolumens desdis seignories & possessions dessusdites venduës, pour en joïr & exploiter par elle, ses officiers, qu'elle y a mis & commettra toutes fois & quantes fois qu'il lui plaira sadite vie durant seulement, sans ce que ledit monseigneur le duc puisse ou doie faire, ou faire faire aucun exploit de justice, ne autres, ou prejudice de viage de ladite madame MARIE, ne les empescher en son viage, ne usufruit par quelque voie que ce soit. DESQUELLES seignories, baronies & chastellenies de Coucy & des aultres chasteaux, chastellenies & lieux dessus declairez, ladite madame Marie se devesti & dessaisi es mains desdits notaires, comme en la maniere souveraine pour le roy nostre sire, pour & au profit dudit monsieur le duc, de ses hoirs & ayant cause. Et en quitta & remit la foy & hommage à quoy elle en estoit, devoit & poüoit estre tenuë au roy nostredit seigneur. Et voult & accorda, que ledit monseigneur le duc en puist estre en foi & hommage, & en prendre reallement & de fait la possession & saisine, & mettre & instituer de par lui es chasteaux & villes fermées dessus venduës, capitaines & gardes, excepté es villes & chasteaux de la Fere & de Chastellier. Esquels deux lieux ladite madame MARIE en faisant la presente vendition, a retenu & retient sa demeure sa vie durant tant seulement. ET D'ABONDANT a faire ladite demission & dessaisine, & consentir par tout où il appartiendra, que ledit monseigneur le duc en soit sainsi & vestu, mis & receu en foi & hommage, possession, & saisine, ou souffrance. Ladite madame Marie fist & fait ses procureurs generaulx & certains messages especiaux sans rappel, noble & puissant seigneur monseigneur GUILLAUME de Meleun, comte de Tancarville, monseigneur JEHAN de Hangest sieur de Heugue-

ville, monseigneur JEHAN de Squainville dit Saquet, sieur de Barne, & Guillaume de la Champaigne escuyer, auxquels, & a chacun d'eux par soy & pour le tout ladite madame MARIE a donné & donne plain povoir, autorité, & mandement especial de ce faire, & tout ce qui en cas appartendra, & avec ce promet ladite MARIE & sera tenuë bailler & delivrer audit monseigneur le duc, ou a ses gens pour luy dedens le jour de la S. Andri prochain venant, tous les titres, livres, registres, chartres, lettres, & autres enseignemens quelconques qu'elle a & peut avoir touchans & regardans lesdites terres, possessions & seigneuries. PROMETTANT lesdites parties chacune en son droit soy & pourtant que celuy touche, compete, & appartient, pour leur serment & foy de leur corps pour ce baillées corporellement es mains desdits notaires à avoir agreables & tenir fermes & estables a tousjours ceste presente vente, transport, obligation, & toute & chacune les choses de ces lettres ecrites & contenues; icelles enteriner, & loyalment accomplir sans fraude en aucune maniere, ne sans aler ne souffrir aler ou venir encontre par elles ne par autres, convertement ou en esperit, jamais & a nul jour, pour raison de decevance, d'erreur, d'ignorance, ne autrement comment que ce soit. Et rendre & payer a plain, & sans plait, tout cousts, mises, despens, dommages & interests, qui fais, eus, & soustenus seroient par deffaulte de garentie de payement, ou d'aucunes des autres choses dessus dites non enterinées & non accomplies. OBLIGANS quant à icelle partie chacune en droit soy, & partant qu'il luy touche & peut toucher par leursdits sermens & foy, eux & leurs biens, leurs hoirs & les biens de leurs hoirs, meubles, & immeubles, presens & advenir, quels qu'ils soient, quelles en ont pour ce soubmis du tout à la juridiction, cohertion & contrainte de nous & de nos successeurs prevost de Paris & de toute autres justices soubs qui juridiction il seront & pourront estre trouvez, & pour ces lettres & le contenu du tout accomplir. RENONÇANS en ce fait expressement lesdits seigneurs & dame chacun pourtant que celui touche & appartient par leurdits sermens & foy à toutes exceptions de deception, de mal, de fraude, erreur, lesion, circonvention, & decevance, à toutes cauteles & cavillations, à tout droit ecript & non ecript, canon & civil, a ce qu'elles puissent dire, proposer, ou maintenir, estre ou avoir esté deceus en ceste vente, contract & obligation : faisant en aucune maniere, ne qu'il y ait en ces lettres plus ou moins estre que passé ou accordé, passe & accorde que escript : A tous us, stiles, coûtume, constitutions, establissement de lieux, de villes, & de païs viés & nouveaux : à toutes lettres d'estat, de grace, dispensations, & absolutions sur le fait de leurs sermens donnez & à donner, & à tout ce generalement qui tant de fait comme de droit, de us, de coustumes, & autrement aider & valoir leur pourroient à venir ou dire contre ces lettres, l'effect & le contenu d'icelles mesmement au droit, disant generale renonciation non valoir. En tesmoing de ce nous à la relation desdits notaires avons mis à ces lettres le seel de la prevosté de Paris, faites, passées & accordées, que icelles parties vouldrent avoir sur ceste forme. Le Lundi XV. jour Novembre, l'an de grace mil quatre cens.

Ainsi signé J. GILLON. MANESSIER.

EPISTOLA DOMINI JOHANNIS *Belhoiste* Cartusiensis ad abbatem S. Laurentii Leodiensis.

Ut vitium proprietatis a suo monasterio amandare studeat, & qua ratione id possit exequi.

HOrrendum est incidere in manus Dei viventis, Apostolus. Si judicium grave est his qui præsunt, ut idem Apostolus ait, satagere habent ipsi præsidentes, ut suas quibus præsunt oviculas ammoneant, doceantque non tantum verbo, sed operis exemplo Domini rectas tenere vias, ac deviantes corripiant: sin autem in periculum redundat præsidentis animæ, ut scribit Ezechiel: sanguinem ejus de manu tua requiram. Reverende pater, habetis in monasterio vestro, ut fertur, proprietarios, hoc est monachos, qui pecunias sive clenodia alia singulariter possident, & non communia; scitu vestro heu! & permissu, & si licentia, nescio, Deus scit. Non potestis licentiam dare super his, nec summus pontifex, ut scribit Gerardus Magni multique alii. Et verisimile timendum est, quod ista proprietas & patrem & filios ad perpetua trahet tormenta. In pluribus autem inveniuntur patres, abbates videlicet & priores in causa fore proprietatis subditorum, quia pauperes monachi sive conversi cum in hac misera vita non petant nisi corporis necessaria, ut Apostolus ait, habentes victum & quibus tegamur his contenti simus, non valent a superioribus suis sibi necessaria recipere de bonis monasterii communibus. Imo cum ea petunt, inveniunt prælati sui faciem mirabiliter aversam, ac indignabundam excusationem in peccatis quærentis, dicentis: domus nostra multa habuit hoc anno damna, aut in debitis multis obligati sumus, non possumus cujuslibet voluntati satisfacere, habeatis patientiam. Et ipsi præsidentes nec in minimo penuriam pati vo-

Circa 1400. Ex ms. codice sancti Laurentii Leodiensis.

sunt; videlicet tam in sua mensa nimis lauta & superabundanti, & statu, heu! nimis seculari & pomposo, quam etiam ædificiis curiosis non necessariis. Non quod talem vos judicem, pater reverende, sed ne in talem præcipitemini damnationis foveam, caritative admoneo. Hisque perceptis, quid pauperes facient monachi, qui de bonis suis quæ communia esse debent, necessaria sua habere nequeunt. Bona monasterialia quidem non amplius sunt præsidentis quam monachi infimi, quin ipse inferior necessaria habere debeat ut præsidens, tamen cum discretione. Et quia a suis præsidentibus non valent necessaria percipere, ideo clam & seorsum sibi provident, & fiunt proprietarii, quod est in eorum & præsidentis præjudicium, & animarum suarum, timeo, damnationem. Maxime tamen timendum est prælatos esse in culpa, ut scribit Gerardus Magni in epistolis suis & alii plures. Nam & idolatras tales vocat. Idcirco, pater mi reverende, caritate sincera me movente consulo, quam ad personam vestram a multis annis gessi & gero, ut nostis, quatenus horrendum Dei judicium præ oculis habentes, omnem vestram diligentiam adhibere studeatis, ut hujusmodi diabolicum crimen quod in domo vestra regnare dicitur, de cetero per vos removeatur, ac illud prorsus extirpare conemini, quod utique est in perpetuum animarum patris & filiorum præcipitium, timeo & damnationem, & omnipotens adjuvabit vos, qui adjutor est in tribulationibus. Si autem respondetitis: Omnem meam volo diligentiam adhibere, ut removeatur non hoc dumtaxat malum de medio, quin immo etiam omne aliud salutis perpetuæ impedimentum; sed medium non invenio quo valeam. Audiatis igitur, pater reverende, consilium meum, quod si sanius reppereritis, placet ut illi stetis: Propheta dicit: *Misericordiam & judicium cantabo tibi, Domine.* Et alibi idem: *Misericordia & veritas præcedent faciem tuam.* Per veritatem judicium intelligo. Igitur primo incipite per misericordiam, ut Dominus docet, isto modo. Congregatis in unum fratribus vestris omnibus absque extraneis, nunciate eis & declaretis hujusmodi crimen, ejusque maledictionem & periculum, ut habetis in epistolis vobis a me missis, & quod nullo modo vultis amodo ipsum crimen sustinere, quia in vestræ & ipsorum animarum præcipitium mergit æternum. Et ut habeant omnem suam excusationem nullam, offeratis eis dare victus & vestitus necessaria, tam sanis quam infirmis, & unum ex eis cui credatis constituite, qui de bonis domus in manibus sufficientiam habebit; ut ab ipso & non a vobis, nisi in rebus notabilibus & magnis necessaria sua petent, ut in sancto Jacobo, (a) & accipient. Et sic omnia quæ habent in auro, & argento, sive clenodiis, absque ulla etiam quantulacumque exceptione, quia modicum fermentum totam massam corrumpit, exponent voluntati vestræ, & in manus vestras ponent, & ea asportabitis, usualiaque quibus rationabiliter carere non valebunt nec debent, eis dumtaxat dimittendo. Et si sic agentes proficitis, Deo gratias; sin autem, consulo, ut unum seorsum, & alium per se, incipiendo a priore; eis dulciter prædicetis prædicta, & quod vestri eorumque valde dubia salus est in tam dubio vivere crimine & mori, quia ut homo vivit & moritur, & necessaria eis provisurum generose & cum pace vos offeratis, & quasi eis supplicando, ista aut his similia dicatis: Spero in Dei misericordia, quod prædicta suaviter eis narrando proficietis, ita, pater reverende, ita. Nolite verecundari vos eis humiliando, ac dulcissime loquendo pro tam horribili crimine de medio tollendo, ubi timetur tam animæ vestræ quam ipsorum perpetuæ damnationis periculum, nisi omnem vestram adhibueritis extirpando hujusmodi diligentiam. Recordemini dominum nostrum JESUM CHRISTUM, quam dulciter suaviterque suas informavit oviculas, ut eas lucrifaceret; ut est: *Discite a me quia mitis sum & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris, &c.* Et alibi. *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, &c.* In pluribus aliis locis evangelicis tam per se quam per suos apostolos & prædicatores; ut est: *Nec oculus vidit, nec auris audivit, quæ præparavit Deus diligentibus se.* Si autem per misericordiam & dulcedinem nihil aut non satis profeceritis, quod absit, tunc pro conscientia vestra contentanda, restat districtius inquirere judicium, quomodo rebelles, necnon duricordes coërceantur, & ad vitæ vias reducantur. Et licet omnem vestram fecisse diligentiam a diu tenebamini, præcipue nunc amplius tenemini circa finem vestrum, ubi Deo judici districtissimo rationem reddere habetis de ipsis. Si autem omnem vestram feceritis diligentiam tanto pro crimine delendo, spero quod non vobis nocebit eorum iniquitas. Si autem duo aut tres tantummodo hujusmodi forent criminis culpabiles, ac emendationi resistentes, consulerem ut eos cum ordinis vestri censura ad emendationem cogeretis. Si autem sex aut septem sive plures, nescio quid consulere, nisi quod consulatis viros prudentes & gnaros ac conscientiæ, ut sunt reverendi sacræ theologiæ doctores magistri Gerardus Rondelli & Johannes Yonis ecclesiæ Leodiensis canonici, cum epistolis

(a) Id est in abbatia S. Jacobi Leodiensis, in qua tunc vigebat regularis observantia, ac proprietatis vitium exulabat.

Gerardi Magni pro ampliori informatione. A Seriose consulo, ut negotii præsentis non intercedat dilatio, quia vos & ego non diu hic manebimus, ne Dei judicium imparatos nos inveniat, ibique erit districtissimi judicis sententia de vita aut morte æterna immutabilis promulganda. Heu quo fugiam ego miserrimus peccator a facie tanti Judiciis, quem innumere offendi pro innumeris suis beneficiis mihi ingratissimo concessis. Timeamus, pater mi, timeamus antequam dies illa veniat terribilis nimis magis quam edissere valemus, & secundum hoc nos e- B mendare studeamus in viis Domini nostri JESU CHRISTI Dei omnipotentis, qui nobis perseverantibus finem donet optatum. Amen. Si quid in his profeceritis, percipere desidero. Orate pro nobis pauperibus, ut soleo, pro vobis, qui vos diligit in veritate capellanus.

LITTERÆ CAROLI VI. REGIS Francorum.

Hortatur ad pacem.

Anno 1401. *Ex ms. domini Bulteau.*

CHARLES par la grace de Dieu roy C de France. Le souverain Seigneur & createur de toutes choses nostre-Seigneur JESUS-CHRIST, quant il daigna se humilier de prendre forme humaine pour visiter & racheter sa creature par lui faite & creée à sa semblance, admonesta, introduit & enseigna principalement tous ses disciples avoir & garder paix entre eulx : en instruisant par ce tous ceulx qui le veulent ensuir à merer & querir paix, qui est le souverain bien en cette mortelle habitacion. Car si comme en tous royaumes ou paix & concorde ont vigueur, fructifient & y accroissent toutes vertus : aussi par le contraire qui D est discorder, se y descroissent, diminuent, & subsequemment declinent & deviennent tels royaumes à finale destruction. Et se nous qui moyennant la grace & disposition divine sommes establis en haultesse & dignité royal, voulons, & desirons de toute nostre puissance, en ensuivant ladite introduction de nostredit souverain Seigneur, gouverner & garder tous nos subgez en paix & tranquillité; par plus forte raison sommes tenus & abstraints tenir, garder & conserver en paix, amour & union ceulx de nostre sang & lignage, & oster d'entre eulx à E nostre pouvoir toutes matieres & divisions, & discords : mesmement que par eulx principalement nous nous aions à conseiller en tous nos faits, laquelle chose ne se pourroit bonnement faire, se entre iceulx ne regnoit & demouroit le bien de paix. Et pource que aucunefois ou temps passé par l'instigacion de celui qui tousjours stimule & esmeut les creatures contre ce bien, & fait toute sa puissance de semer & mettre entre elles toutes discordes & divisions, ont esté meus, comme nous avons sçû, aucuns desplaisirs, discords & discencions entre aucunes grans personnes de nostre lignage, & moult prouchain de nostre sang; & encore n'agueres en nostre presence pour le fait touchant les gardes de BENEDIC derrenierement esleu en pape du college des cardinaulx, & de la ville d'Avignon, & des habitans d'icelle, lesquelles gardes pour la seureté des parties avons commises, c'est à sçavoir premierement celle dudit BENEDIC à nostre tres-cher & tres-amé frere le duc d'Orleans, & celle dudit college des cardinaulx de ladite ville d'Avignon & des habitans d'icelle, à nostre tres cher & tres-amé oncle le duc de Berry, se soit meu aucun debat de paroles entre nostredit oncle le duc de Berry, & nostre tres-cher & tres-amé oncle le duc de Bourgongne d'une part; & nostredit frere le duc d'Orleans d'autre part : pour occasion desquelles choses plusieurs grans maulx ont esté en voye de venir oudit temps passé, & s'en pourroit ensuir ou temps avenir, que Dieu ne vueille, plusieurs tres-grands inconveniens à nous & à tout nostre Royaume, se par nous n'estoit à ce pourveu de brief remede. Nous qui avons & devons avoir seigneurie sur tous ceulx de nostredit sang & lignage demourant en nostre royaume, & les amons tous naturellement, come nature nous enseigne; & especialement tant plus les dessus nommez come plus de prés nous appartiennent, & qui sur toutes choses voulons & desirons la paix, amour & union d'entre eulx, & ne pourrions avoir plus grand deplaisir, que de les voir en division : Faisons sçavoir à tous presens & advenir que afin que tous lesdits mouvemens, discors, & discensions cessent, & que tous ceux de nostredit sang & lignage soient & demeurent dores en avant tous en bonne concorde ensemble qui sera chose agreable à Dieu, à nous tres-parfait plaisir & le tres grant bien de nous & de nostredit royaume, avons ordonné en nostre conseil, estre faite une certaine cedule ou escripture contenant nostre entencion & voulenté sur les choses dessus dites contenant la forme qui s'ensuit : Pource qu'aucunes fois, &c. Fait en l'an mil CCCC. & ung.

LITTERÆ CAROLI VI. Francorum regis.

A crimine lesæ majestatis purgat duces Bituricensem, Aurelianensem, Borbonii & alios, irritumque declarat quidquid adversus eos factum fuerat.

Ex ms. domini Bulteau.

CHARLES par la grace de Dieu roy de France à tous ceulx qui ces presentes lettres verront. Comme pour occasion de divisions, de guerres & discords ja pieça B meus en nostre royaume entre aucun de nostre sang & lignage, plusieurs choses nous aient esté damnablement, mençongierement & seditieusement rapportées & données à entendre, soubs ombre desquelles, & parce que en nostre conseil & aussi en nos filles l'Université & ville de Paris, n'avoit pas telle liberté de nous veritablement & loyaument conseiller à l'onneur de nous & au bien de nostre royaume, comme il appartenoit. Car les aucuns estoient parciaulx & desordonnement affectez, & les autres C avoient paour, qui cheoit en gens mesmes de grant vertu & constance, parce qu'il veoient plusieurs pour dire & tenir verité, perdre leurs estats, & veoient aussi plusieurs mesmement notables prelats nobles & autres de nostre conseil, & de nosdites filles l'Université & ville de Paris, estre tyranniquement & tortonierement prins, rençonnez, pillez & robez. Parquoi plusieurs nos bien veillans estoient fuitifs & absens de nostre conseil, & de nosdites filles l'Université & ville de Paris, plusieurs lettres patentes ont esté dampnablement procurées D & indecemment obtenuës, faites en nostre nom, seellées de nostre grant seel; & envoyées per tout nostre royaume & dehors en diverses seigneuries & royaumes, mesmement à nostre saint pere le pape & son college, & autres grands princes & seigneurs à la tres grant charge & des-honneur de plusieurs des plus prochains de nostredit sang & lignage, comme de nostre tres-cher & amez oncle le duc de Berry, & nostre tres-chers & tres-amez fils, neveux & cousins, les ducs d'Orleans & de Bourbonnois, les comtes de Vertus, d'Alençon, & d'Armaignac, & aussi du sei- E gneur d'Elebret connestable de France; & consequemment de plusieurs prelats, barons, nobles & autres leurs biens-veillans de nous & de nostre seigneurie: contenant icelles lettres que nous estions souffisament informez que nosdits oncles, fils, nepveus, & cousins, & autres leurs adherens nous vouloient desbouter de nostre seigneurie; & faire nouvel roy en France; & que en ce & autres choses qu'on leur imposoit felonneusement & deloyaument, ils avoient

A commis envers nous & nostre majesté royal, grand & enormes delits, crimes, malefices tant de leze majesté que autres. Pour lesquelles choses nous par icelles nos lettres habandonnions à tous nosdits oncles, fils, nepveus & cousins, avec tous leurs adherans, serviteurs & bienveillans, pour les prendre & destruire avec toutes leurs terres, seigneuries, & biens quelsconques, en declarant eulx avoir forfais, corps, & biens envers nous; & encore pour les plus grever, injurier, & esloigner de nous; & B esmouvoir le peuple contre eulx, soubs couleur de certaines bulles, passé quarante ans a. impetrées & données contre gens de compaigne, que sans tiltre, sans cause & de leur auctorité levoient & mettoient sus gens d'armes par maniere de compaignies contre nous & nostre royaume: & lesquelles bulles ne se povoient & ne devoient appliquer contre nosdits oncles, fils, nepveus, cousins & autres dessusdits, comme il appert clerement par l'inspection d'icelles par deffaulte de bon conseil, comme dit est, & sans C prealable declaracion de nostredit S. pere le pape, sans deliberacion de notables prelats, comme il appartenoit ou cas, & sans garder ordre de droit, procés, ne monicions à ce requises, & sans deliberacion precedente de nostredite fille l'Université par maniere d'Université ont esté faites indeuement & par des-ordonnée faveur, force, & violence, aucunes declaracions de sentences d'excommuniement contre les dessusdits de nostre sang & lignage, leurs officiers, subjets, adherens & bienveillans; par lesquelles on les a fait publier contre D verité comme excommuniez par tout nostredit royaume. Et en oultre ont esté criez à ban comme traistres, malfaicteurs, & de fait bannis de nostredit royaume, desapointez de leurs estats, honneur, benefices & offices. A l'occasion desquelles choses ont esté dites, semées & publiées plusieurs erreurs & exercées tres grans inhumanitez & iniques cruaultez contre aucuns, qui pour l'occasion des choses dessusdites ont esté prins & morts, tant concernant le salut des ames, que aussi la pitié naturelle que mescreans mêmes & gens de diverses loix, voire aucunes bestes mues auroient & de- E vroient avoir l'un de l'autre; en substraïant à iceux prins & executez, tant biens spirituels, comme confession & prieres, que aumones pour la sustentation de leur corps; & eulx morts leurs a esté deniée sepulture, mesmement en terre profane: mais ont esté gectez sur la terre pour estre mangez par les chiens, oyseaux & bestes meues. Lesquelles choses sont dures, inhumaines, dampnables, iniques, cruelles, & deraisonnables, par especial en royaume tres-chrestien, misericors & catholique, comme le

nostre est & doit estre. Toutes lesquelles choses ont esté faites à l'instigacion, impression, violence, importunité & pourchas d'aucuns sedicieux, troubleurs de paix, malveillans de nosdits oncles, fils, nepveus, & cousins, & contre raison, & contre verité, couvertement par machinations, & fictions dampnables, & pour venir à leurs faulses & mauvaises entreprinses, si comme de ce avons esté depuis & sommes de present pleinement acertenez & a plain informez. Et pour ce nous qui ne voulons, ne pouvons raisonnablement tels blâmes & reprouches non veritables, ainsi fais & procurez, comme dit est, demourer à la charge & deshonneur de ceulx de nostredit sang & lignage & autres dessusdits, & qui avons tousjours desiré & desirons la verité des choses estre sceuë, & reparer ce qui par erreur, inadvertence ou autrement induëment auroit esté par nous fait au grief charge, & deshonneur d'autruy, & mesmement de ceulx de nostredit sang & lignage, & autres dessusdits, comme tenus y sommes par raisons. Sçavoir faisons nous estre plainement & suffisamment informez & acertenez nosdits oncles, fils, nepveus, & cousins, prelats, barons, nobles & autres leurs bienveillans avoir tousjours en bonne & loyale entencion envers nous, & avoir esté & estre nos bons & loyaulx parens, vrais, obeïssans & subgez, & tels comme ils doivent estre envers nous, & que tout ce qui a esté fait & surrepticement impetré contre verité & raison, au pourchas, impression, instigacion, importunitez, & violence d'aucuns sedicieux, troubleurs de paix, & malveillans, comme dit est. Pour laquelle cause toutes les lettres & mandemens qui contre leur honneur & à leur charge ont esté faites & publiées touchant les choses dessus dites, ou les dependences d'icelles, nous avons declairées, & par ces presentes declairons, avoir esté tortonierement & de nulle valeur faites passées & subrepticement impetrées par le donné à entendre de leursdits malveillans, & nous en ce avoir esté deceus, & non bien advertis de la verité des besoignes par deffault de bon conseil & liberté de dire verité, comme dit est: & toutes icelles lettres & mandemens avec autres quelconques qui seroient à la charge de l'onneur de nosdits oncle, fils, nepveus, & cousins, & autres dessusdis, & generalement tout ce qui s'en est ensui. Nous estans en nostre parlement, tenans le lict de justice, & accompaignez de plusieurs de nostre sang & lignage, de plusieurs prelats & gens d'eglise, tant de nostre fille l'Université, comme autres, de plusieurs barons, chevaliers, & autres notables personnes, tant de nostre grant conseil, & de nostre parlement, comme de nostre bonne ville de Paris, avons revoquées & adnullées, & par ces presentes revoquons, rappellons, dampnons, & mettons du tout au neant: en defendant à nos subgez sur peine d'encourir nostre indignacion, & de tout ce qu'ils se peuvent messaire envers nous, que contre la teneur de nos presentes assercion, declaracion, revocacion, & ordonnances, ne facent, ne dient, ne viengnent ores ne pour le temps advenir de fait, de paroles ne autrement en quelque maniere que ce soit; & que se aucune ou aucunes nos lettres ou mandemens devant dits estoient exhibées, gardées & produites en jugement & dehors; nous ne voulons aucune foy y estre adjoustée, ores, ne pour le temps advenir. Ainçois voulons & commandons, qu'elles soient deschirées, & despecées quelque part que trouvées pourront estre. Et donnons en mandement par ces presentes à nos amez & feaulx conseillers les gens de nostre parlement, au prevost de Paris, & à tous nos baillis, seneschaux, prevosts & autres nos justiciers ou leurs lieutenans, & à chacun d'eulx, si comme à lui appartiendra, que nos presentes assercion, declaracion, revocacion & ordonnances facent publier, afin que de ce aucuns n'en puissent pretendre ignorance en leurs auditoires, & en tous les autres lieux accoustumez, à faire cris es mettes de leurs jurisdicions à son de trompe ou autrement solemnellement, comme ils ont accoustumé de faire cris & publicacions notables. Lesquelles choses nous voulons aussi estre preschées & remonstrées par les prelats & clercs qui ont accoustumé prescher au peuple, qui es choses cy-devant exprimées a esté deceu, suborné, & mal informé le temps passé par les manieres & cautelles dessusdites. En tesmoing de ce, &c. Donné, &c.

LITTTERÆ LUDOVICI regis Jerusalem & Siciliæ.

Vetat ne cuiquam electo archiepiscopo, episcopo, &c. castra, oppida, munitiones tradantur in suis comitatibus absque consensu suo.

LUDOVICUS secundus Dei gratia rex Jerusalem & Siciliæ, ducatus Apuliæ, dux Andegaviæ, comitatuum Provinciæ & Forcalquerii, Cenomaniæ, Pedemontis, ac Rouciaci comes, universis & singulis officiariis nostrisque fidelibus & subjectis, per vicarias & bajulias civitatum Arelatensis, Grassæ, Tholoni, Castellariæ, Guillelmi, ceterosque per ipsos comitatus nostros Provinciæ & Forcalquerii, ubilibet constitutis, ad quos spectat, & præsentes pervenerint, præsentibus & futuris, cuilibet, & loca tenentibus eorumdem, fidelibus nostris gratiam & bonam voluntatem. Anno 1408 Ex ms. Colbertino.

Quæ ad pacem sunt libenter exquirimus, illaque per solertes tramites efficacibus studiis procuramus, ut optata dies inde proveniat, sublatisque dissidiis, pax prostrata resurgat. Attendentes itaque quantum collapsi temporis furente rabie procellosa patria nostra dictorum comitatuum calamitatibus & guerrarum strepitibus fuerit lacessita, quot & quanta scandala fuerint tractata & subsequuta sub specie boni, contractis modis quæsitis per ignotos, qui sub velamine amicitiæ vulpina pelle induti, oppida nostro decreta dominio seducebant, fideles nostros captivabant, & irreparabilia damna inferebant dictæ patriæ. Volentes igitur futuris dispendiis provisionis remedio occurrere, ne quod Christi gratia sanatum est, in residuum transeat, & amabilitate finitum nova querela odibili propagatione producat. Hac nostra provida & digesta constitutione sanximus, ut nullus archiepiscopus, episcopus, abbas, vel præpositus, aut alia quævis ecclesiastica persona, cujuscumque dignitatis vel præeminentiæ fuerit & existat, quæ ad vacantes archiepiscopatus, episcopatus, abbatias, & alia beneficia fuerit promota, pro quibus orthodoxa ecclesia summi Dei habet & possidet, & ad eam quomodolibet spectare noscitur ratione temporalitatis, aut alia quæcumque causa, aliqua castra seu fortalitia vel oppida; in ipsis castris, oppidis, vel fortalitiis recipiatur per se, vel alium earum nominibus, nostra conscientia inconsulta. Cum scire disponamus ante adeptionem dictorum castrorum & fortalitiorum qualitates & conditiones personarum ipsarum ecclesiasticarum, & distinguere tempora & conditiones promotorum, ut inde potius prospera, quam adversa succedant, & dolosis astutiis demus repulsam, & calumniantium decludamus voluntates. Quocirca volumus & fidelitati vestræ & vestrum cuilibet auctoritate præsentium districte præcipimus & mandamus, quatenus statim, omni mora sublata, officiorum vestrorum temporibus præcipiatis, & præcipi mandetis, & faciatis quibuscumque capitulis, & personis ecclesiasticis, & aliis universis tenentibus fortalitia, castra, vel oppida; ad vacantes sedes archiepiscopatus Arelatensis, episcopatus Tholonensis, episcopatus Grassensis, episcopatus Glandatensis, & alias quaslibet prælaturas, dignitates, abbatias, præpositurας vacantes & præsentialiter & in futurum vacaturas infra comitatus nostros prædictos, & terras adjacentes eisdem, sub pœna... marcarum argenti fini totiusque temporalitatis subjectæ dominio nostro, necnon fidelitatis ad quam nobis sunt obnoxii, præter indignationem nostram, quam se noverint illico incursuros, ut fortalitia ipsa, castra & oppida nulli electo vel eligendo, etiamsi ecclesiasticæ concessionis vel confirmationis obtineat a domino nostro summo pontifice aut ab alio quocumque potestatem habente tradat, vel assignet, aut tradere vel assignare faciat vel præsumat, modo aliquo publice vel occulte, per quempiam, nisi ... & in quantum de nostra processerit voluntate, & litteras speciales meruerit præterea obtinere: facturi fieri de præcepto hujusmodi duo publica consimilia instrumenta, quorum uno penes curiam in qua vestrum tribunal obtinetis retento, aliud nostræ non differatis transmittere majestati. Sic mandati nostri seriem impleturi, quod non detur ex neglectu vestro defectui . . . . . . nostri ultionem, quam cœlesti arbitrio sumsimus, præter indignationem nostram cupitis evitare, præsentibus exequutis, & in cartulariis majorum litterarum curiarum vestrarum registratis, de una ad aliam transmitti volumus originaliter præsentandas. Datum in villa nostra Tharenti per egregium & nobilem virum Franciscum Francisci dominum Granisiensem, magnæ nostræ curiæ magistrum rationalem, consiliorum, & fidelem nostrum dilectum, mandato nostro locum tenentem nostri majoris judicis comitatuum prædictorum, anno Domini MCCCCII. die XV. mensis Septembris XI. indictione, regnorum vero nostrorum anno decimo nono.

Per regem ore proprio.

PETRUS LAYDEN.

LITTERÆ EPISCOPI Morinensis.

Ne ex eo quod baptizarit in ecclesia sancti Vedasti in pontificalibus filium comitis Regitestensis præjudicium generetur.

Anno 1401. Ex cartario Vedastino.

UNiversis præsentes litteras inspecturis JOHANNES miseratione divina episcopus Morinensis in Domino salutem.

Cum nuper ad requestam dominæ ducissæ Burgundiæ, Flandriæ & Artesii comitissæ, accesserimus in monasterium sancti Vedasti Atrebatensis, ad Romanam ecclesiam immediate subjectum, & in eodem monasterio in pontificalibus baptizaverimus filium illustrissimi principis domini comitis Regitestensis, notum facimus, quod per hoc non intendimus nec volumus juribus, libertatibus, privilegiis, exemtionibus, & franchisiis dicti monasterii seu religiosorum ipsius de præsenti aut in futurum aliquod præjudicium generari, neque in aliquod derogari. Sed eadem libertate, juribus, privilegiis, exemtionibus & franchisiis suis nunc & in futurum, gaudeant, sicuti faciebant, antequam ibidem advenissemus ad prædictum baptismum faciendum. In cujus rei testimonium sigillum nostrum præ-

sentibus litteris duximus apponendum. Datum Morini die XI. mensis Februarii anno Domini MCCCCII. Sic signatæ De Lento.

EPISTOLA PHILIPPI MARIÆ Angeli ducis Mediolanensis ad Thomam de Campo Fregoso ducem Januensem.

Causatur de Januensibus quod pacem infringerent, eisque apertum bellum indicit.

Anno 1404 Ex schedis Mabillonii.

PHILIPPUS MARIA ANGELUS dux Mediolanensis & Papiæ, Angleriæque comes, &c. magnifico viro THOMÆ DE CAMPO-FREGOSO asserto Januensi duci.

Sæpe & multum, vir magnifice, animo tacente, cogitantes pacis & belli conditiones, variosque affectus, qui utrimque proveniunt, ad id potissimum mentem nostram convertimus, ut post recuperationem jurium nobis spectantium, omissis belli studiis, pacem quæ nihil insidiarum in se contineret habere possemus, & ex hoc tempore belli, quod ex justissimis causis vobiscum jam pridem gessimus, cum jam prope in manibus victoriam haberemus, ad pacem vobiscum primum perveniremus, magis dispositioni mentis nostræ conformem, quam decoram, sperantes quod cum tale ac tantum ex benignitate nostra ad vos pervenisset pacis beneficium, nobiscum pacem fœdusque concordiæ perpetuo servaretis. Verum plurima per vos & tentata & facta sunt contra nos, & oppressionem status nostri, ac contra cives (a) exititios civitatis Januæ, eorumque amicos & sequaces, de quibus actum est in pace prædicta. Et ut ab hac parte ultima exordium capiamus, dicti exititii, qui fere nihil ex contentis & conventionibus pacis obtinere potuerunt, sæpe numero nobis conquesti sunt, quod ultra id quod promissa eis ex pacis conventionibus adimpleta non fuerunt, plurima contra ipsos & amicos suos per vos perpetrata sunt iniquitate plenissima, & humanitatem omnem excedentia. Quid enim, ut eorum querimonias prosequamur, iniquius inhumaniusve dici potest, quam quod plerique boni cives, qui beneficio pacis gaudere cupientes, urbem Januam regressi fuerant, urbem ipsam relinquere per vos compulsi sunt, contra pacis conditiones? Quid quod multi alii sibi consimiles in eadem urbe pacifice degentes, patria, domibus, possessionibusque, vestris inductione, opera, favore & mandato, tam in civitate quam in riperiis sunt privati? Quid quod alii nulla justa causa præcedente torti, alii membris mutilati, alii exules facti sunt? Loca quam plurima comparans communis Janua indebite vestri mandato descripta & occupata, ipsorumque per vos proventus sunt retenti, civium quam plurium & districtualium bona prædæ exposita, & nonnullorum civium fidejussoribus extorsiones multæ factæ, nonnulla castra adhærentium & sequacium nostrorum occupata, & quædam sunt dirupta? Quid etiam gravius & inhumanius dici potest, quam quod post plurimos de mandato vestro cives indebitæ neci datos, ut ex dictis querelas habuimus, XIII. simul habitantes in loco Spediæ & in Levato Bartholomæum de Face, Antonium Guidotum de Nigrono, & Angelum Bertolani subditum nostrum in Campiano, Nicolaum de Plano (b) speciarium civitatis Januæ, quia amici exiterunt civitatis Januæ & putabantur, sagittari, trucidari & alio quovis ultimo supplicio tradi fecistis, & quod horrendum est, quid gravius & iniquius dici potest, quam quod nobiles & graves cives Januensium, Ottobonum, Cyprianum, & Franciscum de Spinolis, Dominicum de Mari, & Nicolaum de Parucio, cum quampluribus aliis, de quibus longus esset sermo, si exprimerentur singuli, nobis ab exititiis nominati, veneno & insidiis, si fuisset possibile, usque ad vitæ ultimum persequi fecistis omni cura sollicitudineque possibili? Si prosequeremur querelas nobis factas super his quæ contra pacis conventiones commissa sunt, & tam clara quod probatione non indigent. Certe nobis tempus deficeret gravioribus occupatis, sed ut subjungamus aliqua, quæ a dictis exititiis nobis exposita, silentio prætereunda non sunt, nonne die ipso celebratæ pacis, dolo potius, quam justa alia causa præcedente, dirui fecistis fortalitia nobilium de Linguilia sequacium nostrorum, eosque bonis suis spoliari? nonne plerosque cives Saonenses proscribi fecistis & ultimo supplicio injuste damnari, & subsequenter diripi bona sua, inter quos Christophorus Ferrarius fuit nocte tamquam innocens in cruce neci traditus? Nonne apud Palodium Tassus de Palodio subditus noster fuit trucidatus per sicarios vestros, quos postmodum provisionibus fovistis, & penes vos caros habuistis? Nonne castrum Tayrani contra pacis fœdera. . . . . prædicta & plurima alia quæ nobis exposita difficillimum esset enarrare per vos commissa sunt? Cum in altissimi Dei ministros, ut per eos ipsos exititios nobis firmiter assertum est, non erubuerunt insurgere manus vestræ, quæ presbyterum quemdam de Clavaro, quia de amicitia exititiorum suspectus haberetur, fecerunt inhumaniter trucidari? O quam grave scelus & usque ad vindictam condignam a Christi fidelibus prosequendum! His igitur tot & tantis per vos

(a) Exititios cives eos esse existimamus, qui extra civitatem apud alienigenas urbes mercaturam exercent.

(b) Speciarius dicitur, qui genus omne species vendit, gallice l'Epicier.

cuncta

contra pacis fœdera perpetratis, exitiii A prædicti a nobis cum instantia postularunt, ut pro debito nostro, quorum fautores fuerunt in bello, quod, ut prædiximus, ex justissimis causis contra vos gessimus, eorum indemnitati, jurium conservationi, & saluti providere velimus. Nos enim licet quantum possibile sit, ex sententia bella vitemus, justæ tamen & honestæ eorum requisitioni ex debito nostro contradicere nescientes, nec excusationem ullam quærere, quominus prædictæ eorum requisitioni annuamus, cum ingratissimi dici & haberi mereremur, si deditissimos nobis viros destitueremus in hac eorum causa justa & honesta; multum deliberavimus quemad- B modum justa requisita per eos possemus salubriter providere, & potissimum aliter quam per viam belligerandi, quam naturaliter abhorremus, sed cum in animo nobis multa, quæ post pacem inter nos contractam per vos ad oppressionem nostram & demolitionem status nostri umquam tentata & perpetrata sunt, & perperam tractata sunt, tam cum illustri marchione Estensi, quam cum magnificis dominis de Malatestis, aliisque dominis mundique principibus, cum quibus ligam contrahere contra me omni C studio & diligentia quæsivistis, cum oblatione exponendi pro parte vestra magnam summam pecuniæ, si omnes simul in ligam vobiscum convenire conatibus vestris assensum præbere, & hostiliter contra nos insurgere voluissent. Sunt aures, animi, & sensus nostri undecumque commoti, considerantes quantum periculi nobis fuit, ut ab inde occulta nobis instarent hostilia, unde pacis commoda sperabamus. Nec tamen statim licet a vobis gravissima injuria lacessiti, ad arma pervenimus, sed cum satisfactione commissorum pro nobis & civibus exitiis eorumque sequacibus pacem securam, & quæ ab D insidiis & violentia tuta esset, vobiscum firmare tentavimus per interpositionem & medium prædicti illustris marchionis Estensis, qui ad hoc studiose institit, & cum sui gravamine præbere operam non negavit. Verum mens vestra semper inquieta pacem abhorrens, non placabili & quieto, sed superbo dato responso, oblatas renuit pacis conditiones, non curans paci intendere, neque injuriæ nostræ nec civibus violatis satisfactionem, neque eorum jura servare, ex quo E si debito nostro satisfacere velimus, violenter inducimur, quocumque modo possimus, ut tutelæ & securitati status nostri, & amicorum & sequacium nostrorum oppressioni, jurium conservationi & saluti, prout necessitas & res exigit, consulamus, & maxime ut Januensis civitas, quæ gravi oppressa tyrannide, voce jam vacua, quod liberetur clamare non desinit, a servitutis jugo ad pristinam a majoribus traditam libertatem inducatur. His itaque longa consultatione revolutis, cogimur vobiscum ad arma consurgere, & ut ad ea vos compellat vis armorum, quæ cum omni jure vobis debita sint, quiete & pacifice facere denegatis. A die igitur secunda mensis Junii proxime futuri inclusive, incipiendo ab ortu solis inantea bellum vobis & vestris vosque sequentibus indicimus, & aperte in ante diffidamus. Tutius siquidem nobis est palam bellum gerere, quam sub dubia & simulata pace consistere, & continue involuto pacis nomine bellum formidare. Indubium ergo bellum parate, quoniam & certam pacem habere noluistis. Datum Mediolani MCCCCIII. die III. Maii. PHILIPPUS MARIA ANGELUS dux Mediolanensis, & Papiæ Angleriæque comes, &c.

THOMÆ DE CAMPO-FREGOSO ad ducem Mediolanensem responsio.

Purgat se ab objectis, testesque adhibet veritatis pontificem maximum & Romanorum regem.

ILlustri principi domino PHILIPPO MARIÆ ANGELO duci Mediolanensi. Utinam, princeps illustris, nobis in tantum fortuna favisset, ut apud excellentiam vestram haberemus aliter scribendo differere. Non enim necesse esset nobis pro debito & honore nostro, justitiam nostræ causæ deffendere, nec pro eo in oppressionibus nostris competentem judicem appellare. Quid enim ipsa fortuna tantum impietatis habet, ut manus nostras armis invitas..., non ut inferamus bellum, sed ut id a nostris parietibus repellamus. Studuimus quidem omni sæculo nostro cum omnibus principibus Christianis pacifice vivere, studuimus benevolentiam vestram nostris meritis adquirere, sed nescimus quis casus eveniat, ut semper & confundantur... & studia nostra ut mutuis inimicitiis vobiscum non culpa nostri & armis hostilibus contendamus. Scripsit nobis excellentia vestra litteras diffidentiæ per latorem præsentium, quarum intellecto tenore, non mirari & dolere non possumus, quæ causæ in litteris ipsis adjectæ vestrum sublime prudensque caput tanta acerbitate concusserint, ut a vobis sit nobis bellum litteris ipsis indictum. Non enim ipsæ causæ justas iras apud pios justosque arbitros, nec armorum strepitu exigunt, quas tamen gaudemus in lucem venisse, ut mundus omnis intelligat, quo crimine nostro meruimus tanta mole belli diffidere vobiscum. Dicitis enim, ut verbis utamur vestris: sæpe & multum animo cogitantes pacis & belli conditiones vanosque effectus, &c. *ut supra.* pro quibus bellum nobis iisdem vestris litteris indixistis. Riget ultra

Anno 1403. *Ex schedis Mabillonii*

stupores nostros, non defectu nostro, sed honore vestro hæc legisse, & vos tale thema vestris lamentis assumere. Riget nos in conspectum ullius hominis intelligentis tales lamentationes adduci. Sic enim Dei gratia apud omnes homines viximus, ut recte fateri possint nos secutos esse semper quieta consilia. Quos bello lacessimus? cui bellum intulimus? quos digne irritavimus ad injurias nostras? Sumus siquidem recenti memoria recordati, ut evitaremus nostra jam excogitata pericula cum magnitudine vestra atque bonæ memoriæ domino THEODORO marchione Montis-Ferrati diebus primis nostri dominii, dum nondum nobis tanta potestas assurgeret, iniisse ligam, non ut nobis discrimen aliquod immineret, sed ut & vinculo ligæ ipsius vestrum benevolentias lucraremur: quo fœdere non obstante, ut pace loquamur vestra, non justissimis causis, ut scribitis, sed forte desiderio aliquo, quod tranquillis quoque pectoribus ut plurimum patientiam aufert, vel nostrorum rebellium suggestione maligna, in nos immeditatos, sine ullo diffidantiæ genere irruistis armati, cujus belli finem quoties quæsiverimus, testes adsint SS. dominus noster papa, serenissimus dominus Romanorum rex, aliique Italici domini, quorum operam ad assequendam vobiscum pacem perennem, magno studio imploravimus; ad [a] quam quia MCCCCXVIII. (a) die x. Maii celebrata est inter utrosque, si sincere vel studiose devenimus, possunt nostra subsidia vestris exercitibus adjuncta parere testimonium veritatis. Quas vero vobis insidias tenere potuimus & vestro statui inferre jacturam? sed ut ipsas excluderemus insidias, conservatores pacis habere voluimus & medium in eorum discordia in omni contrafractione pacis, ipsum SS. dominum nostrum papam, sicut in instrumento pacis continetur: cujus pacis articulum ne ex conscientia labatur vestra, his nostris litteris includi mandavimus: ad quem si vestra sublimitas divertisset oculum, porrexisset id genus lamentationum coram ipso domino nostro, antequam ad ipsam diffidantiam devenisset: qui tamquam verus arbiter, pace tamen firma manente inter partes, æquitatis sententiam protulisset. Non enim, ut scribitis, contra statum vestrum plura tentavimus, non ad distractiones vestras ligam cum aliquibus dominis inire curavimus, pacemque ipsam aliqualiter violavimus; contenti tamen ipsi domini papæ stare judicio, vel si vestra excellentia renuerit, judicio supremi nostri domini Romanorum regis vel alterius dominationis Italiæ partibus non suspectæ, coram quibus ipsum marchionem Estensem & dominos de Malatestis in testes producimus conscios veritatis. Versus autem exititios vestros ante pacem ipsam & post sic habiti sumus, ut pro nimia indulgentia nostra timeamus deos irasci nobiscum. Studuimus semper expasso gremio nostræ conciliationis illos non misericorditer, sed caritative complecti; at pervicacia illorum capita semper renuerunt munus nostræ libertatis & gratiæ, & adeo in perniciem suæ libertatis conspiraverunt, ut simus certissimi non a vobis, sed per vos suggestionibus illorum perditissimorum hominum hoc nobis bellum inferri. Sed quid habet ipsa vestra sublimitas de civibus ipsis aliisque nostris subditis ingeri, si ad bona sua restitutos, & suis dementiis data venia juxta formam pacis, pro novo crimine plectimus? si relegamus? si abjicimus? quid si Toyranum, ut lamentamini ab omni * sæculo nostri communis funditus dimovimus? non pacis tenor aut aliud nos coërcet vinculum, quin possimus criminosos cives & subditos nostros punire, & omne nostrum confundere oppidum, maxime si fuerit nostris molestis opportunum. Bellum autem per vos ultro nobis illatum, quod aliter quam ferro agi non potest, quamvis inferant litteræ vestræ, nos cancellario illustris marchionis Estensis superbo dato responso oblatas novæ pacis conditiones renuisse, non libenter sed viriliter sustinebimus: cujus novæ pacis oblationes, ut omnis mundus intelligat, præsentibus litteris conscribemus. Curavit enim cancellarius ex tribus ipsis conditionibus nobis unam exigere, primam quidem ut dominium hujus civitatis vobis libere traderemus; secundam, ut civitatem Saonæ cum turri Luculi, quæ civitatis Januæ mænia tuetur, & prospectas in parte majori vel Portam Ven. cum castelleto Januæ vestræ custodiæ linqueremus: non aliud dicere voluit, princeps illustris, cancellarius ipse, quam ut ista novæ pacis conditione, si pax appellanda sit, consequeremini, quod diu ferro tentastis. Nos autem honestas judicio omnium hominum pacis conditiones numquam deseremus, sed omni studio complectemur, quas, ut credimus, vestra excellentia obtulisset, si, ut scribitis, recuperatis juribus vobis spectantibus, omissis belli studiis, mens vestra pacata quiesceret, nec ullis gentibus, ut fecit hactenus, bella ipsa diligenti ac perseveranti cura moveret. Appellamus igitur sanctissimum dominum nostrum, & protestamur contra pacis fœdera nobis omne bellum ipsum violenter illatum, apud quem lamentationes nostras, & apud dictum Romanorum regem, aliosque principes Chri-

* f. seditio.

(a) Hic evidenter patet errorem innumero irrepsisse amanuensium incuria. Nam hæc epistola cum scripta sit anno MCCCCIII. ista anno MCCCCXVIII. contigisse non potuere existimamus autem hic aliquam numerorum transpositionem & legendum esse MCCCXCVIII.

stianos faceremus, nos esse contra pacis tenorem iniquissimum violatos. Et quia non licet juribus nobis disceptare vobiscum, instaurabimus bellum ipsum, & arma justissima capiemus, sperantes in Deo protectore nostro, & ipsa justitia nostræ causæ vim vi repellendo, posse non sine gloria nostra, libertatem communem nobis a nostris patribus assignatam tueri atque defendere. Anno MCCCCIII. die II. Junii. THOMAS de Campo-Fregoso Dei gratia Januensium dux, consilium & officium provisionis & balliæ.

INSTRUMENTUM VENDITIONIS comitatus Suessionensis factæ serenissimo principi Ludovico regis Francorum filio & duci Aurelianensi ab illustrissima domina Maria *de Bar*.

Anno 1404 *Ex mss. Colbertino.*

A Tous ceux qui ces presentes lettres verront GUILLAUME seigneur de Trignonville, conseiller du roy nostre sire, & garde de la prevosté de Paris, salut. Savoir faisons que par devant Vincent Chaon & Jehan Manessier notaires jurez du roy nostre sire en son chastelet de Paris, furent presens en leurs personnes, tres-hault & excellent prince, monseigneur LOYS fils du roy de France, duc d'Orleans, comte de Valois, de Blois, & de Beaumont, & seigneur de Coucy, pour luy & en son nom d'une part, & noble & puissante dame madame MARIE de Bar, vefve de feu noble & puissant seigneur monseigneur HENRI de Bar, fille & heritiere de feu noble & puissant seigneur monseigneur ENGUERRAND de Coucy, jadis seigneur de Coucy & comte de Soissons, pour elle & en son nom d'autre part. Et affirma pour verité ladite madame MARIE, que le lundi XV. jour du mois de Novembre l'an MCCCC. elle vendit à tousjours audit monseigneur le duc la proprieté de la terre & baronnie de Coucy, avoeques toutes les chastellenies, terres & appartenances d'icelle, par mi certain pris & par la forme & maniere contenue es lettres de vendition sur ce fait. Et entre les aultres choses ycelle madame MARIE promit garentir, delivrer & defendre à ses coux & despens envers & contre tous, toutesfois que mestier seroit, de tous troubles, debtes, lettres, obligations, ypoteques, & autres empeschemens quelconques audit monseigneur le duc icelle terre & baronie de Coucy, & les chastellenies, terres & appartenances d'icelle declairées esdites lettres de vendition, faite l'an & jour dessusdit. AFFERMA encore ycelle madame, que madame ISABEL de Lorraine vefve dudit feu monseigneur ENGUERRAND jadis sire de Coucy, ou nom & comme aiant le bail, gouvernement & administration de damoiselle ISABEL sa fille & sueur de ladite madame Marie, a meu procés contre ledit monseigneur le duc & ycelle madame Marie, pour cause de ladite terre & baronie de Coucy, ou icelle damoiselle pretent avoir la moitié, ou au moins la tierce partie, & que se l'arrest estoit sur ce prononcié contre ledit monseigneur le duc & elle, il faudroit qu'elle recompensast mondit seigneur le duc d'autant comme la moitié de la terre & baronie de Coucy & leursdites appartenances vault, ou qu'il seroit ajugée, & de tous despens, dommages & interest, esquels mondit seigneur le duc seroit encouru par default de ladite garantie. POUR CESTE cause ladite madame MARIE, afin qu'elle soit & demeure dechargiée a tousjours mais d'icelle garentie, & pour les aultres causes cy-aprés declairées, de son bon gré, bonne volonté, propre mouvement & certaine science, cessant toute fraude, & mal engin, sur ce bien deliberée, pourveuë & ajustée, si comme elle disoit, recognu & confessa pardevant lesdits notaires, comme en jugement, pardevant nous avoir baillé, cedé, & transporté, quitté & delaissié; & par ces presentes baille, cede, quitte & delaisse des or en droit a tousjours perpetuellement & heritablement sans aucun rappel, & promit & encore promest garentir, delivrer, & defendre a ses coux & despens, envers & contre tous, en jugement & hors, de tous troubles & empeschemens touchant son fait & obligation tant seulement audit monseigneur le duc d'Orleans pour luy, ses hoirs, successeurs, & ayant cause, ou temps advenir tout le droit, raison, & action quelconques, que ycelle madame Marie ha, & puet avoir, & qui lui puet & pouoit competer & appartenir, & qui ou temps advenir escheoir lui pouoit pour la succession d'aucune de ses sœurs ou autrement, par quelque moyen & maniere que ce soit, & puist estre en la ville, chastel, & comté de Soissons & ses appartenances; en la ville, chastel & chastellenie, terre & appartenance de Ham en Vermandois; en la ville, chastel & chastellenie, terres & appartenances de Montcornet; en la ville, terre, & seigneurie de Ongny en Terasche, ou vinage de Laon, droit & appartenance d'iceluy, & en dix-huit cens livres de rente, que ledit feu monseigneur de Coucy son pere, avoit par chacun an à certain terme ou termes sur le tresor du roy nostre sire à Paris. Et ledit monseigneur le duc pour & parmi ce que dit est pour luy, ses hoirs & ayant cause, quitte, tient, & tendra à tousjours ladite madame Marie, ses hoirs, successeurs & ayant cause quitte & deschargiée de tout de la garantie, en quoy elle pouoit estre tenuë envers luy à

cause de ladite vendition de ladite terre & baronie de Coucy & leurs appartenances : lesdites lettres d'icelle vendition demourant en aultres choses en leur force & vertu. ITEM, ledit monseigneur le duc a payé, baillé, & delivré à ladite madame Marie, & icelle madame MARIE confessa avoir eu & receu contant dudit monseigneur le duc la somme de xxx. mille escus d'or à la couronne, du coing du roy nostre sire de XVIII. sols par la piece, de laquelle somme de xxx. mille escus d'or se tint & tient pour bien payée & contente, & agrée en la presence desdits notaires : & en quitta & quitte bonnement & absolument à tousjours ledit monseigneur le duc, & tous aultres à qui quittance en peut & doit appartenir. ITEM, avec ce ledit monseigneur le duc a accordé qu'il ne demandera, ne pourra demander aucune chose par luy, ne par les ayant cause de luy à ladite madame Marie, ne aux ayans cause d'elle à cause de cc. escus de rente annuelle pieça vendus par ledit feu monseigneur de Coucy à monsieur de la Fere, duquel seigneur de la Fere mondit seigneur le duc a la cause, & baillera mondit seigneur le duc de luy & fera bailler ledit sire de Fere à ladite madame Marie quittance bonne & souffisante de ladite rente & arrerage, & des dommages, despens, interests & peines, faits & à faire pour occasion de ladite rente, entant qu'elle y pourroit estre tenuë. ITEM, mondit seigneur le prendra & prend la charge pour ladite madame Marie de ce en quoy elle puet estre tenuë aus hoirs ou ayans cause de feu monseigneur JEHAN de Craon, & madame sa femme, par ledit feu monseigneur de Coucy, jadis pere de ladite madame Marie, & de ce luy fera bailler bonne & souffisante quittance, tant de ladite rente, que des arrerages, despens, dommages, interest, & peines, qui pour occasion de ce sont & peuent estre deus. ET PAREILLEMENT mondit seigneur le duc acquittera & fera tenir quitte ladite dame, ses hoirs, successeurs, & ayant cause de ce que les religieux Celestins de la Ville-neuve lez Soissons ou autres pour eux lui pourroient demander à cause de la fondation ordonnée estre faite pour ledit feu monseigneur de Coucy en l'eglise desdits religieux, & de ce ledit monseigneur le duc lui fera bailler quittance souffisante par lesdits Celestins. ITEM, pour ce que à cause des terres dessusdites & par ces presentes transportées, comme dit est, procest & debat est meu en la cour de parlement entre ladite ISABEL de Lorraine ou nom que dessus d'une part, & ladite Marie d'autre part, accordé est que ledit monseigneur le duc entrera & sera subrogé ou procés ou debat, pour & ou nom de ladite madame

A Marie, pour laquelle il prendra & prend par ces presentes la charge desdits procés, & demerra a ses despens, & en tendra & sera tenu quitte ladite dame, tant du procés que des despens, & generalement de toutes choses lesdits desbats & procés. Et quant au procés touchant la baronie de Coucy, ou mondit seigneur est en procés comme proprietaire, & ladite madame Marie comme viagiere, mondit seigneur le duc fera les frais qui seront à faire, & fera tout conduire par ses gens & conseil à ses despens & frais. ET AVEC ce ledit monseigneur le duc acquittera ladite madame Marie, ses hoirs ou ayant cause des quins deniers & autres droits, qui pourront estre deus pour cause des transports dessusdits, & aus seigneurs de qui lesdites terres ainsi transportées, comme dit est, sont tenuës & mouvans. ITEM, ladite madame Marie par le moyen de ce present traité passera a mondit seigneur le duc lettres de quittance de quatre-vingt seize mille francs esquiels elle disoit mondit seigneur estre tenu à elle à cause de la reste de deux cens mille frans pour ladite vendition de ladite terre & baronie de Coucy, dont elle pouoit faire sa pleine volenté, & de la foy, hommage, ou souffrance, possession, & saisine, en quoy icelle madame Marie peut & pourroit estre tenuë à cause & pour raison des seignories, casteaulx, chastellenies, terres, justices & choses dessus declairées, & par elle transportées, comme dit est, icelle madame Marie se devesti & demist & desaisi es mains desdits notaires jurez, comme en la nostre souveraine pour le roy nostre sire ou nom & au profit dudit monseigneur le duc : voulant & consentant icelle dame que iceluy seigneur par monstrant ces presentes en soit mis & receus en foy & hommage, saisine & possession, par tout & ainsi qu'il appartendra. ET D'ABONDANT, pour en faire la demission & dessaisine pardevers les seigneurs de qui les choses dessus transportées sont tenuës & mouvant, ou autres à qui ce puet ou pourra appartenir, & pour requerir & consentir que ledit monseigneur le duc, ou ses commis, ou officiers, pour luy en soit mis & receu en foy & homage, saisine, & possession, icelle madame Marie fist constitua & establi pour elle & en son nom ses procureurs sans rappel, honorables hommes & sages maistres Nicole Leduc, Jehan Day, Hugues de Guinguant, Loys Depoy, Guillaume Serain & le porteur de ces lettres : auxquels & à chacun d'eux par soy elle donna & octroya plain pouvoir, auctorité, & mandement especial de ce faire, & toutes autres à ce necessaires, que elle même y pourroit faire, se presente y estoit, combien que requist mandement plus especial. Et promistrent ledit

monseigneur le duc d'une part, & ladite madame Marie d'autre part, chacun en droit soy, & pour tant que celuy touche, & pourra toucher & appartenir, par leur serment en foy, pour ce donnée corporellement es mains desdits notaires jurez, comme en la nostre, avoir agreable, tenir, enteriner, & accomplir loyalment a tousjours l'une partie à l'autre & l'une envers l'autre, tous les transports, promesses, convenances & choses dessusdites & chacune d'icelles. Et non jamais aler, dire, ou venir contre par eulx, ne par aucun d'eulx, ou par autres couvertement ou espart, par voye de fait ou de droit, pour raison de decevance, d'erreur, d'ignorance, ne aultrement, par quelque maniere ne pour quelconque cause ou raison que ce soit, ou puist estre, & à payer, rendre & restituer l'une partie à l'autre tous coux, mises, despens, dommages & interests, qui fais & soustenus seroient de l'une d'icelle partie par le defaut de l'autre, pour raison des choses dessusdites ou aucunes d'icelles non accomplies & autrement en ce pourchassant. Obligans & soubmettans quant ad ce icelles parties, chacune en droit soy & l'une envers l'autre, tous leurs biens & les biens de leurs hoirs & successeurs, meubles & immeubles, presens & advenir, quels ou qu'ils soient, à prendre, rendre & exploiter par nous ou nos successeurs prevosts de Paris, & par tous autres justiciers sous qui jurisdiction ils seront trouvez pour le contenu de ces lettres accomplir. Et renoncerent en ce fait expressement icelle partie, chacune en droit soy par leurs sermens & foy dessusdits à toutes exceptions de deception, de mal, de fraude, d'erreur, lesion, & circonvention, à toute opinion, coustumes, franchises, privileges; à tout droit escript & non escript, canon & civil, à action en fait, a condition sans cause, ou de non juste & indue cause, a circonvention de lieu & de juge; a toutes graces, respis, dispensations, lettres d'estat, & impetrations quelconques, & generalement à tout ce que aider & valoir pourroit à l'une desdites parties, & à l'autre nuire & préjudicier, à dire ou venir contre ces lettres, ou aucunes des choses contenuës en icelles, mesmement au droit disant generale renonciation non valoir. Et par especial ladite madame Marie au benefice du Senat, consul Velleyan, & à l'epitre Dividrian, & à tous autres droicts & privileges faits & introduits en la faveur des femmes. En tesmoing de ce nous a la relation desdits notaires avons mis le seel de ladite prevosté de Paris à ces presentes lettres, qui furent passées & accordées, quadruplées, c'est à savoir deux lettres pour chacune partie, le vendredi XXIII. jour de May l'an de grace mil quatre cens & quatre. Ainsi signé : *J. Manessier. V. Chaon.*

EPISTOLA VEXILLIFERI & populi communis Florentiæ ad Romanorum imperatorem.

Congratulantur ei, multa sperantes de ipsius in regem Romanorum electione, Florentinosque ei commendant.

Anno 1411. *Ex schedis Mabillonii.*

VExillifer & populus communis Florentiæ ad Romanorum imperatorem, serenissime ac gloriosissime princeps, post humilem recommendationem.

Gloria & magnitudo & omnis prosperitas sit in perpetuum tibi, gloriosissime rex. Hæc enim omnia nos devoti filii tui precamur & optamus per divinam gratiam tibi cœlitus exhiberi, nec optamus modo, verum etiam speramus & credimus fore propter virtutum tuarum præstantissimam excellentiam. Credendum est enim justum & pium regem Deo maxime placere: qui autem Deo placet gubernator & rector, ei cuncta successura fore est procul dubio sperandum, juxta illud quod scriptum legitur: *Omnia quæcumque facies prosperabuntur.* Deinde ex adverso subjicit: *Non sic impii, non sic, sed tamquam pulvis quem projicit ventus a facie terræ.* Profecto nos, gloriosissime princeps, inæstimabili gaudio & incredibili lætitia profusi fuimus ex ista felici promotione tua, nec id quidem immerito. Speramus enim temporibus nostris videre magnam sæculi tranquillitatem, & pacem videre optimam, ac felicem populorum tuo regimini commissorum gubernationem, per quam homines pro benefactis quidem præmia, pro malefactis autem digna supplicia consequentur. Sed quid nos de nobis ac lætitia nostra dicimus, cum universas civitates & populos in hac lætitia & gaudio exultare videamus? nihil est enim virtute præclarius, nihil laudabilius, nihil quod magis alliciat ad amorem sui, nihil quod tantam afferat spem tranquillitatis atque justitiæ, virtutibus multipliciter ornatus ac præditus cum sis, expectant homines, quasi de cælo missum ad eorum gubernationem; sic venerantur & amant, quasi unicam spem salutis, incolumitatis ac felicitatis suæ. Cernunt eum quo tam sese attollat infidelium audacia, quantas dudum clades adversus Christianos eorum detestabilis nequitia intulerit, quotidie inferre. Cernunt etiam Christianorum ipsorum varias inextricabilesque discordias, & quæ contra communes fidei hostes vertere debebant, in seipsos atque in corpus suum arma vertisse, ac ruinam inter se meditari, quibus cura deberetur esse salutis. Denique pro caritate, odia; pro consentione mutua, impugnationem &

bella, quod summe dolendum est, inter se Christiani populi meditantur. His igitur Christianorum populorum morbis ac languoribus, tua sapientia & auctoritas medicinam salutarem & necessariam adhibebit. Infidelium autem conatibus nefariis potentia fortitudoque tua obviabit, siquidem boni principis est suos tueri & hostes infringere, quod tibi præstet Altissimus victoriis ac triumphis adimplere. Ceterum, serenissime rex, civitatem nostram universam & populum suum devotissimum, quantum valemus & possumus cum humilitate debita sublimissimo culmini tuo recommendamus, offerentes eam beneplacitis regiis. Præterea cum in regno Hungariæ multi cives Florentini existant, partim clerici & prælati, partim sæculares & nobiles, vel mercaturis intendentes, eos omnes & singulos regiæ sublimitati recommittimus. Prælati quidem & nobiles, ut in suis dignitatibus conserventur; mercatores autem, ut gratiam & benignitatem regiam in suis negotiis reportent. Datum Florentiæ XI. calendas Maias, anno Domini (a) MCCCCVIII.

DECLARATIO RELIGIOSI PATRIS
Johannis Hagen Carthusiensis super indulgentiis bullæ Bonifacii papæ de festo Visitationis gloriosæ virginis Mariæ.

Ex ms. Corbeiæ novæ.

Sciendum quando festum Visitationis virginis MARIÆ fuit institutum, tunc schisma in ecclesia erat. Verum in historiis legitur quod URBANUS sextus qui fuit circa annum Domini MCCCLXXVII. cum consensu cardinalium suorum hoc festum instituit, ut beata Virgo dignaretur sedem apostolicam & sanctam ecclesiam custodire suis meritis & precibus, ne per discordiam aut alio modo schisma in ecclesia fieret. Et Urbanus papa hoc festum sanctissimum plene instituit, & venerabiliter sicut festum corporis Christi cum solemni octava & duplici officio teneri voluit, ac indulgentias simili modo sicut Urbanus quartus in festo corporis Christi dedit, sic & ipse Urbanus VI. cum consensu cardinalium festo Visitationis fecit, & dixit sibi revelatum a Deo, ut hoc festum institueretur. Et quia mortuus fuit URBANUS VI. antequam bullam super hoc festo daret, & schisma factum fuit in ecclesia, dicentibus quibusdam cardinalibus electionem ejus non libere factam; & ideo intrantibus aliquibus cardinalibus in Franciam, elegerunt in Aviona alium papam. Quando namque Urbanus VI. eligebatur, tunc Romani armati juxta cardinales fuerunt, & dixerunt quod eligerent aliquem de Italia, qui non recederet post electionem de liminibus apostolorum Petri & Pauli. Et dixerunt aliqui doctores, quod talis electio propter hoc non valet, & fuerunt multi excellentissimi doctores in ista opinione, & aliqui cardinales, immo major pars, quæ recesserant propter hoc occulte a Roma in Franciam, & ibidem elegerunt CLEMENTEM VII. usque ad concilium Constantiense, in quo unio facta fuit, & electus unicus papa scilicet MARTINUS V. anno Domini MCCCCXVII. alii autem doctores dixerunt quod ex quo non fuit coactio facta de certa persona eligenda, tunc propter hoc electio non fuit nulla. Et sic media pars doctorum tenebat unam partem, alia medietas aliam partem, & prævaluit opinio Urbani & sequacium ejus, & fuit declaratum in eodem concilio Constantiensi, ubi diffinitum fuit quod talis coactio de persona Italiæ eligenda non annullaret electionem. Ipse autem Urbanus VI. recedentibus cardinalibus, alios elegit cardinales. Et hoc festum solemniter instituit cum indulgentiis suis, scilicet centum dies ad primas vesperas dedit, similiter ad secundas, & totidem ad matutinas, & ad primam, tertiam, sextam, nonam & completorium, ad quamlibet horarum XL. dies indulgentiarum, & per totas octavas singulis diebus centum, his qui interessent divino officio diurno & nocturno in ecclesia in qua celebraretur. Et Bonifacius nonus, qui huic Urbano successit de hoc festo bullam dedit, quæ tantum in sua obedientia fuit recepta & est usque hodie. Ideo hodie in Francia & in aliis locis qui sub obedientia Bonifacii IX. non fuerunt, hoc festum communiter non celebratur, licet ratio & auctoritas hujus festi sit efficax. Et quoniam tantæ indulgentiæ huic festo sunt concessæ, scilicet omnibus vere pœnitentibus & divinis officiis scilicet vesperis, matutinis & ceteris horis ac missæ in ecclesia ubi hoc festum celebratur interessentibus; ideo devotissime est celebrandum, ut ipsa suis meritis & precibus, auxiliis & consiliis nos misericorditer visitare dignetur, nunc & in hora mortis nostræ. Amen. EXPLICIT DECLARATIO.

EPISTOLA JANUENSIUM
ad Philippum Burgundiæ ducem.

Ut Thomam de Grimaldis, qui vigente pace navem Venetorum interceperat, e sua ditione expellat.

Anno 1426 Ex schedis Mabillonii.

Illustrissimo & clarissimo principi domino PHILIPPO duci Burgundiæ, Artesii, Flan-

(a) Hic irrepsit mendum in numero. Nam cum hæc epistola directa fuerit Sigismundo, qui ex rege Hungariæ Ruperto Romanorum regi anno 1410. defuncto suffectus est mense Septembri ejusdem anni, non potuit scribi anno 1408. quo in vivis adhuc superstes erat Rupertus, sed anno 1411. aut si annum a Paschate, quod illo anno 22. Aprilis celebratur incipias, 1410. Nam hæc epistola data est 21. Aprilis.

driæque comiti, Antiani civitatis Januæ. A

Illustrissime & clarissime princeps & domine, quamvis sciamus a certo scelestos homines & publicæ tranquillitatis turbatores excellentiæ vestræ summo in odio esse, ne tamen apud eam veritas mendacii suggestione obrui possit, significamus illi Thomam de Grimaldis olim de Carolo civem quidem origine Januensem, moribus autem verius barbarum, vigente fraterna & intemerata pace inter nos & illustre dominium Venetorum, navem quamdam Andri Mauri Veneti, contra jus fasque, omni lege atque honestate contemta, hostiliter intercepisse, eaque omnia quæ in ea fuerunt inventa, turpissime sibi retinuisse. B Quod facinus detestabile, etsi sciamus cunctis principibus populisque in abominationem esse, ut quod sanctam generis humani amicitiam & mundi fœdera impugnat ac dirimit: nobis tamen odiosius est, ex hoc saltem, quod ejusmodi civis nostri scelus videtur nomen nostrum non levi infamia quodammodo onerare. Quamobrem cum ultio ipsa & hujus latronis persecutio maxime ad nos spectare videatur, ducali excellentiæ vestræ enixius supplicamus, ut si contingat ipsum Thomam cum præda tanto scelere parta in fines vestros applicare, C ea dignetur cum Dei justitiæ contemplatione, nostrorum interventu, eumdem latronem ex omni ditione sua exturbare & pellere, ut vagus & extorris, aut tandem errore suo agnito, male parta restituat; aut si in nefario proposito perseveret; cogatur ad extremos barbaros penetrare, ibique similem vitam suis moribus degere: quod quidem non dubitamus Deo in primis acceptissimum fore, & apud omnes principes ac populos fidei & bonorum D morum amatores id inter præcipuas laudes excellentiæ vestræ esse extollendum, gratissimum insuper nobis ac ipsis Venetis injustissime damnum passis, in cujus exaltationem & gloriam nos semper offerimus prona devotione paratos. Data Januæ die VI. Novembris MCCCCXXVI. ad quæcumque concernentia gloriam excellentiæ vestræ parati Antiani civitatis Januæ.

Idem scribunt nobilibus & egregiis patriciis mercatoribus Venetis Brugiis commorantibus, amicis carissimis I. Martii.

EPISTOLA EUGENII PAPÆ IV. ad episcopum Uticensem. E

Ut membrum aliquod integrum corporis S. Firmini Alfonso cardinali donet.

Anno 1431. Ex ms. Cl. V. Bar. de Crassier.

EUGENIUS episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Uticensi episcopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Singularis devotionis affectus, quem dilectus filius noster ALPHONSUS S. Eustachii diaconus cardinalis ad ecclesiam sancti Firmini in oppido Montispessulani Magalonensis diœcesis, quam obtinet in commendam, & ad ipsum Sanctum gerere dignoscitur, promeretur, ut ejus petitionibus annuamus. Cum itaque, sicut accepimus, in quodam loco præposituræ ecclesiæ Uticensis noviter esse dicatur repertum integrum corpus ejusdem (a) Sancti. Nos volentes ipsam parrochialem ecclesiam dicti Sancti sub nomine cujus fundata est, ut fidelium devotio ad eam per amplius augeatur, honorare, ipsius in hac parte cardinalis supplicationibus inclinati, fraternitati tuæ tenore præsentium committimus & mandamus, ut aliquod integrum membrum dicti corporis, de quo tuæ conscientiæ videbitur, devote prout talis Sancti merita postulant, cupiens illud ad dictam ecclesiam S. Firmini deferri, & collocari cum debito honore & reverentia facias, quod ibidem perpetuo esse debeat ad laudem Dei & ipsius Sancti memoriam venerandam, contradictores auctoritate nostra, &c. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis dominicæ MCCCCXXXI. III. calendas Junii, anno primo.

EPISTOLA SAPIENTUM reipublicæ populi Patavini ad patres conscriptos populi Vicentini.

De mutua inter utrosque populos conjunctione.

Anno 1431. Ex schedis Mabillonii.

POpulus Patavinus florenti populo Vincentino salutem.

Quanta, viri fortissimi, vestra sit fides atque constantia in colenda amicitia nostra, ex hoc facile dignoscimus, quod non dicimus convicium inferre, sed & injuriæ suspicionem magnopere declinatis. Et quamquam nonnulli hominum latratus utique abjectorum, non modica cum indignatione ad nostras aures pervenerint, eosque ut par erat, ægre molesteque tulerimus, hæc tamen omnia a mente optimorum civium semper credidimus aliena, hos impurissimos homines, qui semper alienæ gloriæ invident, amicitiaque nostra ingemiscunt, ut leves contemsimus, communesque hostes judicamus, atque cum miris benivolentiæ, vicinitatis, necessitudinis vinculis astringamur, sinistrum quid inter nos suspicari nefas admodum arbitramur detestandum. Nam usque adeo validissimis est innixa radicibus amicitia nostra, ut non dixerimus quodam levi flatu invidorum, sed nulla violentia dominii infringi debilitarive possit. Hanc magis corroborasse visi sunt egregii oratores vestri huc profecti, qui eo-

(a) Hic sanctus subscripsit concilio Aurelianensi IV. anno 541. Aurelianensi V. anno 549. & Parisiensi II. anno 551. obiit 5. idus Octobris, successorem sortitus S. Ferreolum.

rum sapientia, si qua suspicionis scintilla fuisset, quæ nulla certe fuit, eam penitus abstersisset. Majorem illis amplissimis atque optimis viris fidem adhibemus, quam si universa obtrectantium multitudo suis figmentis adversa pugnaret. Hos, ut par fuit, sincera fide ac intimo benevolentiæ fonte excepimus, ac æternæ inter nos amicitiæ Vincentiam redeuntes, osculatos amplexatosque dimisimus, Id cupimus vobis persuasum iri cum vetustate necessitudinis, tum splendore virtutum vestrarum, vos in amantissimos germanos habuisse, in posterumque habituros, atque ea sentire, de florentissima urbe vestra, quæ de conjunctissima atque amicissima consuevimus. Tametsi præcipue fides nostra, summaque integritas omnibus prope notissima sit: eam tamen in primis a felicissimo Venetiarum senatu, vobisque amicissimis viris comprobari magnopere gloriamur. Tum solidam expressamque gloriam consequi opinamur, cum factum nostrum ab his commendari sentimus, qui præclara experti, verum probitatis judicium attulerunt. Neque satis oppleri gaudio possumus, qui in hoc acerbissimo casu, non solum nostræ urbis totiusque Italiæ extinximus (a), verum nobis pariter ac multis diuturnum otium libertatemque peperimus. Et quamquam paucorum hominum conspiratio impurissimorum atque egentium nonnihil veterem gloriam urbis concusserit: totius tamen populi fides nituit, patuit observantia, quodque in nobis abditum & reconditum erat in lucem prorupit, & ita prorupit, ut nemo jam dubitet de nostra in imperium Venetum benevolentia. Sic nos affecit ipsius justitia, pellexit humanitas, devinxerunt beneficia, ut quoad hæc inania extabunt, pro conservando imperio Veneto, id est Italica libertate, nullum simus laborem aut periculum subterfugituri. Neque hoc clarissimum fidei, innocentiæ, integritatisque monumentum ulla umquam delebit oblivio, extabitque quasi unicum exemplum parti triumphi, quod linguæ optimorum divinis laudibus celebrabunt, imitationeque dignum censebunt. Vos hujus præclari facinoris non injuria participes dicimus, extollimus, prædicamus, fortitudinique vestræ gratulamur, qui reliquias tanti incendii confecistis. Quare, viri ornatissimi, non novos amicos, sed nos veteres recognoscite, semperque omni constantia, fide ac benevolentia amicitiam vestram prosequemur. Hortamur vos, ac mirum in modum rogamus, ut post hæc communium hostium proterve latrantium ora obturare, comprimere, posteaque afficere velitis, ne labe sua amicitiam diu partam coinquinent. Nos de cetero, si quid humanitatis, benevolentiæ, libertatis inde manaverit, a vestra profectum sapientia existimabimus. Si vero quid sinistrum, aures recludentes invidiæ, petulantiæ, pertinacitatique malivolorum ascribemus, duasque urbes finitimas mutuo amore ac vicissitudine beneficiorum, ut semper cupimus, unam facere, colere, amplectique studebimus. Ex Patavio decima Maii MCCCCXXXV.

EPISTOLA JANUENSIUM ad regem Angliæ.

Certum eum faciunt de mirabili in regem Aragonum victoria, qui spreta pace impetum in eos fecerat.

SAcræ regiæ majestati illustrissimi regis Angliæ consilium Antianorum & officium baliæ civitatis Januæ. Anno 1435. *Ex schedis Mabillonii.*

Illustrissime & clarissime princeps, solent plerumque in magnis rebus vulgari rumores, quibus ea caligo mentis effunditur, ut persæpe qui recte egerunt, iniqui; qui vero iniqui, recte ac sancte se habuisse credantur. Id ne nobis subveniat in re quam dicturi sumus, statuimus celsitudinem vestram his litteris certiorem facere eorum quæ nuper cum rege Aragonum gesta sunt, ut si quis forte male narraret, enitatur causam nostram deteriorem facere, cum scierit tantum principem tam late mari terraque dominantem, tot præclaris viris circumstipatum falli non posse, desinat impugnare veritatem.

Erat præclarissimo domino nostro ac nobis cum serenissimo rege Aragonum pax, & ea quidem non verbo, sed litteris mandata, a nobis sancte religiosissimeque servata, ab eo vero adeo contemtui habita, ut paxne foret an bellum ambiguum videretur. Nam hoc bonæ pacis tempore nostri nihilominus a classe regia capiebantur, trucidabantur, spoliabantur, idque adeo assidue, ut triremes ejus magna ex parte prædis nostris alebantur. Erat infinitus labor audire quotidianas quærelas, videre lacrymas miserorum, qui pulsati spoliatique opem implorabant. Missis litteris, missis legationibus, quæ ablata repeterent, numquam ne oboli quidem restitutio facta est. Vincebat omnem patientiam tot injuriarum cumulus, nobis tamen pacis amor mirum in modum insitus erat, eoque magis quod non ignorabamus, populos ejus summa vi paci studere. Interea serenissimus rex LUDOVICUS in ipso flore ætatis extinctus est, extincta paulo post regina Siciliæ, atque regno illo fluctuante, Cajeta civitas amicissima, & longa obsequiorum continuatione nobis junctissima, petiit ut sub illustrissimi domini nostri ac nostra protectione reciperetur. Transmissum est ad eam præsidium, quo ab insidiis tuta

[a] Loquuntur hic de proditione Marsilii de Carraria, qui a Vicentiis captus, Venetiis capite plexus est.

tuta foret. Qua re cognita, rex Aragonum non secus, quam si hostes ejus ea urbe recepti fuissent, omnes cives nostros, omnia navigia & bona Januensium, contemtis salvis conductibus, ubique regnorum suorum jussit impediri, & extortis ab eis pecuniis, oppugnationem Cajetariam terra marique aggressus est, comparatisque tormentis ac machinis, ceterisque quæ debellandis urbibus usui esse solent, adeo pertinaciter rem gessit, ut tribus continuis mensibus Caitanis obsessis, ne unius quidem diei requies data fuit, & movebant nos amicitia, jus, fides, pudor, lacrymæ, amicissimi populi, quod exitium illius populi proximum videbamus, ubi multos Januenses, multosque cives nostros perditum iri in palam erat. Itaque comparata classe XII. navium & paucularum triremium, primum præcipuumque mandatum ab illustrissimo domino nostro ac nobis præfecto classis datum est, ut quam posset refugeret, ne cum classe Aragonensi manum consereret. Abiit tunc classis nostra, cumque ad conspectum insulæ Pontiæ devenisset, mox ibi regem offendit XIV. magnarum navium, undecim triremium, multarumque biremium classe succinctum. Mittuntur a nostris ad regem qui nuncient esse illustrissimo domino nostro ac nobis cum majestate sua pacem atque amicitiam, & animum præterea pacem amicitiamque servandi, precenturque ut æquo animo patiatur nos Caitanis amicissimo populo auxilium ferre. Neque enim eo consilio velle Caitam tueri, ut eam accipiamus, sed potius, ut illi servetur, cujus eam Deus esse voluerit. Ille retento nuntio, præparatisque omnibus quæ ratio certaminis exposcere videbatur, misit qui juberet nostris vela deponere, ac mox plenis velis irruens, cœpit naves nostras impetere. Erat classi nostræ imposita necessitas pugnandi. Nam fugiendo turpissimum erat Cajetanos deserere, & rex nullis rationibus moveri videbatur. Itaque necessitati paruerunt, initum prælium est paulo post ortum solis, vix vespere cessatum, tantisque animis utrimque pugnatum, ut sæpe ad hos, sæpe ad illos victoria transisse videretur. Huic tandem justiori causæ rex justitiæ Deus favit, atque ita visibiliter causam adjuvit, ut victores victique non aliunde quam a Deo missam esse victoriam uno ore fateantur. Captæ sunt enim naves duodecim, & in eis rex Aragonum, & rex Navarræ, magister sancti Jacobi, princeps Tarentinus, dux Succiæ, natus comitis Fundarum, vicerex Trinacriæ, Dominicatius de Aquila, Elurus equitum ductor, milites trecenti, & præter hos viri fere quinque millia. Victoria profecto mirabilis, & sæculo nostro inaudita, non humano consilio, non viribus nostris parta, nec aliunde quam divinitus data, quam, ut in initio diximus, optavimus excellentiæ vestræ notam esse, nullam aliam ob causam, quam ut intelligat, ut nos non solum justa ac pia, verum etiam necessaria arma sumsisse. Quam causæ nostræ justitiam si quis malo studio diutius impugnare conaretur, possit summa sapientia vestra, nunc cognita veritate, de re ipsa ferre judicium. In cujus exaltationem & gloriam nos semper offerimus sinceris animis paratos. Datum Januæ M. CCCC. XXXV. die tertia Septembris.

Consilium Antianorum & officium baliæ civitatis Januæ.

EPISTOLA PHILIPPI MARIÆ Angeli vicecomitis ad Albergum de Nigrono Januensium ducem.

Venetorum exponit intentiones, adversus quos classem parari hortatur.

Anno 1431 *Ex schedis Mabillonii.*

PHILIPPUS MARIA ANGELUS vicecomes, Angleriæ Papiæque comes, & Mediolani dux, & dominus Januæ, ad Albergum de Nigrono Januensem.

Dilecti nostri cum animo repetimus, quantum laudis gloriæque detraxerit omnibus Januensibus sequutus pridie casus infaustus in illo bello maritimo, quo non admiratum solum, sed invictum semper hactenus vexillum sancti Georgii perdidistis; nobis profecto temperare non possumus. Non explicabitur apud alios res ut gesta est. Veneti bello superiores absolute dicentur, & probitati suæ ascribetur illa victoria. Tacebitur quod præ nimia cupiditate hostes ipsos expugnandi, & secuturi, si vicissent, honoris, Januenses nostra absque ordinatione percusserint, ausi cum paucis, & ceteris adhuc absentibus, classem inimicam invadere. Et nisi magnanimitatem ac virtutem vestram & aliorum Januensium cognitam haberemus, nisi apud nos certum esset, quod hanc non tolerabitis nobis illatam injuriam, protinus impatientes essemus. Scimus non ignorare vos quo tendant animi Venetorum, neque eorum inimicitiam tantum experiri cœpistis. Juvat attamen breviter memorasse, quod omnis illorum intentio, quidquid simulent, in hoc uno versatur, ut vos & Januenses omnes dissipent & dispergant, ipsamque urbem extirpent & obruant. Ad quam peragendam venit, ut cum se impotentes agnoscant, nihil magis ipsi moliuntur, quam ut immicescant Januenses, & bellum civile concitent inter eos. O pravum ingenium! fallax opera! o exquisita perfidia! putant cum imprudentibus agere, & Januenses artibus suis pellicere. Nec adhuc satis vestram & aliorum Januensium industriam & prudentiam experti fuerunt. Sed laus Deo, sufficiens est vestra prudentia contra iniquitates & detestabiles o-

pinionés eorum. Ut igitur concludamus, nos quemlibet vestrum quam maxime adhortamur, & licet non expediat, oneramus, quod omnino velitis vos & ceteri Januenses pravis animis Venetorum pro viribus vestris occurrere, & adversus eos tam validam & potentem classem instruere, ut statim illos obtenta victoria spolietis, illosque vobis inferiores, sicut esse consueverunt, faciatis. Non obliviscamini pristinæ virtutis vestræ, quæ semper in mari prævaluit. Igitur nunc de vobis, de patria, de liberis, de parentibus & fortunis vestris omnibus, denique de totius mundi gloria & honore agitur. Quare promtiores & ferventiores vos omnes esse oportet, & majorum vestrorum qui tanta fecerunt renovare memoriam, & ut vos veri Januenses dicamini. Inde namque vobis laudem perpetuam comparabitis, nobis vero rem omnium gratissimam feceritis, qui nihil magis cupimus, quam ut Januensibus accedat honor & gloria. Data Abiatæ die XVIII. Septembris anno MCCCCXXXI.

PHILIPPUS MARIA ANGELUS vicecomes, Angleriæ Papiæque comes, Mediolani dux, & dominus Januæ.

EPISTOLA VENETORUM ad Januensium ducem.

Hortantur ad pacem Januenses.

Ex schedis Mabillonii.

DOmino duci Januensi. Magnifice & excelse domine, frater & amice carissime. Quanta jam per annos more furentis incendii bellorum acerbitas vos & Venetos magna, si verum fateri volumus, hinc inde vastitate concusserit, nimia diu nos & tota Italia cum patientia, cum negligentia passi sumus aspicere, nimisque toleramus quantum in nobis est salubre remedium adhibere; & nos præcipue, qui non libertati soli sicut gentes plurimæ vivimus, sed solis artibus sustentamur, quos omnes quamvis longinquum, quamvis minimum bellum lædit, quique inter vos & illos quasi in medio positi, vicissitudinarias clades vestras cum caritatis officio, cum opportunitate commercii non possumus non sentire. Verum autem in hoc diligentia nostra non defuit, sed per litteras nostras ac etiam viva voce utrosque sumus ad pacem & concordiam exhortati. Jam bis super ista materia per nostros oratores majestatem domini nostri regis Hungariæ fideliter alloquendo, sed quid scripsisse prodest? quid attulit nostros nuntios totiens fatigasse, postquam irrito usque ad præsens tempus effectu adhuc bellum geritur, nec a mutuis persecutionibus & effusione sanguinis abstinetis? Tamdiu igitur tentanda remedia, quamdiu morbus ingruerit, ne videamus, quod cum utriusque bona gratia dictum sit, has duas carissimas urbes (a), Italiæ lumina, negotiationum matres, maris dominas, & fidei christianæ columnas, hoc pestifero bello quati, & in hoc pertinacis incepti ferali certamine in exitium usque perduci. Ita enim videre vellemus tantam mari classem, tot terrestres hinc & inde bellicos apparatus, quod tali sit utrimque robore confligendum, quod pene vincendis propius periculo sint victores. Quid facietis, fratres carissimi? Italici estis, & quod maximum caritatis vinculum est, nedum Italici, sed Christiani. Non est vobis cum schismaticorum perfidia, obstinatione Judaica, cœcitate Sarracenica, aut Tartarica feritate certamen. Unum Deum colitis, unum Christum redemtorem nostrum, testatorem pacis quam inter vos quærimus, adoratis. Heu dolor! heu pudor! quantum potuit hoc sanguine quem effunditis ac fudistis, quantum potuit his sumtibus in terris hostium crucis acquiri, quanta potuit illarum multitudo gentium superari. Deponite igitur arma, in quibus Deum offenditis & vos ipsos, dum alios vincere quæritis, superate. Deponite odia quibus ultra quam satis sit, & ultra quam oporteat indulsistis, & nos communes fratres vestros, qui utriusque populi cladibus totis mentibus affligimur & dolemus, concedite circa hæc necessaria pacis bonum, quantum oporteat laborare. Si enim de voluntate vestra processerit, nos omni cum affectione & quanta diligentia poterimus circa hanc pacem pro conservatione vestri status & honoris augmento, nostras partes lætis animis apponemus. Placeat igitur de intentione vestra nobis per latorem præsentium respondere. Datum XVIII. Octobris.

EPISTOLA PHILIPPI MARIÆ Angeli vicecomitis ad Florentinos.

Causatur quod pacem non servent, & adversus rebelles Januenses subsidia non dederint.

Anno 1436. Ex schedis Mabillonii.

MAgnificis & excelsis dominis prioribus artium, & vexillifero justitiæ populi & communis Florentiæ, amicis & tamquam fratribus carissimis, PHILIPPUS MARIA ANGELUS vicecomes, dux Mediolanensis, & Januæ dominus, &c.

Magnifici & excelsi tamquam fratres carissimi, non latet vos quam realiter & sincere ad pacem devenerimus cum illustri dominio Venetorum & magnifica communitate vestra, interpositione & opera illustrium dominorum marchionum Estensium & Saluciarum. Non est etiam vobis incognitum, quanto desiderio & studio procuraverimus ipsius pacis firmamentum & securitatem habere, & quanta liberalitate nos ad stabilimentum pacis descenderimus, auctoritate

(a) Venetias & Januam.

ac medio sanctissimi domini nostri papæ, ea quidem intentione & animo, ut vobiscum & cum præfato domino fraterne & secure viveremus, persuadentes nobis ipsum dominum & vos eamdem erga nos mentem gerere. Quam autem integre & libere omnia de latere nostro profecta sint, quæ fuerunt de pace ipsa ejusque firmamento conventa, & quam diligentissime omnia promissa servaverimus, notorium satis, & vos ipsi testes optimi esse potestis. Non solum enim verbis & scripturis, sed ipsis effectibus latissime adimplevimus quæcumque debuimus, & nihil prætermisimus, quod attineret ad demonstrandam optimam dispositionem nostram, summumque desiderium nostrum bene vivendi, restituendo Imolam & multa alia, Forlivium & Bononiam quæ terræ quondam magnifici Nicolai Fortebrachii & præfecti de Vico, aliorumque benevolorum nostrorum in potestate sanctissimi domini nostri papæ pervenerunt, non sine gravamine nostro & depressione maxima status nostri, quæ quidem cunctis viribus & potentia numquam habita fuissent, nisi pro vestra securitate ex libera & reali dispositione nostra processisset, nisi voluissemus omnibus ostendere, quod super omnia pacem & quietem ejusque firmamentum cupiebamus, vosque maxime securos reddere volebamus. Sed præter omnem spem & expectationem, aliter erga nos actum est, & deterius quidem quam volebamus. Multi enim vestras contrafractiones ante ponebant, quibus fidem adhibere nolebamus, nisi prius manu tangeremus, & quasi ante oculos haberemus. Nam post rebellionem civitatis nostræ Januæ, ubi a vobis favores & subsidia pro ejus recuperatione sperabamus, si officium veræ fraternitatis rectæque amicitiæ, ac debitum vestrum facere voluissetis, contra nos egistis, & aperte Januensibus rebellibus nostris subsidia equitum & peditum vestrorum invocantibus præstitistis, & cum eis ligam mire contra nos omni studio ac diligentia procurastis, sicut ex dictis attestationibusque stipendiariorum vestræ communitatis, quos misistis ad auxilia Januensium, qui nomen vestrum invocarunt, seque vestros latissime profitentium, nec minus ex litteris & scripturis quam pluribus potest luce meridiana clarius comprobari. Et quid verbis opus est? nonne reverendissimus pater dominus Laudensis episcopus vestra parte pluresque alii nobis affirmarunt, vos nedum daturos subsidia ipsis Januensibus, immo colligaturos vos cum eis, & nullo modo passuros, ut ipsam civitatem Januæ recuperaremus; & ita clarissime vestri demonstravit effectus? Ex quibus rebus ingenti admiratione commoti, non possumus vobiscum non dolere, & gravissime conqueri de tam aperta inobservantia præmissorum & violatione contractuum ita solemnium. Nimis aliena hæc sunt a fide & honestate & voluntate bene vivendi, quam indubie credebamus vos singulariter habere & nostræ conformem. Quare ut concludamus, cupimus circa præmissa a vobis de mente vestra fieri certiores, ut aliquando sciamus & qualiter vivere nobis sit, & ne quisquam admiretur, si pro dissentione nostra & salute status nostri, non voluntarie, sed coacti & provocati opportunas promissiones & remedia adhibere curabimus. Data Mediolani die XVIII. Martii anno millesimo CCCCXXXVI.

PHILIPPUS MARIA ANGELUS vicecomes, dux Mediolani, & Januæ dominus.

EPISTOLA FLORENTINORUM ad ducem Mediolanensem.

Criminationes ejus in ipsum retorquent.

ILlustri PHILIPPO MARIÆ ANGELO duci Mediolanensi fratri nostro carissimo priores artium & vexillifer justitiæ communis & populi Florentini. Anno 1436.

Illustris atque excelse domine, tamquam frater & amice carissime, si uterque nostrum contentus esse vellet terminis suis, nulla penitus nobis inter nos querela aut controversia inesset, sed cum excellentia vestra magno quodam animi proposito nova semper affectare conspiciatur, ac unicam gloriam putet dominationem extendere, neque contenta limitibus suis, modo regnum Apuliæ, modo Tusciam atque Flaminiam apprehendere, palam vel occulte sibi adsciscere; non debet mirari sublimitas vestra, si pericula quæ per ejusmodi machinationes contra nos statumque nostrum parari cernimus, removere cupiamus. Non enim vestra occupare quærimus, sed ne nostra occupentur cavere. Et de causa quidem tota universaliter hæc a nobis dicta cum supportatione existant: de honestate vero ac justitia nostra ac de præmissorum observatione & fide, quam usque adeo per litteras vestras redarguere posse simulatis, evidentissimam ac certissimam ac Deo mundoque probatissimam rationem probationemque habemus, nec per subterfugia & juris cassationem gentium, ut a vobis in pace factum est dudum, neque gentes alio nomine fore conductas, prout nunc fit, simulabimus; sed simpliciter, vere ac solide respondebimus. Nam cum stabilimentum pacis solemnissime factum nuper sit per manus Romani pontificis, ac promissa conventaque in eo dilucide appareant, dicimus omnia nos ad unguem vobis servasse, atque observare, quæ in eodem stabilimento pacis continentur, integra fide, integra honestate, integra justitia. Vestra autem ex-

cellentia an promissa per vos in eodem pacis stabilimento observaverit cogitare velit, nec alteri objicere non vere, quod in se retorqueri verissime possit. Extat enim declarator & judex in eodem pacis stabilimento de consensu partium assumtus, cujus declarationi & in præsenti & in futuro subjacemus? Denique excellentiam vestram non inimico animo atque odioso, sed fraterno amicoque rogamus, ut tandem aliquando in amœnitate pacis vivere & ipsa velit, & alios sinere in pace quiescere, ac nos & ceteros, qui libertatem & quietem cupimus, justis suspicionibus liberare. Quod si faciet sublimitas vestra, amice, fraterne vobiscum vivere intendimus. Sin autem, statum libertatemque nostram & ab periculis manifestis & ab occultis insidiis defendere compellimur. Datum Florentiæ,

Priores artium & vexillifer communis & populi Florentini.

EPISTOLA BENEDICTI Ovetarii Vicentini ad Petrum Donatum episcopum Paduanum.

Excusat se quod ei sæpius non scribat, certum eum facit de quibusdam Urbis novis.

Anno 1442 Ex schedis Mabillonii

REverendissimo in Christo patri & domino meo præcipuo domino PETRO DONATO Dei permissione episcopo Paduano & comiti Saccensi, Benedictus Ovetarius cancellarius reverendissimi domini cardinalis Bononiensis se plurimum commendat.

Existimares forsan me hominem lentum & ignavum, reverendissime domine, quoniam sæpius ad te non scribo, ut mihi per te impositum est, nisi ea fides & caritas atque singularis observantia, quas erga te habeo, me ab hac suspicione liberarent. Fateor me non sæpius scribere, & in eo negotio quantum sim diligens non ostendere; sed nihil, ut puto, adhuc quod ad te spectet & scire te oporteat, accidit. Hoc si evenisset, non dubites scripsissem ocius, aut ipse forsan pro nuncio & epistola venissem. Velim scias, mi reverendissime domine, atque re experiaris, quam tuæ existimationis honorisque & commodi sim cupidus, neque credas me hac assentatiuncula velle tuæ dominationis gratiam aucupari. Testes sunt omnes prælati in curia Romana existentes, apud quos continue versor, & quotidie de tua reverendissima dominatione prædico, & testis est insuper universa familia SS. domini nostri papæ, cum qua, ut nosti, die ac nocte obversor, quid de tuis bene meritis explicem omnibus seu res est. Sed vellem ut re experireris, quantum pro te facturus essem. Unum exoro, ut de me periculum facias in rebus tuis. Existima enim unum de tuis fidelissimis esse, atque me utere, pro tuo arbitratu, si quid in curia Romana tibi negotii acciderit, mihi jube, impera, & manda; utar etenim in omnibus diligentia & summa fide, ita ut intelligas non potuisse illud homini magis tibi dedito & fideli commendare. Hæc satis.

His diebus venit ad sedem apostolicam dominus episcopus Ferrariensis, cum quodam legato regis Bosniæ, & in publico consistorio regis nomine & totius regni dogma Manichæorum ipse legatus abjuravit, Romanamque fidem & traditiones nostras meliores esse confessus est. His decem ferme diebus de instaurando Christianorum exercitu atque classe in Theveros ad liberandam Græciam consilium captum est. Hæc per episcopum Coronensem. In Pannoniam ad primores regni ipse SS. dominus noster papa destinare instituit quemdam Antonium Ragusium, qui cras primo diluculo una cum Coronensi episcopo ex Urbe discedet Januam; & in Provinciam Galliæ atque in Galliam quemdam ex domesticis nostris nomine Danielem jam dudum paravit. Hi ad parandas triremes missi sunt, quæ ut puto XXV. numero erunt, navibus onerariis exceptis, decemque millia peditum instructorum. Trajicere constituit totum Hellespontum, atque omnem Assyriæ & Ægypti tractum infestare. Reverendissimum præterea dominum cardinalem Tarentinum in Galliam & Angliam ad firmandum inter illos reges pacem missurus est; mihi tamen incertum est quo die discedat, nec ut puto die proximo erit: quod cum evenerit, tuam dominationem reddam meis litterulis certiorem. Hanc ad te scripsi, ut certus sis horum quæ apud Urbem agebantur, & quidquid post hæc accidet scias primus. Reliquum est ut me tuum deputes & commendatum habeas. Tuus enim esse permaxime cupio, & tibi servire opto, & in illa tua regia urbe sub tui gloriosi nominis umbra vitam ducere exardesco. Vale mi domine singularis. Ex Urbe Calendis Octobris, anno MCCCCXLII.

EPISTOLA BENEDICTI Ovetarii Vicentini ad Petrum Donatum episcopum Patavinum.

Beneficium petit pro Hieronymi de Leonardis germano, cujus licentia exuendi sancti Augustini cucullum, e curia expectabatur.

Anno 1442 Ex schedis Mabillonii.

REverendissimo in Christo patri & domino domino meo præcipuo domino PETRO DONATO episcopo Patavino, Benedictus Ovetarius Vincentinus felicitatem & commendationem dicit.

Etsi nullus sit meriti mei vestigium in dominationem tuam, quo ausim jure clemen-

tiam tuam exoratam adire, tamen ipse novi, A & in omnes sentio efferri & prædicari tibi inesse facilitatem & mansuetudinem, ut nemo adhuc etsi minimus est, abs te frustra opem & misericordiam oraverit: qua liberalitate ac munificentia fretus, audebo inter dominationis tuæ serviles haud sane ultimus, tuæ paternitatis præsidium deprecari, & cum neque abjecti aut parvi animi esse videtur cui multum debemus, eidem velle plurimum debere, quid cupiam, mi domine, paucis absolvam. Est hic præsentium lator germanus clarissimi artium & medicinæ doctoris magistri Hieronymi de B Leonardis Veneti, tuæque dominationis fidelissimi, qui germanus suus decimo ante hunc anno religionem patris Augustini ingressus, ibi omni sanctimoniæ cultu & vitæ austeritate patientissime vixit, pauperum & graves labores pertulit. Tandem genitoris sui senio gravati admonitione, apud parentes se contulit. Cuperet genitor ut sibi quietiorem vitam pararet hac ætate sua, conventualium exiret. Nunc casu se obtulit, ut abbas S. Floriani de Bassiano diem suum obiret: beneficium, ut audio, habet reditus XL. florenorum, qui ad vic- C tum & animi sui quietem satis superque essent. Scio ipsius beneficii collationem ad dominationem tuam pertinere, quam exoro, ut ei conferre dignetur. Verum quia nondum dispensationem suam e curia habuit, quæ parata est munere quamplurium prælatorum, & litteris hujus reverendissimi domini mei cardinalis ad SS. dominum papam, obsecro & obtestor, ut hanc collationem dignetur dominatio tua remorari, donec dispensatio, quæ de proximo expectatur, e curia deferatur, ut ipse capax sit, & dominatio tua idoneo conferre valeat. Ad pedes igitur pietatis tuæ confugio, o- D pem & hanc gratiam expetens, & si pro insuperabili mansuetudine tua omnibus semper liberalissimus fuisti, si pro mea in te singulari reverentia & observantia bene quidquam de te merui, adauge meritorum numerum in me tuorum, hoc uno excellenti dono. Quod si, ut spero, a te impetravero, numquam aberit tuum immortale beneficium, dum spiritus hos reget artus. Me interim tuæ dominationi omnibus horis commendo; ad tuam dominationem hac futura hebdomada sum accessurus, allaturus quidquid alias per dominationem tuam E mihi impositum est, cui perfecte servivi. Ex Vincentia die XXVI. Februarii, anno MCCCCXLIV.

EPISTOLA BENEDICTI Ovetarii Vicentini regis Cypri cancellarii ad Gregorium Corrarium Patricium Venetum.

Commendatitias ab eo postulat litteras ad consequendam Cretensem cancellariam.

REverendissimo in Christo patri & domino domino GREGORIO CORRARIO Patricio Veneto, prothonotario apostolico, Benedictus Ovetarius se plurimum commendat. Anno 1448. *Ex schedis Mabillonii.*

Quoniam pro tua in me jam diu perspecta benevolentia, reverendissime domine, nostraque in te fide ac observantia, tibi etiam forte non incognita, ea mihi facile spondeo de tua reverendissima dominatione, quæ usui & ornamento nostro fore intellexerit, haud abs re visum est, in petitione nostra Cretensis cancellariæ ad te confugere, qui cum in virtute ac bonis artibus ita profeceris, ut in hac tua civitate non immerito tantum posse videaris quantum velis, licet nonnulli insignes Veneti patres operam suam mihi libentissime polliciti sunt, & in primis reverendissimus dominus episcopus noster Vincentinus, clarissimus miles Franciscus Barbarus, Johannes Cornarius, Andreas Maurocenus, Barbonus Maurocenus doctor, Zacharias Trevilanus doctor, Marcus Donato doctor, & Ludovicus Foscareno doctor, & eorum complices: tamen non minus litterarum tuarum necessaria, quam eorum quos notavi utilis est pro me futura intercessio apud alios clarissimos Patricios Venetos & affines tuos. Quamobrem tuam reverendissimam dominationem vehementer exoro, ut hujusmodi occasioni de me bene merendi cum tua dignitate non deesse velis, sed more majorum nostrorum sapientissimorum, qui etiam plerumque, ut te minime fugit, ad gloriam suam maxime accedere arbitrabantur, in negotio cum periculo versari, ut subditi sui in otio tute viverent, cum ingenti rerum suarum fœnore, si occupationes per forenses etiam licuerit, te ad otium tantisper conferre digneris, ut pro me tuas suavissimas commendationis litteras conficias, quarum adjumento apud præstantissimos tuos agnatos, ac ceteros familiares, in hoc ipso cancellariæ negotio, cum magna laude tua ac gloria meoque commodo esse possim. Quo officio peracto, per loci propinquitatem & passagii facilitatem & securitatem, ad viaticum sacratissimum Jerosolymitanum & montis excelsi Sinaï, altissimo creatore nostro concedente, accedere animo omnino statui. Sic itaque, mi reverendissime domine, ne ab hoc meo ardenti proposito desistere possim, te iterum exoro, ut omne tuum auxilium

mihi impendas, ad ipsam cancellariam consequendam, & in ceteris me semper commendatum suscipias. Vale. Ex Vincentia die I. Aprilis anno MCCCCXLVIII.

SANCTISSIMO PATRI & clementissimo domino domino Nicolao divina providentia papæ quinto, sanctæ Romanæ ac universalis ecclesiæ summo pontifici, Lylii Tyfernatis suorum servorum ultimi prologus in sermones sancti Johannis Chrysostomi.

Circa 1450. Ex ms. codice canonicorum regularium Fesulanorum eruit Mabillonius.

CONsueverunt, pater beatissime, qui sub ceteris prædecessoribus tuis fideles militaverunt, diversis studiis diversas illorum naturas imitari, ut se probus quisque in ecclesiæ corpore quasi Christi membrum capiti conforme illorum moribus exhiberet. Fuerunt namque in illorum numero qui decretis condendis, litibusque componendis admodum insudarunt; quidam paci subditorum tantummodo consulere; alii dogmatibus divinis ecclesiam munire apostolicam; alii sedem hanc illustrare ceremoniis indultisque honorare, scissuras evitare; alii æque in unum resarcire studuerunt. Ita passim dum se quisque rei unius perfectioni adhibet, ejus utilitatis princeps & quasi magister quidam est habitus. Te vero tenentem librum, Evangelistæque simillimum intuemur, ipsique tuæ actiones eo conveniunt. Quid sibi fidelis quisque pro accepta gratiarum divisione ad incitamentum statuere debeat jam satis novimus. Librum ipse lectionis evangelicæ nisi offerre studerem ad incitamentum, meas non admodum partes implerem. Johannis igitur Chrysostomi Græci sermones, quorum aliquot quidem in Job de patientia, aliquot vero de pœnitentia conscripti sunt, cum in meas nuper venissent manus; & debito meo convenire visi sunt, atque ipsi etiam tempori congruere, quo jubilæo appropinquante, & pati primum velle, & ipsas per passiones pœnitentiam agere: sicque remissionis indulgentiæque tempus subire monemur. Hos ergo Latinos facere, beatitudinique tuæ offerre curavi, evitans simul & unicum acceptum talentum fodiens in terra abscondere, & cum vidua properans duo saltem æra in dominicum gazophilacium mittere. Quo quidem in opere, sicut ille, inquit, & verbum de verbo, & sensum quoque de sensu, aut ex utroque commixtum & mediæ temperatum genus translationis expressi: quædamque de sacris mutuata scripturis juxta Græcam editionem traduxi: quæ tametsi a novissima nostra quandoque discrepent, consilium tamen non fuit eadem a Græca dimovere sententia: quo & Chrysostomo quæ disputantur clarius convenientiusque consentiant.

S. JOHANNIS CHRYSOSTOMI IN JUSTUM ET BEATUM JOB DE PATIENTIA SERMO PRIMUS.

Annuus hodierna die certator nobis advenit. Venit ad nos peregrinus, atque Angelis par in honore dimicator, &c.

EPISTOLA ANGELI POLITIANI ad Laurentium Medicem.

Laudat eum de quadragesima tempore secessu, mittitque ei librum Matthæi Bossi cardinalis.

Ex schedis Mabillonii.

ANgelus Politianus Laurentio Medici patrono suo S.

Sapienter, ut cetera, Laurenti, facis, qui sanctos istos extremæ quadragesimæ dies consumere in Agnano tuo malueris, quam Florentiæ. Quis enim tutior portus, in quem de tantis occupationum fluctibus enates, quam Tyrrheni littoris amœnissimus iste sinus atque secessus, ubi quasi quoddam naturæ certamen sit & gratiæ. Sed ego quoque imitatus exemplum, ceu fugitivus Urbis, assiduus in Fesulano fui cum Pico Mirandula meo; cœnobiumque illud ambo regularium canonicorum frequentavimus, avi tui sumtibus extructum. Quin abbas in eo MATTHÆUS BOSSUS Veronensis, homo sanctis moribus, integerrimusque vita, sed & litteris politioribus mire cultus, ita nos humanitate sua quadam tenuit & suavitate sermonis; ut ab eo digressi mox, ego & Picus soli propemodum relicti (quod antea fere non accidebat) nec esse alter alteri jam satis videremur. Hoc ille arbitror sentiens, dialogum nobis a se compositum de salutaribus animi gaudiis obtulit quasi vicarium, cujus materia stylusque nos ita cepit, ut quamdiu quidem legebamus, facile auctoris præsentia careremus. Eum igitur ego dialogum mitto ad te quoque, Laurenti, quem subter pineta ista legas ad aquæ caput. Delectaberis arbitror argumento, sensibus, indole, nitore, varietate, copia: nec in eo tamen domesticas quoque laudes desiderabis: ac si tuus huc etiam accesserit calculus; dabitur opera protinus, ut in multa liber exemplaria transfundatur. Vale.

MATTHÆI BOSSI VERONENSIS canonici regularis ad Timotheum Veronensem canonicum regularem, præconem Dei summum, de veris ac salutaribus animi gaudiis prohœmium feliciter incipit.

Si quis est uti sapientem ac Christianum virum oportet, &c. Primum impressit Florentiæ ser. Franciscus Bonaccursius anno salutis MCCCCLXXXXI. sexto idus Februarii. Ubi in fine habetur epistola Timothei Veronensis, in qua ei gratias agit quod eum librum sibi dedicaverit.

EPISTOLA

Per reverendissimum in Christo patrem & dominum dominum Nicolaum miseratione divina tituli S. Petri ad vincula cardinalem presbyterum, episcopum Brixiensem, apostolicæ sedis per Alemanniam legatum a latere, (a) electo Trajectensi missa & destinata.

Gravissime causatur, quod sanctimoniales ad clausuram non cogantur.

Anno 1451. Ex ms. Gladbacensi.

VEnerabiles viri, sperabamus divinam misericordiam vos respexisse, per nostras qualescumque, immo verius apostolicas exhortationes; sed multa ad nos per varios delata sunt, quæ si vera essent, nondum vos Deum timere ostendunt. Non putetis, fratres, vos subsistere posse aliquandiu, si Dei protectio vos deserat. Videtis populum reverti & currere ad Christum; & vos qui ex sanguine Christi & martyrum pinguia stipendia recipitis, contra Christum militando, quomodo perseverabitis? Fecimus pauculas quasdam ordinationes pro tollendis publicis delictis, quæ nonnisi ad Dei & ecclesiæ cedunt honorem, & nihil novi habent, neque duri; quæ etiam undique per Almanniam sine resistentia receptæ sunt, & audivimus nunc vos illa spernere & appellasse, & monialium prætensis & fatuis appellationibus a clausura, quæ a jure præcipitur, adhærere. Et quamvis mandaverimus vos moneri, ut resiliretis a talibus, ne incapaces fieretis indulgentiæ plenariæ remissionis, potius tamen, ut intelligimus, carere vultis tanta indulgentia, quam a rebellione resilire. Quis non videat prope esse quod Deus vos derelinquat? Nam si crederetis, uti fideles credunt, vitam post hanc vitam, non præponeretis fatuas & transitorias voluptates divinæ gratiæ. Quis non videat vos de nulla re curare, nisi ut in hoc mundo deliciose vivatis juxta lubrica desideria vestra? Et ubi est fidelitas vestra, qui non solum spernitis Dominum Christum, qui vos nutrit, sed sibi resistere volentibus mulierculis assistitis? Nonne & antichristo, si adesset, opem similiter præstaretis? Vetus proverbium est, quod aufert sensum ab eo quem a ruina non vult præservare. Et si vos hæc pericula vestra non videtis, unde est, nisi quia in peccatis cæci estis? Ex vobis quidam despectuosi, non obstantibus prohibitionibus juris & censuris per nos appositis, ad sanctimoniales palam subintrarunt, subintrant, & convivia & solatia cum Deo A dedicatis habent virginibus, quos inter vos & in divinis esse patimini: licet sit interdictum, ubi fuerint, per nos positum, & ibi se commiscentes irregulares. Cur hæc, nisi quia nec fidem Christi habetis, nec obedientiam de necessitate salutis, nec divinissima sacramenta veneranda esse creditis? Nonne ad nos pertinet tantum facinus omni studio eliminare, etiamsi ob hoc omnis status vester periclitari deberet. Melius est enim vos deficere, quam tantam irreverentiam crescere. Venit finis cursus carnaliter sub ficta religione, & auferetur a vobis regnum, B & dabitur justitiam colentibus; nam quod vos ex concessione ecclesiæ tot & tanta temporalia, quæ pro servitoribus Christi ordinata sunt, contra ecclesiam & obedientiam atque Christum Dominum occupare aliquandiu possitis, nolente apostolica sede, non tardatis, quæ unico verbo vos rediget in servitutem: & necesse est quod faciat, nisi vos emendaveritis; non credatis vos ludere cum pueris, quando minas emittitis; omnia mala quæ dicitis & facitis in vestram ruinam cedent. Redite igitur ad cor, & e- C mendate vos, resiliendo a rebellione, nos per vestras litteras ad hoc quantocius certificando, ne compellamur auxilio brachii sæcularis vobis ostendere adversarios Christi de stipendio & eleemosynis Christi vivere non debere. Et experiemur facile esse vos omnibus hominibus exosos fieri. Expectamus responsa Maguntiæ usque ad diem decimam quintam Novembris, quæ nisi de vestra emendatione receperimus, vos pro schismaticis & inimicis Christi habebimus, & sine longo processu, Deo auctore, ostendemus milites sathanæ Christi militibus ce- D dere oportere. Oro Deum, ut vos eruat a potestate principis tenebrarum, & ponat vos inter filios lucis, ut & vos filii lucis esse mereamini. Ex Treviri XXVII. die mensis Octobris anno Domini MCCCC. quinquagesimo primo.

(a) Davidi a Burgundia Philippi Burgundiæ ducis filio naturali, qui ex electo Morinensi translatus est ad sedem Trajectensem, ad quam Amersfordiæ inter armatos inauguratus dicitur circa 1457. tametsi hic dumtaxat electi titulo donatur.

EPISTOLA PII PAPÆ II. ad Fridericum regem Romanorum.

Rogatus a Friderico, ut Vratislavienses ad obediendum Georgio regi Bohemiæ cogeret, E respondet nullam obedientiam exhibendam esse separato ab ecclesia.

CArissimo in Christo filio FRIDERICO Romanorum imperatori semper augusto S. & A. B.

Ex ms. canonicorum regularium Bodecensi.

Intelleximus tam litteris serenitatis tuæ, quam per dilectum filium Wolfgangum oratorem tuum, majestatem tuam GEORGIO asserto regi Bohemiæ, qui tibi in tuis injuriosissimis & atrocissimis oppressionibus fideliter & efficaciter occurrit, non immerito & suis affici: ideoque te a nobis expe-

tere, ut dilectos filios cives Wratislavienses A inducamus, quod eidem ut suo regi homagium præstent, cum etiam ad id ex pacto obligentur, & timere non habeant, quod umquam compellentur fidem atque ritum immutare. Carissime fili, non est tuæ serenitati incognitum, ipsum GEORGIUM neque nobiscum & hac sancta Romana ecclesia, quæ est mater fidei Christianæ, neque tecum atque cum ceteris Christianis regibus in fide catholica & ritu concordare; sed seipsum per publicam declarationem a corpore Christi mystico & sancta ecclesia, cujus caput Christus existit, damnabiliter, B quod cum dolore referimus, separasse. Et cum Christus Dominus sit rex regum & Dominus dominantium, necesse existat omnes Christianos reges de ipsius regno esse, quod est universalis ecclesia, cui nos licet immeriti, ut ejusdem vicarius, præsidemus: certum profecto est, eum qui seipsum ab ecclesia catholica schismatice separat, in republica Christiana nullam aut regiam aut aliam posse tenere dignitatem. Nos quoque ut fidelem Christi vicarium decet, eumdem pro ethnico & publicano atque abscisso de C corpore Christi membro, sine ulla dissimulatione habere tenemur. Ex quo intelligit majestas, nos oportere mandare dictis Wratislaviensibus, ut nobiscum sentiant, & Georgium ipsum regem esse non posse, nec ut regi obediendum fore ei, qui se sua sponte præscidit, nec in hoc quæcumque pacta ipsis obstare possunt. Sicut enim mors naturalis pacta præstandi homagii dissolvisset, ita non minus hæc abscissio a corpore Christi, extra quod Christianus vivit pacta illa dissolvit. Non enim Wratislavienses a nostris oratoribus inducti fuere, ut se obligarent, D post unum & . . . . . mensem præstari Georgio homagium ut Georgio, sed ut catholico regi. Postquam autem GEORGIUS ipse se declaravit a catholica & universali ecclesia in fide & ritu separatum, facto patefecit, se non esse illum, cui a dictis fidelibus Christianis præstari debeat homagium, sed potius mortuum censeri, cui nullus Christianus, etiam qui eidem præstitit homagium, obedire tenetur. Et nisi nobis alia scripta celsitudinis tuæ spem dedissent, quod ipse Georgius errore dimisso tua opera ad ecclesiam rediret, jam dudum ea quæ contra ipsum officii nostri sunt universus E Christianorum orbis audisset. Hortamur igitur majestatem tuam, cum Georgium diligas, adhuc ipsum inducere coneris, ut nostris monitis pareat, & ad unionem ecclesiæ catholicæ redeat. Et quando sic se regiæ dignitatis capacem fecerit, nos semper tuis desideriis pro ipso, quantum cum Deo poterimus, complacebimus. Quia si tua serenitas, in hoc posse proficere sperat pro tanto bono, ac ut tuæ celsitudini morem geramus, a publicatione ipsius ad tempus aliquid supersedebimus; ita tamen quod interim Georgius ipse & sui ab omni infestatione Wratislaviensium & aliorum Christianorum abstineant, de quo nobis quantocius rescribi, & eosdem Wratislavienses certiorari deposcimus. Si vero tua serenitas non speraret apud dictum Georgium in præmissis posse proficere, rogamus celsitudinem tuam, & ipsam per viscera misericordiæ Dei requirimus, ut catholicam fidem atque ipsos Wratislavienses, & alios Christianos, uti ex imperiali majestate plus ceteris obligaris, tam ipsi Georgio, quam aliis cunctis Hussitis & hæreticis præferas & juxta posse defendas. Datum, &c.

EPISTOLA LUDOVICI XI. regis Francorum ad decanum & canonicos Rotomagenses.

A Nos tres-chers & bien-amez les doyen & chapitre de l'eglise Nostre-Dame de Roüen. Anno 1461. Ex schedis nostri Francisci Pomeraye.

De par le Roy. Chers & bien-amez, nostre tres-chere & amée cousine la reyne d'Angleterre s'en va par-delà pour aucuns ses besoignes & affaires, & a intention de passer par nostre ville de Roüen & ailleurs en nostre pays & duché de Normandie, ainsi que sesdites affaires le requerront, si veillez pour l'honneur de nous la recueillir & recevoir en tel honneur, bonne chere, & reverence, que fairiez à nostre personne, ou celle de nostre tres-chere & tres-amée compagne la reyne, &c.

Signé. LOUIS.

EPISTOLA BESSARIONIS cardinalis Tusculani ad principem senatumque Venetiarum missa anno millesimo CCCCLXIX.

Bibliothecam suam omni librorum genere instructissimam eidem senatui defert ac donat.

ILlustrissimo ac invictissimo principi Venetorum CHRISTOPHORO MORO duci & inclyto senatui, salutem. Anno 1469. Ex schedis Mabillonii.

Equidem semper a tenera puerilique ætate, omnem meum laborem, omnemque operam, studium, curamque adhibui, ut quoscumque possem libros in omni disciplinarum genere compararem: propter quod non modo plerosque & puer & adolescens manu propria conscripsi: sed quidquid pecuniæ seponere interdum parta frugalitas potuit, in his coëmendis absumsi. Nullam enim magis dignam atque præclaram supellectilem, nullum utilitate præstantiorem thesaurum parare mihi posse existimabam.

Vocibus

Vocibus pleni, antiquitatis exemplis, pleni moribus, pleni legibus, pleni religione vivunt, conversantur, loquuntur nobiscum. Docent nos, instituunt, consolantur, resque e memoria nostra remotissimas quasi præsentes exhibent, & ante oculos nobis ponunt. Tanta est eorum potestas, tanta dignitas, tanta majestas, tantum denique numen, ut nisi libri forent, rudes omnes essemus & indocti, nullam fere præteritarum rerum memoriam, nullum exemplum, nullam denique nec humanarum nec divinarum rerum cognitionem haberemus. Eadem urna quæ hominum corpora contegit, etiam nomina obrueret. Quamvis autem huic rei toto animo semper incubuerim, ardentiori tamen studio post Græciæ excidium, & deflendam Bizantii captivitatem, in perquirendis libris græcis omnes meas vires, omnem operam, omnemque facultatem, industriamque consumsi. Verebar enim & vehementissime formidabam, ne cum ceteris rebus tot excellentissimi viri, tot summorum virorum sudores atque vigiliæ, tot lumina orbis terræ periclitarentur atque perirent, quemadmodum etiam fecimus, ut ex ducentis viginti millibus librorum, quos Plutarchus refert in bibliotheca Apameorum fuisse, vix mille ætate nostra supersint. Conati autem sumus, quantum in nobis fuit, non tam multos quam optimos libros colligere, & singulorum operum singula volumina, sicque cuncta fere sapientum Græcorum opera, præsertim quæ rara erant inventuque difficilia, coëgimus. Ceterum cum hoc sæpe mente repeterem, parum desiderio meo satisfecisse videbar, nisi pariter providerem, ut libri, quos tanto studio & labore coëgerim, me vivo ita collocarentur, ut etiam defuncto dissipari aut alienari non possent, sed in loco aliquo tuto simul ac commodo ad communem hominum tam Græcorum, quam Latinorum utilitatem servarentur. Hoc igitur cogitanti mihi, multasque Italiæ urbes animo volventi, sola tandem vestra inclyta atque amplissima civitas occurrit, in qua animus meus omni ex parte conquiesceret. Primo enim non videbam, quem locum eligere possem tutiorem, quam eum qui æquitate regitur, legibus tenetur, in unitate ac sapientia gubernatur, ubi virtus continentiæ, gravitatis, justitiæ, fidei domicilium est, ubi imperium, ut maximum est, atque amplissimum, ita æquabile ac moderatum. Animi in consulendo liberi, nulli lididini, nulli delicto obnoxii, prudentes imperii clavam tenent, & boni malis præponuntur, ac privatorum commodorum obliti, totum corpus reipublicæ unanimi consensu & humana integritate procurant. Ex quibus sperandum est unitatem vestram, quod optamus, in dies magis & vires & nomen propagaturam. Dehinc intelligebam nullum locum a me eligi posse commodiorem ac nostris præsertim hominibus aptiorem. Cum enim in civitatem vestram omnes fere totius orbis nationes maxime confluant, tum præcipue Græci, qui e suis provinciis navigio venientes, Venetiis primum descendunt. Ea propter a vobis necessitudine devincti, ut ad vestram depulsi urbem, quasi alterum Bizantium introire videantur. Post hæc quomodo poterit hoc beneficium a nobis honestius locari, quam apud eos homines quibus ego multis eorum beneficiis devinctus obstrictusque essem; & in ea civitate, quam mihi, subjugata Græcia, pro patria elegissem, & in quam accitus a vobis atque honorificentissime receptus fuissem. Itaque conscius mortalitatis meæ, & ingravescente jam ætate, diversos quibus affligimur morbos, & cetera quæ evenire possent considerans, eos libros utriusque linguæ sacratissimæ ædi beati Marci inclytæ civitatis dono dedi atque dicavi, sentiens talem me animum & excellentiæ vestræ & gratitudini meæ & quam mihi communem esse voluistis, patriæ debuisse, ut nos ac liberi posterique nostri, qui me virtute ac sapientia vestra, multisque in me beneficiis addictum, deductum, obstructum, obstrictumque habetis, hujusmodi meorum laborum fructus uberes diuturnosque capiatis. Deinde ceteri qui bonarum disciplinarum studiosi erunt, vestra causa capient. Quapropter & donationem ipsam, & librorum indicem, & pontificis maximi decretum, ad vestras excellentias mittimus: precantes Deum, ut reipublicæ vestræ omnia bene, feliciter, prospereque eveniant, & pacem habeant, tranquillitatem, otium, concordiamque perpetuam. Valeant excellentiæ vestræ feliciter. Viterbii non. Maii.

BESSARION cardinalis patriarcha Constantinopolitanus, basilicæ B. Marci Venetiis dicavit.

LITTERÆ CAROLI FILII & fratris regis Franciæ ad dominum de Lebreto.

Ut adversus Anglos omnes nobiles convocet.

CHARLES fils & frere de roys de France, duc de Guienne, comte de Xaintonge, & seigneur de la Rochelle, à nostre tres-cher & amé cousin le sire d'Albret, salut & dilection. *Anno 1471. Ex ms. Colbertino.*

Comme n'aguieres monseigneur le roy & nous ayons esté avertis, que les Anglois anciens ennemis de ce royaume, ayent fait grant armée, en intention de usurper sur nous, nos hommes, subjets, pays, terres, & seigneuries, & pour resister à leur damnable voulonté & entreprinse, & les opprimer & grever en toutes manieres à nous possibles, ayons tant par nos autres lettres patentes que missives ordonné mettre sus

les nobles, tenans de nous en fief & arriere fief, & autres de nos hommes & subjets, qui ont accoûtumé suivre les guerres, & doutons que au moyen de ce que aucunes de nosdites lettres patentes & missives ne se sont à vous addressées, mais seulement ont esté dirigées aux seneschals de nosdits pays & seigneuries, vous voulussiez faire difficulté de mettre sus, vous, vos nobles hommes, & subjets de vos terres & seigneuries tenues de nous, & à cette cause seroit un tres-grand préjudice & interest de nous & de toute la chose publique de nosdites terres B seigneuries. Pourquoy nous avons regard à ce que dit est, voulant sur ce donner la provision necessaire par l'advis & deliberation des gens de nostre grand conseil, vous mandez expressement que incontinent & sans deslay, toute excusation cessant, vous mettant sus pour cette fois sullement, vosdits subjets de vosdites terres & seigneuries, & en faites faire les monstres & reveues, en convoquant & appellant à vosdites monstres ceux de vosdits nobles & sujets qui seront demurans & receans hors vos terres & seigneuries dessusdites, pourveu qu'ils soient tenus signifier à nosdits C seneschaux, leurs lieutenans, ou autres commissaires, qui se seront retirez devers vous, ou vos commis pour ladite cause, & aussi que vous & vosdits commis seront tenus certifier nous ou les gens de nostredit grand conseil, dedans le quinziesme jour de Septembre prochain, du nombre de vosdits nobles hommes & subjets, en quel habillement il seront aussi, desquelles seneschaussées seront receans, afin que de tout puissions avoir la..... au jour qui par nous sera ordonné à l'entour de nostre personne D & les autres à la garde de nos places & maisons de nosdits subjets les plus necessaires. Car ainsi nous plait-il estre fait. Donné au Mont de Marsa le quatriesme jour d'Aoust l'an de grace MCCCCLXXI.

Par monseigneur le duc en son grand conseil. *Signé* GUITON.

LITTERÆ LUDOVICI XI. REGIS ad dominum de Lebreto.

Ipsum ducem constituit exercitus, quem in auxilium regis Portugalliæ mittebat.

Anno 1475. Ex mſ. Colbertino.

LOUIS par la grace de Dieu roy de France, à tous ceulx qui ces presentes lettres verront salut.

Comme pour secourir & aider à nostre tres-cher & tres-amé frere, cousin & allié, le roy de Portugal & de Castelle à l'encontre d'aucun ses ennemis & adversaires, qui luy detiennent & occupent ledit royaume de Castelle, ou partie d'iceluy, & autres ses pays & seigneuries, nous ayons conclud A & deliberé envoyer une bonne & grande armée de nosdites gens de guerre, tant par mer que par terre, es marches de Guipusque & Biscaye & ailleurs où besoing sera, parquoy soit besoing, expediant & necessaire pour la conduite de nostredite armée & gouvernement d'icelle, cometre & deputer de par nous aucun grand personnage de nostre sang & lignage, ayant sur ce pouvoir de nous, & qu'il soit obéi desdits capitaines & gens de guerre, & tous autres nos subjets durant ledit voyage, sçavoir faisons que nous considerant la proximité de lignage, en quoy nous attaint nostre cher & feal cousin le sire d'Albret, & pour la singuliere confiance, que nous avons de sa personne & de ses grands sens, vaillance, conduite, experience, & grand diligence, iceluy nostredit cousin pour ces causes & autres à ce nous mouvans, avons fait, ordonné, & establi, faisons, ordonnons & establissons par ces presentes nostre lieutenant-general en ladite armée, & luy avons donné & donnons pouvoir de conduire, mener, & faire passer audit pays de Biscaye, & Guipusque, pour subjuguer & mettre ledit pays & autre pays d'Espagne en l'obéissance de nous & de nostredit frere, cousin & allié, de assieger ville, chasteaux, ou place qu'il trouvera desobeissans ou rebelles, de les prendre par assault, par composition, ou autrement, ainsi qu'il verra estre à faire pour le mieux, & de y faire ordonner, establir, & commander tout ce qu'il verra estre à faire, tant à ceux des villes, citez, chasteaux, forteresses, communautez, & autres quelconques, soint nos officiers, gens de guerre, gens de pays, ou aultres nos subjets ou estrangers, & messmement desdits pays d'Espagne, de quelque estat ou qualité qu'ils soient, & en oultre luy avons donné & donnons par ces presentes pouvoir de mettre & establir garnisons de gens de guerre, ou autres à pied ou à cheval, ainsi qu'il verra estre; de mettre sus gens nouveaux en nos pays voisins desdits lieux, s'il voit que bon soit, & que la chose le requierre: lesquels voulons estre contraints à luy obéir, & le servir au bien & entretenement de ladite armée, ainsi qu'ils seront tenus de faire pour nostre propre personne, de donner & octroyer toutes E offices es dessusdits pays de conqueste, soint de justice, capitaineries de villes, chasteaux & aultres quelconques qu'il verra estre necessaire, soit à vie, ou a temps, pour la reduction & entretennement desdits pays de Guipusque & Biscaye, aussi de donner toutes confiscations faite ou à faire, faire pugnition & justice des criminels & delinquans en ladite armée & audit pays, & de pourvoir en leur lieux & offices, & reduire à luy & nostre obéissance tous ceulx qu'il

verra qu'il sera expedient & convenable de faire, de prendre & recevoir les forts hommaiges & sermens de fidelité de tous ceux qui se reduiront & mettront en l'obeissance de nostredit tres-cher & tres-amé frere, cousin & allié le roy de Portugal, & d'autres desdits pays qu'il avisera & verra estre à faire, & donner toutes lettres & abolitions, pardons, & remissions à ceux qui en auront besoing, ainsi qu'il verra au cas appartenir, & leur rendre, & restituer, & bailler lettres, biens & heritages, s'aucuns estoint empeschez pour confiscation ou autre chose au temps que bon luy semblera, de donner toutes graces de debtes & autres, & aussi de donner saufconduits & seurtez de grace de prisonniers ou aultres tels qu'il verra estre à faire, de faire prendre & amasser tant en nos bonnes villes, que en nos pays circonvoisins desdits pays de Guipusque & Biscaye, navires, charrois, vivres, & toute autre chose necessaires à nostredite armée, & iceulx faire mener & conduire par mer ou par terre, franchement & quittement, jusques es marches desdits pays, & là oû ira & sera conduite nostredite armée, & à ce faire & souffrir contraindre ou faire contraindre toutes manieres de gens nos officiers & subjets & tous autres, ainsi qu'il est accoûtumé de faire pour nos propres affaires, nonobstant oppositions ou appellations, privileges ou excusations, en iceux vivres faisant payer aprés estre arrivez à nostredite armée à prix & taux raisonnable, & avecques ce de commettre & ordonner telles personnes qu'il verra estre souffisant & necessaire pour l'ordre & police de ladite armée, & aussi pour faire durant ladite armée les monstres & reveuës de nosdites gens de guerre, lesquelles par leursdites monstres & reveuës, qui ainsi auront esté faites, voulons estre payez de leur gaiges & souldes par le tresorier de nos guerres ou aultres, qui auront la charge de faire ledit payement, sans avoir aucune lettre d'acquit ou descharge de nous que le *vidimus* de ces presentes, & generalement de faire & ordonner, mander & commander, pardonner, establir, & consentir toutes choses qu'il verra estre necessaires & convenables à ladite armée, au bien de nous & de nostredit frere, cousin & allié en quelque maniere que ce soit, & en donner & bailler telles lettres que bon luy semblera, comme nous-mêmes ferions & faire pourrions, si presens y estions en nostre propre personne, jaçoit ce que les choses requisent mandement plus especial, lesquelles choses, soient lettres, dons, promesses, ordonnances ou provisions & autres quelconques, qui ainsi seront ou auront esté faites, ordonnées & establies par nostredit cousin le sire d'Albret, nous ratifierons & approuverons & les fairons garder, tenir, approuver & ratifier de point en point, selon leur forme & teneur, par nostredit frere, cousin & allié le roy de Portugal & d'Espagne. Si donnons en mandement par ces mesmes presentes aux gens de nostre conseil, à tous nos seneschaulx, baillifs, capitaines, chefs de guerre, tant de nostredite armée, que autres, & desdits pays, & à tous nos autres justiciers, officiers & subjets, que à nostredit cousin le sire d'Albret, en usant de sadite lieutenance generale, & à tout ce que par luy sera fait ou commandé, ils obéissent & entendent diligemment, & aux seigneurs & capitaines des places circonvoisines dudit pays d'Espagne, qu'ils facent à nostredit cousin ouverture de leursdites places, & toute plaine obéissance, & luy donnent toute la faveur, l'aide, secours & confort qui leur seront possibles, & comme ils vouldroient faire pour nous, si presens y estoient. Car tel est nostre plaisir, & voulons que ainsi soit fait, en tesmoing desquelles choses nous avons fait mettre le seel à ces dites presentes. Donné au Plessis du Parc lez Tours le XXI. jour de Decembre l'an de grace MCCCC. LXXV. & de nostre regne le XV.

Et sur le reply. Par le Roy, TANGUY DU CHASTEL chevalier, vicomte de la Belliere, & autres presens. *Signé* PARENT.

EPISTOLA ROBERTI DE VALLE ad Johannem (a) episcopum Andegavensem S. R. E. cardinalem.

Gratulatur ei de recuperata libertate ac dignitate, qua, Deo ita volente, privatus fuerat, ut virtus ejus clarior appareret, atque ecclesiæ & regno utilior evaderet.

SI cui jucunda sit pristinæ tuæ libertatis restitutio R. P. ego non postremus esse profiteor, qui maximi muneris loco mihi esse duxi te in priorem dignitatem instauratum. Nam singularis ad me benevolentia tua, beneficiaque ex tua liberalitate suscepta, ad hoc me hominem non ingratum impellunt, ac præcipue reipublicæ tam ecclesiasticæ quam civili congratulor, cujus vel saluti vel directioni es in hæc tempora reservatus. Agitati merito multi boni & circumspecti viri, quod tamdiu ab hominum ac

Circa 1484. *Ex ms. reginæ Sueciæ eruit Mabillonius.*

(a) Johannes *Baluë* vir infimo genere natus in famulatum Jacobi Juvenalis de Ursinis episcopi Pictaviensis primum ascitus, arte & industria tam prospera usus est fortuna, ut ei ad supremos honores aspirare licuerit. Unde & factus est abbas commendatarius Becci & Fiscanni, cancellarius Caroli Normannorum ducis, episcopus Ebroicensis, deinde Andegavensis, ac tandem cardinalis. Sed demum proditionis reus, in tetrum dejicitur carcerem, unde post annos XIV. defuncto Ludovico rege, ereptus, majores postea adeptus est honores. Vide, si lubet, prolatam adversus eum orationem Spicilegii tomo IX.

civitatum communione latueris, & ut imperiti vulgi temerariam opinionem omittamus, existimaverunt quidam fortunam, quæ virtuosis plerumque ac fortibus viris adversatur, tui status dignitatem oppugnasse, ceteros per hoc edoceri posse homines, ut non in rerum fortuitarum prosperitate magnopere confidant, cum intueantur maximos virtute ac dignitate viros ab amplissimo statu dejici posse, ac multo magis afflictos docere, ne calamitatis aut tristium rerum eventu desperemus, cum videamus certo tempore dejectos in pristinam extolli amplitudinem, ut tandem sumamus doctrinam, ne multum lætioribus rebus efferamur, aut dejiciamur adversis, neve obliti videamur, quam varia, quam fragilis, quam inconstans sit fortunæ conditio, Martium clarissimum virum magistrum militum splendore triumphi ac summi sacerdotii honore dignum habitum, tradit Valerius exulem factum, ac deinde proscriptum fuisse. Taceo Hecubam & Darii matrem Asiæ reginas, Crœsum quoque regem postea servisse, Dionysiumque ex rege scholæ magistrum effectum, infinitos tandem legimus opulentissimos viros eosdemque potentissimos fortunæ instabilitate dejectos. Alii invidorum morsibus putant longiore mora tuam amplitudinem fuisse ab hominum conspectu ereptam. Hi cum viderunt te regis & bonorum virorum benevolentiam tua prudentia nactum esse, & eam ducere perinde ac cujusdam felicitatis humanæ loco, non potuerunt perditissimi livore homines non vehementissime dolere, & qui ob inertiam suam eadem consequi non possent, inviderent laudi & dignitati tuæ. Etenim usu evenit quotidiano neminem tam frugi esse, aut tanta modestia, cujus vitæ non invideatur, atque eo magis quo sublimioris est virtutis. Hæc pessima fera invidia est, quæ Joseph clarissimum ac sanctissimum virum in foveam fraternarum manuum ope dejecit, vendiditque Ægyptiis. Eadem Hieronymum sacræ Romanæ ecclesiæ cardinalem (a) sacrum doctorem, fugere Urbe coëgit. Furius Camillus gravissimus ac strenuissimus Romanus consul est invidiæ dentibus laniatus. Romanos equidem dura ab hostibus decennio passos, factus dictator, eisdem hostibus victis, a maximis cladibus liberavit. Postea vero quam in Urbe triumphans rediit, tribuni ac multi civium tanti ducis gloriam minuere per invidiam contendebant, in exiliumque pulsus est. Scipionem quoque Africanum consulatu & dictatura functum, tribuni in jus coram se quodam livore, ut infimum de plebe vocaverunt. Raros tamen invenies priscos fortes ac præstantes viros, quos invidentia doli non læserint. Duo sunt igitur

(a) S. Hieronymi cardinalatum inter aniles fabulas rejiciunt viri eruditi.

quæ putant multi, fortunam aut invidorum hominum malivolentiam, tuam tamdiu reverendissimam paternitatem in solitudine coëgisse. Sed ego longe aliter sentio. Neque fortuna, quæ nulla est, amplitudini tuæ nocuit, nec invidis satis virium fuit, ut tuæ sublimitati tam diuturno impedimento esse potuerint. Potius ab immortali Deo occultissima ejus providentia & immensa bonitate ad futuram reipublicæ tutelam & ecclesiæ defensionem ac directionem factum existimo. Nam postea quam Dei voluntate in cardinalatum sublimatus extitisti, te incredibile desiderium tenuit statum ecclesiarum colendi pro tua dignitate, bonarum disciplinarum libros studiose legendi, atque ad eam intentionem scriptores & librarios multos instruxeras, quibus Parisius tuo in prioratu sancti Eligii me volueras præesse. Sic exquisita multarum facultatum volumina tibi tuo jussu paraveram, quibus non satis temporis ob curiæ conflictus tribuisse volebas, nec ab ipsa curiali inquietudine & principum quotidiano convictu videbaris posse tua voluntate absque odio & ipsorum principum offensa discedere. Quare summus rerum dispositor modum statuit, quamquam toti regno mirabilis, bonis omnibus durus videretur, statuit, inquam, modum qualem placuit occultissimæ providentiæ suæ, quo subito a principum consortio, & curiali fluctuatione te in solitudinem & mentis quietem reduxit. Proinde prævidens ipse rerum omnium parens, quod in te materia esset futuri in ecclesiasticis moribus augendis profectus, disponit, ut mihi videor, ut plurima agnosceres, quæ neque in libris scribuntur, neque sapientum vocibus atque admonitione edoceri possunt. Quædam sola discuntur experientia, reliqua vero solum cum homo a superfluis curis & externis phantasmatibus ad intimam mentis cogitationem in seipso collectus est, & ut speciale aliquid exprimamus, in longi temporis solitudine tua, in otio fuisti; non illo quo languescunt homines ignavi, sed quo potius generosæ mentes aluntur, quo sacrarum artium libros perlegendo, plurima & alta excogitasti ad formandos ecclesiasticorum mores. Agnovisti profundius rerum humanarum instabilitatem, ex utriusque fortunæ officio factus es certior. Nam cum prius optimo tuo & perspicaci ingenio prudentiaque, quibus ab ipso Deo abunde es donatus, illa pridem cognosceres, ac multo certius, & acutius & perpicacius nota fiunt, &, ut ita dicam, quasi oculis inspiciuntur, cum mens ab externis curis libera est, & in solitudine atque arcano suæ considerationis recepta: sic existimo Deum ordinasse, ut hanc profundam bonæ doctrinæ conceptionem in te formares, quæ non tibi solum, sed omnibus & toti potissimum

ecclesiæ perpetuam in bonis moribus & honestate commoditatem afferat. Sic Hieronymus reverendissimus cardinalis & vir illustris, non tam ab invidis in deserta loca pulsus est, quam a Dei singulari ordinatione, ut otii ab eremo sui perpetuum in ecclesia fructum degustaremus. Non enim extarent tot præclari epistolarum ejus, homiliarum, ac salubris doctrinæ codices, nisi inhabitata loca Hieronymus petiisset. Cicero philosophus & orator maximus suæ philosophiæ & artis libros non prius composuit, quam Urbe & reipublicæ administratione fugatus ab æmulis, solus in agris Tusculanis coactus est: a quo loco quæstiones profundissimis sententiis ac eloquentia refertas prope divina, Tusculanas appellavit. Nec aliter bibliam universam tam accurate perlegisses, nec Gratiani decretum familiare tibi esset, nec libris moralibus efficacem dedisses operam, ut fecisti, nec veteres & recentes historias memoria teneres, ut facis, nec denique horis novem quotidiana consuetudine per annos fere decem optimarum artium libros potuisses revolvere, quod te Deus a frequenti curiali conspectu traxit, & cum te summa in calamitate esse crederent homines, non modo non fracto animo cum adversorum magnitudine fuisti, sed ad res magnas & omnibus utiles excogitandas firmato ac renovato. Tandem si priscorum illustrium virorum labores, qui in otio ab illis habiti sunt, plus nobis prodesse, quam illi quos in forensi conflictu aut publica administratione susceperunt. Ii enim temporis & ævi brevis fuerunt, illi autem perpetui ad nos pervenientes inseruntur, quos non poterit abolere vetustas. Itaque veriorem credo sententiam ac majorem fine, & publicam utilitatem a rebus forensibus & curiali fluctu diutius separasse, quam fortunæ quæ nulla est, p[illegible]tatem, aut malivolorum hominum invidentiam id fecisse. Sunt qui fortunam tuam inter casus virorum illustrium numerandam putarent; sed præmaturam ut leviores judices tulere sententiam. Suum enim adhuc judicium differre debuerunt. Nam hi clari viri quos cecidisse describit Bocacius, præcipites perpetuo absque reditu sunt dejecti. Tu vero Dei nutu, sanctæ sedis apostolicæ judicio, & regis consensu, ex casu ab ipso immortali Deo præviso in pristinam es dignitatem instauratus. Videris mihi ipsi Job inter orientales claro simillimus, qui primo fama & fortunis omnibus opulentissimus, deinde bonis quibuslibet externis exutus, nudus absque prole & amicis, tempore & quidem quam longo ignoramus, in squallore & angustia permansit, solis comitatus bonis, quæ natura, virtute, & industria sibi data sunt. Sed ubi hæc magna animi patientia tulit, nullamque sibi a Deo in eorum ablatio-

A ne factam injuriam palam confessus est, statim & pecudes, & armenta, & cameli, & ceteræ facultates opulentius restitutæ, filiæ quoque & filii redditi, prior sanitas instaurata, tandemque in omnibus potentior, gloriosior, illustrior visus est. Sic te inter Occidentales aut Septemtrionales reverendissimum, post utriusque fortunæ vicissitudinem, in pristinam renovatus es dignitatem, beneficia tibi quasi oblata consequeris, domos tibi prius veluti destructas integras admiraris, carissimos fratres tuos optimos & ornatissimos viros, qui pridem tibi

B quasi mortui fuerant, ab hominibus honoratos a Deo credimus dilectos, juvenes incolumes, inde confido Dei beneficio tua virtute ac sedis apostolicæ regisque muneribus te illustriorem. Joseph sanctissimus patriarcha, quem si inter miseros posueris misertimus, inter felices felicissimus reperietur, honores non sustulisset in Ægypto regios, non secundus post regem extitisset, non in regio curru per Ægyptum regnantis in morem vectus; non denique finitimas Ægypto regiones, parentemque Jacob, fratresque undecim liberasset, si non fra-

C trum obtrectatione exsulasset, & in quo fratri voluerunt obesse, in eo sibi honori & famæ ceterisque saluti fuerunt. Mitridates rex Ponti tutores habuit infestos, qui ipsum adhuc puerum fero equo impositum equitare jacularique cogebant; sed puero supra ætatem regente equum, propriis conatibus decepti tutores veneni illi insidias paraverunt; qui sentiens tutioribus se remediis adversus venena fulsit, a quo tradit Apianus græcus scriptor opiatam Mitridatum ab Avicenna dictam, nomen sumsisse: ita ut senex venenum sumens, ac volens quidem

D mori, non potuerit. Timens deinde Mitridates ne perversi tutores, quod veneno nequibant, ferro tentarent, venandi simulatione per septennium urbis aut ruris tecto usus non est, sed per silvas vagabatur & montes, quo & insidias vitavit, & corpus ad laborum patientiam quotidiana exercitatione duravit. Inde ad regnum accedens, tanta virtute fuit, ut Scythas perdomuerit, gentem antea invictam, quæ Alexandri magni ducem Sopiriona cum triginta millibus deleverat, Cyrum Persarum regem, & cum

E eo ducenta armatorum millia trucidaverat, Philippum Macedonensem fugientem ceperat. Præterea Paflagoniam Mitridates expugnavit. Romanis tandem omnium dominis bellum per annos quadraginta intulit, ac universum contra eos Orientem commovit. Eris nobis Camillus, qui publicis muneribus ac omni magistratu exutus & in exilium pulsus, ad rempublicam postea nutantem necessarius visus est. Nam hostium fortitudine fracti Romani pepigerunt, ut dato magno auri pondere, hostes Roma-

num agrum relinquerent, cumque de pondere esset altercatio, Camillus intervenit, hostibus denuntiat, ut ad prælium sese expediant, ferro, non auro recuperare patriam jubet. Sic hostes subita re trepidos fugat funditque, ac patriam liberat: ita qui fuerat exsul postmodum reipublicæ salutem attulit. Non enim in ipso exilio fractus est animo Camillus, non viribus languens, non solutus, non Urbis ante magistratum odio tenebatur, sed vir utraque fortuna mutatus rempublicam dilexit, non de vindicta in eos qui ipsum exulem fecerant cogitavit, sed summo studio salvandæ reipublicæ, ipso etiam exsulante, tenebatur. Te quoque, si quis existimat aut depravata voluntate esse, aut debilitata animi virtute, aut benevolentia ad regem & regnum fracta, vehementer errat; sed Camillum imitatus potius, qua ratione rempublicam ecclesiasticam augeres, salubri doctrinæ & cogitationi quotidie incumbendo, quam de vindicta in eos qui tibi nocumento fuerunt, in tuo quasi exsilio cogitasti, tibi fortasse in solitudine existenti, quod potuit vis & invidorum injuria & pessimæ linguæ furor detrahere, illud eripuit atque abstulit; quod viro forti adimi non potest & regnum amanti, id in te permansit. Iis atque aliis clarissimis viris dura passis, quorum plenæ sunt historiæ, attentius mente revolutis, non dubito pristinam adversitatem & longissimam solitudinem tuam, quod miseriæ per erroneum tribuebatur judicium, ad futuram magnificentiam tuam rei quoque ecclesiasticæ & morum incrementum ab immortali Deo tuæ indignitati immissam extitisse. Tibi enim qui a principum consortio, qui a curiæ conflictu, qui a rebus mundanis per te ipsum sejungi, quamquam id velles, non poteras, qui bonarum disciplinarum canonicique juris ac moralis philosophiæ, memorandarum historiarum libros, quos maximopere cupiisti, contemplari nequibas, quique ab omnipotenti Deo servatus ad ecclesiæ nutantis confirmationem, lapsorum morum reparationem, & egregia facinora bonorum virorum opinione, ea tibi, inquam, Deus ex altitudine sui consilii, loci & temporis opportunitate, stupenda, ut dixi, cunctis mortalibus ratione tuæ eminentiæ dedit, ut tua mente in quiete recepta, ea consequi posses. Sic voluit Deus Joseph servum fieri, ut postmodum imperaret; fieri miserum, ut reliquos levaret. A miseria Job post magnitudinem calamitatis externis bonis & mentis habitu locupletior evasit. Hieronymum, cum esset eadem qua es dignitate, obtrectatio fieri extorrem coëgit, ut studii fructus uberiores reciperet. Mitridati vires non affuissent ad bellum per tot annos Romanis inferendum, nisi puer passus esset tutorum insidias. Camillus non alio pacto Romam ab hostibus liberasset, quin prius ipse exul hostes ipsos insperato fuderit; infinitosque historici tradunt magnanimos viros & illustres, quibus non aliter quam per adversæ fortunæ duritiam datum est egregia facinora edere, quod David profunda exprimit sententia: Dominus, inquit, pauperem facit ut ditet; humiliat, ut sublevet, ut sedeat cum principibus & solium gloriæ teneat. Magna igitur eximia tuæ prudentiæ hoc in regno atque in Italia expectatio est. Respublica ecclesiastica languens te vocat, debilitatus per orbem terrarum te clamat Christianus populus. Ecclesiastici quibus ad virtutem est animus ecclesiasticæque honestati student, tuam circumspectissimam paternitatem desiderantissime exposcunt. Vale faustus ac felix. Per oratorem tuum Robertum canonicum Carnotensem.

EPISTOLA JOHANNIS Galeatii vicecomitis, &c. ad priores artium & vexilliferum justitiæ populique & communis Florentiæ.

Causatur de eis quasi ipsum ad bellum cogant.

JOHANNES GALEATIUS vicecomes, & comes Virtutum ac Mediolani, vicarius imperialis generalis, prioribus artium ac vexillifero justitiæ populi & communis Florentiæ. *Anno 149[illegible] Ex schedis Mabillonii.*

Pacem Italicam omni studio hactenus indefessaque intentione quæsivimus, nec laboribus pepercimus, nec impensæ. Optabamus enim quod lassata longævis guerris Italia quiesceret, idque tanto animi fervore flagravimus, ut nonnumquam per malos interpretes vitio nobis adscriptum fuerit, quod humanitate & caritate facere nitebamur. Sed heu omnia frustra tentavimus, prævalentibus consiliis reproborum. Maluit enim, non dicimus magnifica vestra communitas, de qua nihil tale opinari possemus, sed paucorum ac diversorum vestrorum seu rabies seu diffidantia male fundati & tremuli status sui, qui florentem illam civitatem sub libertatis specie tyrannisant, guerram quam pacem eligere, & pacis indignum patriam & Italiam pro magna parte strepitibus bellorum involvere: violatis, quod execrabilius est, in damnum & inæstimabilem jacturam magnificorum filiorum nostrorum Senensium & Perusinorum, ignominiamque nostram, occulte primo, quantum fieri potuit, & tandem fœderibus universalis ligæ, quæ fuerat longis tractatibus & validis solemnitatibus consummata. Utinam in ipsos solos, & non in alios pacis avidos; & in ipsorum capita, & non in ipsam miserandam patriam detestabilia hæc sua consilia & opera redundarent: quibus præter naturam no-

A ftram & omne noftrum propofitum ad ulcifcendum illatas filiis & amicis noftris contra conventa ligæ fœdera innumerabiles offenfas filiis & amicis noftris adverfus tyrannifantem . . . . . veftrorum a die præfentationis hujus noftræ diffidantiæ inantea provocamur. Data Papiæ, die XVIII. Aprilis anno MCCCCLXXXX.

JOHANNES GALEAZ vicecomes, & comes Virtutum ac Mediolani, vicarius imperialis generalis.

B
EPISTOLA FLORENTINORUM ad Johannem Galeatium vicecomitem.

Dolofas ipfius litteras refutant & mendacii arguunt.

Anno 1490 Ex fchedis Mabillonii.

PRiores artium & vexillifer juftitiæ populi & communis Florentiæ JOHANNI GALEAZ vicecomiti, &c.

Hac die recepimus hoftiles litteras de manu cujufdam curforis fub nomine Johannis Galeatii vicecomitis, qui fe dicit Virtutum comitem ac Mediolani, & imperialem vicarium generalem, totas quidem ple- C nas mendaciis atque dolis, ac tam fuperbe quam infidenter concludentes. Et ut ad ipfarum litterarum aufpicium veniamus, pacem Italicam omni ftudio talia fcribens indefeffa intentione fe afferit quæfiviffe, nec peperciffe laboribus vel impenfæ; quod quidem verbum, quod ejufdem epiftolæ primum eft, quam impudenter, quamque mendaciter fit infertum, declarat invafio per ipfum facta contra dominum Veronenfem, quem ter feliciffimo bello implicitum confixit contra fuum ftatum; nefcimus quid hoftiliter quærere, quam potentior hoftis D a quo jam bis invafus & victus, vix poterat mœnia fua tueri, non fibi fufficeret & potentiffimum provocare. Declarat & illa fidelis focietas inita cum domino Paduano, in qua de partiendo ejufdem domini Veronenfis fpecialis converfio facta fuit, cujus obfervatio fecuta eft in occupatione civitatis Vicentiæ, quæ præfato focio debebatur: immo ruptis focietatis fœderibus, bellum eidem folum per injuriam & ambitionem domini, quæfitis falfis coloribus, quanta infidelitate dici poteft illatum. Hæc funt pacis opera, hæc funt indefeffæ illius E intentionis optimæ ftudia, quibus litterarum tranfmiffor fe pacem Italiæ dicit, ne dicamus fimulat, quæfiviffe. Declarant & hæc illæ confictæ calumniæ, quibus nobis in magna finceritate fcribentibus, poft ligam initam, noftrarum mentium amicabile propofitum indicando, nos in noftris ordinaffe confiliis de ipfo per modum aliquem perimendo, turpiter fuit conqueftus. Declarant & gentes fuæ, quas promiferunt fui oratores & fyndici revocandas, quafque juxta ligæ fœdera in Tufciam mittere non debebat, nifi in amicorum fuorum, fi offenderentur, auxilium, quas omni offenfione ceffante non revocavit, fed auxit in turbationem patriæ, & manifeftum fcandalum per totam patriam feminavit. Scimus Senenfes pacem defideraffe, fed fub tali domino, nec fibi, nec patriæ potuiffe pacem inquirere vel fervare. Et quia fregiffe ligam, ficut ipfa littera continet, culpamur, dicat, fi poteft, in quo fuerit per nos contra ligam commiffum aliquod vel omiffum. Habebamus gentes, quas ipfe folus, utpote fibi fufpectas & execrabiles formidabat, illas noftras ex præfens diffolvimus. Habebamus amicos & (a) cenfuarios, quibus cum Senenfibus bellum erat, quos ab omni propofito ad pacis & concordiæ dulcedinem duximus provocandos. Sed quid profuit, aut prodeffe poffet pacis ftudium apud illum qui pacem verbis annuncians, bellum tot conatibus machinatur? Exarmavit nos, ut poffit offendere; armavit Senenfes & alios, ne poffent cum fuis antiquis fratribus amicitiam integrare, & tamen audet nobis ligæ violationem imponere, qui ligam non confenfit, nifi quo poffet facilius fupplantare, cum alias nobifcum pipigiffet armatorum congregationes, quas focietates vulgus nuncupat, etiam per vim diffolvere, & in fuis territoriis non conflare, vix bene ficcatis inftrumentorum litteris, novam armatorum, nonnifi in collegatorum excidium peperit focietatem; quibus utpote non in hæc fœdera veniens, prius ligam cogitavit rumpere, quam firmaverit, & de liga nihil juxta verborum corticem obfervaret. Etfi montem Pulciarium, ut promifimus, adivimus, & nobili viro Bertaldo de Urfinis comiti Sicanenfi & palatino filio & cenfuario noftro, ruptis ligæ fœderibus per Senenfes invafo, fubfidia dedimus, quod juxta ligæ tenorem licitum eft, & nobis erat debitum, quo dici poteft nos ligam, ut prætenditur, violaffe? Nam de Perufinis quid loquamur, quorum civile certamen nobis videmus, expulfis cunctis bonis civibus imputari? Sed profecto nofmetipfos vana fpe delufos decipiebamus, perfuadentes nobis illum effe poffe fidelem, qui tam infidelis extitit, nepos, & gener, & frater, in focrum, patruum atque fratres, cujufque toties & nobis & aliis probata fides erat, nihil habere conftantiæ, nifi folum in hoc, ut fidem quam promiferat non fervaret. Ut autem ad ultimam particulam litteræ veniamus, gratias agere quod nobis noluerit mentem fuam litteris declarare, nifi ficut per fuos capitaneos, & ipforum litteras valeamus oftendere, quod jam prius nos offenderit, quam præfixus in fua littera ter-

(a) Cenfuarii dicebantur ii, qui cenfus ab his exigebant, qui cenfum de capite præftabant.

minus denotaverit. Sed hic est mos fideliter agentium, ante actis invadere, quam se verbis vel litteris declarare. Nos autem contra similes calumnias obtulimus nos & commune nostrum juxta ligæ fœdera colligatorum paratos subire judicium, quod videmus penitus recusatum. Ex quo postquam de jure disceptare non licet, postquam enormiter atque publice sumus invasi, ut demum ejusdem litteræ verbis utamur, superbissime diffidati. Et nos versa vice tyranno Lombardiæ, qui se cupit regem Hungariæ, bellum indicamus, & pro libertatis nostræ defensione & libertate populorum, quos tam grave jugum opprimit, arma movemus: sperantes in ineffabilis summi numinis æterna mysteria, quod nostram tuebitur veritatis libertatem. Miseriam Lombardorum aspicit, & unius hominis ambitionem libertati, & pœnæ immortali populi & saluti tot urbium & castrorum, quot violenter subjugat, non præponit. Unum autem omittere nolumus, quod inveniet sua decepta temeritas totum Florentinum populum, postquam sic nominat . . . . & addiscet saltem sero, non illis credere qui sibi persuadent, in hoc dissensionis incepto non omnes Florentinos concurrere, nec majores cum minoribus convenire, videns unanimi voluntatis dispositione paratos potius eligere mori, quam in suæ tyrannidis subditos numerari. Data Florentiæ die II. Maii indictione XIII. anno Domini MCCCCLXXXX.

Priores artium & vexillifer justitiæ populi & communis Florentiæ.

EPISTOLA HENRICI II. regis Francorum, ad capitulum ecclesiæ Trecensis.

Canonicos Trecenses obsecrat, ne Antonium Caracciolum a Melphia Trecensem episcopum barbam prolixam resecare cogant.

DE PAR LE ROY.

Anno 1551 *Ex commentariis ecclesiæ Trecensis eruit dominus Brayer.* [a]

CHers & bien amez, pource que nous doutons que vous soyez pour faire difficulté de recevoir en vostre eglise nostre amé & feal cousin messire Antoine de Caracciole (a) vostre evesque, sans ce que premierement il ait fait raser sa barbe, au moyen de quelques statuts, que vous avez coûtume d'observer en tel cas. A ceste cause, nous avons bien voulu vous écrire la presente, pour vous prier que vous ne vueilliez arrester à cela, mais l'en tenir en faveur de nous pour exempt, d'autant que nous avons deliberé de l'envoyer de brief en quelque endroit hors du royaume pour affaires qui nous importent, où ne voudrions qu'il allât sans sadite barbe; nous assurant que vous le ferez ainsi, nous ne vous ferons plus longue lettre, si n'est pour vous adviser que ferez en ce faisant, chose qui nous sera tres-agréable, vous disant adieu chers & bien-amez, qui vous ait en sa garde. Donné à Fontainebleau le XXVII. jour de Novembre MDLI.

HENRI.

Chaussé.

EPISTOLA NICOLAI de Pelve cardinalis & archiepiscopi Senonensis ad cardinalem S. Severinæ.

De interdictis sibi consistoriis a papa.

ILlustrissimo & reverendissimo domino meo observantissimo domino cardinali S. Severinæ.

Illustrissime & reverendissime domine mi observandissime, miratus sum illustrissimam & reverendissimam dominationem vestram nihil ante discessum a capella resciviſse de hac mea interdictione a consistorio crastino, & futuris, donec aliter sanctitas sua decernat, id vero magis per cursorem fuisse mihi significatum, sed maxime id male me habet, & cogit ut pejus aliquid suspicer, quod eidem crastino consistorio se interesse nolle illustrissima dominatio vestra dicat. Proinde, si me amat & ego illam, obsecro atque obtestor, ut consistorium adeat, & causam amici obsequentissimi ne deserat. Plurimam illi salutem precor & manus deosculor. Anno 1590. *Ex schedis Mabillonii.*

Illustrissimæ & reverendissimæ dominationis vestræ humillimus servus NICOLAUS DE PELVE cardinalis Senonensis die XVII. Junii anno MDXC.

(a) Trecensis episcopatus possessionem iniit 13. Decembris 1551. nec multo post a fide catholica defecit; verum cogente populo Trecensi in suggesto parochialis ecclesiæ S. Johannis in foro hæresim palam ejuravit dominica sexagesimæ anni 1552. Sed postea in ædibus Hieronymi *Girardin* in tributario foro Trecensi judicis, prope cimiterium parochialis ecclesiæ S. Magdalenæ in vico qui dicitur *des Lorgues*, ubi conventicula agebant novatores, iterum fidei catholicæ nuncium remisit, vir quamdiu Trecensem episcopatum tenuit, modo catholicus, modo hæreticus, qui tandem anno 1562. militem induit.

FINIS.

INDEX

INDEX
RERUM ET VERBORUM
HUJUS VOLUMINIS.

Cancel-

P

F.

rat,

H.

Hubertus

J.

Liesbornensis

Metensis

N.

Robertus

V.

ERRATA CORRIGENDA ET EMENDANDA.

PAg. 10. *l.* 22. caranaturæ, *l.* caraxaturæ. *P.* 30. *l.* 23. publico, *l.* publice *P.* 41. *l.* in qua. *l.* 5 in quo. *P.* 45. *l.* 31. nominem, *l.* nomine. *P.* 68. *l.* 26. Angelolmo, l. Angilelmo. *P.* 114. *l. penult.* quam *l.* quod. *P.* 120. *l.* 29. voluerit, *l.* voluerint. *P.* 149. *l.* 37. *in margine* 861. *leg.* 859. *P.* 176. *lin.* 15. manalitis, *leg.* mandatis. *P.* 177. *in margine* 861. *l.* 867. *p.* 179. *diploma Caroli-Calvi debet collocari, pag.* 147. *P.* 120. Diploma Caroli-Calvi debet collocari. *P.* 191. *P.* 211. *in margine* S. Martini *l.* S Maximini. *P.* 224. *l.* 32. idem, *l.* item. *P.* 229. *l. ultim.* 829. *l.* 929. *P.* 232. *l.* 37 non esse, nunc esse. *P.* 242. *l. pen.* abbas, *l.* abbatis. *P.* 273. *l.* 42. ac *l.* ad. *P.* 295. *l.* 10. me Nequam, *l.* me nequam. *P.* 297 *l.* 90. appellat, *adde* divinam. *P.* 302. *l.* 9. si per, *l.* si pes. *p.* 303. *l.* 58. Sicambe, *l.* Licarrbæ. *P.* 309. *l.* 10. quo temetiatur. *l.* quod emetiatur. *P.* 317. *l.* 41. quos, *l.* quas. *P.* 334. *l.* 12. Delmone, *l.* De Imone. *P.* 443. *l.* 15. præceptis, *l.* præscriptis. *L.* 36. jus. *l.* jure. *L.* 54. fuit, *l.* fuerit. *P.* 296. *l penult.* sos. *l.* mansos. *P.* 417. *l.* 55. monachis, *l.* monachos. *P.* 468. *l.* 34. ecclesias, *l.* ecclesiis. *P.* 475. *l.* 7. vicinotum, *l.* vitiorum. *P.* 529. *l.* 29. lucernam, *l.* lucerna. *P* 577. *l.* 5. *in margine* 1000 *l.* 1100. *P.* 592. *l* 5. matri, *l.* matris. *P.* 658. *l.* 12. ecclesia, *l.* ecclesias. *P.* 677. *l.* 15. persecutus, *l.* persequuntur, l. 22. imperator. Compositione, *leg.* imperator compositione. *P.* 680. *l.* 5. eo, *l.* se. *P.* 702. *l.* 19. Honorii, &c. *l.* Honorio prædecessori nostro. *P.* 703. *l.* 47. meus, *l.* tuus. *P.* 711. *l.* 46 locum ei, *leg.* ei locum. *P.* 726. *l.* 12. genium, *l.* ingenium. *P.* 740. *l.* 47 seipsum, *l.* idipsum. *P.* 756. *l.* 18. ac illud, *l.* ad illum. *P.* 760. *l.* 20. sanitas, *l.* sanctus. *P.* 762. *l.* 6. es, *l.* sunt. *P.* 763. *l.* 40. alias, *adde* quas. *P.* 767. *l.* 32. nom, *l.* non. *P.* 769. *l. ult.* DCCCCXI. *l.* DCCCCXC. *P.* 770 *l* 27. abbatis, *l.* episcopi. *In marg.* circa 1124. *l.* 1142. *P.* 783. *l.* 20. quasi, *l.* quali. *P* 786. *l.* 43. devotiones, *l.* devotionis. *P.* 792. *l.* 49. nondum, *l.* mundum, *P.* 798 *l* 13. aut, *l.* ut. *L.* 49. cancellarii, *l.* camerarii. *P.* 802. *l.* 50. sepulta esse, *adde* in pace. *P.* 813. *l.* 11. debitorem, *l.* debitores nos. *P.* 815. *l.* 7. Arida-gamaria, *l.* Aridagamantia. *P.* 818. *l.* 57. & eumdem, *l.* & cum de. *P.* 824. *l.* 51. confratribus, *l.* cum fratribus. *P.* 227. *l.* 9. triumphus, *l.* triumphos. *P.* 834. *l.* 29. multum, *l.* modicum. *P.* 848. *l.* 25. debitis, *l.* debetis. *P.* 849. *l.* 2. specialis, *l.* speciales. *P.* 855. *l.* 3. respenderet, *l* responderet. *P.* 861. *l.* 19. & *l.* ei. *P.* 873. *l.* 1. ipsi, *l.* ipsæ. *P.* 892. *l.* 47. solidis, *l.* solidos. *P.* 901. *l.* 47 secundum, *adde*..... *P.* 936. *l.* 48. redditurus, *l.* redditurum. *P.* 943. *l.* 20. exercitu, *l.* exitu. *P.* 947. *l.* 52. oblinem, *l.* oblivionem. *P.* 1013. *l.* 40. facerat, *l.* fecerat. *P.* 1037 *l.* 51. Guillelmo Raimundi, *l.* Guillelmo de Montecathano, *P* 1047. & 1048. *in marg.* 1203, *l.* 1204. *P* 1055. *l.* 16. Gluniacensem, *l.* Cluniacensis. *P.* 1081. *l.* 27. suos, *l.* duos. *P.* 1085. *l.* 14. & 19. auferre, *l.* offerre. *P.* 1098. *l.* 10. persias, *l.* prisias. *P.* 1100. *l.* 10. poterunt, *l.* potuerunt. *P.* 1103. Petri, *l.* pontis. *P.* 1007. *l.* 47. fideliter, *adde* non. *P.* 1108. *l* 10. ei, *l.* eidem. *P.* 1179. *l. penult.* 1223. *l.* 1233. *P.* 1200. *in margine* 1226. *l.* 1225. *P.* 1202. *l.* 26. testamentum, *l.* tenementum. *P.* 1209. *l.* 7. Esseduni, *l.* Esseduno. *P.* 1228. *l.* 5. ambiguo, *l.* ambigua. *P.* 1234. *l.* 3. Marloto, *l.* Marliaco. *P.* 1280. *l.* 49. nostra, *l.* vestra. *P.* 1283. *l.* 40. Attrebatensis, *l.* Albanensis. *P.* 1310. *l.* 20. utrique, *l.* unicuique. *P.* 1323. *l.* 28. observandum, *l.* observandam. *P.* 1398. *l.* 49. petit, *adde* per. *P.* 1420. *l.* 43. Peati, *l.* Petri. *P.* 1421. *l.* 55. inter A. *l.* inter R. *P.* 1427. *l. penult.* translationi & quittationi. *l.* translationem & quittationem. *P.* 1429. *l.* 36. formam *l.* forma. *P.* 1437. *l.* 48. voluerit, *l.* noluerit. *P.* 1439. *l.* 16. retenta, *l.* retenta..... *P.* 1441. *l.* 8. tractu, *l.* tractatu. *P.* 1442. *l.* 28. quomodo, *l.* quoquomodo. *P.* 1470. *l. ult.* ramentis, *l.* juramentis. *P.* 1475. *l* 32 Bernardum, *l.* Arnaldum. *P.* 1494. *l. penult.* Araxu Rminia, *l.* arx. Ruminia. *P.* 1495. *l.* 16. favore, *l.* favere. *P.* 1496. *l.* 7. ab eo, *l.* ab ea. *P.* 1497. *l.* 51. expensare, *l.* expensatæ. *P.* 1548. *l.* 17 a soit, *l.* soit a. *P.* 1570. *l. ante penult.* vanosque, *l.* variosque affectus. *P.* 1583. *l.* 28. extinximus, *adde* incendium. *P.* 1596. *l.* 11. cardinalis, *l.* canonici regularis. *P.* 1612. *l.* 47. indignum, *l.* indigum. *P.* 1613. quam, *l.* quum.